



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



BL 172 Tome VII

RESTAURATIEKANTIER
HANDSCHRIFTENAFDELING
UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK
GENT 16




UN



GENT










DES. ERASMI ROT. OPERVM

SEPTIMVS TOMVS
PARAPHRASES IN VNIVERSVM NO-
VVM TESTAMENTVM CONTINENS

Ex Augusta Bibliotheca Thuanæ.



BASILEAE EX OFFICINA FROBENIANA
AN. M D XL

THE
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF CHICAGO
1215 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637

UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

IN VICTISSIMO CAESARI CA

ROLO, EIVS NOMINIS QVINTO,

Des. Erasmus Roterodamus, s. d.



HAVD quaquā ignarus CAROLE Caesar invictissime, quanta religio, quantaq; reuerētia debeat, quum omnibus sacris literis, quas nobis sancti patres diuini numinis afflatu prodiderunt: tum praeipue ijs, quae nobis bona fide referunt, quae pater ille coelestis ad totius orbis salutem per filium suum Iesum, uel gessit, uel proloquutus est: simulq; cōscius indignitatis propriae, quā ante annos aliquot primum admolirer manum epistolis Paulinis, Paraphrasi explanandis (nam id mihi tum ultro suggessit impetus animi) uidebar mihi facinus aggredi uehementer audax & improbum, ac periculosa, quod aiunt, alexa: adeo ut posteaquam in uno alteroue capite fecissem operis periculum, planē contractis uelis destitutus fuerim ab instituto cursu, nī me mirus amicorum eruditorum consensus, uti pergerem perpulisset. Nec mihi licuit per horum efflagitationes conuiuiscere, donec quicquid esset apostolicarum epistolarum absoluissem, quum ipse non sumpsissem tractandas, nisi eas, quae citra controuersiam omnem à Paulo conscriptae sunt. Non semper mihi prospere cessit amicorum instigationibus obsequundasse. Sed hac tamen in re mihi gratulatus sum eam audaciam expectatione fuisse feliciorem: tum auctori, cui minimum peperit inuidia, tum Euangelicę philosophię candidatis, qui mihi certatim gratias agunt, quod hac mea industria ad cognitionem apostolicę sapientię, uel excitati sint, uel adiuti. Sed hac defunctus prouincia, non expectabam posthac unquam mihi rem fore cum hoc scripti genere. Et ecce R. D. Mathaeus Cardinalis Sedunensis, cuius hortatu perfeceram epistolas canonicas, quib; illum ē Vuormaciensi concilio reuersum salutandi gratia conuenissem Bruxellae, primo statim colloquio, uelut hoc meditatus incipit hortari, ut quod fecissem in epistolas apostolicas, idem facerem in Euangelium Matthaei. Ego protinus excusare multa, plus satis audax fuisse facinus, quod id tentassem in apostolicas literas: uiros quidem diuinos apostolos, sed tamen homines fuisse. Ceterum Christi maiestatem esse maiorem quam ut in huius uerbis idem audere fas sit. Quod si non submoueret operis maiestas, tamē argumēti naturam refragari, nec admittere paraphrasen: non tantum ob hoc, quod hic uariae sint personae, quibus dum necessario attemperatur oratio, sit ut intra cancellos arcuissimos cohibeatur calamus: nimirum exclusus ab ea libertate, quam admittunt reliqua commentariorū genera. Nam & paraphrasis cōmentarij genus est. Deinde quum bona pars Euangelij cōstet narratione rerum gestarum, eaq; simplici ac plana, fortassis uidebitur hic paraphrasen nihil aliud quam lucernam accendere in meridie, iuxta Graecorum prouerbium. Iam quum ueteres in allegorijs explicandis, partim uariant, partim sic agant, ut mihi nonnunquam ludere uideantur: nec mihi licuerit eas nisi sub persona uel Christi, uel Euangelistae referre, palam est, in quantis angustijs essem uersaturus. Omitto quod Christus quaedam ita locutus est, ut tum quum diceret intelligi noluerit, quod genus est illud. Soluite templum hoc, & in triduo aedificabo illud. Rursum de emendo gladio, de fermento phariseorum uitando. Porro in eo sermone quo praedicat excidium urbis Hierosolymitanę, finem huius mundi, & afflictiones olim apostolis euenturas, ita miscet ac temperat sermonē Iesus, ut mihi uideatur, nō solum apostolis, sed nobis etiā obscurus esse uoluisse. Sunt rursus loca quaedam mea sententia inexplicabilia, quorum est de peccato in spiritum sanctum nunquam remittendo: de die supremo, quem solus pater norit, etiā filio incognitum. Hic in commentarijs licet absq; periculo referre sententias diuersorum diuersas, licet ingenue fateri locum tibi non liquere. At idē ius non est paraphrasae. Præterea sunt quaedā ita dicta, ut ad hac quoq; tempora pertineant, in quibus plurima sunt ab apostolicis institutis dissidentia. Haec ut spiritu prophetico praescierint Euangelistae, certe sub illorum persona nō possunt narrari, nisi frigide & coactae. Mouebat & illud animum meū, si in solum Mattheum hoc operae sumerē, fore protinus, qui idem efflagitarent in ceteros Euangelistas. Quorum uoluntati si morē gererem, futurum ut mihi sapius eadem essent repetenda, nimirum

mirum omnia in quibus inter se consentiunt Euangelistæ. Sini ex omnibus perpetuam quandam narrationis seriem contexerem, quum explicare dissonantes locos in Euangelistis nihil aliud sit, quam in labyrintho quodam uersari, non potuissem seruire perspicuitati paraphraseos. His & huiusmodi plurimis argumentis quum deprecarer delatam provinciam, mihiq; uiderer habere causam bonam ac uincibilem: tamen ille uicit facundia, uicit auctoritate, totius negocij periculum & aleam in sese recipiens. Nec ausus sum diutius illius uiri reluctari consilio, cuius consilijs tua maiestas grauissimis in rebus solet non illibenter obtemperare. Et tamen quum ego non planè recepissem negocium, sed tantum pollicitus essem aliquando conaturum me, si forte procederet, ille Mediolanum se conferens, meo nomine sponderat Germanis opus hac hyeme proditurum. Itaq; quum ipse Basileam repeto, sic urgebar undiq; à Germanis meis, flagitatoribus non parum improbis, ut quo fidem illius ac meam liberarem, opus menstruo ferme labore perfecerim. Ut nam sit omnibus felix illius imperium ac meum obsequium: & spero fore, si tua maiestas hoc munusculum sibi dicatum agnoscat. Sed hic fortasse dicet aliquis, qui te non alio titulo quam Cæsaris nouit, quid hoc argumentū ad prophanum principē, quod magis cōueniebat abbatibus, aut episcopis consecrare? Primum mihi uidetur apte datum, quicquid honestum offertur Christiano principi. Ad hæc cum nullus princeps tam prophanus sit, ut ab Euangelij professione sit alienus, Cæsares in hoc unguntur & cōsecrantur, ut euangelicam religionem uel tutentur, uel sarciant, uel propagent. Itaq; non doctor est Euangelij Cæsar, sed propugnator. fateor, sed interim par est non ignorare quale sit, pro quo sumis arma. Porro cum tuum istum animum cōtemplor sic religioni pietatq; deditum, ut episcopis & abbatibus ad pietatis studium uel regula possit esse, uel calcar: non mihi uisus sum ulli congruentius hoc munus dedicaturus, quam tuæ maiestati. Proinde quod apte dicaturus eram Christiano principi, aprius Cæsari, aptissime dico CAROLO. Minus apta deferunt, qui gemmas raras, qui feroces caballos, qui canes uenatorios, qui aulea barbarica largiuntur. Iam cum Euangelistæ nulli non scripserint Euangelium, non uideo quo minus sit ab omnibus legendum. Et nos ita tractauimus, ut & ab illiteratis possit intelligi. Legetur aut summo est fructu, si quisq; hoc animo sumet in manus, ut seipso redatur melior: nec Euangelicam scripturam ad suos accommodet affectus, sed suam uitam, suasq; cupiditates ad huius regulam corrigat. Nos in hoc opere potissimum sequuti sumus Origenem rei theologicæ longe peritissimum, Chrysostomū ac Hieronymum ex orthodoxis probatissimos. Det tibi Cæsar Augustissime cœlestis ille princeps ea uelle conariq; quæ sunt optima, atq; idem tuos conatus bene fortunet, ut amplissimum imperium, quod citra sanguinis humani iacturam hætenus contigit, possis itidem uel propagare, uel tueri. Illud interim semper meminerit tua clementia, nullum bellum, neque tam iustis de causis suscipi, neque tam moderate geri, quod non ingens & scelerum & calamitatum agmen secum trahat: tum maximam malorum partem ad innoxios & indignos recidere. Basileæ. Idib. Ianuar. Anno M. D. XXII.

DES ▶ ERASMVVS ROTEROD ▶
PIO LECTORI S. D.



EMINI lector optime, & aliàs alicubi testificatum esse, me plurimum dissentire ab ijs, qui laicos & illiteratos in totum putant submouendos à lectione sacrorum uoluminum: nec admittendos ad hæc adyta, nisi paucos Aristotelica philosophia, scholasticaq; theologia multis annis detritos. Equidem in præsentia non digladiabor cum ijs, qui hos potissimum iudicant idoneos legendis & enarrandis uoluminibus arcanis, quod ingenium adferant humanis disciplinis exercitatum. Sit ita sanè, modo eas per ætatem sobrie modiceq; attigerint: modo ne in illis consenuerint, modo ne plus satis illis tribuant, modo absit supercilium & cæcus amor sui: modo simplex & purus sit oculus, quo in scripturis arcanis conspicitur deus, neq; animus sit mundanis affectibus uiciatus, à quibus refilit spiritus ille cœlestis. Alioqui pulchrè tenebant sacras literas scribæ & pharisæi, & interrogati de Christo, incontanter proferebant e prophetis testimonium: rogati de præcipuo legis præcepto, apte respondebant. Caiphas etiam uaticinium ædidi de mundo Christi morte redimendo. Sed

do. Sed uidentes non uidebant, quod oculos haberent liuore, odioq; uiciatos: audientes non audiebant, quod aures haberent malarum cupiditatum sordibus obturatas: intelligentes non intelligebant, quod mentem haberet ambitionis & avariciæ tenebris obcæcatam. Nec ulli pertinacius obstiterit Christo, quam qui præcipue tenebant eos libros, in quibus & promissus fuerat, & adumbratus. Sed non ideo damnanda est sacrarum literarum exacta cognitio, si quidam suo uicio sibi uertunt in perniciem, quod suapte natura bonum est ac salutiferum. Vt igitur ijs detur primus locus in docendo, non uideo tamen quid idiotæ sint ab euangelicis præcipue literis, ceu prophani à sacris submouendi, quæ doctis pariter & indoctis, quæ Græcis æque ac Scythiis, quæ seruis itidem ut liberis, quæ forminis simul & uiris, quæ plebeis non minus atque regibus proditæ sunt. Quod docet ex æquo ad omnes pertinet, quod pollicentur, pariter ad omnes pertinet. Et ita proditæ sunt, ut citius intelligantur ab idiota pio modestoq; quam ab arrogante philosopho. Iudæorum est populum celare sua mysteria, qui in umbris uersabatur. Euangelica lux premi non sustinet. Olim in sancta sanctorum unus ingrediebatur sacerdos. At ut templi uelum in morte domini scissum est, ad ipsum usq; Christum, qui uere sanctus est sanctorum, & sanctificator omnium, datus est omnibus aditus: & exaltatus à terra, omnia trahit ad se, qui cupit omnes saluos facere. Exclamant indignum facinus, si mulier aut coriarius loquatur de sacris literis. At ego puellas quasdam audire mallet de Christo loquentes, quam quosdam summos uulgi opinione Rabinos. Quir nos sumus imitiores Iudæis? Illi ferebant puerum Iesum in medio doctorum respondentem et interrogantem, cum nihil adhuc in eo diuinum suspicarentur. Increpat ille discipulos suos, qui prohiberent pueros adire se. Talium est enim, inquit, regnum cœlorum. Neque nos igitur arceamus paruulos ab euangelica lectione. Fortasse Iesus & illos complecti dignabitur, sacrisq; suis manibus contingere, ac benedicere. Hæc ætas pharisæis obtreçantibus domino cecinit gratum Osanna. Ex hoc genere delegit euangelicæ philosophiæ discipulos, non solum piscatores, & ἀναλαβήτους, sed etiam natura tardiusculos, quod multis argumentis liquet ex Euangelica narratione. Pro his paruulis gratias agit patri: Confitebor tibi deus cœli & terræ, quod absconderis hæc à sapientibus ac prudentibus, & reuelaris ea paruulis, hoc est, iuxta mundi iudicium stultis. Sæpenumero qui mundo contemptissimi sunt, apud Christum summo in precio sunt. Et quos mundus habet pro doctissimis, Christo sunt idiotæ. De quibus loquitur Paulus, scribens Romanis: Euanuerunt in cogitationibus suis, & obtenebratum est insipiens cor eorū, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Neque uero hæc dixerim, quo bonis doctoribus adimam auctoritatem suā, aut idiotis quibuslibet addam animos, ut sibi uindicent scientiam scripturæ mysticæ, suæq; prudentiæ innitentes, aspernentur doctores ecclesiasticos. Habet humana sapientia supercilium suum, sed habet & idiotarum inscitia non minus arrogans supercilium suum. Paulus non patitur mulierem loqui in cœtu ecclesiastico, ne discendi quidē gratia: taxatq; mulierculas oneratas peccatis, semper discentes, nec unquā ad scientiam ueritatis peruenientes. Contrā diuus Hieronymus & uirgines & uiduas & coniugatas hortatur ad lectionem sacrorum uoluminum, & tamen queritur huius scientiæ professionem passim ab indignis arrogari. Hæc, inquit, garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista uerbosus, hanc uniuersi præsumunt, lacerant, docet anteq; discant. Tantum autem abest, ut in laico probem arrogantem scripturæ diuinæ professionem, ut mihi nec in eruditis uideatur tolerabilis. Quid enim arrogantius, quam ut homo se profiteatur doctorem rerum diuinarum? Sed ut professio nec ab eruditis usurpatur satis modeste, ita nulli non permittendam arbitror sobriam ac piam uestigationē, præsertim eorum quæ uitam reddunt meliorē. Porro quum in ijs hortis uaria genera deliciarum nascantur, decerpant sibi quisq; quod cōmodum est. Consideremus quos auditores habuerit ipse Christus, nonne promiscuam multitudinē, & in hac cæcos, claudos, mendicos, publicanos, centuriones, opifices, mulieres ac pueros? An grauetur ab ijs legi, à quibus uoluit audiri? Me quidem autore leget agricola, leget faber, leget latomus, legent & meretrices & lenones, deniq; legent & Turcæ. Si hos non submouit à sua uoce Christus, nec ego submouebo eos ab illius libris. Qui scis an ijs quoq; ueniat usu, quod accidit eunuchis? Inter ueteris testamenti libros fortassis sunt nonnulli, à quibus sic curarceas idiotas. Qualis est Ezechiel, & Canticum sponsæ, ac penè omnes libri uete-

ris testamenti: quod in ijs frequenter offendit uel historia in speciem absurda, uel ænigmatum obscuritas. Nec horum tamen lectionem cuiquā Christianæ philosophiæ cupido interdixero. Hoc certe fructus ceperint, quod instructiores ac paratiores uenient ad ecclesiasticas conciones: & libentius audient, in quibus agnoscent aliqua: & facilius intelligēt, quorum iam gustum qualemcūq; ceperunt. Quanquam in libris Euangelicis diuina sapientia se mire demittit ad captum etiā infimorum, ut nemo tam indoctus esse possit, quin ad euangelicam philosophiam sit docilis. Tantum adsit animus, quantum uis rudis, modo simplex, modo purus, ac uacuus ab ijs curis & cupiditatibus, quæ doctissimos etiam Christo reddunt indociles. Idiota priusquam codicē euangelicum sumet in manū, præcætiuncula se præparet ad lectionē: oret ut optimus ille Iesus, qui pro cōtemptissimis etiam hominibus mortuus est, impartire dignetur spiritū suum, qui nō requiescit, nisi super humilem ac mansuetum & timentē uerba ipsius. Ac cōfirmatus consilio Iacobi: Qui indiget sapientia, postulet à deo, qui dat omnibus affluenter, nec exprobrat, Dicit cū psalmo grapho: Reuela oculos meos, & cōsiderabo mirabilia de lege tua. Item illud: Seruus tuus ego sum, da mihi intellectum domine. Deinde nihil aliud uenetur in hoc saltu, quam ut seipso melior euadat. Laborat ignorantia, obseruet si quid alicunde lucis affulgeat. Torquetur odio aut liuore, tenetur libidine, auaritia, ambitione, aliō ue mentis morbo, hic remedium quærat, & inueniet. Mœret aliquis, hinc petat lenimen doloris, & discedat alacrior. Hæret ac perplexus est quispiam, nō aliunde melius suppetet consilium. Tentatur quis & periclitatur, ab Euangelio petat præsidium. Sitit aliquis iustitiā, hic reperiet fontem purissimum, unde qui biberit, fiet in eo fons aquæ salientis in uitā æternā, nec amplius sitiet aquas quæ promuntur e cisternis cōtritac ac turbatis ungulis omnium bestiarum terræ. Si quis esuriet cibum uitalem, hic est panis de cœlo descendens: unde qui ederit, uergetus ac robustus euadet in Christo, donec occurrat in uirum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi. Hic fons est ille paradisiacus, unde promanant quatuor amnes irrigantes uniuersam faciem terræ. Hic est panis sermonis diuini, unde Iesus & hodie reficit promiscuam turbam ad se confluentē, & in desertis locis sibi hærentem. Scio pastorum esse partes, panem hunc à Christo fractum, ac traditum distribuere populo. Sed quid si cessent pastores? Quid si uertantur in lupos? Horum est fodere puteos, & ex ijs haustrum liquoris doctrinæ cœlestis porrigere populo, ne siti pereant in deserto. Sed quid si pastores uersi sint in Philistæos, & uenas aquæ uiuæ obturent iniecta terra? Quid faciet populus? Nimirum implorabit opem principis pastorum Iesu. Viuit adhuc, nec deseruit curam gregis sui. Interpellatus publicis suorum precibus, faciet quod pollicetur apud Ezechielem: Ecce ego ipse requiram oues meas, & uisitabo eas, sicut pastor uisitat gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: cæteraq; quæ sequuntur in hanc sententiam apud eundem prophetam. Oues sunt idiotæ, sed rationales: & ex ijs ouibus fiunt pastores. Ac nonnunquam fit, ut ouis plus sapiat ipso pastore. Proinde ut non decet laicum seditiose rebellare presbyteris suis, ne confundatur ordo, quem Paulus uult esse in corpore Christi: ita non decet sacerdotes exercere tyrannidem in gregem. Alioqui his erit imputanda seditio. Ergo quoties pastores funguntur officio suo, reuerenter sunt audiendi, tanquam angeli dei, per quos nobis loquitur Christus. Sin insincere docent, tamen excerptum, si quid admixtum sit boni. Sin aut omnino cessant, aut ea docent, quæ planè pugnant cum Euangelio, aut si quando per occasionem non est doctoris copia, reficiat suum quisque animum lectione priuata. E fontibus seruatoris hauriat sibi quisque quod potest. E panibus sacris decerpatur sibi quisq; quo satiet animum esuriens. Non deerit Iesu spiritus uel uni meditati tale quiddā in nomine ipsius, qui se promissit ad futurum, quoties duo cōgregarent in nomine ipsius. Frustra uel sex milia conueniant, si non cōueniant in nomine Iesu. Conueniunt autem in illius nomine, qui nihil aliud spectant, quam gloriam principis sui, & salutē æternā. Dicit mihi quispiam: Difficilis est discretio spirituum, & angelus Satanæ nonnunq; transfigurat se in angelū lucis. Fateor: & eam ob causam, nolim esse præceptus iudicium. Sed tamen certissimum cuique suffragium est testimonium suæ conscientiae. Proximum est consensus scripturæ & uitæ Christi. Deniq; quadam dilucidiora sunt, quam ut oporteat ambigere, aut requirere interpretē. Et tamen his offenduntur, qui se totos dedicarunt mundo, nō ob aliud, nisi quod officiū institutis

institutiis uotisq; suis. Quā em̄ aliā ob causam tā grauis erat pharisæis & scribis Christus, quia doctrina nihil erat equius, cuius uita nihil innocētius, cuius potestate nihil beneficētius: Nimirū iam illi regnū quoddā possidebant. Honorabant ut docti, adorabātur ut sancti, ditabantur affatim, cupiebant eū statū esse perpetuū, qui tamen erat sceleratissimus. Et ideo non ferebant lucē Euangelicæ ueritatis, per quā uidebant autoritatis suæ scenā discutiendam. Huiusmodi si palam deplorati sint, quantum sit tribuendū, satis indicat Christus: Sinite, inquit, illos, cæci sunt cæcorum duces. Certe scripturarum suarum penum nulli pio claudit Christus, etiam si subulcus esset, qui quondam pastoribus impartijt spiritum propheticum. In huius igitur libris uersentur omnes qui uenātur Christianam philosophiam. Si succedit, age gratias deo. Sin minus, ne protinus abiice animum. quære, pete, pulsa. Quærenti contingeret ut inueniat, petenti dabitur, pulsanti aperiet is, qui habet clauem, qua sic aperit, ut nemo claudat: sic claudit, ut nemo aperiat. Consule proximum, si quid non assequeris: fortasse per illum tibi loquetur spiritus arcanus, qui non uno modo sese solet inferere mentibus hominum. Adsit quidem pia curiositas, & curiosa pietas, sed absit temeritas, absit præceps & peruicax scientiæ persuasio. Quod legis & intelligis, summa fide complectere. Friuolas quæstiunculas, aut impie curiosas dispelle, si fors oboriantur animo. Dic: quæ supra nos, nihil ad nos. Quomodo Christi corpus exierit clauso sepulchro, noli disceptare: tibi satis est quod exijt. Quomodo in sacra mensa sit corpus Christi, ubi ponebatur panis, noli disquirere: tibi sufficit credere quod illic est corpus domini. Quomodo filius sit alius à patre, quum sit una natura, noli scrutari: tibi satis est credere patrem, filium & spiritum sanctum tres personas, sed unum deum. Sed illud in primis cauendum, ne scripturam tentes ad tuas cupiditates, tuq; decreta detorquere: sed ad huius regulam potius tuas opiniones ac uitæ rationem attempera. Alioqui ex huiusmodi fontibus nascitur asseuerandi peruicacia, nascuntur contentiones, nascuntur dissidia & odia, nascuntur hæreses, fidei simul & Christianæ concordia uenena. Neq; tamen protinus arcendi sunt à sacris libris idiotæ, si quis exortus fuerit, qui per hanc occasionē prolapsus sit in errores. Neq; enim istud lectionis uitium est, sed hominis. Nec olim ideo uetitum est Euangelium in templis recitari, quod hinc hæretici præci hauserint errorum suorum semina. Nec ideo prohibent apes à floribus, quod ex ijs aliquando uenenum sugat aranea. Legant igitur omnes, sed qui uolet cū fructu legere, legat sobrie, legat non oscitanter, uelut historiā aliquam humanam, ad se nihil attinentem, sed auide, sed attente, sed assidue. Tanquam pius Iesu discipulus, affectetur illum per omnia uestigia: obseruet quid agat, quid loquatur: subodore, uestiget, scrutetur singula, & reperiet in simplicissima illa rudiq; scriptura consiliū ineffabile sapientiæ cœlestis: uidebit in illa stultitiā dei, si fas est ita loqui, prima fronte humili & contemnenda, quod longe superet omnem prudentiam humanam, quamuis sublimem & admirabilem. Nihil autem illic narratur, quod ad unumquemque nostrum non pertinet: nihil illic geritur, quod quotidie non geritur in uita nostra, tectius quidem, sed uerius. Nascitur in nobis Christus, nec desunt Herodes, qui tenerum adhuc & lactentem conantur occidere. Grandescit & proficit gradibus ætatum. Sanat omne morborum genus, si quis modo cum fiducia imploret illius opem. Non repellit ille leprosos, non dæmoniacos, non sanguinis profluuiō impuros, non cæcos, non claudos. Nullum est animi uitium tam tetrum, tam immedicabile, quod ille non tollat, si dicamus illi ex animo: Iesu fili Dauid, miserere. Et: Domine, si uis, potes mundare. Quin & mortuos excitat ad uitam. Docet, terret, minatur, blanditur, consolatur. Habet & nunc Iudæos suos, qui non ferunt illius luce obscurari suum Moysen. Habet Scribas & Phariseos, qui insidientur. Et utinam non habeat plures quàm duos, Annam & Caiphā. Habet Iscariotas suos, qui sanguinem innoxium pecuniā uendant. Nec deest Pilatus & cohors, per quam flagelletur, conspuatur, & crucifigatur. Habet interim & pusillum gregem suum, ex ipso pendentem. Habet qui dicant: Domine, quò ibimus, uerba uitæ æternæ habes. In huiusmodi philosophia profuerit omnibus uersari, quamlibet idiotis aut illiteratis. Nec deerit sobrie uersantibus unctio, quæ doceat illos de omnibus quæ pertinent ad salutem æternam: iuxta uaticinium Iohannis: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & erunt omnes *theodistæ* *in*, hoc est, diuinitus docti. Paulus non uult prohiberi spiritum, sed optat ut prophē-

tent omnes. Et Moses rogatus, ut prohibeat Heldad & Medad à prophetia: Quis, inquit, tribuat, ut omnis populus prophetet: & det eis dominus spiritus suum? Quidam pialculum arbitrantur, si sacri libri uertantur in linguam Gallicam, aut Britannicam. Sed Euangelistæ non ueriti sunt Græce scribere, quod Christus Syriace loquutus est. Neque Latini ueriti sunt Apostolorum sermonem in Romanam linguam uertere, hoc est promiscuæ multitudini prodere. Neque Hieronymo religio fuit sacras literas Dalmatice uertere. Equidem cupiam in omnes uerti linguas. Cupit Christus suam philosophiam quàm latissime propagari. Pro omnibus mortuus est: ab omnibus cognosci desiderat. Ad id conducet, si aut illius libri uertantur in omnes omnium gentium linguas: aut principum opera fiat, ut tres linguæ, quibus potissimum credita est diuina philosophia, discantur à populis omnibus. Hoc si paucis annis potuit Romanorum principum industria, ut Galli, Germani, Hispani, Afri, Aegyptij, Asiani, Cilices, Palæstini, Latine Græcæque loquerentur, etiam uulgo: nec ob aliud, nisi ut commercio linguarum commodius propagaretur imperium non diu duraturum: quāto iustius hoc nobis curandum est, quo Christi imperium sine fine mansurum, per omnes orbis regiones proferatur: quod nunc nescio quibus de causis sic in angustum contractum est, nili quod, ut suspicor, homines sunt, qui malunt sub Christi prætextu regnum mundanum tenere in arcto orbis angulo, quàm Christum ipsum toto terrarum orbe regnare. Sed de hoc aliàs fortasse tempestiuus dicitur. Nunc ut quod institui pergā, quur indecorum uidetur, si quis quàm sonet Euangelium ea lingua qua natus est, & quam intelligit: Gallus Gallica, Britannus Britannica, Germanus Germanica, Indus Indica: Mihi magis indecorum uel ridiculum potius uidetur, quod idiotæ & mulierculæ, psitaci exemplo, psalmos suos & precationem dominicam Latine murmurant, quum ipsæ quod sonant, non intelligant. Ego cum diuo Hieronymo sentiens, citius gratuler gloriæ crucis, magnificumque cum primis ac triumphale duxerim, si linguis omnibus ab omni hominum genere celebratur. Si stituiam tenens arator aliquid sua lingua decantet è psalmis mysticis. Si textor assidens tela, non nihil ex Euangelio modulans soletur laborem. Hinc nauclerus affixus clauo cantillet aliquid. Denique ad colum sedenti matronæ, sodalis aut cognata hinc recitet aliquid. Quid alienius à mysterijs prophetarū, quàm eunuchus ille Candaces reginæ, in regia nutritus, muliebribus obsequijs additus, denique Aethiops, qua gente uix ulla effeminator: tamen dum delicatus curru uehitur, legit Esaiam de Christo uaticinantem. Non intelligebat scripturæ sensum homo prophanus & idiota: & tamen quoniam pio studio legebat, subito mittitur illi Philippus interpres: uertitur Eunuchus in uirum, tingitur aqua, & ater Aethiops, niueo agni immaculati uellere induitur: subitoque ex mancipio prophanæ reginæ, fit seruus Iesu Christi. Iam quod tam multos habemus Christianos adeo rudes, ut non multo plus teneant sapientiæ Christianæ, quàm ij qui sunt à Christiana professione alienissimi, magna ex parte imputandum arbitror sacerdotibus. Videorque mihi uidere uiam, qua fieri possit, ut posthac paulo minus inidoneos habemus sacrae lectioni: uidelicet si summa fidei ac doctrinæ Christianæ, lucida breuitate, & docta simplicitate proponeretur quotannis populo Christiano. Et ne uitio concionatorum deprauaretur aliquid, libellum confici uelim à doctis & integris uiris, qui multitudine uoce sacerdotis recitaretur. Eum concinnari cupiam non ex humanis lacunis, sed ex fontibus euangelicis, ex apostolicis literis, ex symbolo, quod an ab apostolis proditum sit, nescio: certe maiestatem ac puritatem apostolicam præ se fert. Hoc, opinor, non intempestiue fieret ferijs paschalibus. Atque hoc præstaret, opinor, quod populus ineptis, non nunquam & obscœnis iocis ad cachinnos concitare. Quem morem, nescio quis cacodaemon inuexit in ecclesiam. Nam & si populus aliqua uoluptate retinendus est, atque etiam excitandus nonnunquam: tamen huiusmodi ludicris excitare risum, scurrarum est, non Theologorum. Quin & illud mihi uidetur non mediocriter ad hanc rem conducitur, si pueri baptizati, quum iam ad pubertatem peruenerint, iubeantur huiusmodi concionibus adesse, in quibus illis dilucide declaretur, quid in se contineat professio baptismi. Deinde diligenter priuatim examinētur à probis uiris, satis ne teneant, ac meminerint ea, quæ docuit sacerdos. Si comperientur satis tenere, interrogentur ratum ne habeant, quod susceptores illorum nomine polliciti sunt in baptismo. Si respondeant se ratum

tum habere, tum publice renouetur ea professio, simul congregatis æqualibus, idq; ceremonijs grauius, aptis, castis, serijs, ac magnificis: quæq; deceant eam professionem, quæ nulla potest esse sanctior. Quid enim sunt humanæ professiones, nisi simulachra quædam huius sanctissimæ professionis, hoc est, reuocamenta quædam Christianismi prolapsi ad mundum. Norunt monachi suas professiones huiusmodi ceremonijs imitaticijs commẽdare populo: & sic agunt hanc fabulam, ut nonnunquam erumpant lachrymæ spectatori bus. Quanto magis id facere conuenit in hac longe religiosissima professione, qua non homini, sed Christo damus nomina: nec iuramus in regulam Francisci, aut Benedicti, sed in regulam Euangelicam. Ita fiet, ut adolescentes intelligant, quid principi suo præstare debeant, et quibus studijs eniti ad ueram pietatem. Et interim maioribus etiam succurret, quot modis à suis uotis exorbitarint. Aguntur nunc in templis quibusdam comœdiæ, mihi non prorsus improbatæ, de Christo resurgente, de ascendente in cœlum, de misso spiritu sancto. Quàm uero magnificum esset hoc spectaculum, audire uocem tot iuuenum sese Iesu Christo dedicantium, tot tironum in illius uerba iurantium, abrenunciantium huic mundo, qui totus in malitia positus est: abiurantium & exhibilantium satanam cum omnibus pompis, uoluptatibus & operibus ipsius. Videre Christos nouos, imperatoris sui signum gestantes in frontibus: uidere gregem candidatorum prodeuntem à sacro lauacro. Audire uocem reliquæ multitudinis acclamantis beneq; ominantis Christi tyronibus. Hæc sic publice fieri uelim, ut nihilo segnius interim ab ipsis statim incunabulis priuatim ac publice Christi doctrinam imbibant, quantum fieri potest. Quæ quidem hoc plus habebunt autoritatis, si tractentur per ipsos episcopos, non per parochos, aut conductos suffraganeos. Hæc si fierent, quemadmodum oporteret, aut ego fallor, aut habere mus aliquāto synceriorres Christianos, quàm habemus. Verum hic geminus existit scrupulus: primum quod uideatur iterari baptismus, id quod fas non est: deinde quod periculum sit, ne quidam audita professione non approbent quod gestum est per uicarios. Prius ille facile discutitur, si hæc sic gerantur, ut nihil aliud sint, quàm instauratio quædam ac repræsentatio pristini baptismi: quod genus est, cum aqua sacra quotidie conspergimur. Posterioris difficilior est solutio. Sed oia tentanda sunt, ne quis resiliat à prima fide. Quod si non potest obtineri, fortassis expediet illud non cogi, sed suo relinqui animo, donec resipiscat: nec ad aliam interim uocari pœnã, nisi ut ab eucharistia sumenda reliquisq; sacramentis arceatur. Ceterum nec à sacris, nec à concionibus excludatur. Atq; etiam libellos de philosophia Christiana conscriptos passim circūferri uelim, in quibus purus ille Christus depictus sit, nō ceremonijs Iudaicis, non cōmentis aut decretis hominū obnubilatus: deniq; nō tetricus & asper, sed ut est blandus & amabilis. Huiusmodi rudimentis qui fuerint instituti, nō uenient omnino rudes ad lectionem sacrarū uoluminum. Nunc multi sunt quin quagenarij, qui nesciant quid uouerint in baptismo: qui ne somniant quidē, quid sibi uelint articuli fidei, quid precatio dominica, quid ecclesiæ sacramenta. Hoc ita sæpenumero deprehendimus, uel ex familiaribus colloquijs, uel ex arcanis cōfessionibus. Sed hoc magis deplorandū, quod pleriq; sacerdotes huiusmodi sumus, ut nūq; serio cogitauerimus, quid sit esse uere Christianū. Titulo, cōsuetudinibus, ceremonijs Christiani sumus, magis q̃ ex animo. Aut inopia scientiæ nō habemus quod doceamus populū: aut cupiditatibus mūdānis corrupti nostrū negociū agimus potius q̃ Iesu Christi. Quid igitur mirū, si in tenebris uersatur populus, cū ij quoq; tenebricosi sint, quos oportebat esse lucē mundi: cum ipsi nihil Christo dignū sapiāt, quos conueniebat esse salē terræ: quū ipsi cæcutiāt, quos oportebat esse lucernā toti domui lucentē: cū sordidis lucris ac uoluptatibus immersi sint, quos oportebat esse ciuitatē in ædito mōte sitā, quæ monstret uia errantibus. Atq; utinam non essent tam multi, in quos uere dici posset illud Esaiæ: Speculatores eius cæci omnes, nescierunt uniuersi canes muti, nō ualentes latrare, dormiētes & amātes somnia: & canes impudentissimi nescierūt saturitatē. Ipsi pastores ignorauerūt intelligentiā. Omnes in uia suā declinauerūt, unusquisq; ad avaritiā suam. Item illud Hieremiæ: Grex perditus factus est populus meus. Pastores eorū seduxerunt eos. Rursus Ezechiel magna libertate destomachas in pastores uersos in lupos, qui pascētes semetipsos, gregē infelicem dissipant ac laniāt. Sed & alijs itē in locis frequēs querela est apud prophetas de pastoribus, quod ab ip̃s fere proficiat calamitas populi, teste Zacharia propheta: Affligētur quia non est eis pastor.

pastor. Nonnunquam meretur hoc peccata populi, ut deus patiatur regnare hypocritam & idolum loco pastoris: quando iuxta Paulum auersantur sanam doctrinam, & asciscunt sibi doctores, qui grata doceant magis quam salutaria, nimirum pruriētibus auribus. Tunc datur dignum patellæ cooperculum: & iuxta prophetam Osee fit, ut talis sit populus qualis sacerdos. Habet enim grex popularis lupos, uulpes, pardos, aliasque noxias feras admixtas. Sed tamen magna ex parte ex ouibus constat populus. Rudes sunt, simplices, & indocti, tamen utiles domino, si fidi pastoris cura regantur. Horum uicem doluit optimus ille pastor, qui nihil uult perire de grege suo, qui ouiculam erraticam multo labore quaesitam in montibus reduxit in humeris suis. Siquidem is quum uideret ingentem hominum multitudinem, simulque consideraret, quam non agerent pastores, qui tum erant sacerdotes, scribae & pharisaei, commotus est misericordia, quod essent uelut oves disiectae ac destitutae, non habentes pastorem. Felix ille populus, quem suo intuitu dignatus est Iesus. Non est ociosus illius aspectus: non habet oculos fascino noxios, sed uirtute diuina salutaris. Intuitus est Petrum abiurantem, & resipuit. Ac primum intuitus eum, nouato nomine, ominatus est illi fidei soliditatem. In monte intuitus est suos discipulos, & inhaesit animis illorum doctrina coelestis. Quid igitur fratres? Demus operam, ut simus oves omnem deponentes malitiam, superbiam, iracundiam (Nihil horum competit in oves) ac precibus sollicitemus benignissimum Iesum, ut oculos suos dignetur & in nos deflectere. Pastor est bonus, miseretur nostri: & aut mittet operarios in messem suam idoneos, si modo id postulemus a domino messis, quemadmodum legimus apud Matthaeum: aut ipse docebit nos, quemadmodum scribit Marcus: Et coepit inquit, illos docere multa: nec docuit solum, uerum etiam totam illam multitudinem quam phariseorum tyrannis sinebat perire fame, panibus saturauit in deserto. Non desinit & hodie suos docere Iesus, non desinit pascere, qui relictis urbibus ipsum sequuntur in deserta. Effudit olim spiritum suum in discipulos, neque nunc est abbreviata manus domini: neque defecit spiritus illius uis in animis piorum: quem ut mereamur accipere, faciamus quod olim fecerunt discipuli. Conscendamus in coenaculum, animos procul submouentes a sordidis rerum fluxarum curis. Simus concordēs, unanimiter perseverantes in deprecationibus, si uelimus audiri uota nostra. Eadem sit omnium uox, eadem mens, idem conatus. Peramus in nomine Iesu, & audiet nos pater coelestis. Nunc quibus dissidijs, quibus contentionibus tumultuatur sine fine populus Christianus? Nec ulla ex parte tranquillitas est. Exitiabilibus bellis conflantur principes prophanis bellorum undis inuoluti & proceres ecclesiastici. Populus perniciosis odijs inter se committitur. Quin & fidei sinceritas uarijs modis uiciatur, pax Christiana distrahitur. Non ego nunc in hanc aut illam partem pronuncio: ubicunque dissidium est, ibi diabolus est. Quis unquam uidit uel atrociores, uel diuturniores bellorum tumultus inter ethnicos, quam annis iam aliquot uidemus inter Christianos? Ut ne causas interim excutiam, quando sic undis iactata est ecclesiae nauis? Quur non horum malorum causas inuestigamus, quo cognito fonte pesti huic facilius medeamur? Equidem apud Euangelistas reperio bis periclitatam nauim apostolicam, semel noctu quum abesset Iesus, quemadmodum legimus Matthei cap. xiii. Nauicula, inquit, in medio mari iactabatur fluctibus. Quid autem mirum in ecclesia nasci tumultus, si ibi non adsit Iesus? Quoties abest spiritus Christi, tunc spiritus illi huius mundi misere iactant ac uexant nauiculam. Quid mirum illic non esse salutaris consilium, ubi tantae sunt tenebrae, ut Iesum aduenientem non agnoscant, & ad seruatoris aduentum expauescant, suspicantes esse phantasma noxium? Et nisi Iesus illos nota uoce compellans, iussisset esse bono animo, metu fuerant exanimandi. Ibi Petrus tutius iudicauit in fluctibus esse cum Iesu, quam in nauis periclitante. Imitemur fidem Petri, & Iesus illico, reuersus in nauim, sedabit omnem tempestatem. Rursus periclitatur nauis apud eundem Euangelistam, capite octauo, praesente quidem Iesu, sed altum dormiente. Nam & caput innixum fuisse cervicali, addit Marcus, nec temere adiecit id factum fuisse in puppi nauis. Vis autem audire quantum sit periculi dormire Iesum? Facta est, inquit, procella magna uenti, & fluctus mittebat in nauim, ita ut impleretur nauis, aut, ut Matthaeus narrat, operiretur fluctibus. Horribilis uentus ambitio, pestilens uentus auaritia, perniciosus uentus uoluptatum amor, ceteraque cupiditates rerum mundanarum. Hi uenti cient hos motus, sicut fluctus bellorum ac dissidiorum inundent in ecclesiam. Fitque ut periclitetur non solum nauis

naus, in qua erant apostoli, sed cæteræ quoque quæ Iesu nauim comitabatur. addit enim Marcus: Et aliæ naues erant cum eo. Quid autem sibi uult somnus Iesu? Vtinam non ille tam sæpe dormiret in animis pastorum, qui locum in puppi tenent, totius nauis honoratissimum, ubi conuenit esse nauclerum, qui temonem moderetur. Quid sibi uult cervicali capiti suppositum? Nonne is erat qui dixit: Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet? Quid autem est, non habet ubi caput reclinet? certe diuersorium habebat Iesus, & consentaneum est illi non defuisse culcitram in qua dormiret. Sed qui nihil habet in hoc mundo, cui innixus animus acquiescat, sed totus inuigilat studio rerum cœlestium, is non habet ubi caput reclinet. O quam molle cervical est ambizioso, summus honos tandem per fas nefasque obtentus? Quam dulce cervical est admiratori diuitiarum res domi pulchre aucta & constabilita? Qui sic funguntur magistratu, ut non sibi gerant, sed alijs, qui cogitant episcopatum opus esse non regnum, his non est cervical quod ad somnum inuitet: sed crepitaculum potius, quod non sinat obrepere somnum. Nunc quosdam uidemus successu rerum mundanarum sic delinitos, ac penè dixerim ebrios, ut non cervicali, sed mandragoræ, quod aiunt, indormire uideantur. Hinc nimirum illa periculosa rerum tempestas, quia Christus dormit in nobis. Verum in tanto discrimine, quod ad uniuersos pertinet, quid consilij fratres? Solent enim naucleri, cuiuslibet etiam consiliū admittere in magnis tempestatibus. Vnde potius consiliū sumamus quàm ab Euangeliorum Diffusi præsidij nostris inclamemus Iesum, pulsemus aures illius, uellicemus, donec expergiscatur. Sic excitari & potest, & cupit. Dicamus illi flebili uoce: Domine tua non refert si pereamus. Dicamus cum summa fiducia: Domine serua nos, perimus. Ille ut est exorabilis, audiet suos, suoque spiritu repente sedabit tempestatem mundano spiritu excitatam. Dicet uento: Quiesce. Dicet mari: Tace, obmutesce. Quid autem consequutum est? Cessauit uentus, & facta est tranquillitas magna. Quamdiu nauis ecclesiæ uentorum arbitrio iactatur, in summo uersatur discrimine. Et si datur aliquando temporaria tranquillitas, rursus aliunde obortus uentus renouat tempestatem. Si conquiescit ad tempus Auster auaritiæ, surgit Aquilo superbiæ: si uoluptatum Zephyri cessant, exoritur Boreas iracundiæ: Assequutus sum hoc aut illud, cuius gratia digladiabar: mox obijciatur aliud, cuius gratia nouum & atrocius certamen suscipiam. Nam mundanarum cupiditatum nullus est finis. Hi uenti sedari non possunt, nisi illis comminetur Iesus. Omnes igitur in cōmune cōsulamus tranquillitati Christiani nominis. Exuamus priuatas quicquæ cupiditates. Ea cōcordibus animis spectemus, quæ digna sint animo professioneque Christiana. Populus sese componat ad studium ueræ pietatis, & cōsentientibus pariter atque ardentibus uotis sollicitet Iesum Christum, ut principum animos uertat ad consilia pacis. Principes autem, præsertim ecclesiastici sic instituant cōsiliorum rationes, ut synœra conscientia non aliud moliantur, quàm ut per fidem, charitatē, pietatem, concordiam, per rerum mundanarum contemptum, per rerum cœlestium amorem quàm latissime regnet, floreat, & imperet Christus. Ita demum uere magni principes erūt, si illorum autoritas seruiat æterni principis gloriæ, & Christiani gregis utilitati. Ita felix erit populus, si talibus principibus, uelut ipsi Christo obtemperet. Alioqui si pergitur intestinis conflictationibus nostras ipsorum uires atterere, periculum est, ne deus peccatis nostris offensus, immittat nobis aliquē Nabuchodonosor, qui durioribus remedijs doceat rectius sapere. Concordia coniunctos proteget deus, dissidio segregatos contemnent hostes. Nunquam autem coibit cōcordia, si suum quisque ius mordicus tenere uoluerit: nec unquam erit firma diuturnaque pax, nisi ueris solidisque rationibus cōglutinetur. Non est perpetuum quod terroribus ac minis conficitur. Non est firmum quod humanis technis obliquisque consilijs textitur. Nisi Christus intersit cōsilijs nostris, etiamsi malum preuatur ad tempus, mox tamen erumpet maiore cū orbis perniciē. Bene uale lector. Hæc adieci, quod Typographus quereretur, alioqui paginas aliquot fore uacuas quas nolui nugis prorsus inanibus explere. Basileæ postridie

Idus Ianua. Anno M D XXII

IN EVANGELIVM

MATTHAEI PARAPHRASIS PER DES. ERA

SMVM ROTERODAMVM.



I MORTALES TAM ARDENTIBVS STVDIIS *Titulus para*
amplectuntur librum humana proditum industria, qui uel *phras.*
tuendae faciendae uel ualitudinis rationem, uel augetidae rei *Euangelium.*
familiaris uiam, uel aliam aliquam disciplinam ad terrena *Liber gener.*

modo commoda conducibilem pollicetur: quanto flagran-
tioribus studijs hic liber est ab omnibus excipiendus, cuius
utilitas ex aequo pertinet ad omnes: nec humana comoda,
moxq; peritura promittit: sed coelestem philosophiam a coe-
lesti doctore Iesu Christo mortalium generi traditam docet,
& huius admirabile praemium pollicetur, non opes, non re-
gnum, non uoluptates, sed ueram atque eternam felicitatem, atque ad hanc expeditam ac
facilem omnibus uiam commonstrat, & autorem indicat, per quem nulli non est parata
salus, extra quem nulli est speranda salus. Quis autem est hominum, quem non exci-
tet tanti boni certa spes: quantumuis barbarus sit, aut idiota? Hanc mirificam salutem,
quam nec humanus conatus, nec laboriosa philosophorum industria; nec superstitiosa
gentium religio, nec Mosaicae legis quamlibet diligens obseruatio prestare potuerunt
ad plenum, deus omnium rerum & uisibilium & inuisibilium conditor, seruator, mo-
derator, ac uindex, olim per omnium prophetarum ora, quos spiritu suo coelesti afflauer-
at, toti quidem orbi, sed peculiarius Iudaicae genti, quae tum ecclesiae Christianae, mox
per orbem uniuersum propagandae, gerebat imaginem, promisit: uarijs figurarum in-
uolucris atque umbris designans, ac ueluti praeludens, quicquid nunc per filium suum
Iesum Christum sublati aenigmatis palam exhibuit mundo: qui sic huius gratuita fe-
licitatis nuncius fuit, dei patris nomine legatum agens in terris, ut idem esset & philo-
sophiae salutiferae doctor, ipse exemplar, ipse praemij & pignus, & sponsor, & autor.
Passus est enim deus arcano suo & humanis ingenijs inscrutabili consilio, mortalium ge-
nus suae stirpis autorem primum ingenio referens, & ad uitia procliue, diu falsis religioni-
bus, uarijsq; uitae uitijs, & improbis cupiditatibus inuolui: quo tempore hoc optatissimo,
quod diuina sapientia, rerum omnium moderatrix sibi praescripserat, uniuersi tanto ma-
gis sitientibus & consentientibus animis hanc uere salutiferam & efficacem philosophi-
am amplecterentur, postea quam comperissent sese, neq; per ea comoda praesidiaq; quae
mundus hic praecipue pollicetur, neq; per tot philosophorum accurata dogmata, neque
per tot religionum species, neq; per Mosaicae legis anxiam obseruationem ad ueram pie-
tatem ueramq; felicitatem potuisse pertingere, imò hoc magis inuolui uicijs & cupiditati-
bus, quo uehementius humanis freti praesidijs contenderent ad innocentiam ac felicitate-
tem. Proinde si Iudaei, quos maxime conueniebat amplecti, quod toties promissum, tot
seculis exoptatum offertur, soli negligunt tantum bonum, quod gratis exponitur omni-
bus, maluntq; soli carere, quam habere cum ceteris comune, non est quod cuiquam impu-
tent interitum suum, nisi suae incredulitati. Illis potissimum haec futura cecinerunt sacro-
rum uatum oracula. Illi cominus conspexerunt Christum adentem miracula, cominus
audire doctrinam Euangelicam: illis primum annunciauimus regnum coelorum. Ceterum
quoscunq; tædet uitae prioris, quotquot amant ueram innocentiam, quicunq; desiderant
ueram, solidam, & nunquam auferendam felicitatem, hoc Euangelium, hoc est, optabile
ac latum nunciū latis & alacris animis excipiant, siue Graeci sint siue Iudaei, siue Roma-
ni, siue Scythae, siue Galli, siue Britanni. Vt deus non est tantum Iudaeorum deus, sed ex
aquo communis omnium, quemadmodum sol unus & idem est mundo communis: Ita Iesus
Christus huius filius omnibus seruandis uenit, omnibus mortuus est, omnibus resurre-
xit, omnibus ascendit coelum, omnibus suum emisit spiritum, nullum repellens, neq; ob
generis, neq; ob aetatis, sexus, conditionis aut uitae discrimen. Semel per illius mortem in
sacro lauacro demerguntur uniuersa peccata uitae prioris: nec imputantur quamlibet

Tom. 7 a atrocía

*Liber genera-
tionis*

atrocia crimina, pro quibus dependendis innocens ille semel est mortuus, modo quod reliquum est ætatis ad Christi regulam, hoc est, Evangelicam doctrinam exigatur. A baptismo censetur Christianus. Ad id præstandum ipse largietur gratuitam opem suam, qui perseverantibus largietur & præmia. Non exigit à quoquam onus legis Mosaicæ, tantum adsit uiuida fides, quæ & prompte credat quod annunciat, & certa fiducia expectet quod promittitur. Non fallit ueritas æterna, non frustratur deus promissor. Porro quid agendum sit, non iam præscribit humana lex, sed dictabit Christiana charitas. Et hæc uenit quidem uiua uoce tradidimus Euangelium optima fide, comunicantes omnibus quæ uidimus oculis nostris, quæq; audiuius auribus nostris. Cæterum quoniam periculum est, ne negotio latius indies sese dilatante, uel uariet narratio per multorum manus obambulans, uel apud aliquos minus inueniat fidei sermo quàm liber: ad hæc quo facilius permānet ad omnes scriptura quàm uox: summam totius negotij, quod satis est ad parandam salutē, hoc uolumine cōplectar, natiuitatem, doctrinam, miracula, mortem ac resurrectionē. Ac primo quidē loco Iesu Christi genealogiā recensēbimus, exordium capientes, non à summo capite, sed à Dauid & Abraham: uel quod horum duorum memoria celeberrima pariter & gratiosissima sit apud Iudæos. Siquidem Abraham gentis autore gloriantur imprimis: & Dauid rex tantopere laudatus ore diuino, hoc magis insidet illorum mentibus, quod huius recentior etiā sit memoria: uel quod his duobus potissimū promissus sit ille tot seculis expectatus Christus in Hebræorum oraculis, quibus summam habent fidem, etiā illi, qui Christo repugnant. Siquidē in libro geneleos sic Abraham loquitur deus, promittens fore, ut ex ipsius stirpe nasceretur olim, cuius gratuito beneficio non solum natio Iudæorum, uerum etiā omnes totius orbis populi, non per circumcisionem, quæ tum nondum erat nata, sed per fidem euangelicā in ius & charitatem filiorum asciti, cœlestis regni consortium una cum Christo sortirentur. In semine, inquit, tuo, nimirū Iesu Christo, benedicentur omnes gentes. Porro Dauid ita loquitur in psalmis mysticis: De fructu uentris tui ponam super sedē tuam. Idq; præcipue faciemus Iudæorum causa, ne ut est rebellis ac difficilis ad credendum natio, quum ex oraculorum autoritate, quibus abunde fidunt illi, persuasum habent Messiam uenturum fuisse promissum, tergierentur, cauſantes alium seruatore expectandū, nec hunc esse quē illa promiserant. Siquidē illorum pleriq; quoniā terrenarum rerum cupiditatibus obcæcatos habent animos, pro suo carnali crassoq; affectu, nō recte interpretantes oracula uatum, præpotentem quempiam ac magnificum regē sibi pollicebantur, qui copijs, armis, opibus, similibusq; mundi huius præsidijs inuictus, gentem suam ad diuitias, ad honores, ad imperium eueheret, orbemq; totum Hebræorum ditioni subigeret. At Christus quanquā est omnium rerum dominus, nō ideo uenit in mundum, ut unicā gentem, ex qua iuxta corpus assumptum erat nasciturus, terrenis bonis locupletaret, sed ut omnes totius orbis nationes ad ueras opes, nec unquam interituras eueheret, easq; bonis cœlestibus in æternum bearet: patiēdo, moriēdoq; uinceret mortis tyrannidem: beneficio subigeret inimicos, gladio spiritus iugularet monstra uitiorum, rebellesq; motus cupiditatum: & expugnatis ijs, quæ pugnant aduersus spiritum dei, de suo conferret nobis iustitiā & innocentiam: deniq; ut spirituale regnum nobis armis spiritualibus uindicaret. At non habebunt isti posthac quod tergierentur, ubi uiderint in hoc quē nos uenisse scimus & prædicamus, omnia consentire, quæ sancti prophetæ spiritu cœlesti afflati in sacris libris ante tot seculā de eo magno consensu prædixerant: genus, familiam, natiuitatis modū, uitā, doctrinā, miracula, afflictiones, & ignominias, mortis genus, sepulturā, resurrectionē, ascensum in cœlum, spiritū sanctū e cœlo demissum, prodigiosas apostolorum linguas, gentium conuersionē, reliquaq; quæ post facta uidimus, & quotidie fieri uidemus, per Christi nomē profitentes. Deniq; cōsentire & tempus ipsum quo prædictus est aduenturus. Neq; solum hæc omnia prædicta sunt prophetarū oraculis, uerum etiā patriarcharum factis adumbrata. Hæc quum illi teneant, si conferant cum his quæ nos gesta nunciamus, intelligent se frustra expectare Messiam alium ab hoc quem nos prædicamus. Semel aduenit humilis & abiectus iuxta speciem humani corporis: sic enim illum uenturum prædixerat Esaias, sua morte liberaturus uniuersos à mortis tyrannide. Idem rursus adueniet in fine seculorum, non iam seruator, sed iudex omnium uiuorum ac mortuorum. Nunc ab illius beneficio nullus hominum excluditur

ditur. Tunc illius iudicium nullus effugiet. Sed tunc lati uidebunt iudicem æterna præmia largientem, qui nunc mansuetum & exorabilem seruatore non aspernantur. Hic est igitur unicus ac uerus ille Messias, cuius genealogia iuxta corpus humanum, quod non
 Abrahæ autem
 item genuit
 ista causa assumpserat, mox dicitur. Per hunc enim erat exoritura noua natio, non carnalis, sed spiritualis, quæ non tam terras impleat, quàm cælum, quæq; non humano semine, sed Euangelica fide propagaretur cœlesti semine sermonis diuini. Huius principem ac progenitorem mystico quodam typo repræsentabat Abraham, qui nondum prodita lege circumcisionis, iustitiæ laudem meruit, non apud homines, sed apud deum: nec ex obseruatione legis, sed ex synceritate fidei, qua nihil addubitauit de promissis diuinis, quam naturæ uires superarent. Et ob hanc fiduciam dictus est pater multarum gentium, quæ ad illius exemplum crederent Euangelio Iesu Christi. Is iam ob senium defecto corpore, ex uxore item effœta genuit promissum Isaac, qui & ipse Christi typum gessit, ligna baiulans ad sacrificium, cui erat ipse destinatus. Isaac genuit Iacob, qui quum esset natus minor, tamen excluso fratre maiore, consequutus est hæreditatem, iam tum typum gerens ecclesiæ à gentibus congregandæ, quæ Iudæis exclusis quotidie magis ac magis inualescens, occupat Euangelij gratiam, per fidem, qua Iudæi se per diffidentiam reddunt indignos. Sic enim loquitur deus: Iacob dilexi, & Esau odio habui. Et huius nominis mentio frequens est in prophetarum uaticinijs. Iacob genuit Iudam, qui tribui nomen dedit, e qua Christus prædictus est exoriturus, cuiusq; titulo promissa est noua lex euangelica. Sic enim loquitur Hieremias: Ecce dies ueniunt, dicit dominus, & disponam domui Iudæ & domui Iacob testamentum nouum. Nec hunc solum genuit, quanquam hic potissimum merebatur in hoc catalogo recenseri, sed & alios undecim Iudæ fratres, qui singuli singulis tribubus Israeliticæ gentis indidere cognomina. Porro Iudas sustulit gemellos, Phares & Zaram, non ex uxore legitima, sed ex Thamar nuru sua, quæ prius nupserat Heri primogenito Iudæ: cui cum non præstaret Iudas quod receperat, uidelicet fore ut nuberet Sela fratri mariti defuncti, iuxta legis præscriptum, mulier nimium prolis auida, sumpto meretricis habitu, uelataq; facie, dolo suffurata est concubitus Iudæ fœderis sui: ac post arabis indicio, quem ab eo prius quàm coitum admitteret, sumpserat: geminam prolem patri iam ad pœnam uocanti uindicauit. Res gesta non uacat crimine, sed tamen latens sub inhonesto tectorio mysterium ad euangelij negotium facit. Quemadmodum & Phares ecclesiæ & synagogæ gessit imaginem, qui fratrem porrecta manu prius ex uterilatebris exire parantem anteuertit. Ex hoc natus est Esrom, ex Esrom natus est Aram, ex Aram Aminadab, ex Aminadab Naason. Atque ex hoc Salmon. Salmon sustulit Boos ex Rahab: quæ tametsi non esset Iudaicæ gentis, sed Cananæ, tamen obseruatos exploratores à Iesu duce missos, proditamq; ciuitatem Hiericho, locum meruit in eorum catalogo, qui per fidem commendabiles redditi sunt deo, & exempta meretricio ordini, cooptata est & insita populo dei, nupta marito Iudaicæ gentis, iam tum adumbrans peccatores & gentes à cultu dei alienas, fidei merito Christo copulandas. Boos item filium habuit Obeth, ex Moabitide Ruth, quæ & ipsa uelut abdicata patria, & affectibus corporeis, maluit inferi populo Iudæorum, hoc est, Christi doctrinam profitentium: uidelicet iam tum typis & umbris præludentibus, nullum hominum genus ab euangelij consortio submouendum, modo fidem adferat, & animum ferat pietatis auidum. Ex Obeth proditus est Iessæ, idem dictus Isai, cuius nomen non tacet uaticinium Esaiæ de Christo: exhibet, inquit, uirga de radice Iessæ: Ex hoc progenitus est Dauid ille deo charus, rex & idem propheta, conditor urbis Hierosolymitanæ, nobilis interfecto Goliad: & ex humili pastore gregis ouillis, nutu dei consecratus rex Israelitarum, submoto Saule rege impio. Ex huius stirpe tota gens Hebræorum expectabat exoriturum Christum, quemadmodum prædictum erat à uiris afflatis deo. Atq; hic quoque multis nominibus repræsentauit imaginem Christi nepotis sui. Dauid genuit Solomonem illum pacificum, ac templi dominici constructorem. genuit autem ex adamata Bethsabee, quam Uriam marito priore per dolum occiso, sibi matrimonio copularat, non absq; scelere, si nihil species præter historiæ superficiem: at rursus non absq; præfagio futuri, si mysterium scruteris. E Solomone natus est Roboam, ex hoc Abias. Ex Abia prognatus est Asa, ex Asa Iosaphat, unde prodijt Ioram, atq; ex hoc Ozias. Ex Ozia natus est Ioatham, ex Ioatham Ahas, ex

Achas Ezechías, ex hoc Manasses. Ex Manasse satus est Amon, ex Amon Iosias, ex Iosias Iechonías, reliquique Iechonías fratres, sub id tempus, quo Nabuchodonosor tyrannus, exusto templo, quod erat Hierosolymæ, regem ac populum Hebræum captivum transtulit in Babylonem, figuris nimirum portendentibus, diaboli tyrannidem in genus humanum, & libertatem Christi beneficio restitutam. In hoc rerum confinio, cum iam ageretur de restituendo suis sacris ac sedibus populo dei, Iechonías genuit Salathielem: Salathiel Zorobabelem, Zorobabel Abiud. Ex Abiud proditus est Eliachim, ex Eliachim Azor, ex Azor Sadoch, ex hoc Achim, ex Achim Eliud, ex Eliud Eleazar, ex Eleazare Matthan, ex Matthã Jacob. Atque hic Jacob pater fuit Ioseph, cui nupsit Maria mater promissi servatoris omnium Iesu, quæ Hebræi vocant Messiam, hoc est, Christum, siue unctum: quod hic omnium rex, idemque summus sacerdos solus deum patrem uicinis humanæ gentis offensum, sui corporis uictima placarit, ac depulsa mortis tyrannide, cœleste regnum omnibus aperuerit. Nupsit autem pudica pudico, castissima casto, ex eadem tribu familiæque uidelicet Dauid, iuxta diuinę legis præscriptum, ne quis hanc stirpis seriem nil habere momenti putet ad declarandam originem Christi. Quod si cui libebit etiam temporis rationem subducere, quod digestis hebdomadarum gradibus ante tot annos descripsit Daniel, comperiet & hic prophetarum præfagia, cum euentu rei consentire. Summa igitur totius genealogiæ constat tribus tessera decadibus. Etenim si supputes ab Abraham patriarcha usque ad Dauid regni florentis autorem: reperies generationes quatuordecim. Rursum si ab Dauid usque ad regni deliquium, hoc est, ad exiliū Babylonicum, reperies quatuordecim. Rursum si ab hoc tempore usque ad Christum, nouæ generationis euangelicæ, nouique regni principem & clausulam, reperies quatuordecim. Hactenus Christi genealogiā bona fide reddidimus, quo constet omnibus hunc ipsum esse, quem olim oracula prophetarum orbi promiserant, tot argumentis in unum cōsentientibus, ut casu gestū uideri non possit: simulque constet illum uerum fuisse hominem, qui ex notis maioribus iuxta carnem genus duxerit. Sed quanquam homo natus ex homine, qui in hoc uenerat, ut humanum genus sua morte redimeret, tamen haud quaquā natus est iuxta cōmunem ac uulgatum nascentium morem. Decebat enim, ut qui uenerat ex cœlis, uocabat ad cœlos, nihil nisi cœlestia docebat ac pollicebatur: denique qui post tot prophetas ac doctores in hoc legatus est, ut semel noua faceret omnia, uero quidem corpore, sed tamen nouo modo prodiret in mundum, & ita doceretur uera hominis natiuitas, ut tamen deo digna uideretur. Atque hoc futurum prædixerat Esaías, ut quoniam homines ad ista uulgata naturæ miracula propter assuetudinem dormitabant, deus nouum miraculum æderet, idque in terris, quo magis esset omnium mortalium sensibus expositum. Natus est homo uerus, ac mortalis, sed idem deus & immortalis. Natus est homo ex homine, sed ex uirgine. Natus est ex progenie generis humani principis Adæ, sed absque labe. Natus est ex matrimonio, sed ita ut opificium conceptus non fuerit mariti, sed spiritus sancti, qui modo nequaquam enarrabili de substantia uirginis illibata, uelut in templo cœlesti numini sacro peregit foetus inauditi formationem: huiusque negocii dispensationem ita temperauit admirabili consilio, ut rem incredibilem celaret impios, & pijs animis certissimis argumentis persuaderet, cuius nulla mortalis eloquentia fidem facere potuisset. Quum igitur ex parentum arbitrio, sed horum animos moderante numine, sanctissima uirguncula, huic tanto mysterio ab æterno destinata, futura mater Iesu, desponsa suæ tribus probato uiro, nomine Ioseph, cum eo domesticam ageret consuetudinem, priusquam connubialis congressus inter eos intercesserat: siue quia non est ad libidinem præceptus uera probitas: siue quia sic deus ordinem huius negocii temperabat, deprehensa est esse grauida. Id enim arguebat & amanti, & minime stupido sponso, puellæ uterus indies magis ac magis intumescens. Nec enim illa fugitabat sponsi sui conspectum, quasi sibi male conscia: nec aperiebat arcanum quod ab angelo didicerat, siue quia desperabat adhuc posse persuaderi, siue quia seruabat hoc deo, suo tempore patefaciendum. Certus igitur ac uerus erat conceptus, manifestis ac solitis indicijs sese prodens, præsertim Ioseph, qui ob domesticum conuictum facilius obseruabat in sponsa sua corporis habitum. Verum is foetus non erat profectus ex complexu uiri, quem admodum reliquæ foeminae solent iuxta communem naturæ legem concipere: sed à spiritu sancto, qui per Gabrielē angelum internūcium, cœlitus illapsus in sacratissimum templum

*Christi autē
generatio
sic erat*

*Quum esset
desponsata
mater Iesu*

plum uteri uirginei, paterni numinis inuisibili uirtute, sanctissimæ uirginis totum corpus & animum ceu complexu quodam obumbrante, citra nullum pudoris detrimentum grauidam reddiderat. Porro Ioseph nondum gnarus tanti mysterij, cum indubitata cerneret argumenta conceptus in coniuge, sibiq; conscius esset, nihil sibi rei fuisse cum puella, unde grauida fieri posset, & tamen eos comperisset sponsæ mores, ut in eam nō caderet adulterij certa suspicio: & alioqui uera probitas, nec est prona ad suspicandum, nec præceps ad uindicandum: suo cum animo rationem aliquam dispiciebat, qua simul & uxoris famæ uitæq; consuleret, ac negotium cuius ipse nullum exitum inuenire poterat, deo committeret. Ex arcuissima familiaritate deprehenderat inculpatissimos puellæ mores. Si quidem spiritus ille diuinus, qui totum eius animum occuparat, in ipsis oculis, ipsoq; uultu relucebat: ipso incessu, gestu, sermone undique sese prodebat. Cœleste quiddam in ea deprehenderat, & homine maius. Et tamen uidebat grauidam, & abfuerat illa domo menses aliquot, dum inuisit cognatam Elizabeth: ad hæc cogitabat, quanta esset eius ætatis ac sexus infirmitas in cæteris puellis. Quas turbas hic excitasset alius maritus, præsertim amore exasperante zelotypiam, quo non alius animi morbus impotentior? Sed ad huius rei fidem delectus erat testis Ioseph, ne quis causari posset Mariæ partum, aut supposititium esse aut adulterinum. Erat uir apud omnes notæ spectatæq; probitatis ac prudentiæ: ne quisquam suspicari posset illum uel esse tam insigniter improbum, ut uxoris leno sustineret esse: uel tam stultæ patientiæ, ut domi aleret, curaretq; una cum puero, quàm sciret esse adulteram. Nulli magis sæuiunt in lapsas uxores, quàm qui ipsi multis adulterijs sunt obnoxij. Ioseph ipse innocentissimus, adeo non rapitur ad ultionem, ut nec cum coniuge uerbis expostularit, ne qua molestitudine uirginis animum obnubilaret. Tacitis animi curis secum æstuat, ac mite quoddam diuortij genus comminiscitur, quo sic ipse liberaretur à grauidæ contubernio, ne quid infamiæ periculi uel puellæ conflaret. Atq; hæcenus quidem passus est deus innocentissimum uirum distrahi perplexis consilijs. Id enim expediebat ad fidei certitudinem, Sed iam tempus erat ut his animi molestijs liberaretur, dignus uidelicet qui mysterij conscius fieret, ob insignem erga uirginem deo dicatam reuerentiam, satisq; spectatam grauitatem in premendis animi sui curis, uisus idoneus qui secretum nondum ob iudæorum peruersam suspensionem euulgandum bona fide cōtineret. Ecce Gabriel angelus, qui uirgini conceptum admirabilem nuntiabat, multa cum luce apparens uigilanti, nimirum ob plusquam angelicam puritatem huiusmodi uisionum non insolenti, Ioseph in somnis semet exhibet, ac per soporem etiam tale quiddam agitantem, sic est affatus oraculi cœlestis interpretes: Ioseph fili David, quæ torquet animum tuum humana suspicio: Quid æstuas? quid fluctuas? Aut quod meditare diuortium, aut cur ab ea uis distrahi, quæ tibi tāta charitate, simul & tribus & familiæ cognatione iuncta est? Non est alius sponsus ea uirgine dignus, nec illa est alteri destinata dei consilio, nisi tibi. Agnosce David autorem tui generis, cui promissum est olim, quod nunc incipit exhiberi. Totum diuinum est quod geritur. Non est quod metuas, ne quid labis tuo coniugio contrahat uxoris uterus, citra tuam operam intumescens. Suspicas grauidam, & recte suspicaris: Sed non ideo submouenda à domestico conuictu, imò hoc magis tibi adiungenda est, quod grauidam uides, cui diuino consilio in hoc ipsum datus est sponsus, ut in posterum testis esse possis foecundæ uirginitatis, in uxore compertæ: atq; illa interim tuo coniugio tuta sit aduersus iudæorum suspitosam sæuitiam, quibus hoc mysterium nondum est aperiendū, neq; dignis adhuc neq; capacibus. Tibi cōmunicabitur, ne quid interrim uxoris innocentia sese indignum patiat. Nam foetus iste, quo uides coniugis uterum quotidianis auctibus intumescere, ut non est ex te, ita nec ab alio quoquam mortali. Angelus nunciauit, conciliator huius diuini complexus, pater obumbravit, spiritus sanctus preparauit uterum, dei filius impleuit. Noua sunt omnia, quia noua proles nascetur. Cœlo debetur quod pariet tua sponsa, castior etiam futura, posteaquam pepererit. Pariet autem filium, nō tibi sed orbi. Huius tu pater interim diceris: & puellæ custos eris potius quàm maritus. Nato puero tu ceu pater nomen impones: non quod tibi tuus suggererit animus, sed quod ex re deus illi destinauit ante mūdum conditum, Vocabis autem Iesum, hoc est seruatorem. Nam hic est ille tot seculis exoptatus & expectatus Messias,

Ioseph fili
David

Hoc autem to-
tum factum est
Esa. 7

qui iuxta prophetarum oracula liberaturus est populum suum uniuersum à peccatis suis non uictimis pecudum, sed suo ipsius sanguine. Nec hoc tantum beneficium gratis dedisse contentus, purgatis à uitæ prioris peccatis, conferet perfectam & æternam salutem. Neque uero quicquam huius rei casu fortuito gestum est, sed consilio diuino. Quod enim nos factum narramus, hoc olim dominus ipse se facturum promiserat, loquens per os Esaie prophetae, paucis depingens huius conceptus, & nouitatem inauditam, & fructum optabilem. Ecce, inquit, uirgo concipiet & pariet. Habes nouitatem: quando enim unquam fando auditum, salua uirginitate, peperisse puellam: nunc fructum accipe. Et uocabitur, inquit, nomen eius Emanuel, quod Hebraeis sonat, nobiscum deus. Siquidem hic unus populum suum deo reconciliabit, atque ex infenso reddet propitium, ac uersans inter homines cumulatissimam dei beneficentiam illis effundet, ac tandem experti doctrinam efficacem, experti uim miraculorum, experti presentem energiam ac robur & impetum diuini spiritus nouo more sese prodentis in his qui crediderint, merito clamabunt, nobiscum deus. Si agnoscis uaticinium, & sane agnoscis, subserui mysterio, ac cela secretum. Hæc ubi dixisset summi dei nuncius, Ioseph expergescit à somno, lætus & alacer paruìt oraculo, ponit consilia dissidij, & arctius etiam adiungit sibi coniugem suam, ne qua dissidij suspicio posset oriri cuiquam. iamq; sentiens eam totam dicatam coelesti numini, ueneratur in ea diuinum mysterium: nec audet attingere, quam sibi diuinitas unice uindicasset. Adest obsequio, abstinet à congressu maritali. Maturescit interim in sacro uirginis utero foetus ille coelestis, qui suo tempore prodians ex matre uirgine, parentis integritatem non abstulit, sed consecrauit. Porro Ioseph, ut erat iussus ab angelo, hæc genus patris gerens imaginem, nomen indidit puero Iesu, quum iuxta gentis morè octauo die circuncideretur.

CAPUT II



Actenus uides, quàm multa congruant cum prophetarum oraculis. Ex his progenitoribus, ex ea tribu familiaq; natus est, unde illum prophetia promiserat: congruit & hebdomadarum supputatio, ad quã illum uenturum prædixit Daniel. Cõuenit & natiuitatis nouitas, qua natus est ex uirgine, citra uirilem operam. Cõuenit & nomen. Promissus erat seruator, expectabatur seruator: Iesus seruatorem sonat. Quin & regionis, & oppidi nomẽ respondet fidei prophetarum. Natus est enim hæud procul ab Hierosolyma, in oppidulo cui nomẽ Bethlehẽ, idq; in regione Iudææ. Nam est & in Galilæa oppidum huic cognomine, nimirum in tribu Zabulon. Natus est autẽ eo tempore quo regnum apud Iudæos obtinebat Herodes natione Idumæus, non Iudæus: ne cui dubium esset iam adesse tempus quo nasciturus esset Messias: quod hoc multis ante seculis futurum prædixerat Iacob patriarcha: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec uenerit ille qui mittendus est. Nimirum hic est ille sanctus sanctorum, ad cuius exortũ cessare debuit omnis unctio Iudæorum. Nunc quàm miris consilijs paulatim innotuerit orbi accipite. Voluit enim omnibus esse perspectus, qui uenerat seruandis omnibus: ut & bonis innotesceret ad salutem, & impijs adimeret omnem excusationem ignorantie. Iudæis præcipue fuerat promissus: ex horum gente natus est: his primum prædicatus est ab angelis canentibus: Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis: pastores angelica uoce docti, de nato puero, fidei primitias obtulerunt, ad nataliciũ infantuli præsepe. Secreto spiritus afflatu agnitus est ab Elizabeth, à Simeone, & Anna prophetissa. Ac primum quidem pauperibus & humilibus semet aperuit, in quibus sciebat esse pronam credulitatem. Nec enim facile suscepturi erant humilem superbi, pauperem opulenti, modestum feroces, coelestem, huius mundi cupiditatibus obnoxij. Quoniam autem non Iudæis tantum, sed & gentibus, imò cunctis mundi nationibus promissus erat, in ipso statim exordio uoluit & his innotescere: quo declararet simul & illis oblatam esse salutem, & horum exemplo Iudæos ad æmulationem credulitatis extimularet. Nec omnes eadem ratione pertraxit ad sui noticiam, sed singulos paulatim allexit rebus iam persuasus ac familiaribus. Iudæi prophetis habebant fidem, signis ac prodigijs commouebantur, atque harum rerum illecebra pellexit eos. Persæ & Chaldæi multum tribuebant astris, ut huic philosophiæ potissimum dedis-

Gen. 49
Ecce Magi ab
oriẽte ueni.

ut e

His cuius peritiam sibi mirabilem quendam orbis instauratorem promiserant. His igitur pueri natiuitatem non propheta, non angelus, sed noua quædam & admiranda stellæ species indicauit: nimirum stellam illam, quam prophetia Balaam designarat exorituram ex Iacob. Et publico rumore iam cognouerant hunc regem Iudæorum genti peculiariter esse promissum, non illum uulgarem quempiam, atque ex numero cæterorum, sed insignem & incomparabilem: cuius potentiam, sapientiam, ac bonitatem, humana maiorem, totus orbis esset experturus. Porro ut improbus data occasione fit improbius, & sapiens occasione præbita sapientior, Magi quidam (nam hoc nomine Persæ uocant philosophiæ professione suspiciendos) quo quod stella ueluti per somnium docuerat, cominus discerent & exactius, nihil deterriit itineris magnitudine, Hierosolymam sese præuia stella conferunt: siue quod illic agebant scribæ & pharisæi, in lege ac prophetis eruditissimi: siue quod intellexerant regem eum haud procul ab Hierosolymis nasciturum. Iam enim certi natum esse, tantum sciscitantur, quisnam esset ille locus tam inclyto partu felix. Existimabant enim tanti principis natiuitatem non posse latere apud eos, qui nasciturum tot seculis expectauerant, præsertim cum non solum apud illos, uerum etiam ex illis natus esset. At nusquam serius ac difficilior innotescit Christus, quam in urbibus opulentis, in aulis principum, & apud sapientiæ professione turgidos. Sed harum rerum imprudentes illi simpliciter ac palam sciscitantur. Vbi, inquiunt, est ille, qui nuper natus est rex Iudæorū? Nos enim certo indicio natū illum cognouimus. Nā cū procul hinc ageremus in oriente, stellam eius admirabili specie uidimus. Vidimus stellam, & sensimus afflatum. Proinde quoniam scimus illum omnium bono nasci, nos, licet alienigenæ, sumus huc profecti, ut adoremus, nouoque regi debitas honoris primitias exhibeamus, non ignari felices futuros, qui illius numen habituri sunt propitium. Huiusmodi sermonem cum illi simpliciter apud quosuis effunderent, illico rumor ad Herodem regem perlatus est, qui iam pridem eius nascituri famam horruerat, metuens, ne quādo regno quod occupauerat, alienigena deturbaretur, si tantus princeps e Iudæorum stirpe extitisset. Siquidem Herodes nihil aliud, quàm terrenum regnum somniabat: ignarus Christum aliud regni genus inuehere, quod ad uniuersos homines pertineret. Itaque postquam natum audiuerat, quem metuerat nasciturum, & audierat à Magis, uiris & eruditione, & fortunæ strepitu nequaquam aspernandis, sane conturbatus est animo, simulque cum hoc tota ciuitas Hierosolymorum, alijs aliud metuentibus, aut sperantibus. Sed ita diuina sapientia temperauit affectus ac molitiones mortalium, ut & piorum simplicitas, & impiorum uesania, undique Christi gloriam illustraret, & fidei rerum incredibilium pondus adderet. Nec aliam ob causam stella uia dux Magos Hierosolymam ingressuros ad tempus destituerat, nisi ut illorum percontatio diuulgaret rumorem nati pueri, nec proderet nati cunabula regi sauituro. Itaque rex Herodes liuore & ira cæcus cum totus arderet in exitium nati pueri, tamen impiæ crudelitatis pietatis speciem prætexuit. Accersit ad se ex ordine sacerdotum cunctos priores, ac scribas populi Iudaici, quorum hæc erat peculiaris professio, ut si quid exoriretur rerum nouarum, e prophetarum oraculis eque diuinis libris responsa darent, quod horum exactam scientiam profiterentur: uidelicet ut & numerus & auctoritas ad fidem conduceret. Ab his igitur conuocatis, rex hoc magis impius, quod pietatem mentiretur, sciscitatus est, ubi nam nasciturum Christum oracula promississent. At illi nondum odio furentes in Christum, quem non uiderant, simpliciter & inconstanter respondent, in Bethlehem Iudæ: ac ne parum ponderis haberet ipsorum auctoritas, ecce in promptu habent uaticinium Micheæ prophetæ: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. ex te enim exorietur dux, qui regat populum meum Israel. Atque hæc tum responderunt Sacerdotes & Scribæ, qui post tot miraculis coruscantem, & omnibus beneficientem, curarunt occidendum. Rex Magorum oratione non leuiter commotus, hoc responso tam prompto prorsus exanimatus est, præsertim quum prophetia palam polliceretur ducem Bethlehemiticum, qui regeret populum unde natus esset. Sacerdotibus itaque ac Scribis dimissis, quibus se desperabat posse imponere, clanculum ne Iudæi dolum suspicarentur, accersit ad se Magos, & communicata re quasi idem agerent utrique, diligenter percontatus

Michea 5

Tunc Herodes clam uocatis Magis dilig. did. ab

tatus est eos, quantum esset temporis, quod illis primum apparuisset stella, cuius indicio tantum itineris emensi uenissent Hierosolymam: uidelicet hoc agens, ut certius in unum caput sequeretur crudelitas. Magi, ut non est suspiciosa pietas, nihil illum calant, haud quaquam suspicantes eum esse tam immanem, ut in infantem uix dum natum scire uellet: neque tam furiosum, ut se speraret humanis consilijs oppressurum, quod diuinitus ageretur. Indicato tempore, ille uicissim indicat locum, quem à scribis didicerat. Iamque spe certa concepta, his duobus indicijs puerum posse deprehendi, Magos ultro ituros, etiam suo nomine mandatis onerat, adirent Bethlehem, summaque diligentia uestigarent de puero: moxque eo comperto Hierosolymam reuersi, se facerent totius negotij certiores: causam praetextens admodum plam, & ab animis Magorum minimum abhorrentem, ut & ego inquit, eodem me conferam, uosque imitatus, adorem eum. Sibi primum uolebat innotescere puerum, ut eum prius tolleretur e medio, quam populus Iudaeus eum plane rescisset esse natum: Deo interim & hoc procurante, ut incolumes redirent Magi suis regionibus annuntiatum Christum. Alioqui, ni spes hac scelerato imposuisset, sciturus erat in Magos ipsos, qui nuncium tam inauspicatum attulissent. Magorum pia simplicitas, audito rege, contendunt Bethlehem: quos in hoc stella, quae illos exciuerat, ad tempus destituit, ut barbari primi Christum annuntiarent natum, quem illi tot seculis expectatum post occiderunt. Sed hac parte diuini consilij functis, rursus aderat mirabilis illa stella, quae sic illorum pietati seruiebat, ut non solum Bethlehem, sed ipsum etiam tugurium humile, & ob hoc inuentu difficile indicaret: atque adeo ipsius pueri capiti imminens est propinquo, ceu digito demonstraret expetiturum infantem. Hac igitur ubi rursus apparere coeperat, omnem sollicitudinem ex animis illorum dispulit: iamque certa spe simul & gaudio pleni, neglectis hominum indicijs, coelestem ducem sequuti, noui regis palatium, uident sordidum & abiectum tugurium, uile stabulum. Nihil commouetur his rebus sincera pietas, ingrediuntur, reperiunt infantem, nihil à ceteris specie differentem: reperiunt matrem, nihil magnificum praeseferentem. Paupertatem ac simplicitatem tota supellex testabatur. Magi qui non adorauerant Herodem è solio regali strepitu iactantem sese, ad pueri uagientis cunas procumbunt: adorant proni nondum fari potentem. Nec hac pietate contenti, depromunt è repositorijs suis destinata munera, ex hisce rebus, quarum prouentu regio Persarum praecipue diues erat, aurum, thus, & myrrham, ne uaticum desset mox fugituro. Atque his fidei primitijs gentes, quae procul aberant: Iudaeos qui deo uidebantur proximi, praeuinentes, Christum sibi inaugurant, seseque uicissim illi dedicant, triplici rerum genere nouum sacrificium offerentes, iamque ueluti per anigma, trinitatem illam ineffabilem profitentes, patris, filij, & spiritus sancti, simulque in uno homine, mortalitatem, sacerdotium & regnum agnoscetes. Siquidem aurum regi conuenit, thus sacerdoti, myrrha morituro. Natus est mortalis, sacrificauit in cruce: uicit resurgens, regnat in coelis. Tot prodigia uiderant Iudaei, & cognitum occiderunt: nihil praecleari uidere Magi, quod ad oculos corporeos pertinet, & sibi gratulantur eam peregrinationem fuisse felicem. Ceterum quum secum agitarent, an redeundum esset ad Herodem ut illius animo satis facerent, in somnis admoniti sunt oraculo diuino, ne se referrent ad Herodem: id enim nec ipsis esse tutum, nec puero, nec expedire tanto negotio, suis temporibus, & per partes orbi prouulgando. Illi non segnes parent oraculo, ac diuersa uia reuersi sunt in patriam, apud suos noui regis, noui praecoines futuri. Iam Magorum incolumitati consultum erat: mox ut matris etiam ac pueri tranquillitati consuleretur, simulque Herodis impietas, ita ut merebatur, magis ac magis exacerbaretur in gloriam Christi, idem coelestis nuncius, qui Magos dimiserat, Ioseph apparuit in somnis, hortans eum, ut iam arcani conscius, matrem ac puerum clanculum subduceret in Aegyptum: uidelicet hoc agente consilio diuino, ut ea quoque regio, tota prodigiosis deorum cultibus dedita, dum profugo praebet hospitium, eius contactu commercioque praepararetur ad aliquod primordium uerae pietatis. His itaque uerbis angelus affatus est Ioseph: Surge & adiuncto tibi puero una cum matre, clam fuge in Aegyptum, atque illic commorare donec reuersus ad te, admonuero tempus esse huc remigrandi. Futurum est enim ut Herodes nihil intentatum relinquat, quo perdat puerum. Non quod difficile sit deo puerum subito extincto Herode seruare, si libeat: sed hic ordo negotij magis conducit ad confirmandum fidem. Vult enim deus, ut tyranni furor suae

Et respo ad
cepto in som/
no ne rediret
ad Herodem

in gloriâ ſeruiat. Nihil contatus Ioseph, aſſumptam puellam matrem ac puerum, no-
 ſe fugiens, ſubducit in Aegyptum, inibi commoratus uſque ad obitum Herodis. Neque
 uero hoc humano metu contigit aut caſu: his malis deus uoluit parari ſtabilitatē regnum
 filij ſui, quibus humane res ſolent labefactari, ne quid ſibi mundus uindicare poſſit in ne-
 gotio diuino. Id quo magis credas, deus qui hoc fieri uoluit, multis retro ſeculis futu-
 rum prædixit per os Oſeæ prophetæ: Ex Aegypto, inquiens, uocaui filium meum. In-
 terea rex Herodes, poſteaquam ipſa re comperit, Magos ſibi dediffe uerba, iam impo-
 tens ira, abiecto ſuco, prorupit in manifeſtam inſaniam: miſſiſq; ueſaniæ ſuæ miniſtris,
 occidit omneis infantes, & quotquot erant in ipſa Bethlehē, & quotquot erāt in eius op-
 pidi ſinibus, bimulos, aut hac ætate minores, ſequutus temporis ſupputationem, quo
 Magi prædixerant ſibi primum uiſam eſſe pueri ſtellam. Dilatauit tempus crudelitas, di-
 latauit locum, pueros uniuerſos complexa, putans hoc impio conſilio ſatis ſibi cautum
 eſſe, ne quā poſſet elabi, quem unum cupiebat extinctum, Sed fruſtra nititur aſtutia mor-
 talium aduerſus conſilia diuina. His rebus parabatur exemplum, quid eſſent ab impijs
 principibus paſſuri, qui credituri eſſent Euangelio: quid proſecturi, qui fidem Euange-
 licam teneram adhuc, & in piorum animis glifcentem, crudelitate ſua conarentur extin-
 guere. Ob Chriſtum interim, ſeruari eſt. Herodi data erat occaſio reſipiſcendī, non ſæ-
 uiendi, niſi mentem illius regnādi cupiditas excacaſſet: Sed dum ipſe ſibi ſuo uitio uertit
 omnia in materiā maioris inſaniæ, ſua malicia dei iuſticiam illuſtrauit, dum omnibus pa-
 lam fit innoxios puellōs immani crudelitate trucidatos, & ipſum horribili dignum exi-
 tio, quo poſtea periit, fuiſſe. Porro ne quis addubitet hoc diſpenſatione diuini conſilij ſic
 eueniſſe, audite prophetæ Hieremiæ uaticinium, hoc præſagio mentis afflatę iam factum
 cœnētis, quod multis poſt ſeculis eſſet futurum: Vox, inquit, in Rama eſt audita, uox ue-
 hementer plorabunda, lugubris ac lamentabilis, Nimirum Rachelea erat deplorans fili-
 os ſuos: nec admittit conſolationem, propterea quod eſſent omnes e medio ſublati. Rachel
 quæ enixa Beniamin, hoc eſt doloris filium, mox à partu periit, ſepulta eſt non procul à
 Bethlehem. Vnde propheta ſub huius perſona, matrum luctum, ſuos filios ab Hero-
 de trucidatos deplorantium, expreſſit. Interea poſteaquam Herodem exitium ipſo di-
 gnū ſuſtuliffet e medio, ruruſ angelus, qui fugæ conſilium dederat, apparens Io-
 ſeph in ſomnis, hortatur illum, ut Aegypto relicta, puerum ac matrem eius reduceret in
 terram Iſraeliticam. Iam enim extinctos eſſe eos qui puerum uolebant extinctum. Atque
 is prompte per omnia parens diuinæ uoluntati, uirginem matrem cum dulciſſimo puer-
 o reuexit in regionem Iſraeliticam. His enim oportuit illum primum innotefcere, ad
 quos præcipue miſſus erat, ne gens incredula haberet, quod uel probabiliter ſuæ impie-
 tati prætexeret, negans illum eſſe Meſſiam ſuum, ſed alium gentibus deſtinatum. ut ue-
 ro patriæ ſines ingreſſus eſt Ioseph, atque illic certo rumore cognouiſſet, quod Archela-
 us Herodis deſuncti filius paterni regni dimidium ſortitus uice patris regnaret in Iudæa,
 uertus ne filius, ut in regnum, ita & in crudelitatem paternam ſucceſſiſſet, timuit eò pro-
 ficifci: ac ruruſ oraculo angeli confirmatus, unde iam totus pendeſcit, ſeceſſit in par-
 tes Galilææ, quæ pars obuenerat Herodi tetrarchę fratri regis deſuncti. Hic tuta omnia
 pollicente angelo, inuitauit etiam patriæ charitas, ſimul hoc agente conſilio diuino, ut
 per occaſiones uarias Chriſtus multis diuideretur, qui nulli non uenerat. Bethlehem hu-
 ius partu gloriatur, Hieroſolymæ exhibitus eſt ac purificatus, Aegyptus tanto hospite
 ſelix erat. Habet Nazareth, quod de tanto alumno gloriatur. Nam hic erat parentis Ma-
 riæ patria, in qua filium conceperat, uiculus humilis & obſcurus, Galilææ contem-
 ptæ apud Iudæos regionis, ſed hoc magis opportuna latebra puero aduerſus Arche-
 laſ uitiam: & illud interim nos re ipſa docente deo, in his quæ diuina uoluntate ge-
 runtur nihil opus eſſe huius mundi præſidijs, opibus, potentia, factionibus, gene-
 ris diuinitate. Imò hæc adiuncta obſcurant apud homines gloriā dei. Nam ne hoc
 quidem accidiſſe fortuito ſatis arguit, quod prophetia iam olim futurum prædixe-
 rat, quod Meſſias ille Nazareus appellaretur, quod eſſe factum, uel ipſe titulus in-
 dicat, quem Pilatus ignarus prophetiæ, cruci affigi iuſſit: Ieſus Nazarenuſ rex Iudæ-
 orum. Et hodie qui Chriſtum profitentur, ab eo Nazaraei dicuntur à plerique. Ne-
 que uocabulum ipſum myſterio uacat. Nazareth Hebræis à flore nomen habet, quod
 hic

Oſeæ. 2

Hier. 5

Deſuncto autē
Herode ecce
angelus domi-
ni apparuit in
ſomnisEt ueniens ha-
bitauit in ciui-
tate quæ uo-
catur Naza-
reth

hic è uirgine conceptus sit, purissimus ille flosculus, omnis uirginitatis consecrator: quem admodum Bethlehẽm, domum panis, sonat Hebræis, ubi proditus est ille panis cœlestis, quem qui ederet, uiuet in æternum. Hic igitur annos aliquot uiuit, uelut ignotus, cum matre & nutricio suo, cuius filius ab omnibus existimabatur, donec ad ætatem adultam progressus iam ipse sese doctrina, miraculis, morte & resurrectione mundo proderet: nulla interim re insignis, aut inter cæteros mortales eminẽs, nisi quod omni probitatis genere, donisq; cœlestibus sic indies proficiebat, ut nemo nõ magnum aliquid ab eo puero expectaret: legis etiam interim obseruantissimus, ne quam ansam daret maleuolis obtrectandi, sed per omnia satis faceret omnibus. Maluit ad tempus obseruata lege ad perfectiora perducere Iudæos, q̃ ea spreta animos illorũ ab sese alienare. Semel duntaxat specimen sui præbuit Hierosolymis annos natus duodecim, cum clam relictis parentibus, repertus est in templo in medio doctorum sedens, audiens illos, ac uicissim sic interrogans, ut omnibus esset admirationi. Iam tum uidelicet gestiebat indoles ad ea, quorum gratia missus erat in mundum: sed ut hæc erat animi prompti laus, ita moderationis & obedientiæ erat exemplum, expectare tempus à patre præscriptum.

CAP. III



Nunc opera precium est audire, quomodo tandẽ negocium hoc cuius gratia uenerat, sit aggressus dominus noster Iesus Christus. Non ex improviso semet ingessit inopinantibus. Ante per anteambulonem Ioannem Zachariæ filium, ipsis etiam Iudæis notum ac probatum, animos omnium præparari uoluit, quo sensim ac paulatim instillaretur mentibus hominum, quod semper erat credendũ. Ergo cũ appeteret tempus, quo decretũ erat æterno consilio, ut totus orbis per Christi doctrinam innouaretur, prodijt Ioannes sacerdotis ac prophetisæ filius, post ipsius Christi testimonio plus q̃ propheta iudicatus, q̃ ipso etiã exortu summam de se spẽ præbuerat: prodijt autẽ non è regũ aulis, aut è uulgato hominũ cœtu, sed ex eremo, ubi à puero uitam angelicã egerat, uictu facillimo parabiliq; contẽtus, amicũs pallio, è cameli pilis cõtexto, cinctus zona pellicea. Vestitui uictus respõdebat. Vicibat enim parabili cõmeatu, quẽ eremus suppedibat, locustis ac melle syluestri. Hic cultus, hic uictus, talis locus decebat poenitentiæ præconẽ. Cuius admirabilis sanctimonía sic omnium animos obstupescerat, ut pleriq; suspicarentur hunc esse Christũ, præsertim cũ multis esset persuasum, alterum illũ, qui Messias putabatur, in turba Bethlehemiticorũ infantium perrisse. Atqui adeo nõ uindicabat gloriam alienã, ut Christo palam omnibus demonstrato, se negaret dignum, qui calciamentorũ illius ligulas solueret. Nec is tamẽ suo pte impetu prodijt ad prædicandũ, sed uoce diuina monitus, iam adesse tempus agendi præconẽ. Siquidẽ haud quãq; fortuito, aut humana delegatione uenit ad hoc prædicandi munus, sed hic erat de quo tot ante seculis uaticinatus fuerat Esaias, & quod in eremo palam æderet prædicationis suæ uocẽ: & quod animos hominũ ad accipiendã Christi doctrinã præuius ipse præpararet: q̃d q; persuasa superioris uitę poenitentiã, redderet eos capaces gratię Christi, peccata per baptismum suũ cõdonaturi omnibus: quodq; subito mutatis rerũ uicibus, qui ante turgebant inani iusticia legis Mosaicę, stultaq; philosophia mudi huius, deriderent: & q̃ antea propter imperitiã ac modestiã humiles & abiecti uidebant, atq; inutiles, per Euangelicã doctrinam uegeti fierẽt, & opulenti bonis cœlestibus: quãq; per legis asperitatẽ difficilia uidebantur & impedita, per fidẽ & euãgelicã gratiã expedita fierent ac facilia: quodq; salus hæc nõ Iudæis tm̃, sed omnibus totius orbis nationibus aperiretur. Hæc omnia præcinnuerat Esaias, certissimus domini propheta. Vaticiniũ enim sic habet: Vox clamantis in deserto, parate uiam domini, rectas facite semitas eius. Omnis uallis implebitur, & omnis mōs & collis humiliabitur. Et erũt praua in directa, & aspera in uias planas, & uidebit omnis caro salutare dei. Iamq; rumor & aura quædam famę secreto sparsa per multos de uenturo Messia, ad hæc conscientia malorum: nam eo seculo non fuit aliud inquinatius: potestremo tacitus quidam afflatus effecerat, ut plerosq; suæ uitæ taderet, ac desiderarent illũ, cuius odor quidam ad eos utcunq; peruenerat, qui subito mortalium omne genus esset innouaturus, & abolitis peccatis, ad iusticiæ regnum uindicaturus. Quum igitur ad Ioannẽ confluerent, non solum ex urbe Hierosolymorum, uerũ etiam ex uniuersa Iudæa, præsertim hisce regionibus, quæ Iordanẽ accolebãt, occurrit & ipse Ioannes propt̃ illorũ uolũtati, & quod in eremo prædicauerat idẽ densioribus iam turbis ad Iordanis ripas inculcabat

Esaiæ 40

bat, ut se per poenitentiam uitæ superioris Messia: mox uenturo præpararent, & salutem allaturo se præberent sanabiles. Sanabilis autem est, qui morbum suum agnoscit & odit: iam enim instare adeo & in proximo esse regnum cælorum: felicissimum quidem illud & exoptabile, sed in quod non pateret aditus, nisi puris ab his terrenis sordibus. ad hanc uocem, in typum mox abolendarum animi sordium, plurimi tangebantur in flumine Iordanis, damnautes ipsi uitam priorem, ac palam agnoscetes sua commissa. Sic enim uisum sapientia: diuinæ, ut Ioannes qui erat cōfinium Mosaicæ legis iam desiturae, & Euangelicæ gratia: iam aduentantis: hoc signo præluderet, non ad abolenda peccata, quod proprie Christo seruabatur, sed ad præparandos hominum animos, quo capaciores essent beneficij mox sequuturi. Id factum est Tiberio Cæsare annum iam decimum quintum moderante Romanum imperium, Pontio Pilato huius nomine procurante Iudæam: Herode defuncti fratre, tetrarcha Galilææ, in qua cōmorabatur Christus, & huius fratre Philippo tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regiōis, Lysania Abilina: tetrarcha: sacerdotalis ordinis primas tenentibus Anna & Caïpha. Itaque Iudæarum regione in tot principes distracta, prodijt ille, qui cuncta uocaret ad unius principis ditionem. Ac primo quidē cōfluentibus ad se turbis, cū conspiceret Ioannes nō parum multos pharisæos & Saducæos uenire ad baptismum, nec ignoraret, quod hominum genus esset elatum, ferox ac sibi placens, ob insignem, ut putabant, Mosaicæ legis obseruationem, & patriarcharum merita, à quibus se gloriabant oriundos. Nam hi uelut inuidentes & insidias struētes baptismō Ioannis tam celebri, subdolam legationem ad illum miserant in Bethabaram, nam ibi tum baptizabat Ioannes, percontantes, num ipse esset Christus: si esset, mox obiecturi, quod Christus promissus esset de tribu Iuda, quā constaret Ioānem esse Leuiticæ tribus. Porro quum Ioannes ingenue fassus esset se nō esse Christum, ac ne prophetam quidem aliquem ex priscis illis, quos illi redituros in mundum suspicabantur, rogare pergunt, qua fronte per baptismum polliceretur remissionem peccatorum, quod proprie Christo seruabatur. Respondit plurimum interesse inter suum baptismum, quo tantum inuitaret ad resipiscentiā ac poenitudinem uitæ prioris, & Christi baptismum mox sequuturum, quo cōdonarent omnia peccata. Ex hoc igitur hominum genere quum multos uideret cum reliquis ad baptismum accurrere, acrioribus uerbis mordet illorum conscientias, quo magis ad poenitentiam cōpouerentur. Astutum inquit ac malicium hominum genus, planeque non hominum sed uiperarum progenies, maiorū interfectores, insidiosi, maleque mētis in omnes, quā hactenus uos apud homines sic iactaueritis titulo patrū opinione sanctimoniae probatorum, falsaque specie iusticiæ, atque ita supine regnaueritis, quasi Messias nunc quē esset uenturus, quos uos submonuit, instare supplicium inuitabile, nisi ad poenitentia: remedium cum cæteris confugissetis, ut nunc cū his cupiatis baptizari ueluti peccatores inter quos admirabile quandā sanctimoniae speciem præ uobis ferebatis. Sensistis inanē fore fiduciā uestrā, nō iam imminenti diuinæ ultioni uos subduxissetis suffugio poenitentia: Neque enim patrū merita, neque legis obseruatio liberat ab æterno supplicio, sed sua quæque uitæ sinceritas cōmendat deo. Postea quē igit poenitet uos uitæ prioris, post hac sic fructificate pijs affectibus & factis, ut testetur uos uere resipuisse. Hactenus ob crassitudinem hominum, non nihil indultum est figuris & umbris, ut his cancellis circumsepta mortalium ad mala procliuitas coaceretur, ne possit in deteriora prolabi: hactenus dilatatis phylacterijs, in longum productis precibus, lotionibus, crebra mentione patris Abraham sanctissimi patriarchæ, extruendis monumentis prophetarum, quorum posterius uultis uideri, parastis uobis apud homines aliquam sanctimoniae speciem. Post hac quoniam ad lucem Euangelicam euanescent umbræ, ueris agendum erit, si uelitis assequi salutem æternam. Pro pristinis peccatis iam nō exigitur à uobis holocaustum, aut sanguis percudis, tantum adsit poenitentia non fucata, culpam ipse gratis condonabit. Porro qui sunt fructus ueræ poenitentia:, Messias ipse uos docebit, si dociles repererit. Interim ponite uanam fiduciam, neque uobis ipsis sic blandiamini: sancti sumus, è sancto patre prognati Abraham. Abraham iustus nihil proderit ex se prognatis, nisi laudatam illius fidem & obedientiam imitetur. Abraham promissa est benedictio, quæ nunc instat. Sed ad hanc obtinendam, non satis est generis quamlibet arcta propinquitas. Quicumque diffisi deo mundi huius præsidijs nituntur, exciderunt à cognatione Abraham. Et post hac Abraham posterius, non è sanguinis affinitate, sed è fidei sinceritate censebuntur. Nec ideo desiderabit deus

*Confitentes
peccata*

Progenies uiperarum

*Filius sumus
Abraham*

Iam enim securis ad radicem arboris posita est

Ego quidem baptizo vos

deus posteritatem Abraham, cui promissam benedictionem persequat, si uos ab Abraham moribus desciveritis. Imò illud habere certum, si uos neglexeritis oblatam gratiam, deum uel ex hisce lapidibus posse suscitare filios suo amico Abraham uobis longe potiores. Nec est quod hactenus dilatus Messias aduentus uos reddat negligentes. Nam nunc urget extremum periculum, in acie nouaculae res omnis sita est. Aut synceris animis adeundum est regnum coelorum, aut accipiendum supplicium aeternum. Adest praesens salus amplectentibus: adest poena praesens & exitium immedicabile respuentibus. Iam enim securis admota est arbori, non ramis aut trunco, sed radicibus, funditus & irreparabili uulnere succisura, nisi foetus deo dignos produxerit. Discrimen imminens & urgens, nullam admittit cessationem. Properandum est amputatis omnibus remoris. Adhuc uobis in manu est, utrum uelitis amplecti. Non feriet securis, si uos subito mentem mutaueritis. In arbore naturali longum ac difficillimum est mutare succum, unde foetus saporem ducat. Hic sola uoluntate res peracta est. Sed ut accelerantibus communis est salus, ita cessantibus commune est periculum. Neminem neque opes, neque generis nobilitas, neque sapientia liberabit posthac, quemadmodum hactenus sibi plerique persuaserant. Omnis arbor quae non attulerit fructum, non dico qualemcunque, sed insigniter bonum ac dignum regno coelorum, exciditur, & in ignem conijcitur. Hactenus tulit deus ac dissimulauit segnicie hominum. error & ignorantia non nihil ueniae promerebantur. Ad naturae legem obsurdue rat genus humanum. Moyse lege non ita multum est profectum. Contemptae sunt prophetarum minae, non audita sunt somnia. Nunc is adest post quem nemo mittendus est. Cuius aduentus ne quem opprimat, ego praenuncius sum. Si uos uestri poenituerit, si morbum agnoueritis, si medicum ardentibus uotis exceperitis: aderit ille uobis omnibus salutaris. Nec enim ipse sum ille quem expectatis. Baptizo quidem uos, sed in hoc tantum, ut resipiscentes, illi uos praebeatis dociles, ac sanabiles ubi uenerit. Mox enim aderit, imò iam adest, qui ut me posterior est in ordine praedicandi, ita tanto me est modis omnibus superior, ut ego quem uos aliquid esse creditis, prorsus indignus sim, qui mancipium apud illum agam, hoc est, ut uel calciamenta illi basilem, aut calciamentorum corrigiam soluam. Ego nihil aliud sum quam praeco, fidelis quidem, & officio fungens, quod mihi iuxta prophetarum uaticinium deus iniunxit. Ille autem est, & omnem potestatem secum adfert, seu peccata condonandi, seu uirtutum omne genus conferendi. Ad illius doctrinam, ad illius baptismum omnes accurrite, siquidem ille uos baptizabit efficaci baptismo, non aqua tantum, sed spiritu & igni. Spiritu uos transformabit, igni rapiet ad coelestia. A uobis nihil exiget nisi synceram, minimeque fucatam poenitudinem. Gratis uobis conferet sua bona, si uobis ex animo displicuerint uestra mala. Tantum absit fucus, apud illum nihil ualiturus. Nihil illum latet, neminem metuit. Seuero & ineuitabili iudicio res agetur. Posthac nihil erit medium: aut ingenue boni sitis oportet, aut ingenue mali. Nihil ille morabitur personatae simulationis. Habet uentilabrum in manu sua, perspicit etiam intimos recessus animorum. Apud hunc autem paleae sitis, oportet, aut purum triticum. Sed interim utrum esse uelitis, uobis partim in manu esse uoluit. Frustra latebunt inter syncera grana permixtae paleae. Exacte purgabit ille aream suam, ac triticum recondet in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Aut igitur toto pectore conandum est ad summam uirtutem, ut mereamini recipi in regnum aeternum: aut si dei bonitatem, quae nunc offertur, aspernati fueritis, hoc ipso pessimi sitis oportet, quod tantam salutem ultro delatam rejicitis, meritoque uestro, pro coelesti premio, aeternis gehennae incendijs addicamini. His sanctissimi uiri uocibus adeo commoti sunt populares animi, ut complures qui hactenus legis obseruatione nixi fuerant, metu trepidi uenerint ad eum, dicentes: Si res sic habet quid igitur censes nobis faciendum? At ille eos non ad legis ceremonias & hominum constitutiones, quemadmodum solent pharisaei, sed ad officia charitatis hortabatur: dicens: Prima uia placandi deum, est beneficentia gratuita in proximum. Qui uestitu abundat, impartiat nu- do, qui cibis abundat, communicet famelico. Accedebant & publicani, quod hominum genus abominantur Iudaei, quod ferè uel in gratiam principum, uel ad explendam auaritiam suam, populum expilare soleant. Rogati pauidi quid sibi censeat agendum. Nec hos ille rejicit à baptismo: nec his rursus indicit ut sua largirentur, quibus iam diu solenne erat aliena rapere: sed ut aliquo gradu propius accederent ad perfectam Christi doctrinam,

edicit

edicit nequid exigant à populo, præter id quod à principe præscriptum sit. Denique uenerunt & milites, uolentum & infame genus hominum. Nec hos à se submouet, satis ipsa re loquens Iudæis, Christum nullum omnino genus hominum aspernaturum. Nihil hi confitentur, siquidem hoc ipsum militem profiteri, est malorum lernam confiteri. Rogant quid sibi quoque det consilij. At ille tam rudes magis docet, quid sit uitandum, quo minus essent mali, quàm quid agendum, ut fierent absolute boni. Ne abutamini, inquit, armis uestris, quæ non nisi in hostes, idque imperatoris iussu mouenda sunt: ne quem per uim pulsetis, aut concutiat, quum in hoc conducti sitis, ut uestra opera sit tranquilla prouincia: ne abutamini uestra cum præsidibus familiaritate, falso quempiam deferentes per calumniam, ut hinc turpe lucrum ad uos redeat. Postremo contenti stipendijs uestris, neminem fraudetis aut spolietis. Siquidem in hoc dantur à principe salaria, ne sit aliena rapiendi necessitas. Sic ille leuioribus præceptis, ut erat cuiusque capacitas, omnes Christo uenturo præparabat, spiritu præuidens Christum, quem oculis corporeis nondum uiderat. Itaque rumore uarijs modis per angelos, per pastores, per magos, per Herodis crudelem sollicitudinem, per Zachariæ prophetiam, per Simeonem, per Annam, paulatim & clanculū, sed multo maxime per apertum summaque cum autoritate coniunctum Ioannis patrociniū iam late sparso, indiesque gliscente; sic ut mali quoque metu territi, sese ad denunciatum Christi aduentum componerent, nimirum tempus erat ut ipse prodiret in theatrum mundi, non iam alieno testimonio, sed suis ipsius uirtutibus sese declaraturus, qualis & quantus esset, & obscuraturus omnes homines, quorum testimonio fuerat ante commendatus. Reliquit igitur Iesus Galilæam, in qua hæcenus latuerat, & patris negocium acturus, matrem deferit Nazareth, ad Iordanem properat, ubi confertissimam turbam è diuersis Iudææ regionibus conflata testem haberet eorum quæ dicerentur, ac gererentur. Per medias peccatorum turmas, is qui solus omnium nulla peccati labe cōtactus fuerat, imò qui solus tolleretur peccata mundi, uelut peccator adit Ioannem: baptismum ab illo flagitat, qui solus baptismum omnem sanctificat. Ioannes nondum plane certus, quod Iesus esset summus ille Messias filius dei, sed tamen admirabilem probitatē, ipsis oculis, totoque uultu & incessu sese exerentem animaduertens, excusat præposterum officium, nullo interrim certo elogio dignitatem illius honorans. Tantum inquit, par erat, ut ego qui tuis uirtutibus longe sum inferior, abs te baptismum flagitarem. Et unde factum est ut te ipsum usque adeo demittas, ut à metingi postules, cum nemo purior ab omnibus peccatis? Hæc ita gesta sunt dispensante deo, ut & admirabilis Christi modestiæ nobis pararetur exemplum, & Ioannis testimonio constaret omnibus, Christum haud quaquā ullius mali sibi consciū postulasse baptismum. Sic enim baptizatus est, ut circumcissus, ut purificatus in templo cum matre, ut flagellatus, ut crucifixus. Nobis hæc omnia passus est, non sibi. Proinde cum Ioannes constanter testificans suam indignitatem, Iesuque dignitatem efferens, recusaret baptistæ officium: Christus nulla quidem suspitione sinistra polluit innocentiam suam, quam omnibus notam ac persuasam esse oportuit. Huius, inquit, negocij partes suum quæque tempus habent. Tu patere interim, ut abs te baptismum impetrem, ne putes indecorum tibi, si tingas te, ut ais, meliorem. Mihi certe decorum est, ut qui omnes ad me pertrahere cupio, omnem impleam iusticiam. Etenim qui docet omnes, & qui perfecta docet, eum non oportet committere, ut aliqua uel minima iniusticiæ species in ipsius moribus hæreat. Omnibus omnia fiam oportet, ut omnes patri lucrificiam. His auditis Ioannes cum Iesu descendit in Iordanem, ac tinxit eum. Ac species quidem exemplum habet salutare in Christo modestiæ, in Ioanne obedientiæ, cæterum res atque effectus planè præpostere cessit. Siquidem nos consecrat baptismus, ille baptismum consecrauit sacro sui corporis contactu. Simul autem ut ostenderet quid nobis agendum esset à baptismo, & quanta felicitas daretur per baptismum, Iesus alacer & properans ueluti deposita peccatorum sarcina, egressus ab aqua, docens in lotionibus non esse cōmorandum, nec ad eas subinde redeundum, iteratis peccatis, sed semel abiectis ac sepultis in baptismo commissis uitæ prioris, ad spiritualis uitæ munia festinandum: compositis genibus, & sublati in cœlum manibus deprecatus est patrem, ut hoc negocium seruandi genus humanum, quod aggrediretur, omnibus felix ac faustum esse uellet, isque sua paterna autoritate commendaret filium suum orbi, ne parum grauis esset Ioannis autoritas: quanquā hoc quoque pro

Tunc uenit Iesus à Galilea in Iordanem

Sic nos docet implere omnem iusticiam

Baptizatus autem Iesus

tempore profuit crassis ac rudibus. Et ecce palam teste tanta hominū multitudine, pater, asseruit auctoritatem filio suo. Coeli diffusi, prodigiosam quandam lucē ostenderunt, Quin & Ioannes cōspexit spiritum coelestē, uisibili specie columbæ, delabi ē cœlo, & sacro illi us uertici insidentē. Vnde columba uenerat, oculis cōspicua, inde uenit & uox paterna, auribus omniū insonans. Hic inquit, est ille filius meus unice dilectus, delīcium animi mei, & in quo mihi singulariter placeo; ipsum audite meæ mentis interpretē, & meæ bonitatis erga uos dispensatorē. Quoniam autem Iesus id temporis adhuc ignotus erat multitudinī, quæ de Ioanne magnifice sentiebat, ne uox quæ ē sublimi missa, neminem certo designabat sensibus, putaretur ad Ioannem pertinere: idcirco additum est coelestis columbæ uisibile signum, quæ capiti insidens ceu digito demonstraret omnibus, ad quem ea uox pertineret. Quo quidem signo & ipse Ioannes, iam plene certoq; monitus est, illum esse filium dei. Quod post palam testificatus est, hoc signum & ante sibi promissum à patre fuisse, quo citra dubitationem, in tanta hominum turba dignosceret illum, qui baptizaturus esset omnes spiritu & igni. Atq; his ceremoniis dominus Iesus, declaratus & consecratus est magister noster, cuius Theologiam quisquis sequetur, is uere beatus erit.

CAP. IIII



Cne his quidē iactis exordijs statim profilit ad prædicandū, licet cœlitus auctoritate tradita, sed subito à turbarū oculis subducit sese in solitudinē, quod secessus à populi cōmercio, & auget auctoritatē, & acuit desiderium. Eos aut potissimum aggreditur spiritus ille instigator malorū, qui relictis mundi cupiditatibus, purā ac coelestē uitā meditatur. Hoc igit tacite nos docens Iesus, petit solitudinē. Idq; facit nō hortatu cuiusquā, sed suo ipsius spiritu. Nam qui baptizatus est, iam exuit affectus carnales, & factus regeneratione spiritualis, spiritus sancti ducit & agitur arbitrio. Non meminit Bethlehem, nō repetit Nazareth, non redit ad matrē aut nutritiū, sed impetu raptuq; spiritus, ueterū prophetarū exēplo, nemorū deserta petit. V egetat animū tyronis Christiani secessus, & aliquoties tutius est se feris cōmittere, q̃ hominibus. Baptismus aufert omnia delicta uitæ superioris, sed ob hoc nemo tutus est ab insidijs satanæ, qui socorditer agit. Alioqui prauæ cupiditates meditatur repullulascere, præsertim in rudibus, & nuper initiatis Christo: & improbus ille satanas, tam inuidus humanæ salutis, quā Christus est auidus, miris cuniculis & insidijs sollicitat ad defectionē, ut maiore tyrannide possideat relapsū, quā antea possederat suū. Aduersus hæc pericula Christus demonstrat tribus potissimum rebus occurrendū, crebris ac puris precationibus, fuga turbæ, fuga luxus, & abstinentiæ, nō sine diligenti meditatione diuinarū scripturarum ne perniciē adferat ignaua solitudo. Et quoniā arduam hāc & angelicā uitam morientibus potissimum diabolus solet insidias struere, Christus ipse uelut optimus doctor progressus in palæstram, suos athletas docuit, quibus modis superādus sit ille maliciosus, callidus ueterator, quāq; nihil possit aduersus sobrios ac uigilantes, totoq; pectore fidentes scripturis diuinis. Quin & hoc interim agebat dominus Iesus, ut ita paulatim hoc mysterium innotesceret mundo, ut satanas quī nō ob aliud certū scire cupiebat, num hic esset filius dei, quē audierat hoc titulo à patre honoratū, nisi ut redemptionē humani generis impediret, sic in ancipiti teneret, ut non ante certo nosset hunc esse Messiam, q̃ suā tyrannidem subuersam cerneret. Simul & illud nos cōmonefacit Christus, neminē idoneū ad euangelicā prædicationem, nisi qui iam sui periculo facto, firmus sit & ualidus aduersus omnes mundanas cupiditates, luxū, & huius comites, libidinem, ambitionē, auariciam, & his consimiles animi morbos: quibus hostis simpliciū animos, uelut arietibus pulsatur quatitq;. Cū igitur Christus inediā ad quadragesimū usq; diē produxisset, Heliam, ac Moſen referens, quod sic erat supra uires humanas, ut tamen ab hominibus factū Iudæi crederent: tandem ut manifestā humanæ imbecillitatis speciem daret, non dissimulauit se famis molestiā sentire. Siquidem iuxta cōmunem humani corporis naturā, humoris inopia stomachū molesto sensu cruciabat. Id ubi sensit insidiosus ille tentator, ac iam propē nihil aliud quā hominem suspicans, licet admirabilem: hamum proijcit inanīs gloriæ illecebra inescatū, quod hinc maxime capiuntur, qui uidentur ad summa tendere. Si filius, inquit, es dei, quid opus est te fame cruciari? Dic potius, ut hi lapides tibi uertantur in panes. Nutu tibi potes præstare quod desideras. Agnoscas eundem esse captatorem, qui primum

Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus post esuriijt

primum illa Adam esca lenocinio pellexit in mortem: sed posterior Adam spiritu coelestis, dolo sum insidiator sic elusit Christus, ut nec nomē filij dei recusaret, nec se fame uinciposse, ut hominē quemlibet demonstraret. Etenim ne sibi uindicaret autoritatē respon-
 si, notissimā illi scripturam objicit: Scriptum est, inquit, in Deuteronomio: Non ex solo pane uiſciturus est homo, sed ex omni sermone qui proficiſcitur ex ore dei. Elusus ancipiti
 responso, ita & ipse sacrae scripturae uerbis abutitur ad laedendum: Et quēadmodum prin-
 cipē humani generis parentem, ambitionis esca deceperat, pollicens illi æqualē cum dijs
 honorē & immortalitatē: similī machina dominū impetens, sustulit illum diabolus in san-
 ctam ciuitatē, & impositum summo templi pinnaculo, hortatus est, ut si uere filius dei es-
 set, & sublimi se praeſcipitē daret, id illi impune fore, quandoquidē ita promiſiſſet ipse deus
 in psalmo mystico: Angelis suis mandaturus est de te, & in manibus tollēt te, ne forte of-
 fendas ad lapidē pedem tuū. At dominus Iesus opposita scriptura tacite docet, q̄ ille per
 uerse torqueret sacrae scripturae sensum: E diuerso, inquit, scriptū est in Deuteronomio:
 Non tentabis dominū deum tuum. Siquidem ad hoc hortatur scriptura, ut in necessitati-
 bus ingruentibus bene speremus, auxilio diuino freti, nō, ut temere nosmetipsos in peri-
 culū praeſcipitemus. Piorū miracula nō probantur accersendis periculis, sed depellendis
 quae aliunde acciderint. Nec enim piū est quenquā in flumen praeſcipitare, ut eo liberato
 uir magnus appareas, sed eū qui casu delapsus sit eripere. Nec quauis de causa, nec apud
 quosuis sunt ædenda miracula. Apud Herodē cupidum harū rerum ne loqui quidem di-
 gnatus est Iesus, tantum abest ut in gratiā satanae uirtutis diuinæ specimen ædere uoluerit.
 Quoties id suadet afflata charitas, quoties id postulat gloria dei: tum exerenda est uis nu-
 minis. Itā quo suos doceret Christus, ne post unā aut alteram uictoriā securitatē se traderēt,
 sed semper in excubijs agentes, sese praeberent paratos ad omnes satanae assaultus, tertio
 passus est tentatoris improbitatē: qui sicuti priorem illū Adam ceperat esca curiositatis &
 avaritiæ pollicens illi boni maliq; scientiā, & posteriorem aggredit, & à templi pinnaculo
 sublatū, in montem quendā uehementer aditū abduxit, unde liber undiq; & late patens
 prospectus subijceret oculis omnia regna mundi, & admirandā cuiusq; gloriā strepitūq;
 Nimirum expertus erat, in ceteris hominibus nihil esse tā impium, ac nefariū, quod impe-
 rij causa nō auderent. Porro cū deus sit omnium rerū autor & cōditor, quae in coelis sunt
 ac terris, nec in his ullū ius habeat diabolus, nisi si quid ab ipso uitiatū est, tamen perinde
 quasi dominus omnium, sic audeat improbus loqui Christo: Hæc omnia tibi dabo si proci-
 dens adoraueris me. O cæcam impietate, pollicet aliena, & prætium petit sceleratus spi-
 ritus, soli deo cōgruens. At Iesus qui hæcenus suā contumeliā moderate tulit, non fert
 patris ignominia. Abi, inquit, satana, longe aliud docet diuina scriptura, q̄ tu suades. Illa
 ait: Dominum deū tuum adorabis, & illi soli seruiēs. His atq; alijs modis quum tentasset
 eum diabolus, semper expertus athletā inuictum aduersus omnes machinas, tandē reli-
 quit eum, bis sua spe frustratus: primum quod sensisset insuperabilē, deinde quod quum
 expiscatum uenisset, num esset filius dei, aliquanto incertior dimitteretur, quā uenerat.
 Hunc conflictum tametsi deo duntaxat & angelis testibus gestum, post suis ignotum esse
 noluit dominus Iesus, ne nesciremus cum q̄ improbo hoste nobis res esset, & quibus au-
 toramentis ille sollicitaret incautos animos, nō ut desperaremus, sed ut uigilaremus. Vicit
 illum Christus, ut nobis ostenderet uinci posse, & uincendī rationē docuit. Deniq; nobis
 uicit nō sibi, per nos eundē uicturus, si modo promerebimur illum nobis habere præsē-
 tem. Audiet & à Christo per nos, abi satana, metuetq; famulos eius, à quo uictus est. Por-
 ro quēadmodum in humana militia uices rerum sunt, & labores ocio, dura iucundis re-
 creantur, & post diros cōflictus celebrant epinicia: ita in Christi militia semper aspera læ-
 torum uicissitudine mitigantur. Post toleratā impuri spiritus improbitatē mox adſunt an-
 geli & Christo uictori subseruiunt. Hæc uidelicet rerū imago nos docet, ut in rebus tristi-
 bus spe latorum fulciamus animum, dei bonitate freti, qui sic moderatur omnia, ut uicis-
 sim & rebus asperis exerceat, probetq; militum suorum fortitudinem, & rursus solatio
 quopiam inuiter ad gratulationē, & gratiarum actionem, qui Christianorum triumphus
 est, qui & in afflictionibus inuicti sunt præsidio dei, & si quid prosperitatis affulserit, id to-
 tum ascribunt bonitati munificentiaeq; diuinæ. Ita fit, ut nec saeuiente fortuna deijciantur
 animo, nec rebus prosperioribus insoleſcant. Cum igitur Christo satis esset conciliatum

Deut. 8

Psal. 90

Deut. 6

Et ecce ange-
li acceſſerunt
& ministras-
bant ei

Audiens autē autoritatis & opīnionis, præsertim quum Ioannes illum ueluti tradens & commendans
Iesus quod Io suis discipulis, digito demonstraret ac diceret: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mun
annes tradi di: quum superato diabolo, totus afflatus esset spiritu sancto, nihil restabat, nisi ut auspi
cus esset candæ prædicationi tempus ac locus sumeretur. Ioannes nullum ædiderat miraculum, so
 la poenitentia prædicatione cōtentus: Christus illo prædicante siluit, ne quid dissidij na
 sceretur inter utriusq; discipulos, ut adhuc erant rudes, & carnem sapientes, humanis affe
 ctibus obnoxij. Porro boni doctoris est, sese ad captum eorum quos instituit, demittere.
 Verum tum demū aggreditur docendi negocium, ubi rumor uulgasset, Ioannē ab Hero
 de tetrarcha fuisse coniectum in uincula, nimirū ferentē præmium quod solent, qui apud
 huius mundi principes audent liberius admonere, maluntq; salutaria dicere, quàm iucun
 da. Admonuerat enim tetrarcham de incesto cōiugio, quo sibi Philippi fratris uxore ad
 iunctam habebat. Et gaudent nonnunquā etiam malī principes habere domi uiros insi
 gni probitatis opinione celebres, & cōmendatos, nō ut horum cōsilijs obrēperent, sed ut
 quod agunt ex animo suo, ex horum cōsilijs agere uideantur apud ignarā plebem. Atque
 in alijs quidem rebus leuioribus frequenter illius monitis paruerat, hic ubi præcipue con
 ueniebat obrēperare, ad impuræ saltatriculæ libidinem, & turpissimæ matris affectum, ui
 rum optimum in carcerē detruserat, ac deinde crudelissima nece tantū uiri, cōuiuium suū
 natalicium, & procerum suorum oculos funestauit. Hoc igitur quum audisset Iesus, non
 quod metueret ipse, sed uti doceret suos, nō esse ultro accersendum periculum si liceat ui
 tare cōmode, sed quoties oppressit fortiter esse negligendum: relicta Nazareth, secessit in
 Galilæam gentium, in qua Solomon uiginti quinque ciuitates donauit Hiræ regi Tyriorū:
 & contulit se in ciuitatem Capernaum, ob hoc dictam maritimā, quod finitima sit stagno
 Genazareth, in finibus Zabulon, & Neptalim, uidelicet duarū tribuum, in quarum prio
 re est Galilæa, in altera Galilæa gentium cognominata: Christo iam tum sub hac imagine,
 ceu minitāte fore, ut Iudæis respuentibus & affligentibus Euangelij præcones, ad gentes
 Euangelium deferretur. Ac ne quis hoc fortuito sic usu uenisse putet, sic fore iā olim præ
Esaiæ 9 dixerat Esaias, quum fatidico afflatus spiritu caneret: In terra Zabulon & terra Nepta
 lim, quæ finitima est littori marino, in Galilæa quæ dicitur gentium, populus qui antehac
 habitabat in tenebris, uidit lucem magnam & admirabilem: & ihs, qui ante uersabantur in
 densissima caligine, qualis est apud inferos, exorta lux est. Itaq; quod ad tempus attinet,
 ubi desijt Ioannes, incipit Christus. Siquidem ad Euangelij clarissimam lucem, euane
 scunt umbræ legis Mosalæ. Hoc quod attinet ad legis typos & expressam Euangelio ue
 ritatem: ceterum quod ad locum pertinet, ad primam afflictionem sancti præconis, ad
 gentium nomen itur, & lux quam Iudæi, cupiditatibus excæcati ferre non poterant, ad
 gentes idololatrias demigratura pingitur, sed sic ut à confinio nō recedatur, ut utrinq; pos
 sit audiri tuba uocis Euangelicæ. Quanquam & alioqui non inutile theatrum erat ea re
 gio, propter commoditatem portuum, & aliquot celebres ciuitates, in littore sitas, quæ ob
 commercia negociationum à longinquis etiam frequentabantur. Nunc exordium præ
Exinde cœpit dicationis audiamus. Vt Ioanni successit, ne ab se alienaret quos illius admiratio iam to
Iesus prædica tos occuparat, à nota & familiari illius doctrina rem auspicatur, lactans interim infirmos,
re ut post solidum illis cibum proferat iam firmioribus. Hic nimirum est ordo doctorum,
 qui malunt prodesse auditoribus, quàm semet apud alios ostentare. Est autem Christi præ
 dicatio nō solum mitior quàm Ioannis, nulla enim hic securis aut uentilabri aut ignis nun
 quam extinguendi mentio, uerum multis beneficijs in omnes citra discrimen accurren
 tes commendata. Clamat igitur & Iesus, ueluti Ioannem referens: Resipiscite, poeniteat
 uos uitæ prioris. Iam enim instat regnum cœlorum, quod cum nulli sit claudendum, nul
 lis tamen patebit, nisi puris, & cœlestia quærentibus, & quicquid est terrenarum cupidi
 tatum amputantibus. Quid hac philosophia simplicius? Sua cuiq; mala displiceant, & gra
 tis adsunt omnibus bona cœlestia. Iam uero tempus erat, ut ipse quoq; Iesus chorū ali
 quem discipulorum colligeret, quos familiares haberet testes omnium quæ faceret ac di
 ceret, & per quos alios deinceps doceret. Sed aduerte quales sibi delegerit, non philoso
 phos, non phariseos, non sacerdotes, non opulentos. Noluī enim euangelij gloriam ul
 lis mundi præsidijs inquinari. Sed quum ambularet iuxta lacum, quem diximus esse in
 confinio utriusq; Galilææ, conspexit duos fratres germanos, quorum alteri nomen erat
 Simon

Simon, qui idem dictus est Petrus, alteri nomen Andreas: patri nomen erat Ioannes. Hi prius audito Ioanne, eius hortatu sequi cœperunt Iesum. Sed utroq; relicto redierant ad artem, qua soliti sunt sibi parare cibum. Iamq; satagebāt in suo negotio, mittentes rete in lacum. Ominis erat boni, primum iuuentus nouæ doctrinæ capacior, deinde fratrum cōcordia sese mutuo studio iuuantium: ad hæc ars innoxia, è publico lacu tenuem uicium parans: deniq; piscatio ipsa nouæ piscationis admonebat, non quæ lineis textis captaret pisces in cibum uentris, sed quæ reti sermonis Euangelici captaret homines immerfos terrenis curis ad desiderium uitæ cœlestis. Itaq; corporis intentos necessitati Iesus interpellans, me inquit sequamini & à me discetis artem, certe meliorem quàm à patre didicistis. Nec artem tamen deferetis, sed in melius commutabitis, siquidem efficiam posthac ut sitis piscatores hominum: ut qui nunc pisciculis insidiamini in perniciem, homines capiat in salutem æternam. Agnouerunt uocem eius cui aliquando crediderant, & cuius humanitatem domestico colloquio fuerant experti, sed addita uoci energia perfecit, ut protinus ad uocem uocantis, non solum obliuiscerentur piscium, uerum etiā retia ut erant relinquerent inibi, ac ne domesticis quidem salutatis, Iesum, ut illic ambulabat, sequerentur. Nihil adhuc præclari uiderant in Iesu, & tamen nihil contati, nec solliciti unde uictus in posterum suppeteret, simplici uerbo uocanti sese adiungunt comites, ne morte quidem diuellendi. hinc aliquantulum progressus Iesus, conspicatus est alios duos fratres, Iacobum & Ioannem filios Zebedæi. Magis etiam placuit fratrum & patris concordia. Omnes eadem habebat scapha, rem eandem molientes, nimirum quod Petrus & Andreas. Sed his in mora erant rupta longo usu retia, tenuitatis argumentum. In his igitur reconcinnandis ac fariendis uehementer intentos, interpellauit Iesus, uelut obiter præteriens, iussitq; uti sese sequerentur. Nec mora, simplicissimæ fiduciæ iuuenes, ilico relictis retibus, ac ne patris quidem memores, Iesu comitatu sese adiungunt. Sic illos formauerat Ioannis prædicatio, sic merebatur animi promptitudo, sic illos attraxit afflatus Christi, qui totus spirabat cœleste numen, quo plenus erat. Videtis exordia nostræ philosophiæ, per quam uisum est deo seruare genus humanum uniuersum. Videtis pompam ac strepitum Euangelicæ scholæ. Pauculis hisce piscatoribus, idiotis, plebeis, & pauperculis, comitatus pauper ipse Iesus obambulabat per totam Galilæam, non iam in angulis aut in deserto, sed in frequentibus illorum synagogis, prædicans & annuncians adesse iam olim promissum regnum cœlorum, non territans metu gehennæ, quemadmodum fecerat Ioannes, sed beneficijs gratuitis inuitans, & alliciens omnes. Etenim quocunque sese conferebat, gratis & citra discrimen medebatur omnibus omnium morbis: neq; repellens quemquam quamlibet humilem ac plebeum, & eadem facilitate profligans omnem morbum quantumuis insanabilem: quo simul & miraculis potentiam suam declararet, humana maiorem, & beneficentia gratuita sibi conciliaret amorem omnium. Libentius enim illi credimus, quem amamus. Porro beneficijs conciliantur & feræ. Nullum autem beneficium diuinius, quàm gratis restitutæ sanitatis. His rebus factum est, ut rumore per omnem Syriam sparso, plures etiam è longinquo deportarent suos, uarijs morbis & cruciatibus obnoxios, ad hæc dæmoniacos, lunaticos & paralyticos, quos medici ferè aut non suscipiunt curandos, aut frustra curare solent: nimirum artem superante malo. At Iesus non humanis pharmacis sed uirtute cœlesti, qua poterat & mortuos excitare, nullo negotio sanabat omnes. Parum erat illi tollere morbos corporum, qui tollebat morbos animorū. Minimum erat illi remorari uitam corporis, qui uenerat omnibus largiturus uitam æternam. Confluxit igitur hinc atq; hinc ingens hominum turba, non solum è Galilæa gentium, in qua uersabatur, uerum etiam ex altera Galilæa, quæ erat ultra lacum, & regione quæ ob decem ciuitates, quas complectitur, Decapolis dicta est. Item ex Hierosolymis, reliquæq; Iudæa, ac locis ultra Iordanem sitis. Ad beneficium affluunt omnes quib; est opus. Nouitatis admiratione pleriq; ducuntur. Nonnullos trahebat liuor, & insidiandi libido. Omnes quod quidem in ipso est attrahit Iesus, sed pauci sunt idonei cœlesti philosophiæ, cuius tradendæ gratia potissimum uenerat. Populum cura corporis mouet, qui gaudet nouis spectaculis oculos pascere. Sed huiusmodi theatro non admodum delectatur is qui perfecta quærit, longeq; semota ab ætibus popularibus.

Venite post
me & facio
am uos

Et circuibat
Iesus totam
Galilæam

Videns autem
Iesus turbas



Beati pau/
peres spiritu

Beati mites

Iesus igitur conspiciens turbam in dies magis ac magis densari, promiscuis hominum generibus, ueluti subducit sese ab humili loco, qui facile patebat quibuslibet: ac monte conscenso, iam coelestis philosophiae doctorem agere coepit, ipsa loci celsitudine declarans, se nihil plebeium aut humile traditurum, sed ardua coelestiaque omnia: simul Moysi referens exemplum, qui legem proditurus populo montem ascendisse legitur. Ascendentem secuti sunt discipuli, quos sibi peculiariter delegerat, sic tamen ut turba non sit prohibita sequi, si quibus tantum ardoris ac roboris adfuisset. Itaque superato montis fastigio, consedit Iesus, non uti fessus, sed uelut ardua quaedam magisque seria docturus, quae attentum auditorem requirerent. Id ubi sensere discipuli, propius illum cinxerunt, ne quid illius sacrae doctrinae posset effluere. Iesus igitur non ex Iarcae aureo folio, aut supercilioso philosophorum pulpito, aut arroganti pharisaeorum cathedra, sed ex herbido thoro, diuinam ac salutiferam illam suam philosophiam auspicaturus, uertit oculos non in turbam, sed in discipulos: & aperto sacro ore suo, Euangelicae doctrinae nondum audita dogmata coepit depromere, plurimum abhorrentia ab omnium opinione, qui mundo uidentur admodum sapere. Beatitudinem pollicentur omnes, qui se doctores sapientiae profitentur. Beatitudinem expetunt omnes cuiuscunque status sunt aut conditionis. Sed quibus in rebus sita sit hominis felicitas, hinc multa inter philosophos controuersia, multus in uita mortalium error. Hic quoniam scopus est, & fundamentum totius sapientiae, primum id explicat Iesus, paradoxa docens, sed uerissima. & ideo miraculis praestruxit fidem sermoni incredibili, ut qui uirtutem ipsius experti essent efficacem in sanandis corporum morbis, confiderent & doctrinam esse ueracem, qua mederetur morbis animorum. Haec tum audierunt discipuli pauci, & beatitudinem sunt amplexi. Audiant omnes, nam omnibus locutus est, & omnes reddentur felices. Ex falsis opinionibus oriuntur omnia peccata uitae. His igitur eximendis ante omnia studendum est. Quoniam perniciosissimus animorum morbus est ferocitas & arrogantia, quae non sinit hominem esse capacem uerae doctrinae: imo fons est unde fere scaturit quicquid est capitalium uiciorum: huic primum medetur Iesus: Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam eorum est regnum coelorum. Quorum aures tulissent uocem tam inopinabilem, nisi post tot testimonia Ioannis, patris, columbae, postremo praesentibus signis fuisset autoritas commendata, & conciliata fides. Multos rei familiaris tenuitas, generis humilitas, conditionis obscuritas, fortunae aduersitas reddit abiectos & humiles sibi, displicentes. Sunt hi quidem uicinosiores Euangelicae beatitudini, si quod uocat fortuna, sequantur animo. Verum haec spirituum humilitas in affectu sita est, non in rebus extrinsecis. Sed unde regnum huic, qui nihil arrogat sibi, qui cedit omnibus, qui sibi displicet, qui neminem protrudit aut laedit? Is enim propior asininiae seruituti uidetur quam regno. Hoc hominum genus ubique conculcatur, laeditur impune, uiuit abiectum & obscurum, egens ac destitutum. At qui uerum est quod dixit ueritas, horum tantum est regnum, sed coelorum. An tu regnare putas istos feroces ac uiolentos? Seruitutem seruiunt, multos patiuntur tyrannos. Discruciantur avaricia, ira, liuore, cupiditate uindictae, metu, spe. Vix uiuunt, tantum abest ut regnent. At qui liber est his curis omnibus, fretus innocentia sua, fretus deo, fretus praemijs futuri seculi, tranquillo pectore contemnit ea, quae sunt huius mundi, & sequitur bona coelestia: nonne regnum obtinet longe pulchrius ac magnificentius regno tyrannorum? Non huic imperat libido, non avaricia, non liuor, non ira, non caeterae pestes animorum. Et armatus fide quoties res postulat imperat morbis & fugiunt: imperat undis & conuiescunt: imperat daemonibus, & emigrant. Tam potens est regnum animi, sibi diffidentis, ac deo fidentis, humanis diffusi praesidijs, & ex coelo pendentis. Non diadema, non unguentum, non satellitium dant regnum. Haec sunt quae uere regem faciunt, ac denique ad coelestis aeternique regni consortium euocant, ubi nulla iam erit rebellio. Regnum mundanum paratur uiolentia, ferocia defenditur: hoc regnum parit modestia, tuetur & constabile humilitas. Mundus non iudicat regno gerendo idoneos, nisi qui generoso praediti spiritu ingentes tollunt animos: deus ad suum regnum eos potissimum euocat, qui se maxime dericiunt. Pergit Iesus, & addit huic simile paradoxon. Beati mites, quoniam hi possidebunt haereditate terrarum

terram. Qui nam sunt mites: qui nulli uim faciunt, qui lesi facile condonant iniuriam, qui
 malum rem perdere, quam contendere, qui pluris faciunt concordiam & animi tranquill
 litatem, quam latifundium: quibus optabilior est quieta paupertas, quam rixosæ diuitiæ.
 Sed hoc hominum genus solet suis agris deturbari, tantumque abest ut aliena sibi parent, ut
 autis etiam possessionibus pellantur. Sed hæc est noua dilatandæ possessionis ratio, ut
 plus impetret ab ultro largientibus mansuetudo, quam per fas nefasque paret aliorum ra
 pacitas. Immitis ac ferox dominus, nec hoc possidet quod habet: Placidus autem qui ma
 ius sua cedere, quam pro his digladiari, tot locis habet fundum, quot locis reperit aman
 tes Euangelicæ mansuetudinis. Inuisa est omnibus peruiçacia: mansuetudini fauent &
 ethnici. Postremo, si perit possessio miti, damnum non est, sed ingens lucrum. Perijt ager,
 sed incolumi tranquillitate animi. Magno cum lucro uendidit fundum, qui uitauit tumul
 um, & seruauit animi quietem. Postremo ut omnibus excludatur mitis, tanto certior est
 illi coelestis terræ possessio, unde depelli non poterit. Mundus ut infelices deplorat, qui
 pulsi patria, solum uertere coguntur, sed Christus beatos pronunciat, qui ob Euangeli
 um exulant, cœlo municipes ascripti. Excussi sunt à iure ciuitatis unius, electi domo, pro
 fligati patria, sed Euangelico uiro totus mundus patria est, & pijs cœlum certissima do
 mus est, patriaque securissima. Vulgo misera res est orbitas, adeo ut quidam orbatu su
 is affectibus, puta uxore, parentibus, fratribus, aut liberis, nonnunquam sibi manus
 adferant. Et ob hoc adhibentur amici, qui luctus acerbiter consolatione leniant. Sed
 beati qui lugent ob amorem Euangelij, qui uel distrahantur à suis affectibus, qui quos
 habent carissimos. uident ob Euangelicam iusticiam affligi crucidarique, qui spretis hu
 ius mundi uoluptatibus in lachrymis, in uigilijs, in ieiunijs uitam transigunt: nam his spi
 ritus coelestis aderit, secretus consolator, qui temporarium luctum inestimabili mentis
 gaudio pensabit interim, mox ad æterna gaudia transferendis. Humana consolatio fre
 quenter agnitum, dum mederi studet exasperat: at spiritus ille uerus consolator, sic
 inus exultat animum sibi bene consoletur, deque futuræ uitæ præmijs certum, ut in atro
 cissimis etiam corporum afflictionibus sibi gratuletur, tantum est ut sibi uideantur infeli
 ces. Publica omnium opinione res est acerba fames, & egestas res est uelis equisque fugien
 da: neque quisquam non eos beatos prædicat, qui rem familiarē luculenter auxerint, & cō
 stabiliuerint, ut liceat affatim frui. Sed nec opes quamlibet aggestæ saturant animum, neque
 felicitas hominis uentris saturitate metienda est. Quos igitur Christus in hoc genere bea
 tos pronunciat: Beati inquit qui esuriunt & sitiunt iusticiam. Leuiter appetenda sunt ista,
 quibus alitur ac fouetur corpus, in quorum cura uulgius tam misere torquetur. Et expletos
 nonnunquam magis cruciat saturitas, quam fames cruciabat, & mox à saturitate recur
 rit sitis ac fames subinde farienda: & ista pijs paruo contentis, nec præter necessaria
 quicquam desiderantibus, uel non sollicitis ubi uis adsunt, eo nimirum suppeditante,
 qui pascit & passeruculos & uestit lilia. Felices autem, qui famem & sitim hanc à rebus cor
 poreis & perituris, transferunt ad expetendam iusticiam Euangelicam, ubi semper est
 quod esuriatur, semper quod sitiatur, & beata satietas est. Et hoc ipsum beatitudinis pars
 est, esurire panem illum animi, de quo qui ederit uiuet in æternum: sitire aquam illam ui
 uam, de qua qui biberit, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Vulgius existi
 matos felices qui iuuantur aliena beneficentia, & subleuato gratulantur magis quam
 subleuanti. At ego beatos pronuncio misericordes, qui pro charitate fraterna, alienam
 miseriam suam esse ducunt, qui proximi malis indolescent: qui calamitatibus aliorum il
 lachrymant: qui de suo pascunt egentem, uestiunt nudum, monent errantem, docent ig
 norantem: condonant peccanti: breuiter qui quicquid habent dotis, id alijs subleuandis
 ac refocillandis impendunt. Non enim is sumptum facit, sed lucrum. Siquidem miseri
 cor & beneficus in proximum, sentiet deum erga se multo magis misericordem, ac be
 nignum beneficium. Condonasti proximo delictum aliquod leuiusculum, tibi deus condo
 nabit omnia peccata. Remissi fratri uindictam temporariam, tibi deus remittet poenam
 æternam. Subleuasti tuam pecuniam fratris inopiæ, tibi reddet deus opes suas coelestes. Apud
 homines pauperescunt misericordes, dum largitione exhauriuntur facultates, sed apud de
 um locupletantur, dum exhausto scrinio, peccus pietatis fructibus cumulat. Vulgius ho
 mines infelices appellat orbatos oculis: & qui hoc sensu longe gratissimo carent, negant se
 uiuere

Beati qui
lugentBeati qui
esuriuntBeati mis
ericordes

uideri, sed mortuorum similes, in tenebris agere. Tam suavis res uidetur oculis intueri lucem, & hoc pulcherrimum mundi theatrum contemplari. Quod si res tam optanda uidetur aspicere solem oculis corporeis, quanto felicius est oculis animi contueri deum, solis & omnium rerum conditorem? Vidistis exilientes gaudio, quibus adempta cecitate contigit intueri, nec aliter sibi gratulari, quam si redissent ab inferis. Quanto beatiores; quibus adempta mentis caligine, datum est intus cernere deum, totius latitudinis fontem, quem uidere summa est felicitas? Quod sol est puris oculis, hoc deus est puris mentibus. Quod pituita, aut squamæ sunt oculis, hoc peccata sunt animis. Beati igitur quibus cor est ab inquinamentis omnibus purum & illibatum, nam his dabitur, quod est omnibus huius mundi uoluptatibus optabilius, uidere deum. **Beati pacifici** ut iudicat, qui rebus ex animi sententia compositis, degunt in ocio, neque quenquam habent, qui sibi facessat negotium: at me iudice, beati sunt, qui postquam ipsi cupiditatum omnium rebellionem in animo suo compresserunt, student & inter alios dissidentes sarcire concordiam, non solum non ulciscuntur si quid læsi sunt à quoquam, uerumetiam ultro inuitantes ad pacem, à quibus sunt offensi. Quod si cui durum uidetur, audiat præmi-um: Quoniam tales filij dei uocabuntur. Quid honorabilius hoc elogio? Immo quid beatius? Nec enim est inanis titulus. Qui filius sit, idem & hæres sit, oportet. Sed nothum arguit morum dissimilitudo, germanum & gnesion patris imitatio. Deus gratis condonans omnia peccata, mortales omnes, à quibus fuerat offensus, inuitat ad pacem & amicitiam. Ultro se præbet propitium omnibus, qui resipiscunt. Is non agnoscet pro filiis suis, nisi qui tales se præbuerint aduersus fratres suos, qualem ipse se præbuit aduersus uniuersos. Patres carnales exhæredant filios, quibus non conuenit cum reliquis fratribus, Ita pater cœlestis abdicaturus est, pacis ofores, ac dissidiorum autores. Quoniam autem plures ubique sunt improbi, non potest cum omnibus constare pax, nisi tolerantia malorum. Pro-**Beati qui per**rum est omnibus modis adniti, ne quod habeant dissidium cum ullis hominibus, siue boni siue sint mali: omnes comitate, lenitate, beneficentia sunt, quo ad fieri potest, ad amorē & concordiam inuitandi. Sed quorundam tanta est peruersitas, ut benefactis etiam irritentur, & affligant benemerentes, sæuiant in beneficos, seruare cupientes ducant pro hostibus. Hic si pax utrinque cōstare non potest, tamen illi interim ob pacis studium erunt beati, quum illos impij persequuntur, non ob aliud, nisi ob iusticiam Euangelicam, quæ nulum lædit, prodest omnibus. Si quidem hoc ipsum concitat illorum odium, ob quod amare debuerant: nec ob aliud referunt iniurias, nisi cuius nomine debebant agere gratias. Dicit aliquis: Quis posset amare tales qui pro beneficijs reponunt odium, & maleficia? Ardua res est, fateor, sed ingens est præmium. Quod autem præmium? Non querna laureaue corolla, non bos aut hircus aut aliud simile, quod in certaminibus humanis uictori tribuit mundus, sed regnum cœlorum. ad hanc palæstram uos paretis oportet discipuli mei, si uos capiant Euangelicæ felicitatis brauia. Nō est quod uos terreat humana crudelitas. Nemo uos lædere poterit, si mordicus tenueritis iustitiam. Persecutio malorum non auferet innocentiam uestram, sed augebit beatitudinem. In medijs etiam malorum procellis uos beati eritis: cum uos diris execrationibus deuouerint, quum omni malorum genere impetierint: quum probrorum & criminum omne genus in uos torserint, idque mentientes, non uestra culpa, sed odio mei: siquidem summa criminum erit esse Christianum: ne deplorate uos ipsos, ut afflicti, ut expulsi, ut infames, quin potius ob hæc ipsa gaudete & exultate, quod quo magis illi sæuerint persequendo, hoc magis uobis crescit & accumulatur præmium uobis à patre repositum in cœlis. Illorum malum deus uertet in bonum uestrum, damna ab illis illata uertet in lucrum, ignominiam ab illis illatam uertet in aternam ueracem gloriam, crimina probraque ab illis falso intentata, uertet in titulos & elogia ueræ pietatis: execrationem illorum uertet in laudes & gratulationes, non solum apud eum, cui placuisse abunde satis est, etiam si toti mundo displiceatis, sed interim etiam apud homines. Nam ab impijs ob pietatem uituperari, laudari est: ab osoribus dei cruciari, coronari est. Nō est affectanda apud homines gloria, sed hæc ultro ueram uirtutem solet comitari. Vultis exemplum promptum, et euidentem? Quid hodie prophetarum memoria sanctius, aut uenerabilius? Et tamen hos cum in uiuis agerent, omni malorum genere sunt persequuti quibus & uos persequuntur. Illos persequuti sunt odio patris, uos persequuntur odio mei. Fortia

in sunt hæc, fateor, & humanam mediocritatem superantia: sed insigne sit oportet, quod
 uia moueat, ac pertrahat mundū uniuersum, dilutis opinionibus ac uanis cupiditatib.
 obrutum. Quis enim istorū non horret corporis cruciatus? Quis non ad uitæ discrimen
 intentatum expauescit? Quis non exardescit in uindictæ cupiditatem, atrocibus conuici-
 is incitatus? Quis impune toleret famæ suæ labem præter meritum aspergi? At ego plus
 etiam exigo à uobis, ut ob hæc mala uobis beati uideamini, ut cæcis persecutoribus mi-
 sericordiam impartiat potius, quam indignemini: ut male precantibus bene precemi-
 ni, ut perniciem uobis molientibus, offeratis salutem æternam. Hanc sublimem & hero-
 icam uirtutem non præstabitis, nisi huc per gradus illos quos ante proposui peruenier-
 tis. Si tumorem animi prorsus abieceritis, si uindictæ cupiditatem expuleritis: si uolu-
 ptates omnes huius mundi spernentes uitam asperam amplectamini: si prorsus extincta
 rerum humanarum cupiditate, nihil magnopere sitietis præter iusticiam & pietatem: si
 sic fueritis affecti, ut omnium malis succurrere cupiatis, & omnium seruire commodis stu-
 deatis: si mentem habueritis ab omnibus uicijs prauisq; cupiditatibus puram ac synce-
 ram, nec aliò spectantem, nec aliò semet oblectantem, quàm deo: Si ipsi pacatis animis
 ubique studueritis alendæ sarciendæq; concordia, tum demum præstabitis hæc, quæ cæ-
 teri mortales ne per somnium quidem adhuc possunt attingere. Sed tamen qui sanabiles
 erunt, qui mentis non omnino deploratæ, admirati tolerantiam simul & bonitatem ue-
 stram intelligent rem non esse fucata, perspicient nō esse uirium humanarum, uestroq;
 exemplo commoti uertentur ad meliorem frugem. Siquidem in hoc delegi uos paucos,
 ut non unam aut alteram ciuitatem, sed uniuersum mundum adducam ad cognitionē E-
 uangelicæ sapientiæ. Viuidū & efficax sit oportet, quod totius humani generis uitæ, fluxa
 rum rerum cupiditatibus ac stultis opinionibus dilutæ, condiendæ sufficiat. Vos enim in
 hoc delegi, non ut sitis mediocres aut tolerabiles, sed sitis sal terræ. Non opus est multo sa-
 le, sed efficaci, ut quicquid contigerit afficiat, & ex insipido reddat sapidum. Ingens est
 terra, & tamen hoc quod habet salitatis, habet à paululo salis admixto. Et uidetis copi-
 osum cibum, altoqui fatui dilutique saporis, paululo salis asperso condiri. Fieri non po-
 test, quin in magna hominum turba reperiantur mediocres ac uix etiam tolerabiles. At
 in apostolis, in episcopis, in doctoribus, uiuidus ille, & perfectus Euangelicæ charitatis
 uigor perseveret oportet. Alioqui si uestri quoque mores fuerint amore laudis, cupidita-
 te pecuniarum, studio uoluptatum, libidine uindicandi, metu infamiae, damnorum, aut
 mortis infatuati, quid tandem erit reliquum, quo multitudinis insulsa uita condiatur? Ita
 futurum est, ut nō solum alijs condiendis non sitis usui, uerum etiam ipsi ueniat in extre-
 mum hominum contemptum, nequaquam præstantes hoc quod docetis. Quid enim est
 fatuo sale contemptius, cuius ne ad agrum quidem stercorendum ullus est usus: quippe ste-
 rilitem etiam adferens, si admisceatur. Ita uos admirabuntur homines etiam hī qui uo-
 bis per inuidiam & odium oblatrabant, si senserint doctrinam uestram sapere uigorem E-
 uangelicum, si uiderint uitam omnem doctrinæ respondere. Hac professione suscepta, aut
 magno usui omnibus sitis oportet, aut magno malo omnibus: aut ingētem gloriam apud
 homines reportetis, aut insignem ignominiam. Est autem ignominia magis morte uitan-
 da, quæ redundat in infamiam Euangelij. Sitis igitur undequa; synceri, & insigniter in-
 tegri, quo uestra puritate corrigatur multitudinis impuritas. Talis sit uita doctrinaq; ue-
 stra, ut omnibus intuentibus sit dux regulaq; recte uiuendi. Vnicus est sol huius mundi,
 sed is est tam efficaci copiosoque lumine, ut omnibus terram incolentibus è longinquo
 luceat. Sic uos in ædico collocaui, ut quod loquimini, quod facitis, non possit non per u-
 niuersum orbem dispergi. Si solem obducant nubes, unde lumen mortalibus? Si uestra
 doctrina caligabit erroribus, si uestra uita mundanis cupiditatibus erit offuscata, quæ
 res dispellet caliginem multitudinis? Cauendum igitur ne quid tenebrarum in uobis
 sit, ne quid stulticiæ. Non poteritis latere etiam si maxime conemini. Cogitate uos in to-
 tius orbis theatro fabulam agere, quo sollicitudo uos acuat ad circumspectionem ac dili-
 gentiam. In uobis exiguus lapsus, foedi criminis instar erit. Vos estis ueluti ciuitas in
 ædico monte sita, longe latèque conspicua uiatoribus. Celari non potest etiam si cupi-
 at. Mons enim eminenti uertice, qui sustinet illam, reddit eam, uelit, nolit, omnibus
 conspicuam, ut iter monstret errantibus. Hæc est Euangelicæ doctrinæ natura, non finit
 sui

Vos estis sal
terre

Vos estis lux
mundi

Non potest ci-
uitas abscondi

fui professores latere, quamuis ipsi famam hominum fugitantes quaerant latebras. Quod autem abscondatur quod in hoc ipsum paratum est, ut ex aequo profit omnibus: Ideo sal adhibetur ut condiat: ideo sol datus est orbi ut luceat: Ideo ciuitas in montis cacumine construitur, ut omnibus sit conspicua: Ideo noctu lucernam accendunt in aedibus, ut luceat omnibus qui in domo uersantur. Et ideo non condunt accensam sub modio, sed imponunt candelabro, quo lumen eius magis ad omnes perueniat, & unici luminis usus, ad quam plurimos manet. Sic non est uobis quidem affectandum ut famam & opinionem paretis apud homines: tantum curate, ut lucem, quam in uobis accendi, ne obscuretis, & in candelabro quo uos collocaui perseueretis. Non potest non condire sal. Non potest non lucere lumen. Luceat igitur lux uestra, immo mea patrisque, cunctis mortalibus, ut contemplantes uitam uestram, unde quaque puram & inculpatam planeque coelestem, glorificent patrem uestrum coelestem, cui debetur omnis honos & gloria. Nihil enim ex omnibus bonis operibus aut miraculis quamlibet admirandis uobis uindicabitis, sed in illum omnem gloriam ac laudem transferetis, a quo proficitur, quicquid apud homines cum laude geritur. Vestrum erit interim nihil aliud habere curae, quam ut delegato munere, gnauiter, bonaque fide fungamini. Praemium ille suo tempore persoluet abunde magnum, cuius gloriae militatis. Haec noua praecepta quum auditis, quae nec Moses tradidit, nec prophetae docuerunt: nolite suspicari me simile quiddam adferre, quale solent Pharisei, sic additamentis suis & humanis constitutunculis suis aggrauantes legem, ut quod illius est praeceptum negligant aboleantque. Nequaquam in hoc ueni, quo uel legem reddam dilutiorem, uel abrogem nouis praeceptis. Quin potius ideo ueni, ut legem absoluam ac perficiam. Nihil enim illa praecipit, quod haecenus a me non obseruatum queri possint. Quod si luce prodita cedunt umbrae, si iam factis ipsis praesto, quod prophetae futurum praedixerant, nihil legi derogatur, sed potius accedit perfectio. Habuit illa tempus suum, habuit honorem suum. Illa typis quibusdam adumbravit, quod nunc orbi re praesentatur. Illa ceremonijs & praeceptis carnalibus, ceu cancellis quibusdam circumsiepsit cupiditates hominum, ne impune prolaberentur in omne flagitium, quo capaciores essent Euangelicae doctrinae: nunc quod perfectum est expromitur. Illa carnalis licet & crassa haecenus profuit, ut homines peccatum suum agnoscerent, nunc absque ceremonijs datur gratia, quae peccata diluat. Non magis igitur illa laeditur, quam si pictae imagini regis rex ipse uiuus succedens, omnium oculos in se deflectat: aut si puer imbecillus, progressu temporis grandescat in uirum adultum: aut si frondibus & folijs succedat fructus maturus: aut si lunam & stellas, sol exoriens obscuret. Quod illa promissit, nunc exhibetur, quod praedixit geritur, quod adumbravit, omnium oculis exponitur. Quod praestare conata est, nec potuit, nunc ad plenum praestatur. Lux haec promittitur omnibus, sed ita tamen, ut Iudaei non habeant quod de nobis querantur. Primum illis oblata est Euangelij gratia: nec eo minus habituri sunt, si quod habent, habeant cum plurimis commune. Illud habetote certum, adeo non facimus irritam legem qua Pharisei gloriantur, ut ex ea ne minimum quiddam elementorum iota, immo ne apiculus quidem sit ex uniuersa lege periturus, usque adeo nihil in ea scriptum est, quod non sit perficiendum: Stultum autem sit expectare futurum, quod iam praesens sit: insanum sit, sic umbris delectari, ut res ueras asperneris: sic haerere imperfectis, ut perfecta spernas: sic amplecti carnalia, ut spiritualia fastidias: sic terrenis affixum esse, uti negligas coelestia. Apud Iudaeos contemptus habetur, parumque legis obseruans, qui quicquam eorum praeterit, quae Pharisei de suo addiderunt, praescribentes lotiones manuum, urceorum ac uasorum, & tamen haec additamenta usque adeo nihil conferunt ad perfectionem legis, ut frequenter abducant ab eius obseruatione. At in regno coelorum quod est longe perfectius, qui soluerit uel unum ex his praeceptis minimis quae nunc addo praescriptis Mosaeicae legis, quum tamen doceat obseruandum, quod ipse per imbecillitatem non praestat, minimus, & contemptissimus habebitur, adeo ut ni profecerit ad meliora prorsus excludendus sit ab Euangelico contubernio. Caterum quisquis docuerit haec minuta non esse negligenda, quae procul arcent ab his quae uetat lex, & quod docet praestiterit, is demum admirandus & magnus habebitur in regno coelorum. Et tamen in synagoga summates habentur, qui negligunt huiusmodi, satis esse putantes quod nihil horum

Nolite putare
quoniam

Amen dico
uobis

Qui ergo sol
uerit unum

horum committant, quæ lex puniri iussit, quum interim in prauis animi cupiditatibus sibi ignoscant. Hæc uidelicet est eorum iusticia, quos poenæ metus deterret à maleficijs. Cæterum quos charitas, quos spiritus ille cœlestis impellit ad perfectiora, procul & ultro se submovent ab omni confinio maleficiorum. Et adeo non lædunt quenquam, ut nec male uelint cuiquam. Vt autem intelligatis quantum intersit inter Iudæum & Christianum, inter Moli discipulum & meum, illud affirmo uobis, si præstiteritis quicquid præscribit lex, quicquid præstant Pharisei, qui nunc habentur, ac sibi uidentur absolutæ cuiusdam iusticiæ, & sinihil adieceritis perfectius, adeo non eritis magni in hac professione, ut ne aditus quidem dādus sit in regno cœlorum. Tantum enim præcellit hæc professio, ut qui illic primas tenent, ijs hic ne postremus quidem sit locus. Agedum, quo magis perspicuum fiat, quantum adijciamus iusticiæ pharisaicæ: quamq; nostra non pugnent cum legis præceptis, sed ea potius adiuuent: rem exemplis aliquot conferamus. Audistis quod maioribus olim sit præceptū: Non occides. Quod si quis occiderit, conuictus & iudicatus dabit poenas. Hactenus igitur legi uidetur fecisse satis, qui neminē occiderit, & legis minas effugit. Is uidelicet & uir iustus & innocēs, recipietur in synagogam. Nunc audite quantum ego adijciam. Siquidem illud affirmo uobis, quisquis uel irascitur fratri suo, obnoxius erit iudicio. Professionis sublimitas exaggerat culpam, ut quod in ueteri lege sit homicidiū, hoc in noua sit impotens animi motus ad uindictam. Primus enim ad homicidium gradus est irasci. Nondum ille quidem perfecit homicidium, sed tamen iam tendere cœpit ad homicidium. Itaq; iam nūc graue facinus admisit apud deū iudicē, qui fratri male uoluit. Quod nimox represserit animum efferuescentem, sed ira impotens erumpat in uocem, quæ nullo quidem certo conuicio percutiat fratrem, sed tamen eum manifesto cōtemptus indicio contristet: ueluti si dicat racha, aut simile quiddam, quod animi maliuolentiam declaret: iā ut propior homicidio, nō solum obnoxius erit iudicio, daturus poenā leuiorem, sed tamē Iudæo homicidio parē, uerum etiā cōcilio, grauius etiā condēnandus. Porro si rebellis animi motus huc proruperit, ut fratrē suū manifesto iā certoq; conuicio percutiat, ut fatuum, aut aliud simile appellet, iam grauissimæ poenæ erit obnoxius, nimirum gehennæ. Tot modis plectitur, qui nondum progressus est usq; ad homicidium. Sed homicidio cōfinis est, quisquis excidit à charitate fraterna. Nondum exemit gladium, sed percussit animo, quisquis iratus male uoluit. Percussit lingua, quisquis iratus conuiciū dixit, fortassis & occisurus, ni poenam metueret. Itaq; lex euangelica, quæ punit etiā iracundum, non aduersatur præcepto legis, Nō occides: sed longius arcet ac submouet ab eo, quod lex puniri iubet. Tutior est ab homicidio, quisquis iram & odium penitus exemit ex animo, quæ quidem ex radice pullulāt homicidia. Quisquis igitur sibi pararit charitatem euangelicā, quæ bene uult etiam maleuolentibus, quæ beneficio pensat iniuriam, nihil eget Mosaicæ legis minis, ad uitandum homicidium. Odij extrema linea est occidere, charitatis extrema linea est, etiam occidenti bene uelle. Atq; apud Iudæos quidem pius ac religiosus uidetur, qui male cogitans fratri suo, munus aliquod deferret ad altare, quum deo nullum sacrificium sit acceptum absq; fraterna concordia, uobis igitur prima debet esse cura pacis & mutua concordia. Quod si autem, ut est humanæ naturæ imbecillitas, inciderit offensæ nonnihil inter fratres, rebus omnibus omiſſis date operam ut sarcatur cōcordia; adeo ut si forte iam adornes offerre deo munus aliquod altari uicinus, atque inibi uenerit in mentem, tibi parum conuenire cum fratre tuo, siue quod is te offenderit, siue quod offensa quæpiā mutua cōtristat amicitiam, ne cōteris, ne differas, sed apud ipsam aram relicto munere, domum properes, efficiasq; ut ante omnia sarcatur tibi cum fratre amicitia: dulcedo. Eo confecto redibis ad altare, peracturus sacrificium tuū. Adeo deo nullum donarium gratius, q̃ consensus hominum. Ex dilato munere nihil ille damni patitur; ex rescissa cōcordia multum imminet utriusq; periculi. Siquidem offensæ dilatare gignunt odium, & ex odio gignitur homicidium. At deo nullum est gratum obsequium, quod non commendat charitas. Quod si mihi dixeris: Ego nihil commerui, prior ille redeat in gratiam unde nata est offensa, nō audiam. Qui iubetur & inimicum diligere, non grauabitur sarcire gratiam, licet aliena culpa rescissam. Vltro condona noxam, & fratrem hoc mœrore subleua, qui te sibi putabat iratum. Non experieris deū tibi propiciū, nisi proximus senserit te sibi propiciū. Nulla erit apud deum muneris tui gratia, nisi tibi constiterit cum fratre gratia. Si apud

Ni abundauerit iusticia nostra

Omnis qui irascitur fratri

Qui dixerit fratri suo racha

Si ergo offeret munus

Esto confen- apud deum tãt est hominũ concordia, ut patiat̃ur interim se fraudari munere parato, mo-
tius cum ad- do illa sarciat̃ur: quanto iustius est hominem cuius interest, rei suæ dispendio pacem & a-
versario. micitiã redimeret. Sed forsitan adeo quis reperietur iniquus, ut insursus ultro in ius tra-
 hat, negociũ etiam exhibiturus, ni te deprædetur. Iamq; accēsis utrinq; animis, paratur
 dica, curritur ad iudices. Quæris quid hic faciam? Num legibus meũ ius persequar? si me
 audies, in uia properabis cum aduersario tuo rem componere, uel æquis, uel iniquis con-
 ditionibus. Quantumuis iniquis conditionibus cum illo transigeris, tamen lucrum fece-
 ris. Peribit nummorum aliquid, sed seruata est res longe preciosissima, pax & amicitia: se-
 uata est animi tranquillitas, quam puta uel uniuersis facultatibus emptam, paruo emptam
 esse. Seruiendum erat aduocatis, & notarijs, sursum ac deorsum assidue cursitandum. Am-
 biendus fauor iudicum. Multa & facienda & ferenda, indigna te. Et quum tempore nihil
 sit preciosius, cogita quantum hinc fuerit insumendum. Vide igitur, quàm non aspernan-
 dum lucrum feceris, celeritate finiendæ litis, quum iudiciorum interim incertus sit exitus.
 Neq; enim semper superior discedit, cui causa melior: siquidem periculum est, ne aduersa-
 rius uictor tradat te iudici, iudex tradat ministro publico, per quem ducaris in carcerem.
 Quò si semel coniectus fueris, iam adempta facultate componendæ rei cū aduersario, nō
 solum lucrifeceris corporis afflictionem et ignominiã, uerumetiam nō liberaberis, donec
 ad assem uniuersam resoluas summam, quam petebat aduersarius, quum minoris licuerit
 cum illo transigere, mitiore adhuc & minus irritato. Sic in sarcieda amicitia, noli esse mo-
 rosus expensor, uter magis sit in culpa. Tantum hoc age, uel de iure tuo cōcedens aliquid,
 ut incolumis sit concordia. Hactenus exemplum contulimus, de charitate & odio, in quo
 rum altero radix est totius pietatis Euangelicæ, in altero pestis. Sed homicidio proximum
 est adulterium, nec ulla charitas arctior, quàm matrimonij. Conferamus igitur & hac de
 re, quid lex præceperit uestris maioribus, & quantum nos adiiciamus. Illis nihil aliud di-
 ctum est in tabulis, quàm: non committes adulterium, si cōmiseris, lapidaberis à populo. I-
 taq; sanctus & integer habitus est apud Iudæos hactenus, quisquis sua contentus, abstinu-
 it ab uxore aliena. Sed ad legem Euangelicam, quam ego defero, non solũ committit adul-
 terium, qui coniugem alterius stupro uiolat, & corpus corpore complectitur, uerum etiã
 qui oculis parum pudicis intuetur alienam. Ut enim homicidio uicinus est, qui fratri suo
 irascitur: ita tendit ad adulterium cuius iam animus est impudicus, cuius oculi sunt adulte-
 ri. Non habet maritus, quur te ad pœnam adulterij uocet, sed habet deus quur te damnet
 adulterij, apud quem commisit flagitium, qui uoluit. Quod igitur in homicidijs est irasci,
 hoc in adulterijs est cōcupiscere: quod illic est dicere racha aut fatue, hoc hic est oculos pas-
 cere, & horum illecebris alienæ coniugis animũ ad impudiciã sollicitare. Verum hic di-
 cet homo carnalis: Quis queat non animo saltē concupiscere quod amat? Imò quis ama-
 bit uxorem alterius, cum suo periculo, cumq; mariti iniuria, qui sic est affectus animo, ut
 non solum nolit innoxium quenq; lædere, sed etiam ijs à quibus læsus est beneficium pro
 maleficio studeat reponere? Non possum inquiet oculos claudere. Imò præstat oculũ eru-
 ere, quàm per eum capere iacturam pietatis. Imò nullum corporis membrum tam debet
 esse charum homini, quĩ præstet amputare, quàm huius occasione quicq; ueris animi bo-
 nis decedere. Sic properandum est ad fastigium Euangelicæ perfectionis, ut quicquid ob-
 stiterit huc eunti, protinus sit abiiciendum, quantumuis dulce, quantũuis amabile. Lucrũ
 est, cuiusuis rei iactura parare margaritum Euangelicæ charitatis. Proinde si forte huc pro-
 perati obstaculo fuerit oculus tuus dexter, noli cogitare quàm res chara sit oculus, sed co-
 gita à quanto precioso re remoretur: nihilq; contatus effodias oculum remorantem,
 & eo abiectio propera quò coeperas. Vbi totus homo de capite periclitat̃, præstabilius est
 unius mēbri iactura, totius reliqui corporis salutem redimere. Posthac luscus uiues. Quid
 tum posteat? An non optabilius est luscũ agere uitam, quàm occidĩ neutro oculorũ effos-
 sor? Nullũ membrum charius, aut ad plures usus magis necessarium, quàm dextra manus.
 Quis hoc negat? Et tamen ea si remoretur ad hæc ardua properantem, unde pendet totius
 hominis salus, amputa remoratricem dextram, & abiectio onere expeditus eò, quò coepe-
 ras, propera. In hoc discrimine conducibilius est, unius membri quamuis chari fecisse iac-
 turam, quàm toto corpore ruere in exitium gehennæ. Hoc si probant homines, quum nō
 aliud est periculum, q̃ corporis, quanto magis id faciendum, quoties animi simul & cor-
 poris

Non macula-
beris.

Quod si ocul-
us tuus dex-
ter.

Et si dextra
manus

poris discrimen uertitur. Verum hæc docendi gratia per similitudinem à nobis dicta sunt. Neq̃ enim hoc sentio, cōsultū esse, ut quisq̃ sibi ipsi membrū aliquod corporis amputet. Neq̃ enim mēbrorum natura mala est, sed abusus est dānandus. de mēbris animi loquor. Habet enim & animus sua membra noxia, quæ pium sit quàm ocyssime recidere. Amputato corporis membro, præter cruciatum hoc additur damni, quod portionem semel amputatam, nunquam liceat restituere. At amputatis animi membris noxijs, quod genus, odium, ira, libido, ambitio, auaricia, non solum non est mutilus animus, sed absolutior etiam amputatis prodigiosis & noxijs partibus. Ac breuem amputandi molestiam, perpetua consequitur uoluptas. Dicam explanatius quo magis quid uelim intelligatis. Affectus membra sunt animi. Sunt autem affectus quidam qui suapte natura ducant ad impietatem, quod genus sunt, ira, odium, liuor, appetentia rei alienæ. Horum si quid pullulare coeperit in animo statim est excidendum. Sic enim & facilius & tutius amputatur nascens malum. Sunt rursus affectus per se neutiquam mali, sed tamen qui per occasionem aliquoties abducant ab eo quod est optimum. Quod genus sunt, amor patriæ, affectus in uxore, liberos ac parentes, aut alioqui cognatos & amicos, cura famæ. Hæc membra si subseruiunt ad perfectionem Evangelicam properanti, non est quur amputes. Neq̃ enim mea doctrina pugnat cum naturalibus affectibus, sed naturam suæ puritati restituit. Porro si casus inciderit, ut parentis aut uxoris aut liberorum affectus per occasionem te remoretur à studio pietatis Evangelicæ, & ad mundum retrahat, amputa noxiam pietatem. Quem admodum qui noxias amputat cogitationes, non cor ipsum execat unde nascuntur, sed prauas cupiditates: ita qui alienam uxorem iam aspicere coepit casto affectu, quo sororē aspicit aut filiam, bene effodit noxium oculum, ut succederet columbinus: & qui manu qua solet alios spoliare, iam laborat ut subueniat aliorum inopiæ, bene amputauit rapacē dextram, ut succederet benefica. Age iam & aliud exemplum conferamus. Lex Mosaica permittit, ut maritus offensus aliquo coniugis uitio dimittat eam suo arbitratu: modò dimissa det libellum repudiij, per quem illa possit alteri nubere, & priori marito ius adimatur repetendi quam abiecit. Proinde legi satisfecit uir, qui quauis de causa repudiarit uxorem: modò libellum dederit abeunti: nec ille uelut adulter iudicabitur, nec hanc quisquam ut adulteram norabit. Et quanquam lex optabat inter coniugatos amicitiam & concordiam esse perpetuam, tamen conscia duriciæ cordis Iudaici, ne quid committeretur scelera tius, induxit diuortium, puta ne ueneficium aut homicidium perpetraretur. At ego uolo sanctius & inuiolatus esse matrimonium, inter nouæ legis professores. Quisquis enim dimiserit uxorem suam, nisi forte adulteram: iam enim uxor esse desijt, quæ se miscuit alteri uiro: cogit illam ad adulterium. Siquidem si nupserit alteri, non marito nubet, sed adultero. Atque is qui sic repudiaram duxerit, non uxorem ducit, sed adulteram. Nihil horum punit lex Mosaica, sed tamen damnat lex Evangelica. Neq̃ tamē hæc pugnat cum illa. Nā Mosaica laxauit ius repudiij maritis, ne sceleratius sequerentur in uxores inuisas, & tamē licentiam astrinxit libello repudiij, ne uel clanculum id possent, uel temere dimissas reposcerent, quoties libuisset. Nec est ausa plus exigere in coniugio, quia non est ausa præcipere quæ nos supra docuimus. Nam uir Evangelica præditus mansuetudine, facile aut corrigit mores uxoris, aut feret. Quando autem quæret dissidium cum uxore, qui pacem habet etiam cum inimicis: Quando molietur exitium uxori, qui nec læsus irascitur, nec offensus male uult cuiquam: Aut quomodo non feret uxorem domestica consuetudine iunctam, qui tolerat etiam inimicum occidentem? Quod si lex hæc agit, ut sanctum sit coniugium, neque passim concessa diuortia: nos legem non soluimus, sed adiuuamus, qui nullum uolumus esse diuortium, excepta causa stupri, quæ pugnat cum ipsa natura matrimonij. Siquidem in hoc inductum est coniugium, ut mulier semel addicta marito, uni gignat, & uni obsequetur. Porro iam diuertit à marito, quæ sui copiam alteri fecerit. Proinde inter Christianos coniuges, nec graues incident offensæ: nec ob leues, uel ille, uel illa quæret diuortium, sed protinus alteri reconciliabitur, si quid per humanam imbecillitatem inciderit. Audite iam & aliud. Nihil aliud audistis traditum maioribus, nisi ne peierarent, sed si quid iurassent, id præstarent, ueluti iam obnoxij deo, non tantum homini. Apud Iudæos igitur non puniuntur nisi periurium. Cæterum qui non interposito iureiurando fallit proximum, apud syriacos impunitus est. At hunc condemnat ac punit lex Evangelica, quæ quo tutiores

Dictum est autem, quicumq; dimiserit uxorem

Audistis quia dictum est antiquis

sitis à periurio, prorsus damnat omne iusiurandū, ut iam fas non sit iurare, neq; per deum, neq; per ea quæ uulgo uidentur minus habere religionis, hoc est, neq; per cœlū, quoniam thronus est dei: neq; per terrā, quia scabellū est pedum eius: neq; per Hierosolymam, quia ciuitas est magni regis: nimirum illius qui condidit & gubernat uniuersa. Neq; quemadmodum barbari iurant, per caput alterius, in quod tibi nullum est ius, sed deo sacrum est, qui ut uoluit cōdidit omnia: quum tu nec unum pilum queas ex nigro facere album, aut ex albo nigrū. Quoniam aut omnia deo conditori sacra sunt, religiosum esse debet per ullam omnino rem deierare. Quid autem opus est ullo iureiurando inter eos, inter quos nec pro sua simplicitate diffidat quisquam, nec pro sua synceritate fallere cupiat quisquā, etiam si liceat impune: præsertim in rebus his, quarum cōtemptum profitentur. Inter uos igitur sanctior ac firmior esse debet sermo simplex, quàm apud Iudæos quamlibet religiosum iusiurandum. Apud uos enim, apud quos nihil esse debet in labijs, quod dissideat ab animo: non est alius usus sermonis, nisi ut mutuo sibi significant homines, quod animo sentiunt. Nec opus est in contractibus, admiscere iusiurandum, aut execrationes, aut aliud simile, quod & promittentem obstringat metu, & stipulanti fidem faciat. Abunde factis sunt duæ uoces: non & etiam: ut neget te faciurū, quod non polliceris: & præstes quod simplici sermone te præstaturum receperas. Neque enim alter minus obstrictus est simplici nudoq; uerbo, quàm Iudæus per omnia sacra deierans: neque alter minus fidit, quàm si iusiurandum intercessisset. Quod si quid his accesserit, ex uitio accesserit oportet. Aut enim parum bene sentit, qui iurat, de eo cui iurat: aut diffidit is, qui iusiurandum exigit. At neutrum competit in uos, quos omnibus modis perfectos esse uolo. Itaque quum in totum uetem iurare, non abrogo legem, quæ uetat periurium, sed legem reddo pleniorē, ac longius ab eo submoueo, quod punit lex. Audistis quid in iniuria uindicta patribus nostris lex indulserit. Oculum, inquit, pro oculo: dentem pro dente. Nouerat enim animos illorum ultionis audos. Hactenus igitur cohercuit libidinem ulciscendi, ut ex iudicio arbitrio delictum talione pēfaretur, & oculum amitteret, qui alteri oculum extudisset, & dente plecteretur, qui alteri dentem excussisset. Propterea quod si iniuriæ uindicta permissa fuisset animo læsi, frequenter accideret, ut pro dente excusso uitam adimeret. Lex igitur hoc agebat, ne longius æquo procederet ultio. At ego legem hanc non abrogo, sed confirmo. Siquidē illud doceo uos, pro quamlibet atrocibus iniurijs, nullam omnino uindictam esse reposcendam, nec ullum maledictum maledicto, nec damnum damno, nec iniuriam iniuria retaliandam, adeo ut si quis alapam impegerit in maxillam, quæ quidem contumelia uulgo uidetur intolerabilis, tantum absit ut illi regeras alapam, ut alteram potius maxillam illi cædendam præbeas, malisq; duplicatam iniuriam perpetuam, quàm referre talionem. Quod si quis trahat in ius ut tunicam adimat, adeo non est cum illo contendendum, ut citius illi pallium etiam ultro cedas. Rursus si quis importunus conetur adigere te, ut ipsum ad mille passus comiteris aliquo, bis mille potius cum illo ambules, quàm cum eo contentionem suscipias. hac comitate tolerantiaq; fit, ut nec is qui propensius est ad lædendū exasperetur ad atrociora: & tu citius à molestia libereris, quàm si malum malo propagetur, & ex paruo reddatur magnum, ex uno multiplex: nec animi tranquillitatem amittas, & fortassis ex inimico tibi reddes amicum tua bonitate. Rem arduam agitis. Ad hæc omni studio contendendum est, contemptis interim hisce rebus, leuioribus, quibus alij mortales, uel parandis augendisq; uel uitandis totam uitam impendunt: quibus illud interim usu uenit, ut dum hæc uenantur, excidant à bonis cœlestibus: nec hic suauiter uiuant, ipsi sibi molestijs molestias accumulantes, uarijsq; simultatibus & odijs semet inuoluentes. Harum rerum contemptui, quæ nec si adsint pios, nec si desint impios faciunt, uos & odium redimetis, & amorem ac beneuolentiam uobis comparabitis, & doctrinæ uestre conciliabitis fidem & auctoritatem. Itaq; si quis tibi molestus est ob uersitē, uas, aut aliud simile, cuius audus est, ut abs te auferat: potius quàm alijs uijs tibi struat infidias, da flagitanti, simul & illum deuincturus beneficio, & te molestia liberaturus. Rursus si quis pecuniā abs te petit mutuo, ne grauerē dare, etiam si nihil inde sit ad te rediturum: non solum ex usura, sed ne sorte quidem. Nam qui mutuum dat ad usuram, non tam impartit sua quàm uenatur aliena. Et quur graueris ei dare mutuo, fortassis ad te nunquam rediturum, cui debebas & dono dare, quod tibi supererat, & illi deerat: Ita uestro exemplo

Audistis, oculum pro oculo

exemplo discant homines hæc esse prorsus negligenda, quorum gratia ipsi nihil nõ & pa-
ciuntur, & faciunt. Accipite iam & illud præceptũ, quod habetur in lege præcipuum: *Diliges proxi-*
mum tuũ, & diliges, inquit, proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Benevolentiam exigit, *odio habebis*
sed erga beneuolos ac bene meritos; cæterum permittit male uelle his qui nos lædunt. Vi-
detis quàm huic præcepto non derogem, sed quantum adijciam. Siquidem ego non con-
tentus mutua in amicos beneuolentia, illud à uobis mea doctrinæ sectatoribus exigo, ut
diligatis & inimicos: & his qui uos odio prosequuntur non solum nõ respondeatis odio
mutuo, uerum etiam beneficijs ad amorẽ prouocetis. Quod si illi fuerint usq; adeo effera-
ti, ut beneficio uestro nolint uti, sed sine fine uos impetant, & maledictis ac malefactis in-
cessant: uos tamen in medijs afflictionibus adeo non mutetis animum uestrum, ut pro
illis rogetis etiam deum, quo resipiscant. Hac bonitate utentes erga uniuersos & bonos
& malos, declarabitis uos esse non degeneres filios patris coelestis, qui cupiens omnes ser-
uare, tam multa bona largitur dignis & indignis. Patitur enim solem suum esse commu-
nem & his, à quibus colitur, & his, à quibus contemnitur: ac pluuiam suam patitur utilẽ
esse iustis pariter & iniustis: malos suo beneficio prouocans, ut resipiscant: bonos exci-
tans, ut gratias agant. Similitudo morum uos asserat patri coelesti, & ab eo profectam cre-
dent uestram doctrinam, si conspexerint in uobis illius insignem bonitatem. Alioqui si di-
ligitis diligentes: si benefacitis, bene de uobis meritis: si bene uultis beneuolis, crimen effu-
gistis, non promerulistis laudem. Non referre beneficium, ingratitudo est, etiam apud
ethnicos & publicanos execrabilis: quorum institutum infame est etiam apud uulgus.
Naturæ est, non Euangelicæ uirtutis, redamare amantem. Et si uos comes & affabiles præ-
bueritis, erga cognatos, aut populares uestros tantum, cæteros uelut alienos, nec saluta-
tione dignemini, quid eximium facitis? Nõne idem faciunt ethnici? Vulgaria sunt ista,
quæ non arguunt bonos, sed homines tantum. Neq; possunt uideri præclara, quæ cadunt
& in malos. Vos igitur uolo perfectos esse, & admirabili quadam luce bonitatis referre
patrem coelestem, qui quum sit omnipotens, tamen sua bonitate prodest omnibus, nihil
à quoquam expectas mercedis. Mitis & clemens est erga uniuersos, quum posset ilico si
uelit ulcisci:

CAP. VI



Stendi quibus rebus oporteat uos excellere iusticiam scribarum & phari-
sæorum, si uelitis esse mei discipuli. Nunc ostendam in his, quæ uobis uiden-
tur cum illis esse cõmunia, quid sit uitandum. Est enim tacita quædam pe-
stis, quæ uere uiciat omnia pharisæorũ benefacta, sic ut apud deũ nullã om-
nino laudẽ promereatur. Res est sancta, beneficẽtia subleuare egentes: res
pia est, puris precibus cũ deo colloqui: res est religiosa ieiunium: atq; harum rerũ ostenta-
tione pharisæi sibi uindicant opinionem eximie cuiusdam sanctimonie apud homines,
cum deo displiceant, qui non faciẽt intuetur, sed cor. Itaq; merito displicent, quia cor ha-
bent inani gloria uitiatum. Auram populĩ uenantur, potius quàm bonam conscientiam
apud deum: & dum hic captant inane præmium, frustrantur eo quod solum erat expeten-
dum. Hæc pestis per cuniculos quosdã irrepens, clanculum insidiatur etiã ijs, qui in uirtu-
tis stadio aliquo usq; progressi uidentur. Vos igitur hac in parte cautos ac circumspectos
esse uolo, ne quum erit aliquid piorum operũ præstandum, ideo malitis apud homines fa-
cere, q̃ soli, ut ab illis conspecti laudẽ, & gloriam humanam uenemini. Semper benefaci-
endum siue uideant homines, siue nõ uideant. Semper enim uos intuetur deus, à quo præ-
mium expectatis. Alioqui si ex benefactis laudẽ captatis apud homines, præmiũ amittitis
apud patrem coelestẽ. Non est semper celandũ bonum opus, sed nõ est agenda fabula con-
spectibus humanis, uelut histriones è proscenio saltantes fabulam, quibus nihil aliud stu-
dio est, quàm ut oculis & auribus populĩ placeant. Atqui non potest semper optima se-
qui, qui semet ad uulgi iudicia accommodat. Sic enim est obseruandum hominibus, ut il-
los ad uestros mores pelliceatis, non ut uos ad illorum mores degeneretis. Verã uirtutem
ultra sequitur sua laus, etiam quũ fugitur. At ea demum uera laus est, quum contingit nõ
ambita, nec affectata. Atq; hoc ipsum quod gloriæ nascitur ex benefactis, totum ex deo
transcribendum. Illi displicebitis simul atq; uobis placebitis, uindicantes uobis quod tor-
tum illius est munificentie. Ergo quisquis es Euangelicæ legis sectator, cum tua largitate
subleuare paras pauperum inopiam, noli facere quod solent hypocritæ: nimirum homi-

*Cũ ergo facis
elemosynam*

nes histriones & fucati personatiq; , qui quū uideantur liberales ac misericordes , animo & avari sunt & crudeles. Nihil enim illos cōmouet calamitas proximorum , sed auidi gloriæ , paululo pecuniæ mercantur auram popularem : nihil omnino daturi , si soli conspiciant fratrem uel fame morientem. Itaq; quoties aliquid largiuntur pauperibus , non quærun solitudinem , sed prodeunt in conciliabulis hominum & uicis , nec aliter quàm fabulā acturi , tubæ cantu multitudinem ad spectaculū euocant , simul & miseris exprobrantes suam calamitatem , & sibi stultissimam quandā gloriam uenantes ab hominibus. Vultis autē dire quid proficiant? Vt cunq; applausit populus , apud deum perdiderunt mercedem benefacti sui , qui pium opus ex animi sincero affectu metitur. Qui ad gloriam dedit beneficium , uendidit , non largitus est. Te uero tantum oportet abesse ab istorum affectu , ut quum confers beneficium , ne sinistra quidem sciat quid faciat dextera tua : & adeo non desideres hominem spectatorem , ut si fieri possit , nec ipse scias te facere , quod recte facis : ac uelut oblitus facti tui , nec imputes hominī quod bene feceris , nec tibi hoc nomine placeas , quod dederis , sed tantum in sinu gaudeas quod refocillatus sit egenus . Quid tum , si nesciant homines , imō si ne ipse quidem qui iuuatur , norit autorem beneficii? Tibi satis est quod testem habes patrem , cuius oculos nihil omnino fugit. Is tibi reponet præmium , etiam si ab homine nihil reddet gratiæ . Similiter autem quum precamini deum , ne sequamini morem Hypocritarum , qui stare gaudent in conciliabulis hominum , & in angulis platearum , quoties precantur : non ob aliud , nisi ut conspiciantur ab hominibus , à quibus sanctimonix laudem aucupantur. Placeant sibi , placeant alijs , huiusmodi gloriolis precationibus : illud affirmo uobis , iam habent præmium suum , nimirum hoc quod captabant . Quid autem inanius hac mercede? Et ob fucatam falsamq; gloriolam sese frustrantur ipsi tam felici præmio , quod deus erat repensurus , si precum suarum puram ac sinceram uictimam ipsius oculis obtulissent. Tu contra facito . Quum precaris , fugito turbam : ingredi secrete cubiculi tui , & occlusis foribus , in abdito exprope coram patre synceras preces tuas. Satis est , quod illum habes spectatorem tuæ pietatis , cui nihil occultum. Is tibi mercedem reddet æternam . Atque hæc docendi gratia crassioribus exemplis proposui . non enim nephas est aliquando largiri beneficium testibus hominibus , aut orare in frequentia multorum : sed tum nescit tua sinistra , quid faciat dextera , quum opus charitatis , nullo humanæ uanitatē affectu uiciatur . Tunc abditus es in cubiculo tuo , quum ea sinceritate mentis deum alloqueris quasi nullus hominum te uideret. Qui in cœtu multorum orat , nihilo segnius , imō fortasse uehementius oraturus , si solus esset , orat in abdito cubiculo. Neq; enim dextera & sinistra aut cubiculi secretum in rebus sunt , sed in affectibus. Quin & illud uobis erit fugiendum inter precandum. Affectus est , qui mouet deum , non strepitus labiorum : neq; refert quàm proluxa , quàm uocalis sit precatio , sed quàm ardens ac sincerus affectus . Procul igitur absit à uobis exemplum ethnicorum , qui proluxas ac uerbosas precationes , ueluti uerbis conceptis recensent : perinde quasi nihil sint impetraturi , nisi uerbosissima loquacitate deum fatigarint , identidem inculcantes eadem , ac uerbosa recensione præscribentes quid uelint , & quando , quomodoq; sibi præstari uelint quod optant , quum sæpe precentur noxia. Optima petenda sunt à deo , non omnia : & crebro potius orandum quàm diu , & intente magis , quàm proluxe : postremo animo magis quàm uoce : neque uerbis gentium more præscriptis , sed quantum suggerit animi calor & raptus in deum. Amat quidem rogari pater , non ut doceatur oratione proluxa , quid postulat uestra necessitas , sed ut excitetur uestra pietate ad præstandum , quod non merentur accipere segnes & oscitantes : alioqui nouit ille quid uestra postulet necessitas , etiam ante quàm rogetur. Ergo quemadmodum uita , sic & precatio discernat uos ab ethnicis. Quod si uobis formam præscribi uultis Euangelicæ precationis , accipite dignam , qua ueri synceriq; filij , fraterna charitate concordēs , patrem cœlestem omnibus ex æquo communem compelletis : à quo tamen si uobis suppetunt omnia , tamen ea potissimum petenda sunt , quæ conferunt ad uitam cœlestem . Nam cætera uel sua sponte , uelut auctariū uotis suorum adiiciet , ut est benignissimus . Cuius gloria non oportet quicquā uobis esse antiquius , cui debetur omnis gloria , in cœlis & in terris. Ad cuius regnū pertinere , est diaboli uicisse tyrannidem : cuius uoluntati subijci , regnare est. A cuius gratuita largitate uenit , quicquid animos hominū alit uegetatq; ad Euangelicam

gelicam perfectionē. Sed non audiet uos nisi cōcordes, neq; facile constabit cōcordia, nisi mutuas offensas, sine quibus non agitur hominum uita, quamuis ad perfectā tendentium, inuicem condonetis. Atq; hac concordia sic eritis paterno præsidio tuti aduersus improbū illum tentatorem, si uigilantes eritis, & assidue optimi patris opē aduersus pessimum imploretis. Itaq; frustra compellarit patrem, hac formula quam traditurus sum, is qui nō est huius contubernij: qui deū nec ueretur, nec amat: qui sibi uiuit, qui suæ gloriæ seruit magis quā dei: qui mundanis opibus & regno inhiet: qui mauult assequi grata animo suo, quā quæ placita sunt deo: qui terrena sectatur potius, quā æterna: qui corporalibus commodis posthabet animi dotes: qui dissidium habet cum fratre: qui per luxum & uoluptates socorditer agit aduersus insidias satanæ. Nam formula sic habet: *Pater noster* Pater noster, qui nos semel infelicitate genitos ex Adam, rursus cœlo genuisti: ubi nobis à terrenis rebus subuehendis, regnum & hæreditatem æternam parasti, ipse in cœlis agere dictus: quod quū impleas omnia, nihil habes fecis aut infirmitatis terrenæ: fac ut per nos tuo beneficio puros & integros, inter homines fiat inclytum & gloriosum nomen tuum. Non enim est nostra gloria, quum tui muneris sit, quicquid à nobis recte geritur. Aboleatur tyrannis satanæ, ut indies magis ac magis inualecat regnum tuum, quod non opibus aut satellitio, sed modestia, pudicitia, lenitate, tolerantia, fide, charitate cōstat, ut profligatis uitijs unā cum malis cupiditatibus, uim suam exerant inter homines tuæ uirtutes cœlestes: fiatq; tandē, ut quemadmodum in cœlis pacata sunt omnia, nec est ulla creatura quæ non obediat tuis iussis: ita in terris, nemo sit, qui nō obtemperet tuæ sanctissimæ uoluntati, cunctis, quantū patitur imbecillitas humanæ naturæ iam hoc meditantibus, quod perfecte continget in futura uita. Ale pater quod genuisti: prospice nobis ne nos deficiat panis ille tuus doctrine cœlestis, ut eo quotidie sumpto confirmemur, & adulescamus, uegetiq; reddamur ad tua iussā perficienda. Ac ne quando nostris delictis offensus, alienes animum tuum à nobis, sed pro tua clementia ignosce nobis delicta, quæ per infirmitatē in te cōmittimus, ut tecum pacē habeamus: quēadmodum & nos inter nos inuicē condonantes, si quid aliū in aliū deliquit, mutuā alimus cōcordiam. Te propicio nihil timemus, & cōcordia fulti firmiores sumus aduersus hostem cōmunem. Cui quæsumus, ne tuos trahas tentandos, si fieri potest. Nouimus enim illius maliciā, nouimus improbitatē & uersutiam. Quod si patieris nos incidere in tentationē, ut explores animi nostri cōstantiam, tu pater optime libera nos ab illo pessimo. Hæc uota tua bonitas rata uelit esse. Videte igitur hæc breuis precatio, quā multa cōplectitur, ut perfectus sit oportet, quisquis hanc recte pronunciauerit, hoc est, qui sic ore pronunciet, ut animus & affectus respondeat. Primū docet uos totos nō aliunde pendere, quā à patre cœlesti, cui debetis quod estis cōditi: cui debetis quod estis à peccatis redempti: cui debetis quicquid habetis uirtutū. Pater uocatur: ut clementē ac benignum intelligatis. In cœlis esse dicitur, ut illuc sustollatis animos uestros, neglectis bonis terrenis. Vestrū appellatis, ne quis sibi propriū aliquid uindictæ, quū ex unius beneficentia proficiatur omnibus quicquid habent. Et hac in parte est regum & seruorū æqualitas. Illius gloriā tantum optatis, ne quisquā in terris ulla ex re quicquam laudis ascribat sibi, unde nasci solet insolentia, animiq; tumor. Optatis ut ille regnet, ut illi obtemperetur, nō uobis. Illius enim uirtutes sunt, quæ per uos operantur. Illius doctrina est, quam ex me tradetis hominibus. Nec satis est in illius bonis persistere, nisi quotidie proficiatis in melius, & ob hoc postulatis ab eo panem illum admirabilem, quem quotidie uult peti, quoniam quotidie largitur: & ab ipso uult peti, ut memineritis ab illo proficisci bona omnia. Denique quo magis caueatis, ne quando excidatis à charitate patris tam benigni, commonet uos illius improbi satanæ, qui nunquam non insidiatur pijs, ut eos in suam retrahat tyrannidem. Proinde priusquam hac precatōne patrem cōpelleris uobiscū expendite, an uere cupiatis hoc quod petitis, & num idonei sitis, quos pater ista precantes audiat. Sed illud in primis excuīte, an cum proximis habeatis cōcordiam. Talem experiemini patrem erga uos, quales uos proximus experitur erga se. Non agnoscat pro filio, cui non cōuenit cum fratre. Si remiseritis hominibus in uos delinquentibus, remittet & pater uester cœlestis, quod in ipsum deliquistis. Quod si uos eritis duri & implacabiles erga ceteros homines, nec pater uester condonabit uobis peccata uestra. Non uis ignorare conseruo tuo, in quem tu uicissim aliquando peccasti: & postulas à deo ut

tibi condonet tuum admissum, qui cum nulla tibi potest esse pensatio delicti mutui. Habes quantum oporteat uestram eleemosynam abesse ab eleemosynis Phariseorum, & precationes uestras à precibus illorum. Nunc audite quantum oporteat & ieiunia uestra distare ab illorum ieiunijs, si uelitis esse grata patri, uobis frugifera. Nec enim ieiunium deo commendat abstinentia cibi, sed affectus purus animi, soli deo placere gestientis. Proinde fieri uos quoties pietas hortabitur ad ieiunandum, ne uelitis imitari quosdam non ieiunatores, sed ieiunij simulators, frontis tristitia ieiunij personam præ se ferentes, quum re ipsa non hoc agant, ob quod ieiunium debet adhiberi, nimirum uel ob placandum deum, uel ob corporis castigationem, quo liberior sit animus sacris rebus uacaturus: sed hoc fuculo laudem inanem captant apud homines, quibus deo contempto, fabulam hanc agunt. In hoc enim ad pallorem & tristitiam obnubilant facies suas, quo uel ipso corporis habitu conspicuum sit hominibus eos ieiunare. Illud habetote certum, nihil est quod ob ista benefacta mercedem expectent à deo. Iam enim habent præmium suum, hoc assequuti, quod aucupabantur ieiunio. Tu uero quoties ieiunas dissimula magis ieiunium, & uncto capite lotaque facie læticiam præ te feras, ne te sentiant homines ieiunare. Neque putes in frugiferum esse ieiunium, quod latet homines. Tibi satis est, quod pater tuus uidet, cui nihil est occultum. Et is qui cernit in occulto, pro inani laude mortalium solidam mercedem reponet tibi. Neque rursus hæc dico, quod impium sit aliquos habere tui ieiunij conscios, sed quod animus debeat ab affectione laudis abhorrere. Tunc nemo mortalium uidet te ieiunantem, quando tu non in hoc ieiunas, ut à quoquam uidearis. Tunc solus deus uidet te ieiunantem, quando ieiunas hoc animo, ut nihilo minus libenter sis ieiunaturus, etiam si nemo uiderit mortalium. Hæc uulgus hominum non animaduertens, dum uisibilia quædam apud homines præmiola uenatur, sese frustratur inuisibili ueroque bono, quod pro recte factis largitur deus. Idem accidit ijs, qui magna sollicitudine sibi congerunt, ac recondunt opes, easque ne perdant defodiunt in terra: atqui hoc ipsum est eas perdere. Qui recte erogauit diuitias suas, is demum in tuto collocauit. Alioqui quod defoderis nec tibi est usui, tinea scilicet & furibus obnoxium est, ut iam hinc ad te nihil redeat, præter calamitosam parandi seruandique sollicitudinem. Ista nec anxie nec immodice paranda sunt uobis: & parata, aut forte obiecta, facile sunt elargienda si quis egeat, aut certe in hoc dispensanda, ut naturæ necessitati subueniatur, non ut luxui, animi uero morbo seruiatur. Et tamen in hoc studium plerique mortales, omnes curas suas conferunt, quasi paupertas miseros efficiat, diuitiæ felices. Dumque sectantur hæc falsa bona, moxque suos dominos relictura, relinquunt æterna bona, quæ uere felices reddunt, & eripere non possunt. Vos contra toto studio properantes ad optima, perfectaque, quo uere diuites efficiamini, recondite uobis thesauros in coelis, quorum custodia uos non cruciet anxia sollicitudine. Neque enim opes eiusmodi demolitur erugo tinea uero, nec fures effodiunt ac suffurantur, quibus casibus opes humanæ sunt obnoxie. Ista opes apud patrem depositas, ipse uobis seruabit tuto, nec animus uester sordidis curis depressus, hærebit humi, sed neglectis his humilioribus ac fluxis rebus, ad cœlestia rapietur. Si quidem ubi thesaurus est hominis, quem unice amat, ibi & cor erit. Nihil igitur sublime cogitant, qui congestas opes defossas habent in terra. Ipsi quidem huc & illuc obambulant, tamen animus habitat in fouea, cui credita est pecunia. Quod si corruptus est animus uel inanis gloriæ, uel auaritiæ morbo, totum quod geritur, uiciosum sit oportet. Primum enim est perspicere quid sit potissimum expetendum, & quid uere præstet id quod petimus. Porro quod est in domo lucerna, quod est oculus in corpore, id est animus in homine. Si lux animi non est uiciata caligine falsarum opinionum, malarumque cupiditatum: si mentis oculus non alio dirigit aciem, quam ad uerum scopum, quicquid agitur in uita gratum deo est, nihilque non conducit ad cumulum felicitatis: quemadmodum si domus habeat insignem lucernam, nusquam impingitur. Si oculus tuus purus est & integer, lucet membris omnibus, nec ulla pars impingit, aut errat, nimirum oculo duce. Contra si oculus corporis tui fuerit uiciatus, nullum membrum recte suo fungitur officio. Nihil enim recte iudicatur ea parte nostri uiciata, per quam unam iudicamus. Proinde si eas partes, quæ in te est data uice luminis, uersa sit in tenebras, quanta erit caligo reliquarum partium, quæ ex se lumen non habent? Si ratio cupiditatibus est excæcata, & id iudicat esse felix

illis, quod est calamitosum: id iudicat in primis expetendum quod uel contemnendum,
 uel neglectum habendum, in quas tenebras totum hominem rapiet ambitio, libido, avari-
 tia, stulticia, ira, liuor, odium reliquarumque perturbationes animi, quae suapte natura caligi-
 nem habent. Sit igitur purus ac syncerus oculus uester, ut speciet optima: sit & simplex,
 ut haec uel sola uel potissimum speciet. Ne uero putetis istos audiendos, qui se deo & ho-
 minibus, qui se terrae caeloque partientes, ita sequuntur aeterna, ut tamen haec temporaria
 nolint contemnere. Nihil enim aliud efficiunt, nisi quod dum utrumque captant, neu-
 tro potiuntur. Haec philosophia sicut ingentia praemia pollicetur, ita totum requirit ho-
 minem. Inter homines non reperiis duos tam commodis moribus, ut idem seruus possit
 duobus satisfacere. Ita fit ut alter sit deferendus, aut neutri fiet satis. Quod si domini sint
 inter se diuersis moribus, ac similitate quapiam graui dissidentes, necesse est ut seruus, si
 uelit alteri probari, alterum illum non deserat solum, sed alteri adharena oderit etiam
 quem deseruit. Quod si rursus ab hoc uelit ad alterum deficere, in hunc unum amorem
 & obsequium omne transferat oportet, neglecto eo quem reliquit. Qui uero sic inter se
 pugnant, ut deus & mammona: Quomodo unus duobus seruiet, cum imperent tam di-
 uersa: Deus imperat ut tua largiaris egenti, mammona iubet, ut per fas nefasque rapias a
 liena. Deus imperat ut consulas fratri tuo periclitanti, mammona iubet, ut tibi uiuas. De-
 us imperat sobrietatem, mammona luxum docet. Frustra igitur uobis blandiemini, si cre-
 ditis fieri posse, quod fieri non potest, ut simul & deo seruatis & mammonae. Eius quis
 que seruus est, cui uehementer est addictus. Videtis quam totos possideant opes, eos qui
 tanto tumultu illas parant, tanta sollicitudine tuentur ac seruant, tanto cruciatu amit-
 tunt. Quid non ob has patiuntur, quid non faciunt? Huic seruitio qui se mancipauit, non
 potest esse seruus dei. Totum ille requirit hominem, nec patitur tam sordidi foedique do-
 mini consortium, nec fert seruum dimidiatum, & cum hoste communem. Sed diuitum uul-
 gus avaritiae morbum excusare solet praetextu necessitatis humanae. Fami, inquiunt, &
 nudati consulitur his rebus. Ita loquuntur qui non pendent toti a deo, sed suis fidunt
 praesidijs. Ego uolo uos hac quoque sollicitudine uacare, ne quid ea cura uos auocet a
 studio rerum meliorum. Minimis contenta est naturae necessitas, & undelibet facile sup-
 petit, quod talibus quales meos esse uolo, satis sit. Aut enim succurret obuia liberalitas
 bonorum, aut opera manuarum suppeditabit, quod necessitati medeatur. Postremo si ni-
 hil horum, pater non destituet suos. Totis animis inhiantibus ad coelestia, uel non solli-
 citis haec leuiora adijciat, qui maiora largitur. Nolite itaque reponere in longum tem-
 pus: nolite discrucari sollicitudine de parandis cibis, sine quibus non uiuitur: de paran-
 do uestitu, quo tegitur corpus, & frigoris iniuria defenditur. Nonne uita res est preci-
 osior quam cibus? Nonne corpus res est preciosior uestimento? Haec tanto meliora qui
 dedit, & dedit non sollicitis: an grauabitur uultoribus hisce rebus alere tuerique quod de-
 dit? Si queritis exemplum, uertite oculos ad animantia reliqua, quae uestra gratia con-
 didit, is qui condidit omnia. An quicquam suo uictu destituit eorum quae condidit? Con-
 siderate uolucres coeli. Non serunt, non metunt, non recondunt in horrea, de futuro sol-
 licitae: uiuunt in diem uacantes omni sollicitudine: quod obuium datur sumunt cum ala-
 critate. Et tamen pater uester coelestis omnibus illis cibum suppeditat. Et uos destituet,
 quos tanto pluris facit quam auiculas? Quod si uos illi curae estis, sicut utique estis, non-
 ne superuacua est uestra sollicitudo? Si destituat ille, quid uobis proderit uestra sollicitu-
 do? Ut corpus dedit suo arbitratu, ita & uictum dabit suo arbitratu. Vultis uidere quam
 sit inutilis animi sollicitudo, de rebus huiusmodi? Quis est hominum, qui quamuis ma-
 gna sollicitudine, possit unum cubitum addere modulo corporis sui? Sed cuiusque cor-
 pus ipso ne cogitante quidem statim auctibus crescit usque ad praescriptam a deo magnitu-
 dinem, Siue curam abijcias, nihilo breuius habebis corpus: siue cura distorquearis, ni-
 hilo habebis procerius. Proinde qui te non sollicito facit, ut corpus tuum augeat ac
 roboratur: idem prospiciet de uictu citra tuam sollicitudinem, quae te a cura rerum ear-
 um auocat, quae sine nostra sollicitudine non parantur. Proinde stultum est anxie metu-
 ere, ne nobis desit pabulum, quum uideatis hoc auctibus ultro suppetere. Iam ne uos sol-
 licitos habeat providentia uestiendi corpus, contemplamini lilia, quae nulla hominum
 cura nascuntur & crescunt in agris, Non laborant, non nent. quis autem illis de uestitu,

Nemo potest
 duobus domi-
 nis seruire.

Respiciite uola-
 tilia coeli

Quis autem
 cogitans

c. 4. ut

*Si enim for-
um agri*

*Nolite ergo
solliciti esse*

*Querite ergo primum
regnum dei*

ut ipsi uisum est prospicit: Quis nisi pater coelestis? Et ita prospicit, ut nec Solomon rex opulentissimus ac splendidissimus unquam sic amictus fuerit, etiam quum maxime strepitum diuitiarum suarum ostentaret, quemadmodum unumquodlibet ex his contemptis neglectisque filiis, non quæ in hortis quibus nonnihil humanæ curæ tribuitur, sed in pratis sponte proueniunt: Nihil enim tam elegans præstare potest hominum cura, quam præstat ipsa naturæ prouidentia. Quod si pater uester herbam uilem moxque perituram, quæque hodie nitet in agris, cras demessa & arefacta, in clibanum mittenda, tanto nitore uestit: quur uos adeo parum illi fiditis, ut uobis, quibus tanto præstantiora contulit, quosque immortalitati condidit, ac peculiariter in sui nominis gloriam parauit, putetis defutura uestimenta, quæ uobis qualiacunque non ad ornatum, sed ad necessitatem quaerenda sunt? Proinde qui patrem habetis deum, tanta benignitate prospicientem etiam aui culis, prospicientem flosculis & herbis: quarum illæ ratione carent, hæ nec sentiunt: quæ uideatis illum uos tanti facere, ut corpori mira prouidentia composito, animam indiderit rationalem, & angelicis mentibus similem: ut filiorum titulo dignetur: ut uos ex omnibus delegerit sua gratuita charitate, quorum sincera uita castaque doctrina notus & gloriosus fiat apud uniuersum mortalium genus, quos ad æternæ uitæ hæreditatem destinauit, abijcite istam humilium & sordidarum rerum sollicitudinē, ut anxij trepidique dicatis: quid edemus, aut quid bibemus, aut quo uestiemur? Ethnycorum istæ uoces sunt, non Christianorum: siquidem illi aut deum esse non credunt, aut non credunt agere curam mortalium. Neque didicerunt aliam esse potiore uitam, ad quam omnis cura sit dirigenda. Itaque dei præsidij diffisi, & in his quæ corporis sunt felicitatem hominis constituentes, magna sollicitudine parant, quæ ad uicium uestitumque aut reliqua corporis commoda faciunt. Gestunt gaudio, cum hæc obtigerint: exanimantur metu, quum his imminet periculum: discruciantur mœrore, ac nonnunquam ad laqueum currunt, cum hæc eripiuntur. Ac per has curas affixi rebus perituris, nec hic uiuunt suauiter, nec ad coelestium bonorum studium possunt animum erigere. Quis est inter homines pater tam impius, ut liberis suis non prospiciat de rebus ad uitam necessarijs? Vos patrem habetis tam diuitem, tam benignum, tam prouidum, ut omnibus sufficiat, ut omnia locupletet, ut nihil quamlibet minutum aut contemptum destituat, & metuitis ne filiis suis non suppeditet ista, sine quibus non uiuitur? Hanc curam in illum transferte: nouit his omnibus uobis opus esse. Nec enim tam durus est, ut suum agentibus negocium necessaria subtrahat. Sed dicet aliquis: quid igitur? An non parabimus opera manualia, quo nos uxorem liberosque nostros alamus: quo pauperum inopiam subleuemus? Maxime: sed absque sollicitudine. Siquidem uulgus conduplicat suam miseriam, simul & laborans corpore, & animo sollicitum. Serunt, sed anxij, ne non proueniat quod serunt: metunt sed anxij, ne miles aut prædo prius auferat quod demessum est, quam condatur in horreum. Condunt in granarium, sed anxij, ne pestis aliqua uiciet frumentum, aut ne incendium exortum perdat. Postremo quoniam ad copiam spectant, non ad præsentem necessitatem, & in longinquum congerunt, quasi certum sit illos diu uicturos, & nihil unquam satis est. Vos itaque si res ita poscet laborate, sed absque sollicitudine. Si obtingit sine fraude, & absque negotio pecunia, accipite, sed sic, ut eius cura nihil uos remoretur ab Euangelij negotio. Maius enim quiddam agitis, quam ut leuium & fluxarum rerum cura conueniat auocari. Prima cura sit eius boni, ad quod ista collata nullius sunt momenti. Instaurandum est regnum dei, hoc est, doctrina Euangelica per quam pertingitur ad coelestem hæreditatem. Huius uos præcones & adiutores delegi: & ostendi quam eximijs uirtutibus sit opus ad hoc negocium obeundum, ut inimicos diligatis, et salutem optetis his qui uobis moluntur exitium. Hæc quia summa sunt, nec uobis sine uestra sollicitudine contingent à patre, primum uobis quaerenda sunt: reliqua leuiora quæ pertinent ad huius uitæ necessitatem, pater optimus ultro uobis non sollicitis, uelut auctarium adijcietur utroque nomine gratias agatis illius munificentiae, et quod illa summa uobis adnitentibus præstiterit, et hæc citra uestram sollicitudinem adiecerit. Non uult uos grauari curis, quæ faciunt afflictiores, meliores non faciunt. Et hoc negocium quod suscipitis tam arduum est, ut totum animum, ut expeditum, ut uacuum reliquis curis desideret. Quare uelut in diem uiuentes præsentibus rebus contenti, nolite discruciaci cura futuri, quemadmodum facit hominum uulgus, sibi conduplicantium afflictionem

tem, dum & de presenti necessitate fatagunt, nihil non facientes, & futuri metu distortentur. Quod hodiernus dies obtulit, accipite cum gratiarum actione. quid crastinus dies sit allaturus, ipso curandum relinquite. Si quid adferet boni non pendebitis spe: si quid mali, non praeuenietis afflictionem metu futuri mali. Habet hæc uita suas afflictiones, quas nihil est necesse metu conduplicari. Satis enim est eas ferre quum adsunt, ut non etiam timor nobis præsentis reddat antequam accedant. Tempus ista uoluit ac defert in uita mortalium, lata tristibus miscens, quæ tamen omnia uobis uertentur in bonum, si quicquid inciderit, boni consulentes, totos uos possideat cura regni cœlestis.

CAPVT SEPTIMUM



N S T & aliud in quo uelim uos procul abesse à moribus Scribarum & Phariseorum. Siquidem illi cum sibi ignoscant in grauissimis peccatis, tamen erga fratrem peccantem iudices agunt inclementissimos, etiam ea calumniantes quæ recta sunt, sinistre interpretantes quæ sunt dubia, exaggerantes quæ leuia sunt: denique si quem uiderint in aliquod grauius crimen prolapsum, magis hoc agentes, ut perdant quàm ut sanent.

*Nolite in-
dicare*

Atque hinc quoque iustitiæ famam sibi uenantur, quod magno supercilio sauiant in lapsus alienos, quum id faciant nec amore proximorum, quos extinctos malunt quàm correctos, & traductos potius quàm emendatos: nec odio uitiorum, quum ipsi suis uitis longe grauioribus indulgeant. Vestra uero iudicia, si qua sunt, sapere debent Euangelicam charitatem, quæ facile condonat: quæ non temere suspicatur de quoquam: quæ quicquid anceps est, in bonum potius quàm in malum interpretatur: quæ multa lenitate sua tolerat: quæ mederi mauult quàm punire: quæ suæ infirmitatis conscia talem se præbet iudicem in commissis alienis, quales uelit alios experiri erga se peccantem. Postremo non sumit sibi supercilium in obiurgandis malis aliorum, si sibi sit conscia similium aut etiam maiorum: se sibi prius censorem ac iudicem adhibens quàm alterum increpet aut admoneat. Atque interim usu uenit illis superciliosis, ut iniqui iudicii exemplum in ipsos autores recidat, & alios uicissim experiantur suæ uitæ censores tales, quales in alienam egerint. Nolite ergo uos sic alios iudicare, ne simili modo iudicemini ab alijs. Alioqui fiet, ut quale iudicium exercueritis in alios, tale uicissim alij in uos exercent, quaque mensura mensi fueritis alijs, alij uicissim metiantur uobis. Ut enim officium inuitat officium, clementia clementiam, ita calumnia calumniam, sauitia sauitiam. Qui male loquitur de proximo, peius audiet. Nulli enim atrocius sauiunt in quamlibet leues lapsus proximi, quàm qui ipsi madent uitis longe grauioribus. Hic tradit fratrem, quod ueste discincta utatur, quum ipse totus mædeat liuore: ille nihil non dicit in fratrem, quod uictus imbecillitate carnis concubina sit usus, quum ipse totus seruat auariæ & ambitioni. Alius execratur fratrem quod bibit paulo largius, quum ipse tot homicidia, tot ueneficia gerat in pectore, adeo cæcutiens ad sua tubera quum ad uerruculam alienam est oculatissimus. Quod autem est istud præposterum iudicium? In suis quisque malis debet esse iudex acerrimus, in alienis mitior: ad sua quæque uitia decet esse oculatum, in alienis non perinde curiosum. Et sibi quisque primum debet esse medicus, priusquam alteri manus admoueatur. Tu uero quum uides festucam in oculo fratris, quum trabem quæ est in oculo tuo non uideas? Aut qua fronte dicis fratri tuo, sine eiiciam festucam ex oculo tuo, quum interim ipse gestes trabem in oculis proprijs? Hypocrita, qui non ex tuis bonis, sed ex alienis malis sanctimonie laudem uenaris apud homines, prius eiice trabem ex oculo tuo, ac deinde puro iam ac purgato oculo tuo dispicias, num qua sit festuca, quam eiicias ex oculo fratris. Ut oculo iudicamus ea quæ sunt corporis, ita animo iudicamus ea quæ sunt animi. Proinde uitio careat oportet illud, quo uitium alienum iudicamus. Et seipsum prius docuerit oportet, qui suscipit alios docendi prouinciam: & sui iudex sit oportet, qui parat in alios pronunciare: & sibi monitor sit oportet, qui uelit alios admonere. Atque hæc quidem potissimum ad eos pertinent qui populi curam gerunt. Quanquam autem uolo uos esse promptos ad benemerendum de omnibus, tolerantibus erga eos qui uos afficiunt iniuria: simplices & candidos erga eos qui labuntur humana infirmitate: denique & erga peruersos tales, ut malitis eos corrigi quàm extinguere: nolim tamen Euangelicæ sapientiæ mysteria, sine delectu prodi dignis & indignis

*Nolite dare
sanctum ca-
nibus*

& indignis. Etenim si Iudei tanti faciunt sua sacra, ut ab his arceant canes animal impuri: si diuites tanti faciunt suos uniones, ut non projiciant eos porcis, alioqui infani habendi si id faciant: uos qui possidetis ea quæ uere sancta sunt, quæq; superant omnes baccas quæ libet preciosas, cauete ne opes euangelicas projiciatis indignis. Canes enim sunt qui toto pectore dediti prophanis rebus abhorrent ab ijs quæ sapiunt sanctimoniam. Sues sunt qui toti immerfi uoluptatibus obscœnis, execrantur puram castamq; Euangelij doctrinam. Canibus putria cadauera & foetidus uomitus iucundior est omnibus condimentis & aromatis, sus cœnum mauult quàm gemmas. His igitur qui sic palam præ se ferunt contemptum sanctorum doctrinæ, ut nulla spes fructus uideatur, non oportet ingerere secreta doctrinæ cœlestis, ne prouocati per occasionem sceleratioribus etiam euadant quàm antea fuerant, & idem eueniat quod euenturum sit, si quis margaritas porcis obijciat, aut canibus id quod sanctum est. Nam canes non solum non reuerbuntur rem sacram, uerum etiam irritati factu insilient in uos, ac dilacerabunt dentibus: & sues preciosos lapillos, ceu rude ra pedibus suis conculcabunt. Ita nec canis re sancta fit sanctior, sed rem sanctam prophanat: & sus non fit ornatior gemmis, sed illarum puritatē conspurcat. Sic homines deplo ratæ malitiæ doctrinam sacram ut stultam irrident, ubi cognorint, & ut impiam calumni antur: ac negotium facessunt ijs qui tradiderunt. Auidis igitur, aut certe sanabilibus communicanda est Euangelica Philosophia. Nec statim credenda sunt omnia omnibus: sed ut quisque specimen sui profectus præbuit, ita sunt abstrusiora quædam aperienda. Hæc eximia bona, ut non sunt à uobis communicanda quibuslibet, ita non contingunt à deo patre segnis & oscitantibus. Dat hæc, sed auide petentibus: non negat hæc, sed studiose quærentibus: non arcet ab hoc thesauro, sed improbe pulsantes. Petite igitur à patre, non gemmas aut aurum, sed has ueras & inestimabiles opes animi: petite inquam, & quod petitis dabitur. Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Diues ac benignus est pater uester: nulli negat, nulli inuidet opes suas, sed agnosci uult earum precium. Non agnoscit autem qui segniter optat. Quisquis igitur ut par est petit, accipit: quisquis auide scrutatur, inuenit: quisquis instanter pulsarit fores, huic aperietur. Porro recte petit qui petit salutifera, qui petit cum fiducia: recte quærit qui quærit infatigabili studio: recte pulsat qui pijs operibus diuinam bonitatem sollicitat. Quod si non protinus accipitis quod petitur, ne diffidite tamen de benignitate patris uestri. Dabit quum opus erit, & quantum opus erit, si modo perseveraueritis. Non enim minus exorabilis est deus erga filios suos quàm homo pater erga liberos suos. Quis enim est inter uos pater tam inhumanus, ut si filius petat rem utilem, puta panem, non illi det quod petit, sed pro pane lapidem porrigat? Aut si piscem petierit obsonij loco, pro pisce serpentem illi porrigat? Vtiq; negaturus si lapidem aut serpentem, aut alioqui rem noxiam peteret. Vos igitur natura procliues ad malum, atque etiam alijs in rebus mali plerunque, tamen hac in parte, non uirtute, sed naturæ impulsu seruatis pietatem, ut noueritis utilia dare liberis uestris, quanto magis id faciet pater uester cœlestis natura bonus? An is non dabit uobis filijs suis sua bona, si benignitatem ipsius flagrantibus ac pertinacibus uotis sollicitaueritis? Porro quod ad uitæ cōsuetudinem attinet quæ mutuis officijs & iniurijs inuicem aut lædatur, aut iuuatur, quoniam prolixum sit de singulis præcipere, dabo formam generalem, cuius uis sit omnibus à natura insita. Nemo sanus sibi non bene cupit: sed uulgus hominum sic est amans sui, ut alienis malis suis consulat commodis. Vobis nō itidem faciendum, sed quales optaretis alios esse in uos, tales uosipsum præstare in alios. Nemo cum ignorantia tenetur, nō cupit doceri: nemo cum labitur, non cupit amanter ac secreto moneri potius quàm traduci: nemo cum eget, non uelit sibi subueniri: nemo uelit obrectari famæ suæ, nemo fraudari. Ex hoc igitur sensu communi qui nulli mortalium non est inditus, quisque sumat sibi consilium qualis esse debeat erga proximum suum. Quod sibi fieri nolit, ne faciat alteri: quod sibi fieri gaudeat, præstet in alterum. Hoc est compendium & summa omnium quæ docet lex & prophetæ: quos si aut non uacat, aut per inscitiam literarum non potest aliquis euoluere, certe nemo non habet domi regulam ad quam dirigat actus suos, modo rationi quàm cupiditatibus obtemperare malit. Hæc si uidentur ardua ijs qui diligunt hunc mundum, si uideris maximam hominum partem diuersa sequi, ne quid animum uestrum commouerit. Optima quæque difficiles habent aditus. Vos spectate magis quò ducat

Petite & dabitur uobis

Omnia ergo quaecunque uultis fac

ducat hæc uia, quam an commodum habeat ingressum. Fingite duas esse portas, alteram arctam, ad quam non sit aditus nisi per angustam uiam, sed quæ mox ducat ad uitam æternam. Alteram latam ac patentem, ad quam spaciofa uia præbeat omnibus aditum, sed quæ mox ducat in exitium æternum. Vos ergo intrate per angustam portam, malitis quæ cum paucis tendere ad uitam æternam quam cū multis ad perditionem æternam. Siquidem spaciofa uia, quoniam neminem arctat legibus pietatis, quoniam his rebus ad blanditur quæ delectant sensus corporis quæ blandiuntur animi cupiditatibus, facile plurimos ad sese pellicit, sed ad breue tempus delinītos, per amplam portam transmittit in calamitates inenarrabiles, & falsis bonis deceptos, tradit ueris malis. Quam uero angusta est porta, quam arcta est uia quæ ducit ad uitam? Nihil enim ostentat quod blandiatur carni: multis aspera est: quæ molesta sunt etiā naturæ, protinus obijcit, paupertatem, ieiunia, uigilias, tolerantiam iniuriarum, castitatem, sobrietatem. Hæc porta non capit huius mundi gloria turgidos, hæc non capit fastu elatos, hæc non capit luxu distentos, hæc non capit diuitiarum sarcinis onustos, hæc non capit reliquas huius mundi copias secum trahentes. Non recipit nisi nudos, & ab omnibus huius mundi cupiditatibus expeditos, ac uelut exutis corporibus in spiritum extenuatos: unde fit ut à paucis inueniatur, quod non cernatur nisi purgatis oculis, quibus perspicua sunt bona spiritalia. Sed ab istis qui libidine, luxu, fastu, auaritia, reliquis quæ cupiditatibus ludentes, ac risum insanum ridentes tendunt in exitum, uobis non est periculum: siquidem illos sequi non error est sed insania: magis cauendum est ab his qui uobis se iungunt, speciem habentes pietatis, cū sint pietatis hostes. Deū patrē, Euangelicam doctrinam, regnum cœlorū habent in ore, cultus est uilis, ora pallent ieiunio, corpus habent attenuatum macie: orant prolixè, largiuntur pauperibus, erudiunt populum, & interpretantur sacros libros: atq; harum rerum imagine personati ueniunt ad uos, uelut ouilla pelle tecti, quum intus sint lupi rapaces, & Euangelici gregis laniatores. Nihil sit negocij lupum ab oue dignoscere, si uterq; suam ædat uocem, si uterque sua pelle tectus ueniat. Quid autem facias, ubi lupus ouillo uellere, ouilla uoce ouem simulans, irreperit in ouile, non ut ouis fiat, seu ut crudelius oues laniet? Mutat uocem lupus, & Christi nomen proficitur: proficitur Euangelicam doctrinam, sed ut incautis aspergat hæreseos suæ uenena. Simulat opera pietatis, quo magis aliorum simplicitate ad suas cupiditates abutatur. Ab his igitur diligenter est cauendum uobis, quos de legi gregis mei custodes ac pastores. Facile deprehendetis simulationis præstigium, si propius inspexeritis: non titulum & uestem, sed ipsa facta quæ produnt animum insyncerum. Nam etiam si bene docent, tamen hoc ipsum quod docent non præstant. Est suus cuique arbori peculiaris foetus, qui sapore prodit radicem. Si uitam & mores attentius obserues, reperies illos sibi placentes, suis commodis ubique seruientes, elatos, uindictes, inuidos, obrectatores, gloriæ sitientes: nonnunquam & uentri deditos, & omnino suum negocium agentes potius quam gregis aut euangelij. Ostendi qui sint fructus arboris Euangelicæ: nimirum animus alienus ab omni fastu, animus lenis & minime appetens uindictæ: animus contemptor omnium uoluptatum huius mundi: animus contemptor opum & sitiens esuriensque pietatis Euangelicæ: animus promptus & expositus ad bene merendum de omnibus: animus purus ab omnibus cupiditatibus, nec aliud spectans quam ad deum: animus nihil afflictionum recusans, modo prouehat doctrinam Euangelicam: animus nihil mercedis expectans in hoc mundo pro suis benefactis, neque gloriam, neque uoluptatem, neque diuitias: animus qui bene uelit etiam male uolens, qui bene mereatur etiam de malemerentibus. Hos fructus qui uere præstat ipsa res, is demum est arbor Euangelica. Proinde qui se iactant prophetas, & hoc titulo se uendunt: qui cultu religioso se fingunt oues, quum affectu sint lupi, ab his fructibus sunt estimandi. Nolite spectare frondes & corticem. Hæc sæpe communia sunt agrestibus cumini, salubribus cum pestiferis: foetus gustatus indicat, qualis sit arboris succus. Quod si uideritis in his auariciam, arrogantiam, liuorem, ulciscendi libidinem, fucum, aliaque id genus quæ uelut ex diametro pugnant cum fructibus Euangelicæ mentis, nolite putare ex istis arboribus aliquid boni fructus proditurum. Quis enim sic insanit inter homines, ut de spinis colligat uuas, aut de tribulis ficus? hoc est ex asperis & inominibus fruticibus fructus suauissimos? Idem fit inter homines. Arbor uere bona, & succum

Attendite à
falsis prophetis

A fructibus
eorum cognoscetis

Nunquid colligunt de spinis uuas

& succum mitem gerens in radice mentis, & dicit bonos fructus. Contrà, arbor uere mala, quibuscunq; sit folijs, quocunq; cortice, tamen fructus edit malos. Nec possunt hæc inuerti, natura uidelicet repugnante. Neq; enim qui sincero est animo, potest non factis exprimere synceritatem affectus sui; neq; rursus qui uitiato est animo potest ea præstare factis, quæ uere bonum arguunt. Tamen si præstigijs ac specie sanctimoniarum nonnunquam imponit incautis hominibus, certe deo non potest imponere. Proinde qui fucate boni sunt, dant operam ut omisso fucō fiât boni. Potest enim inter homines ex arbore mala fieri bona. Quod si perseverauerit in peruersa simulatione, metuat ne hoc patiatur à uindice deo, quod arbor infrugifera patitur ab agricola suo. Quid autem patitur? Exciditur, & in ignem cōjicitur. Sic quisquis in regno dei aut nullum affert fructum, aut fructum & dicit indignum sua professione, nisi resipuerit, in ignem æternum abijcietur. Hoc igitur indicio dignoscetis eos, nimirum ex ipsis fructibus, quos si malos in eis deprehenderitis, submouebitis à cura gregis, nec recipietis in regnum cœlorum, nec habebitis pro Christianis, sed pro hostibus: non ut illos lædatis, sed ut caueatis ne gregi nocuant admixti. Nihil est enim perniciosius impietate, cui sanctimoniarum falsa species fidem addit & auctoritatem. Non omnis qui me uerbis duntaxat profitetur, dignus habebitur regno cœlorum. Neq; enim titulus Christianum facit, sed uita; neq; protinus eos pro discipulis agnoscat, qui mihi religiosi uerbis dixerint, domine, domine, quum re ipsa longe alijs dominis seruiant, mammonæ, uentri, ambitioni. Quos igitur dignabor regno cœlorum? qui uere repudium miserunt terrenis cupiditatibus, & ex animo obtemperant uoluntati patris mei qui in cœlis est, cuius uoluntatē ego uobis prædico. Siquidem ab illo est quicquid uos docéo. Atq; adeo non proderit nomen meum his qui spiritu factisq; meis caruerint, in illo die quū non iam humano iudicio quod sæpe fallitur, sed diuino, pro suis cuiq; meritis præmia designabuntur, & seperabuntur oves ab hœdis: ut nec illa sint eis profutura, quæ nunc inter mortales diuinum quiddam & homine maius præ se ferunt. Tum enim uidentes iam æternam uitam paratam his qui doctrinā Euangelicam sequuti, se declararunt ueros esse discipulos meos: rursus æternum supplicium his qui ab horum consortio semouebuntur: multi metu territi uenient, & agnoscere iam cupient apud deum, quum apud homines simulauerint præcipuos quosdam & eximios discipulos Christi, Euangelijq; præcones, dicentq; mihi: Domine, domine, non agnoscis famulos tuos? Nonne per tuum nomen futura prædiximus? Nonne per tuum nomen dæmonia profligauimus? Nonne per tuum nomen uenena morbosq; pepulimus? Nonne per tuum nomen alia prodigiosa quædam ac stupenda multa fecimus, atque his factis nomen tuum illustrauimus? Tor argumentis docuimus nos esse tuos, & nunc non agnoscis? Tunc audient ex me tale responsum: Profecto nunquam agnouimus uos, ne tum quidem cum ista faceretis. Audio domine, domine, sed fidelium seruorum animum nunquam sensi in uobis. Audio multam mentionem nominis mei, sed spiritum meum nunquam expertus sum in uobis. Audio miracula per nomen meum gesta, sed non audio fructus illos proprios & peculiare, per quos uere Christi discipulus agnoscitur. Proinde quando nec tum uere mei fuistis, quum meo nomine uos uenditabatis inter homines, sed sub simulata professione mei seruistis diabolo, discedite nunc à me, & accedite illi, cuius spiritum haussistis, cuius uoluntati obtemperastis. Quocunque titulo fuerint, quicunque operati sunt iniusticiam, non erūt consortes regni mei. Sed quemadmodum fructus arboris non potest esse generosi saporis, nisi radix succum habeat generosum: ita structura quauis foris magnifica & in altum surgens, firma non erit, nisi firmo solidoq; fundamento nitatur. Qui meum hauserit spiritum, hoc est, syncerum affectum, non alio spectantem quam ad dei gloriam, is est arbor bonæ radicis. Ita qui non innititur inanibus huius mundi rebus, sed ueris animi bonis, atq; in his constanter perseverat, is sapienter ædificat ædificium nunquam ruiturum. Proinde quisquis audit sermones meos, nec audit tantum, sed in intimos affectus suos demittit, ut factis exprimat quod didicit: hunc similem aio uiro prouido prudentiq; qui quo solidum ac firmum ædificium struat, ante omnia dispicit sibi solidum & immobile fundamentum, cui credat substructionem aduersus omnes iniurias tempestatum duraturam. Nam tranquillo quidem cœlo, quoduis ædificium facile consistit: cæterum hyems arguit soliditatem structuræ. Iam pluuia uis ingruens, illam pulsariam aucta imbribus flumina, magno impetu illam quatunt; iam uentorū impetus illā oppugnat, & tamen

Nō omnis qui
dicit mihi do-
mine domine

Multi di-
cent mihi

Omnis ergo
qui audit uer-
ba mea

tamen tot modis pulsata, consistit immobilis. Quur ita? Quia solido nititur fundamento. Prouiderat hæc exoritura ædificator: & ideo imposuit illam solido saxo, cuius præsidio nihil illos insultus metueret. Rursus quisquis audit sermones meos, & audit tantum, nec eos transfundit in affectus suos, nec hos exprimit factis, similis est ædificatori parum pro uido: qui non præuidens tempestates uenturas, ædificium suum collocat super harenam, uidelicet fluidum minimeq; fidele fundamentum. Post irruit pluuiæ uis, irruit torrentium impetus, irruit uentorum procella, domusq; à fundamentis conuulsa soluitur, magnoq; fragore concidit. Quur ita? quia splendida quidem in speciem erat structura, uerum nitēbatur inuiti fundamento. Prima sit igitur cura fundamenti. Ieiunia, eleemosynæ, preces, sordidus uestitus, deniq; miracula, sunt quidem instar splendidi ædificij: cæterum si animus ista gerentis spectat inanem hominum laudem, si quæstum, si uoluptatem, corrumpent omnia, si quando ingruerit uehemens tentationum procella. Cæterum cuius affectus fixus est in doctrina promissisq; Euangelicis, à solo deo præmium expectans recte factorum, is aduersus omnes malorum iniurias, aduersus impiorum atrocissimas persequutiones, aduersus hæreticorum insidias & insultus, deniq; aduersus omnes machinas satanæ, aduersus mortē ipsam stabit inconcussus, & infractus usq; ad diem illum, quum perseuerantia uictrix malorum, suam feret coronam. Hos sermones quum finisset Iesus, admirabantur turbæ nouum hoc doctrinæ genus. Nihil enim huiusmodi audierāt ex scribis aut pharisæis, qui si quid addere solent legi Mosaicæ, quo se redderent admirabiles populo, dilutas quasdam constitutionuculas solent adferre, de lauandis ante cibum manibus, delauando corpore, si quis à foro domum redisset, de lauandis poculis, de decimis persoluen-
dis ex prouentu menthæ & rutæ. Nihil huiusmodi docebat Iesus, sed quum miraculis testatus esset, quid posset factis, talem item sese declarabat in doctrina, cum autoritate utans quod lex indulserat, & exigens quod lex non exegerat. Lex indulserat repudium, quacumq; de causa: Iesus interdixit omne repudiū, nisi intercesserit adulterium. Lex nihil aliud uetat quam occidere: Iesus exigebat, ut nec irascerentur fratri, ut facile declararet se non esse legis interpretē tantū, sed dominum: non ministrum, sed autorem. Postremo uigor quidā doctrinæ perfectæ, ac genuina quædā ueritatis uis afflabat doctōe ac simplici multitudine: nihil expertam simile in suis scribis ac pharisæis.

CAP. VIII



AE C igitur sublimia loquutus in monte Iesus, non quibuslibet, sed præcipue discipulis suis, & his qui spiritus alacritate potuerant illos consequi: rursus demittit sese ad humilitatem promiscuæ turbæ, quæ multos habebat segnes debiles, claudos & agrotos, qui corporalibus etiam beneficijs alliciendū erant ad studium rerum coelestium. Atq; in his sanandis hoc ipsum agebatur per imaginem, quod per doctrinam agebat sanandis animi morbis. Vtræq; res alteri conciliabat fidem atq; autoritatem. Libentius illi credimus quem amamus, & beneficijs conciliatur amor. Ac facile pondus apud nos habet illius oratio, quem conspiciamus in factis tam esse potentem. Ergo quum Iesus relicto monte uenisset in planiciem, hinc atq; hinc uariæ hominum cateruæ ad illum confluēbant: quo miracula per eum ædenda, plures haberent testes. Numerofo igitur theatro congregato, ecce prodit quidam miraculi præbiturus occasionem, simulq; typo quodam docturus eos, qui lepra laborarent animorum: unde & qua fide deberent remedium petere. Prodit enim quidam lepra corpus habens infectum. Is morbus apud Iudæos cum primis habebatur abominabilis, & maior esse creditur, quam ut arte medicorum tolli possit. Huius morbi iudicium ueluti sacri, sacerdotibus erat delegatum: ac miris uarijsq; obseruationibus explorabant, num uera lepra corpus alicuius teneretur. Damnatis nephas erat admisceri coetibus hominum: nec fas erat inquinatum hoc morbo corpus contingere. Hic igitur damnatus à sacerdotibus, certaq; lepra impurus, ausus est uenire ad purificatorem omnium Iesum. Pudorem adimebat salutis amor, fiduciam addebat Iesu tam in omnes spectata benignitas. Spem faciebant tot aliorum exempla, qui sani domum redierant. Itaque quum prouolutus ad genua Iesum adorasset: Domine, inquit, si uis, potes me mundare. Quid hic facturus erat superbus pharisæus, aut sacerdos Mosaicus? Abominatus fuisset hominem impurum, ac ne colloquio quidem dignatus fuisset. At Iesus boni pastoris imaginem exhibens, delectatus hominis fide, cum tanta modestia coniuncta, qui non ausus sit petere ut mundaretur

Et ecce leprosus ueniens

tur, nisi uellet ipse, qui nouit quid expediat: sed tamen non dubitabat posse, si uellet: non auersatus est impurū, sed porrecta manu tetigit eum, hac sanē in parte neglecta lege, quod ad literam attinet. Et adiecit sermonem, quo simul & uoluntatis bonitatem, & potentie sue magnitudinē declararet. Quandoquidē, inquit, credis me posse, si uelim, uolo, mūdus esto. Simulq; cum dicto mutata cute reliquit eum morbus, teste populo. Sub hac Iesus, quo maior esset fides miraculo, simulq; eriperetur anfa sacerdotibus calumniandi, quod sibi uindicaret autoritatē iudicandi de lepra: & ad se trahere cuperet lucrū, quod ex munitatis à lepra soleat ad ipsos redire, dicit illi: Vide interim ne cui te prādicēs esse purū à lepra. Neq; enim tuū est iudicare de teipso, nec ego mihi sumo quod est sacerdotum. Prius igitur adito sacerdotē, illiq; temet ostende, & si te pronunciauerit esse mundum, qui antea pronunciauerat esse leprosum, tum offeras munus, quod Moses iussit offerri ab his quibus contigisset à lepra mundari: ne post & te calumnient, qui te turbā admiscueris: & me, qui nō potuerim ueram prāstare sanitatē. Munus enim ab illis acceptum uelut à puro redarguet illos, si post cōperint odio mei calūniari quod factū est. Etenim si leprosus antea nō eras, quur te summouerunt à castris: Si nunc purus nō es, quur abs te ceperunt munus solenne uelut à purgator. Voluit autē Iesus testem esse populum, quantū leproso profuisset sua fides, quamq; nullo negotio uerbo morbum omnē abstulisset, ut eadē fide audirēt doctrinam ipsius, qua sanaretur à morbis animorū. Ergo postquā Iudæos factō docuisset, synceritate fidei facillimā esse uiam ad salutem: ita mox in Centurione docet ne gentibus quidē esse prāclusam, si modo fides adsit Euangelio digna. Quū enim ingressus esset Caernaum: id oppidū est haud procul à stagno Genesareth, in confinio Zabulon & Nephtalim: adiit illum centurio quidam, quod hominum genus duobus nominibus execrabantur Iudæi: primum quod ferē sint incircumcisi, & à lege Mosaica alieni: deinde quod uitæ genus infame sit uulgo. At nec hunc auersatus est optimus Iesus, qui uenerat sanādis omnibus. Rogat hunc Centurio, dicens: Domine, est mihi famulus domi, quē unice charum habeo, ueluti fidum & utilem ministerijs: is iam totus inutilis lecto affixus est paralyti: & non solum mihi non potest esse usui, sed etiā grauiter discrucietur ipse morbo sequissimō, iam morti proximus. Est autem & hoc morbi genus ut periculosum ac molestum, ita nō temere cedens arti curæq; medicorum. Iesus delectatus hominis fide, qui non dubitaret ipsum & absenti uerbo mederi posse, quo magis redderet omnibus perspicuā insignē uiri fiduciam cum summa mētis humilitate coniunctam, respondit: Ipse ueniam & sanabo eum. Ad hęc Centurio: Domine, Iudæus non sum, Centurio sum, duplici nomine Iudæis abominandus, & ob hęc indignus, cuius tu rectū subeas, meoq; contubernio cōtamineris. Nihil opus est corporis tui prāsētia: tantum uerbo iube, & quæ tua potestas est, protinus sanabitur famulus meus. Habes angelos, quibus huiusmodi munera delegates: Ex meipso coniecturam facio. Habeo prāfectum cui subditus sum: eius iussis obtēpero: nec est necesse ut ipse per sese obeat omnia. Satis est illi delegasse cū autoritate. Rursus habeo milites meæ potestati subditos, per quos obeo, quæ meipso parum sunt digna. Tantū iubeo, & illi iussis obtēperāt. Huic iubeo ut eat aliquod & abiat: alteri ut ueniat, & uenit. Rursus seruo meo, in quē mihi priuatum ius est, dico, fac hoc aut illud, & nihil contatus facit quod iussus est. Si mihi peccatori & abiecto homuncioni sic obediunt mei, quanto magis tuis iussis obediant tui: His auditis miratus est Iesus, non quod ignoraret hominis fidem, sed ut omnibus admirabilē redderet: & cōuersus ad Iudæos qui sequebant, eisq; uelut exprobrans incredulitatē suam, dixit. Illud affirmo uobis, hactenus nō inueni tantū fidei in populo meo Israelitico, quantū in hoc alienigena, qui nec prophetas nouit, nec nostrā doctrinam accepit, nec miracula uidit. Vos uobis placetis, quod sitis filij patriarcharū, quos deus amauit: quod sitis populus deo peculiaris, cui salus hęc prācipue promissa uidetur. Verū illud affirmo uobis: futurum est ut multi ueniant undiq; ex remotissimis orbis partibus, quos uos ut alienigenas abominamini, per fidem irrumpentes, & recumbent cū Abraham, Isaac, & Iacob in regno coelorum: hosq; uestri patres ob fidem Euangelicam, pro legitimis filijs agnoscent, & adhibebunt suæ mensæ, consortes æternæ felicitatis. Cōtrā filij regni, qui iuxta carnis cognationem genus ducunt ex Abraham Isaac et Iacob, ob incredulitatē non solū nō recipientur ad felix illud cōuiuium, sed expellentur in tenebras externas, qui lucē oblatam cernere prius noluerint. Ibi dabunt poenas diffidentiae suę flentes, ac striden

Accessit ad
eum centurio

Domine non
sum dignus

Non inueni
tantā fidem
in Israel

tridentes dentibus: fero iam intelligentes, à quanta beatitudine per suam maliciam exciderint: & dolorem acuet liuor, quum uidebunt alienigenas ad felicitatem & honorem ipsis promissum admissos. Hæc ubi Iudæis dixit Iesus, quo sermoni fidem astrueret miraculo, uersus ad Centurionem ait: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi: nimirum declarans sanitatem non tribui, nec generis, nec alijs meritis, sed soli fidei, quam in plerisque Iudæis desiderabat. Dictum sequuta res. Siquidem compertum est eodem tempore subito Centurionis famulum fuisse morbo liberatum, ne quis suspicari possit, casu aut medicorum ope factum. Nam ut nemo subito liberatur à lepra, iuxta naturæ cursum: ita nec paralyticus quenquam subito relinquit. His atque alijs quibusdam prodigijs editis subduxit se paulisper à turba Iesus, & ingressus est domum Simoni Petro & Andreæ fratri communem. Comitati sunt Iacobus & Ioannes. Ibi cognouit Petri socrum febris tam ualida teneri, ut lecto decumberet: rogatus ut eam sanaret, nihil contatus, apprehensa manu mulieris crexit eam & continuo tota febris abiit, uigor & alacritas rediit, sic ut ministraret illis cibum capientibus. Adeo nullum sui uestigium febris in ea reliquit, quum eos quos medicorum ars restituit multo tempore languor ac fastidium teneat à morbo. Quum uero iam appeteret nox, confertissima turba sese ad fores adglomerarat: expectans ut cibo sumpto rediret ad beneficia. Prodeunti obtulerunt innumeros uarijs morborum generibus obnoxiosos, atq; etiã demoniacos. Ille spiritibus eiectis & morbis propulsatis sanabat oēs: hic quoq; suo nomini respondens. Nulla erat tam foeda, tamq; horribilis morbi species, quã auersaretur Iesus. Nulla tam uehemens aut insanabilis, quæ non statim ad iussu illius relinqueret hominem. Dicto sanabat omnes, gratis sanabat omnes, iam hoc agens in tollendis promiscue morbis corporum, quod acturus erat in tollendis peccatis, quæ sunt multo atrociores animorum morbi. Nimirum in hoc uenerat in mundum: & hoc erat quod Esaias multis retro seculis, de illo futurum prædixerat: Nostrias infirmitates ipse utro in se transtulit, & morbos nostros ipse portauit. Quum uidisset autem Iesus, ne sanatis quidem aegrotis, nec ingruente nocte, iam enim occiderat sol, abire turbam, sed magis ac magis undique condensari: præcepit discipulis, ut appararent nauim transmissuro locum, quo uel sic à turbis liberaretur. Hoc audito, ceteri quidem abibant domum. Cæterum scriba quidam importunior sequutus est Iesum ad ripam euntem, cupiens in numerum discipulorum illius recipi: quem uiderat à turbis tanti fieri ob potentiam in miraculis edendis: non ut illius doctrinam uitamq; sequeretur, sed ut ex eius miraculis sibi gloriam & quantum compararet. Hic igitur aggressus Iesum dixit: Magister sequar te, quocunque ieris. Vox erat digna futuro discipulo, si uocem respondisset animus. Vltro se ingessit, & ad omnia semet obtulit, neque quicquam moræ prætexuit. At Iesus nec importunitatem hominis repulit, nec animū in syncerū exprobrauit: sed tacite admonuit nec illum sibi fore discipulum idoneum, nec se illi magistrum accommodum: quod quisquis huius mundi commoda spectaret, stulte se illi adiungeret, qui nec opes, nec gloriam, nec regnum huius mundi uel haberet uel quæreret: sed summam paupertatem, summam ignominiam, summam afflictionem amplecteretur: adeo ut nec illa suppeterent quæ uolucibus & bestijs non deessent. Vulpes, inquit, tametsi domos non habent, tamen cauos habent effossos, quibus abdant sese. Volucres in aere uagantes, tamen nidulos habent uice domicilij, in quibus conquiescant. At filius hominis adeo destitutus est omnibus huius mundi præsidijs, ut nihil usquã habeat, ubi uel caput suum reclinet. Talis magister si cui placet, me si uolet sequatur: sed affectu sequatur, non tantum uestigijs pedum. Sic ille sibi conclusus abstinuit. Rursus hoc audito quidam ex eorum numero, qui iam esse cœperant numero discipulorum, commotus imbecillitate humana, quum audisset extremam paupertatem Christi, quærens an fam aliquo prætextu elabendi à disciplina Iesu: Domine, inquit, priusquam totus te sequar quocunque ieris, sine prius, ut domum reuersus sepe uisitem meum. Causa quidem in speciem erat pia, sed Iesus docere uolens omnia post habenda negotio salutis æternæ, atq; hic omnem moram esse periculosam: non passus est tueri bonæ mentis, sed imbecilem sub pietatis prætextu testamentarijs negocijs implicari: & dum hæreditati uilissimæ consulit, excidere ab hæreditate cœlesti. Imo, inquit, noli iam tibi cum patre mortuo, qui te dedicasti uitæ cœlesti. Non deerunt qui sepeliant patrem tuum. Sine tu mortui sepeliant mortuos suos, & terræ mandent qui terrena diligunt.

Et cum uenisset Iesus

Vespere autē facto

Et accedens unus scriba

Domine per-
mitte me pri-
mum ire & se-
pelire

*Et ascendente
eo in nauiculā*

gunt mortuum infodiant terræ, qui uiui mortui sunt, atque etiam sepulti. Homi-
nibus illi uiuunt, deo mortui sunt. Tu cura ut uiuas, et à mortuorum consortio seiungere, si uere uis
uiuere. Quum igitur Iesus dimissa turba nauim ingressus esset, comitantibus ipsum disci-
pulis, inter nauigandum repente coorta tempestate, sic commotus est lacus ut fluctus na-
uim operirent. Iesus interea dormiebat capite innixus ceruicali, quodam ænigmate depin-
gens quantum immineat periculi rebus humanis, quoties ij dormiunt huius mundi com-
modis delinuti, qui uices Christi susceperunt. Sed in his tempestatibus, unde petendum
sit auxilium, docent discipuli: Siquidem ij metu exanimati, Christum uellicant, experge-
faciunt: Domine, inquiunt, serua nos, perimus. Siquidem adhuc hominem tantum esse
credebant, nec credunt sese tutos esse, nisi illo uigilante. Proinde Iesus uolens eos aduer-
sus omnes quamuis atrocium malorum insultus, intrepidus & inuictus reddere, tantam
illorum formidinem increpans: Quid, inquit, sic timetis homines exiguae fiducia? Vos
tot conspectis miraculis, auditaq; doctrina mea, non oportebat ulla re terreri, quasi uos
usquam destituat auxilium dei, si modo uos non defecerit fiducia, quam nondum in uo-
bis tantam uideo, quantā oportet. Sic admonitis discipulis suis Iesus surrexit, & ut osten-
deret sese elementorum omnium dominum increpuit uentos ac mare, continuoq; tempe-
stas illa conquieuit, & sequuta est mira tranquillitas, quo magis esset perspicuum hæc nō
geri uiribus humanis, sed uirtute diuina. Nihil enim surdus aut impotentius mari com-
moto, & tamen ad domini iussu repente uersum est in summam tranquillitatē. Porro di-
scipuli, ceteriq; qui erant in nauī, rem tam prodigiosam uehementer admirati, dixerunt:
Quis est tantus? Nam omnino præfert quiddam homine maius: quandoquidem non so-
lum morbi ac dæmones, uerumetiam uenti ac mare iussis eius obtemperāt. Hac autē ima-
gine nos docuit optimus dominus Iesus, ut quoties in nos sauerint tentationum aut per-
secutionum procellæ, non aliunde petamus auxilium, quàm ab ipso. Tumultus omnia

*Et quum ue-
nisset Iesus
transfretū*

uertetur in tranquillitatē, si modò ille in nobis uigilauerit. Quū igitur transmissio lacu Ie-
sus uenisset in regionē Gerasenorum, ecce maioris prodigij materia obijcitur. Occurre-
runt duo pessimis dæmoniis multū iam temporis obnoxij, qui aut uagabātur per loca de-
serta, aut sese continebant illic in sepulchris mortuorum, quæ solent extrui iuxta uia pu-
blicam. Horum erat tanta sauitia, ut nullis cathenis cohiberi possent, sed disruptis omni-
bus uinculis, insilirent in uiatores, sic ut nemini tutum esset illac iter facere. Nullus illos
audebat ad Iesum adducere, quemadmodum de nonnullis factum recensui, sed hos in-
uitos attraxit tacita uirtus Iesu. Cruciabantur impij spiritus, nec ferebant uim diuinam,
adeo ut sibi male conscij, sentirent nouum quendam & occultum cruciatum: etiam pri-
usquam illis loqueretur Iesus, metuerent ne iam instaret ille dies, quo relegarentur in pro-
funda tartari, supplicijs æternis afficiendi, neque posthac sinerentur hominibus esse mo-
lesti. Cruciatu igitur ac metus, ab inuitis extorsit uocem testem diuinæ uirtutis in Chri-
sto. Vociferabantur itaque per ora miserorum. Quid inquiunt tibi nobiscum est rei, Ie-
su fili dei? Num ideo huc uenisti, ut ante tempus nos torqueas? Scimus quæ nos maneat
pro meritis calamitas, sed sine nos saltem temporis moram lucrifacere. Nimium mature
nobis ueniet ille dies. Dilationem petimus, non absolutionem. Haud procul ab eo loco
quo hæc gerebantur pascebat ingens grex porcorum. Dæmones igitur sentientes sese
uehementer urgeri uirtute diuina, ne sine noxa abirent, tanta erat malicia, deprecabantur
Iesum dicentes: Si prorsus non pateris nos in hoc manere domicilio, saltem permitte, ut
hinc demigremus in porcos, animal immundum & abominandum. Hoc simul atq; per-

*Mitte nos in
gregem por-
corum*

mississet illis Iesus, cui satis erat humanæ salutis consulere, dæmonum multitudo continuo
demigrauit in gregem porcorū. Et ecce protinus totus ille grex correptus furore è monte
per præcipitium ferebatur in lacum, atq; illic interiit in aquis. Hoc passus est Iesus, simul
ut ostenderet insignem dæmonum maliciam, & occasionem præberet dilatandi rumore
miraculi. Siquidē pastores uiso hoc horrēdo spectaculo territi fugerūt, et ingressi ciuitatē
Gadaram renunciauerunt ciuibus, quicquid uiderant, quid accidisset dæmoniis, qui-
bus contigerat sanitas, iam fama cognitis, & quid accidisset gregi porcorum. Ad hunc ru-
morē tota ciuitas Gadarenorum animo cōsternata, exiit in occursum Iesu metuens ne ad
se ueniret. Viderunt porcos extinctos, uiderunt duos homines ex nudis iam uestitos,
ex phreneticis sanos, ex rabidis quietos, adeo ut sederent ad pedes Iesu, agnoscentes au-
torem suæ salutis: sed quoniam erant crassi maliciæ, magis metuebant uirtutē Iesu quàm ama-

bant bonitatem, ac pluris faciebant iacturam porcorum, quam salutem hominum: adiere Iesum, & rogarunt eum, ut excederet à finibus ipsorum: qui si pernouiſſent eum, obnixè rogassent, ut uenire dignaretur in fines ipsorum, hoc facturum in animis illorum, quod in duobus fecerat daemoniis. Qualis enim esset illorum uita porci declarant, quos daemones hominum uicarios sibi postularunt. Nihil igitur illos docuit Iesus, terruisse cōtentus. Nos tamen hac imagine docuit, nullam esse pestem animorum tam saeuam, ut sit desperanda salus, si cōtingat ad Iesum accedere. Sunt enim quēdam cupiditates, adeo effrenes, impotentes, & indomitæ, ut eum quem occuparint, ad ueneficium, ad homicidium, ad parricidium, aliāq; facinora non nominanda adigant, nonnunquam & huc impellant ueniam, ut ipse sibi manus adferat. His nulla mortalis ratio mederi potest, solus Iesus sanitatem dare potest, si dignabitur ad illos accedere. Nec desperandum: dignabitur, si modo illi uicissim occurrent.

CAP. IX



Iesus igitur nolens sanctum dare canibus, neq; margaritas obijcere porcis, conscensa naui rursus traiecit lacum, ac reuersus est in ciuitatem suam nimirum Capernaum, siquidē hic habebat domicilium id temporis. Quum igitur esset ingressus domum confluebant ad illum multi, inter quos erant & legis doctores ē Galilæa, Iudæa, & Hierosolyma, docebatq; eos sedens,

*Offerebant ei
paralyticum*

assidentibus scribis ac doctoribus. Cum autem tanta uis hominum conflueret, ut iam domus esset angusta, ac ne uestibulum quidem capax esset immensæ multitudinis, quidam adducebant quendam tam uehementi paralyti detentum, ut à quatuor baiulis unā cum lecto decumbens deportaretur, cadauer hominis uerius quam homo. Proinde quum scirent intus esse Iesum, nec præ turba daretur aditus, conscenderunt tectum, ac submotis tegulis, per hiatus funibus demiserunt grabatum unā cum paralytico, ante pedes Iesu. Iesus non offensus hac importunitate baiulorum, sed potius approbans ardorem fidei, quam oportuit non minorem esse fidem ægroti, qui sic demitti se uel iusserit, uel passus sit: conuersus ad decumbentem, ut circumstantibus fidem etiam atque etiam commendaret: Bono, inquit, animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua, prius eam partem morbo liberans, unde corporis morbus erat profectus. Et tamen inaudita mansuetudine filium appellat, hominem utraq; sui portione calamitosum, tacite pharisæis & scribis, supercilium & arrogantiam exprobrans. Turbis autem silentibus & admirantibus, scribæ nonnulli, qui meminerant in sacris scripturis sic loqui deum: Ego sum qui deleo peccata hominū, cum in tanta frequentia fauentium, non auderent palam obmurmurare, taciti loquebantur apud sese: Hic blasphemus est in deum, qui quum homo sit, dei potestatem sibi uindictat. Iesus autem qui remittendis peccatis diuinam potentiam suam subindicarat scribis, etiam peculiari signo declarat eandem: demonstrans sese non latere quid quisque cogitet. Ergo respondens ad ea quæ illi tacita secum cogitatione loquebantur ait: Quare inuidetes benefactis male cogitatis in cordibus uestris? An quia morbus animi non cernitur oculis corporeis, uti nec salus, suspicamini me falso mihi sumere, & alijs polliceri, quod præstare non queam? Sed utrum uobis uidetur facilius, dicere peccatis obnoxio, quod modo dixi: Remittuntur tibi peccata, an dicere paralytico, quem totum uidetis obstrictum morbo, surge & ambula. Vt igitur ex ijs quæ uidetis, credatis & illa uera quæ non uidetis, & filio hominis utrunque æque esse procliue, & morbum dicto tollere, & peccata condonare, dabo signum omnium sensibus conspicuum. Quod si uideritis hæc uerba, quæ nunc dicturus sum, non esse inania, sed habere uim præsentem, nolite dubitare filio hominis esse potestatem remittendi peccata in terris, idq; non sacrificijs aut holocaustis, sed simplici uerbo. Simulq; conuersus ad paralyticum, dixit: Surge tolle grabatum tuum, atque abi in domum tuam, ut ij qui te nouerunt ægrotum ac salutem desperabant, uideant te sic esse subito factum ualidum, ut non solum pedibus tuis ingredi possis, qui pauca ante quatuor baiulis portabaris, uerum etiam mutatis rerum uicibus lectulum tuum gestas, quum te gestarit hæcenus. Nec mora res ilico uocem est consequuta. Surgit paralyticus, & sublato in humeros lectulo abijt in domum suam, longe alia pompa, quam pauca ante fuerat exportatus. Hoc tam euidentis miraculum cum uidissent turbæ, planēq; intelligerent rem non esse potestatis humanæ, sed diuinæ, glorificauerunt deum, qui talem potestatem dedisset hominibus in terris, affirmantes se nihil unquā tale uidisse gestum ab

*Quid est
facilius*

his, qui inter Iudæos pro summis uiris habebantur. Scribis autem sic erat impositum silentium, ut magis etiam exacerbarent inuidiam, nimirum magis quærentibus suam gloriam, quam gloriam dei, qua per Iesum indies illucescente, se uidebant obscurari. Quæ admodum enim sol obscurat lucernam, ita diuina gloria obscurat, & euanescere cogit inanem hominum gloriam. Sed horum liuor non in aliud profecit, nisi quod Christi gloriam obliuendo reddidit illustriorem. Nouit enim deus etiam malitia mortalium, ad suam abuti gloriam. Iesus igitur ut cederet inuidiæ scribarum, digressus illinc, repetijt lacum, ubi turbam undequaque confluentem docebat. Porro quum præteriret teloneum, conspexit illic publicanum quendam sedentem Matthæum nomine, qui idem dictus est Leui, filium Alphæi. Est autem hoc hominum genus, quoniam artem exercent sordidi quæstus, & uiolenti rapacitatis, multis modis infame, præsertim apud Iudæos. At Iesus, qui prius Simonem & Andream, Ioannem & Iacobum, ab humili quidam, sed tamen licito quæstu uocarat ad se, ut palam faceret, se nullum omnino genus hominum fastidire, modo se couertat ad meliora, Matthæum ad se uocat, ac se qui iussit. Ille nihil contatus, sed relictis rationibus imperfectis, relicto quæstu, sequi cœpit Iesum, subito ex publicano factus discipulus. Habebat enim Iesu uox energiam quandam admirabilem: refulgebat & in uultu uis quædam occulta, qua quos uolebat, non aliter ad se trahebat, quam magnes ferrum. Deinde rogauit Matthæus Iesum, ut in ædibus suis conuiuium agere dignaretur. Nec hoc grauatus est Iesus, ut suos doceret, nec impiorum confortium esse uitandum, si spes sit illos nostra consuetudine fore castigatores. Porro Matthæus ex his quæ tum illi suppetebant, affatim exhibebat magnificum & amplum conuiuium, ad quod adhibebat multos sui ordinis homines, publicanos & peccatores, quos ex ipso sermone quo pertraxerat in admirationem & amorem Iesu. Cum his igitur ut uideret discumbentem Iesum unam cum discipulis suis, pharisæi captantes undique calumniandi materiam, ipsum quidem non audent interpellare, ne quod nolent audirent, discipulos ab eo conantur auertere. Quare, inquit, magister uester, cui uos hæretis ut eximie sancto, conuiuium agitat cum publicanis & peccatoribus, quos nos ut abominandos uitamus? Pares autem cum paribus facile congregantur: & tales ferè reddimur, quales sunt illi, quibus cum uiuimus. Hunc sermonem cum excepisset Iesus, pro discipulis adhuc infirmis patronum agit: docens Euangelij præcones non inquinari conuictu peccatorum, quibus cum non alio animo agunt aliquando consuetudinem, nisi ut illos alleciant ad bonam frugem. Atqui publicanos, qui uulgo peccatores habentur, pharisæi uitant, non ne malis illorum inquinentur, sed ut ipsi cum sint publicanis deteriores, apud homines habeantur sancti. Ceterum qui sanctimoniam habent Euangelicam, non ideo consuetudinem expetunt peccatorum, ut ab illis auferant emolumentum, sed ut illos locupletent pietate: nec alio studio subeunt illorum tentoria, quam boni medici subeunt ædes agrotorum. Nusquam enim decet fidum medicum uersari crebrius, quam apud eos, quibus opus est medicorum ope. Itaque uersus ad pharisæos, qui sibi iusti uidebantur, cum essent peioribus uicijs infecti: Ideo, inquit, uersor cum publicanis & peccatoribus, quia medicus sum animarum, & salutem hominum sitio. Quorum autem attinet uersari cum iustis, quales uos uobis uideamini, cum illis medico non sit opus: his opus est medico, qui male ualent, & his utilis est medicus, qui morbum suum agnoscunt, sequi præbent sanabiles. Hos igitur fastidire non est sanctimoniam, sed supercilium, & his succurrere sacrificium est deo longe gratius, quam ullum sacrificij genus, quod offertur in templo. Hoc uos latere non debuit, qui tenetis scripturas, in quibus ita loquitur deus: Misericordiam uolo potius quam uictimam. Idem apud Esaiam auersatur hostias uestras, officium misericordiæ nusquam auersatur. Hoc si nondum animaduertistis, ite & discite quid hic sermo dei sibi uelit, ac deinde si uidetur, calumniamini factum meum, quod non pugnat cum lege uestra, sed respondet uoluntati diuinæ. Cur autem fugiam consuetudinem peccatorum, qui in hoc uenerim, ut tales inuitem ad poenitentiam uitæ prioris? Multi sibi iusti uidentur, ab his si me subduco, non debent indignari. non enim egent ope nostra: & superuacaneum, imò contumelia sit eos uocare ad poenitentiam, qui nihil habent poenitendum. Hoc sermone Iesus perstrinxit, & quodammodo derisit, arrogans supercilium pharisæorum, qui sibi iusti uidentur, quum non essent. Post hæc discipuli quidam Ioannis, qui quodam humano affectu subinuidebant Iesu, de magistro suo Ioanne ueluti de præstantiore gloriantes, iuncti pharisæis adeunt Iesum, nec uerentur illum in os calumniari, quod nimis indulgenter haberet suorum discipul

Et cum transiret inde Iesus

Quare cum publicanis & pecc.

discipulos, minusque se uere institueret quam Ioannes suos, quum arctiorem quandam disciplinam uideretur polliceri. Duabus autem rebus pharisaei potissimum captabant apud populum opinionem sanctimoniae, ieiunijs, ac precationibus. Rogant itaque Iesum, quare nos discipuli Ioannis & pharisaei, frequenter ieiunamus, ac precamur ex institutione maiorum, qui docuerunt preces ieiunio commendari, discipuli tui non ieiunant aequales? Ad hanc manifestam calumniam, quoniam ipsum petebat non discipulos, Iesus humanissime respondit, sic ut nec Ioannis taxaret institutionem, nec aliorum ieiunia simpliciter daret, sed tantum ostenderet indulgentiam, qua in suos uteretur, non esse negligentiae, sed artificij, quo paulatim illos adduceret ad maiora: ueluti quum prudens litterator, & peritus artifex formandae puericiae, primam ac teneram gratem non statim deterret rebus asperioribus, sed blandimentis allecat ad difficiliora: ac responsionis occasionem mutuatur, ab ipsius Ioannis testimonio de Iesu testificans apud eos qui suspicabantur ipsum esse Christum: Qui habet, inquit, sponsam sponsum est, amicus autem eius astat, ac uehementer gaudet, quod audeat uocem sponsi: Iesum indicans esse sponsum, quem psalmi uaticinium promiserat tanquam sponsum processurum de thalamo suo: se nihil aliud quam sponsam amicum. Hunc igitur Ioannis sermonem Iesus illis reuocans in memoriam, ait: Num filij qui in recentis sponsi thalamo uersantur, ubi laeta esse decet omnia, possunt Iudaico tristitia ieiunio torqueri, praesertim quum sponsum habeant praesentem? Nolite interim eis inuidere hanc laeticiam, non diu duraturam. Sinite illos hac indulgentia leniter ac suauiter duci ad perfectiora. Habent nunc sponsum, & in hoc sunt toti, non uacat illis ieiunare: & teneriores sunt, quam ut ferre possint. Grandescunt interim, & ueniet tempus quum ab illis auferetur sponsum, tunc firmiores non solum ieiunabunt ultro, sed asperioribus etiam ferendis erunt pares. Iudaei summam religionis collocant in crebris ieiunijs ac precationibus prolixis. Haec ut damnanda non sunt si non ad inanem gloriam, sed ad pietatem adhibeantur, ita fortiora quaedam ac magis ardua spectat Euangelica doctrina, ad quam meos paulatim formo fingoque. Proinde non conuenit mihi instituendi ratio cum Ioanne. Nouum est quod doceo, & nouae doctrinae, noua conuenit institutio. Non oportet praecceptorum esse praeproperum: suo tempore res indicabit, utrius discipuli fortius fuerint instituti. Non oportet uetera misceri nouis. Nullus enim affuit ueteri testamento particulam panni noui rudisque. Si quidem hac uia non solum non sarcitur uestimenti ueteris plaga, uerumetiam non cohaerente nouo panno cum uetere, fit maior ac deformior hiatus. Neque qui sapiunt, uinum nouum credunt utrius uersutis. Alioqui duplex sequitur incommodum, dum & uinum effunditur, & utres dirupti pereunt. Quin potius uinum nouum infundunt nouis utribus, qui ferant uim uini, nec dissoluant effruescere musto. Itaque fit ut & utres sint incolumes & uinum. Ego meos totos novos esse uolo, eoque mihi sic paulatim fingo, ut olim fortes ac firmi queant euangelicae doctrinae uim perferre. Ioannes uetustis utribus non est ausus aliud, quam uetus uinum committere, ieiunium & huiusmodi, quae multum absunt ab his, quae praestanda sunt uiris euangelicis. Ego meae doctrinae mustum non credo, nisi nouis uasculis. Haec loquente Iesu, adijt eum quidam synagogae praefectus, nomine Iairus, & accidens supplex ad genua Iesu adorabat eum, ac maiorem in modum deprecans & obtestans, ait: Filia mea unica, annos nata duodecim, iam agebat animam, quum domo discederem, ac uereor ne iam mortua sit: ueni obsecro & impone illi manum, ut conualescat ac uiuat. Iesus ut erat expositus ad benedecendum omnibus, qui cum simplici fiducia postulabant aliquid, siue pauperes essent, siue diuites, siue Iudaei, siue exteri: illico surgens sequutus est Iairum, properantem domum si forte filiam adhuc spirantem offenderet. Iesum discipuli sequebantur, ac turba densissima. Ecce autem inter eundem alterius occasio miraculi. Admiscuerat se confertae hominum multitudini mulier quaedam, duodecim iam annos obnoxia profluuio sanguinis, quae facultates suas omnes insumpserat in medicos, neque quenquam inuenit, qui malo posset mederi. Itaque his erat misera, posteaque mala ualitudini accesserat inopia. Haec quum summam fiduciam animo concepisset de Iesu, ob morbi felicitatem non audebat tot testibus appellare Iesum. Itaque ueluti suffragata beneficium, clanculum accessit a tergo ac tetigit fimbriam uestimenti eius. Sic enim sibi persuaferat, si uel extremam uestis illius oram attigerit, salutem adipiscar. Ac mox attracta ueste, sistebatur profluuium, sensitque mulier restitutam corporis sanitatem. At Iesus nolens latere tam insigne fidei exemplum, simulque do-

Rogare nos et pharisaei ieiun.

Nemo immit- tit commixturam

Hec illo loquente

Ecce mulier, quae sang

cens non esse celandam dei gloriam, ut eliceret beneficii confessionem, conuersus ad turbam: Quis inquit, me tetigit? Negantibus cunctis, tamen aliquis inquit me tetigit. Nam sentio uim à me profectam. Hic Petrus reliquique discipuli, non intelligentes quid sibi uellet Iesus: Domine inquit, uidēs confectam turbam undique prementem te, & rogas quis te tetigerit, quum à tam multis tangaris? Porro quum Iesus quasi ignarus à quo cōtactus esset, circumspiceret uelut oculis quarens quis fuisset ille furtiuus attactor, mulier sola sibi conscia, quum uideret se non latuisse Iesum, excusso pudore timens ac tremēs procidit ad pedes Iesu, & confessa est rem, ut habebat, omnem, & quo morbo laborasset, & quot annos laborasset, & ut omnes facultates frustra profudisset in medicos, & ut sibi persuasisset, solo fimbriae contactu posse sanari, & ut mox à contactu sensisset perfectam corporis sanitatem. Hæc Christus teste turba prædicari uoluit, non ut pudefaceret mulierculam, aut sibi laudem apud homines uindicaret, sed ut hoc exemplo doceret omnes quantum ualeret firma fiducia, ac mulieris exemplo confirmaret fidem archisynagogi, quam intelligebat nonnihil uacillare, simulque Phariseis suam exprobraret incredulitatē. Itaque mulierem trepidam, ac metuētem, ne iratus Iesus suum beneficium repeteret, consolatus est, dicens: Bono animo esto filia. Tua fiducia tibi peperit sanitatem. Vade cum pace, tranquilloque ac securo animo. Volo ut hoc beneficium tibi sit perpetuum, licet suffurata sis à nobis. Dum hæc loqueretur Iesus, ueniunt quidam ab ædibus præfecti synagogæ, nunciantes ei iam mortuam esse filiam, nec esse causam quur pergat esse molestus Iesu. Siquidem illi nihil aliud credebant esse Iesum, quàm medicum aliquem insignem, qui uiuē quidem salutem dare posset arte sua, mortuæ uitam reddere non posset. Et idcirco superuacaneum esse iudicabant, ad exanimem iam accersere medicum quamlibet egregium. Iesus uidens ad hunc nuncium uehementer esse consternatum animo patrem puellæ: consolatus est illū, dicens: Ne trepida, tu modo fidem habe, puellam fore saluam, & erit salua. In te situm est, ut ualeat filia. Quumq; iam uentum esset ad domū præfecti synagogæ, non passus est Iesus ingredi turbam, neq; reliquos discipulos, præter Petrum, Iacobum, & Ioannem, cumq; his patrem ac matrem puellæ. Flebant autem omnes cognati & amici, atque ex gentis more percutiebant corpora sua lugentes illam & eiulantes, qualia stultissime fieri solent in funeribus diuitum ac potentium. Iesus iussit illos à luctu desistere, puellam enim non esse mortuam, sed dormire. Illud nimirum sentiens, puellam alijs quidem esse mortuam, à quibus excitari non posset: sibi dormire tantum, cui facilius esset illam excitare à morte, quàm alijs esset à somno. Hæc cum non intelligerent familiares & amici præfecti, deridebant Iesum, uidelicet certò scientes illam esse mortuam, quum ipsi morientem uidissent. Quum igitur expulisset turbam lugentē à funere, ipse assumpto patre ac matre puellæ, ingressus est conclaue ubi iacebat cadaver puellæ. Iesus autem apprehensa manu uirginis, puella, inquit, surge. Simulq; cum dicto surrexit puella, & ambulabat, quo certior esset fides miraculi. Non enim solum uitam reddidit subito, sed & uires & alacritatem. Cumq; puellæ parentes ingens stupor haberet, præcepit illis, ac uehementer obtestatus est, ne cui dicerent, quod factum esset. Simul ut ipse uitaret suspicionem affectatę glorię (Hoc enim potissimum agendum erat apud synagogæ primores, qui nihil non faciebant ad laudem humanam emerendam) simul ut illi maiore cum fide prædicarent quod gestum erat, si tacere iussi, tamen Phariseis suis, & synagogæ proceribus, rem gestam quam uiderant denarrarent. Nouerat enim humanum ingenium, & hoc in bonum aliorum uoluit abuti. Iussit autem digrediens, ut daretur cibus puellæ, uidelicet medicum agens, ac dissimulans apud alios miraculum, quāquam et hoc cessit ad prodigij confirmandam fidem. Ergo cum relictis ædibus archisynagogi Iesus repeteret domum suam, sequuti sunt illum duo cæci, qui rumore miraculorum acceperant, atque ex eo conceperant spem adipiscendę sanitatis, præsertim cum audissent illius beneficentiam nulli non patere, quantum uis humili. Sed cum Iesum nec cer nere possent, nec adire, tamen ingenti clamore quem sanitatis amor, et ardor fiducię exprimebat, procul appellant Iesum, ac precibus addentes blandimentum: Misere, inquit, nostri fili David. Iesus in uia nihil illis respondit, differens beneficium, ut esset euidentius miraculum: semper hoc agens, ut Iudæos ad credulitatem prouocaret, ac phariseis suam incredulitatem multis modis exprobraret rebus ipsis. Confusus est Centurio, confusa est

Et transiit
deinde Iesu

et mulier, confisi sunt qui portabant paralyticum: & illi diffidebant, atque etiam inuadebant. Porro cum uentum esset in aedes Iesu, admissi sunt caeci, qui pertinaci spe fuerant sequuti. Tunc Iesus alijs exemplum parans, prius ab eis stipulatus est fiduciam: Creditis, inquit, me posse prestare uobis quod petitis? At illi incontanter, credimus, inquit, domine. Tum Iesus manu contactis illorum oculis: Vti creditis, inquit, ita fiat uobis: non sibi uindicans redditum luminis officium, sed ipsorum fiducia imputans: uidelicet declarans incredulitatem precipue nos indignos reddere beneficentia diuina, alioquin nulli non exposita promptaque. Mox ut loquutus est Iesus, aperti sunt oculi caecorum sic; ut clare uiderent. Hic Iesus nos admonere uolens per imaginem, tametsi gloria suapte sponte comitatur recte factum, tamen a nobis fugiendam esse potius quam affectandam: uehementer interminatus est caecis, ne quisquam factum hoc rescisceret. At illi gestientes noua felicitate, tanto magis sparserunt famam Iesu per uniuersam illam regionem, apud omnes, quos habebant pristinae cecitatis testes. Caecis egressis, oblatus est alius longe miserrimus, qui obnoxius erat daemónio, quod illi linguae usum adimebat, ut homo nec mentis esset compos, ut salutem optaret, nec linguae, ut postularet. Hic igitur quoniam aliena fiducia habebat opus, oblatus est Iesu. Ille nihil contactus eiecit daemonium, & protinus loquutus est, qui mutus fuerat. Turbae demirantes tantam celeritatem miraculorum, aequae paratam in omni quamlibet immedicabilium malorum genere, dicebant inter se: Nullus unquam exortus est in gente Israelitica, qui tam multa prodigia, tam facile patraret. Contra Pharisei, iam in dies gliscente liuore caeci, quum quae gerebantur in oculis omnium inficiari non possent, tamen ut animos multitudinis, illum suspiciens, ab eo alienarent, calumniantur illum eijcere daemonia, non uirtute diuina, sed ope Beelzebub, daemionum principis. Qua calumnia quid esse poterat dementius? quasi daemón exigat daemónem, aut quasi Beelzebub hostis humani generis, conferret mortui uitam, aegrotis sanitatem, caecis uisum, mutis linguam. Ab illis haec mala profiscuntur plerumque, quae Iesus sua bonitate, misertus hominum tollebat, huiusmodi corporalius beneficijs, quae sensibus ipsis percipiebantur, praeparans eos ad capacitatem beneficiorum spiritualium. Sed huiusmodi maliciosis calumnijs adeo non est offensus clementissimus Iesus, ut tanto magis consuleret omnium saluti, quod uideret Phariseos, quorum partes erant populi saluti consulere, adeo nihil opis adferre, ut aliorum bonis etiam inuiderent. Iesus itaque tanquam bonus pastor, obambulabat per omnes ciuitates ac uicos, animis simul & corporibus omnium mederi studens, in conuenticulis illorum docens, & annuncians regnum coelorum, in quod non recipitur, nisi qui uacant omnibus animi morbis, & obiter sanans omne morbi genus, omnemque speciem malae ualitudinis. Porro quum Iesus uideret turbas undiquaque confluentes, et indies frequentiores, iam auidas salutis ac doctrinae melioris: simulque consideraret sacerdotes phariseos & scribas, unde populus hactenus pependerat, omnia potius agere, quam ut seruarent populum, totosque seruire gloriae suae, non dei, seruire lucro suo, seruire uentri, uoluptatibusque suis in quibus si quid esset religionis, hoc ipsum esse fucatum ac simulatum, ut officeret etiam ad ueram religionem: populum rudem quidem esse, & crassum, sed tamen esse sanabilem, quandoquidem in corpore sanandus simplici fiducia sequebatur, ac dabat gloriam deo, & doctrinam Euangelicam, tametsi nondum intelligeret, tamen non auersabatur. Contra phariseos & scribas, quum tenerent prophetas, & scripta legis, tamen obcaecati mundanis cupiditatibus, oblectari etiam Euangelicae doctrinae: tactus est optimus pastor affectu misericordiae, quod conspiceret illos similes ouibus palantibus, dissipatis, & destitutis, quae pastore carent, sed temere uagantur huc & illuc. Considerans igitur in phariseis lupos agentibus non pastores nullam esse spem gregis, iamque populum multis uicunque praeparatum ad accipiendam doctrinam Euangelicam, dixit discipulis suis, quos iam aliquam multos collegerat: Messiem quidem multam uideo, ceterum operarios admodum paucos. Rumor Euangelij quauis uersum sparsus est. Excitatus est ardor plurimorum, qui maturi uidentur audiendae Euangelicae philosophiae. Sed ubi sunt, qui suscipiant praedicandi docendique negotium? Vbi qui pure sincereque doceant, neque gloriam humanam, neque quae sum affectantes, sed ea synceritate tradentes, qua me uobis traderet? Certe non oportet negligere tantam hominum multitudinem, iam flagrantem

Egressis
autē illis

Videns autem
turbas

Messis quidem
multa est

tem studio coelestis doctrinae. Quid igitur superest, nisi ut rogetis dominum messis, ut operarios etiam cessantes ac detrectantes extrudat in messem suam. Urget enim occasio, nec est tuta contatio. Scio uobis esse gratius haerere mihi, sed tempus est, ut & uos aliquod uestri specimē praebeatis, & quod à nobis accepistis, in aliorum salutem incipiatis expromere.

CAPVT DECIMVM



*Et conuocatis
duodecim*

*Duodecim au-
tem apostolo-
rum nomina*

*In uiam gen-
tium ne abie-
ritis*

*Euntes autem
predicate di-
centes*

TAQVE conscēso monte, iussit adesse discipulos suos, qui ceu peculiares ipsum affectabantur. Ex his instituit duodecim praecipuos, quibus ut eruditioribus ac firmioribus docendi munus cum autoritate delegarat, ut ad exemplar, quod in praepatore conspexerant, aliis alibi docerent populum. Ac ne doctrina piscatorum, idiotarum & humilium ilico contemneretur, dedit & illis potestatem aduersus omnes spiritus impuros, ut illos uerbo eijceret, ac morbi genus omne, & omne corporis uiciū sanarent: ut quicquid Christus ipsis testibus gesserat nomine patris ac sub, id illi facerent nomine Iesu Christi, cuius gerebant uices. Sic enim ingressus erat Iesus, ut sanandis morbis grauis & immedicabilibus, quo nō aliud beneficiū uideatur hominibus diuinius, alliceret rudes ad ea quae sunt animi. Ceterum ne quis pseudapostolos pro ueris apostolis amplectatur, duodecim apostolorum, quos ipse Christus instituit, nomina sunt haec. Primo loco Simon, Ioannis filius, qui idem dictus est Petrus, unā cum fratre Andrea: nam hos omnium primos uocauit. Secundo Iacobus Zebedaei filius, cum Ioanne fratre ipsius. Tertio Philippus & Bartholomaeus, Quarto Thomas, cuius cognomen Didymus, & Matthaeus publicanus. Quinto Iacobus Alphaei filius, unā cum Iuda Iacobi fratre, qui idem Lebbaeus, siue Thaddaeus dictus. Sexto Simon Cananaeus, qui & Zelotes, unā cum Iuda Iscariote, qui postea prodidit dominum suum. Per huiusmodi legatos, Christus aggressus est orbem uniuersum innouare ad philosophiam Euangelicam, pauperes, rudes, humiles, piscatores, peccatores, & obscuros: ne quid in hac latide sibi mundus uindicaret, si per eruditos, potentes, opulentos, nobiles, rem coelestem fuisset auspicatus. Nunc operae precium est audire, quid illis mandauerit, quōue uiatico suos legatos instruxerit. Ac primum quidem praescribit eis praedicandi limites, uetatque ne Iudaeam egressi, conferant sese, uel ad gentes finitimas, uel in ciuitates Samaritanorum, quos abominabantur Iudaei: non quod Iesus ullum hominum genus abominandum duxerit, sed ne uideretur offensus iniurijs Pharisaeorum uindictae gratia suos ablegasse ad externos, neque Iudaeis daret ansam causandi se spretos fuisse, sibi quae gentes ac Samaritanos fuisse praelatos: simulque quoniam sciebat Iudaeos maxime rebellaturos Euangelio, noluit illis quicquam excusationis esse reliquum, sed omnibus esse perspicuum, eos suapte peruersitate submotos à regno dei, & gentes sua simplici credulitate fuisse receptas. Ab illis igitur, inquit, interim abstinete, sed potius ite ad oues perditas gentis Israeliticae, ut resipiscant ad salutem. Nec enim omnes Pharisaica sunt malicia. Sunt & inter hos oues, simpliciter & per ignorantiam errantes, quae doctrinae monitaque facile resipiscunt, ac uocem audient boni pastoris. Ceterum sic auspicabimini praedicationem, quemadmodum à me factum uidetis. Non enim statim expedit rudibus aperire secretiora mysteria. Prius praeparandi sunt, ut sint perfectioris doctrinae capaces. Primum igitur nihil aliud praedicate, quam adesse regnum coelorum, ut resipiscantes à uita ueteri, se praeparent nouae. Primus enim iusticiae gradus est abstinere à peccatis: & primus ad sanitatem gradus est agnoscere morbum. Porro ne desit fides, & obscuris doctoribus, & noua docentibus, miraculis adendis doctrinae fidem astruite, quemadmodum uidistis à me factum. Sanate aegrotos, excitate mortuos, mundate leprosos, eijcite daemones: Haec quamquam sunt maxima, tamen uobis ex me suppetent, & apud omnes conciliabunt fauorem, & autoritatem. Primum enim alligandi sunt imbecilles. Vos tantum caute, ne his uel ad inanem gloriam, uel ad quæstum abutamini. Ut gratis accepistis à me, ita gratis date. Ne uel minima gloriae, quæstusue suspicione contamine-tis Euangelicum munus. Ita demum uos uere magnos iudicabunt homines, si conspexerint tanta potestate praeditos, nec intumescere fastu, nec tangi cupiditate lucri, ea-que fortiter contemnere, pro quibus uulgus hominum nihil non & facit & patitur. Volo uos expeditos hanc obire legationem, nullis onustos sarcinis, nulla sollicitudine obstrictos, quo toti uacetis delegatae functioni. Coelestia docetis, nolite curare terrena. **Via-
ticum**

hunc habetis dignum uestra prædicatione, quæ nihil humile docet. Proinde iter ingres-
 suri, ne zonas uestras oneretis auro argento ue. Immo ne peram quidem, ueluti penuari-
 um quoddam, uobiscum circumferatis, neque tunicas binas, ne calciamenta quidem aut
 baculum. Satis armatus est hic, qui gladio sermonis Euangelici fuerit accinctus. Nec est
 quod solliciti cogitatis, unde nudis suppetent necessaria. Vos modo curate munus dele-
 gatum, ista ultro suppetent uobis à patre coelesti. Illius agitis negocium. Non sinet opera-
 rios fraudari mercede sua. In diem & secundum naturam uiuentibus, facile suppeditatur
 necessitas. Nec deerunt, qui sponte suppeditent, talia patrantibus, ac talia docentibus. Ita
 fiet, ut nec uos huiusmodi curis torqueamini, quæ & minuant autoritatē uestram, & sus-
 picioni reddant obnoxios: nec ij, quos docetis, ingrati sint erga eos, à quibus longe ma-
 iora accipiunt. Nec uos cuiquam eritis molesti exigendo, nec quisquam uobis imputabit
 suum beneficium, quod tanto melioribus rebus commutauit uerius quam dedit. Nec e-
 nim opus est, ut diuertatis in diuerforia meritoria: sed in quamcunque ciuitatem, aut ui-
 cum ingressi fueritis, primum inquirete, num quis sit illic probitate uitæ commendatus, &
 audius regni coelestis, cui mūdus hic tædio sit, qui pijs quærimonijs subinde suspi-
 ret promissum Messiam, qui simplicitate morum, qui beneficentia in pauperes, maioris etiam
 profectus spem de se præbeat. Is enim futurus est uobis idoneus hospes, & uos illi ui-
 cissim hospites gratissimi. Huiusmodi cum repertus erit, in eius aedes diuertite, non mu-
 tantes hospitium, donec Euangelij negocium hortabitur in aliam demigrare ciuitatem.
 Neque enim opus erit neque decorum uobis subinde mutare hospitem, quasi uel leues si-
 tis, uel appetentes mensæ lautioris. Quæuis domus, quiuis uictus, sufficere debet uiris
 Euangelicis. Sitis autem moribus commodis, ac facilibus, ut nec fastuosi, nec adulantes
 uideamini. Vbi domum eritis ingressi, priores salutate, dicentes: Pax huic domui, non
 erit inanis uestra precatio. Etenim si domus fuerit digna hac precatio, statim & incon-
 tanter eam recipiet: sin auersabitur, nihil uobis peribit de salutatione uestra. Quod e-
 nim aspernantur illi, redibit ad uos. Atque adeo nolim uos esse cuiquam supplices, aut
 adulantes ob res necessarias, ut si qua domus uos grauetur excipere, aut si qua ciuitas
 uos grauetur hospites, nec admittant ultro oblatam Euangelicam salutem, uelim uos
 relicta domo quam salutastis, relictuos & ciuitatem quam intrastis, progressos in plate-
 as etiam puluerem excutere de pedibus uestris, palam testificantes uos adeo nihil terre-
 ni commodi uenari ab his, qui reijciunt Euangelium dei, ut ne puluerem quidem uilissi-
 mum qui pedibus hæsit, uelit uobis imputari. Hic mementote non esse dandum san-
 ctum canibus, neq; margaritas obijciendas porcis. Tantū illud ingerite ingratum, uelint no-
 lint: instare regnum dei, magno bono eorum qui receperint, summo malo eorum qui fue-
 rint aspernati. Viderint illi qui reijciunt sermonē euangelicū. Væ ciuitati illi, in qua nullus
 inuenietur, quem suæ uitæ poeniteat, quiq; uelit fieri melior. Illud affirmo uobis, in die iudi-
 cij mitus agetur cū regione Sodomorum & Gomorrhæ, q̃ cum illa ciuitate, licet Israeli-
 tica. Quo maior est clementia dei, tot miraculis, tot beneficijs prouocantis illos ad poeni-
 tentiam, hoc grauius punientur, si reiecerint. Sed istos deo puniendos relinquit, uos ad-
 uersus omnes iniurias seruate mansuetudinē, et ita uelit uobis omnibus prodesse bonis, ut nec
 à malis laceßiti, referatis iniuriā. Satis est uobis ijs rebus instructos esse, quibus possitis de
 omnibus benemereri. Aduersus hominū iniurias uolo uos prorsus inermes esse, nec alio
 uincere præsidio, q̃ tolerantiā. Poterā alioq; uos reddere formidabiles ac metuēdos, sed nō
 hoc expedit Euangelio. Nec enim uiolētia uiolentiā, iniuria iniuriā, superbia superbiā ex-
 tinguit, sed māfuetudo, lenitas, placabilitas. Scio Phariseos & homines huius mūdi præsi-
 dijs feroces, multa dira molituros in uos: sed aduersus hæc omnia, nō alius obijciendus est
 chelys, q̃ patiētia. Nec est quod metuatis, mittimini uelut oues inermes, simplices, inno-
 xij, in mediū luptu, sed à me mitumini. Nolim uos quoq; malis illorū irritatos, uerti in lu-
 pos, sed hoc modis omnibus agere, ut lupi uestra lenitate delinīti, uertantur in oues. Nō est
 magnū ulcisci malos, sed illorū anios in bonū uertere, maximū est ac difficillimū. Proinde
 duo quædā copuletis oportet, serpētis prudentiā, cū colūbæ simplicitate. Colūbina simpli-
 citas præstabit, ut de omnibus benemereri cupiētes, neminē lædatis, ne prouocati quidē.
 Serpētina prudentia, ne quā ansam illis præbeat calūniandi doctrinā. Hoc est caput ue-
 stræ legatiōis, ut Euangelij penetret in animos omnīū. Nihil igitur à uobis cōmittendum
 est

In quamcun-
 que ciuitatem

Ecce ego mit-
 to uos sicut
 oues

est, quod probabili specie possit cuiusquam animum ab Euangelica doctrina reddere alieniorem. Excitabit uestra doctrina magnos in orbe tumultus, quo magis cauendum, ne quid uestra culpa natum uideri possit. Non poterit autem, si uos gratis cōmunicantes omnibus bona uestra, erga malos etiam seruetis mansuetudinem, ac benemerendi studium.

*Cauete autem
ab hominibus*

Cum huiusmodi igitur hominibus, imò lupis uerius, cautius est agendum, & iam nunc animus aduersus omne malorum genus præparandus, nequid uos conturbent, quum inciderint. Futurum est enim olim, ut pertrahant uos, tanquàm maleficos, in concilia sua, & in conciliabulis suis quasi scelerosos flagris uos cædent: quin etiam ut reipublicæ subuersores, producemini ad præsides ac reges, non ob uestra merita, sed mea tantum causa. Atque hæc omnia quum prohibere liceat fieri patiar, ut omnibus testatum sit ac perspicuum illos suo pte uicio perire, qui tot miraculis, qui tot beneficijs, qui tam obuia doctrina, qui uestra simplicitate lenitateq; prouocati, tam odiose reiecerint salutem oblatam. Quum igitur ad tam multos pauci, ad tam potentes, infirmi & inermes, ad tam eruditos, idiotæ producemini, ne uelitis esse solliciti, quomodo causam uestram sitis acturi, iudiciorum, legum, forique rudes & imperiti. Nolim hic quoque uos ad ea confugere præsidia, quibus hominum uulgus in iudicijs solet uincere. Adhibent peritum & bene linguacem patronum; adulantur iudicibus, supplices se prouoluunt ad genua, fauores redimunt pecunia. Absint hæc à uobis. Tantum prodite uocati, iussi respondete, ne merito uos arguant contumaciæ: sed respondete simpliciter ac fortiter, non oratione meditata, sed quæ fortitudinem præ se ferat, cum prudentia modestiaq; coniunctam. Ut uictus uobis citra sollicitudinem uestram ubiq; suppetet, ita suppeditabitur & oratio. Hanc anxie meditari, non est eius, qui totus pendet ab auxilio diuino. Etiam nihil præmeditatis dabitur in tempore oratio, non ornata, sed prudens & efficax, dignaq; Euangelio. Non est humanum negotium, quod geritis, sed diuinum cuius uos non autores estis, sed organa. Nec enim uos illic loquimini, sed spiritus patris uestri loquetur per ora uestra. Huius igitur præsidio fretos, non oportet ullis malorum procellis commoueri. Tantis enim tumultibus mundus insurget aduersus doctrinam meam, ut frater oblitus germanæ charitatis, fratrem adacturus sit in mortem: ut pater oblitus pietatis naturalis, filium accersat capitis: ut filius abiecta omni reuerentia, cooriatur aduersus patrem ac matrem, eosq; morte afficiat, à quibus initium uitæ sumperat. Quid multis? Omnibus inuisi reddemini, propter odium nominis mei. Non ferret enim hic mundus, ambitione, superbia, avaritia, libidine, cæterisque terrenis cupiditatibus, undiq; corruptissimus, doctrinam cœlestem, nimirum aduersantem studijs ipsius. Et atrocius crimen erit esse Christianum, quàm parricidam, aut ueneficum. Has turbas per homines impios excitabit diabolus aduersus Euangelium meum, sed nolite diffidere, uincet diuina sapientia & sathanæ technas, & maliciam humanam: uos modo fortibus & infractis animis pertendite negotium uobis delegatum. Nam qui inter hæc mala perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Neq; enim oportet ullis terroribus fractos Euangelij negotium relinquere. Nihil est omnino periculi, nisi uos deficiat animus Euangelio dignus. Sed ut uobis non est prouocanda malorum sæuicia, nec accersenda persecutio, nec uiribus repugnandum: ita dum adhuc recens est Euangelij prædicatio, concedo uobis, ut fuga declinare periculum liceat, non solum ut uos sitis incolumes, uerum etiam ut hac occasione latius spargatur rumor Euangelicæ doctrinæ. Proinde si quādo uos impetent in hac ciuitate, date locum insanix, & fugite in aliam: tantum abest, ut statim ad iniuriam persecutionis desistatis ab Euangelico negotio. Tantum hoc nūc agendum est, ut per omnem Palæstinam spargatur Euangelij fama. Ad hoc etiam profuerit persecutor, si non sinet uos eodem in loco sedere diutius. Erit olim tempus, quum non erit fuga declinanda persequutio. Nunc breue tempus est, & properandum est. In proximo est enim regnum dei. Illud confirmo uobis, priusquam perambulaueritis omnes ciuitates Iudææ: iam filius hominis se proferet, & aderit uobis periclitantibus. In hoc exemplum uobis ædetur, quanta toleranda sint Euangelij præconibus. Quæ quidem omnia, uel hoc nomine uobis debent tolerabilia uideri, quod me uidistis, nullum non probri & afflictionis genus esse perpesum. Non est discipulus potior suo magistro, nec seruus melior domino suo. Hoc abunde satis est discipulo, si magistro suo æquetur: hoc debet sufficere seruo, si contingant paria cū domino. Si me patrem familias, tam indignis contumelijs affecerunt, ut spurcissimo con-

*Tradet autē
frater fratrē*

*Non est disci-
pulus supra
magistrum*

uicio

ad Beelzebub appellarint, & filio dei nomen imposuerint impurissimi demonis: quid
 mirum si idem audebunt in seruos familiæ? Scio graue malum uideri infamiam, ac mor-
 te propemodum acerbius, sed laus est, non infamia, quæ ob Euangelium infertur ab im-
 pijs. Dicent uos esse magos, maleficos, seditiones, sed hæc ignominia post uertetur in
 gloriam. Elucescet tandem orbi uestra synceritas, quam omnes laudibus uehent, execran-
 tes eos, qui uos falsa fœdarant infamia. Diu pressa laus, maiori cum luce solet erumpere.
 Nihil est tectum, quod tempus non retegat, & nihil occultum, quod non aliquando sciatur.
 Vos tantum hoc agite, ut laude digna geratis, non ut laudem affectetis. Non est igitur quur
 infamiae metu deterreamini, quo minus libere prædicetis Euangelij regni. Nihil habet pu-
 dendum aut celandum. Imò etiā si quid à me auditis in tenebris, uos prædicate clara in lu-
 ce: & si quid uobis dixerim in aurem, uos prædicate de tectis: uestra doctrina fucos nescit.
 Yult in lucem omnium proferri, neque cuiusquam ueretur conscientiam. Sed erunt for-
 tasse, qui contemnant infamiam, cæteraq; mala, mortem uero quis posset contemnere?
 Istos uero iure timeretis, si totum hominem possent occidere: uos autem, qui nostis cor-
 pus uilissimā esse partem hominis, animam, quæ potior est hominis portio, nequaquam
 ab istis ladi posse, quantumuis sauiant, non est quod illos metuat. Magis læderent, si non
 occiderent sibi obsequentes, quàm si occidant contempti. Ostendam uobis qui magis sit
 metuendus: eum metuite, qui ut totum hominem condidit, ita potest totum hominē eter-
 no damnatum exitio tradere gehennæ. Quanquā corpus quod ad tempus extinguit ty-
 rannus, non omnino perit, reddetur enim in resurrectione longe melius, sed idē. Hactenus
 igitur corpus duntaxat periclitatur, si cōstanter obtemperantes iussis meis contingat oc-
 cidi. Cæterum si iussis illorū obtemperantes deferatis Euangelij negocium, ita non corpus
 solum perit, quod etiā si nullus occidat, tamen cōmuni naturæ lege moriatur oportet, ue-
 rum etiam anima tradetur æternis incendijs. Quid autem refert, utrum persequator au-
 ferat uitam, an morbus alius uel casus? Certe gloriosius est, ob Euangelium morte oppete-
 re. Quæ quanquam est uiolenta, non tamen ueniet ante diem, quodocunq; ueniet, non ue-
 niet absq; prouidentia diuina. Vnde sit, ut si conemini uitare, non possitis. Non patietur
 deus uos occidi, nisi quum maxime uobis expediet mori. Quare hanc quoq; formidinem
 omnem ex animis propellite. Deus hoc quoq; curabit, cui non esset difficile immortalita-
 tem largiri, nisi maius esset, mortem contemnere, quàm effugere. Quid uilius passerulis,
 quorum par emitur asse, nummo minimo? Et tam immensus est passerum ubiq; nume-
 rus, & tamen ne unus quidem ex illis perit in terra, nisi uoluntate permissuq; patris uestri.
 An igitur metuitis, ne uos, quos ex omnibus delegit ad hoc negocium, passurus sit ante
 cœtus interire, quos adeo non negligit: ut etiam omnes capitis uestri pilos habeat nu-
 meratos? Quod si uos multo pluris estis patri, passeribus innumeris, non est quod metua-
 tis, ne quid in uos possint homines secus quàm illi uisum est, qui uestri iugem agit curam.
 Huic igitur uitæ mortisq; uestræ curam relinquite, nec ullo metu malorum, quæ possunt
 homines hominibus inferre, perterreamini à publica professione mei nominis, quālibet
 inuisi mundo. Quisquis enim contemptis hominum probris, me dominū ac magistrum
 professus fuerit in hac uita, hunc & ego agnoscam famulum ac discipulum coram patre
 meo cœlesti. Contra quem mei puduerit apud homines, meq; negauerit, hunc & ego ne-
 gaturus sum apud patrem meum, qui est in cœlis. Non est autem hæc delicata professio:
 non enim me profitetur, nisi qui uita quoq; declarat se credere dictis meis. Porro abnega-
 uit qui sic uiuit, ut quicquam anteponat mihi. Quid igitur lucri sit, si quis hic metu falsæ
 ignominiae quæ nec diuturna futura sit, nec prorsus ignominia sit, nisi apud ignaros ac
 stultos homines, quum apud deum uera sit gloria, perdat egregiam illam & aternā lau-
 dem, apud patrem & angelos patris? Lucrum est ista negligere, & omnibus contemptis
 ad æternum properare præmium. Hoc suo tempore reddetur promeritis: interim bona
 præmij pars est, bona conscientia. Non est diluta res, nec facilis Euangelij professio. Præ-
 mia quidem ingentia, sed ad hæc pertinacibus animi studijs grassandum est: non contin-
 gent ociosis, ac cessantibus. Violenta manu sunt asserenda. An putatis, quod uenerim ut
 in terris seram pacē inter homines? Longe secus habet. Imò non ueni ut serā pacem & cō-
 cordiam, sed gladium & bellum etiam intestinum ac domesticū, non modo ciuile. Quum
 enim euangelica doctrina plerisq; sit inuisa futura, & hæc tam ardens sui studium requi-

Quod dico
 uobis in te-
 nebris

Nōne duo pas-
 seres asse ue-
 strum

Nolite arbi-
 trari quia ne-
 ni pacem mit-
 tere

ra, ut oporteat omnes humanos affectus quantumvis impotentes cedere: fieri non potest, quin magna dissidia inter coniunctissimos etiam exoriantur: dum & hi, qui mundum deamant, citius saevient in sibi charissimos, quam vitia quibus assueverunt relinquunt; & quos semel attingit ardor Evangelicæ charitatis, nullis affectibus se patientur auelli ab eo quod coeperunt amplecti. Sed felix dissidium, quod sincera prouehit, putria. refecat: felix gladius, qui noxas cupiditates omnes ab animo recidit. Hic tumultus mihi imputetur, non vobis, qui dato pharmaco, corpus omne perturbarim: sed ita, ut qui belligerantur aduersus affectus suos, hoc est naturæ fœdere iunctissimos, odio nominis mei, sibi debeant imputare, non mihi. Nam ipsos amulari licebat, quos persequuntur. Omnibus offero salutem. Quæ si amplectantur omnes, nullum erit dissidium. Per se quidem Euangelium res est pacifica, sed aliorum vitio cõcitatur seditio. Vt pharmacum per se res est salutifera, sed interim in corpore mouet tumultum, dum consulit omnium membrorum tranquillitatem. Verum expedit amputari noxia, quo magis inter puros constet vera sancta; concordia. Hunc igitur gladium defero in terram, qui dirimat concordiam inter filium & patrem: qui dissecet naturæ coniunctissimum vinculum, inter filiam & matrem: qui distrahat concordiam inter socrum & nurum. Nullus est naturæ aut amicitia; nexus tam tenax, quem hic gladius non queat dirumpere. Quos domestica consuetudo fecerat homini coniunctissimos, hos Euangelij gladius inimicitia subita diuelleret. Sed hætenus constabit hoc bellum, ut qui stant à nobis, contemnunt tantum hostes: non lædant autem, quod quidem in ipsis est, seruent etiam si queant. Et hætenus consistet contemptus, non ut fastidiant, sed

Qui amat patrem, aut matrem, aut fratrem, aut matrem ut modeste reddita ratione non obtemperent iussis impijs. Vobis danda est opera modis omnibus, ne per vos turbetur cõmunis reipublicæ status: ne desitis officio, quod filius patri, quod filia matri, quod frater fratri, quod maritus uxori, quod affinis affini, quod amicus amico, quod familiaris familiari debet ex lege naturæ. Non enim abrogo naturæ legem, sed perficio. Publicis magistratibus in omnibus obtemperandum est, nisi quum præscribunt impia: uocant in ius, eundum est: exigunt rationem, reddenda est: sin iubeant immolare simulacris, si imperent cessare à prædicando nomine meo, nequaquam est obtemperandum. Nec sunt tamen conuiuijs irritandi, sed sobrie reddenda est ratio, quum magis deceat obtemperare omnium principi deo, quam humanæ potestati. Aequum enim esse, ut præscripta dei, præscriptis hominum præponderent. Quod si præscribant iniqua, sed quæ non faciant impios, si quis obtemperet, tolerandi sunt ne prouocati sauiant. Quod genus sunt, si uestem aut pecuniam auferant præter ius: si conijciant in carcerem, si flagris cadant. Hæc enim adeo non auferunt pietatem, ut per occasionem augeant, & illustrent uirtutem Evangelicam. Idem parenti si quid opus est, etiam ethnico, & ab euangelio alieno, præstandum est officium pietatis. Verum si parentis autoritas auocet ab Euangelio, magis obtemperandum est patri cœlesti, quam terreno. Nec tamen pater est aspernendus, sed blande reuerenterq; monendus, ne repugnet deo. Ad hunc modum & cum cæteris agendum, quibus ex natura, moræue ciuili debemus officium humanitatis. Dicit aliquis, durum est huiusmodi affectus uincere, quos natura nobis penitus inseuit. Sed tales requirit Euangelij professio, fortes ac masculos, quicq; nullis affectibus dimouentur à cœlesti negotio. Hanc uiam me uidebitis ingredi: eadem me sequatur oportet, qui se uelit haberi in numero discipulorum meorum. Filius qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Rursum pater, qui filium aut filiam amat plus quam me, non est me dignus. Amat autem plus quam me, si dum illi obsequitur, mea præcepta negligit. Impia pietas est, sic indulgere parentibus hominibus ut deum parentem offendas. Et ne uideatur esse nimium dei uoluntatem præferre omnibus humanis affectibus, quum nihil sit homini uita charius, nisi quis hanc quoq; contemnat Euangelij gratia, & semper paratus ad omne mortis ac supplicij genus, tollat crucem suam, & sequatur me

Qui inuenit animam suam, perdet illam quotidie, non est me præceptore dignus discipulus. Quemadmodum enim præposterus amor parentis aut filij, odium est uersus, quam amor, quum utriq; sit noxius: ita præpostera cura seruandæ uitæ, uerum est exitum uitæ. Seruauit uitā, qui bene perdidit: perdidit, qui male seruauit. Qui deserto Euangelio, & abnegato me, placauit iudicē, effugit carcerem, effugit crucem, euasit mortē, quum uideatur hominibus lucrificasse uitā, uere iacturam uitæ facit. Rursum qui cõstanter adhærens Euangelio, fortiter sese periculis omnibus

bus ac mortibus obijcit, uidetur hominibus subire uitæ dispendium, quum is demum uitam lucrificerit. Non perit anima, quum ob Euangelij professionē, occiditur, sed in æternum seruatur: uere perit si breuē in corpore moram impietate depeciscitur: quanquam ne tum quidē uiuit in corpore, quæ uiuit in uisā deo. Nec est periculum ne si cōtingat à paren- *Qui recipit uos, me recipit* tibus cognatis, affinis & amicis destitui: non sint qui tecum ac uicium suppeditent. Dotes quibus uos instruo, uestraq; synceritas, uobis ubiq; parabit domos, patētes, filios, cognatos & amicos. Tot enim habebitis fratres ac filios, quot habebitis discipulos. Ut nunquam defuturi sunt, qui uos aspernentur & persequantur: ita nusquam nō erunt, qui uos sincero refocillent affectu. Atq; ut illos uobis non ulciscantibus, sed bene precantibus olim grauissime puniet deus, qui se spretum interpretatur, quum uos spemini: ita his pro uobis, etiā si nihil referatis gratiæ, mercedem amplissimam reponet. Non enim uobis, sed sibi uult imputari deus, si quid officij fuerit in uos collocatum Euangelij respectu. Quisquis enim uos recipit, me recipit: cuius nomine legatione fungimini: & qui me recipit, recipit patrem, à quo missus sum, & cuius ago negotium. Is igitur ut diues est pariter ac benignus, pro quālibet leui beneficio in uos collocato, præmium amplissimum remuneratur, ut beneficiū suum in uos nō insumpserint, sed foenerauerint: & multo plus gratiæ debeat, qui dedit, quā qui accepit. Siquidē ingens lucrum est, spirituales ac perpetuas opes, corporali temporarioq; beneficio cōmutasse. Qui recipit prophetā non ob aliud, nisi quod propheta est, nisi quod à me missus prædicat diuinā uoluntatem, ac diuinā promissa, is propheta mercedē accipiet: nimirum factus & ipse propheta. Et qui iustum recipit, non quia cognatus sit, aut ob alium quempiā affectum humanum: sed hoc tantū nomine, quod iustus sit, iuxta regulā Euangelicam, iusti mercedē accipiet, nimirū factus & ipse iustus. An non feliciter cōmutauit qui cōmunicauit hospitium, & lucrificat innocentiam? Ab hoc lucro nec fortunæ tenuitas quenquam arcebit. Hic enim affectus dantis æstima- tur in ratione præmij, non doni præcium. Imo qui uel aquæ frigidæ poculum dederit, nō dicam mihi, sed unicuique ex his minimis, tantum ob hoc, quod meus sit discipulus, pro certo dico uobis non frustrabitur mercede sua: fiet enim & ipse discipulus meus. Quis autem usq; adeo tenuis est, ut non possit sitienti porrigere aquam frigidam? Ut autem nō refert quantum sit quod datur, sed quo affectu, cuius ue nomine detur: ita non refert quantum sit ille cui præstatur officium: hoc satis est, quod est meus discipulus, ut mihi possit imputari pro magno beneficio.

CAP. XI



Bi mandatis huiusmodi Iesus suos discipulos ad prædicationem Euangelij cam instruxisset, relictis illis, quo semoti à præceptore, sui periculum facerent, reliquit montem, ut & ipse pro sua portione, prædicaret Euangelium in ciuitatibus Iudæorum. Quumq; passim æditis miraculis doctrinaq; mirabili indies magis ac magis increbresceret fama Iesu per uniuersam Iudæam, & in regionibus Iordani finitimis, ubi prius prædicarat Ioannes, ac baptizarat Iesum: discipuli Ioannis iam dudum subinuentes gloriæ Iesu, de quo nihil adhuc eximium sentiebant, quum de Ioanne nescio quid homine maius suspicarentur, renunciarunt Ioanni in carcere, quantus esset successus omnium, quæ gerebantur per illum, quem paulo ante tinxerat in Iordane, cuiq; testimonium præbuerat apud populum. Porro Ioannes uir abso- *Ioannes autem cum audisset* lute sanctimonie, gaudens euenire iam, quod ipse prædixerat: suam opinionem, quæ re maior erat, decrescere, Iesu famam indies inclarescere: sentiensq; discipulorum suorum sub inuidos affectus, ut illorum infirmitati mederetur, & ab se alienatos Iesu uelut in manum traderet, misit duos ex illis delectos ad Iesum, qui suis uerbis hæc illi referrent: Tunc es ille Messias, qui dicebatur aduenturus, an non es, quem esse prædixeram, & adhuc alium expectamus? Hæc faciebat Ioannes, non quod ipse adhuc dubitaret, sed ut confirmaret hominum animos, & immodicam de se suspicionē cum fide aboleret. Etenim si ipse negasset se Christum esse, & repetisset quod sæpe iam dixerat Iesum esse Messiam, discipuli modestius inuissent, & hoc magnificentius de illo sensuri, quo magis sese deiecisset. Sciebat autem Iesum ipsum melius huic imbecillitati medicaturū. Adeunt illi Iesum & renunciant, quæ mandarat Ioannes. Iesus autem non ignarus, certius esse testimoniū, quod à factis proficiscit, quā quod à uerbis, præsertim si quis ipse sibi sit testis, nihil quidē respondit primū, sed illorum conspectu multis æditis prodigijs, nouis & inauditis, sanans ægrotos, profligans

impuros spiritus, restituens debiles, caecorum oculos aperiens, ait illis: Nihil opus est ut de me qui sum pronuncietur. Tantum ite & renunciate Iohanni, quae uestris oculis uidistis, quae uestris auribus audistis. Caeci recipiunt uisum, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, daemoniaci liberantur, mortui reuiuiscunt: denique iuxta uaticinium Esaiæ, pauperes & humiles amplectuntur lætum salutis æternæ nuncium, quæ feroces & arrogantes aspernantur. Hæc inquam facta satis loquuntur, qui sum. Beatus autem est, cuius animo successus tantus Euangelij non præbuerit occasionem mali. Hoc adiecit Iesus, modeste subtaxans inuidiam discipulorum Iohannis, sed sic ut nec apud turbam pudescerent, sed taciti secum agnoscerent uitium suum: temperato modis omnibus responso, ut & ipse fugeret arrogantiam suspicionem, & maiorem fidem faceret discipulis, & illorum affectioni mederetur potius, quam traduceret. Illis igitur digressis, conuersus ad turbam, ne quid suspicarentur de Iohanne, quod illo parum esset dignum, existimantes eum hæc percontatum sibi dubitanti, ac non potius discipulorum imbecillitati sananda, coepit amplissime Iohannis laudes deprædicare: sic tamen ut illi Messiae laudem non ascribat, sed proximam duntaxat: & tamen pondus arguet illius de se testimonio. Expediebat enim ut populus quam optime sentiret de Iohanne, qui tam præclare testificatus fuerat de Iesu, quod esset filius dei, quod esset agnus, qui tolleretur peccata mundi: quod esset is, qui baptizaturus esset igni & spiritu. Nec enim in talem uirum cadebat suspicio uanitatis, quasi falso prius Christum prædicasset: aut inconstantiae, quasi post mutatus, coepisset de Christo dubitare. Ne cui, inquit, obrepat suspicio leuitatis de Iohanne. Alioqui si talis uisus est uobis, qui leuium hominum more mutet sententiam, & quod prius affirmauit post uocet in dubium, cuius spectaculi gratia sic dudum confluebatis in desertum? An ut uideretis arundinem agitari uentis? Talis enim fuisset si nunc à seipso dissentiret, siue dissimilis esset factus. Sed ab hac suspicionem facile illum uindicat perpetua uitæ totius austeritas. Quid inquam uisuri concurrebatis tum in desertum? Num hominem holosericeis uestitum? Hoc spectaculum non conueniebat eremo. Siquidem qui uestiuntur lineis & holosericeis, in palatijs regum sunt, quibus luxuriam uitæque delirium conueniunt. Atque inter hos locus est inconstantiae, locus est adulationi. Qui locustis uictitat & melle syluestri, qui pilis cameli tegitur, qui coriacea zona cingitur, in hunc non cadit huiusmodi suspicio. Nec aulae regiae familiaritas potuit illius institutum uertere. Illud adulari nescisse, carcer arguit. Sed magnum aliquod spectaculum fuerit oportet, quod uos tam frequentes pertraxeritis in desertum. Quid igitur ueniebatis spectaturi? Num prophetam aliquem? Nam hi solent ferè in desertis uitam agere. Hic certe non estis frustrati spe uestra. Vidistis enim non solum prophetam, sed præstantius quiddam propheta. Hic est de quo uaticinatus est olim Malachias, quod præcursor esset Messiae iam aduentantis, ut non solum in longum illum oraculo promitteret, sed etiam de proximo digito posset ostendere. Vaticinium sic habet. Ecce, inquit, mitto angelum meum ante conspectum tuum, qui tibi mox uenturo uiam præparet. Illud uobis affirmo, tantam esse Iohannis præstantiam, ut inter uniuersos quos ulla foemina produxit in lucem, nemo sit illo maior. Attamen is qui nunc in Euangelij prædicatione à multis habetur minor, solus est illo maior. Neque enim ille Messiam ambiguis uaticinijs promissit olim uenturum, sed iam uenientem ostendit, & regnum coelorum iam adesse prædicauit. Hactenus expectabat doctrina coelestis, quam patriarcharum typi, quam uatum oracula per ænigmata quædam promiserant. Nunc Iohannes sic excitauit animos multorum, ad euangelicæ doctrinæ studium, ut ab exordio prædicationis illius, usque ad hunc diem ad hanc fidei uolentia percurrant, etiam peccatores & ethnici, & uolentibus nolentibus nobis ui diripiant. Nolunt diutius excludi, nolunt diutius in umbris & ænigmatibus uetustæ legis detineri, sentientes adesse lucem Euangelicæ ueritatis, iamque adesse rem, in superioribus libris adumbratam, nec aliam prophetiam expectandam de messia uenturo. Siquidem omnes typi, quibus lex designarat Messiam uenturum, omnia uaticinia prophetarum, quæ promittebant Messiam uenturum, simul atque uenit Iohannes, deserunt rem futuram promittere. Stulte enim expectatur quod adest. Nihil superest nisi ut quod iuxta uatum oracula nunc præsens offertur, ardentibus studiis rapiat. Atque ut plane uideatis, posthac non esse uobis alium prophetam, qui Messiam uobis annunciet adfuturum, Iohannes ille est, quem Malachias, sub Heliae nomine, quem uictus ac uestitus austeritate, quem liberrate in arguendis regibus retulit, uenturum esse prædixit, antequam ueniret Messias. Hunc igitur si recipitis

Quid existis
uidere in des-
sertum

Malach. 3

Omnes enim
prophetae &
lex

recipitis, credite iam adesse Messiam tot seculis expectatum: uidistis illius uitam, audistis
 æstimonium, audistis quid & ipse loquar uobis. Si cui sunt aures, ut admittat ueritatem,
 audiat. Si quis obturavit aures suas, sibi imputet exitium suum. A nobis nihil omis-
 sum, quod ad mouendos animos omnium facit. Et tamen uideo multos tam pertinaciter in-
 credulos esse, ut nec austeritate Ioannis territi, nec mea ciuilitate beneficentiaq; delin-
 cipiant quod tot iam seculis ex fide prophetarum expectarunt. Qualem esse dicam hanc
 generationem: aut qua similitudine possem illam adumbrare? Similis uidetur pueris se-
 dentibus in foro, qui sic uulgata cantione procul acclamant sodalibus suis: Tibijs cecini-
 mus uobis læta, nec saltastis: lugubria cecinimus uobis, nec planxistis. Diuersis uis idem
 tentatum est à nobis. Neutra profectum est apud quosdam incredulos ac morosos. Ioan-
 nes ueluti lugubri cantu nationem hanc excitaturus ad pœnitentiam, prodijt, insignis au-
 steritate uitæ, ieiunans, & abstinens ab omnibus delicijs ciborum, abstemius & aquæ po-
 tor. Et sunt qui dicant, dæmonium habet, tantum abest ut imitentur. Prodiit filius homi-
 nis, ueluti tibiarum lætiore cantu nationem hanc excitaturus ad amorem cœlestis doctri-
 næ: quoq; plures alliceret comitate sua, non abdit se in deserta, nec utitur uestitu insigniter
 aspero, nec cibis insigniter austeris: sed omnibus semet accomodans, nec ullius asper-
 nans consortium, uescitur quibuslibet, & bibit quod apponitur: & rursus inueniunt
 quod calumnientur, dicentes: Ecce homo uorax ac uiolentus, amicus publicanorum &
 peccatorum. Qui non commouentur austeritate, solent blandimentis & comitate uinci.
 At ista natio ad omnem occasionem fit deterior. Nullum remedium sibi non uertit in ma-
 teriā maioris morbi. Sed quo pluribus modis prouocata est ad salutem, hoc omnibus erit
 euidentius, eam suapte malicia perisse: ac dei sapientia, cuius hæc cōsilio geruntur omnia,
 iusticiæ laudem feret apud filios suos, quum uiderint eos, qui magni iusticiæ uidebantur
 apud homines, ob incredulitatem suam repulsi à regno cœlorum: contra peccatores, pu-
 blicanos, meretrices, ethnicos, humiles & abiectos, ob fidei promptitudinē admissos ad
 salutem æternam. Hic Iesus ueluti demiratus inuincibilem quorundam maliciam, cœpit
 ad aliorum terrorem exprobrare ciuitatibus, quæ cum in his plura miracula prodidisset,
 & homines sanasset, tam multa docuisset, tamen ad pœnitentiam uitæ prioris compun-
 ctæ non sint: Væ, inquit, tibi Corozaim: uæ tibi Bethsaida: quia si prodigia quæ sunt in uo-
 bis ædita, uisa fuissent in Tyro aut Sidone, quas ciuitates uos ut ethnicas & impias ex-
 cramini, iam dudum compuncti, in cilicio & cinere peccatorum suorum agerent pœni-
 tentiam. Et interim uobis placetis, quod Israelitici generis sitis, quod nō immolatis idolis:
 quod non tam palam ac licenter indulgetis luxui: quod unum deum colitis: quod Abra-
 hæ filij sitis: quod legem & prophetas habetis: imò nisi resipueritis, hæc omnia cedent
 in cumulum damnationis. Illud enim affirmo uobis, in die diuini iudicij, quum non ex
 opinione, sed ex merito quisq; æstimabitur à deo, mitius agetur cū Tyro & Sidone quàm
 uobiscum. Leuius punientur, quia non perinde atq; uos fuerunt ad pœnitentiam prouo-
 cata. Et tu Capernaum, quæ nunc tibi placens in cœlum usq; tollis animos, tunc ad infer-
 ros usq; detrahèris. Tibi plaudis, tanquam iusticiæ cultrici: & Sodomæ cultores abomi-
 naris, qui olim horrendo supplicio scelerum suorum dedere pœnas: in die iudicij & hor-
 rum damnatio mitior erit, quàm tui. Nam si Sodomis ædita fuissent ea miracula, quæ pro-
 dita sunt in te, pœnitentia placassent deum offensum, & ciuitates extarent in hodiernum
 usq; diem. Cum autem essent ad Iesum reuersi à prædicatione discipuli, lætiq; retulissent
 illi negocium successisse, ille docens nos, deo tribuendum, quicquid à nobis cum laude ge-
 nitur, sublati in cœlum oculis dixit: Gratias ago tibi pater, qui dominus es cœli ac terræ,
 cuiusq; sapientia reguntur uniuersa, quod hanc cœlestem philosophiam cœlesti sapien-
 tiæ prudentiaq; mundanę persuasione turgidos elatosq; & eam aperuisti pusillis, humili-
 bus, & iuxta mundi æstimationem stultis. Profecto sic est pater, quia sic uisum est tuæ be-
 nignitatis: quo doceres tibi non placere feroces, & suæ iusticiæ suæq; prudentiæ fidentes:
 & esse magnos apud te, ob simplicitatem fidei, quos mundus habet pro stultis & ab-
 iectis. Sic placitum tuo diuino consilio, damnare sapientiam humanam, & per humilita-
 tem Euangelicæ doctrinæ bonos ad te pertrahere. Ac mox uersus ad circumstantes: hor-
 tatur, inquit, omnium bonorum pater est autor, à quo mihi tradita sunt omnia. Illum meq; nos-
 se, uera felicitas est. Sed non insinuat sese, nisi placidis ac modestis animis. Hæc arcana

*Et iustificata
est sapientia
in filijs suis*

*Tunc cœpit
exprobrare
ciuitatibus*

*Confiteor ti-
bi pater*

*Venite ad me
omnes qui la-
boratis*

quædā est & mūdo incognita philosophia. Nemo nouit filiū, nisi pater: nemo nouit patrē, nisi filius, & cui uoluerit filius patefacere. nō patefacit autē superbis & elatis. Nihil agit doctrina, nihil agunt miracula, nisi secretus accesserit afflatus. Sed hoc nō dignamur nisi eos, qui prorsus diffusi suis præsidij, totos sese credunt bonitati diuinæ. Qui sibi uident sapiētes, indigni sunt hac sapientia. Qui sibi uident diuites, nō admittunt ad has opes. Qui sibi uidentur nobiles ac potētes, non recipiunt ad hæc adyta. Qui sibi uidentur iusti, non sunt capaces iusticiæ diuinæ. Hic Iesus animo contēplans quanta esset generis humani calamitas: alios premi paupertate, rursus alios grauius etiam distorqueri cura diuitiarum: alios affligi morbis, alios senio: hos discruciarī amore, illos etiam grauius odio torqueri: multos uarijs falsarum opinionum inerrare labyrinthis: plerosq; scelerum conscientia nunquam non intus affligi: nec esse qui pastorem ageret fidum & efficacem, quum essent innumeri, qui fastu gererent sacerdotes, qui rabi nomine se uenditarent, qui decimas exigere: misericordia commotus inuitat omnes ad se, omnibus solatium ac remedium pollicens ultro, si modo simplici sinceroq; pectore sese adeāt, & excusso iugo mundi longe misserrimo molestissimoq; iugum Euangelicæ doctrinæ recipiant. Venite, inquit, ad me, quotquot afflictionibus, curis, aut uitiorum conscientia laboratis: quotquot malorum sarcina degrauiamini, ego uos refocillabo: ego aduersus omne malorum genus impartiam solatium. Nec opes, nec honores, nec uoluptates huius mundi præstant ueram animi tranquillitatem: nec philosophia mundi huius, nec pharisæorum religio, liberat à molestis curis. Habet mundus suum iugum, prima specie blandum sed reuera molestum & asperū. Illud in primis excutite, mox ad me currite, lubentes & alacres iugo meo colla uestra submittite. Ex me discite, quæ res sola uereq; tranquillet animum, & quo fonte nascatur totus iste mortalium tumultus. Nimirum hic est elatus ac ferox animus, sibi fidens, deo parum fidens. Hinc scater ambitio, studium pecuniæ, uindictæ libido, simulas, liuor, bella, seditiones, impietates in deum: quibus rebus quid esse potest tumultuosius, aut quid turbulentius? Quod si uultis semel ab omnibus malis liberari, fontem illorum tollite, accipite doctrinam meam, imitemini uitam meam. Discite ex me, quod mitis sum, & corde minime elato. Quid possim, miraculis declarauī, & tamen nec opes, nec honorem affectio, neque quicquam omnino ambio eorum quæ apud mundum magna ac præclara uidentur. Neminem quamuis humilem aut peccatorem fastidio. Non regero cōuitia, nō reprecor male precātib;: nō referio ferientem. Totus ex patris nutu pendeo. Ille pœnas exiget ab improbis: ille præmia reponet benefactis: illi cedo totam gloriam: illi cōmitto omnē sollicitudinē. Ego simpliciter illius uoluntati per omnia morē gerens, quod in me est, studeo benemereri de omnibus, nocere nemini. Hoc solum si à me didiceritis, sentietis confidere miseros istos tumultus, quibus nunc sine fine iactamini: parietisq; quietem & tranquillitatem animis uestris, quæ uos etiam in medijs malorum circumfrementium procellis commitabitur. Mitis ac mansuetus animus, fons est omnis tranquillitatis humanæ. Tantum fidentes colla submittite. Non est quod metuatis iugum meum. Durum & graue uidetur incredulis: sed ijs qui toto pectore fidunt bonitati diuinæ, qui conceperunt ignem charitatis Euangelicæ, molle & commodum est iugum meum, leuis est sarcina mea. Siquidem illud reddit suaue certa spes præmiorum, hanc leuem efficit amor ineffabilis in deum. Quid autem non dulce amanti, si mens bene sibi conscia, & omni sollicitudine uacans, si certa fiducia de præmijs æternæ uitæ? Quid exorietur, quod talem animum conturbet, aut commoueat?

CAPVT XII



Quodam autem die, cum Iesus iter faceret per segetes, ac discipuli, stimulante fame præcedentes dominum, uellerent spicas, ac manibus confricantes ederent grana, pharisæi captantes undiq; calumniandi materiam, dixerunt illi: Non uides quid faciant discipuli tui, uiolantes sabbatum? Cur igitur illos non prohibes, facientes sabbato, quod facere fas nō est? Hic Iesus ita patrociniatus est discipulis suis, ut tamen ipsum non possent criminari, uelut autorem uiolandi sabbati: simulq; docet constitutiones huiusmodi cessare debere, quoties necessitas, aut insignis quædam utilitas inciderit. Sabbatum enim, & ieiunia, similiaq; non esse instituta in perniciem hominis, sed in salutem. Pharisæis igitur ut legis peritis, exemplum obiecit

lectex lege, non cuiuslibet hominis, sed eius quem ipsi habebant in primis probatum & inculpatum. Quid, inquit, calumniamini discipulos meos, quod re parabili succurrunt fami? An nō legistis Dauid sanctissimum necessitate adactū, maius quiddā ausum esse, qui quum fugiens Saulem uenisset in urbem Nobē, comedit panes sacros, quos propositio- nis uocant, nec ipse tantum, sed & comites ipsius ac famuli? Nefas est ex his panibus cui- quam uesci, præter quam sacerdotibus ac leuitis: sed quum fame periclitaretur, nec sacer- dos ueritus hos illi prodere, nec Dauid ueritus ueluti prophanos attingere uesciq. Si pro- batis quod fecit Abimelech sacerdos: si non damnatis quod fecit propheta Dauid, quur meos ob rem multo leuiorem calumniamini? Quantulum enim est hoc operis, spicas ob- uias uellere, & granis confictu palmarum erutis uesci? Quid quod ipsa lex alicubi iubet uiolari sabbatum? Siquidem sacerdotes in templo, dum in sabbato iugulant pecudes, & lanienā quandam exercent: dum congerunt struem lignorum: dum incendunt, dum de- trahunt pellem, dum secant, dum coquunt, nōne prophanant sabbatum? Lex non sinie quicquam operis fieri, & has operas tam sordidas, sacerdotes sacri, in loco sacro exercent in sabbato. Hæc scitis fieri, & probatis hoc nomine, quod ad usum templi faciant. Si tanta est autoritas templi, ut quod operis illi impenditur non uiolet sabbatum, illud dico uobis hic esse maiorem templo. Huic qui ministrant eos magis oportebat esse excusatos à uiola- ti sabbati crimine. Si non prophanant sabbatum, qui laborant in sacrificijs Moisaicis, mul- to magis excusandi sunt, qui seruiunt Euangelio, qua non alia uictima deo gratior. Qui sabbatum instituit, idem potest & sabbatum tollere: & qui sabbatū instituit hominis gra- tia instituit, non contra sabbati causā condidit hominem. Aequum est igitur ut obserua- tio sabbati cedat hominū utilitati, non ut homo sabbati causā pereat. Si tantum tribuitur sacrificio, ut qui illi seruit, impune uiolet sabbatum, quur non & illum habetis excusatū, qui necessario beneficio subleuat proximum in sabbato? Quandoquidē hoc sacrificium deus sibi fatetur esse pluris, quā si quis immolet pecudem. Ait enim per Osee prophe- tam: misericordiam uolo & non sacrificium, & scientiam dei plusquam holocaustum. Vos legis peritiā profiteamini, & tamen hoc in lege scriptū est, quod si uere intelligeretis, nunquam ob rem leuem, & nulli noxiam, culpassetis inculpabiles. Sunt enim quædā in- stituta, non quod per se bona sint aut mala, sed quod aliquo modo conducant ad pietatē, nec tam præstāt sanctimoniam, quā significant: quod genus sunt, cibi genus, uestis color, aut forma, materies ue, ieiunium, festi dies. Harum rerū non oportet adeo superstitiose te- naces esse, ut ob has quis uel omittat, quæ per se semperq. bona sunt, aut faciat quæ per se semperq. sunt mala. Adulterium, homicidium, obtrectatio, liuor, nullo non die mala sunt, ac nefaria. Et tamen qui Pharisæica religione sunt, minus abhorrent ab his, quā à uiolan- do sabbato. Subuenire proximo egenti, nullo non die pium & sanctum est, & tamen pha- risæi sabbati seruandi prætextu patiebantur affligi proximum. Hanc superstitionem per- niciosissimam Iesus Christus studuit penitus ex animis suorū eximere. Proinde quo ma- gis perspicuo exemplo idem inculcaret animis omnium, digressus hoc loco, reuersus est in synagogam eorum, habiturus eos testes, quos sciebat huic morbo potissimum obno- xios. Ecce statim illic sese offert occasio miraculi. Aderat enim in turba quidam dextram habens mancā, & arefactā. Porro pharisæi uenantes honestā ansam accusandi Iesum, obseruabant eum, an sanaturus esset hominem in sabbato, qui paulo ante fuerat apostolis patrocinatus in crimine sabbati uiolati. Iesus aut uolens omnibus palam facere, calūniam illorum non ex religione proficisci, sed ex inuidia, iussit hominem cui manus erat manca prodire in mediū, quo uicium esset omnibus conspicuū, & uel misericordia cōmouerentē erga calamitosum, qui mēbrū omnium maxime necessariū pauperi, mortuū & inutile circū ferebat. At priusq. sanaret hominē, nō inscius, quid cogitarēt pharisæi, percōtatus est eos, dicens. Virū fas est sabbatis sanare hominē? Et utrū tolerabilius est apud uos, benefacere hominē in male, seruare hominē an p̄dere? Perdit em̄ qui quū seruare possit nō seruat. At illi simul obtinuerūt, ne uel crudeles uiderētur populo, si nefas esse pronunciaissent, homi- ni calamitoso subuenire sabbatis, uel ansam perderēt accusandi, si respondissent licere. Ta- centibus autē illis, Iesus ipse collato exēplo soluebat nodū quæstionis. Quis, inquit, inter uos reperietur tā religiosus obseruator sabbati, ut si cōtingat unā ex ouibus suis sabbato delapsam in foueā piclitari, nō protinus admoueat illi manū ut extrahat eā? Si tantū apud

*Dominus es-
nim est filius
hominis etiā
sabbati*

*Et transiens
inde uenit in
synagogam*

uos ualet auaritia, ut malitis uiolare sabbatum, quam unam pecudem interire rebus uestris, quanto magis hoc debet impetrare charitas, ut proximum, qui longe melior est oue, subleuetis die sabbati. Palam est igitur, etiam uobis iudicibus fas esse beneficio iuuare proximum sabbato. Ceterum quum Iesus ne his quidem uerbis sentiret illorum inuidiam mitescere, nec hominis miserandi conspectu, nec ratione tam euidenti commoueri, circumferens oculos suos, indignabundus, & indolens de tanta caritate cordis illorum, uersus ad eum qui manum habebat aridam & contractam: Protende, inquit, manum tuam, simulque cum dicto, protendit manum sanam, & agilem, non minus quam erat altera. Hoc tam insigni facto in rabiem acti pharisaei, quum uiderent hanc ansam sibi ereptam accusandi Iesum, digressi a synagoga, relictaque turba, quam intelligebant esse propensiore studio in Iesum, cum Herodianis, qui & ipsi commercium habebant cum discipulis. Ioannis subinuidentibus gloriae Iesu, clam iniere consilium, qua uia Iesum tollerent e medio. Iam aderat homicidii uoluntas, nec quicquam deerat praeter occasionem idoneam. Iesus autem non ignarus, quid molirentur, subduxit sese ab eo loco, ne furentibus ansam aliquam dedisse uideretur ad extrema ueniendi. Poterat illos odiose retundere, poterat miraculis obruere, poterat & perdere, sed ostendere uolens Euangelicam mansuetudinem, cessit illorum furori, si forte mitescerent aut resipiscerent: & haecenus illis cessit, ut nihilo secius alijs in locis, turbis confertis sese comitantibus, impartiret doctrinam coelestem, & quotquot offerebantur aegroti, aut alioqui calamitosi, sanaret. Nondum enim uenerat tempus illius: nondum satis erat proditum Euangelium. Cessit igitur, non uti sibi consuleret, sed ut illis subtraheret occasionem impij facinoris, simulque moneret euangelicam philosophiam non terroribus, non conuicijs, aut contentiōibus esse defendendam aduersus rebelles, sed mansuetudine. Pracepit igitur turbis affectantibus, ne se facerent palam, & latius increbrescente rumore, pharisaei magis accenderentur. Neque enim hoc casu factum est, sed ita futurum iam olim praedictum erat per prophetam Esaiam, apud quem pater filij sui uictoriam mansuetudine partam, ac salutem Euangelicam ob satis omnibus spectatam Iudaeorum pertinaciam ad gentes delatam describit his uerbis:

Esaiæ 12 Ecce, inquit, filius meus, quem praeter ceteris elegi: ecce dilectus meus, in quo sibi com- placuit anima mea. Impartiam illi spiritum meum mansuetum ac lenem, & huius instin- ctu iudicium annuntiabit, non solum Israelitico populo, uerum etiam omnibus genti- bus. Non hoc aget per tumultum, aut uim. Non enim litigabit, neque uociferabitur ad- uersus contentiosos. Neque quisquam audiet uocem illius in plateis, quod solent, qui lin- gua belligerantur. Dabit locum inuincibili maliciae, sed omnes conabitur ad salutem ad- ducere. Nec malis dabit occasionem immedicabilis exitij, sed seruabit omnes, si qua for- te se uertant ad meliora. Non aspernabitur imbecilles, non aspernabitur infirmos. In qui- bus erit aliquid bonae spei reliquum, hos fouebit potius quam opprimit. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec progressu temporis per se uiuicat ueritas, eoque sua culpa proruperit uesania impiorum, ut omnes intelligant il- los merito repullos & abiectos. Tunc gentes amplectentur illius doctrinam a Iudaeis spre- tam, & in eo collocabunt spem suam, cui Iudaei fidere recusarunt. Euenit interim, ut inter- est ei demoni multos quos sanabat, offerrent Iesu quendam obnoxium noxio daemōio, quod misero um habens simul oculos & linguam ademerat. Iesus imperauit, ut abiret daemōium, abiit, & illico to- tus restitutus est ille ter miser, sic ut & uideret & loqueretur. Ad rem tam arduam, stupe- scebat multitudo: iamque suspicantes illum esse Messiam, loquebant inter sese: Num hic est ille filius Dauid, quem promittunt prophetae? Hanc populi uocem cum audissent pharisaei, Iesum quidem ipsum non aggrediuntur, a quo semper discedebant inferiores, sed multitu- dinis animos conantur ab illius admiratione diuertere. Non potest, inquiunt, hic esse fili- us ille Dauid, quemadmodum uos suspicamini. Siquidem ille ueniet suffultus potestate di- uina. Hic non eijcit daemones praesidio dei, cum sit impius, & sabbatorum uiolator, uo- rax ac uinosus, & sodalis publicanorum, sed praesidio Beelzebub principis demoniorum. Iesus autem tametsi uocem illorum non audierat, tamen sciens, quid & cogitarent, & apud alios loquerentur, conuersus ad pharisaeos, sic temperat responsum suum, ut illorum insa- num conuiciū manifestissima ratione refellat, nec tamen in illos regerat contumeli- am, sed potius amanter inuitat ad salutem amplectendam: Omne regnum, inquit, intestino

diffidio diuifum, intereat oportet. Et omnis domus intestina discordia secum pugnantis concidat oportet. Quod si satanas satanam, & daemon dæmonem expellit, quomodo durabit regnum illius? Quomodo autem cōsentaneum est, ut cum omnes dæmones sint hostes hominum, nec aliud sitiant, quàm illorum exitium quorum saluti misere inuident, nunc adeo faueant eorum saluti, ut hac de causa dæmon pugnet cum dæmoner? Iam si ego uirtute præsidioq; Beelzebub eiicio dæmonia, isti mei discipuli filij uestri, quos agnoscitis, cuius præsidio dæmones eiiciunt? Eiiciunt enim & illi, nec illos interim calumniāmini, me unum calumniāmini. Et tamen illi ut eiiciant, à me potestatem habent. Itaq; fieri non potest, ut illi in uirtute dei profligent dæmonia, ego præsidio Beelzebub, quū isti per me unum nomen id faciant. Et ideo possunt homines idiotæ tanta, quia simpliciter credunt me uirtute dei profligare dæmonia. Proinde horum pia credulitas, uestram damnabit incredulitatem, qui calumniari mauultis, quum liceat imitari. Quod si res ipsa clamat, me nō præsidio dæmonis, sed uirtute dei, pellere dæmones, dubitare non debetis amplius, quin aduenerit ille filius Dauid, & regnum dei, quum uideatis ad inuocationem mei nominis, factam ab ijs qui profitentur Euangelium, euanescere uires aduersariorum. Vt igitur dæmonum inter ipsos est concordia ad perdendum omnes, ita mihi, qui in hoc ueni ut seruem omnes, cum illorum cohorte nulla est concordia, sed capitale dissidium. Hactenus Beelzebub tyrannidē exercuit in homines peccatis obnoxios, malisq; cupiditatibus addictos: ego sublati hominum peccatis, Beelzebub principē cum suo satellitio protero, & quos ille per iniusticiam possidebat, per innocentiam deo uindico. Viribus, nō pacto regitur. Sentiant illi & fatentur adesse potestatem, cui cogantur cedere. Alioqui qui fieri potest, ut aliquis ingrediatur arcem uiri potentis, ac suppellectilem illius diripiat, nisi prius potentem dominū superatum coniecerit in uincula? Tum uero coercito eo, qui poterat obsistere, populabitur domum uniuersam, ac uelut prædā auferet. Mundus domus est Beelzebub. In hoc quoniā totus seruiebat ambitioni, luxui, libidini, auaritiæ, ire, liuori, ceterisq; cupiditatibus noxijs, per quas ille potens est, regnum quoddā sibi uindicabat. Ego ut uir fortior ingressus sum illius regnum, eoq; superato, quod ille iniuste possidebat uero principi assero. Nihil igitur inter nos cōuenit. Diuersi principes sunt, diuersa regna, nullo foedere concilianda. Qui uult inferi regno dei, à regno Beelzebub se subducatur oportet, cumq; illo belligeretur in castris meis. Nemo potest cum deo pacem habere, nisi bellum habeat cum diabolo. Ego dei partes sequor, non Beelzebub. Proinde qui non est in castris meis, is hostis & aduersarius est meus. Et qui me non adiuuat in colligendo, is aduersatur dispergendo. Videte ut meliori parti uos adiungatis. Consultius est in regno dei salutem perhennem assequi, quàm in regno diaboli mortem aeternam accersere. Desinite seruire peccatis, & nullum ius in uos habebit diabolus. Ab illo transfugas recipiet deus in regni sui consortium, nec poenitentibus ac resipiscentibus imputabit uitæ superioris commissā, quamlibet enormia. Tantum ne quis ex cæcatus inuidia, maliciaq; peruersus, aduersus suam ipsius conscientiam aduersetur gloriæ dei, & quum oculis cernat uirtutem diuinam manifestis signis & prodigijs sese mūdo prodere, tribuat ea spiritui Beelzebub. Proinde illud affirmo uobis, quicquid commissum fuerit factio dictio ue, condonabitur hominibus, modo resipiscant. Facile condonat deus, quod aliquo pacto ueniale facit humanæ naturæ infirmitas. Cæterum si quis conuiciū dixerit in spiritum dei, cuius manifestam uim uidet ex ipsis factis, is uix inueniet ueniam. Et quisquis conuiciū dixerit in filium hominis, quem ob infirmitatem carnis contemnit, condonabitur illi, quod error & ignorantia mixta facinori, excludit peruersam ac destinatam maliciam. At qui conuiciū dixerit in spiritum sanctum, uix nanciscetur ueniam, uel in hoc seculo uel in futuro. Hoc autē dixit Iesus deterrens phariseos ab obstinata peruersitate, quod quū cernerent & intelligerent, quæ gerebat, non posse geri, nisi per spiritum ac uirtutem dei, tamen inuidia moti repugnabant gloriæ dei, & illius miracula maluerant ascribere Beelzebub, cuius spiritum dicebant in Christo uim suam exerere. Quum, inquit, iuxta communem etiam sensum fructu dignoscatur arbor, quur uos arborem calumniāmini, quum fructum non approbare non possitis? Miracula quæ facio, subleuant miseras hominum, neminem laudant, nec adhibentur ad inanem ostentationem, aut quæstum, sed ad beneficentiam & opulationē. Hoc esse bonum nemo potest inficias ire, gratis benemereri de afflictis. Quur igitur

Ant quomodo potest quæquam

Qui non est mecum cōtra me est

Omne peccatum & blasphemiam

Ant facite arborem bonam & fructum eius bonum

igitur, quod per se bonū est, dicitis à Beelzebub proficisci, qui uestro quoque iudicio totus malus est: Si uultis latere cæcitatem animi uestri, consistentia loquamini oportet: nunc ne cohærent quidem iuxta cōmunem hominū sensum quæ dicitis. Aut igitur facite arbor rem bonā, & fructum eius bonum, aut facite arborem malā, & fructum eius malum. Aut fateamini me spiritu bono agi, qui fateamini opera mea esse bona. Aut opera dicite mala, ut probabile fiat quod dicitis, me spiritum habere mali Beelzebub. Quod si facta mea talia sunt, ut non possitis nō fateri bona, nolite quæ bona sunt, auctori malo tribuere. Progenies uiperarum, ex malis maioribus orti mali, ex uobis ipsis coniecturā facite. Nōne uos quales estis, talia loquimini, & opera uestra declarant, quæ habeatis spiritum? Inuidentes gloriæ dei, calumniāmini spiritum illius. Vnde fructus isti tam pestilentes, nisi ex mala arbore: ut enim fieri nō potest ut arbor agrestis, fructus edat mites, ut arbor uenenati succi, poma ferat salubria: ita qui uos potestis bene loqui, cum sitis mali? Ut enim ex succo radicis, fructus trahit saporem, ita ex eo quod reconditum est in corde, nascitur oratio. Ut bonus homo, de bono thesauro cordis, profert bona: ita malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Quorum cor oppleuit pietas, oppleuit charitas, uerba loquuntur rescriptis quod est in corde. Quorum cor oppleuit inuidia, superbia & avaritia, talē edunt orationē, quæ reddat ore cordis affectum. Non solum ē factis, uerum etiā ex uerbis apud deum æstimabuntur homines. Mala cogitatio soli cogitanti pestifera est: at oratio mala, cordis uenenum transfundit in multos. Coercenda est itaque lingua, non solum à blasphemis insanis, à conuitijs & iurgijs, ab obrectationibus & turpiloquio, sed ab omnibus prorsus, quæ nullam adferunt utilitatem honestam. Imò dico uobis, non solum pro turpiloquio, sed etiam pro quouis uerbo superuacaneo, friuolo & inutili, quod dixerint homines, reddituri sunt rationem in die iudicij. Etenim illic uerba quoque pro factis imputabuntur. Ex uerbis tuis aut iustus pronūciaberis, si bona prodierint ex bono corde: aut ut iniustus cōdemnaberis, si mala ex malo corde prodierint. Et hic agnoscite perfectam iusticiam regni cœlorum, superantē legis Mosaicæ iusticiam. Siquidem illa modo punit manifestam blasphemiam in deum: hic punietur & conuicium in proximum, nec solū perniciosum dictum, uerum etiā ociosum & inane. Onus enim arboris est nō fructus, qui nulli est usui: & hoc ipso noxius est, quia sine fructu audientis, tempus & aures occupat, quæ in hoc data sit lingua, ut ea prosumus nobis & proximo, utque hoc organo celebremus gloriam dei. His auditis scribæ quidam & pharisæi, dissimulato animi furore, blandioribus uerbis aggrediuntur Iesum, ueluti iam illi credituri, si in gratiā ipsorum miraculum aliquid adderet, ipsis seque dignum, qui sibi uindicaret spiritum dei, & qui semper haberet in ore patrē cœlestem. Magister, inquiunt, nos qui plebei nō sumus, sed eruditi cupimus ex te uidere signum aliquod eximium ē cœlo proficiscens, quod te declarat deo charum esse, teque quod facis, illius uirtute facere. At Iesus sciens subdolam illorum cogitationem, & obstinatam maliciā, qui non in aliud poscerent signum, nisi ut hinc quoque nouam calumniandi fumerent occasionē, præsertim quum facilius sit calumniari, quæ de cœlo ostenduntur, quàm ea, quæ coram cernuntur oculis, audiuntur auribus, tanguntur manibus: nō ferens tantam peruersitatem, respondit uelut auersus ab illis, & apud semet indignās: O nationem, inquit, malam & adulterinam, quæ se gloriatur habere patrem deum, quæ se iactat de progenitore Abraham, quum eos potius referat, qui derelicto deo coluerunt uictulum aureum: qui seditionem mouerunt aduersus Moysen: qui obmurmurauerunt in deserto, qui prophetas occiderunt: quum se declarat patrem habere Beelzebub, cuius spiritu plena, rebellat aduersus spiritum dei. Sed nō dabitur ei signum de cœlo, quod calumniatur, & quo est indigna, quum tota terræ sit affixa, sed aliquando dabitur ei signum ē terra, quo conuincatur, & si conuerti nolit, pereat. Admiratur Ionæ prophetæ miraculum, qui absorptus à belua maris, post triduum redditus est uiuus. Hoc & illis facit signū, si quem sua malicia occiderunt, uideant uirtute diuina reuiuiscere. Hoc miraculum illis propediem exhibebitur calumniaturis. Quemadmodum enim Ionas ultro se in mortem tradidit, & exceptus est à belua marina, fuitque in uentre illius tribus diebus, & tribus noctibus, mox desperatus ab omnibus, auxilio dei redditus est uiuus: ita filius hominis, triduo ac trinoctio futurus est mortuus in corde terræ. Hoc ænigmate Iesus indicabat mortem ac sepulturam suam, ac mox resurrectionem à mortuis. Ac subiicit, quod

Quoniam omne uerbum ociosum quod loquuti fuerint homines

Tunc respondit ei

quod Niniuitis fuit Ionas, hoc ego sum uobis. Ille denunciauit illis imminere uindictam diuinam & excidium urbis, ni resipiscerent, ego idem uobis omnibus denuncio. Sed Niniitæ, quos præ uobis ut ethnicos & idololatrias contemnit, surgent in iudicio diuino, uosq; declarabunt merito damnatos, si ad ipsos conferamini. Siquidem illi quanquam erant scelerosi, tamen ad prophetæ minas expauesciti deiecerunt sese ad poenitentiam. Et ecce hic est Iona maior, qui uobis frustra prædicat. Niniuitæ gens erat à dei cultu aliena, Ionas ignotus & humilis ad eos uenit. Nullus illum commendarat, aut aduentum illius prædixerat, nulla ædebat miracula, neminem beneficio sibi conciliabat, nihil magni promittebat. Tantum comminabatur exitium, neq; diutius quàm triduo prædicabat. Ego promissus prophetarum oraculis, toties commendatus testimonio Ioannis, testimonio patris, popularis uester, & ex iisdem ortus maioribus, quibus uos gloriamini: tanto iam tempore doceo uos, tot miraculis testificor, non esse uanam doctrinam: tam multos gratuitis beneficijs meis adiuui, & non intono sæuas minas, sed ultro polliceor remissionem omnium peccatorum, offero regni cœlestis æternam felicitatem: & dicor habere spiritum Beelzebub, appetor capitalibus insidijs, tantum abest ut flectamini ad poenitentiam. Quin & regina Saba exorietur in iudicio, in probrum & condemnationem huius generationis, quod ad rumorem è longinquo allatum, relicto regno, patriaq; sua, tam longo itinere profecta sit ad regem Solomonem, non metu aliquo commota, sed tantum auiditate sapientiæ. Nec adiit solum, sed & ingentia munera secum attulit. Et ecce hoc in loco est, qui Solomone sit maior. Quid enim simile gessit Solomon, qualia me uidetis gerentem, aut quid simile docuit Solomon? Et ultro ad uos deferentem Euangelicam doctrinam, per quam seruemini, omni contumeliarum genere afficitis, atrociora etiam insuper molientes in beneficium. Sed quo maioribus ostentis ac beneficijs prouocati estis ad poenitentiam, hoc atrocior uos manet poena, nisi mature resipueritis. Porro quid esset illis euenturum, & in quantam cæcitatem deuentura esset gens Israelitica, & quibus calamitatibus afficienda à principibus Romanis, & quomodo per orbem exulatura, reiecta, contemptaq; ab omnibus nationibus, Iesus ænigmate quodam indicare maluit, quàm explicare. Adhibet autem similitudinem hominis dæmonio malo obnoxij, qui postquam semel liberatus & suæ menti redditus, postea sua culpa dæmone reuerso longe grauius laborat, quàm prius laborabat. Cum spiritus, inquit, immundus exierit ab homine, exul hospitio ueteri, obambulat per loca arentia steriliaq;, quærens ubi requiescat, nec inuenit. Tunc ait secū, reuertar in domum meā unde exiui. ubi uenit, offendit eā ornata, purgatamq;, sed uacuam hospite. Tūc uidens esse locum, nec ab alio quoquā occupatam, non contentus ipse remigrare solus, asciscit septē alios spiritus deteriores se, simulq; ingressi domum habitant ibi. Fitq; ut homo grauius discrucietur, quàm antea discruciabatur. Sic eueniet huic nationi pessimæ. Hac imagine Iesus notabat pertinacē maliciam Israeliticæ gentis, subinde relabentis ad suos mores. Seruebat olim uicijs & cupiditatibus demoniacis. Per legem ac prophetas utrunq; liberata est, sed subinde rediens ad ingenium. Redibat ad idola, sacrificabat in lucis, occidebat prophetas. Emendabatur afflictionibus per Pharaonem in Aegypto, per Nabuchodonosor in Babylone, alijsq; uarijs calamitatibus. Tandem à filio dei tot modis prouocata, nō solum renouauit, uerum etiam multis paenibus superauit omnem impietatem maiorum suorum, non solum omni genere contumeliarum afficiens innoxium ob beneficium, uerum etiam ad crucem adigens falsis criminibus. Vnde prodigiosa quedam cæcitas & septuplo miserabilior, quàm fuerit maiorum, cepit animos illorum, & ob id exitium illos manet longe atrocius, quàm hactenus passi sunt. Quum hæc loqueretur populo, uenit mater Iesu comitata consobrinis aliquot alijs, qui cupiebant illum conuenire. Cum autem non possent adire illum, ob turbam cōfessionem, & obsidentem fores domus, uoce quasi per manus tradita, quidam interpellans sermonē Iesu renunciauit illi adesse pro foribus matrem & fratres ipsius qui postularent eius colloquiū. Iesus autē offensus hac importunitate, simulq; docere uolens, minimū esse tribuendum talibus affectibus, quoties negotium agitur Euangelicum, plurius autem faciendam cognationem animorum quàm corporum, quæ uirtute non sanguinis propinquitate conciliatur, quæq; longe patet latius, respondit interpellanti: Quænam est mater mea, & qui sunt fratres mei? Cœlesti negotio occupatus, non agnosco matrem, aut fra-

Cum autem
immundus
spiritus

Adhuc eo
loquente

tres carnis affinitate coniunctos, forsitan animis alienos. Ac porrecta manu in discipulos suos, qui iuxta sedētes auide tacitę combibebant doctrinam salutiferam: Si uere, inquit, cognatos nosse uultis, eosq; qui mihi sunt charissimi: hi sunt mater mea, sorores meę, fratres mei. Nullū hic sexus aut ætatis discrimen, nulla propinquitatis ratio. Quicunq; paret uoluntati patris mei, qui est in cœlis, is mihi mater est, is soror est, is frater est. Spirituum af finitatem magnifacio, non corporum. Hanc sibi quisque parare potest. Vt quisq; illius uoluntati maxime obtemperat, ita mihi coniunctissimus est, & charissimus.

CAPVT XII



EODEM tempore quum Iesus cerneret locum non esse tantę multitudinis capacem, egressus domo concessit ad lacum. Quò cum uenisset, sedit in ripa, docens populum insatiabiliter inhiantem doctrinę ipsius. Porro quum uideret multitudinem adeo condensari, ut premerent ipsum, quo liberior esset à turba, ingressus est nauim, atq; ex ea uelut è suggesto locutus est multitudini

stanti in littore. Sic enim commodius à multis, & uideri poterat, & audiri, quod harena litoris paulatim insurgens, & ipsa litoris ora speciem quandam præberet amphitheatri. Quoniam autem in ea multitudine non erat eadem mens omnibus, multa proposuit eis per similitudinum inuolucra: siue quod hoc orationis genus familiare est prophetis: siue quod accommodatissimum est ad docendum, & ad flectendos animos populi, quod collatio sumpta à rebus omnium etiam idiotarum sensibus notissimis, statim permoueat unū quemlibet: siue quod hac illecebra, & iucundius irrepunt in animos hominum quę dicuntur, & hærent tenacius: siue quod hæc admonitio nullū traducens, sed tacite per imaginem taxans cuiusq; conscientiam, minus offendere solet. Primum autem omnium parabolam proposuit, subindicans multos quidem undiq; confluere ad prædicationem Euangelij, sed tamen non in omnibus gigni fructum: id accidere non docentis culpa, sed audientium uitio. Nec parem gigni fructum in ijs qui audirent, sed ut quisq; adferret animum à mundanis curis & cupiditatibus uacuum, ita sermonis auditi maximum esse fructum.

*Ecce exijt qui
seminat semina*

nare

Hortatus igitur ut auscultarent, parabolam talem proposuit. Egressus est, inquit, quidam seminator in agrum, ut seminaret semen suum, & dum late spargit, grana quædam ceciderunt iuxta uiam. Ea quoniam manebant nuda, aduolarunt aues & comederunt. Alia rursus inciderunt in loca petricosa & aspera: quæ quum obliuentibus saxis, non tegerentur profunda terra, nec potuerint altius agere radices, mox ad teporem solis ante tempus enata sunt in herbam: propterea quod non esset multum terræ, quæ seruaret condita in tempus suum, nec radix profunda, quæ suggereret humorem. Rursus alia ceciderunt in terram spinosam, atq; incrementibus spinis, suffocata sunt, nec potuerunt in liberiores auras emergere. Alia porro ceciderunt in terram bonam ac frugiferam, & feliciter enata produxerunt fructum, non parem quidem omnia, sed pro solis bonitate, alia centuplum, alia sexagecuplum, alia trigecuplum: sic ut ex alio grano nascerentur spica ferens grana centum, ex alio quæ sexaginta, ex alio quæ triginta. Hæc locutus Iesus tum quidem non explicuit inuolucrum ænigmatis, sed suo cuiq; animo reliquit coniectandum: tantum adhortatus est, ut quibus essent aures idoneæ non oscitanter audirent eam parabolam: sed alio tempore, quum discipuli nacti essent Iesum solitarium adierunt eum, rogaruntq; quare populo per similitudinum ænigmata loqueretur. Quibus hunc in modum respondit Iesus. Quia se nondum satis idoneos præbent quibus aperiatur ueritas, qua non solū non sūt meliores quidam admixti turbæ, uerum etiam irritantur ut fiant sceleratiores. Propterea quales illi adferunt animos ad audiendum, tales illis propono sermones. Illi quę sunt manifestissima nolunt intelligere, ego tenebris inuoluo sermonem, ut uel sic prouocem ad discendi uestigandiq; studium. Vos autem qui quod datur simpliciter auideq; accipitis, digni estis, quibus secretiora quædam Euangelicę philosophiæ cōmunicentur. Si quidem habenti dabitur, ut abundet: ceterū nihil habenti, adeo nihil addetur, ut eo quoq; quod habere uidebatur sit spoliandus. In alijs facultatibus, crudele est spoliare egentem: hic quoniam inopia nascitur ex egeni uicio, iustum est auferre, quod habet ingratus. Nos gratis offerimus aliqua rudimenta coelestis philosophiæ, nimirum pro capacitate simplicitateq; animorum, ueluti semina quædam facientes. Ea si quis audis animis imbiberit, nimirum prouocat nos ut plura illi credamus. Contra qui quod gratis datum aspernat, ac reijcit

*Qui enim habet
dabitur ei*

retrahit, sibi quæ uerit in occasionem maioris maliciæ, nonne dignus est ut eo, quod indignus habebat spoliatur? Hac de causa loquor illis per inuolucra parabolarum, utpote ueritatem apertam, aut nullo fructu, aut suo etiam malo audituris. Fit enim illorum perueritate, ut quum oculos habeant, ac manifesta signa cernant, tamen excæcati inuidia, quod cernunt non uideant: quumque habeant aures, & audiant ueritatem irrefutabilem, tamen audientes non audiant, neque quod audiunt intelligant, etiam si intelligant. Nimirum in istis completur, quod olim prædixit Esaias. Auribus audietis, & non intelligetis, & oculis cernetis, nec tamen uidebitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus obsurduerunt, & oculos suos occluserunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, cordeque intelligant, tandemque conuertantur ad me, & sanem illos. Sunt isti quidem igitur infelices, sed miserandi non sunt, quanquam miserrimi, qui scientes ac uolentes sibi accersunt exitium, & reijciunt salutem. Contra, uestri oculi beati, quia uident quæ facimus: uestre aures beatæ, quia audiunt quæ loquimur: beata corda, quia intelligunt uoluntatem patris mei. Non est uulgaris ista felicitas, nimirum multi prophetae, multique iusti sancti oparunt uidere quæ uos uidetis, nec uidere contigit, audire quæ auditis, nec datum est audire. Atque illi quidem utcumque ueluti per somnium prælagiebant futurum, quod uos coram cernitis & auditis. Quandoquidem igitur hoc promeretur uestra simplicitas, audivitque cognoscendi, uos audite, quid sibi uelit parabola, quam proposui de seminatore iaciente semen suum. Tria sunt hominum genera, in quibus semen Euangelici sermonis, aut nullum ædit fructum, aut non perficit quod exortum est. Ac primum quidem est omnium sterilissimum. Hi sunt qui leuiter & oscitanter audiunt uerba doctrinæ cœlestis, nec demittunt in animum suum, nec cogitatione infigunt, ut illic radices agat: sed animum habentes nullo studio cura uestrum ac munitum, nullis decretis armatum aduersus insultus inanium cogitationum, ad quamlibet occasionem sinunt proteri conculcarique quod seminatum est. Id sentiens ille malus, qui insidiatur, & inuidet exordiis melioribus, protinus immittit in animum curas aliquas uolaticas, quæ perdant semen prius quam herbescat, aut radices agat, ut nihil meliores sint, quam si non audissent. Hos designat imago seminis, quod cecidit iuxta publicam uiam, quæ commeant & homines, & bestia, hoc est, curæ quælibet, affectus cognatorum & affinium, cura publici magistratus, amores, odia, suspiciones, aliaque id genus. Hæc sermonem euangelicum penè prius expellunt ex animo, quam receptus sit. Rursum est alius, qui sermonem euangelicum ueluti semen accipit auribus, atque auide demittit in animum suum, secum meditans ad illius regulam instituere uitam: sed quoniam non penitus infigit animi medullis, sed hominum more temporario quodam affectu, leuiter agit quod agit, tantisper fouet semen acceptum, donec in herbam exeat, ac spem quandam præbeat euangelicæ pietatis, abstinens à magnis uicijs, ac uirtutibus mediocribus enitescens. Verum si qua fuerit orta procella persecutionum, & ob Euangelij professionem intentæ exitium, carcer, supplicia, mors, aliaque quæ firmum & incoccum animi robur desiderant, tum uelut ad æstum solis uehementem, exarescunt ac deficiunt. Huius typum habebat terra petricosa, semen accipiens quidem, ac proferens in herbam, sed aduersus solis æstum humore non ualens tueri, quum per petras non liceat altius tendere radices. Rursus est alius, qui & auide audit sermonem Euangelicum, & satis alte demittit in animum suum, diuque retinet, sed perplexis huius mundi curis, præsertim diuitiarum irretitus animus, ueluti spinis quibusdam densissimis obrutus, non potest quod amat libere sequi. Has spinas inter se coherentes, sibi inuicem implexas, quoniam non patitur demeti, perit fructus iacti seminis. Hunc indicabat imago seminis excepti solo spinis ac uepribus obsito. Porro semen exceptum terra bona, signat illos, qui & audiunt sermonem Euangelicum, quicque secum reponunt & infigunt cogitationi, quicque sic transfundunt in affectus animi sui, ut nec morte uel ab eo deficere, quicque semet explicant ab affectibus & sordidis curis diuitiarum, quæ obscurant animum esse liberum, sed totos se præbent auræ cœlesti. Huiusmodi mentibus non est infrugiferum semen euangelicæ doctrinæ: sed quemadmodum idem triticum non iniquis solo fert fructum parem, sed pro felicitate terræ minore aut maiore foenore protritum pro pio studio captumque eorum qui sermonem audiunt, fructus uberior pietatis præbent. Hac parabola docuit nos Iesus, quo studio sit accipiendus sermo doctrinæ cœlestis, si cupiamus ex eo fructum exoriri. Hac seorsum discipulis suis interpretatus est Iesus.

Aliam parabolam proposuit illis dicens sus. Sed ut redeamus ad seriem sermonis superioris, proposuit & aliam parabolam domini Iesus, ut ostenderet & aliam pestem esse cauendam, si quis uelit triticum purum ac syncerum reponere in horreum. Nam reliqua quidem mala tantum lædere semen recensiatum aut herbescens, hoc iam enatam & adultam segetem corrumpere. Ea pestis est, quum satanas qui nec uolaticis & oscitantibus cogitationibus, nec persecutionum tumultibus, nec curis opum, honorum, similiarumque rerum, quibus humana uita distinetur, potuit obruere semen Euangelicæ doctrinæ, per pseudapostolos, ac impios episcopos, hæreticosque cœlestē doctrinam ad suas cupiditates malas, interpretatione subdola detorquentes, ac uera falsis, syncera uiciosis admiscentes, conatur inficere. Parabola sic habet: Regnum, inquit, cœlorum simile est homini patrifamiliās, qui cū bonus esset, bonum semen seminabat in agro suo. Cæterum dormitantibus famulis, clam uenit inimicus quidā, qui male uolebat illi patrifamiliās. Is quoniā non potuit noctu tollere semen, quod iam terra conditum erat in tuto, dolo molitur lædere. Zizaniorum inutile semen inspergit, & admiscet seminato tritico, atque hoc pacto abiit. Hunc dolum primum nemo sensit. Quū uero iam semen emerisset in herbam, & culmi spicis essent onusti, tunc demum simul enata zizania, prodita dissimilitudine, cœperunt apparere. Porro serui demirantes, unde id accidisset, adierunt patrem familiās: Domine, inquiunt, nōne tu bonū semen seminabas in aruo tuo? Vnde igitur admixta zizania? Dominus autē suspicans autorem noxæ: Inimicus, inquit, homo hoc fecit, qui mihi tam male uult, ut etiam nullo suo bono me gaudeat lædere. Tum serui: Vis ne igitur eamus & colligamus zizania, segetemque purgemus? Ait dominus: nequaquam, ne forte imprudentes, dum euellitis zizania, simul eradicetis & uicinum triticum. Sinite triticum simul & zizania crescere, usque ad tempus messis. Tum hoc negocij dabo messoribus, ut priusquā demetant, sublegant prius admixta zizania, eaque separatim compingant in fasciculos ad ignis alimoniam, ac deinde triticum purum recondant in horreum meum. Rursum Iesus significare uolens per similitudinem, euangelicā philosophiam, primum in specie contemptam & humilem, per ignominiam crucis, per paucos idiotas, quasi plantatam, ui ueritatis sic paulatim inualituram, ut totum orbem occuparet, nullumque genus hominum non complecteretur, ænigma proposuit huiusmodi: Regnum, inquit, cœlorum simile est grano sinapis, quod homo quidam acceptum, seminauit in agro suo. Quod quidem per se minimum est inter omnia legumina. Cæterum ubi fuerit enatum, magnitudine superat omne genus holerum, & assurgit ad iustam magnitudinem arboris, adeo ut uolucres nidulentur in ramis eius. Iterum rem eandem Iesus inculcauit eis, subsignificans quo pacto uis euangelicæ doctrinæ, clanculum irrepens, & per pauculos apostolos, admixta, totum orbem transformatura foret in suam naturā, & quum maxime uidetur absorpta extinctaque, tum maxime exerit uim suā. Regnum, inquit, cœlorum simile est fermento, quod exigua mulier abdidit in farinæ tribus mensuris, atque illic reliquit, donec exigua massa totam illam farinæ uim paulatim afficeret, & in suā traheret naturam. Hæc omnia Iesus parabolarum inuolucris disseruit populo, neque quicquam tum illi locutus est absque parabola, quo simul & animos illorum obscuritate sermonis, ad discendi studium excitaret, nec ansam tamen daret occasionē uenantibus calumniandi. Atque hoc quoque prædixerat olim propheticum oraculum: Aperiam, inquit, in parabolis os meum, eructabo quæ hæcenus abstrusa fuerunt à mundo cōdito. Tunc Iesus dimissa turba, domum se contulit: nec illa sequuta est, cum nec intelligeret quid sibi uellet, nec ansa præberetur calumniandi. Porro quum solus esset domi, adierunt illum discipuli familiares, rogantes, ut explanaret ipsis parabolam, de zizanijs tritico permixtis. Nam explicata parabola de semine uarie excepto, per se satis addiuinabant, quid sibi uellet sinapis granum, aut fermentum abditum. Iesus nihil grauatus enarrauit dilucide. Bonus, inquit, ille pater familiās, qui seminauit bonum semen, est pater cœlestis: ager in quo seminauit, est mundus totus, non solum Iudæa. Porro triticum quod enatum est bonum, ex bono semine, sunt ij, qui ex institutione Euangelicæ, sese dignos præbent regno cœlorum, professioni suæ uita factisque respondentes. His admixta ex malo semine, mala zizania, sunt improbi, qui non sincere profitentur euangelicam doctrinam. Inimicus autem ille, qui nocte clam admiscuit suum semen, unde nascitur peruersa doctrina, est diabolus. Serui qui uolunt ante tempus colligere zizania, sunt ij, qui pseudapostolos & hæresiarchas gladijs ac mortibus existimant e medio tollendos, quum

quā pater familiās nolite eos extinguī, sed tolerari, si forte resipiscant, & zizanijs uertantur in triticū. Quod si nō resipiscant: seruētur suo iudici, cui pœnas dabunt aliquando. Tēpus messis est cōsummatio seculi. Messores angeli sunt. Interim igit̃ mali bonis admixti ferendi sunt, quādo minore perniciē tolerantur, q̃ tollerentur. Porro quum uenerit extremum illud tempus, quū separabunt boni à malis, quum cuiq; pro factis sua dabuntur prēmia, tunc filius hominis omnium iudex, mittet angelos suos, qui repurgent regnū ipsius, neq; quicq; offendiculi sinet illic residere, quandoquidem iam nec boni malis prodesse poterunt, nec mali sinentur amplius bonis negociū facessere: sed quicunq; uiuentes inter bonos maluerint illis esse molesti, quā eorū consuetudine fieri meliores, separatos ab alijs cōgregabit, ac tradet illos incendio gehennæ. Ibi pro momentaneis falsisq; uoluptatibus supplicijs nunquā finiendis afficientur, submoti ex area ecclesiæ, & cōiecti in specū tartarum, hoc est in regnum patris sui: ubi sera iam, & inutilis pœnitentia fletum, eiulatum, ac dentium stridorem extorquebit à miseris. Porro qui ex bono semine prognati, perseverarunt ad finem usq; quāq; hic interim humiles uidentur, & ab improbis affliguntur, tunc deposita omni mortalitatis humilitate, fulgebunt ut sol in regno patris ipsorum. Hæc quoq; nū utrinq; maxima sint, nō sunt oscitanter audienda. Ad omniū uel felicitatē perennem, uel exitium perenne pertinent. Proinde quisquis habet aurē non surdam & obturatam huius mundi cupiditatibus, audiat, ut fugiat æterna supplicia, & uitam assequatur immortalē. Ad hæc, quo magis accenderet animos suorum ad sitim Euangelicæ pietatis, adhibet & alias duas similitudines, quibus docet euangelij professionē non esse rē leuiter aut uulgari studio expetendā, sed omnibus omissis, hoc unum summo studio conandum, omniūq; bonorum iactura summū illud bonum esse cōparandum. Quod quāq; non sit cuius obuium, tamē semel repertū, summā habet felicitatē: & quāq; interim latet apud homines, nec ostentat sese, tamē is qui possidet, tacitus apud se plaudit sibi, securus expectās illum diē, quo felicitas, quæ nunc in obscuro est, post proferetur in apertū. Regnum, inquit, cœlorum simile est thesauro defosso in agro, quē si quis forte nactus fuerit nō iacet apud alios, ne quis sibi præcipiat: sed in sinu gaudens, sibiq; gratulans abit ad eius fundi dominum, & diuenditis omnibus suis possessionibus, cōflataq; quanta potest pecunia, mercatur agrum illū, in quo nouit latere rarum thesaurū: sibiq; uidetur felix, qui nudatus multis mediocribus possessionibus, unico sed insigni, licet ignoto sit fundo ditatus. Rursum simile, inquit, est regnum cœlorum homini negotiatori, qui delectabatur bonis margaritis. Cum aut nactus esset unam insigniter bonā, ilico diuenditis possessionibus omnibus, mercatus est eā. Nec sibi uisus est factus pauperior quod iam nihil haberet pristinarum opū. Imò tum demum opulentus sibi uidebatur, qui sibi cōsciū esset, quod secreto possideret margaritum, quod quamlibet exiguum, tamē omnium illarum possessionum precii superaret. His adiecit & aliam parabolam, nō absimilem illi de tritico & zizanijs, adhortās suos quos ex piscatoribus fecerat apostolos, hoc est, pisces hominum, ut studerent quā plurimis attrahendis ad professionē Euangelicam, nec statim abijcerent ac perderent malos bonis admixtos, sed eos, si tentatis omnibus, nollent resipiscere, seruarent suo iudici puniendos. Rursum, inquit, simile est regnum cœlorū sagenæ missæ in mare, quæ late sparsa, omne genus piscium inuoluit, & cōplectitur. Quam cum iam senserint impletam, tum ad littus pertrahunt, iamq; sedentes in sicco, bonos pisces seligunt, ac recondūt in uas, malos & inutiles abijciunt. Itidem fiet in consummatione mundi. Exibunt angeli dispecturi quid trahat rete euangelicum. Nec sinent amplius malos bonis admixtos intrā eandem sagenam, sed ex meritis non ex professione quemq; existimabunt. Malos femoruebunt à consortio bonorū, atq; hos quidem recondent domino suo, illos abijcient in fornem ardentem. ibi erit cruciatus intolerabilis, qualē solet testari ploratus ac stridor dentium. Hæc dicta Iesus quo magis infigeret animis suorū, rogabat num hæc omnia satis intellexissent. Quum respondissent sese intellexisse, subiecit & aliam parabolam, qua submonerat eos, hæc & huiusmodi multa discenda, & in memoriæ penuario reponēda, quod ad omnē occasionem possent depromere: siue præmijs alliciendus esset auditor, siue suppliciorū metu territandus. Nam pectus doctoris euangelici, oportere quendam esse mundum ac thesaurum, diuitem & opulentum, unde nunc ex ueteris testamenti libris, nunc ex euangelica philosophia facile depromant uaria, prout auditorum utilitas exegerit

Simile est regnū cœlorum thesauro

rit. Nec enim semper eadem dicenda, nec eodem modo, nec omnibus rebus omnes commoueri. Opus est igitur diuite quodam thesauro, omni doctrinarum genere instructio. Parabola sic habet: habent, inquit, scribae Iudaeorum, quod ex libris consulti respondeant. Sed quisquis uult esse scriba doctus in regno coelorum, ei non est satis proferre uetera, nisi profert et noua, similis opulento cuidam patrifamilias, qui nihil non habeat in thesauro, siue quis noua desideret, siue quis uetera malit, ut omnibus satis faciat. Hisce tam uarijs parabolis, quibus Iesus satis instruxisset & populum & discipulos suos, ut subinde mutato loco latius spargeretur euangelica doctrina, abiit in patriam suam, hoc est Nazareth, Vbi non auspiciatus est praedicationem, ne quid tribuere uideretur humano affectui: nec tamen praeterita uoluit, ut doceret omnibus esse benefaciendum. Ingressus igitur illorum conciliabula, coepit eos docere, quemadmodum alios docuerat. Hic obfuit euangelico negotio, quod tamen prodesse debuerat, nisi uulgi hominum notis ac familiaribus inuidere mallet quam fauere; quum exotica stulte miraretur, hoc ipso preclarum esse iudicans aliquid, quod longe uenerit. Quum igitur hic agnosceretur Iesus a nonnullis, qui nouerant humilitatem familiae, ac parentum tenuitatem, simulque artem, qua Ioseph uulgo creditus pater, uxorem ac priuignum suum alebat, cuius artis sciebant & Iesum fuisse, nec unquam acceperant illum literis institutum fuisse, ita murmurant inter sese: Vnde isti tam insignis sapientia, aut unde uis aedendi miracula? Nonne hic est, Iesus ille faber, Ioseph fabri filius? nonne mater eius paupercula est & humilis apud nos, quae dicitur Maria? Nonne consobrini illius apud nos sunt, Iacobus, Ioseph, Simon, & Iudas? Nonne quotquot habet proxime cognatos, omnes hic degunt apud nos? Vnde igitur iste subito factus alius ad nos redit, docens ac miraculis polens? An credit sese nobis ignotum esse? Ita Iesu cognatio fortunaeque humilitas fuit illis offendiculo, nihil adhuc nisi plebeum & humanum de illo suspicantibus, & ob pristinae uitae humilitatem, nouae claritudini subinuidentibus. Iesus autem taxans illorum crassum ac nimis populare iudicium, qui hominem non ex ipsius uirtutibus, sed ex fortunae generis splendore aestimarent, ait illis: Non est propheta usquam contemptior, quam in sua patria, propriaque familia, & inter cognatos suos. Cumque alibi promptam fidem reperisset, multisque miraculis florisset, hic nulla potuit addere, nisi quod impositis manibus paucos sanauit aegrotos: non quod esset illius contracta potestas, aut mutata uoluntas, sed quod obliteret illorum incredulitas. Quemadmodum enim medicus non potest benefacere aegrotis, qui reijcit pharmacum: non quod ars medici sit inefficax, sed quod in culpa sit aegrotus: ita quoniam fides est, cui dantur miracula, incredulitas obstat, quo minus possit ea promere, cui uirtus alioqui non deest, nisi praepediretur aliena culpa. Itaque tanquam maliciam illis exprobrans dicebat: Non nouum hoc est, quod mihi nunc accidit. Accidit idem olim sanctissimis prophetis, Heliae & Helisae, quorum sepulchra nunc conlitis. Nam quum non pluisset annis tribus, ac mensibus sex, & ob id ingens fames regio nem illam omnem occupasset, Helias fame periclitans, ad nullam uiduam iussus est ire, quum plurimas haberet Iudaea, nisi ad alienigenam illam Sareptanam, in regione Sidoniorum. Apud hanc unam receptus, fidem inuenit, & miraculum addidit. Porro uiuente Helisae, complures erant leprosi in gente Israelitica: nec ullus tamen ab hoc sanatus est, sed solus Naaman Syrus, cuius fides a propheta miraculum uelut extorsit.

CAP. XIII



Interim Herodes tetrarcha Galilaeae, filius eius, qui pueros Bethlehemiticis trucidarat, audierat rumorem de doctrina, deque miraculis ac prodigijs Iesu. De quo quum uariarent opiniones multitudinis, alijs dicentibus eum esse Heliam, alijs Hieremiam, alijs alium quempiam e praecis prophetis, nec deessent, qui praedicarent eum esse Ioannem, qui uitae redditus, iam factus esset potentior, Herodes irridens illos alebat: Ioannem ego decollauit, & quomodo uos arbitramini illum uiuere? & non solum uiuere, uerumetiam miraculis pollere? Mox ubi de tam crebris, tamque insignibus prodigijs factus esset a multis certior, ut iam rumor non posset uideri uanum, dixit famulis suis: Hic de quo tam mira narrant, non est Iesus, qui iam pridem periit interfectus a patre, in turba puerorum Bethlehemiticorum: sed est Ioannes, qui surrexit a mortuis: & ideo iam factus diuiniore, clarescit miraculis. Siquidem Herodes manus iniecerat in Ioannem Baptistam & coniecerat illum in carcerem: quantum uirum haberet in precio, nec pauca gereret ex illius consilio. Sed hic fauor tyranni uersus est in odium, ob inconstantiam

tam mulierculam, cuius plus apud regē ualuit, turpi obsequio conciliata gratia, quam Io-
 annis autoritas. Siquidem Herodiadem Philippi fratris sui uxorem, unde & filiā sustule-
 rat, uiuo fratre in illius odium sibi adiunxerat: Ioannes libere admonuit regē, nepharium
 esse connubiū, quum & uiueret frater, & superesset ex eo filia. Porro lex Mosalca iube-
 bat, ut fratris defuncti uxorem duceret frater, si contigisset illum decedere absq; liberis.
 Herodes hoc insanius amans mulierem, quo minus licebat amare, uehementer offensus
 est hac libertate, adeo ut fuerit illum interfector; ni metuisset tumultum populi, apud
 quem nouerat Ioannē esse uehementer gratiosum, quod & baptizasset plurimos, & cō-
 plures haberet discipulos, & a plerisq; crederetur esse Messias. Nemo certe non existi-
 mat illum esse uirū prophetici spiritus, ac sanctimonie singularis. Sed hunc metum post
 excussit luxus, & insanus erga puellam neptem fauor. Quum enim iuxta morem ethnio-
 corū, celebraret diem suū natalem, in quo nihil uoluptatum genialiū nō adhibebatur, He-
 rodiadis filia puella, lasciuā gesticulatione saltauit ad mensam regiam: adeoq; placuit He-
 rodi, qui iam uino incaluerat, ut dederet se nihil non daturū puellæ petenti, etiam si dimi-
 dium regni sui postulasset. Puella ne perderet tantam occasionē, & mox hac regij pectio-
 nis abuteretur libidine, consuluit matrem, quid esset petendum. Illa uerita ne quando Ioan-
 ni reconciliatus regis animus, dirimeret incestas nuptias, suauit filia nequid peteret, nisi ut
 absq; mora sibi daretur in disco caput Ioannis Baptistæ. Puella ex matris sceleratæ consi-
 lio, prodijt in conuiuio, & expectantibus omnibus, quidnam esset optatura: petijt ilico si-
 bidari caput Ioannis in disco, uelut hunc missum pluris factura matre, quam dimidium re-
 gni. Hoc præter omnem spem audito, rex uultu mœrorem simulat, ac iurisiurandi religio-
 ne prætexit immanitatem, præsertim quod tot conuiujs testibus interposuisset: itaq; ne le-
 uis aut periturus uideretur, iussit fieri quod optarat puella. Illico spiculatores missi in care-
 rem amputatum est caput innocentissimi uiri: allatum est in disco, datum est puellæ: puel-
 la tradidit matri quæ totius huius fabulæ fuerat architectrix. Atq; his auspicijs dedicatus
 est ille felix natalis Herodis. Hoc premium datum est ad honesta uocanti. Hoc spectaculo
 pasti sunt oculi conuiuarum, quos rex sua mensa dignos iudicarat. Caput igitur Ioannis
 cessit incestæ. Porro corpus asportarunt discipuli Ioannis, ac sepelierunt illud. Hoc tam
 immane facinus, quum renunciantibus Ioannis discipulis cognouisset Iesus (Nam uelut
 homo passus est sibi narrari quasi nesciret, cum præcisset, etiam antequam fieret) secessit
 in nauim, ut semotus a turba, migraret in locum aliquē desertum: specie quidem præbens
 humani timoris, sed re uera subtrahens occasionem scelerato regi, ne homicidium homi-
 cidio iungeret: præsertim quum Iesu tēpus nondum adesset: simulq; docens nos, aliquan-
 do principum furori cedendum esse, ne benefactis iritati, & lædant innoxios, & ipsi red-
 dantur sceleratores. Vitare licet impios, ad facinus paratos, quo prodesse liceat bonis.
 Atq; hic quidem secessus, quorundā eximiam fidem declarauit. Etenim simul atq; auditū
 est Iesum uitatis ciuitatibus in desertis agere, ob metum, ut putabant, Herodis, ipsi relictis
 ciuitatibus adibant eremum: & recondentem sese in abditis secessibus, quoniam nauibus
 aut uehiculis ob impedita loca peruenire non poterant, pedestres sunt insequuti: nec itine-
 ris difficultate, nec inedia periculo deterriti. Adeo iam doctrinam euangelicam cœperāt
 esurire. id ubi sensisset Iesus prodiit e latebris suis, & occurrit audis, qui se subdlexerat im-
 pjs. Porro quum uideret eō quoq; confluisse frequentem hominū multitudinē, qui se-
 cum adduxerant multos uarijs morbis obnoxios, misericordia cōmotus est, & ex itineris
 difficultate perspectam habens fidem illorum, ultro sanauit quotquot habebant egrotos.
 Tāntus autem fuerat ardor multitudinis, ut quum egrotos pueros, ac mulieres plurimas
 secum adducerent in locum desertum, tamen nihil commeatus secum ferrent. Itaq; cum
 iam appeteret nox, & stomachus stimulare fame, discipuli tot conspectis miraculis, non
 dum satis perfecte sentientes de Iesu (Sic enim uisum est sapientie diuinæ, paulatim illos
 ad perfectionem fingere, quo firmior esset rerum gestarum fides, simulq; ipsos doceret,
 quibus rationibus aliorum iufirmitati mederentur) admonent præceptorem suum, insta-
 re noctem, turbam esse ingentem, tamq; plusquam tempestiuum esse capere cibum: di-
 mitteret eos, ut dilapsi in uicos finitimos, sibi quisq; cibos emerent. Iesus autem quo mira-
 culum fieret euidentius, respondit: Nihil est necesse, ut quoquam eant. Quin ipsi potius
 date illis quod edant. Porro discipuli, uelut obliui omnium quæ uiderant, ne ad hanc qui-

Herodes enim
 tenuit Ioan.

Et cum au-
 disse Iesus

*Non habemus
hic nisi quinque
panes*

dem uocem expergefatti, crasse quidem responderunt: sed ut horum imbecillitas illustraret miraculi magnitudinem. Nos, inquiunt, his tam multis dabimus cœnam? Quum simus numero tredecim, ipsi perparcum habemus cōmeatum, uidelicet nihil aliud, quam panes ordeaceos quinque & pisces duos. Vt hanc cœnā non fastidiant, quomodo sufficiet illis, quod uix sufficiet nobis paucis? Tum Iesus iussit hoc quicquid esset ad se adferri. Discipuli simpliciter obtemperantes, neque responsantes: nos igitur enecas fame, si hoc pusillum quod habemus das istis: attulerunt uniuersum commeatum. Hic Iesus exhibiturus conuiuium Euangelicum, in quo ut oportet abesse luxum omnem, ita decet æqualitatem esse omnium, iussit ut discumberent omnes in gramine, sic ut quinquageni simul accumberent, quo magis euidentius esset numerus conuiuiarum: simulque morem imitatus illorum, qui pluribus exhibituri conuiuium aut sportulam, in classes diuidunt multitudinem, ne cui aut desit aliquid, aut super sit. Quo facto Iesus tum demum futurus conuiuator, & corpora quoque pascens, qui pascendis animis uenerat, ut re quoque ipsa doceret discipulos suos: nusquam omnino pabulum defuturum his, qui negotio euangelico intenti, negligenter rem penuariam, quinque panes ordeaceos, & duos pisces sumpsit in manus suas: primum ostendens omnibus, quo uictu oporteat esse contentos legatos apostolicos: deinde ponens ob oculos synceram multitudinis fiduciam, quæ cum uideret quantulum esset cōmeatus: nec ignoraret quot essent hominum milia, tamen iussa discumbere, discubuit. Iesus itaque conuiuator, manibus tenens panes & obsonium, sustulit oculos ad cœlum, indicans à patre cœlesti proficisci, quicquid opus est humanis uisibus, eiusque benignitate laudata, fregit panes simul & pisces: atque ita tradidit discipulis suis, ut apponerent multitudini, uelut ænigmate quodam admonens quales deberet esse doctores, qui pascunt sermone dei simplicium animos. Vt enim Christus suspiciens in cœlum, indicauit se nihil docere, quod non manaret à patre cœlesti: ita uiri apostolici, quoties uiderent populum simplici fiducia pendere ab ore ipsorum, nihil eis promerent quod non accepissent à Christo, nec illis proponerent uarias cupedias ex officinis philosophiæ mundanæ: nec è suis affectibus depromerent humana dogmata, sed simplicem & euangelicam doctrinā illis distribuerent, quæ admodum accepissent à præceptore suo: nec aliter scinderent, quam ille manibus suis fregisset. Siquidem ex huiusmodi demum apparatu & plurimi reficiuntur, & gloria redit ad Christum: non ad distribuentem. Quæris exitum conuiuii? Discipuli nihil habilitantes distribuebant: illi nihil addubitantes comederunt omnes: non ad luxum, sed ad saturitatem. Et adeo nihil defuit numero cōuiuio, ut peracta cœna, collecta fragmenta impleuerint cophinos duodecim. Porro numerus hominum erat quinque milium, exceptis mulieribus & paruulis. His rebus peractis, Iesus docere cupiens, ubi satisfactum est necessitati uentris, non ad lasciuiam, aut somnum, sed ad precationem esse fugiendum: precationi uero solitudinem maxime competere, compulit discipulos suos, ægre enim à dilecto domino distrahebantur, abire ad lacum, & priores transmittere, se dimissa turba sequuturum. At illi quanquam inuiti diuellebantur, tamen non obmurmurant, non excusant imminentem noctem: non rogant quando ipse sequuturus sit, sed simpliciter iussis obtemperant. Illis itaque digressis, Iesus dimissa turba, cui modis omnibus satisfecerat, cōscendit in montē, ut illic oraret solus. Sic enim docuerat orare suos. In montis itaque cacumine, bonam noctis partem solus agebat Iesus. Atque interim absente domino discipuli nauigantes periclitantur in undis. Siquidē illis ingressis lacum, statim obortus est uentus aduersus, ac naui intumescuntibus fluctibus, nō sine periculo iactabatur. Nox conduplicabat metum. Quid facerent? Urgebat periculum, nec aderat cuius implorarent opem. In hoc periculo tota fere noctē Iesus suos reliquit, ut paulatim duraret eos aduersus oēs formidines, doceretque nunquam defuturā opem diuinā periclitantibus, etiam si paulo serius obtingat. Quarta igitur demum uigilia noctis, penē desperantibus illis, ac iam iam despondētibus animum, uenit Iesus, nō cymba uectus, sed ambulans super aquas. Illi quum per tenebras uidissent ambulantem aliquem, nec satis agnoscerent Iesum, magis etiā horruerunt, dicebantque inter se, spectrum esse quod uiderent, non hominem. Vulgus autem nautarum putat huiusmodi uisa præfens exitium portendere nauigantibus. Tantus igitur terror illos inuasit, ut uelut impotentes sui facti, præ formidine exclamauerint. Iesus autem non passus est illos diutius periclitari, sed ilico locutus est eis, ut quem per caliginem uidere non poterant, in iudicio uocis agnoscerent: Animo bono sitis, inquit, ego sum, nolite timere. Ad hanc uocem illico

Et statim compulit Iesus

illo redditus est illis animus. At Petrus qui semper singulari quodam amore flagrabat erga Iesum, nihil omnino credens difficile, quod ille iuberet: Domine, inquit, si tu es, iube me venire ad te super aquas. Non enim mirabatur illū ambulare, sed sibi quoque licere putabat, illo uolente. At Iesus modis omnibus fingēs ac formans illius imbecillitatem, ad robur perfectæ fidei: Veni, inquit. Ad hanc uocem nihil cōratus Petrus, deiecit se e nauicula, cepitque properare ad Iesum, ambulans & ipse super aquas. Et quandiu nihil uacillabat illius fides, subseruiebat illi liquidum elementū. Cæterum ubi dimotis paulisper oculis à Iesu, cepit circūspicere uentorum uehementiā, undarum tumultum, suamque imbecillitatem, rursus extimuit: cepit subsidere, periclitarique ne mergeretur. Metus à uentorum uehementia nascebatur, periculum à metu, metus à diffidentia. Ac rursus periculi magnitudo resuscitauit igniculū fidei. Iamque penè undis obrutus clamauit: Domine, serua me peruentem. At Iesus admonens suum discipulū, periculum quod metuebat nō esse ab undis, aut uentis quæ prius subseruiebāt, sed ab imbecillitate fiduciæ, porrecta manu corripuit, ac subleuauit illum, dicens: O parū adhuc mihi fidens, quare uacillabas? Nō enim satis est habere fidē uehementem ac temporariā, sed oportet habere perpetuā ac constantem: neque dispicere quantū sit periculi, aut quid tuæ uires possint ferre, sed quid ego possim fidenter præstare. Mox igitur ut ingressus est nauim, uenti conquierunt. Cæterum qui erant in nauī, cōspecto tam admirabili prodigio, sentiētes in illo quiddā homine maius esse, prociderunt ad pedes illius, & adorauerunt eum dicentes: Vere filius dei es. Cumque peruenissent ad littus, abiit in regionem Genezareth, ubi prius multa prodiderat miracula. Hi postea, quam agnouerunt eum prius uisum, rursus adesse, miserunt qui per omnem illam regionem diuulgarent adesse Iesum, ut adducerent si quos haberent agrotos. Iam enim ex superioribus miraculis fides illorum sumpserat incrementum. Igitur undique confluentes, offerunt Iesu, quotquot erant morbis obnoxij, rogantes illum ut liceret uel simbriam uel stis ipsius contingere, si molestum esset contingere singulos aut alloqui. Tantū erat fidei robur. Nec fefellit eos sua fiducia, quotquot attigerant sanati sunt.

CAP. XV



Aec quo maiore cum gloria dei gerebantur, hoc magis urebantur inuidia pharisæi, uidentes hīce rebus suam obscurari gloriam qua se hactenus uenditabant apud homines. Venabantur undique calumniam, sed quo magis impetunt Iesum, hoc magis traducunt suam cecitatem. adeo manifestam, ut populus etiam perspiceret. Aliquot igitur pharisæi Hierosolymitæ: nam illic erant arrogantissimi, simul adeunt Iesum, quo numerus fidem altrueret calumniæ. Porro quā Moses uenisset, uerbis legis quicquid adimi, aut addi, pharisæi, quo uiderent ipsi legum non interpretes modo, uerum etiam conditores, friuola quædam adiecerant. Quod genus sunt illa? Ne quis cibum capiat manibus impuris: impuras autem appellabant illotas, quasi manus cibum aut hominem contaminaret, aut quasi liquor aquæ sordes abstergeret animi. Item ne quis à foro reuersus, & in promiscua turba uersatus, cibum capiat, nisi prius abluto corpore: perinde quasi contactus hominū inquinaret hominem: aut quasi purus sit, qui lotus sit. Rursus ut subinde lauarentur urcei, pocula, æramenta, sellæ, lecticiæ, reliquaque suppellex, cuius usus erat quotidianus. His atque huiusmodi multis superuacaneis ac friuolis onerabant simplicem plebem: quibus tantum tribui postulabant, ut harum præceptiuncularū gratia nōnunquam ea negligerent, quæ præceperat deus. Ergo quum non haberent quod impingerent discipulis Iesu, transgressionē legis Mosaicæ, præceptorum suggillant, quod pateretur discipulos negligere constitutiunculas humanas: nō quod eas cōtemnerent, quanquam merito contemnendas, sed quod rebus serijs intenti, nunquam illa pro nihilo ducerent. Conueniunt igitur Iesum & aiunt: Quare discipuli tu non seruant instituta maiorum suorum? Nec enim lauant manus sumpturi cibum, Christus non ferens tam maliciosam de re nihili criminationem, percutit illos atrociori criminatione. Imò qua fronte uos, qui hæc leuia calumniāmini, tanti facitis humanas constitutiunculas, quæ nihil adferunt, nisi molestam superstitionē, & ob eas uiolatis uel maximum dei præceptum? Siquidem deus naturæ legem corroborans, serio iussit, ut quisque patrem ac matrem honoraret, ac subsidio subleuaret, longauitatem ac felicitatem huius uitæ pollicens hoc facienti; mortem cōminans secus agentī. Vos autem conuulentes aua-

f 4

ricia uestra, quo, quod subleuandis parentibus erat impendendum, uertatis in lucrū uestrum, docetis homines sanctius ac melius esse locupletare donarijs templū, quam opitulari parentibus egenis: ac technam cōmonstratis, qua parentibus opem flagitantibus illudant filij: nimirum ut ita loquantur patri aut matri, munus quod offero templo, tibi collatum puta. Siquidem quod deo offertur summo parenti, recte collocatū est: ac filij pietas proderit & parentibus. Atque hac arte sub prætectu falsæ pietatis, contra præceptum dei, deseritur pater, ut melius habeant sacerdotes. Res ad uos redit: ad parentes subleuandos, præter uerba nihil redit. Et impiū factum pietatis imagine prætextis. Quid autem arrogantiū, quā uestras constitutiones antepōnere iussis dei, & harum prætextu sanctissimum dei præceptum abrogare? Iniquū erat istiusmodi constitutiunculis onerare populum plus satis oneratū legis onere. Sed impietatis est non ferendæ, uestris commentis antiquare legem diuinam, cum ipsa natura congruentem. Ista nimirum est uestra ista furcata religio, quæ nihil est minus, quā quod uidetur. Hypocritæ non immerito de uobis uaticinatus est Esaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem illorum procul abest à me. Sed frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. His dictis Iesus uelut auersus à pharisæis, nihil aliud aucupantibus, quā ansam calumniandi, iussit turbas propius accedere, dicens: Audite & intelligite, quā sint friuola, quæ uobis præscribunt pharisæi, de minimis anxij, maxima negligentes. Isti præpostero iudicio summā pietatis collocant in rebus externis, uelut in delectu ciborum, & ea quæ sunt animi negligunt. Cyathos horrent illotos, & animos impuros negligunt: manus & cutem subinde lauant, animum patiuntur omnibus uitijs inquinari. Quod intrat in os, non reddit hominem impurum: sed quod egreditur ex ore, reddit hominē impurum. Nō enim refert, quo cibo uescaris, sed quo animo. His uerbis quum uideret iustam ansam dedisse pharisæis calumniandi, quod tolleret ciborum delectum, quem lex diuina præscripsit: quæ quidem in re non dissentiebant à pharisæis discipuli, facinus nepharium existimantes, cibis uesci cōmunibus, quod quidem Christus nondum damnabat: tamen indicat illa non ex natura sua, sed ex incidentibus causis uel bona uel mala fieri: & ob id minoris esse faciēda, quā ea quæ semper & sua natura pia sunt aut impia: iamq; tempus adesse, ut id genus legis præcepta, quæ ad tempus aliquod sint instituta, nec tam adferant sanctimoniam, quā significant, iam incipiant obscurari, mox ad coruscantem euangelij lucem prorsus interitura. Hoc nondum intelligentes discipuli adeunt dominum, ac priuatim admonent de periculo: Scis pharisæos isto sermone tuo de cibo non polluyente quenquam offensos esse, tametsi dissimulant? At Iesus docere uolens aliquando offendiculum improborum, ex rebus nihili sumptum, fortiter esse cum suis autoribus contemnendum: præsertim quum illis obsecundando, nihil aliud proficias, quā quod alis illorum maliciam: non sine perniciē simpliciū, qui fidentes obseruatiunculis huiusmodi, negligunt interim ueræ pietatis studium: hunc in modum respondit discipulis suis, qui & ipsi nonnihil erant offensi. Omnis plantatio, quam nō plantauit pater meus cœlestis, radicibus euellitur: peribit omnis institutio, quam homines ad suum quæstum & gloriā ex sese, non ad ueram pietatem commenti sunt. Ista terram sapiunt, & carnalia sunt, pro tempore data coercendæ crassorum hominum licentiæ. Lex euangelica spiritalis est ac cœlestis: nec in istis rebus uisibilibus sita est, sed in affectibus animi. Horū igitur prima debet esse cura. Siquidē absq; his, nec illa quicquā profunt, nisi ad inanem ostentationem. Hanc igitur philosophiam cœlestem postea quā cœpistis profiteri, nihil uobis est rei cū fucatis pharisæis, qui talibus obseruatiunculis promittunt absolutam sanctimoniam, in quibus aut nihil est aut quā minimum pietatis. Iactant sese doctores, ac duces ad ueram religionem, quum ipsi nesciant quibus in rebus sit sita uera religio. Itaq; cæci sunt, cæcorū duces. Porro si cæcus cæco uia dux fuerit, quid futurū, nisi ut ambo simul intendant in foueam? Nesciunt quid doceant, & stultos crassosq; discipulos sibi adiungunt. Valeant igitur stulti pharisæi, cum suis stultis & ineptis constitutiunculis. Vobis ea curæ sint, quæ uere purum & impurum reddū hominem, hoc est, quæ polluunt aut purgant animum magis quā corpus. Ad hæc Petrus, ob penitus à maioribus haustam superstitionem nondum sibi persuadens absque periculo posse negligi constitutiones eiusmodi, non ausus amplius refragari sermonibus

stulte illos,
ceci sunt du
ces cæcorū

bus Iesū, blande rogat, ut quod involute dixerat apud populū, de ijs quæ intrant & exe-
 unt os, dignetur explanare. Iesū obiturgatiuncula uolens acuerē studium suorum, quos
 oportebat iam in coniectandis parabolis esse peritiores, & ex alijs alia diuinare: Adhuc
 inquit, & uos caretis intelligentiā. Nec intelligitis, quod cibus, qui manibus siue lotis siue
 flotis sumptus intrat in os, demittitur in stomachum, deinde quod crassius est, per aluum
 in secessum reijcitur. Corporalia sunt hæc, nec afficiunt, nisi corpus. Animum nec iuuant,
 nec lædunt, nisi si quis abutatur. Vt autem abutaris, nō ciborum fit uitiō, sed abutentis.
 Cæterum quæ progrediuntur ex ore, sunt ea quæ loquuntur homines. Oratio nascitur
 non ex uentre, sed ex corde. Porro quod est in corde hominis, id aut uere purum est, aut
 uere impurum est. Illic enim fontem suum habent noxiæ cogitationes, quibus fratri stru-
 unt insidias, homicidia, adulteria, stupra, furta, fraudes, doli, liuor, arrogantia, lites, falsa
 testimonia, blasphemia. Hæc etiam si non prodeant per os, tamen impurum reddunt ho-
 minem, & abominandum in oculis dei. Si prorumpunt, uelut e putri cloaca pestilentis ha-
 litus, ut declarant hominem esse impurum, ita contagio afflatuq; suo etiam alios inqu-
 nant. Porro siue lotis manibus cibum capias, siue non lotis, modo ad usum naturæ su-
 mas, non reddit hominem immundum. Nec potus ex illoro calice sumptus inquinat ho-
 minem: modo modice sumas ad usum, non ad luxum. Itidem insidere illotæ sella, non
 conspurcat animum hominis, uti nec lora sella puritatem addit sedenti. Has igitur friuo-
 las ineptias cum superstitiose doceant ac seruent pharisæi, tamen non exhorrent ea, quib;
 bus uere inquinatur animus. Moliuntur insidias benemerenti, subornant falsa testimonia;
 obtrestant famæ proximi sui: & ita suæ consulunt gloriæ, ut inuideant gloriæ dei, calum-
 niantes opera, quæ illius spiritu geruntur, & attribuentes Beelzebub. Hæc erant illis abo-
 minanda, si uere puri uideri uellent. Quod aut hoc est præposterum sanctimoniam genus,
 lotas habere manus, & mentē simul ac linguam habere tot sceleribus inquinatā. Hæc lo-
 cutus Iesū, reliquit eam regionem, & cōcessit in fines Tyri ac Sidonis, uelut ipso facto *Et egressus*
 uaticinans Iudæos ob superstitionem suæ legis expulsuros euangelicā doctrinam, quam *inde Iesus*
 gentes essent per fidei synceritatē sibi uindicaturæ. Siquidem Tyrus & Sidon ab idolola-
 tris incolebantur. Huc ita profectus est Iesū, non ut prædicaret, quemadmodum fece-
 rat in Iudæa: nōdum enim illud tempus aduenerat, sed ut lateret. Nam domum ingressus
 est latere cupiens, sed fama latentem prodidit. Hoc datum est inuincibili Iudæorum mali-
 cia, ne queri possent sibi prælatas nationes impias & prophanas. Itaq; miraculum quod
 illic gessit, non affectatum, sed casu oblatum ac propemodum extortum uideri uoluit. Igi-
 tur ubi rumor late sparsisset adesse Iesū, cuius fama paulatim gliscens, Iudææ termi-
 nos exierat, mulier quædam Chananea, e finibus suis egressa, non est ausa propius ac-
 cedere ad Iesū, ne impura purum contaminare uideretur: sed procul clamore misera-
 bili compellat: Miserere mei fili Dauid: narrans sibi filiam esse domi, misere uexatam à
 dæmonio. Hic Iesū ille misericors & exorabilis, qui solet omnibus obuius esse & expo-
 situs, quo simul & mulieris constantissimam fidem omnibus patefaceret, & Iudæis suam
 pertinacissimam incredulitatē exprobraret, simulq; doceret nos quantum ualeant apud
 deum improbæ preces, ex humili corde profusæ: adeo contempsit supplicem, ac uoci-
 ferantem præ dolore animi, ut nec responso dignaretur: uidelicet Iudaicam quandam ar-
 rogantiam, specie exprimens, quod Iudæi, Chananaeos ueteres hostes, & idolorum cultor-
 es, habeant abominandos, seq; cōtaminari putent, si uel colloquium cum illis misceant.
 Et in hoc affectu tum temporis adhuc erant apostoli. Non destitit mulier, quamuis repul-
 sa. Dolor & fides illam reddebat improbam. Sequitur à tergo, uociferatur lamentabili uo-
 ce. Miserere mei domine, fili Dauid. Discipuli nondum intelligentes quid ageretur, pu-
 dore cōmoti, potiusquā misericordia, ob improbū clamorem alienigenæ mulieris, inter-
 pellant Iesū, rogantes non ut miserere calamitosæ, sed ut improbā ablegaret aliquo
 responso. Iesū itaq; respōsum addit, repulsa priore durius, quo magis ac magis admirabi-
 lem redderet barbaræ mulierculæ constantiam ac modestiam: & huius exemplo Iudæis
 suam exprobraret arrogantiam. Non sum, inquit, missus, nisi ad oues perditas domus
 Israeliticæ. Nam hoc quoq; titulo sibi mire plaudebant Iudæi, quod genus essent Israelis.
 Mulier adeo nō est defatigata tot repulsis, ut ausa sit propius etiā accedere ad Iesū, & ac-
 cedere ad genua: domine, inquit, opitulare. Nō refellebat, quod dixerat Iesū, sed precibus
 iteratis

iteratis conabat̃ obtundere. Nō obtexit ius, nihil aliud flagitat quā misericordiā. Nec his cōtentus Iesus, pergit adhuc tentare mulieris modestam improbitatem. Non decet, inquit, sumere panē filiorum, & projicere canibus: panē appellans fructum Euangelicum, qui fide cōstat: filios Iudæos, qui patre deo gloriabantur: canes alienigenas, à religione, cultuq; dei alienos. Quis Iudæorū huiusmodi conuitio nō fuisset iritatus? At mulier, nec recusat canis cognomen, nec Iudæis inuidet honorificum titulum filiorum: sed dominos etiā eos appellans, quos Iesus uocarat filios, amplectitur responsum in specie contumeliosum, & ex ipso, quo uidebatur omnino repulsa, arripit ansam, ne possit repelli. Nō inficior, inquit, Israelitas esse filios, nos esse canes: & ideo non sum omnino repellenda. Nō illis præripio suum panē delicatum, quo uescuntur accumbentes in mensa patris: hoc tantum peto, quod domini non solent negare canibus. Diues est mensa talium; mihi satis est, si contingant micæ, quæ decidunt de mensis illorum. Tunc Iesus admiratus tam infatigabilem constantiam alienigenæ ueluti uictus dixit: O mulier, non possum amplius repugnare tuis precibus: magna est fides tua, qua me cogis. Fiat itaq; tibi sicut uis. Ac mox hoc ipso in tempore compertum est filiam fuisse à dæmonio liberatam. Hoc unū miraculum cum Iesus ad suam gentē prouocandam in cōfinio Sidoniorum ac Tyriorum, ueluti cōactius ædidiſſet, in Iudæā sese recepit, ut declararet, quanto propensior esset in suos, quā in alienigenas, si modo beneficijs uinci potuissent. Venit aut̃ ad lacum, qui dicitur mare Galileæ, atq; illic consensu monte, sedebat, ut secessu lociq; difficultate paulatim ad firmitudinem eueheret fidem suorū. Mox cōfluebant ad illū multi greges hominum, adducetes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, aliosq; diuersis morbis obnoxios: quorū tam ingens erat multitudo, ut eos abijcerent ad pedes Iesu. Ille uel ex itineris difficultate, satis perspecta fide illorum, sanauit omnes: tanta celeritate, tam multos, ut multitudo quæ uenerat, uehementer obstupesceret, quum uideret subito recepisse uisum, qui modo fuerant cæci: loqui, qui fuerant muti: ambulare recte, qui fuerant claudi: integris esse membris, qui fuerant debiles. Et glorificabant deum Israelitici populi qui tantis beneficijs dignaretur gentem suam. Hæc populi gratitudo fecit, ut ultro beneficiū beneficio cumularet. Quum enim sciret Iesus multitudinem tertium iam diem hæcere sibi: tantus erat ardor erga Iesum: & si quid attulissent secum uiatici, id iam dudū esse consumptum: & multos periclitari fame: ad hæc, iter esse longum, nec uicos ullos aut oppida esse in propinquo, conuocat ad se discipulos suos, & ait: Misere me multitudinis. Iam enim tridū est, quod hic mihi adhærent in deserto, nec habent quod edant: nec eos uolo dimittere ieiunos, ne deficiant in uia prolixiore, quā ut à ieiunis peragi possit. His dictis submonebat discipulos suos superioris miraculi, quo pauera aliquot hominū milia. At illi rudes adhuc, & obliui priorū, quasi iussi pascere tantam hominum turbā; solliciti perplexiq; respondent: Vnde igitur nobis tantam uim panum cōparemus, ut sufficiat tam numerosæ multitudinī? Hæc simplicitas & obliuio discipulorum miraculi magnitudinem illustrauit. Desperantibus igitur illis, Christus peragit miraculi negocium. Rogat eos, quot haberent panes. Respondent: septem, cum paucis pisciculis. Et continuo iubet eos discumbere in terra. Ac sumēs in manus panes septem cum obsonio: postea quā sublati in cælum oculis gratias egisset patri, fregit, tradiditq; discipulis suis, illi distribuerunt populo. Comederunt oēs usq; ad saturitatem: & in tantum nō defuit quicquam, ut ex collectis his, quæ superfuerant, implerentur corbes septem. Erant aut̃ qui comederant numero, quater mille, præter pueros ac mulieres. Iesus aut̃ tot tam insignibus æditis miraculis in monte, ne plus satis accenderet populum in admirationē sui: præsertim cum hæc corporalia beneficia non in aliud adhibebantur, quā ut Euangelicæ doctrinæ, qua sanantur & pascuntur animi, conciliaret̃ autoritatē: dimissa turba, nauigio profectus est in terram Magedan. CAP. XVI



Hic agentem adeunt rursum Pharisei quidā & Sadducei, secta quidē dissidentes, sed ad insidias struendas Iesu concordēs. Ac subdole rogant illum, ut signum aliquod æderet e cœlo: quasi posthac illi credituri sint, si id fecisset, cum nihil aliud captarent quā occasionem calumniandi. Iesus autem cum animaduerneret, post tot ædita miracula, adhuc in sua perseverare malicia, ingemuit spiritu, & ait: Hypocritæ, aliud ore promentes, aliud in corde cælantes, in rebus leuioribus nostris obseruato cœlo, prædicere, quod tēpus postridie sit futurū. Etenim cum

non uidetis solem occidentem, dicitis: Cras erit serenitas: natiuitas enim cœlum. Rursum
 ubi mane uidetis solem orientem, ilico pronuntiatis eo die futuram tempestatem, quod
 nibeat triste cœlum. Ex habitu facieq; cœli conspecta nostis diuinare, an tēpus idoneum
 sit futurum, itinere, nauigationi, semēti messiue, aut alijs rebus ad corporis usum pertinē-
 tibus: & in nōscendo tempore, quod adfert salutē animarum, tam estis stupidi, & oscitan-
 tes: Tenetis scripturas, uidetis quæ gerantur, conspiciatis innouari mundum: & nondum
 intelligitis adesse tempus illud à prophetis prædictū, totq; seculis expectatum: Ex uno si-
 gno pronunciatu futurā serenitatē, aut tēpestatem: ex tot signis, quæ quotidie uidetis, nō
 intelligitis id quod adest: Si prodigijs meliores reddi potuissetis, iam pridem crederetis
 mihi. Nunc signum flagitatis, quo reddamini deteriores. O nationem prauam & adulte-
 rinam, longeq; degenerantem à maioribus suis, quorū titulis se uenditat. Ostentum sub-
 dole quarit è cœlo, quod calumniatur: sed hoc olim illi dabitur quod horreat, non quod
 carpat. Interim non dabitur illi portentum nisi è terra, quod frustrabitur omnes illorum
 conatus, cum uiderint rediuiuum, quem putabant extinctum ac sepultum. Prodigiosum
 illis uidetur, quod accidit Ionæ prophetae. Dabitur illis simile prodigium, sed admirabile:
 us. Hoc ænigmatē significabat dominus Iesus, se prius occidendum ac sepeliendū ab illis,
 quem illi nihil aliud existimabant quā hominem, ac mox diuina uirtute reuicturū. His
 igitur cum sua caritate relictis, Iesus nauigio transmisiit lacum: ac discipuli per obliuio-
 nem non prospexerant sibi de panibus priusquam nauim conscenderent. Nam unicum
 dumtaxat habebant panem in naui. Iesus igitur ut uellicaret illis memoriam: Cauete, in-
 quit, etiam atq; etiam à fermento Phariseorum ac Sadduceorum: uidelicet obscure ta-
 xans Iudaicam illorum superstitionem, quod magnum quiddā esse putabant, his aut illis
 uel cibis, cum ante docti fuissent, his quæ intrant in os, non inquinari hominē. Hoc dicto
 discipuli, quanquā quid sibi uellet nō intelligētes, tamen admoniti sunt, quod obliti fuis-
 sent, nauim imponere cōmeatū. Hac igitur de re sollicitos Iesus obiurgat, incusans illorum
 tarditatem: qui toties docti dictis simul ac factis, penitus ex animo profligandam de uictu
 sollicitudinem, adhuc rerum huiusmodi cura distinerentur. O parum mihi fidentes, in-
 quit, cur hæc cura torquet animum uestrum, quod panem obliti sitis, quasi quicquam no-
 bis defuturum sit, etiam si uos non prospexeritis: An non docui, primum omnium quæ-
 rendum regnum dei, hæc ultro adiicienda: An non bis iam uidistis, tantæ multitudi-
 ni non defuisse cibum: Tot modis docti monitiq; nondum intelligitis, nondum memini-
 stis: Adhuc cor habetis huiusmodi curis obcæcatum: & phariseorum more, quod cerni-
 tis oculis, non uidetis: quod auditis auribus, perinde est quasi non audiat: An excidit,
 quod nuper uobis, nō solum testibus, uerum etiam ministris gestum est: cum quinq; pan-
 bus hordeaceis ac duobus piscibus saturarentur quinq; hominum milia: Quum esset tan-
 tus conuiuiarum numerus, cum esset tam parcus apparatus, quot cophinos implestis ex
 eius conuiuij reliquijs: respondent illi: Duodecim. Ac rursum cum uobis distribuenti-
 bus septem panibus, & paucis piscibus expleti fuissent quatuor hominum milia, quot co-
 phinos implestis è reliquijs: Respondent: Septem. Cur nondum inquit agnoscitis genus
 sermonis mei, quem ad curam rerum corporalium trahitis: quum is prospiciat animis ma-
 gis, quā corporibus: Iam ex uobis oportuit coniectasse, quid sibi uellet ænigma quod
 dicebam, cauendum à fermento Phariseorum ac Sadduceorum. Iam docueram nihil re-
 ferre, quo cibo uescamur: iam multis modis inculcarā, his qui rem tractant Euangelicam
 huiusmodi sordidas curas prorsus abiiciendas. Hac obiurgati uincula discipuli facti atten-
 tiōres, intellexerunt quod Iesus sensisset diligenter cauendū à doctrina phariseorū, quæ
 nihil habeat sincerū, sed ambitione, auaritia, liuore, cæterisq; uicijs esset corrupta, quum
 Evangelica doctrina nihil huiusmodi sapiat. Illorum enim doctrina magis infici ho-
 minem quā pasci: & ob id diligenter esse cauendum, quod falsa specie pietatis solent
 incautos fallere, quum sit merum uerę pietatis uenenum. Hic ubi Iesus uenisset in regio-
 nem Cæsareæ ciuitatis, quam Philippus tetrarcha in honorem Cæsaris sic appellauit, Iesus
 fratrem Herodem imitatus, qui ei cui prius fuit nomen turris Stratonis, uertit nomen, &
 appellauit Cæsaream: uoluit periculum facere, quantum profecissent discipuli, ex tot ser-
 monibus auditis, ex tot miraculis conspectis: & an aliquid sublimius de ipso sentirent,
 quā uulgus. Percontatur igitur illos, dicens: Quem dicunt homines esse filiū hominis:
 Atiunt

Quare non
intelligitis

Venit autem
Iesus

Aiunt, Alij Ioannem Baptistam: Sic enim suspicati sunt Herodiani: alij Heliam, quod iam
 raptus esset, & ideo nunc suspicarentur apparere iuxta prophetiam Malachiae: alij Hiere-
 miam, quod is typum gereret Christi, quodq; de illo dictum esset: Ecce constitui te hodie
 super gentes & reges, ut euellas, & dissipes, & plantes, quae uere erant in Christo cōplen-
 da. His auditis Iesus, ut certiores aliquam ac sublimiorem eliceret professionem: Vos, in-
 quit, quos oportet me rectius nosse, quem me esse dicitis: Hic Simon Petrus, ut erat aman-
 tissimus Iesu, tanquam futurus ordinis apostolici princeps, omnium nomine respondit:
 Tu es ille Christus, filius dei uiui, non suspicionem proferens, sed certa & indubitata sen-
 tentia profitens, illum esse Messiam à prophetis promissum, singulari quodam more fili-
 um dei. Hac tam alacri, tamq; solida professione delectatus Iesus: Beatus es, inquit, Simon
 fili Ioannis. Istam uocem non tibi suppeditauit affectus humanus, sed pater coelestis, affla-
 tu secreto suggessit animo. Nullus enim digne sentit de filio, nisi patris instinctu, qui solus
 nouit filium. Atq; ego uicissim, ne gratis me tam magnifico testimonio ornaris, illud affir-
 mo, te uere Petrum esse, hoc est, solidum lapidem: non huc aut illuc uacillan-tem uarijs opi-
 nionibus uulgi, & huic saxo tuæ professionis, superstruam ecclesiam meam: hoc est, do-
 mum & palatium meum, quam ita communiam innixam immobili fundamento, ut nul-
 lae uires regni tartarei ualeant illam expugnare. Multis machinis uos impetet satanas: cō-
 citabit in uos impiorum spirituum cohortem, sed meo praesidio stabit aedificium meum in-
 expugnabile, tantum maneat ista solida professio. Regnum coeleste est ecclesia: regnum
 diaboli est mundus. Ab hoc non est quod quisquam sibi metuat, modo Petrus sit: hoc est,
 tui similis. Atq; huius regni coelestis clauis tibi sum traditurus. Conuenit enim ut illic pri-
 mus sit autoritate, qui primus est fidei professione & charitate. Et est quidē interim istud
 regnum coelorum in terris, sed cōmercium habens cum coelo, unde pendet. Proinde qui
 peccatis adhuc obstrictus est, ad regnum pertinet inferorum, nec potest ingredi in regnū
 coelorum. Ingredietur autem si apud te professus quod tu profiteris, per baptismum sol-
 uatur à peccatis: atq; ita te duce, teq; fores referante, ingredietur regnum coelorum. Hac
 mea peculiaris est potestas, condonare peccata: sed hanc potestatem tibi quadantenus im-
 partiam, ut quod tu meis clauibus acceptis solueris super terram apud homines, solutum
 sit & in coelis apud deum. Contra quod tu in terris alligaris, alligatum sit & in coelis. Cō-
 probabit enim deus tuum iudicium, ab ipsius spiritu profectum. Hac loquutus Iesus, pre-
 cepit discipulis suis, ut hanc magnificam de se opinionem adhuc apud se seruarent, neque
 cuiquam ceterorum aperirent, quod ipse esset Messias. Prius enim erat peragendum sa-
 crificium crucis, & declaranda naturae humanae ueritas: deinde per resurrectionem, & spi-
 ritum sanctum declaranda diuinitas. Quanquam enim Petri uox collaudata est à Chris-
 sto, ueluti iam proficientium, & paulatim emergentium ad perfectiora, tamen adhuc som-
 niabant regnum quoddam non omnino dissimile mundano. Et ob hanc Iesus obscure,
 quasiq; per aenigma Petro ius clauis pollicitus est, non continuo tradidit. Nondum enim
 erat idoneus qui uteretur, haud dum satis edoctus magisterio spiritus coelestis. Atq; ideo
 Iesus reuocat eos, ad mysterium crucis, ac mortis suae, quo regnum illud erat parandum,
 deuicto diabolo, & abolitis peccatis, quo minus animis perturbarentur, quum hanc uider-
 rent accidere, quae sciebant paulo post esse uentura. Maluerant illi gloriari in potente illo
 ac sublimi filio dei uiui: sed in hoc nemo uere potest gloriari, nisi qui non fuerit offensus
 eiusdem humilitate. Coepit igitur Iesus suos ad hanc tempestatem quae imminabat prae-
 rare, indicans eis sibi prius eundem esse Hierosolymam, sedq; multis malis affligendum à
 scribis ac pharisaeis, atq; etiam à primarijs sacerdotibus: deniq; & occidendum esse, sed
 tertio die reuicturum. Hunc sermonem quum discipuli carnales adhuc non satis intelli-
 gent, quod hanc iudicarent indigna eo, qui tot miraculis declarasset se filium dei: non ausi
 sunt tamen interrogare dominum, quid sibi uellet mori, & resurgere. Petrus itaq; quem
 praecipuus quidam amor erga praepceptorem semper fecit ceteris audacior, abducit
 eum à reliquis apostolis quasi familiariter aliquid dicturus: & increpans illum, atq; abomi-
 nans mortis & afflictionum mentionem: Propitius, inquit, esto tibi domine: non contin-
 gent ista tibi. Siquidem in te situm est ut non eueniant. Quanquam enim Petrus afflatus
 patris, magis quam suo sensu pronunciauerit eum filium dei uiui, procul aberat tamen ab
 intellectu illius arcani, quod Iesus sua morte redempturus esset genus humanum: & re-
 surrectione

Tibi dabo
 clauis

Exinde coepit
 Iesus ostendere

infectione declaraturus orbi potentiam diuinæ uirtutis. Hunc igitur affectum ut in suis corrigeret Iesus, conuersus est, & intuitus discipulos suos, quos sciebat similiter affectos esse, tametsi solus Petrus ausus fuerat increpare dominum, ait Petro: Abi post me satana. Desine aduersari uoluntati patris mei: tuum est sequi me, non præire. Nunc obsistis, impedire studens, quod ob salutem humani generis, & pater uult fieri, & me facere decet. Cupis esse socius regni, & obsistis ad crucem ultro properanti, quo regnum hoc asseram patri. Quam me uidetis ire, hac est uobis quoque tendendum ad regnum cælorum. Tu uero nondum sapias ea quæ sunt dei, sed humanis affectibus ductus repugnas uoluntati diuinæ. Ne obsta igitur inutilis monitor, sed à tergo sequens, discipulum age potius quam magistrum. His dictis ubi Iesus retudisset intempestiuam Petri improbitatē, conuersus ad omnes discipulos, coepit pluribus uerbis explanare, quid esset quod dixerat Petro: Vade post me. Quisquis uult, inquit, esse meus discipulus, & particeps esse regni cælorum, sequatur mea uestigia: ac sicut uidet me contemptis omnibus huius mundi bonis, etiam uitam meam ultro impendere saluti hominum & gloriæ patris, ita ille affectus omnes humanos abdicet oportet, paratus ad omne mortis genus Euangelij causa, tollensque & ipse crucē suam, me ad crucem euntem sequatur. Sic pati beari est: sic affici ignominia, gloriosum est. Sic occidi, est lucrificare uitam. Scio nihil esse uita charius: sed sic cuique sua perdenda est uita, si uelit eam seruare, perditurus nisi perdidit. Lucro suo perdit, qui perdit ob Euangelium: uere perdit, qui deserto Euangelio, consulit uitæ temporariæ, & dispendium facit æternæ uitæ. Nemo tam stultus est, ut uitæ corporalis huius ac breuis iactura, uelit uniuersum hunc mundum lucrificare. Quorsum enim opes, si interim perit ipse possessor? Ita dementis est tantifacere affectus suos, opes, aut etiam corpus ipsum, mox & alioqui periturum, etiam si nemo occidat: ut hominum gratia æternæ uitæ faciat dispendium: quam qui non habet frustra habet cætera. Nihil igitur cuiquam tam charum esse debet, cuius lucrū animæ suæ dispendio uelit commutare. Nam cæterarum rerum iactura potest utcumque sarciri, animæ dispendium est irrecuperabile. Qui perdit uitam suam mea causa, non perdit, sed mihi fœnerat, recepturus cum lucro, cum apparuerit maiestas regni mei. Neque enim est cur animo deficiamini, quod ostenderim ob Euangelium multa toleranda tristitia. Habitura sunt hæc breui finem, & ignominiam temporariam sequetur æterna gloria. Siquidem filius hominis, quem uidebitis conculcatum ab omnibus, & habitum pro uermiculo, aliquando uenturus est alia specie, demonstraturus omnibus maiestatem & gloriam patris, stipantibus eum satellitibus suis angelis. Tunc qui hic iudicatus erat, & condemnatus ignominiosa morte, iudicem aget omnium & uiuorum & mortuorum, redditurus cuique præmium pro factis suis. Tunc morti addicentur æternæ, qui hic uitam pluris fecerint, quam me: & uita donabuntur immortalī, qui mea causa uitam corporis ad tempus contempserint. Nunc certaminis tempus est, erit olim præmiorum. Atque hæc quidem felicitas tum absoluetur, cum uisum erit patri. Neque enim uestrum est nosse tempus. Et tamen interim dabitur huius gloriæ gustus aliquis. Siquidem illud habete pro certo. Sunt hic quidam astantes qui non gustabunt mortem, priusquam uideant filium hominis, ostendentem maiestatem regni sui, quatenus oculis corporeis cerni potest. Certe uidebunt ante mortem regnū Dei promere uirtutem suam, iamque paulatim uincere potentiam huius mundi uniuersam.

Si quis uult uenire post me

Filius enim hominis uenturus est

Amen dico uobis

CAPVT XVII

I Ost dies sex Iesus uolens aliquo pacto uelut per somnium exhibere suis eam speciem, qua olim uenturus est iudex orbis, tres ex numero discipulorum selegit, Petrum, Iacobum, & Ioannem huius fratres: atque his subductis in montem uehementer excelsum, procul ab hominum conspectu, transfiguratus est coram illis. Refulsit autem facies eius, in morem solis, ac uestimenta niueo quadam candore relucebant, qualem nullus fullo super terram potest dare. Simulque apparuit illis Moyses & Helias, colloquētes cum eo de gloria mortis, quam esset subiturus Hierosolymæ. Hoc ita uisum est Christo, ut his autoribus quos plurimi faciebant omnes Iudei, confirmarentur apostoli, neque suspicarentur eum uelle legem abolere, cum adstaret illi Moyses, neque prophetas, cum adesset Helias: nec mortem ut ignominiosam abominarentur, quam tanti uiri ut gloriosam prædicabant. Hæc uisa sunt apostolis, ueluti recens experditis a somno; nam oculi grauabantur. Non enim capiebat mortalis infirmitas, uisionis magnitudinem

Et transfiguratus est ante eos

*Bonū est nos
hic esse.*

magnitudinem. Expauēfactis igitur & attonitis tam incredibili spectaculo discipulis Petrus nondum satis sui compos, sed totus raptus uoluptate, ac maiestate spectaculi, quæ procul abesse uidebatur à mentione mortis: Domine, inquit, exstruamus hic tria tabernacula: tibi unum, alterum Mosi, tertium Heliae. Hoc uisum est Petro consultius, quàm Hierosolymis occidi. Nondum sermonē finierat Petrus, ecce nubes lucida obumbravit apostolos, ne sublimitate spectaculi absorberentur. Et ecce uox patris de nube sonuit, iisdem uerbis testificans de filio, quibus testimoniū illi præbuerat apud Iordanē baptizato: Hic est filius meus unice charus, in quo sibi complacet animus meus, ipsum audite. Hanc uocem diuinæ maiestatis plenam, nec ferendam humanis auribus, cum audissent discipuli, procidentes in facies suas, maiorem in morem extimuerunt. Metuebant enim uitæ suæ, quod didicissent deum ita locutum: Non uidebit me homo & uiuet. At Iesus recepta priore specie contigit eos manibus, ne suspicarentur esse spectrū, ac uoce consueta notaq; consolatus est illos dicens: Surgite neq; metuite quicquam. Porro cum receptis animis attollerent oculos suos, neminem uiderunt illic, præter solum Iesum, talem qualis uenerat in montem. Quum autem descenderent de monte, priusquam redirent ad reliquum discipulorum coetum, præcepit illis, ne cuiquā narrarent de his, quæ uiderant, donec filius hominis resurrexisset à mortuis. Nam ante id temporis sermonē & fructu suo cariturum & fide. Ac discipuli quidem continuerunt apud se, conferentes inter sese, quid sibi uellet hoc, quod dixerat Iesus, postquam resurrexerit à mortuis. A deo cor habebant obuolutū, ut ea

*Et interroga-
uerunt eum di-
scipuli.*

uox toties audita, non descenderet in pectus illorum. Sed scrupulus quidam coeperat animos illorum, ex eo quod Heliam conspexerant assistentem Iesu, hunc inter eundum proponunt illi. Quid est igitur, inquit, quod scribæ docentes aduentum Messiae, dicere soleant ex autoritate Malachie, quod priusquam ueniat Messias, uenturus sit Helias Thesbites. At is non præcessit aduentum tuum, sed hodie demum uisus est in monte. Quibus Iesus respondens ait: Helias quidem uenturus est, quemadmodū dixit Malachias: & iuxta prophetiam præcurret aduentū meum, ac restituet omnia, conuersis ad Euangelium Iudaicæ gentis reliquijs, ne condemnetur tota natio. Verū is aduentus erit olim, quum rursus adero cum maiestate patris, redditurus unicuiq; pro suis factis præmia. Quanquā & hunc meum aduentū præcessit Helias quidā, quem æque atq; me contempserunt, & fecerunt in illū nō pro meritis ipsius, sed quicquid ipsis collibitū est. Neq; mirius ab illis tractabitur filius hominis. Tunc intellexerunt discipuli quod Ioannem Baptistam diceret Heliam ob uitæ similitudinē, & in carpēdis regibus libertatem. Cæterum ubi iam iret Ie-

*Et cum uenisset
ad turbam*

sus ad discipulos suos, uidit ingentem hominum multitudinē circum illos, ac scribas disputantes cum illis. Populus autem admiratus quò abisset Iesus, accurrit & saluauit eum. Ille rogat quid esset, quod inter sese disputarent. Tum quidam ē turba respōdit: Magister, adduxeram ad te filium meum, qui misere uexatur ab immūdo spiritu: qui quoties illum corripit, alliditur puer in terram, alias in ignem, nonnunquam in aquam impellitur, spumat, stridet dentibus, & contabescit. Et quoniā tui non erat copia, rogauī discipulos tuos, ut eijcerent dæmonium, nec potuerunt. At Iesus ut omnium incredulitati mederetur, uelut indignabundus exclamat: O natio incredula, quàm diu frustra uersabor apud uos, quandiu feram mores uestros intractabiles? Tot miraculis æditis nihil proficio, simulq; iussit puerū adduci, quo miraculum redderet omnibus magis conspicuū & insigne. Quicū adductus esset, & à Iesu conspectus, protinus ibi in oculis omnium corripuit eum spiritus, & elisus in terram oblutabatur, spumās, miserabile spectaculum. Tum Iesus, quo magis etiam illustraret magnitudinē mali, percontatus est patrem, quātum esset temporis, quod huiusmodi malo uexari cœpisset. Pater respondens: Ab infantia, inquit, nec sine uitæ periculo. Nam frequenter illum egit, nunc in ignem, nunc in aquam, ut perderet. Scio morbum atrocem esse, attamē si quid potes opitulare, misertus nostri. Iesus audito, si quid potes, subtaxans imbecillitatem fidei, quasi morbus ullus esset potentior uirtute diuina, ait illi: Noli quærere quid ego possim efficere, sed uide num tu possis credere. Etenim si plene confidas, nihil est tam difficile, quod non possit contingere fidenti. Ad hanc uocem pater fiducia concepta, specq; certiore, profusis lachrymis exclamans respōdit: Credo domine, sed etiam si quid deest fiduciæ meæ, supple de tua bonitate, & adiuua incredulitatem meam. Interim cum Iesus conspiceret concurrentem populī multitudinē ad spectaculum

culum auidam uidendi, num succederet Iesu quod discipulis non successerat, commina-
 tus est spiritui immundo, dicens: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ne
 posthac repetas eum. At spiritus cum eiulatu, recessit à puero, sed prius adeo uehementer
 discerpto, uexatoq; ut mortuo similis iaceret, multiq; confirmarēt esse mortuū. Adeo te-
 nex erat mali uis. At Iesus correpta manu pueri, erexit illum in pedes, & ille surrexit. Vt
 agre credebatur pater, ita agre sanatus est filius. Interea moeror quidam occupauit discipu-
 lorum animos, metuentes ne qua culpa sua perdidissent potestatem ad dendi miracula,
 quum antea gloriati fuissent etiam dæmones sibi esse dicto audientes, et apud multitudinē
 quidem pudore silent; ceterum ubi Iesus esset ingressus domum adeunt magistrū & in-
 terrogant eum: Quare nos non potuimus hoc dæmoniu eijcere, quum potestas hæc abs-
 te nobis semel sit tradita? Iesus ut suorum etiam fiduciam confirmaret, quam oportebat
 esse tantam, ut nonnunquam & alienę diffidentię posset esse præsidio, ait: Imbecillitas fi-
 dei uestre partim fuit in causa. Nam & morbi uis erat atrox, & patris erat uacillās fides:
 nec uestra tam erat pollens, ut par esse posset utriq; difficultati. Est enim nōnihil diluta hu-
 manis affectibus, & inanis glorię fermento uitiata. Quod si habueritis fidem similem gra-
 no sinapis, quod cum sit contemptum ac minutum, tamen attritum exerit acrimoniā na-
 turę suę, & humo conditum emergit in arborem spaciōsam, nihil esset tam arduū, quod
 nōn ilico dicto conficeretur. Etiam si diceretis monti, moue te istinc, ac demigra in aliū
 locum, facturus est absque mora, quod iussus est facere. Ceterum hoc genus dæmonio-
 rum, quo puer ille tenebatur, nō eijcitur, nisi fides precatione & ieiunio confirmetur. Te-
 nex erat mali uis, & iam multo tempore uersum erat in naturam. Aduersus huiusmodi ui-
 tia pugnandum est ieiunijs, quæ corpus attenuatum spiritui subiiciunt, & deprecatione,
 quæ diuinum impetrat subsidium. Hoc sermone docuit Iesus atrociam diuicq; consueta ani-
 mitia, remedijs grauioribus oportere propelli. Ceterum cum iam ageret in Galilæa, *Conuersanti-
bus cum eis*
 Iesus quo magis præmuniret animos discipulorum suorum, ne supra modum conturba-
 rentur morte sua, rursus iterat & inculcat eis, quod filius hominis tradendus esset in ma-
 nus hominū, quodq; foret ab illis occidendus, quodq; tertio die resurrecturus à mortuis.
 Hic sermo maiorem in modum discruciat animos discipulorum, qui sic adamabant do-
 minum suum, licet affectu quodam adhuc carnali, ut aures illorum nullam paterētur mor-
 tis mentionem. Nondum enim intelligere poterant, quod Moses et Helias Iesu mortem,
 gloriā appellarent: quodq; mors illa salutem esset paritura toti mundo. Quanquam au-
 tem ut ad mentionem mortis contristabantur, ita ad resurrectionis mentionem debebant
 exhilarari: tamen intantū abhorrebat animus à commemoratione supplicij, ut planē nō
 caperent quid esset mori, ac mox tertio die reuiuiscere. Existimabant enim melius esse om-
 nino non mori, quando id sibi præstare poterat, qui poterat à morte reuiuiscere. Vbi ue-
 ro uenisset ad urbem Capernaum, qui Cæsaris nomine tributa exigebant, ueriti compell-
 lare Iesum, ob autoritatē, quam sibi iam miraculis compararat, adiere Petrum, quem ui-
 debant illi ferē proximū: Magister, inquit, uester num soluit didrachma? Petrus cum pe-
 cuniā non haberet, nec uellet offendere tributorum exactores, respondit illum soluere.
 Nam hæcenus huiusmodi tributa soluerat etiam Iesus. Cumq; iam domū essent ingressi,
 nam illic domicilium habebat Iesus, Petrus anxius, habebat in animo loqui Iesu de soluē-
 do tributo: promiserat enim, nec habebat quod daret. Tum Iesus non inscius quid in ani-
 mo uolueret Petrus, præuenit illius interrogationem: Simon, inquit, quid tibi uidetur?
 Reges à quibus solent accipere tributū, aut censum, à filijs ne, an ab alienis? Ab alienis, in-
 quit Petrus. Tum Iesus ergo, inquit, filij sunt immunes, obscure subindicans se terrā, ma-
 gisq; & omnium rerum dominū, nulli mortali principi debere tributum aut censum, nec
 suis discipulos, ut filios regni teneri: sed tamē docere uolens in huiusmodi rebus, quæ ni-
 hil faciunt aduersus pietatem, nonnunq; obsequendū huic hominū generi, ne prouocati
 grauiora peccent, subiicit: Attamē, inquit, ne simus illis offendiculo, abi ad mare, & eum
 pise qui primus ad te prodierit, tolle. Aperto ore eius inuenies staterē, hoc est drachmas
 quatuor. Eum tolle, & da illis pro me et pro te. Hoc facto Iesus simul ostendit & suā poten-
 tiam, quæ nulli subiiciebatur: & modestiā quæ cedi uolebat his, quos ob rē uilem & asper-
 tandā non expedit tritari. Etenim qui sic dare potest, maior est, quàm qui debeat: & tamē
 cum dar quod nō debet, docet aliquoties esse præstabilis de iure tuo decedere, q̃ cū im-
 probis

probis de iure contendere, praesertim in hisce rebus, quae facultates atterunt, non laedunt autem pietatē. Habet & mundus ordinē suum, quem per occasionem Euangelicā libertatis non oportet omnino confundi.

CAPVT XVIII



Is ita gestis subiit apostolorum animos humanus quidam affectus, ac stimulus liuoris, & ambitionis. Audierant de regno coelorum: uiderant tres apostolos seorsum abductos in montē: audierant Petro traditas clauēs regni coelorum, eiq; dictum: Beatus es Simon Bariona, & super hanc petram aedificabo ecclesiam meā: conspiciebant illum familiarius, quēdam & audacius colloqui cum domino: ac modo uiderant illum ceteris apostolis praelatū in soluēdo tributo, quodamq; modo aequatum Christo. Itaq; Petro subinuidebāt, cui uidebatur principatus regni coelorum destinatus, quum esset ille natus minor. Adeunt igitur Iesum, & rogabant quis esset futurus primas in regno coelorum. Adhuc enim somniabant tales quasdam dignitates, quales uidemus in principum aulis. At Iesus ut penitus eximeret hunc affectum ex animis eorum, puerum quendam ad se uocatum statuit in medio discipulorum, paruulum, & adhuc alienum ab omnibus affectibus ambitionis & inuidiae, simplicem, purum, soloq; naturae ductu uiuentem. Illud, inquit, habetote certum, nisi quis totus fuerit immutatus, ac prorsus abiecerit omnes affectus istiusmodi, transformatusq; fuerit in habitū & simplicitatem huius pueri, ne recipietur quidem in regnum coelorum. Tantum abest ut ambienda sit eminentia. Proinde qui se deiecerit, ut efficiatur huic paruulo similis, hoc ipso maximus erit quod sit minimus in regno coelorum. Etenim qui modestia minimus est, is uirtute est maximus. Principes amant sui similes, & apud hos maiore in precio est, qui ceteris submotis semet anteponit. Ego mei similibus delector. In aulis huius mundi, princeps ad sui contumeliam pertinere putat, si quis quem ē summatibus affecerit contumelia: & in se collatum officium interpretatur quod in illos fuerit collocatum. At hominum uere simplicium & humilium tanta est apud me gratia, ut qui unum quemuis ex his receperit, mea causa, mihi uelim imputari perinde quasi me receperit. Contra qui laeserit unum quemlibet ex illis pusillis, aut offenderit, qui mihi fidunt, totiq; pendent ex me, poenas daturus est atrociores, quam si saxo molari collo illius alligato demergatur in profundum maris. Quid enim sceleratius, quam eos offendere, qui nulli male uolunt, qui nulli inuident, nulli se praeferrunt, qui omnes amant ex aequo? Sed heu male erit mundo ob scandalum, offendiculaq; similium paruulorum. Hominum peruersitas in causa est, ut fieri non possit, quin accidant offendicula. Erunt qui liuore odioque commoti, persequantur benemerentes, maledicant bene precantibus, occidant salutem aeternam afferentes. Atque haec quidem offendicula cedent in bonum eorum qui patientur, imò in bonū totius mundi. Sed tamen male erit illi, cuius uitio natum fuerit offendiculum. Proinde qui cupiunt ingredi regnum coelorum, diligenter uident offendicula pusillorum, sed potius alijs alijs uicissim sint adiumento. Neq; satis est cauere, ne quis alteri sit offendiculo, uerum etiam ne quis ipse sibi accersat offendiculum. Tum enim uere sunt offendicula, quum sibi quis est offendiculo. Nullus igitur affectus cuiquam adeo charus sit, quin amputetur ilico si fuerit offendiculo properanti ad regnum coelorum: adeo ut si manus tua, aut pes tuus, uidelicet membrū in primis necessarium, tibi sit offendiculo, resecandus sit; & abiiciendus. Vtilius enim est tibi, ut ad uitam eternā recipiaris mutilus, aut claudus, q̃ ut integris manibus aut pedibus, totus conijciaris in ignem aeternū. Oculus membrū est non solum necessarium, ad usus, uerum etiā gratissimum homini. Et tamē si hic forte tibi fuerit offendiculo, erue, & abiice. Magis expedit tibi ut luscus admittaris in uitam aeternam, q̃ ut utroq; oculo incolumi, totus praecipiteris in gehennae incendiū. Atq; haec dicens, Iesus nō sensit aliquod corporis membrum amputandum, sed affectus omnes amputandos, qui nos auocant à cura salutis aeternae. Nam amicus quo carere uix possis, ueluti manus est homini. Pater cui inniteris, pes est: uxor aut filius quem tenere deamas, oculus est. Vt igitur nihil tam preciosum, tamq; magnificum esse debet homini, quo debeat auocari à regno coelorum: ita nemo quamuis pauper, obscurus, & humilis est contemnendus, sed adiuuandus potius, ut proficiat ad meliora. Habetis exemplum. Videte igitur, ne quem contemnatis ex huiusmodi pusillis. Quamuis abiecti sint apud mundum, tamen apud deum magna est illorum ratio. Nam illud pro certo dico uobis: angeli, qui tanquam ministri curam habent illorum, assidue

si autē manus

fide contemplantur faciem patris, qui est in cœlis. Hinc æstimare licet, quâti sint apud
 deum, quum illis tales addiderit custodes, ac pædagogos. Rudes quidem sunt, labi pos-
 sunt, falli possunt, sed simplicitas subsidio digna est, non supplicio. Nam ideo filius homi-
 nis uenit in terras, non ut perderet quenquam, sed ut quod in ipso est, seruaret omnes: Sed
 multi seruari nolunt, & persequuntur seruare uolentem. Hi sunt quos mûdus ut magnos
 suspicit. Autoritate preminent, opibus pollent, eruditione præcellunt, ut uidetur, admi-
 bili quodam falsæ sanctimonie præstigio commendantur. Hos non oportet quidem ul-
 tro prouocare, sed contemnendi sunt fortiter, si metuentes suæ potentie, potentiam op-
 primunt dei, si suæ gloriæ consulentes inuidet gloriæ Euangelij. Si suo quæstui seruien-
 tes, obstant commodis omnium. Si dum suam iactant inanem eruditionem, uitiât doctri-
 nam Euangelicam. Si sub prætextu falsæ religionis, extinctum eunt ueram religionem: si
 beneficijs efferantur. Isti sibi impudent oportet suum exitium. Cæterum nobis hoc esse stu-
 dio debet, ne quem perire sinamus è pusillis & infirmis, qui sic errant ut sint sanabiles, ou-
 bus similiores q̃ lupis. Ex uestro sensu coniecturam facite, quanto opere sit hoc studio pa-
 tri, qui natura bonus est, ne quis hominū pereat: quos ideo cōdidit, ut essent beati. Etenim *Quid uobis uidetur*
 si quis sit uerus ac fidus pastor, dominus ouium centū, atq; ex tanto numero perierit una,
 nonne relicta nonagintanouem in montibus, abijt quæsiturus eam quæ aberrauit à gre-
 ge? Tantoq; desiderio maceratur unius amissæ, ut reliquū gregem totū exponat periculo.
 Quod si contigerit, ut illā inueniat, pro certo dico uobis, quod magis gaudebit ob unam
 receptam, quàm de cæteris omnibus, quæ non perierant. Proinde si sic est affectus homo
 pastor erga gregem suum, quem possidet tantum, non etiam condidit, quanto magis hæc
 est uoluntas patris mei, qui est in cœlis, ne quis pereat ex his pusillis quos condidit: quos
 sic habet curæ, ut angelos suos horum custodiæ præfecerit, quibus ad salutem reuocādis
 filium suum unicum impendit. Absint igitur à uestro contubernio offendicula, quæ pa-
 cem dirimunt fraternam, sed adsit mutua charitas, qua uicissim alij aliorum erratis aman-
 ter medeamini, si qua inciderint. Porro medicandi modus hic erit. Si quid admisit in te *Si autem pec- cauerit in te*
 frater tuus quod sit animaduersione dignum, ne statim prosilias ad uindictam, neue rursus
 silentio tuo sinas illum perire, dum ueluti uinolentus affectibus suis peccat impune: *frater tuus*
 sed primum experire remedio quàm maxime blando, quod ne pudoris quidem incōmo-
 do fratrem aspergat. Adito illum solus solum, & nullis arbitris rem inter uos transigito. Si
 nondum agnoscit culpam, argue illum, & ob oculos pone, quantum aberrarit ab officio
 fraternæ charitatis. Talis autem sit admonitio, ut declaret te nihil aliud quærere, quàm ip-
 sius salutem, & amicitie pristinæ sarturam. Quod si ille tam est sanabilis, ut ad hanc secre-
 tam admonitionem respiciat, non est quod ulciscaris, aut quod illum traducas: tibi satis
 est quod lucrifeceris fratrem tuum. Interim & tuo lucro consulisti. Periturus enim erat
 tibi amicus, peritura erat deo anima. Quod si grauior est morbus, quàm ut hoc leuissimo
 remedio sanari queat, non est prorsus abijcienda spes, nec statim ad extrema remedia ue-
 niendum. Sed si tibi soli non præbuerit aurem, rursus adito hominem, adhibito uno aut
 altero, siue ut pudore mediocri corrigatur, qui non progrediatur usque ad infamiam, siue
 ut testimonio duorum aut trium possit reuinci. Quod si tam est intractabilis, ut nec pudore
 nec metu iudicij commoueat, rem defer ad congregationem, ut uel multitudinis con-
 sensu, uel eorum autoritate qui multitudini præsunt, emendetur. Quod si usque adeo est
 insanabilis, ut nec secreta fraternaq; correptione, nec duorum aut trium conscientia con-
 sensuq; nec prolati criminis pudore, nec primorum autoritate corrigatur, illum suo mor-
 bo relinquito. Amputetur à familiari consortio, nec alio loco habeatur, quàm si sit ethni-
 cus, aut publicanus. Sit hæc inter uos atrocissima pœna, quæ tamen non in aliud adhibe-
 tur, nisi ut aut pudore respiciat frater, dum se uidet ab omnibus uitari, aut certe ne gregi
 admixtus alios inficiat suo contagio. Nec est quod aliquis dicat mihi, diluta & imbecilla *Amen dico*
 sunt regni tui iudicia, imò seuerissima sunt, si quis contemnet obstinate. Nam humanæ *uobis*
 leges, quum atrox facinus puniunt capite, nihil aliud quàm corpus interimunt, & non-
 nunquam occidunt quem deus non condemnat, & occidunt tantum non emēdant, post-
 ea quam non superest qui possit emendari. At ista condemnatio quanquam lente proce-
 dit ad supplicium, tamen hoc nomine est seuerissima, quod damnatum, nisi respiciat, ma-
 net æterna pœna, quam nulla ratione poterit effugere. Quem Cæsar damnat, nonnun-

quam absoluit deus: & quem absoluit princeps, aliquoties damnat deus. Ille quem absoluit, relinquit hominum consortio, quo faciat & alios sui similes: & quem occidit, tollit ex hominū consortio: non solum non sanās, uerum etiā efficiens ne sit qui sanari possit. Hæc sunt humana iudicia necessaria magis q̄ laudāda. At uestra sentētia sic submouet hominē insanabilē, ut non possit synceros inficere, & tamē sit qui possit resipiscere: propterea quod uestræ potestatis sit, seruare non perdere. Nec tamen impune peccabunt, quibus per uos licet uiuere. Manet illos æternum supplicium, iudice deo, cuius sententia uestrā sententiam approbabit, nī resipuerit damnatus. Etenim qui non querit ultionem, sed correctionem fratris, qui paratus est admissam in se iniuriam remittere, qui sollicitus est de salute fratris, qui ad ægrotum ipse læsus ultro uenit, ut illi medeatur: qui semel atque iterum repulsus tamen non desistit à medicando, qui non fidit suo iudicio, sed unum atq; alterum adhibet, non ad uindictam, sed ad medelam: huius sententiam quoniam proficiscitur ab animo Euangelico Deus approbabit: nec unquam rescindet, nisi damnatus damnarit quod admisit. Quanquā igitur uestrum iudiciū non habet in specie seueritatē eam, quam habent tribunalia principum, tamen est magis formidandū, quā illorum sententia, qua sæpenumero percutiuntur optimi, & absoluuntur sceleratissimi. A deo damnarī, formidabile est. Et ab illo damnatur quisquis à uobis sincero animo consentientibus damnatur. Quod enim iudicatis spiritu dei, non uestrum est iudicium, sed per uos illius. Quod si damnaueritis aliquem humano spiritu, iam est iudicium humanum, non dei: & is qui uestra sententia fuerit eiectus à uestro consortio, non proutinus est alienus à consortio cœli. Vis igitur uestræ autoritatis in affectibus est, quos solus deus intuetur. Hę nimis sunt clauēs, quas Petro me profitenti daturus sum: quibus quod ligatū fuerit in terris, ligatum erit & in cœlis: & quod solutum fuerit in terris, solutū erit & in cœlis. Ea potestas tamen si primoribus maxime competet, tamen omnibus à me dabitur, si modo consensus accesserit: non humanus, sed in meo nomine. Quin & amplius dicam uobis, nō solum ualebit consensus uester in condonandis aut dammandis commissis, si uos inter uos, & si mecum consentiatis: uerum etiā si uel duo quilibet reperiantur in terris, qui uere concordēs meo spiritu, hoc est, non cōmoti affectu humano, sed concorditer amātes ea quæ dei sunt: ij quæcunq; petierint, impetrabūt à patre meo, qui est in cœlis. A deo pater amat Euangelicam sanctamq; concordiam. Quum igitur tantum ualeatis apud eum principē, qui potest omnia, non est quod uos pœniteat uestræ potestatis: etiam si apud homines, imbecilles & impotentes uideamini. A Cæsare non proutinus impetratur quod petitur, nec ille quicquid rogatur præstare ualeat. Nec enim ille posset uel febrim depellere uel muto linguam reddere. Nihil autem tam est arduum aut incredibile, quod pater meus non sit uobis præstaturus, si concorditer ab ipso petieritis. Hæc quum diligenter auiculasset Petrus, existimans ad se potissimum pertinere, quod de potestate damnandi & absoluenti differuerat Iesus, scrupulum aliquem conceperat in animo, propterea quod Iesus dicens post tertiam correptionē sit tibi uelut ethnicus & publicanus, uisus est certum numerum præscribere: quem qui transgressus esset, etiam si resipisceret, qui peccarat non esset recipiendus in gratiam. Hac igitur de re exactius docēdus adiit Iesum: Domine, inquit, quoties condonabo fratri, si in me peccauerit, & post quorā culpā repelletur à ueniā? Num post septimam? Hunc numerum proponebat Petrus, uelut abunde magnum, quum Iesus tertię duntaxat correptionis meminisset. Tunc Iesus ostendens in his quæ committuntur in nos, oportere nos esse facillimos ad ueniā: Non dico, inquit, ignoscendum usq; ad offensam septimam, sed usq; ad septuagesies septimam, indicans nullum esse præscribendum numerum ignoscentiæ Christianę: sed quotiescunq; resipuerit, qui peccauit, toties ex animo condonandā esse culpā: penitus eximens ex animo Christiano omnē ulciscendi libidinē. Atq; id ne quis existimaret esse durū & iniquū, Iesus adhibita similitudine docet esse æquissimū. Nam hanc non tam esse clemētiam, quā pensatiōē. Etenim quum nos aliquādo uicissim peccemus in proximū: sed multo tum crebrius, tum grauius in deum, in quem quoties delinquimus hoc grauius peccamus, quo maior est is, in quem peccamus, quoq; maiora ab illo beneficia recipimus, indigni simus qui ueniā impetremus, uel à proximo, uel à deo: qui uel milies peccanti cōdonat, si modo resipiscat: si fratri tanto leuius peccanti grauemur offensam remittere: præsertim cū deus hæc lege nobis ignoscat commissā

Tunc accedēs
Petrus ad eum
dixit.

commissa nostra, ut illius exēplo prouocati, faciles & exorabiles simus in proximū. Ideo inquit, regnum cœlorum simile est hominī prædiuiti ac potenti, cui quum esset ingens familia, uisum est inire rationē cum seruis suis. Et cum cœpisset subducere rationē, repertus est quidā, qui debebat illi decem milia talentorū. Porro cum summa maior esset, q̄ ut debitor esset soluendo, dominus iussit & ipsum & uxorem & liberos, & quicquid habebat rerum uenundari: ut ex conflato precio satisfaceret creditori. Seruus autē ille supplex accedens ad genua domini: Quæso, inquit, ut mihi spacium aliquod concedas, & progressu temporis omnia tibi resoluam. Porro dominus misertus serui supplicis ac prouoluti plus indulgit quā ille petierat. Non solū enim illum non produxit in forum, uerum etiā cōdonauit illi totam summā. Porro seruus ille iam liber quum esset digressus à conspectu domini sui, forte fortuna obuium habuit quendā e numero conseruorū suorum qui debebat illi pauxillum pecuniæ, nempe denarios centum: hic oblitus dominicæ erga se clemenciæ, protinus iniecta manu trahere cœpit miserū, dicens: Solue quod debes: Ille conseruus ad conserui genua procidens, totidē uerbis obsecrabat eum, quot ille dominū: Patienter age mecum, & omnia resoluā tibi. At creditor inexorabilis, repulit supplicem, & pertraxit in carcerem, donec reddidisset quod debebat. Porro conserui, qui uiderant miram clementiam domini in seruū, ubi uidissent tantam crudelitatem conserui in conseruū, dolore grauiter commoti, rem omnē denarrant domino. Ibi dominus accensus ira, reuocauit ad se seruū, cui condonarat omnia: Serue, inquit, male, nōne ego dominus tantam summā tibi condonauī: nō ob aliud, nisi quod supplex rogares me: non igitur par erat, ut tu cōseruus conseruo paululum pecuniæ condonares: & supplicis misereris, quemadmodū ego tuī miserus eram? Certe mea in te tam recens lenitas te docere debuit lenitatem in conseruum. Iamq̄ dominus implacabiliter iratus, tradidit eum tortoribus seruandū in carcere, donec resoluere totam summā prius condonatam. Ad hanc imaginem uobiscum agat pater uester cœlestis. Illi nemo uestrum non debet plura, in quem nemo non frequenter delinquit. Peccant & homines in homines, sed longe leuiora. Quod nisi quisq̄ fratri suo remiserit leuius offensas in se commissas, & remiserit ex animo: pater non solum non condonabit uobis in se commissas grauiora, uerum etiam quæ condonarat, reuocabit.

CAP. V T X I X



Is sermonibus ubi Iesus ad beneficentiā erga simplices, ad lenitatem erga delinquentes instruxisset suos, relicta Galilæa recepit sese in fines Iudææ, trans Iordanē, uelut occurrens ad futurā moriē, quā clanculū moliebantur pharisæi. Atq̄ eò quoq̄ sequuti sunt numerosi greges hominū, deportantes secum uarios ægrotos: & sanauit eos illic. Ac rursus uisis tot prodigijs, & studio multitudinis erga Iesum, recruidit pharisæorū inuidia. Qui callide & insidiosè adorti sunt illum, occasione captata ex sermone, quo prius docuerat, nō esse repudiandam uxore. Proponunt igitur cornutū problema: num phas esset, quacūq̄ de causa repudiare uxore. Qui si respōdisset esse phas, secū pugnare uideretur, quū docuisset non licere repudiū: si negasset, uideretur aduersari legi Mosaicæ, quæ permittit quauis de causa dare repudiij libellū, ac dimittere. At Iesus ita temperat respōsum, ut nec Mosi lēdat autoritatē, nec suū dogma recanter, & pharisæis legisperitis autoritate legis os obturet: An nō legistis, inquit, quod quum deus conderet hominū genus, sic instituit primū coniugium, ut unus unī indissolubili copula iungerentur? Ex eadem enim massa finxit masculum & fœminam, ut horum complexu propagaretur humanum genus. Ac mox copulam indiuisam exprimens mariti & uxoris, adiecit, non Moses, sed ipse conditor Deus: Huius mutux charitatis grauiadeseret homo patrem ac matrem, & adglutinabitur uxori suæ. Tamq̄ erit arcia coniunctio, ut ē duobus quodammodo fiat unus homo, qui prius fuerant duo. Itaq̄ semel matrimonio iuncti, iam non sunt duo, sed unum corpus: ut tam præter naturam sit uxorem à uirō diuellere, quā membrum à corpore rescindere. Quod igitur Deus tam arcto uinculo semel connexuit, ne separet homo. Hic pharisæi iam ansam datam arbitantes, qualesum prehenderent, Si deus, inquit, hoc uoluit quod interpretaris, quorū igitur Moses fecit ius maritis, qualibet de causa abijcere uxorem, modo dent illi libellum repudiij? Qua fronte ausus est permittere, quod deus fieri noluit? Respōdit Iesus: Non hoc uobis permisit, quod rectum esset natura, sed sciens duritiā cordis uestri, leuius malū indulsit.

Si licet homini
dimittere
uxorem

ne grauius à uobis committeretur. Neque enim is probat diuortium, qui hoc maluit admitti, quam homicidium. Nec hoc efficit libellus repudij, ut rectum sit repudium: sed testis est tuę duri-
 ritia, qui quālibet leui de causa expellas coniugē, & illi prospicit de nouo marito, tibi ius
 adimens, ne reuoces repudiatam. Verū ab initio, quum nondū increuisset hominū malicia:
 nec adhuc tot uitij esset infecta natura mortalium: quoniam non erat tam atrox odiū,
 ut ueneficia timerentur, aut homicidia, non erat repudij licentia: neque nunc relaxabitur
 idem ius, postea quā Euāgelica doctrina renouat ac perficit naturę synceritatē. Moses
 idem optabat, quod ego doceo: sed mores uestri nimium ad homicidium propensi deterre-
 bant illum, ne auderet hoc à uobis exigere. Ego qui non irritō legem, sed absolutiorē red-
 do, planē dico uobis nephas esse, & pręter mentem dei, & pręter uoluntatē Mosi, quod
 uulgo facitis, quauis de causa repudiātes uxores uestras. Nec enim ideo rectū est quod fa-
 citis, quia facitis impune. Multa sunt apud deum flagitiosa, quę legibus humanis nō pu-
 niuntur: Proinde scitote, quod quisquīs ob quālibet causam abiecerit uxorem, & alteram
 duxerit, ut adulterium committit ipse, ita uxori prębet adulterij causam: nisi forte quam re-
 pudiat, adulterio commeruit repudium. Nam quę alteri uiro sui fecit copiam, iam uxor
 esse desijt, & matrimonij ius ademittit sibi, diuisa carne, quam deus unam & indiuisam esse
 uoluit. Sed qui talibus de causis repudiarit uxorem qualibus uos subinde repudiatis, si se
 iungat alteri, non matrimonium est, sed adulterium. Et qui sic repudiatam duxerit, non uxō-
 rem suam ducit, sed alienam: & ideo non contrahit matrimonium, sed committit adulterium.
 Sed horum malorum summa recidit in caput repudiatoris. Primum enim pręfractus est
 & immitis, qui uitium uxoris nec ferre potuerit, nec uoluerit mederi. Deinde domo de-
 pulsa, quę sine marito non potest uiuere, causam prębet adulterij committendi. His audi-
 tis, discipuli aiunt Iesu: Si hæc est conditio maritorum, ut ab uxore si displiceat, nō possint
 absolui, pręstat abstinere à matrimonio. Dura siquidē seruitus est domi ferre morosam,
 rixosam, temulentam, aut alio simili uitio molestam mulierē. Iesus non improbat quidem
 responsum discipulorū, quos propter Euangelij prædicationē cupiebat esse liberos à ma-
 trimonijs seruitute: uerum subindicat, non esse tutum uitare matrimonium: nisi si quis ita fir-
 mo sit animo, ut possit in totum temperare à coitu. Perpaucos autem esse qui possint: pro-
 pterea quod hic affectus corporis sic omnium est cōmunis, ut non alius sit uiolentior, aut
 inuincibilior. Quanquā igitur liberius est non illigari matrimonio, tamen tutius est intra
 coniugij cancellos contineri, quā uago concubitu pollui. Iesus igitur subindicans quid esset
 optimum, & huc inuitans præmio libertatis, non audet tamen exigere, quod quodammo-
 do uires excedit humanas. Non omnes, inquit, capaces sunt huius sermonis, sed hi dun-
 taxat, quibus hoc datum est diuinitus: quos tantus habet ardor Euāgelicę sanctimonie,
 ut hunc etiam affectū sponte uolentesq; negligant. Nec enim alioqui laudem habet, quā-
 uis castus cōlibatus, nisi fuerit susceptus studio pietatis Euangelicę. Sunt enim eunuchorū
 tria genera. Vnum eorum, qui sic nascuntur, qui uitio naturę frigidioris abhorrent
 à re uxoria, aut alio quopiam occulto naturę affectu. Alterum eorum, quos execuerunt
 homines. Horum castitas nullam meretur laudē, quod à necessitate proficiscatur nō à stu-
 dio uirtutis. Sed habet Euangelium & suos eunuchos planē beatos, qui neque natura spa-
 dones sunt, neque ab hominibus executi, sed ipsi seipsos castrarunt propter regnū cœlorum:
 non amputato corporis membro, sed ob amorē Euangelij, deuictō affectu rei uxorię. Vi-
 detis palmā in medio positam, certet qui uolet, quicq; suis fidit uiribus, auferat brachiū qui
 potest: fortiter, & ultro certantibus, non deerit fauor agonotheę. Quoniam de puritate
 uirginea fuerat sermo, deq; sublimitate uirtutis heroicę, quę paucis contingant, tanquam
 per occasionem offertur exemplum simul & absolutę puritatis & summę modestiæ: si-
 ne qua uirginitas nihil promeretur laudis. Aderant parentes, qui cupiebāt infantes suos
 offerre Iesu, ut eis manus imponeret, & pro ipsis deprecaretur: existimātes fore, ut quem-
 admodum uiderant illius contactu fugere morbos, ita Iesu contactus seruaret eos à mor-
 bis, ruinis, dæmonio, cæterisq; malis, quibus ætas illa sæpenumero perit. At discipuli, qui
 quanquam toties audissent de summa modestia, nondū tamen penitus exuerāt humanos
 affectus: existimantes indignum magnitudine domini sui, infantium ac matrum improbi-
 tate detineri lassariq; prohibebant accedere cupiētes. Hoc animaduertens Iesus, quo ma-
 gis ac magis infingeret animis suorū euangelicā modestiā, quę nullū quamtumuis humilē
 fastidiū:

Tunc oblati
sunt ei par-
uuli

littidit. **S**inite, inquit, ut pueri ad me perferantur: neque prohibete, quo minus me adeant. Enim qui horum sunt similes, mihi gratissimi sunt, quos tamen si mundus habet despiciabiles, ego tamen non alios dignor regno coelorum. Quod his praestat natura, hoc in uobis praestet pietas oportet, si uelitis admitti in regnum coelorum. Adducti sunt igitur paruuli ad Iesum, & ille imposuit illis manus, sacri corporis contactu uirtutem occultam infundens puellis, ob simplicem parentum fidem. Quo facto discessit illinc, re ipsa docēs satisfaciendum quidem esse pusillis, sed nequaquam illis haerendum, quin magis properandum ad perfectiora. Et ecce pueris relictis, succedit adolescens qui de perfectione loquitur. At Iesus quemadmodum in paruulis proposuerat discipulis suis imaginē simplicitatis ac modestiae: ita in adolescēte studio quidem perfectae pietatis, sed diuitijs onusto, ponit ob oculos, quam difficile sit, eos qui diuitijs seruiunt, eniti ad perfectionē Euangelicae pietatis: quantoque sint expeditiores ad Euangelicum negocium, qui nihil, aut quam minimum huius mundi possident: quanquam paupertas & opulentia, non tam in possessionibus est sita, quam in affectibus. Erat adolescens animo religioso praeditus: sed quoniam ē Christo audierat nescio quae noua praeccepta, adiit Iesum, & accedens ad genua ipsius, rogat eum dicens: Magister bone, quid boni faciam ut uitam assequar aeternam? Adolescens bonum appellabat Iesum, blandimento captans illius beneuolentiae: quum tamen nihil aliud esse suspicaretur illum, quam purum hominē, quanquam caeteris praeminētem. Deinde quum de bono percontatur, non de quouis bono sentit, sed de insigni quopiam bono, quod promeretur uitam aeternam. Atqui nullus mortalium absolute bonus est: nec ullum est opus hominis, quod ita bonum sit, ut mereatur praemium aeternae uitae. Iesus igitur excitans adolescentem, ut magnificentius de ipso sentiat, & auocet a fiducia operum suorum, ac uitae spem potius colloceat in beneficentia gratuita dei, qui natura bonus, & gratis beneficus in omnes, respondit in hunc modum: Quid me bonum appellas, aut quid me percontaris de bono? Sed tamen si cupis admitti ad uitam aeternam, serua praeccepta. Quumque adolescens rogasset, quae nam essent illa praeccepta: siquidem audierat illum docentē, praeccepta legis Moysicae non esse satis ad consequendum regnum coelorum: Iesus ut omnibus eximeret legis fiduciam, respondit: Non occides, non committes adulterium: non facies furtum: non dices falsum testimonium. Honora patrem tuum & matrem: & diliges proximum tuum sicut teipsum. Tum exhilaratus adolescens: Haec, inquit, omnia, seruaui a pueritia mea. Quid igitur praeterea mihi deest? Expectabat ut Iesus responderet illi, nihil deesse. Sed dominus ostendens quantum intersit inter iustitiam Iudaicam & euangelicam: inter bonum Iudaeum, & bonum Christianum. Si uis, inquit, perfectus esse, uade, ac diuenditis omnibus quae possides, distribue pecuniam pauperibus: non perdes opes tuas, quamuis in multos dissipatas. Sic dissipare recondere est. Nam pro terrenis opibus habebis meliorem thesaurum in coelis. Hoc ubi feceris, iam expeditus, ac nudus ueni me nudum sequuturus. Quum ait Iesus: Si uis, ostendit negotium arduum esse: sed adiecit praemium: Habebis thesaurum in coelis. Mox ad studium perfectae pietatis hortatur: Veni sequere me. Hunc sermonem quum audisset adolescens, abiit animo deiecto moestoque, quod dominus esset multarum possessionum, quas durum existimabat semel uniuerfas relinquere. Auebat adipisci uitam aeternam, ambiebat perfectionis honorem: sed hunc affectum ueluti bonum semen obruebant spinae diuitiarum. Itaque moestus abiit domum, nequaquam intelligens Iesum damnare non diuitias, sed affectum & amorem curarumque diuitiarum, quibus uix possunt non esse obnoxij, qui eas possident. Neque enim semper uoluit eas relinquere, sed tamen semper contemnit: relinquit etiam, si quando nos auocent ab Euangelica pietate. Adolescēte digresso, Iesus conuersus ad discipulos suos: nam illis hoc speculaculum addiderat, ne quando poeniteret paupertatis suae, aut teneretur amore pecuniae. Quam, inquit, difficile est, diuitem ingredi regnum coelorum. Significans aegre conuenire suam opulentiam, & studium Euangelicae philosophiae: quod haec totum requirit hominem, illud se maximam hominis partem sibi uindicet. Atque ut magis exaggeraret rei difficultatem, discipulis admirantibus, adiecit: Quin & amplius dico uobis: Facilius est ut camelus transeat per foramen acus, quam ut diues ingrediatur regnum coelorum. Siquidem humilis & angusta est porta, nec recipit camelos operum sarcinis onustos. Sic enim notauit diuites auaros, quibus diuitiae magis sunt oneri quam usui: ut quas alijs bauiant potius quam sibi. Hic sermo quia non satis intelligebatur ab apostolis, iniecit & illorum animis moestitudinem quandam

*Et ecce unus
accedens ait*

*Facilius est
camelum*

quandam, quod dolerent tot homines diuitiarum gratia secludendos à regno cœlorum. Quum igitur uehementer admirarentur discipuli, quid sibi uellet hoc quod dixerat Iesus de camelo & foramine acus: rogant illum, si sic habet res, quis igitur poterit saluus fieri? Quotus enim quisque est mortaliū, qui aut abijcere possit diuitias quas habet, aut nō oporere si non habet? At Iesus intuitus illos quo leniret conceptum animo mœrorem, ostendit nonnullam esse spem diuitibus quoque perueniendi in regnum cœlorū. Apud homines, inquit, hoc impossibile est, non minus quā ut camelus eat per foramen acus: sed apud deum nihil est impossibile. Solus ille mutat animos diuitum, ut alacres etiam uel abijciant quod possident, uel possideant, tanquam communes, non proprias, semper parati relinquere, si quādo id postulet Euangelij negocium. Quur enim ægre contemnant opes, qui non grauantur & uitam impenderet? Hic sermo quem adollescenti dixerat Iesus: Vende quæ possides, & sequere me, non nihil bonæ spei conciliauit Petro, qui quanquam diues non fuisset, tamen hoc ipsum quod habebat alacer reliquit, nauim & retia, ac dominum fuerat sequutus. Domine, inquit, ecce nos fecimus quod ab adollescente flagitabas: reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid igitur erit nobis præmij? At Iesus ostendere studens hanc eximiā laudem non solum patere diuitibus, uerum etiā tenuibus, qui quicquid hoc est quod possident, libenter habent pro derelicto ob Euangelium, quum hæc uirtus magis æstimetur ab affectu relinquentis, quā à modo rei relicte: non reiecit orationē Petri, quā pro re magnificentiore: sed docens, pro uilibus illis prompto animo relictis, non uile præmium esse reponendum, ait: Illud confirmo uobis, quod uos qui præter scapham & retia, mea causa nihil reliquistis: sed tamen hoc animo, ut opes quantumuis magnas mea causa fueritis relicturi, & nudi nudum estis hæcenus sequuti, si perseueraueritis, in futuro seculo, quū reuixerint mortui, dabiturque cuique pro suis meritis præmiū, iamque filius hominis, depolita quam nunc uidetis humilitate, confederit in sede maiestatis suæ: uos quoque piscatores, tum consortes honoris, qui nūc estis consortes afflictionū, sedebitis in duodecim sedilibus, & iudicabitis duodecim tribus Israeliticis: quod ex eadem stirpe progeniti, eiusdem legis periti, iisdem miraculis ac beneficijs prouocati, tamen nulla ratione perducī potuerint, ut crederent, quum uos humiles & idiotæ statim ad simplicem uocis iussu, etiam illa reliqueritis, quibus uitam sustentabatis. Neque uobis solum hoc præmij contingeret, uerum etiam quisquis hominum ob mei nominis professionem reliquerit domum, fratres aut sorores, patrem aut matrem, uxorem aut filios, agros aut aliam quamcunque possessionem, adeo non perdet quod mea causa reliquit, ut magno potius lucro sit foeneraturus. Siquidem & in hoc seculo pro relictis centuplum accipiet, & in resurrectione uitam æternam possidebit. Nam pro relictis caducis ac uilibus possessionibus, & hic interim possessurus est preciosum illud margaritum Euangelicæ mentis, nullis huius mundi mercibus æstimandum: pro una domo relicta, toto orbe plurimas domos uobis aperiet Euangelij doctrina. Pro unico fundo plurimi fundi seruiens uestris usibus: pro unico patre aut matre tot habebitis, quot senes aut anus conuerteritis ad professionem Euangelicam. Tot habituri fratres, sorores ac filios filiasque, quos æquales aut minores uestra prædicatione perduxeritis ad uitam æternam. Hi passim & ultro suppeditabunt, si quid opus fuerit, longeq; uincunt eorum affectus, quos nobis sola sanguinis propinquitas coniunxit. Arcior est enim Euangelicæ societatis cognatio, quā carnis affinitas: & uehementius amat, quem conciliauit pietas, quā quem adiunxit natiuitas. Huic satis amplo præmio adijcietur & illud omnium longe maximum, ut pro rebus mox perituris uitam æternam possideatis. Non hæc dico, quod Euangelica professio doceat esse spernendos eos, quos nobis natura coniunxit: sed huiusmodi affectus negligendos, quoties auocant nos ab æternæ salutis negotio. Hæc tanta felicitas omnibus ex æquo proposita est. Non est discrimen fortunæ, conditionis, ætatis, aut personæ. Sed in hac æstimatione, quæ fiet ab æquo iudice deo, multi tenebunt potestremas, qui nunc uidentur tenere primas. Contra multi qui nunc humiles, nihilque uidentur hominibus, illic erunt primi. Præferetur meretrix scribæ, publicanus phariseo, ethnicus Iudæo, pauper diuiti, agricola regi: & qui uidebantur esse proximi regno cœlorum, postremi ingredientur: & qui procul abesse uidebantur, priores introibunt. Ethnicus fide anteuerit, synagoga propter incredulitatem submouebitur.

Caput

CAPVT XX



Voniam autem ænigma uidebatur quod proposuerat de primis & nouissimis, explanat parabola, quod dixerat, qua declarat diuersis ætatibus homines fuisse uocatos ad cultum iustitiæ, omnibus tamen iustitiæ cultoribus idem esse præmiū æternæ salutis: modo uocati gnauiter laborarint in uinea iustitiæ. Neque enim minus habet qui uocati sunt tempore Christi, quæ qui tempore Abrahæ, aut Moysi, aut Dauid. Neque minus habent qui senes trahuntur ad cultum Euangelij, quæ qui pueri aut iuuenes. Omnibus idem datur denarius æternæ uitæ. Et tamē qui se prius uenerunt, hoc uidentur honoratiores, quod domini liberalitas eos æquat his, qui prius uenerunt. Iudæi prius uocati sunt, sed tamen gentes post uocatæ non solū æquatæ sunt illis; uerum etiā antepositæ Iudæis incredulis. Parabola sic habet: Simile, inquit, est regnū cælorum hominī patrifamiliās, qui summo diluculo prodijt in publicū, ut cōduceret operarios in uineā suā. Et nactus aliquot, pactus cū eis, ut singuli singulos acciperēt denarios pro opera diurna, misit illos in uineā suā. Rursus exijt circa horam tertiam, quumq; uidisset quosdā in foro stantes ociosos, dixit illis: Ite & uos in uineā meā: & quod iustū fuerit reddam uobis. Rursus exijt circa horā sextam, atq; iterū ad horam nonā, & idem fecit quod fecerat hora prima ac tertiā. Rursus ad horam undecimā, uergente iam die, egressus, reperit & alios quosdam in foro, quibus dixit: Quid hic statis totū diem ociosi? Atunt: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & uos in uineā meam. Porro sub noctem, dominus uineæ mandat procuratori suo: Voca operarios omnes, ac solue illis mercedem: sic, ut à nouissimis incipiēs, peruenias usq; ad primos. Vocati sunt igitur omnium primi, qui postremi uenerant, hoc est, ad horam undecimā, minimumq; diē laborarant in uinea, & datus est singulis denarius. Hoc quom intellexissent hi, qui summo diluculo fuerant uocati, existimabant se, quia tanto priores uenerant in uineam, pro temporis portione mercedem amplius accepturos. Sed datus est & horum cuiq; denarius. Itaq; quū sibi uiderent æquatos in præmio, qui non fuerant pares in temporis spacio, abeuntes murmurant aduersus dominū uineæ, dicētes: Hi, qui uenerunt ad horam undecimā, non laborarunt nisi unam horam, & illos in præmio nobis æquas, qui & totum diem perdurauerimus in labore, & æstus meridiani pertulerimus, quum isti uenerint sub uesperā refrigerato iam æstu. At paterfamiliās unī cuidam illorum, pro omnibus respondit: Amice, quur inuides alijs beneficiū meum? Mea in alios gratuita liberalitas te non lædit. Nullam enim iniuriā facio tibi. Nonne sic pactus sum tecum, ut pro opera diurna, denarium acciperes? Præstitisti operam, habes mercedē pactam, nihil tibi rei mecum est amplius. Tolle quod tibi debetur, & abi. Mercenarius huc conductus es, ut præstares operā, non ut mihi præscriberes quid faciās. Sic mihi uisum est, ut huic qui postremus uenit tantū mercedis dem quantum tibi. De tuo nihil decedit, si quid huic additur ex mea liberalitate. An mihi liberū pertinet non erit, de meo quod uolo facere? An ideo oculus tuus litore torquetur quia me tides benignum in eos, in quos lubitum est? Hanc similitudinem adduxit Iesus, uolens illorum animis infigere, quod deus natura beneficus in omnes, uarijs modis ac uarijs ætatibus, non cessat inuitare mortales omnes ad cultum ueræ pietatis. In qua qui se gnauiter exercuerint, ipsi præmiū esse uitam æternā, à qua nemo secluditur, qui modo uocatus audiat. Hoc præmiū ut non debetur omnino meritis nostris: sed potius beneficentiæ diuine, tamen non contingit citra conatum nostrum. Quanquam hoc quoq; debemus uocati, quod ad cultum pietatis accedimus, quod in eo perseveramus, usq; ad diē uesperam. Nam qui uocati recusant ire in uineam, frustrantur ipsi se suo præmio. Quanquam autem inter sanctos nec est litior, nec murmuratio aduersus deum, tamen huiusmodi dictis expressit summū honorem, qui nouissimis est habitus, ut in præmio locum primum sortirentur. Quæ diuinitas tam insignis est, ut merito quis possit inuidere. Quanquam & boni Iudæi primum murmurabant aduersus gentes, quod ex maioribus idololatriæ orti, à lege Mosaica prorsus alieni, denique incircuncisi, subito pares haberentur ipsis in euangelij gratia, & ad eandem salutem admitterentur, nullo legis onere grauati: quum ipsi diu uersati in obseruationibus Mosaicis, nihilo potiores essent, quam ethnici, modo uita prorsus impia, ad euangelij professionem admissi. Plus igitur gentibus condonatum est, sed non ideo Iudæis est quod cum deo expostulent, quum liceat & ipsis ad eam felicitatem pertingere.

Quod

Quod si malint inuidere, quàm imitari, sibi imputent, quod ob incredulitatem reijciuntur, gentibus ob fidei promptitudinem assequentibus, quod illi sibi solis deberi credebant. Statim igitur properet, quisquis uocatus fuerit: alioqui frustra fuerit uocatus, nisi det operam, ut sit etiam electus. Ac nulli non uocantur, sed pauci merentur ut sint inter electos. Proinde Iesus parabolam hac clausula finit, qua fuerat exorsus: Sic erunt nouissimi, qui primi fuerant, & primi, qui nouissimi. Nam multi quidem sunt uocati, pauci uero electi.

Et ascendens Iesus Hierosolymam. Post hæc Iesus aliquandiu uersatus in Galilæa, coepit propius ad mortis suæ locum accedere. Hierosolymam proficiscens. Quumq; iam discipulos suos multis modis instruxisset, de contemnendis diuitijs, de negligendis parentibus, & cognatis, de castitate, de singulari modestia, de præmijs quæ manerent illos etiã in hac uita, seducit apostolos suos duodecim secreto, uelut hos selectos duxisset & idoneos quibus crederetur mysteriũ crucis, quod turba nondum potuisset capere. Quanquam & populo prædixit mortem suam, quum loqueretur de Iona, & templo soluendo, eodemq; in triduo instaurando: sed ita prædixit, ut non ante intelligerent quid esset dictum, quàm posteaquam uiderent factum. Discipulis uelut firmioribus iam semel atq; iterum aperuerat arcanum suæ crucis, absq; inuolucro loquens. Sed quoniam facile obliuiscuntur homines, quod non libenter audiunt, nec facile demittunt in pectus, à quo abhorret animus, dominus Iesus quo suos confirmaret ad tempestatem imminuentem, clarius etiam ac distinctius aperit illis non solum instare mortem, uerum ludibria & afflictionem, quæ sæpenumero sunt ipsa morte grauiora. Ecce, inquit, adimus Hierosolymam, & filius hominis prodetur primarijs sacerdotibus, ac scribis, qui iam dudum illi struunt insidias. Neq; conuiuescent illũ criminari, donec adigant ad condemnationẽ capitalem, & tradent eum gentibus ut illudant illi, ut flagellent, ut conspuant & in crucem suffigant, atq; ille mortuus ac sepultus, tertia die resurget. Interea filij Zebedei, Iacobus & Ioannes, quoniam audierant Petro tributas claues regni cœlorum, audierant de honore duodecim sellarum, rudes adhuc & humana quædam somniantes, quum existimarent statim à resurrectione uenturum hoc regnum, & hos honores, quia dixerat, tertia die resurget, quo sibi quoq; præcellentem aliquam dignitatem impetrent, subornant matrem quæ pro filijs interpellat Iesum. Quæ quũ adorasset eum, obtestans, ne sibi negaret quod peteret, rogata quid uellet, ait: lube, ut sedeant hi duo filij mei, alter ad dexteram tibi, alter ad læuam, in regno tuo. Iesus conuersus ad filios, à quibus sciebat matrem esse subornatam, respondit illis: Nescitis quid petatis. Delectat uos mentio regni, quod ipsum longe aliud est, quàm somniatis, sed in præsentia magis agendum est de afflictione, deq; cruce, qua est iter ad regnum. Præpropere postulatis brabium, cum prius certandum sit. Iam aperui quid mihi sit ferendũ. Potestis ne bibere de poculo de quo ego bibiturus sum? Potestis ne tingi tinctura, qua ego tingendus sum? Illi nondum gnari uirium suarum, sed præ auuiditate quod petebant impetrandi, temere uerius quàm fortiter respondent: possumus. At Iesus accepit quidem, quod se dicerent esse promptos ad imitationem suæ crucis, sed de præmio, quoniam non intelligebant quid peterent, quoniã non erat illius temporis, negat hoc esse suum dare ipsis, sed eam dignitatem non obuenturam nisi ijs, quibus hoc datum esset à patre, ut insigni uirtute primum locum mererentur, uide licet ut omnibus adderet stimulos ad summa contendendi: Calicem quidẽ, inquit, meum bibetis, cæterum ut sedeatis, alter ad dexteram mihi, alter ad læuam, non est meum dare his aut illis, sed hoc ijs continget, quibus datum fuerit à patre meo. Vt quisque certauerit, ita feret præmium. Hæc quum ex interuallo audissent cæteri decem, indignati sunt duobus fratribus, quod immodicam dignitatem sibi postulassent. Nondum acceperant spiritum sanctum: adhuc humanis quibusdam ducebantur affectibus, ambientes, & inuicem subinuidentes. Atque his affectibus Iesus diu passus est suos esse obnoxios, quo penitus eos eximeret ex animis omnium, qui in apostolorum uices essent successuri. Putabant autem & gaudebant ideo postulationem Ioannis & Iacobi fuisse reiectam à domino, non quod carnalia quædam somniarent, quum ageretur de regno spirituali: sed quod honorem petissent meritis suis maiorem, quem alij sibi potius deberi putabant. Iesus igitur sicut retudit ambitionem stulte postulantiũ, quod nescirent quale esset quod postulabant: ita liuorem & indignationem ceterorum repressit, ex eodem ambitionis fonte scatentem, apertiens longe diuersam esse rationem regni mundani & regni Euangelici. Illic enim qui

minor

non est premi tyrannide potentioris. Hic primatum nihil aliud esse quam summum studium benefaciendi omnibus. Ibi ut quisque superbissimus est, ita uideri maximum: hic nullum esse submissiorem animo quam qui maxime meretur esse primus. Hanc doctrinam ut omnium animis infingeret, uocauit & ceteros apostolos ad se: Scitis, inquit, quod qui principatum gerunt inter gentes, dominatum ac tyrannidem exercent in illos quibus imperant: & qui primates sunt, potestatem suam exercent in sibi subiectos. Nam populi malis, suae consulunt auctoritati, eaque curant non quae conducant multitudini, sed quae faciant ad strepitum fortunae gloriaeque suae. At non conuenit itidem fieri inter uos, sed quicumque uouerit inter uos gerere principatum, sit omnium minister, non sibi gerens honorem, sed populo cui praesidet. Et qui uouerit inter uos habere primum locum, sit omnium seruus atque infimus. Nec enim in aliud sumit sibi primum locum, nisi ut omnium commodis inserviat, nihil inde uenans, nec honoris, nec compendij. Quod si uobis durum uidetur, me uideate. Quum enim dominus sim ac magister uester, & ut uere profiteamini filius dei, tamen non arroganti mihi dignitate, nec mea potestate abutor in commodum meum: sed ideo ueni, ut omnium commodis subseruiam, adeo ut nec uitam grauer impendere, quo iactura unius animae multas redimam. Inter hos igitur qui sunt hoc affectu, nec est quorū quisquam ambiat honorem, nec est quorū quisquam inuideat alteri dignitatem. Quis enim illi inuideat, qui nihil aliud studet, quam alteri prodesse, uel uitae suae dispēdij? His etiam si defertur honor, hunc non arrogant sibi, sed deo transcribunt. Quum autem una cum discipulis exiret Hiericho, sequebatur illi illa turba. Et ecce iuxta uiam sedebant duo caeci: qui cum ex strepitu sensissent immensam esse multitudinem, & percontati quid nam esset, cognouissent adesse Iesum, qui illac faceret iter: cum illum uidere non possent, nec si uidissent, adire relictum praeter turba, magna uoce compellarunt Iesum dicentes: Domine miserere nostri Iesu fili David. Dissimulauit clamorem illorum Iesus, quo magis esset omnibus perspicua fides & ardor illorum. Turba uidens Iesum ad clamorem nihil respondere, ac suspiciens hoc illi molestum esse, quod duo caeci mendici publici sic occlamarent auribus ipsius, increpabat eos, iussitque tacere. At illi constanti fiducia erga Iesum, quem audierant esse beneficum in omnes, clarius etiam uociferabantur, ingeminantes: Domine miserere nostri fili David. Iesus igitur ubi satis spectatam reddidisset omnibus illorum fidem, nosque illorum exemplo docuisset, feruenter & constanter pulsandas aures dei, si quid uelimus impetrare, constituit, quandoquidem illi sequi non poterant, nisi clamore tantum, iussitque illos uenire ad se. Ad uocem ueniunt. Rogat eos Iesus, quid sibi uellent tanto clamore, quidque sibi uellent ab ipso praestari. Non ignorabat Iesus quid optarent, sed uisum quod tenebantur uoluit omnibus esse notum ipsorum confessione, quo certior esset miraculi fides. Domine, inquit, uolumus ut per te, aperiantur oculi nostri. Haec cum magno dicunt affectu, declarant sibi molestissimam esse caecitatem. Et luci proximus est, quem uehementer tædet suae caecitatis. Tum Iesus uultu quoque ipso & oculis praeseferens affectum misericordiae, quo decet unumquemque uirum euangelicum indolescere malis alienis, tetigit oculos eorum. Moxque apertis oculis uiderunt, simulque cum ceteris sequuntur Iesum. Ita sanat animum cupiditatibus mundanis excaecatum, suo contactu Iesus, & in hoc datur lumen, ut illius sequamur uestigia.

Et egredientibus illis à Hiericho

CAPUT XXI



Iesus igitur progrediens Hierosolymam, hoc sedulo agebat cum discipulis, ut animis illorum infingeret se scientem ac uolentem ire in mortem, neque quenquam nociturum ipsi fuisse, si uoluisset resistere. Ideo toties inculcarat sibi eundem Hierosolymam, & illic oppetendam mortem. Quod enim alioquoties uisus est se subducere periculo, non erat formidinis, sed erat seruandis se tempori praefinito a patre. Quod cum id temporis adesset non solum non latitat, sed ultro se ingerit, & ita se ingerit, ut nouitate pompae totius urbis animos in se concitaret. Nec cessat interim à miraculis, nec cessat à ueritate praedicanda: quin & liberius insectatur uitam pharisaeorum, & negotiatores eiecit e templo, quibus rebus sciebat omnium illorum animos uehementius irritandos. Quos quia benefactis prouocauit in se, non illos fecit innoxios, sed facultatem dedit, ut quod uolebant facere, possent etiam. Ergo iam uicinus urbi Hierosolymorum, uenit in montem oliuarum, ubi uisum est instruere nouam

aduentus sui pompam, qua factum huius mundi quodammodo derisit, & discipulis adhuc infirmis, aliquod solatiū præbuit hoc spectaculo, quo moderatius ferrent domini sui mortem. Ex hoc igitur monte legauit duos e discipulis, dicens: *Ite, inquit, in oppidulum, quod uobis est ex aduerso: & statim ingressi, reperietis illic asinā alligatam, & pullum cum ea, cui nullus adhuc hominū insedit: soluite utrumq; & adducite huc ad me. Et si quis aliquid dixerit uobis, rogans, cur soluitis, quò cuius adducitis, nihil aliud respondete, quàm domino his opus esse. Ad hanc uocem statim illi sinent abduci. Hæc partim ideo facta sunt, ut intelligerent illi nihil esse incognitum, & habere potestatem imperandī quibuscunque uellet, & quicquid uellet, si uoluisset uti uiribus suis: partim ut Iudæi uel hoc argumento agnoscerent illum esse Messiam, quod uiderent hunc nouum ingressum olim à Zacharia propheta fuisse prædictum. Sic enim ille uaticinatus est: Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus & humilis, insidens asinæ, & pullo filio subiugalis. Abiere discipuli, compereruntq; quicquid ipsis prædixerat Iesus. Statim ad mentionem domini, dimissa sunt iumenta, cum nec dominus adesset, nec discipuli quicquam autoritatis præ se ferret. Non nouerant quidem, sed tamen senserunt illum dominū omnium hoc iubere. Discipuli quo commodius sederet dominus, instrauerūt pallia sua, atq; ita collocarunt eum in tergo pulli, qui typum habebat ethnicæ nationis, immundæ, & omnibus malis cupiditatibus turpiter seruientis, quæ contra uirtutibus apostolicis, & recepto in tergum domino Iesu, desijt esse immunda, desijt seruire pristinis uicijs facta iumentum eius, qui purgat & sanctificat omnia. Asina mater est pulli, quia salus ex Iudæis: sed hæc erat alligata literæ legis, erat nuda uirtutibus Euangelicis, sed iussu domini soluuntur utriq; & apostolicis uestibus operiuntur. Hæc nondum intelligebant apostoli, sed tamen hoc iam designabatur post intelligendum. Vbi uero Iesus iam uenisset ad radicem montis, ingens hominum multitudo progressa est illi obuiam, ex Hierosolymis. Tantus autem erat turbæ quoque fauor, ut pleriq; uestibus suis uiam consternerent, nonnulli ramos ex arboribus resecos, sternerent in uia. Porro cateruæ, quæ præcedebant & quæ sequebantur, adgratulantes acclamabant illud e uaticinio psalmi: Os ana filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini. Os ana in excelsis. Alij clamabant: Benedictū quod uenit regnum patris nostri Dauid. Alij: Benedictus qui uenit rex Israel, laudabantq; deum pro miraculis, quæ uiderant ædita per Iesum. Hoc honoris dominus Iesus, qui semper humilis uixerat, sibi passus est exhiberi, quo declararet sibi non defuturam fuisse gloriam huius mundi, nisi maluisset eam aspernari, q̃ amplecti. Quo turpius uideretur hoc affectari, ab ijs qui se discipulos illius profiterentur, quod ille spreuit, qui solus promeruit. Decuit tamen honos hic aduentum eius, qui morte sua redempturus erat orbem uniuersum. Hac igitur noua pompa cum Iesus ingressus esset Hierosolymam, insolito spectaculo commota est uniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Turbæ quæ illum comitabantur, respondebant: Hic est Iesus propheta, natus in Nazareth ciuitate Galileæ. Hoc illis uisum est præclarum elogium, quum procubasset ab illius magnitudine. Nihil enim populus adhuc de illo suspicari poterat supra hominem. Et ita consulto Christus temperauerat uitam suā, ne palam proderet diuinam naturā, quam frustra persuasisset, si uidissent illum postea subire mortem. Hoc igitur strepitu Iesus ingressus est templum, atque ibi mox regnum quoddam agere cœpit. Quum enim uideret in templo, mercatus ac fori speciem: alios uendentes, alios ementes, assidentes nummularios, Iesus indignitate rei commotus, iuxta illud propheta: Zelus domus tuæ comedit me, factio e funiculis flagello, expulit omnes ementes ac uendentes e templo unā cum suis mercibus. Mensas nummulariorum euertit, & æs in terram effudit, sellas uenditium columbas disiecit, indignationis suæ iustam causam ex Esaia proferens, qui ait sub persona dei: Domus mea, domus precationis uocabitur: uos autem fecistis eam speluncam latronum. Hoc factio longe aliud significabat Iesus. Nec enim illum tantopere commouebat templum illud mercimonijs bouum, ouium, hircorum, et columbarum prophanatum, sed ostendere uoluit, auaritiā & quæstum fore capitalem pestem ecclesiæ suæ, quam templum illud, cuius religio mox erat abolenda, figurabat. Tum enim templum quod immolandis deo uictimis spiritualibus consecratum est, uertitur in speluncam latronum, quando sub prætextu religionis ac sacerdotij spoliatur populus. Nihil autem illic syncerum ac sanctum esse potest, ubi regnat pecuniæ studium. Atq; hoc ma-*

*Et effiebat
ementes &
uendentes.*

iniam fit intolerabile, quando sub tecto templi committitur: quando rapina tegitur religionis umbra. In nullum hominum genus acrius sauijt Iesus, sed hos ipse sibi seruauit eiciendos, cum uidebitur. Tum accesserunt ad Iesum in templo cæci & claudi, quos lex arcebat ab ingressu templi. Sed Iesu templum omnes recipit qui properant ad sanitatem. Venerunt enim cæci, ut uisu recepto uiderent Iesum, quem audiebant sic prædicari. Veniebant claudi, ut illius uestigia sequentes, peruenirēt in regnum cælorum. Quotquot igitur adibant illum, sanabat. His rebus quibus oportebat illos tandem resipiscere, magis etiam exarserunt inuidia primores sacerdotū & scribæ, quum uiderent tantis studiis undiq; applaudentem populum, & præsentem uim in sanandis claudis & cæcis, auiditatem in eiciendis mercimonijs, nemine a uo resistere, pueros etiam in templo clamantes: Os anna filio David. Hæc indigne ferentes submonuerūt Iesum, ut eum clamorem compesceret, alioqui fore ut uideretur agnoscere tantum honoris, quo iudicabāt illum indignū: quum magis ipsorum fuerit, ipsum magnificentius prædicare, qui natu grandes ac legis & oraculorū periti, ex conspectis tot miraculis intelligere poterant hunc esse Messiam, quem tot seculis expectauerant. Nunc pueri naturæ instinctu, uel potius afflatu numinis, hoc sonabant quod intelligere per ætatem non poterāt. Proinde cæci inuidia, & ira temulenti dicunt illi: Audis quid isti dicunt? At Iesus scripturæ testimonio illis os obaturaturus: nunquam, inquit, legistis: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Vultis igitur ut his occludam ora, quæ deus ad laudandam gloriā suā aperuit? Dico uobis, adeo deus non patietur per uestram inuidiam sili laudes suas, ut si isti tacerent, lapides ipsi sint clamaturi, quibus uos estis duriores. His igitur cum suo liuore relictis abiit Iesus, & egressus urbem Hierosolymorum petijt Bethaniam. Arque ibi commoratus est.

Mancum rediret in ciuitatem inter eundum cœpit esurire. Quumq; uidisset arborem ficum proximam uiæ, accurrit ad eam, quasi sperans cibum. Quum autem uenisset ad eam, nihil inuenit in ea præter folia. Itaq; uelut indignans, quod spe delusus esset, execratus est eam dicens: Ne quis posthac ex te fructum uideat in æternum. Quum autem eadem redirent discipuli, uidentes ficum, cui imprecatus fuerat Iesus, iam folijs positis exaruisse, admirati sunt, dicuntq; ei: Ecce ficus, quam execratus es iam exaruit. Atq; ob hoc ipsum Iesus id erat passus fieri, ut discipulis etiam atq; etiam inculcarer fidē, quæ nisi accederet, sciret mortem quoq; suā infrugiferā fore mortalibus. Sitiebat enim maiorem in modum salutem humani generis, & iam mortis tempus adesse cupiebat. Sed quum in Iudæis inueniret speciem religionis, fidei fructum quem unice esuriebat nō inueniebat. Discipulis igitur admirantibus de ficu subito arefacta, respondit hunc in modum: Quid hoc admiramini quod non est magnum, exarescere arborem? Fidei uis maiora potest. Quam si fortem & constantem habueritis, non solum facietis quod uidistis accidisse fici, uerum etiam si dixeritis huic mōri, submoue te de loco, & abi in mare, ilico fiet quod iusseritis. Et omnino quicquid petieritis in precationibus uestris, modo adsit fiducia, impetrabitis. Quum autē Iesus templū ingressus doceret populū, non ferentes eū illic in suo regno regnare impune, primores sacerdotum & quidam ex populi senioribus adeunt illum, & aiūt: Qua nam autoritate facis ista? Aut quis tibi tradidit istam potestatem? Quum enim nullus hominū illi tradidisset eam autoritatē, supererat ut aut diceret sibi à deo traditam, aut à Beelzebub. Si dixisset à deo, uerum quidem dixisset, sed nihil aliud quàm eos irritasset. Non enim ideo rogant ut credant, quod ex ipsa re poterant perspicere, sed ut calumnientur. Iesus igitur huius rei non ignarus, quæstionē quæstione, ueluti clauum clauo repulit. Percontabor, inquit, & ego uos quiddā, ad quod si mihi respōderitis, tum respondebō quæstioni uestræ. Autoritas qua baptizauit Ioānes, unde uenerat illi, e cœlo, an ex hominibus? At illi deliberabant apud se, quid essent responsuri. Videbant enim quæstionem esse bicornem, ut in alterum cornu necesse esset incidere. Cogitabant autem, si dixerimus e cœlo, continuo dicet nobis: Quare igitur non credidistis illi, si quidem ille prædicauit regnum dei, & de me testimonium perhibuit. Sin dixerimus ex hominibus, metueda est populi seditio, quod omnes persuasum habeant Ioannem fuisse prophetā. Itaq; ne caperentur, responderunt se nescire. Tum Iesus: Nec ego, inquit, dico uobis, unde mihi sit hæc autoritas. At quoniā simplex ac manifesta percontatio non potuit elicere confessio-

nem uerā, proponit Iesum altā sub ænigmatē, ut imprudentes, contra se ferrent sententiā:

Et uidens fiet arborem

Et cum uenisset in templū

Baptismus Ioan. unde erat

Quid autem
nobis uidetur

Quid, inquit, uobis uidetur de eo quod nunc propositurus sum? Cuidam erant duo filii. Is accedens ad alterum, dixit: Fili, abi, & hodie operare in uinea mea. Ille proterue respondit, nolo. Sed idem mox poenitentia tactus, abiit in uineam. Pater itidem accedens ad alterum, ait: Abi, & hodie labora in uinea mea. Ille prompte respondet: En abeo domine, nec abiit tamen. Ex his igitur duobus uter uidetur satisfecisse uoluntati paternae? Illi non intelligentes, quorsum haec tenderent, responderunt: Prior ille, qui mox resipiscens abiit in uineam. Tum Iesus in ipsos retorquens parabolam: Profecto uere dico uobis, quod publicani & meretrices praecedunt uos in regnum dei. Illi prius rebelles deo impia uita, tamen ilico tacti poenitentia, obtemperarunt Euangelicae doctrinae. Vos qui titulo ac professione estis populus dei, qui & olim dixistis, & hodie dicitis, omnia quaecunque dixerit dominus faciemus, qui & semper habetis in ore praecepta dei, & templum domini, templum domini, tot modis prouocati, non potestis ad poenitentiam perueniri. Venit enim Ioannes ostendens uobis uiam iustitiae & iram diuinam imminere, securim admotam arboris radicibus, ni statim resipisceretis. Vidistis publicanos & meretrices, homines uestro iudicio deploratos, obtemperarunt illi. Vos nec singulari Ioannis sanctimonia, nec illius salubri doctrina, nec minis, nec exemplo publicanorum ac meretricum prouocari potuistis ad poenitentiam. Ita fit, ut illi fide praeripiant uobis regnum dei, uos frustra deum ore profitentes, ob incredulitatem animi uestri excludamini. Adidit alteram parabolam, aequae obscuram, qua tacite recenset, & ob oculos ponit insignem illorum ingratitudinem, qui tot dei beneficijs prouocati, non solum non resipuerunt, uerum etiam prophetas alios post alios, qui missi fuerant, ut ad illorum praedicationem aliquando resipiscerent, crudeliter trucidarunt. Nec hoc contenti, ipsum denique dei filium essent trucidaturi, idque electum e uinea, locum obiter indicans ubi erat crucifigendus. Quo sermone declarat, & illorum inuincibilem maliciam indignam esse uenia, cum nihil esset omissum, quod illos ad meliorem mentem posset reuocare: & se nihil ab illis passurum, quod non praescierit. Parabola sic habebat: Erat, inquit, quidam paterfamilias, qui plantauit uineam, ei circumdedit sepem, & fodit in ea lacum excipiendo musto: è botris expresso, & extruxit in ea turrinam ad uinea custodiam, atque ita pulchre instructam locauit agricolis, ut bona fide colerent, reddituri fructus domino. Hoc facio, profectus est peregre. Ceterum cum appeteret tempus colligendi fructus, misit seruos suos, ut ab illis acciperent fructus. At agricolae non solum non dederunt fructus debitos, uerum etiam seruis iniecerunt manus, & alios pulsarunt, alios occiderunt, alios lapidarunt. Hoc cognito, paterfamilias non statim uocauit eos ad supplicium, sed expectans ut resipiscerent, misit ad illos maiorem numerum seruorum, quam antea miserat: sperans fore ut multitudine coerciti, facerent officium suum. At illi nihilo mitius tractauerunt hos quoque, quam illos priores tractauerant. Tulit & hoc facinus paterfamilias, ac postremo quo uinceret eos lenitate sua, misit ad illos filium suum, dicens apud se: Quanquam sauerunt in seruos meos, tamen reuerbuntur saltem filium meum, cum eum uiderint adesse. At agricolae, quo magis prouocabantur ad resipiscendum, hoc magis iritabantur ad saeuitiam. Quum enim uidissent filium, adeo non sunt illum reueriti, ut mox inierint consilium de occidendo eo, dicentes: Hic est haeres, uenite occidamus eum, & occupabimus hereditatem illius. Moxque iniecerunt illi manus, & protractum extra uineam occiderunt. Cum igitur, inquit, uenerit dominus uinea, quid faciet agricolis illis? Respondent Pharisei: Multo male perdet, & uineam suam locabit alijs, qui bona fide reddant locatori fructum temporibus suis. Sic illi decepti a nigmate ore proprio sese condemnant, pronunciantes sese ob inuincibilem animi prauitatem dignos esse supplicium, & merito gentes esse recipiendas ad Euangelij gratiam, meliorem fide culturas uinea quam illi coluissent. Sub hac Iesus subindicans, se quidem illorum peruersitate damnatum ac reiectum, moriturum ignominiosa morte, ceterum resurrectione per uirtutem patris illustrandum per uniuersum orbem, tantaeque soliditate futurum, ut quisquis in ipsum impegerit, sibi sit exitum accersiturus: ad hoc indicandum quo minus offendant, adducit prophetiam e psalmo: Nunquam ne, inquiens, legistis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? A domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris. Significans eos aedificare synagogam, sed electio Christo, sine quo nullum esset firmum aedificium, sed tamen illum reiectum

actum ab ipsis lapidem magno in precio futurum in ecclesia gentium. Eoq; subiecit Ies^{us} iudeo dico uobis, auferetur à uobis regnū dei, quod oblatum spernitis, & dabitur alteri genti, quæ dignos Euangelio fructus adferat. Atque ut hic lapis salutem adferet ijs qui obediunt Euangelio, ita per incredulitatem repugnantibus adferet exitium. Quisquis enim impigerit in lapidem hunc, confringetur. Rursus in quem ille inciderit, conteretur. Tandem ex huius sermonis clausula intellexerunt primores sacerdotum & scribæ, quod superiores etiam parabolæ, quibus decepti pronunciauerunt aduersus se sententiam, in ipsos dixisset. Eoq; exarserat eorum uesania, ut iam fuerint illi iniecturi manus, ni metuissent populum, quod à plerisq; magni fieret Iesus, ac prophetæ loco haberetur.

CAP V T . . . X X I I



Orrò rursus aliam adiicit similitudinem, quo magis infigat animis illorum obstinata malicia fieri, quod reſciantur ab Euangelica salute: quodq; gentes sint occupaturæ, quo illi se reddidissent indignos. Nullum enim excludi à regno dei, sed hoc honoris habitum esse genti Iudaicæ, quod primum omnium est uocata, & uocata blande, non ad tristitia aut abiectionem, sed ad nuptias, hoc est honorem, delicias, ac libertatem Euangelij. Nec solum fuisse inuitatos per prophetam Ioannem, & ipsum Christum, uerum etiam post mortem per Apostolos esse uocandos: nec prius Euangelij præcones deflexuros ad gentes, quàm apud suos diu pro suo officio, multis ludibrijs ac poenis fuerint affecti: ut nulli queant imputare, quod postea tot calamitatibus puniantur, qui toties oblatam dei beneuolentiam spreuerint. Similiter do sic habet: Regnum, inquit, cœlorum per uos simile factum est cuidā regi, qui filio suo nuptiale conuiuium exhibiturus, emisit seruum suum, qui multos inuitaret ad nuptias filij sui. At illi semel uocati, noluerunt uenire. Tum rex misit complures seruos, qui diligenti^{us} etiam illos inuitarent, ut properarent ad nuptias iam paratas, quicq; suis uerbis dicerent illis: Ecce prandium apparatus est, tauri mei & altilia mea occisa sunt, cæteraq; omnia parata sunt. Nihil superest nisi ut ueniat, ne ista sine frustra parata. At illi rursus neglexerunt inuitantem. Et quum instarent inuitatores, alius aliud excusabat: hic sibi uisendam uillam quam nuper emisisset: ille sibi boues inspiciendos, quos esset mercatus: alius sibi nuper ductam uxorem, à qua diuelli non sustineret. Atque hi tantum sibi dementes erant, qui tam felici conuiuium, prætulerint curas quasdam rerum fluxarum, uiles ac sordidas. Sed alij crudelitatem addiderunt ingratitudinē. Seruos enim regis, qui semel atq; iterum inuitabant ad tantum honoris, multis affectos contumelijs, tandem etiam occiderunt. Id factum ubi rex audisset, uehementer est indignatus: uidelicet lenitate sprete sese uertente in furorem: missisq; satellitibus suis, perdidit homicidas illos: nec hoc contentus, ciuitatem illorum succendit igni. Hæc autem dixit Iesus, tecte illis prædicens exitium urbis Hierosolymitanæ, moxq; innuit, undiq; uocandas ad Euangelium gentes, ut pote Iudæis meliores. Tunc inquit seruis suis: Nuptiæ sunt paratæ: sed quoniam qui uocati sunt, declararunt se indignos hoc conuiuium, quod ipsis tamen potissimum appaue^{ram}: discurrite quoquò uersum, per compita & triuia, citraq; delectum, quosunque repereritis, dignos, indignos, debiles, mancos cæcos, claudos, uocate ad nuptias, donec domus mea impleatur. Egressi serui, congregarunt promiscuam multitudinem, undiquaq; collectam, & impletum est conuiuium discumbentibus. Post hæc Iesus quoniam superius ostenderat graues poenas daturus esse Iudæos, qui toties uocantes Apostolos afflixerint, ac demum occiderint: subindicat & illos manere graue supplicium, qui semel professi uitam Euangelicam, redirent ad pristina uitæ sordes. Ingressus est, inquit, rex ut uideret discumbentes conuiuas: ac inter cæteros uidit ibi quendam non indutum ueste nuptiali. Amice, inquit, quomodo huc intraſti, quum non habeas uestem nuptialem? At ille confusus obmutuit. Tunc rex præcepit ministris, ut illum uinctis manibus ac pedibus, procul à conuiuium submotum conijcerent in densissimas tenebras, ubi fletus est & stridor dentium: dignitate uidelicet luceq; conuiuij, in carcerem abiectionissimum, & uoluptate summam, in summum cruciatum commutata. Porro quum plurimi sint uocati, pauci tamē sunt electi. Vltro uocatur omnes, sed electi non sunt, nisi qui uocati parent, quicq; usq; in finem respondēt diuina erga se beneficentia, in pietatis euangelicæ studio perseverantes. His parabolis ubi se sentirent perstringi, adeo non sunt compuncti ad poenitentiam, ut nihil iam inierunt

*Simile factum
est regnū cœ-
lorum*

*Tūc abeuntes
pharisei cōsi-
lium inierunt*

iam aliud cogitarent animis, quàm de occidendo Iesu. Tantum malum est liuor & ambitio. Aderat illis homicidij uoluntas, sed deerat oportunitas. Non meruebant deum tantum facinorum ultorem, sed metuerunt populum. Visum est igitur illis ingredi diuersa uia, sicq; rem cuniculis agere, ut inuidia facti in Cæsarem ac Cæsaris præfectos deriuaretur. Igitur in præsentia quidem ira dissimulata abeunt, cæterum communicato inter ipsos consilio, placuit ut Iesus per subornatos proposita quæstione, ex responso caperetur, fieretq; obnoxius principibus: ut per illos ueluti maiestatis reus, ac seditionis autor occideretur, causa nihil ad pharisæos attinente. Commentum autem erat huiusmodi. Quum Iudæa iam cœpisset esse tributaria Romanis, præfectus est ab Augusto censui colligendo rex Herodes Antipatri filius. Atque hac de re non erat omnium eadem sententia. Quibusdam enim indignum uidebatur, populum deo sacrum, pendere tributum principibus idololatriis. Atque hac in sententia erant, qui pharisæis adhærebant. Rursus, erant qui Cæsari fauentes, dicerent oportere solui tributum: & huius opinionis defensores Herodiani dicti sunt, quod Herodes tributum colligendi præfectus esset. Extiterant autem paulo ante duo quidam, Theudas & Iudas, qui dum palam defenderent, Iudæos populum deo dicatum, non debere tributum cuiquam prophano principi, uelut seditionis, supplicio sunt affecti. Sperabant autem pharisæi, ut Christus religioni fauens magis quàm Cæsari prophano & impio, solita libertate pronunciaret aduersus Herodianos, non esse pendendum tributum Cæsari: moxq; per illos deferretur Herodi, daturus poenas, quas ante Theudas & Iudas dederant. Quod si pronunciaisset esse reddendum tributum, iam calumniarentur illum adulari principibus impijs, minus fauentem religioni diuinæ. Subornant igitur aliquot è suis discipulis, qui præsentibus Herodianis, ac frequente hominum multitudine, ne res careret testibus, fucate blanda oratione illum in nassam illiciant. Tanta erat cæcitas, ut toties re frustra tentata, non conquiescerent. Nec pudet inconstantia, qua nunc magistrum appellant, quum antea calumniati sint illum spiritum habere Beelzebub. Et libertatem illius collaudant, ne uereatur Herodianos offendere: Magister, inquit, nouimus te ueracem esse, nec assentari cuiquam, nec mentiri quicquam: sed magna cum libertate doces, quod deo placitum est, non quod hominibus uidetur. Non enim uereri quenkum mortalium, nec est apud te respectus personarum. Dic igitur nobis quid tibi uideatur: phas est ut Iudæorum populus, diuinæ religioni deditus, pendat censum Cæsari, an non? Et dabimus posthac, an non dabimus? Iesus autem ut ostenderet se non fallere illorum insidiosam blandiloquentiam, ita temperauit responsum admirabili sapientia, ut neutri factioni se redderet obnoxium: sed utraq; moneret, quod magis ad illorum salutem attineret: nimirum ut deo principi summo solueret censum pietatis. Quid me, inquit, tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. Conabatur enim Iesum illaqueare uerbis ipsius. Ille uicissim eos illaqueat, ex ipsorum responsis. Obrulerunt igitur denarium, qui Cæsaris habebat imaginem, ac titulum. Vtq; declararet sese non in hoc uenisse, ut leges ferret hisce de rebus, quæ nihil attinebant ad pietatem, quæq; pro tempore aut recte fieri possent, aut secus, numo conspectio, quasi parum agnosceret eiusmodi litteras atq; imagines, qui cœlestia tractabat, rogauit, cuius esset inscriptio, & cuius imago. Responsum est: Cæsaris. Tum Iesus: Reddite igitur, inquit, Cæsari, si qua sunt Cæsaris: sed imprimis reddite Deo, quæ sunt Dei: significans nihil officere pietati, si quis deo dicatus, det prophano principi tributum, etiam si non debeat, malens obsequi, quàm prouocare: præsertim in ea re quæ pauperiorem reddit, non impium. Alioqui si exigat, quod nos reddat impios, non iam Cæsaris tributum est, sed diaboli. Hoc audito responso, admirati sunt: primum quod intelligerent illum non latuisse dolosum commetum: deinde prudentiam admirabilem, cui frustra tenderet insidias humana uersutia. Mirati sunt quidem, sed non sunt immutati. Et relicto eo, desiere prouocare, quem uincere non poterant, sed non desierunt odisse, quem amare debebant. Pharisæis igitur & Herodianis digressis, adoriuntur eum Sadducæi. Ea factio est apud Iudæos crassior & indoctior, dissentiens in hoc à pharisæis, quod negat esse resurrectionem: adeo, ut nec angelos esse credant, nec animas extare semotas à corpore: nihil esse putantes, quod non uidetur. Hi quum audissent Christum crebro meminisse uitæ æternæ, & futuri seculi, ac resurrectionis iustorum: adoriuntur illum, experimentum facturi, utrum cum pharisæis sentiret, an sibi contra-

ria

in doceret: ut uel carperent illum, si secum pugnaret, uel irriderent, si cum pharisæis sentiret. Obijciunt igitur huiusmodi problema: Magister, inquit, Moses hanc legem ædixit: Si quis uxore ducta decesserit absque liberis, ut defuncti frater ducat à fratre relictam uiduam, & cum ea congressus suscitet potestatem fratri defuncto. Fuerunt autem apud nos fratres septem, quorum primus uxore ducta, defunctus est absque liberis. Hanc duxit proximus frater, qui & ipse decessit absque liberis. Similiter accidit & tertio, & quarto, usque ad septimum, omnes decesserunt absque liberis. Tandem mortua est & mulier, quæ fuerat septem fratribus nupta. Itaque in resurrectione quis omnium habebit hanc uxorem: neque enim potest esse communis omnium: Et omnes ex æquo duxerunt. Ad hanc interrogationem, quoniam plus habebat ignorantia, quàm malicia, Iesus dignatus est respondere. Etenim qui per inscitiam errat, dignus est qui doceatur. Cæterum qui mera malicia sciscitantur, indigni sunt responso: Erratis, inquit, qui scripturas legitis quidē at non intelligitis: & nihil imaginantes supra res corporeas, quas uidetis, nescitis uirtutem dei, qui mirabilior est in his quæ non uidentur. Hic ubi uices sunt nascentiū ac morientiū, coniugium adhibetur ad propagationem humani generis. Cæterū ubi iam erit absorpta mortalitas, & homines erunt spirituales, quod futurum est in resurrectione, quæ nos redet, eosdem quidem, sed immutatos: neque ducet quisquam uxorem, neque nubet ulla. Nihil enim illic opus coitu, ubi mors non erit. Cæterum qui peculiariter ad resurrectionem iustorum pertinent, sic uiuunt absque nuptiis, quemadmodum uiuunt angeli dei in celo: iam hic pro sua uirili meditantur, quod in resurrectione sunt futuri. Malunt enim animas deo gignere, quàm corpora mundo. Post hæc tacite notans hanc tam absurdam quæstionem esse natam ex falsa persuasionem, qua credebant nullam esse resurrectionem, non dedignatur & hanc opinionem ex animis illorum reuellere, docens & hoc ex Mosi libris colligi, cuius auctoritate fuerant aggressi Iesum. Cur autem perperam sentitis, inquit, de resurrectione mortuorum, quasi non & hanc palam docuerit Moses, cuius scripta crasse parumque attente legitis. An non legistis quid apud hunc loquatur deus: Ego sum deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob. Hi si toti perissent morte corporum, non diceret se esse deum illorum, sed fuisse. Quod si est deus illorum, utique uiuunt illorum animæ, uiuunt & ipsi toti quodāmodo spe resurrectionis futuræ. Deus est uita, nec est deus mortuorum qui iam esse desierunt, sed uiuorum. Ita docuit illos esse quidem resurrectionem, sed non esse talem qualem imaginabantur esse, cum proponerent stultam de septem fratribus quæstionē. Populus autem cum uidisset omnibus obturari os, prudentibus responsis, admirabantur eius efficacem & expromptam doctrinam. Non displicuit pharisæis, quod os obstruxisset Sadducæis, præsertim in argumento, in quo uelut ex diametro inter sese dissident. Ergo cum uiderēt illos obmutuisse, exprobrata etiā inscitia scripturarum, rursus ueluti recepto spiritu sese pharisæi conglomerant, ac unum quendam legisperitum subornant, qui docta uidelicet quæstione Christū adoriretur, quo uel illū argueret inscitia, uel ipse laudem eruditionis auferret: Magister, inquit, quod est præcipuum ac maximum præceptum in lege? Iesus ostendere uolens illos, qui legis professione sese uendicabant, longissime abesse à maximi præcepti obseruatione, qui toti flagrarent in uero & odio proximi, cæterisque uitijs, quæ nihil habent affine cū sincera charitate: nec quemquam amare deum, qui in proximum sit iniquus, respōdit: Diliges dominū deum tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mēte tua: hoc est primum & maximum præceptum. Quod tamē nemo uere seruat, nisi seruet & secundū, illi simile. Siquidem alterū ex altero pendet: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Siquidem quicquid in tota lege præcipitur, quicquid docent prophetae, hoc totum in his duobus præceptis comprehenditur. Quisquis enim deum toto pectore diligit, nihil negliget, quod ille præcepit: & qui proximum diligit tanquam seipsum, is nec furabitur, nec adulteriū committet, nec falsum dicet testimonium, nec concupiscet rem alienam: in summa nihil alteri faciet, quod sibi fieri nolit. Tum pharisæus ex tentatore iam propemodum factus discipulus, subiecit: Vere ac recte dixisti magister, quod unus sit deus, quodque non sit alius præter eum, quodque hic solus supra cuncta, totis cum uiribus diligendus, quodque omnes affectus nostri sint in unum illum transferendi, quodque diligere proximum perinde atque seipsum maius sit omnibus holocaustis & sacrificijs. Iesus uidens quod prudenter respondisset, neque pergeret

Pharisæi autē
audientes

insidiari, ait illi: Haud procul abes à regno dei. Intelligebat enim pharisaeus quid esset optimum, tantum hoc deerat, ut affectu sequeretur, quod intellectu tenebat. Atque interim tacite mordet conscientiam quorundam pharisaeorum, qui Iesu moliebantur insidias capitales. Eoq; quum illi tantum interrogassent de summo mandato, cuius obseruationem sibi falso arrogabant, ultro adiecit & sequendum de diligendo proximo. Nondum enim suspicabantur Christum esse deum. Certe proximum, ac bene meritum negare non poterant, in quem tamen machinabantur, quod nemo sibi uellet accidere. Vbi uero iam maior pharisaeorum frequentia conuenisset, Iesus tot quaestionibus ab illis tentatus, proposuit & illis uicissim quaestionem, obscure quidē, & per aenigma subindicans, quod post Apostolis explicandum reliquit suo tempore, sibi non solum esse naturam humanam, quam uidebant, & in quam essent sauituri, uerum etiam diuinam, quam utcunq; ex ipsis factis poterant coniectare, nisi liuor, odiū, ambitio, auaritia, ceteraq; uitia, animos eorum excaecassent. Rogat igitur simul collectos, quid illis uideretur de Messia, cuius filius esset: hoc est, ē cuius stirpe progenitus aut progignendus? Respondent incontanter: Dauid. Tum Iesus: Quid igitur sibi uult, quod Dauid in psalmo mystico spiritu coelesti afflatus, uocat eum dominū, quum sit filius? Ita enim scriptum est: Dixit dominus domino meo, se de à dextris meis: donec reddam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Qui consistit, ut si filius est Dauid, pater filium appellet dominū? Nec erat quisquā illorum qui posset hūc dissoluere nodū, propterea quod de diuina Messie natura nihil adhuc suspicari poterant. Siquidem Christus ut secundum corpus humanum erat filius Dauid: ita secundum diuinam naturā dominus erat omnium, non modo Dauid. Neq; quisq; posthac ausus est illum adorari quaestionibus, quum uiderent insidias in illum intentas, in suum ipsorum caput recidere.

CAPVT XXIII



V V M igitur toties illis obstruxisset os, teste multitudine, ne prorsus illorum autoritas concideret apud populum, cui doctores praesidebant, audiendos quidem docet, at non imitandos. Quanquam enim maxime conuenit, ut qui doctoris munus suscipit, integritate uitae fidem & pondus conciliet suae doctrinae: tamen non expedit omnino contemnere salutiferā alioqui doctrinam, ob doctoris improbam uitam. Reuerentia, quam illorum mores non promerentur, danda est auctori, cuius praecpta recitant. Neq; enim polluitur lex dei, si per os improbi doctoris proferatur. Ipsi quidem inutilis est, sed accipienti prodest. Auersus igitur à pharisaeis Iesus, in quibus nullam uidebat esse spem uitae emendationis, turbis ac discipulis loquitur hunc in modū: Ipsi scribae & pharisaei se uobis produnt, q̄ sint animis corruptis, quā inuidi, quā auari, quā inanīs glorię cupidi. Sed tamen ob muneris auctoritatē audiendi sunt. Occupant cathedrā Moysi, cuius legem docent: quae docent sancta sunt: docent enim aliena, ceterum uita longelateq; dissidet à doctrina. Proinde quae uobis praescribunt ex auctoritate Moysi, seruate & facite: sed tamen interim cauete, ne ad uitam illorum mores uestros componatis. Si uiuerent quemadmodum docent, totos oporteret imitari. Nunc quae docent, ipsi non praestant. Ab alijs plusquam totam legem seuerissime exigunt, ipsi sibi indulgent. In alios austeri, in se lenissimi. Colligant enim fasciculos praceptorū graues & importabiles, & imponunt humeris alienis, quos ipsi ne digito quidem dignantur attingere. Onerāt enim legem per se satis onerosam, suis constitutionibus, quo sibi concilient opinionem eruditionis & sanctimoniae. Quod si qua praestant iuxta legis praescriptum, non id faciunt ex animo, sed ad laudem auramq; popularem. Histriones sunt, & ceu personati falsa religionis imagine, fabulam agunt, ut specientur ab hominibus. At legem non seruat, nisi qui hoc praestat, quod uoluit legislator. Is autem potissimum requirit syncerum animum. Isti uero quicquid faciunt, faciunt ad aucupandam inanem apud plebeculam opinionem sanctimoniae. Nam quum deus post praecpta legis aedra subiecerit: Ligabis ea in manu tua, & erunt immorta ante oculos tuos: nimirum illud sentiens, non oportere unquam obliuisci praecptorum dei, sed ad horum regulam componendas esse omnes uitae actiones: isti quum prorsus negligent obseruare iussa diuina, tamen specie falsa se iactant apud populum. Obambulant lata phylacteria circumferentes, incedunt latis ac magnificis fimbrijs, in his praecpta legis ostentant inscripta, cū in uita nusquā appareāt. At hec animis inscribi oportuit, uita decebat exprimi. Sic placeret oculis dei, cui unī uita nostra ceu fabula quāpiā agitur. Sed

Super cathed.
Moysi sederūt
scribae & phari
saei

sed hos spectatore contempto, uilissimam laudem affectant apud imperitam multitudinem. Et cum ubique deceat doctorem moribus, dictis, atque ipso etiam uultu præ se ferre uirtutem eximiam, isti nusquam aliud agunt, quam quod est inanissimum ac uix etiam uero dignum. Si quod uocantur ad coenam, illic pueriliter ambitiosi sibi placent, quod ipsis locus tribuitur honoratior: in synagogis & publicis conuentibus amant primæ sedis honorem. Quum uersantur in foro, gaudent honorifice salutari. Cristas erigunt, quoties à populo audiunt magnificum illum titulum, Rabbi, quasi aut soli sint honore digni, aut soli sapiant: quum hoc ipso minimi sint apud deum, quod sibi uidentur maximi: & hoc ipso maxime desipiant, quod sibi uidentur plurimum sapere. Soli deo debetur honor, qui solus uere magnus est & honorandus: soli deo debetur laus sapientiæ, soli autoritas. Harum rerum si quid est in hominibus, umbra quædam duntaxat est, si ad dei magnitudinem conferatur, & hoc ipsum à dei largitate profectum est. Proinde si quid honoris tribunt homines hominibus ob dei dotes, quas in illis esse suspicantur, non debet sibi uindicare cui tribuitur, sed totum ei transcribere, unde totum & gratis habet, si quid habet boni. Vos autem mei discipuli nolite istorum esse similes: quin potius memores exempli doctrinæ meæ, fugite cognomen arrogans sapientiæ, neque uobis ipsis placeatis, si quis appellet Rabbinos, hoc est, magistros nostros. Unus est enim in quem uere nomen hoc competit, hunc magistrum habetis communem. Vos autem ad illum collati, nihil aliud estis, quam condiscipuli ac fratres inuicem: inter quos mutua charitas omnia reddit paria. Nec decet ut quisquam semet anteponat alteri: sed longe diuersum certamen est, nimirum ut alius alij cedat honorem, & alius alium officio præueniat. Itaque nec magistrum quenquam appelletis in terris, quando quicquid habetis salutiferæ doctrinæ id totum debetis deo. Ex hoc docet, quisquis recte docet. Illius asslatu proficit, quisquis uere proficit. Nec posthac patris honorificum uocabulum homini tribuatis in terris, semel proferri patrem cœlestem, cui uere debetis & uitam, & quicquid habetis, & unde pendetis totum: ne quis igitur honorem soli deo debitum, sibi uindictet. Nemo homini tribuat, quod soli debetur deo. In hunc unum omnis laus, honor, & gratiarum actio est transferenda. Si quis bene docet, laudetur in eo sapientia dei, quæ se per illum exerit communicatque. Si quis cura sollicitudineque patrem agit, laudetur in eo bonitas dei, quæ per illum uobis profpicit. Neque uero hæc dixit dominus Iesus, quod impium sit præceptorem præceptoris appellare uocabulo, aut parentem parentis nomine salutare: sed hoc sermone prorsus eueltere studebat animis suorum pharisaicam ambitionem, qui quod erat dei sibi uindictabant, & honorem exigebant à populo, pro doctrina, non sua, sed dei: quasi ipsi essent auctores, ac non potius ministri: tum plebis uel simplicitatem, uel adulationem notat, quæ laudibus immodicis illos uehebat, quasi hominibus plus deberent quam deo. Quoniam autem intellexit, ex huiusmodi ambitione nasci pestes, & exitia congregationis, ideo sermonem hæc clausula absoluit: Qui inter uos maximus est, is erit uester minister. Quod enim habet, aliunde accepit, & gratis accepit: & in hoc accepit, ut alijs impartiret. Itaque quo maior est dotibus diuinis, non hoc erit arrogatior, sed sollicitior, ut communicet: hoc submissior, ne semel perdat arrogantia, quod diuina benignitas largita est. In auctorem deum gloriam omnem transfert, sibi præter humilis ministri sedulitatem nihil uindicans. Is uere magnus est, qui sibi minimus est. Atque is tam incipit esse minimus apud deum, qui suo iudicio magnus est. Quod si quis sese tacet & effert, de gratuitis donis dei, spoliatus his, quibus se facit indignum, ex maximo fit minimus. Contra qui se deiecerit, agnoscens & exaggerans imbecillitatem suam, ac dotes dei, quibus magnus est, aut dissimulans, aut in fratrum utilitatem expromens: is quoniam sua modestia prouocat liberalitatem diuinam, auctis dotibus ex magno fit maior. Post hæc Iesus uersus ad scribas & phariseos, uos uobis scribam ac magna libertate inuehitur in maliciam eorum, minitans illis ultionem diuinam, quo uel pudore resipiscant, uel metu suppliciorum uertantur ad meliora, & omnia simulacione sanctimonie incipiant esse pietatis Euangelicæ cultores. Væ uobis, inquit, scribæ & pharisei hypocritæ, qui quum profiteamini legis peritiam, & ob hoc quodammodo tenearis clauis regni cœlorum, non solum ipsi non intratis, sed alijs intrare uolentibus, quibus debueratis aperire fores, occluditis eas, & obstititis ultro paratis, quos cessantes debueratis excitare. Quæ enim cōspiciatis iam adesse lucē Euangelicā, tamen uestre gloriæ, uestriq;

Qui maior
est uester

Væ uobis scrib
æ & phari
sei hypocritæ

uestriq; lucrī gratia, populum adhuc in umbris legis detinetis, excludentes à ueritate. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui sub prætextu religionis, deuoratis domos uiduarum, quibus imponitis falsa specie sanctimoniam. Simulatis enim longas preces in publico, quū interim animus nihil aliud spectet, quā prædam à stultis mulierculis, quæ uos credunt interim cum deo colloqui. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, propterea quod obambulatīs per terras ac maria, ut ē gentibus unum aliquem pelliceatis ad legis professionem. Qui cum attractus fuerit spe discendæ religionis, superstitiosa uestra doctrina, peruersisq; moribus talem redditis, ut non solum non fiat purus dei cultor, & hæres regni cœlorum, sed sceleratior etiam Iudeus, quā fuerat ethnicus, & magis etiam obnoxius gehennæ, quā uos estis. Fit enim fere ut discipuli malos præceptores uincant etiam plerunq;. Væ uobis cæci duces, qui professi doctores, ipsi nescitis quid doceatis, nimirum aberrantes à scopo legis: nec aliō torquētes omnia, q̄ ad quæstum uestrū. Dicitis enim, quicumq; iurauerit per templū domini, non tenetur iureiurādo: sed qui iurauerit per aurū, quod est in templo, is demū tenetur iureiurando, præpostero iudicio pluris faciētes, nō ea quæ per se sanctiora sunt, sed quæ uestræ avaritiæ gratiora. Alioquī respōdere mihi stulti & cæci, utrum est sanctius, aurum, quod ornādī gratia additum est templo, quodq; uertitur in lucrum uestrum, inq; uestri luxus materiā, an templum ipsum cuius sanctimonia facit, ut aurum etiam alibi prophanum, illic sanctum habeatur: Item dicitis, qui iurauerit per altare, non tenetur religione, cæterum qui iurauerit per donum, quod impositū est altari, tenetur iureiurando. O cæci doctores, utrum enim pluris fieri debet, donum, an altare, quod sanctificat ipsum donum? Neq; enim aliunde sanctū est donum, nisi quod sacro altari est impositum. Et hic præpostero iudicio uultis donaria uideri sanctiora altari, quod ea cedunt in usus uestros, quum templum & altare extructa sint in cultū & gloriam dei, quæ uobis curæ nō est. His uestris commētatiunculis quid aliud quā subuertitis legem dei, quæ prohibet omne periurium? Etenim quemadmodū interpretatione subuertitis præceptum de honorandis parentibus, ita hic docetis peierare. Perfectū erat omnino non iurare, sed tamen quisquis iurat per rem quamcūq; quæ sacra habetur apud eum cui iurat, periurus est, nisi præstiterit quod iurauit. Quisquis iurat per altare, iurat & per ea, quæ sunt in altari. Ita quisquis iurauerit per templū, iurat & per deū templi inhabitatōrē. Quisquis iurat per cœlum, iurat per thronū dei, & per consequens per eum qui sedet in illo. Quisquis iurat per caput alterius, iurat per rem deo sacrā, cuius is qui iurat, nullā habet potestatem. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui in his quæ ad quæstum uestrum pertinent, minimū autem habent momenti ad ueram pietatem, etiam minuissimā exigitis: in decimis extorquendis a deo superstitiosi, ut ē uilissimis etiam holeribus, menta, ruta, anetho, & cumino, decimas colligitis. Atq; interim ea, quæ maximī momētū sunt, & unde pendet uera iustitia, pro nihilo ducitis iudiciū, misericordiā & fidem. Iudiciū, ne quem afficiatis iniuriā. Eleemosynā, ut subueniatis oppresso & egētī. Fidem, ne quem fallatis periurio. Hæc ita lex exigit, ut in primis uelit curari, quū illa ueluti minimī momētū horū gratia adiecerit. Hæc igitur in primis erant serio curāda, si minuta illa non uidebātur omittenda. Si cuncta seruaretis ad unguem, uideri poterat religio: nūc quum omīssis his, sine quibus nulla constat iustitia, curetis ea quæ leuissima sunt, hypocritis est, non religio, imò religionis pernicies. Si quidem antequā instituerentur decimæ, tamen integritas, be-

Duces cæci nescientia & fides exigebatur. & ad iustitiæ laudem pertinebāt. O duces cæcos, qui præpostere religiosi culicem excolatis, quum camelum deglutiatis, in minimo superstitiosi, in maximo negligentes. Væ uobis scribæ & pharisæi, hypocritæ: propterea quod præpostere mundiciem curatis. Crebris enim lotionibus purgatis calices, & patinas & candelabra, quæ quoniam extranea sunt, non inquinant animum hominis: & quod intus est, negligitis illotum, nimirum animum uestrum. Non enim inquinat hominis animum, si quis bibat ex illoto calice, sed si quis bibat uinum fraude partum: si quis ad luxum bibat, non ad necessitatē. Idem idem abluatis corpus, atq; ea quæ corporis sunt, & animū nō purgatis, rapina, libidine, cæterisq; ueris sordibus impurum & inquinatum. Pharisee, te inquam appello pharisæ cæce, qui te titulo cultuq; iactas magistrū populī, cæce, prius hoc cura, quod unū ad rem pertinebat. Si placet uera mundicies, munda prius quod est interius, & tum, si uidetur, munda quæ sunt externa, corpus, uestem, urceos, calices, patinas, fellas.

has reliquasque suppellectilem. Alioqui in his ostentare mundiciem, neglectis his que for
 a nos reddunt apud deum mundos aut immundos, non mundicies est sed hypocrisis, ac
 uere mundicie perniciēs. His enim uestris constitutunculis corrumpitis animos simpli-
 cium, ut huiusmodi mundicijs freti, negligant ea, quae uel sola fuerant curanda. Vae uo-
 bis scribae & pharisaei hypocritae, qui tantum abestis à uera mundicie, ut magis similes si-
 tis sepulchris dealbatis, candidoque tectorio foris falsam mundiciam prae se ferentibus, quum
 intus plena sint ossibus cadauerum, omnique spurcitie. Sic & uox prolixis precibus, latis phy-
 lacterijs, spaciosis fimbrijs, pallore & ieiunio, similibusque fucis, foris uidemini religiosi &
 integri, quum animus undique scateat simulatione, omnique genere uitiorum madeat. Vae
 uobis scribae & pharisaei hypocritae, propterea quod ad falsam ostentationem sanctimo-
 niae, magnifice extruistis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum quos
 uestri maiores occiderunt: & simulantes uos fauere uirtuti interfectorum, ac detestari cru-
 delitatem eorum, à quibus sunt occisi, dicitis: Si uiuissimus aetate maiorum nostrorum,
 nequaquam consensuri fueramus in necem innocentium, quum nunc atrociora moliamini
 aduersus eum, qui prophetas antecellit: & olim estis molituri aduersus eos, qui uobis
 aeternae salutis uiam aperient. Hoc animo quum sitis, nimirum declaratis uos germanos
 esse filios eorum, qui prophetas, à quibus libere monebantur, occiderunt: nihilo meliores
 illis futuri, si uos contigisset illorum aetate uiuere. Agedum, respondete maioribus uestris: *Et uos imp,
men.pa.ue.*
 & quod deest illorum extremae crudelitati, uos ne quid desit, implete. Illi prophetas occi-
 derunt, uos eum quem praedixerunt prophetae. O serpentes, uiperarum progenies, homi-
 cidarum filij homicidae. Quum tam inuincibili malicia sitis, quum nullis neque beneficijs,
 neque miraculis, neque bladis sermonibus, neque austeris, neque pollicitis, neque minis possitis
 corrigi: ut interim effugiatis iudicium hominum, quo modo effugietis iudicium gehennae?
 Id uobis hoc magis exaggeratis, quod nec maiorum execrabili facinore deterremini ab
 occidendi libidine. Tot prophetae missi sunt, quorum multos interemistis. Tandem ipse
 ueni, in quem scitis quid moliamini. Nec hoc contentus, quo magis sit omnibus euident
 uos atrocissima condemnatione dignissimos esse, ecce ego rursus mittam ad uos alios pro-
 phetas, sapientes & scribas, qui summa lenitate uos reuocent ab ista crudelitate, ad men-
 tem meliorem: nec imputabuntur superiorum temporum parricidia, si ad horum praedi-
 cationem egeritis poenitentiam. Verum nec his parceris, sed ex his alios gladio necabitis,
 alios lapidibus obruetis, alios crucifigetis, alios flagellabitis in synagogis uestris: & adeo
 non recipietis eos, ut persequuturi sitis e ciuitate in ciuitatem, donec illos insanabili uestra
 malicia compellatis ire ad gentes. Quibus rebus adeo prouocabitis iram dei in uos, ut
 quicquid homicidiorum patratum est à maioribus uestris, à primo parricidio, quo Cain
 occidit Abel fratrem suum, usque ad caedem Zachariae filij Barachiae, quem occidistis inter
 templum & altare, nec loci religione deterriti ab homicidio: horum poena dilata refunda-
 tur in caput uestrum, qui maiorum omnium crudelitatem non solum retulistis, uerum etiam
 uicistis. Uestra igitur calamitas tam erit insignis, ut totus mundus intellecturus sit, quanta
 fuerit crudelitas huius nationis in optimis quique uirum: quamque pertinax rebellio aduersus
 deum, tanta lenitate tam diu tolerantem, tanta beneficentia toties inuitantem ad meliora. His dictis
 deuotissimus dominus Iesus, qui pro sua bonitate nolebat quenquam omnino perire, confide-
 ram miserabile, quod imminerebat, excidium urbis Hierosolymitanae: nam illius oculis erant om-
 nia praesentia: simulque inexpugnabile illorum perulcactum, qua diuinam lenitatem uersuri erant
 in furore, oratione lamentabili deplorat Iudaicae gentis uastationem, subindicans secundum ad-
 uentum suum: sed Iudaeis tum demum sero resipisceribus, & Christum quem nunc negant agno-
 scentibus: quum magis in rem illorum fuerit, nunc confiteri seruatore suum, à deo missum: atque
 idem ex animo canere, quod indignabatur à pueris decantari: Benedictus qui uenit in nomi-
 ne domini. Hierusalem, inquit, Hierusalem quae occidis prophetas, & lapidas eos, qui missi
 sunt ad te, quoties conatus sum congregare filios tuos, quemadmodum sollicita gallina metuens
 pullis suis, congregat eos, fouetque sub alis suis, & noluit. A me nihil omissum est quo serua-
 reris, sed contra nihil abs te pretermisum est, quo tibi perniciem accereres, salutem exclude-
 res. At cui semel data est arbitrij libertas, inuitus seruari non potest. Oportebat me uolunta-
 ti uestrae respondere uoluntatem. Ecce nunc imminet uobis miseranda calamitas. Relinque-
 tur uobis habitatio uestra deserta. Relinquimini caecitati uestrae, donec aliquando uel
 tantis

tatis docti malis resipiscatis. Dico enim vobis, posthac non videbitis me, quousque uenerit illud tempus, quo me uidentes oculis fidei dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini, quē nūc calumniāmini uenisse in nomine Beelzebub. CAPVT XXIII



Non relinque-
tur hic lapis
super lapidem

Videtur autem Iesus & imagine quadam repraesentaret templum & omnē Iudaicæ legis religionem breui abolendam, egressus ē templo cœpit abire. Discipuli uero, quoniam audierāt non nullam uastitatis mentionem, ostendunt domino templi molem, opere tam admirabili, ut indignum uideretur, tum adeo firma structura, ut non uideretur posse dirui. Iesus autem respondit: Videtis, inquit, hæc omnia? Illud habetote pro certo, nihil est omnium horum tam munitum, aut pulchrum aut sanctum, quod non sit demoliendum, adeoque dissipandum, ut nec lapis ullus lapidi cohæreat. His dictis Iesus abiit in montem, qui dicitur oliueti. Hic quum sederet templum habens in prospectu, adeunt eum seorsum discipuli quatuor, quos primos omnium uocauerat, Petrus, Iacobus, Ioannes, Andreas, cognituri certius aliquid de tempore tantæ calamitatis uenturæ. Suspiciabantur enim mox à uastatione ciuitatis Hierosolymitanæ, templiq; demolitione, rursus aduenturum Christum cum maiestate. Christus autem quo redderet suos uigilantiores, ita temperat sermonem, ut nolit eos scire tempus extremi aduentus, & tamen commemorandis malis efficiat illos sollicitos, & ad malorum incursionem paratos. Dicunt igitur discipuli: Dic nobis quando ista, quæ prædicis, futura sunt? Et quo signo poterimus nosse tuum aduentum, seculiq; finem imminere. At Iesus ad id quod rogabant non respondens: ad illa magis defleuit, quæ pararent animos illorum ad perpetuam uigilantiā Euangelij: Sum omnino uenturus, inquit, sed uidete ne quis mentitus aduentum meum uos fallat. Siquidem multi uenturi sunt, qui sibi uindicabunt nomen meum, & dicent se esse Christum, & inuenient stulte credulos quos fallant. Tumultus rerum omnium speciem præbebit iam instantis mundi finis. Audietis enim bella, uariosq; bellorum rumores, rebus ipsis ut fit, atrociores. Verum ne protinus ista deiciant animos uestros, ut existimetis instare tempus illud extremum. Oportet quidem hanc rerum perturbationem exoriri, sed non ilico finis erit malorum. Latius uagabitur hæc tempestas. Non enim Hierosolyma tantum uastabitur, sed totus orbis bellis ac cædibus miscebitur. Insurgit gens aduersus gentem, & regnum cum regno conflictabitur, maximamq; malorum partem homines ab hominibus patientur. Quin & deus ultor addet sua flagella, pestilentiam, famem, uarijsq; in locis terræ motus. Ne hæc quidem arguent mundi finem, sed tantum præludia sunt mali, uelut parturientis extremam illam mundi perituri tempestatem. Nec uos interim eritis ab huiusmodi malis immunes. Siquidem in hoc rerum tumultu, pertrahent uos in uarias afflictiones: denique & occident; atq; interim eritis odio, non Iudæis solum, sed omnibus gentibus: non ob malefacta uestra, sed ob id quod profitemini nomen meum. Interim multi malis offensi, supplicijsq; uicti desciscant à professione mei nominis, aliusq; alium prodet, cognatus cognatum, amicus amicum, seq; mutuis odijs prosequuntur, quos natura charitatis uinculis copularat. Quin & aliud grauius malorum genus erit. Exoriētur pseudoprophetae, falsiq; doctores, qui simulantes se prædicare Euāgelium meum, suæ gloriæ, sui quæstus, suiq; uentris agent negocium: proq; meo spiritu, satanæ spiritum inserent discipulis, pro regno cœlorum, regnum huius mundi docebunt. Horū technis illaqueabuntur etiam hi, quos tormenta superare non poterant. Nullus est enim capitalior hostis, quam domesticus ac fucatus amicus. In his malis nec à fratribus atque amicis multum expectabitur solatiij. Siquidem exundante multitudine uitiorum, multorum charitas refrigescet. Vobis tamen nihil erit periculi, modo constanti fortiq; animo perseueretis usque ad finem. Nulla malorum uis quenquā poterit perdere, nisi quem animus rectus defecerit. Nec uos perire patiar, nec Euangelij opprimi. Imò his tumultib. magis ac magis inualefcet Euangelij robur: nec aliud poterit in uos malorū procella, nisi quod pietatem uestrā reddet spectatiorē. Non enim uenturus est mundi finis, prius q̃ hoc Euangelij regni cœlorum per omnia regna mūdi prædicetur, omnesq; nationes occuparit, ne qui parere noluerint, prætexere queāt ignorantiā. Hoc ubi factū erit, tū ueniet mūdi cōsummatio: cuius si signū queritis, accipite. Quū uideritis idolū abominabile, qd' conabit funditus subuertere religionē Euāgelicā, de quo uobis olim uaticinatus est Daniel, dicēs: Et in dimidio hebdomadis auferetur

In testimoniū
illis

factur sacrificiū & libamina: & in templo abominatio desolationū erit usq; ad cōsumma-
tionē temporis. Hoc inquā idolum abominandum quū uideritis collocatū in templo, hoc
est in arce sanctitatis, qui propheta uaticiniū legit, intelligat. Sermo mysticus est, & spīritu-
alem requirit lectorem. Cum igitur hęc tempestas ingruerit, qui sunt in ciuitatibus Iu-
dæe relictis oppidis fugiant in montes: & qui in tectis sunt ædium, desiliant, nec descen-
dant, ut quicquam rerum secum tollant ex ædibus: & quos illud tempus deprehenderit
in agrō, ne recurrant in domum, ut uestem auferant. Non enim tūc uacabit rebus consur-
lere. Magnum est si celeri fuga uitæ consulatur. Nam illa recuperari possunt, uita semel
amissa sarciri non potest. Proinde male erit pręghantibus, & mamma nutrientibus in die
bus illis. Neq; enim grauidæ poterunt onus uentris abijcere, ut expeditæ fugiant: neque
lactantes sic possunt abijcere liberos, quos tenerius quā seipsas amant, quemadmodum
pecuniam aut uestem abijciunt. Vobis autem quos neq; domus, neq; possessiones, neque
liberi remorabuntur, tantum orandum est ne uobis incidat, ut fugiendum sit hyeme aut
sabbato. Nam & celeriter erit fugiendum & procul. Cæterum hyems ob rigorem & lucis
breuitatem incommoda est peregrinantibus: & sabbato legis obstat religio, quo minus
procul aufugiatis. Erit enim tunc afflictio uehemens, qualis à condito mundo ad hunc
usq; diem nunquam fuit, neq; post futura est. Quod si calamitas ut erit uehemens, ita foret
& diuturna, nullus hominum superesset incolumis. Merebatur quidem illorum malicia
internitionem, sed propter electos quamlibet paucos, dies illi breuiabuntur. In hac con-
fusione rerum quum expectabitur aduentus meus, cauendum est ne quis decipiatur arte
impostorum: exorientur enim multi pseudochristi, qui se iactabunt esse Christum, quum
non sint, imò quum sint aduersarij mei: qui se dicent esse prophetas quum non sint,
sed potius magistri errorum. Hi non solum erunt instructi dolis, falsaq; specie sanctimo-
niæ, uerum etiam prodigijs ac magicis ostentis imitabuntur meam potentiam: adeoque
multis ac miris præstigijs sibi uindictabunt personam meam, ut electi quoq; si fieri possit,
in errore sint adducendi. Vos igitur moniti caute, nam in hoc prædixi ut caueatis. Tum
igitur si dixerint, Ecce Christus est in deserto, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite in-
troire: Ecce hic aut illic, nolite credere. Non erit talis aduentus qualem hunc uidistis, len-
tus & humilis, sed subitus ac maiestatis fulgure totum orbem subito complectens. Sicut
enim fulgur emicans ab oriente raptim penetrat usq; ad occidentem, sic erit aduentus filij
hominis. Nec est quod metuatis ne non sitis mecum, in tanta rerum confusione. Vbiq; q;
fuerit corpus, eo congregabuntur & aquilæ. Non deerunt capiti sua membra. Calamita-
tis autem magnitudinem sentient & corpora coelestia. Nam & sol obscurabitur, & luna
non dabit lucem suam, nimirum obscurato sole, unde lumen habet mutuū. Stellæ de cœ-
lo decident, atq; ipsæ uirtutes cœlorum concutientur, ueluti de ruina periclitantes. Tunc
inter densissimas tenebras coruscabit e cœlo signum filij hominis, signum inquam quo
seruiciū sathanæ, & omnem illius tyrannidem protruit: signum, quo se frustra uicisse glo-
riabatur. Quo conspecto percutient sua pectora nationes totius terræ, quum uiderint Iu-
dæi quem compunxerunt, quum uiderint gentes maiestatem crucis, quam irriserant. Vi-
debunt enim filium hominis, quem nunc humilem despiciunt, in sublimi uenientem in
nubibus cœli, cum ingentibus copijs angelorum, summa cum maiestate & gloria. Tum
emittet angelos suos, qui uocali tuba congregent omnes electos eius, à quatuor uentis, à
summis uerticibus cœlorum, usq; ad extremos terminos illorum. Sed quo tempore hęc
sint futura, nō est meum exacte præfinire. Sed tamen ex malis, quæ commemorauī, uelut
ex procemijs poteritis cōijcere, tempus illud haud procul abesse. Quemadmodum ficus
indicijs quibusdam prædicat instare æstatem, uidelicet quum ad fauonij statum, iam tene-
rescente ramo, protrudit gemmas, ac folia quodammodo parturit: Ita & uos quum uide-
ritis hęc omnia quæ prædixi, scitote quod aduentus filij dei est in foribus. Illud affirmo,
non præteribit hęc generatio, quin omnia quæ prædicta sunt eueniant. Cœlum & terra
peribunt citius, quā mea uerba sint irrita. Vobis igitur satis est signa nosse, quæ diem ad-
uentus mei portendant, ne uos incautos opprimat. Cæterum exacte diem illum aut ho-
ram, qua filius sit aduenturus, non est uestrum inquirere, quando nec angelis cœlorum
hęc scire datum est, atq; adeo nec filius hominis nouit. Hoc sibi soli seruauit pater. Et sic
expedit uobis, quo semper sitis parati. Dies ille subito ueniet, & inexpectatus alijs. Quem

Ve aut pre-
ghantibus

Et nisi bre. fue-
rint dies illi

Ab arbore fi-
ci discite para-
bolam

admodum temporibus Noe, quum annis aliquot esset eis prae dictum diluuium; tamen arbitantes nequaquam uenturum, edebant, bibebant, elocabant sponfas, & ducebant uxores usque ad extremum diem, quo Noe ingressus est arcam, neque crediderunt fore diluuium donec uiderent iam adesse diluuium, quo perierunt uniuersi qui noluerunt exemplo Noe parare sese aduersus eum diem. Quemadmodum autem tum pauci assumpti in arcam seruari sunt, caeteri foris relictii perierunt, ita tum subito diuidentur peritura seruandis. Erunt duo laborantes in eodem agro, socii mercedis & operae, quorum hic assumetur, alter relinquetur. Erunt duae molentes eadem in mola, quarum una assumetur, altera relinquetur. Quin & de duobus, quos idem lectus iungebat, unus assumetur, alter relinquetur. Non enim opus, aut locus, aut uita genus beabit hominem, sed affectus. Proinde quandoquidem haec absque dubio sunt euentura: nec potest sciri certum quo die uentura sint: semper uigilate, ne uos ille dies opprimat imparatos. Si uigilant homines ne pereat pecunia, quantomagis uobis uigilandum est ne pereat anima. Quis est enim paterfamilias tam itaque supinus, qui si sciat furem nocturnum irrepturum in aedes suas, sterneret totam noctem ac pateretur domum suam perfodiri? Vobis igitur est omni uita uigilandum, quia certi estis praeter expectationem uenturum diem illum. Sic enim uiuendum est, ut quandocumque uenerit ille dies, reperiatur uos in officio, ut statim ad praemium possitis assumi. An non idem facturus sit seruus prudens ac fidelis, quem dominus peregre profecturus, praefecit suae familiae, ut caeteris familiaribus praerberet cibum suo tempore? Non illi praescribit dominus, quando sit domum rediturus, ne possit in officio cessare: sed quandocumque redierit dominus, nonne beatus erit ille seruus, si offenderit eum fungentem officio suo? Pro certo dico uobis, quod expertus illius fidem, audebit illi maiora credere, praeficietque omnibus bonis suis. Contra, si malus seruus & infidelis dixerit in corde suo: Diutius abest dominus, & fortasse nunquam est rediturus: atque hac spe coeperit percutere co-seruos suos, & neglecta familia, bibat & edat cum temulentis, quam is est futurus infelix, cum dominus uenerit, die quo non expectabat, & hora qua non suspicabatur eum rediturum. Non enim solum submouebitur ab officio suo, uerum etiam dominus dissecabit eum medium, & portionem illius adiunget hypocritis, qui titulum habent Euangelicae functionis, cum factis ipsis pugnent cum Euangelio. Illic pro male dulcibus uoluptatibus, quibus ebrius non obseruauit aduentum domini, intolerabili cruciatu punietur, risu uerso in fletum, & cantilenis in stridorem dentium.

CAP. XXV



Tunc ut penitus insingeret animis suorum Iesus, non esse cessandum aut dormitandum in hac uita, sed assiduo cultu pietatis, & officiis in proximum, parandum uaticum in uitam futuram: nam in resurrectione, sero nos quaesuros, nisi dum tempus erat parauerimus: adiecit parabolam de decem uirginibus, quae sumptis lampadibus suis, exierunt obuiam sponso. Sed ex ijs quinq; erant fatuae, quae sibi de oleo non prospexerant, in sponsi aduentum suffecturo: quod sibi persuaserant non ita subito proditurum sponsum, quin spacium daretur alicunde comparandi olei. Prudentes uero scientes incertum esse tempus, quando proditurus esset spon sus, ne possent imparatae opprimi, simul cum lampadibus & oleum secum extulerunt in uasculis, unde deficientes lampades instaurarent. Quum igitur in longum differret exitum suum spon sus, dormire coeperunt uirgines omnes, ac tandem obdormierunt. Nocte uero intempesta, subito clamor coortus est famulorum euocantium ad occursum. Ecce spon sus adest, prodite obuiam illi. Tunc expergefatae uirgines omnes, adornabant lampades suas. Porro fatuae, quum uiderent subito abeundum medio noctis, nec haberent oleum, iam deficientibus lampadibus, rogauerunt prudentes uirgines, ut sibi de suo oleo non nihil impartirent. At illae responderunt: Veremur, ne quod habemus non sit futurum satis nobis & uobis. Abite potius ad eos qui uendunt oleum, & ab illis emite uobis. Atque interea dum irent emptum, uenit spon sus: & quae paratae erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, moxque clausa est ianua. Tandem ueniunt & fatuae uirgines, pullantque fores ac dicunt: Domine domine, aperi nobis. Quibus spon sus respondit: Profectio non noui uos. Vos igitur ad exemplum prudentium uirginum, serui fidelis ac prouidi patrisfamilias, uigilate & in tempore uobis parate bonorum operum comearum, quia nescitis diem & horam illius aduentus: qui cum subito extiterit, iam non erit amplius tempus benefaciendi: sed cuique ferendum

dicitur praefatum pro retro gestis. Addidit Iesus & aliam parabolam, eximulans discipulos suos ad perpetuum studium bonorum operum, ne committerent ut doctrinam ac dotes ab ipso acceptas, sua negligentia linerent esse steriles, sed studio curaque sua uerterent in utilitatem proximi, seseque praeberent idoneos maioribus donis: qui quod pro suo modulo capere acceptissent, collocassent in lucrum domini sui, qui gaudet tali foenore ditescere. Quidam, inquit, homo peregre proficiscens, uocauit seruos suos, quibus tradidit bona sua: non ut sibi profunderent, sed ut inde domino suo lucrum referrent, unde sortem acceperant. Et huic quidem dedit talentum unum, illi duo, rursus alij quinque, prout quique iudicabat idoneum. Quo facto statim ingressus est iter. Is igitur cui credita fuerant talenta quinque non cessauit, sed statim abiit & ad usuram mutuauit acceptam pecuniam: idque toties, ut tandem usura sortem aequaret, & ex quinque talentis fierent decem. Ad eundem modum cui duo credita fuerant talenta sic usus est illis, ut usura sortem equarit. Porro, cui traditum erat unicum talentum, per ignauiam abiit, & talentum acceptum defodit in terram, sat esse iudicans, si domino suo sortem restitueret. Post diuinam igitur peregrinationem dominus rediit, & exegit a seruis suis, dati & expensi rationem. Et accedens qui quinque talenta acceperat, ex usura retulit & alia quinque, rationem ita reddens: Domine, sortem dederas quinque talentorum, ecce tantundem ex his lucratus sum. Dominus collaudans serui industriam, ait: Euge serue bone ac fidelis, quoniam in paulo pecuniae te comperi fidelem, plura credam tuae fidei: intra in gaudium domini tui. Post hunc accessit & is, cui duo talenta crediderat dominus, & iussus reddere rationem, ait: Domine, sortem duorum talentorum credideras, ecce tantundem adieci ex usura. Dominus & huius industriam collaudans, ait: Euge serue bone ac fidelis: quoniam in exiguo mihi perspecta est fides tua, posthac maiora tuae concedam fidei: intra in gaudium domini tui. Tandem accessit & is, qui talentum acceptum defoderat in terra, ac iussus rationem reddere, non solum non agnoscit culpam inertiae, uerum etiam dominum insimulans austeritatis, & auariciae immodicae, crimen officij neglecti conduplicat. Domine, inquit, sciebam quod esses homo austerus, inde messem colligis, ubi non feceras sementem: & inde congregas lucrum, ubi non sparseras sumptum. Proinde metuens, ne si fors aliquo casu perisset, sauires in me, abijci defodique talentum tuum in terra. Hoc malui quam dum usuram capro, periclitari de sorte. Ecce habes quod tuum est. Si non mereor laudem ob lucrum additum, certe sors curauit ut esset in tuto. Hunc sermonem dominus in ipsius caput retorquens, ait: Serue male & piger noueras, ut ais, me lucrum esse uidisti: colligere messem illinc, ubi non feceram sementem: & congregare prouentum illinc, ubi non feceram sumptum. Tanto magis oportuit te committere pecuniam meam numularijs, & ego qui lucrifeceram illic, ubi non feci sumptum, utique uenturus eram, ac meam pecuniam exacturus cum usura: hoc est inde messurus, ubi seminaueram. Mea erat sors, non tua, industriam tuam seruus debebas domino. Tum uersus ad alios seruos, dixit: Auferte ab hoc inutili seruo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Admirantibus seruis quod ei iuberet addi qui iam abundabat, ait dominus: ita fiet in hoc opum genere. Quisquis habet, dignus est qui plus accipiat, ut exuberet: ceterum qui per ignauiam nihil sibi parauit lucrum, etiam hoc quod habere uidebatur, quoniam indignus est, spoliabitur. Porro seruum illum inutilem submotum ab oculis meis, & abijcite in tenebras externas. Ibi pro gaudio domini sui quod pro meriti noluit, cruciabitur fletu & stridore dentium. Huiusmodi parabola dominus Iesus discipulos suos, & praemiorum magnitudine, & suppliciorum metu extimulauit ad studium euangelicae pietatis, & ad bene merendum de proximo: atque a cessatione & malefaciendi licentia deterruit. Sed idem multo dilucidius fecit extrema narratione: qua & malefitem aduentus sui, & segregationem bonorum a malis qui nunc in ecclesia permixti uiuunt, & utriusque partis diuersa merita diuersaque item praemia, breuiter totam iudicii supreme imaginem subiicit oculis, non ignarus instare diem mortis suae, quo tot sermonibus instructi, non omnino deijcerent animos ob ignominiosam mortem crucis, sed praesentem afflictionem uenturae felicitatis, praesentem ignominiam futurae gloriae contemplatione consolarentur. Neque molirentur, aut optarent ultionem improbis, quos in illo iudicio scient pro suis meritis aeterno supplicio plectendos. Quum autem uenerit, inquit, filius hominis, quem propediem uidebitis humillimum & abiectissimum, cum maiestate sua stipantibus illum omnium angelorum agminibus: tunc uti iudex omnium sedebit in sede maiestatis suae

Domine quin
 que talenta tra
 didisti mihi

Omni . n. ha
 benti dabitur

tis sua, & in conspectum illius conuocabuntur omnes totius orbis nationes. Nullus enim hominum quamlibet excelsus aut humilis poterit illud iudicium effugere. Id non humanis coniecturis, sed exactio dei iudicio peragetur, cuius oculis omnia sunt conspicua. Ac primum separabit bonos à malis, quemadmodum pastor gregem suum dinumeraturus, separat oues ab hœdis. Et oues quidē, hoc est, innoxios ac beneficos statuet ad dextram: hœdos, hoc est, nocentes ac maleficos ad sinistram. Itaq; uniuerso mortalium genere in duos ordines distributo, tamquam iustus iudex utrisq; rationem proferet sui iudicij: ut boni cognoscant, quibus officijs promeruerint tantam felicitatem, & mali audiant, quibus culpis cōmeruerint æterna supplicia. Ac dextrū quidem ordinē placido lætoq; uultu saluans: Venite, inquiet, amici mei, quos mundus quidem despīcitos & execrabiles habuit, sed pater meus pro honoratis & laudabilib. habet. Nūc pro malis quē mea causa perpessus estis, accipite hæreditatem regni cœlestis, quod uobis diuino consilio paratū fuit à deo, omnium rerū præcio, ante conditum mundum. Hoc tanto præmio cōpensare uisum est, officia charitatis erga me uestra, ne uobis perisse putetis. Siquidē olim quū esurirem, uos mihi dedistis cibum: quū sitirem, dedistis potum: quum hospes essem tecloq; egerem, uos me collegistis in domos uestras. Quum nudus essem, operuistis me: quum agrotarem, inuistis me: quum essem in carcere, uos consolandi gratia uenistis ad me: impertistis mihi uestra qualiacunq; , ego uobis nunc uicissim communico totum regnum, quod mihi est cum patre cōmune. Hæc quum audierint iusti, qui sic exercent opera pietatis, ut quodam modo se fecisse nesciant, respondebunt ei, dicentes: Domine quando te uidimus esurientem, & pauimus: quando sitientem, & dedimus potum: Quando te uidimus hospitem, & collegimus sub tecum: aut quando nudum teximus: quando uisimus agrotum: quando carcere clausum adiuimus: Tum rex palam confitebitur sibi uelle imputari, quicquid unicuique fuerit impensum ex his, quos mundus quidē ob inopiam & humilitatem habuit despīcatissimos, ipse tamen adeo non habuit pro contemptis, ut fraterni cognominis honore dignetur. Pro certo, inquiet, dico uobis, tametsi ego nullius egebam subsidio, qui dominus sum rerum omniū, tamen quandiu ista mei respectu fecistis unicuique ex hisce minimis fratribus meis, mihi fecistis. Tum horribili uultu uersus ad eos qui stabunt ad læuam, sententiam proferet formidabilem: Discedite à me quibus mundus applausit, ceterum patri meo mihiq; execrabiles, ite in nunquā extinguendum incendium, quod paratum erat ab orbe cōdito diabolo & angelis eius, quibus adharere maluistis quàm mihi. Etenim quum esurirem, nō dedistis mihi cibum: quum sitirem, non dedistis mihi potum: uagus eram ac teclo egens, nec collegistis me. Nudus eram, nec operuistis me: agrotus eram & in carcere, nec inuistis me. Tum & hi totidem uerbis respondebunt iudici, quibus responderant iusti: Domine, quando te uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudū, aut agrotum, aut in carcere, & nō minis trauius tibi: Tunc rex respondebit & illis: Quicquid horum officiorum negatum est unicuique ex hisce minimis iuxta mundum, sed tamen fratribus meis, mihi negatum esse duco. In his egebam, in his refocillari uolui. Hac prolata sentētia, à qua nulla est appellatio, ibunt qui à sinistris sunt in ignem æternum, iusti autem in uitam æternam.

CAP. XXVI



Scitis quia
post b. pa
scha

VVM itaq; Iesus finisset huiusmodi sermones, quibus tot modis cōfirmarat animos suorum aduersus afflictiones imminentes, ne planè deijcerent, quum mox uiderent dominum suum rapi ad ignominiosum supplicium, tandem palam ausus est illis aperire diem ac modum mortis suæ: cuius mentionem inculcat animis discipulorum, ne quum eam uiderent, uelut ad rem prorsus inexpectatam sic expauescerent, ut penitus desponderent animum: præsertim quum intelligerent Iesum ultro uenisse ad mortem, quam alioqui licuisset effugere: neque prius occidi potuisse quàm adesset ille dies, quem ipse suæ morti præfinierat. Is autem erat dies paschæ, qui magna religione celebrabatur apud Hebræos, anniuersariā memoriā sibi renouantes eius diei, quo quondam apud Aegyptios agni sanguine postibus illito, liberati sunt ab angelo interfecitore, & incolumes mare rubrū transierunt. In huius rei memoriā quotannis immolabant agnum anniculum immaculatum, eumq; ab angeli transitu mariq; feliciter transito, uocabant phase. Ceterum hæc erat imago Iesu Christi, totum orbem à peccati tyrannide suo sacrosancto sanguine redempturi, qui solus omnium à peccatorum

atorum maculis fuit immunis. Huiusce rei discipulos submonens Iesus, ait: Scitis post
biduum immolandū pascha, atq; eo die filius hominis tradetur ad crucifigendum. Quum
igitur immineret dies ille sacer ac latus, cui celebrando cōueniebat p̄is operibus prepara
ri, congregati sunt principes sacerdotum & seniores; quorū autoritate decuerat populi fu
rorem cohiberi, si quis extitisset. Congregati sunt autem in atrium principis sacerdotum,
qui dicebatur Caiaphas. Nam hi potissimum conspirarunt in Iesum, quod metuerent, ne
si ille esset incolumis, sibi suus periret quæstus & autoritas. Illic igitur impio consilio de
cretum est, ut nō palam ac uī, sed dolo Iesu manus inijcerent & occiderēt. Ergo quū de ho
micidio cōueniret inter male concordēs proceres: consultatū est de tempore. Quamquam
enim uehementer striebant sanguinem innoxium, liuore & odio rabidi, tamen uisum est
in aliud tempus differre cædem, quod immineret in proximo dies ille præcipue sacer ac
festus Iudæis. Verebantur enim, ne si illum aggressi fuissent, eo die quo populus solet fre
quentissime conuenire, tumultus aliquis exoriretur, propterea quod non pauci essent in
populo, qui miraculis conspectis, & audita doctrina mirabili, & animaduersa morum in
credibili mansuetudine, magnificè de illo sentirent. Metuebant plebem, qui non metue
bant deum: nec ueiebantur homicidio polluere diem festum, qui non ausi fuissent uesci
panibus fermentatis. Hoc consilium illis satanas suggestit, cupiens occulare uictimam il
lam, orbi salutem allaturam. Sed aliter uisum est consilio diuino. Neq; enim decuit eā ho
stiam furtim abijci, quam pater uoluit non pro Iudaicæ gentis tantum, sed pro totius tri
am mūdi salute immolari. Quum igitur Iesus esset in Bethania, uicinus Hierosolymis ubi
erat crucifigendus, & accumberet in domo Simonis cuiusdā cognomento leprosi, adiit
eum mulier quædam habens alabastrum unguenti preciosi, fractaq; alabastro, unguen
tum effudit in caput eius. Discipuli quum uiderent rem tanti pretij semel effusam, obmur
murant indignantes. Sciebant enim Iesum huiusmodi delicijs nequaquam uti solitum, &
magis ex animo illius futurum fuisse, si mulier alabastrum integram tradidisset, ut unguen
ti diuenditi precio subleuarentur inopes: Quorsum, inquiunt, tam preciosæ rei iacturæ
Poterat enim uendi magno, ac precium dari pauperibus. Hæc discipuli, nō intelligentes
quo consilio passus sit hoc Iesus. Neq; enim huiusmodi delicijs capiebatur, sed hoc hono
re decorari uoluit mortem suam, quam nulla necessitate, sed sponte pro totius mundi salu
te passurus erat. Quum enim per omnem uitam humillime se gesserit, mortem tamē qua
deuicturus erat diabolus, aliqua magnificentia cohonestauit. Eoq; semel cum triumphā
li pompa uictus est Hierosolymam: & tum sepulturæ suæ honorem uelut anticipans, un
guento perfusus est: & mortuus, in sepulchro nouo, exciso lapide recondi uoluit: & sin
cadauera unguentis preciosis oblini, siue honoris gratia, siue quo tueantur corpus aduer
sus putrefactionem. Quoniam autem sciebat se prius reuicturū quā hoc honoris exhibe
rent amici, ante mortē sepulturæ pompam exhiberi passus est: uidelicet ut multis modis
mortis suæ mentionem suorū animis infingeret, & horrorem eius mitigaret honore. Quum
igitur discipuli rerum harum ignari, de sumptu murmurarent, cohibuit eos Iesus, dicens:
Quid estis huic mulieri molesti? piū officium mihi morituro præstitit. Non decet ut
hunc honorem ultimum mihi inuideatis. Pauperes uulgares semper habetis uobiscum,
quibus licebit benefacere, me non semper habebitis. Non perijt hoc unguentum, sed mu
lier hæc ceu præfagiens me breui moriturum, præuenit officio sepulturæ meæ: & uiuo
infundit, quod mortuo solet infundi. Nolite itaq; huius obrectare pietati: quæ adeo gra
ta est deo, ut posteaquā Euangelium mortis meæ prædicabitur per uniuersum mundum,
simul & huius mulieris futura sit mentio, quæ pio sanctoq; officio meam præuenerit sepul
turam. Hæc oratio quum repressisset aliorū indignationem, qui simpliciter errabant, igna
rimysterij, tamen Iudam Iscariotem nequaquā placabat, qui falso prætexerat curā pau
perum, quum illi magis esset cordi lucrum. Nam is gestabat oculos, suffurari solitus non
mihil ex his quæ pauperibus distribuenda dabantur à munificis amicis Iesu. Hinc ille sibi
paulatim censum augebat. Quū igitur esset totus addictus teterrimo auaritiæ morbo, quod
sibi in unguento perisse credebat, id ex domini precio pensare uolens, adiit principes sa
cerdotum ac magistratus, quos sciebat certis animis conspirasse in necem Iesu: neq; quic
quam esse in mora, nisi ut sine tumultu caperetur. Ad id efficiendum nemo magis idoneus
Tom. 7 i 3 quam

Non in
die festoPauperes sem
per habebitis

quàm aliquis ex eorum numero, qui proximè familiaritate domino iungebantur, quos non fallebat quò se solitus esset conferre Iesus. Habebat enim secessus suos ad precandū. Et inuentus est in illo selectissimo choro duodecim, quos sibi Christus omnium primos asciuerat, cui charius esset impium lucrum quàm dominus tam mitis ac beneficus. Tanta pestis est auaritia, si cuius animum penitus occuparit. Voluit autem Iesus hac imagine significare futuros, qui sermonē Euangelicum proderent, studio pecuniæ corrupti: & hoc facinus maxime profecturum ab his, qui quum sint ecclesiastica religionis procures, consij uidentur arcanorum domini sui: cui sic sunt familiares, ut eius doctrinam perperam interpretando prodant impijs ac prophanis magistratibus, nihil aliud captantibus quàm exitium euangelicæ ueritatis. Aditis igitur magistratibus dixit: Quid dabitis mihi mercedis, si uobis eum in manus tradidero? Atq; illi pacti sunt cum eo triginta denarijs. Tantula mercede ad facinus immanissimum conduci poterat, tamq; uis æstimatus est preciosus ille sanguis, qui sufficebat uniuerso mortaliū generi redimendo. Auidus igitur & inhians promissæ pecuniæ Iudas statim ex eo tempore captabat oportunitatem prodendi Iesum. Quum igitur adesset primus dies è seprē, quibus solenne erat Iudæis abstinere à pane fermentato, etiam post esum agni paschalis, adeunt Iesum discipuli, dicentes: Domine, quo loco uis paremus tibi conuiuium ad celebrandum pascha? Tanta erat inopia, ut nec ipse, nec discipuli domicilium haberent proprium, quò se reciperent. At Iesus ut ostenderet totum negotium esse mysticum, nec casu geri, nec necessitate, sed omnia ex præscientia consilioq; diuino, respondit illis: Ite in ciuitatem, ac mox ingressis occurret homo quidā baiulans hydriam aquæ: eum sequemini, & quocunq; fuerit ingressus, ingrediemini, dicetisq; patrifamiliâs: Magister dicit: Tempus meum instat, apud te celebros pascha cum discipulis meis. Is uobis ostendet coenaculum ingens & adornatum, ibi parate pascha. Abierunt discipuli, & compererunt omnia quæ prædixerat illis Iesus, ac loco quo iusserat apparuerunt illi conuiuiū. Sub uesperam autē eo se contulit Iesus, et coenaturus accubuit cum duodecim discipulis suis. Iamq; coenatis ait illis Iesus: Vnus uestrū me proditurus est. Hoc dixit, ut declararet se nihil omnino latere, simulq; ut tacta conscientia proditoris resipisceret ad poenitentiam. Hoc audito sermone, moeror ingens coepit animos omnium. Sibi quisq; suspectus erat ac diffidebat, conscius imbecillitatis humanæ. Cupientes igitur hac moeritudine liberari, rogare coeperunt singuli: Num ego sum domine? Tum Iesus ut cæteros moerore propemodum exanimatos, aliquo pacto confirmaret, acriusq; feriret Iudæ conscientiam, si fortè posset ad poenitudinem commoueri, signo certiore designauit autem rem eius facinoris, simulq; commonefecit arctissimæ familiaritatis quæ debuerat illum à tam uasano scelere reuocare: Qui manum, inquit, intinxit mecum in catino, & non mensæ solum, sed & catini sodalis est, hic est me proditurus, proq; familiaritatis officio plus q; hostilia redditurus, cum panis & salis cōmunio soleat etiam ignotos amicitiaæ fœdere iungere. Atq; hæc quidem ut acciderent filio hominis, sic erat præsumitum à patre, sic prædictum à prophetis. Sed tamen uæ homini illi, cuius scelere filius hominis proditur. Abutitur quidem illius impietate sapiētia diuina ad salutē humani generis: sed non ideo minus nocens ille, qui sua malitia ad hoc facinus perductus est, quū à me nihil sit ommissum, quod illius animo mederi potuisset. Itaq; manet illum pro facto tam impio, poena crudelissima, nisi resipiscat, ut præstiterit illi non omnino fuisse natum. Hac oratione quæ uel pudore sanare poterat improbū, uel poena deterrere impium, adeo nō est correctus Iudas, ut impudentiam etiam addens sceleri, quasi nullius mali sibi conscius, rogauerit dominum: Num ego sum is rabbi? Nec hic suæ lenitatis oblitus Iesus, respondit: Tu dixisti: indicans eū esse magis quàm explicans: ac suspicionem simulat, dissimulans scientiam. In hac igitur extrema coena, quā Iesus egit cum discipulis suis ante mortē suam, instituit sacrosanctum illud symbolū mortis suæ: ut subinde renouatū inter eos esset perpetuū monumentum immeritæ charitatis ipsius, qua non dubitauit uitam suā impendere redimendo mortaliū generi: ne quando posset elabi ex animis nostris diuini illius sacrificij memoria, qua purissimus agnus nouū ac uerum pascha, semetipsum immolauit in ara pro nobis deo patri, quē suo sanguine nobis ex irato propitium reddidit, pro nostris cōmissis ipse dependens poenas quæ nostris sceleribus debebantur. Hoc autē symbolum arcanū duabus rebus cōsecrauit, quibus inter homines olim solet amicitia conciliari: ut ea charitas qua Christus seipsum impendit

inpendit suis, nos quoque copularet: qui frequenter & ipsi ex eodem pane comedimus, de
 eodem poculo bibimus: simulque spirituali quadam imagine referens ritus Moisaica legis,
 iuxta quam nulla fiebat expiatio à peccatis, nisi per sanguinem hostiæ: præterea significatio
 sese nouum fœdus euangelicæ professionis huiusmodi mysterio consecrare. Moses enim
 quum recitasset uolumen quo continebantur præcepta legalia, populusque respondisset:
 Omnia quæ locutus est dominus, faciemus, & erimus obediētes: ex uictimis quas macta
 rat, parte sanguinis cratere hausta, asperxit populū, dicens: Hic est sanguis fœderis, quod
 pepigit dominus uobiscum super omnibus sermonibus his. Atque hæc quidem omnia si
 guris quibusdā & umbris designarant hanc sacrosanctā hostiam, qua dominus Iesus suū
 corpus sponte tradens in mortem, & sanguinem suum effundens, expiaturus erat totius
 mundi peccata, cunctos homines gratuito reconcilians deo, quicumque fœdus hoc noui testa
 menti profiterent. Eā uictimā, hoc fœdus signis quibusdā mysticis cōmendari uoluit ani
 mis suorum discipulorū, antequam immolaretur: ut intelligerent suā mortē non esse uulgare;
 nec ociosam, sed efficacem uictimā ad expianda peccata, nō solū Iudæorum, sed omnium
 gentiū ac seculorū. Cæterum quoniam mors Christi nō erat iteranda, ne quando tantum
 beneficium elabi posset ex animis hominum, neque sacrosancti fœderis semel initi, cum sa
 lutis suæ autore possent obliuisci, instituit, ut crebra communione sacri panis & calicis,
 memoria renouaretur inter euangelicæ legis professores. Atque hoc signum inter suos mi
 lites sacrosanctum esse uoluit, adeoque uenerandum, ut quemadmodū multum diuinæ gra
 tiæ adderetur ijs qui purē digneque sumerent corpus & sanguinem domini: ita qui sume
 rent indigne, sibi grauem damnationem accerferent. Accepit igitur Iesus panem in ma
 nus suas, quumque deo laudis sacrificium obtulisset, fregit ac distribuit discipulis suis, dicens:
 Accipite comedite, hoc est corpus meum. Deinde accepit & poculum in manus, quūque
 gratias egisset patri, præbuit ac portexit illis, dicens: Bibite ex hoc poculo omnes. Hic est
 enim sanguis meus, noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionē peccatorū.
 Hoc quotiescunque facietis, facite in memoriā mei. Quoties enim edetis ex hoc pane, & ex
 hoc poculo bibetis, mortem domini annuntiabitis, donec adueniat, non iam seruator, sed
 iudex. Interim non erit expectanda alia hostia pro peccatis, quandoquidem hæc una suf
 ficit, pro abolendis peccatis totius mundi. Dico autem uobis, non edam posthac ex hoc
 pane, donec edero uobiscum completum in regno patris mei, nec amplius bibam ex hoc
 fructu uitæ, donec bibero uobiscum nouum in regno patris mei. Nec Iudam proditorem
 ab hoc sacro symbolo semouit clementissimus dominus, ut hac tanta lenitate corrigere
 tur. Sed quoniam ille fœderis signum accepit, quum prodicionem haberet in animo, di
 scessit impurius quam uenerat. Quumque cecinissent hymnum in laudem dei, surrexerunt
 & abierunt in montem Oliueti, quem locum sciebat esse notissimum proditori, ne uidere
 tur latitare uelle, ueluti mortis metuens: sed ultro se subducit in locum solitarium, ut quod
 illi captabant, absque populi tumultu capi posset. Ibi rursus prædicat discipulis fore, ut
 mox grauiter turbarentur, uiso domini supplicio: sed ne penitus abijciant animum, con
 solatur eos prophetia, & mox futura resurrectione, simul tempus, locumque uicinum desi
 gnans, ubi rursus ipsum essent conspecturi: Omnes, inquit, uos turbamini hac nocte mea
 causa: sic enim deus pater prædixit per os Zachariæ prophetæ: Percutiam pastorem, &
 dispergentur oues gregis. Sed non est quod desperetis, mors animos uestros conturba
 bit, sed mox consolabitur resurrectio. Resurgam enim tertio die, & ubi resurrexero præ
 cedam uos in Galilæam. Ibi me uobis conspiciendum offeram. In hanc perturbationem
 Iesus passus est omnes suos incidere, quo factis ipsis doceret eos quanta sit imbecillitas
 humanæ naturæ, quam sit stultum hominem sibi fidere, quo sui facto periculo, discernerent
 & aliorum infirmitatem subleuare. Petrus itaque non satis sibi notus, fortitudine qua
 dam humana ac temporaria negat futurum, quod Christus ex prophetia futurum prædi
 xerat, quodque maioris erat temeritatis, unum se cæteris omnibus anteponebat: Et si omnes,
 inquit, perturbati fuerint tua causa, ego tamen non perturbabor. Ad quem Iesus: Quid
 ais Petre, tu solus omnium non perturbaberis? Imò illud pro certo dico tibi, priusquam
 gallus hac nocte bis cantet, ter me abnegabis. Ac ne sic quidem Petrus agnoscens imbecil
 litatem suam, pertinaciter respondit: Etiam si mihi tecum moriendū fuerit, non te abnega
 bo. At Petri temeritatē imitati sunt & reliqui apostoli, Christū & ipsi abnegaturi, si simi
 lis

lis illos arctasset necessitas, quæ Petrum. Tum Iesus sciens instare tempus quo ventura esset tempestas suprema, abduxit discipulos suos undecim (nā Iudas exierat à cœna) in uillam, quæ dicitur Gethsemani. Hic iussit octo subsidere, qui tamen agere diuellebantur à magistro, quem amabant uehementer quidem, sed tamen affectu adhuc humano: Commoremmini, inquit, hoc loco, donec secedam in locum solitum, & orem illic. Non ausus est enim hos uelut imbecilliores agonis sui testes facere, ne deficerent animis, sed tres duntaxat secum assumit, Petrum ac duos filios Zebedæi: ut quos in monte spectatores adhibuerat suæ maiestatis, nunc testes haberet extremæ imbecillitatis humanæ: simulq; doceret, ut quoties ingruit huiusmodi malorum tempestas atrocior quàm ut humanæ uires ferre possint, prorsus diffusi nobis, totos nos diuino præsidio cōmittamus. Est aut mortis horror, si quando corripuit hominem, uel ipsa morte acerbior. Hic igitur tum cœpit inuadere Iesum, sensitq; mirum animi dolorem ac mœrorem. Nec enim animi cruciatum obscurum esse uoluit suis amicis selectis, quo plane uiderent illum esse uerè hominem, corporis pariter atq; animi affectionibus obnoxium: Mœsta, inquit, est anima mea usque ad mortem. Subsistite hic & uigilate mecum, tempus enim hoc non somnum postulat, sed uigilantem & intentam deprecationem. Progressus igitur pusillum Iesus à tribus discipulis, prono capite faciem deflexit in terram, atq; ita prostratus patrem deprecatus est dicens: pater mi, si fieri potest, transfer hoc mortis poculum à me, nam sentio corporis affectum uehementer abhorrentem à morte. Veruntamen fiat, non quod ego uolo, iuxta corporis imbecillitatem, sed quod tu uis ad salutem humani generis. Hæc precatus rediit ad discipulos suos, ac reperit eos dormientes: dicitq; Petro: Siccine, qui modo iactabas te moriturum mecum, non potuisti uel unam horam uigilare mecum: Ego pro uobis uigilo & oro. Vos unà mecum uigilate & orate patrē, ne incidatis in tentationem, & superemini. Nō nisi uigilantibus cōtingit uictoria. Spiritus quidē promptus est, sed caro est infirma. Hæc igitur ne spiritū obruat uigilandum est, & spiritus auxilio diuino fulciendus. Sic excitatis suis, rursus abiit Iesus, atq; iterū totidem uerbis orauit patrē: Pater mi si fieri nō potest, ut poculum hoc transeat à me, nisi bibero ex eo, fiat uoluntas tua. Deinde denuo reuersus est ad discipulos suos, ac rursus eos repperit dormientes. Erant enim oculi eorum uehemēter grauati, mœrore conduplicante somnolentiā. Itaq; relictis illis, tertio abiit solus oraturus pro suis, quādoquidē illos carnis imbecillitas obruebat. Ac tertio precatus est eodē sermone, quo nos doceret pertinaciter ac uehementer orandum, quoties imminet procella tentationis: tum enim adsunt angeli, & robur addunt spiritui. Mox rediit ad discipulos, & exprobrauit illis intempestiuam somnolentiā, quum tempus summam exigeret uigilantiam. Iam inquiens adest tēpestas, quæ uos imparatos & ideo impares reperiet. Iam, inquit, dormite & quiescite. En adest hora, qua filius hominis innocēs tradetur in manus impiorum. Surgite igitur, eamus obuiā uenienti malo. Ecce in proximo est qui me prodit. Nondum finierat hunc sermonem Iesus, & ecce Iudas Iscariotes unus è numero duodecim, uenit, dudum Iesum ducem sequens, nunc factus sceleratæ turmæ dux scelerator. Sequebatur enim illū ingens turba satellitum, cum gladijs & fustibus, quos in hoc miserant principes sacerdotum ac seniores populi, ut absq; tumultu populi caperet Iesus. Quāq; enim decreuerant facinus hoc in aliud tempus proferre, tamē oblata proditoris opportunitate, mutauere sententiā. Eoq; Iudas & noctem delegerat, & locum in quo solitus erat cum paucis orare. Deniq; ne uel in persona errarent, proditor docuerat illos, quo signo Iesumi agnoscerent: Cuicunq; inquit, dederō osculū, ille est, inijcite illi manus. Præcessit igitur Iudas Iscariotes, ac ueluti salutandī causa adiit Iesum dicens: Aue rabbi, simulq; dedit osculum, quod olim honoris & officij gratia fieri consueuit à salutantibus. Iesus autem quo perfectum ubique mansuetudinis exemplar præberet suis, nec impiū discipulum ab osculo repulit, nec exprobrauit illi suam uasaniā, sed blando dicto tetigit illius conscientiam, dicens: Amice cuius rei gratia uenisti? Sic enim accesserat cum osculo, quasi nouæ rei quippiā dicturus. Ad hoc signum accurrit turba, & manus iniecerunt in Iesum, ac tenuerunt eum. Ad hunc tumultum uehementer cōmoti sunt discipulorū animi, quos ideo Iesus passus est in hunc affectū prolabi, ut omnem ulciscendi defendendiq; sui cupiditatem penitus ex animis eorum reuelleret. Ac Petrus quidem, uel quia cæteris ubiq; feruentior, uel quia magnifica quædam de se pollicitus fuerat, ne domino suo deesse uideretur, educto

*Amice ad
quid uenisti*

audito gladio percussit Malchum seruum Caiaphæ, & amputauit auriculam eius dexteram, sicutum moderante Iesu, ut & leue uulnus esset, & id quicquid erat mox sanaretur, restituta auricula: Cæterum Petrus pio quodam erga dominum amore errauerat, & hunc errorem propemodum ex uerbis Iesu non intellectis hauserat. Iusserat enim eos diuendita tunica emere gladios: quumq; respondissent adesse gladios duos, aiebat, sufficit. At illi putantes de ferro gladio loqui, quum Iesus de gladio spiritali sentiret, à cœna gladios secum extulerant, defensuri dominum suum, si res ita tulisset, aut si ille iussisset. Ut igitur hunc affectum penitus reuelleret ex animis omnium discipulorum, acriter oburgauit Petrum. Repone, inquit, gladium in locum suum. Qui gladio rem gerunt, gladio pereunt, ultionis ratione recipiente in caput ipsorum. Nobis non est opus isthac defensione, qui tolerando melius uincimus quam occidendo. Alioquin an mihi putas defutura præsidia, si placeret ista defensio? An non possem rogare patrem meum, & is mihi pro duodecim discipulis, mitteret auxilio duodecim legiones angelorum? Sed ita uisum est patri, ita prædictum est à prophetis. Neque quicquam horum casu fortuito uel geritur. Tum Iesus conuersus ad turbam dixit: nunc armati gladijs & fustibus prodistis ad comprehendendum me. Atqui quum quotidie sederem apud uos in templo, docens & sanans agrotos, non mihi iniiciebatis manus. Nunc nocte intempesta, silentem quatitis in secretis. Sed hæc omnia fiunt, non uestra uolentia, sed dispensatione consilij diuini, de quo olim uaticinata sunt scripturæ prophetarum. Hoc audito, discipuli uidentes nullam esse spem, Iesu sese offerente ad necem, deserto domino fugerunt. Illi uero nec commemoratione doctrinæ beneficentiaq; Iesu delinuti, captum adduxerunt ad doctum Caiaphæ principis sacerdotum, quò scribæ & seniores conuenerant. Petrus autem solus, nam ceteri discipuli metu territi alius alio fugerant, tamen si non successerat pugna, tamen non poterat omnino abijcere curam domini, quem uehementer amabat: nec rursus audebat adesse: sequitur tamen, ut cunque procul, ac tandem per tenebras ingressus est ignotus in atrium Caiaphæ. Mox ingressus intro, sedebat admixtus ministris, ad prunas calefaciens, sicut quando non poterat defendere Iesum, saltem uideret quis esset exitus iudicij. Siquidem adhuc nonnulla spes aiebat animum Petri. Porro principes sacerdotum totumq; concilium, quo speciem aliquam legitimi iudicij prætexerent, subornare studebant, falsos testes aduersus Iesum, cuius tanta erat innocentia, ut hoc quoque difficile fuerit, sic de illo mentiri, ut aliquam ueri faciem haberet mendacium. Quumq; multi prodissent falsi testes, sed quorum ipsa se testimonia refellerent, adeò male composita, ut nec apud illos iudices, & apud talem coronam haberentur idonea: tandem prodeunt duo falsi testes qui dixerunt: Hic dixit: possum destruere templum dei, & post triduum instaurare illud. Huius mendacij occasionem sumpserant ex uerbis Christi, qui dixerat: Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud: nimirum significans se quidem ab illis occidendum, sed intra triduum reuicturum. Ea uerba non intellecta, deprauabant etiam testes, quo res esset odiosior. Non enim dixit, possum destruere, sed soluite uos: nec dixerat, reedificabo, sed suscitabo, alludens ad corpus exanimandum & reuicturum. Hoc igitur testimonium, quoniam aliquid ponderis habere uidebatur, nec reperiabatur aliud magis idoneum, surrexit princeps sacerdotum, & iudicis æqui simulans imaginem, quasi Iesu facturus potestatem defendendi sui, dixit: Nihil respondes ad hæc testimonia quæ feruntur aduersus te? Iesus autem obticuit, sciens quicquid dicturus esset, rapiendum in calumniâ. Tum princeps sacerdotum cupiens extorquere nonnihil unde condemnaretur Iesus, iam enim illius uersa nix longa erat omnismora, ait illi: Adiuro te per deum uiuum ut dicas nobis, an tu sis Christus filius dei. Erat hoc insidiosum problema pontificis impij. Si negasset se filium dei, exclamasset, cur igitur tibi sumis quod non es? Si affirmasset, calumniaturus erat blasphemiam. Si obticuisse adiuratus, uisus fuisset contemnere deum, & auctoritatem summi sacerdotis. Qualis autem erat qui adiurabat? Scelestus pontifex, qui honorẽ annuũ pecunia mercatus fuerat ab Herode: & per deum adiurat, qui filium dei oppugnabat. Iesus tamen ueluti dei ferens honori quem gerebat, rogatus an esset Christus filius dei, respondit: Tu dixisti, sic confitens esse se quod erat, ut tamen uitaret arrogantia notam. Et adiecit, quod impium pontificem ab instituto facinore debuerat reuocare: Attamen, inquiens, illud dico uobis, posthac uidebitis filium hominis assidentem dextrum uirtuti dei, cumq; maiestate uenientem.

A iuro te
per deum

tem in nubibus coeli. Subindicabat se tum humilem & ab impijs condemnatum, olivam uenturum cum potestate diuina, iudicem totius mundi. Hoc sermone magis etiam irritatus princeps sacerdotum, quo ficto religionis studio, Christi crimen faceret atrocius, discedit uestimenta sua, & ait: Loquutus est blasphemiam. Vsurpat sibi diuinos honores, cum sit homo. Quid praeterea testibus opus est? Ecce nunc audistis blasphemiam manifestam. Quid uobis uidetur? Illi responderunt: Comeruit mortem. Tunc uelut in iure damnatum sauire coeperunt ludibrij, quorum nihil non mansuetissime passus est Iesus, ut absolutum exemplum tolerantiae suis exhiberet. Expuebant in faciem eius, & uelata facie eius, impingebant illi comphos. Rursus alij palmas incutiebat in faciem eius, dicentes: Vaticinare nobis Christe, quis est qui te percussit. His contumelijs exprobrabant ei, quod Messias haberi uoluisset, quod propheta titulo fuisset a populo honoratus. Interea Petrus sedebat foris in atrio, procul contemplans triste spectaculum, & operiens exitum rei, nec audens accedere propius, ne a ministris agnosceretur. Et adiit eum ancilla quaedam, noscens illum, & ait: Tu quoque fuisti affectator istius Galilei. Hic Petrus ad ancillae uocem exanimatus, & oblitus illius magnificae uocis, qua dixerat Christo: Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo: coram omnibus abnegauit dominum suum dicens: Nescio quid dicas. Et continuo gallus cantauit. Quum autem parat exire, in ipsis foribus uidit illum altera ancilla, quae prodens illum ministris astantibus, ait: & hic erat cum Iesu Nazareno. & rursus abnegauit, adiurans se non nouisse hominem. Ac paulo post quidam ex his qui astant, agnoscens Petrum dicebant: profecto & tu ex hoc numero es. Siquidem non facies solum, sed & sermo tuus te prodit, quod Galilaeus sis. Tunc magis etiam expauescens Petrus, coepit non solum abiurare Iesum, sed & execrationibus deuouere seipsum, si nouisset hominem. Et continuo gallus iterum cantauit. Post haec intuitus est illum Iesus, & oculis illi loquens admonuit. Tunc demum Petrus ad se reuersus, recordatus est quod ipsi praedixerat Iesus, iacenti fortitudinem suam, priusquam Gallus bis cantet, ter me negabis. Quoniam autem expauescens metu peccarat imbecillitate humana, non destinata malicia, meruit misericordiam. Passus est hoc Christus in suo apostolo selectio, ne quis, quamuis grauiter lapsus desperaret de uenia, modo resipiscat, & animi maculam lacrimis abluat. Petrus enim qui sibi uelut exciderat, ad intuitum Iesu statim resipuit. Et egressus foras fleuit amare.

Et recordatus est Petrus

CAPUT XXVII

Ite igitur impijs & crudelibus factis ea nox peruigilata est religionis antistitibus. Porro quum appeteret dies, rursus inierunt consilium principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderet. Vinculum itaque tradiderunt Pontio Pilato praesidi, ut in damnatum animaduerneret. Hic Iudas qui prodiderat eum, uidens quod iam damnatus esset, & ad extrema per tenderent, actus poenitentia, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus populi dicens: Peccaui qui prodiderim sanguinem innoxium. Huius certe confessio debuerat commouere principum animos. Fatetur avaritiae morbo factum, & innocentem fatetur, quem prodidit. At illi prorsus efferati, nec aliud quam innoxium sanguinem sitientes responderunt: Quid nostra refert, an nocentem prodideris, an innocentem? Tu uideris. Iudas tam lucri poenitens, cupiebat pacta rescindere, sed illorum crudelitas nullo modo potuit mitescere. Iudas igitur abiectis ad pedes illorum argenteis, recessit, & impius scelus grauiore scelere cumulauit. Agnouit magnitudinem sceleris sui, sed non agnouit magnitudinem misericordiae diuinae. Fleuit Petrus amare, & misericordiam consequutus est. Fleuit & Iudas, sed abiectio magis animo quam conuerso, & ideo digressus suspendit se laqueo, & crepuit medius, & effusa sunt uiscera eius. Hinc rursus consultatio inter principes sacerdotum, qui quo notior esset omnibus ipsorum immanitas, nihil absque communi consilio peragebant. Deliberant in quem usum essent collocandi triginta argentei, quos Iudas ad pedes illorum abiecerat. Et praepostere religiosi, quum illis nulla esset religio occidere innoxium, & sic de ipsis meritum: Non est phas, inquit, pecuniam hanc referre in corbonam, hoc est, in donaria templi, quibus multum religionis tribui uolebant. Est enim pretium sanguinis. Non oportet autem templi sanctimoniam sanguine pollui. Atque interim produnt sceleratam conscientiam suam, confitentes innoxium, cuius prodicionem emerant. Itaque ne non esset scelus omnium commune, coacto concilio, mercati sunt

Peccauit tradens sanguinem iustum

in pecunia agrum figuli cuiusdam: uidelicet in pios usus, ut illic sepelirentur peregrini, ueluti scelus quod erat in manibus, hoc officio pensaturi. Et tamen hac uia pessime conseruauerunt suam famam. Nec enim alio pacto poterant magis traducere suam impietatem. Si quidem res adeo uenit in fabulam uulgi, ut hodie quoque ager ille Syris dicatur Acheldema, hoc est ager sanguinis. Nec hoc fortuito factum est, siquidem hoc fore praedixerat Hieremias: Et acceperunt triginta argenteos precium appreciati, quod appreciauerunt à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus. Quum igitur Iesus staret ante praesidem, ueluti reus, instanter accusabant eum de multis, silentes interim de blasphemia, de religione templi uiolata, deque aduentu filij hominis, quibus rebus sciebant Pilatum alienum ab huiusmodi superstitione leuiter commouendum esse, ingerunt alia ficta crimina, quae praesidis animum in Iesum possent accendere. Hunc, inquit, comprehendimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Caesari, & dicentem se Christum regem esse. Pilatus audita mentione regis, quoniam hoc ad Caesarem pertinere uidebatur, rogauit Iesum, Tunc es rex Iudaeorum? Iesus ne nihil respondendo superbus uideretur, ait: Tu dicis. Non omnino negans se regem, sed tamen addens regnum suum spirituale esse, non mundanum, ut hoc nihil ad Caesarem aut Herodem pertineret. Rursum quum instarent accusatores, Pilatus cupiens ex ipso elicere quo liberaretur: non audis, inquit, quam atrociam crimina impingunt isti? Iesus autem ad haec nihil omnino respondit, ita ut uehementer admiraretur praeses, hominem innoxium, in periculo capitis, tanta mansuetudine obtinescere. Pilatus ex ipso uultu habitumque Iesu perspicuens illum procul abesse à suspicionem affectati regni, ait ad principes sacerdotum & horum comites: Non reperio quicquam noxiae capitalis in hoc homine. At illi tanto magis inualecebant dicentes: Seditiosus est, commouit populum doctrina sua, obambulans per uniuersam Iudaeam, exorsus à Galilaea, ad hunc usque locum. Pilatus intelligens innoxium esse Iesum, sed sacerdotes & scribas inuidia stimulos moliri quod moliebantur, ideoque captans occasionem absoluenti Iesum, aut certe à suo tribunali ablegandi, cum audisset nomen Galilaea, rogabat cuius esset Iesus: cumque cognouisset, quod oriundus ex ea parte Galilaea, cui imperabat Herodes, remisit eum ad Herodem, qui tum forte Hierosolymis erat. Herodes autem conspecto Iesu, uehementer gauisus est, multum enim temporis erat, quod tenebatur cupiditate uidendi Iesu, propterea quod fama prodigiosa quadam de illo sparserat. Itaque sperabat fore, ut apud se quodque miraculum aliquod aederet. Quumque multis de rebus percontaretur illum Herodes, Iesus nihil respondit, qui non in hoc uenerat, ut principum curiositatem delectaret, sed ut hominum saluti consuleret. Quumque & apud hunc multis nominibus accusaretur, neque quicquam responderet, spreuit illum Herodes cum sua cohorte: ac ludibrij causa ueste alba indutum, remisit ad Pilatum. Atque hac occasione facti sunt amici Pilatus & Herodes, quum antea dissidium fuisset inter eos. Pilatus itaque conuocatis principibus sacerdotum, magistratibus ac plebe, testatus est se nihil compersisse in Iesu criminum, quae illi multa obijciebant: quin & Herodem uelut infontem dimisisse, non facturum, si cui capitali crimini iudicasset obnoxium. Vt autem placaret inuidiam Iudaeorum: Emendatum, inquit, illum dimittam. Cumque nihil his uerbis proficeretur, quaerit aliam ansam liberandi Iesum. Mos erat apud Iudaeos, ut in die festo religionis gratia, praeses dimitteret eis unum aliquem ex ijs qui seruabantur in uinculis. Habebat autem tum in uinculis insignem quendam ac famosum latronem, cui nomen Barrabas, quod nomen sciebat inuisum populo. Conuocatis igitur ad se Iudaeis, rogabat, utrum uellent sibi condonari, Barrabam an Iesum, sperans fore, ut praetam infami notaeque uoluntate latrone mallent absolui Iesum: At iterum sedente pro tribunali praeside, mittit ad eum uxor, qui diceret illi suo nomine ne se contaminaret sanguine hominis innoxij: se enim uisis horribilibus ea nocte fuisse Iesu causa uexatam. Nec hoc temere accidit, sed dispensatione diuina, ne quis esset, unde non haberet testimonium innocentiae suae Iesus. Illud enim magnopere referebat, ut constaret omnibus, mortem eam nobis redimendis fuisse gratis impensam. Cumque populus nutaret, utrum mallent sibi donari, suum sacerdotum & seniorum factum est, ut sibi poscerent Barrabam, & huius loco Iesus occideretur. Tale est iudicium, & haec est gratitudo populi: haec est simulata sacerdotum ac maiorum religio. Religio erat illis ingredi praetorium Pilati, quo puri comederent agnum pascha

Tu es rex Iudaeorum

Nihil tibi in isto illi

paschalem: & religio non erat innoxium, tot uirtutibus ac beneficijs spectatum, tanta ue-
 sania ad mortem adigere. Pilatus itaq; rursus proposuit, utrum uellet dimitti, Barrabam
 an Iesum. Illi acclamabant, Barrabam. Rursus Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu, qui di-
 citur Christus? Sperans fore, ut mitiore quadam poena forent contenti. At illi magno uo-
 cum cōsensu acclamarunt, crucifigatur. Erat hoc supplicij genus ut atrox, ita cum primis
 infame. Rursus Pilatus: Crucifigam innoxium? Quid commeruit? Nihil in eo compe-
 rio dignum supplicio capitis. Castigatum itaq; dimittam illum. His uerbis magis etiam in-
 tendebatur insania populi uociferantis: Tolle, tolle, crucifige hominem. Pilatus animadu-
 uertens, quod tentatis omnibus nihil proficeret, sed magis excitaretur populi tumultus,
 prius absoluit Iesum quam damnaret. Siquidem præsente populo sumpta aqua lauit ma-
 nus suas, dicens: Innoxius ego sum à sanguine iusti huius, uos estis mortis autores non
 ego, in uestro caput recidet ultio sanguinis innoxij. Nec hac uoce deterriti sunt infelices
 Iudæi, sed simul uniuersus populus exclamauit: Veniat sanguis eius super nos & super fi-
 lios nostros. Sibi ac posteris suis imprecari sunt exitium. Sed Christus clementior in illos,
 quam essent in sese, neminem repulit à uenia, modo resipisceret. Complures enim post
 adorauerunt crucem Christi, qui tunc in turba clamauerant: Tolle tolle crucifige. Pilatus
 itaq; uictus illorum pertinaci uesania, condonauit illis Barrabam, autorem seditionis &
 homicidam, & omnium iudicio damnatum, etiam ante iudicium: Iesum autem ex more
 Romano flagris caesum, tradidit ut crucifigeretur. Tunc milites præsidis, cum accepissent
 Iesum in prætório, congregauerunt ad eum uniuersam cohortem, ut ex innoxij ludibrijs
 crudelissimam caperent uoluptatem, partim ingenio suo obsequentes, partim à Iudæis in-
 stigati. Quoniam autem audierunt quod se regem faceret Iudæorum, uelut exprobratur
 ri homini tam contempto superbiā affectati regni, spoliatum uestibus suis, induunt chla-
 mydem coccineam, uidelicet pallium regale. Deinde diadematis loco coronam impo-
 nunt capiti è spinis contextam. Sceptri loco, arundinem dant illi in dextram. Iamq; uelut
 consalutantes nouum regem, flexis genibus coram eo, illudebant dicentes: Aue rex Iu-
 dæorum. Nec his contenti contumelijs, expuerunt in eum: & arundine, quam sceptri uir-
 ce dederant, percutiunt spinis coronatum caput eius. Cumq; nihil contumeliæ omitteret,
 ille summa mansuetudine passus est omnia, quo suis æderet absolutum exemplar toleran-
 tiæ. Posteaquā igitur milites omni ludibriorū genere satiascent animos & oculos cohortis,
 rursus detrahunt illi chlamydem, & induerunt eum uestimētis proprijs, quo magis agno-
 sceretur ab omnibus. Educunt igitur Iesum è prætório baiulantem crucem suam. Atque
 inter eundem reppererunt Simonem quendam Cyrenæum, quem compulerunt baiula-
 re crucem Iesu, & uenerunt in locum ubi crucifigendus erat, qui Syris dicitur Golgotha,
 id est, Caluariæ locus, quod funestus esset ossibus & caluarijs interfectorum. Hic ne qua
 pars esset corporis à cruciatu libera, aut ne quid omitteretur ludibrij, porrexerunt illi po-
 culum ad bibendum, aceto ac felle temperatum, ut impleretur quod scriptū est in uaticinio:
 Dederunt in escam meam fel, & in siti potauerunt me aceto. Vbi uero gustasset Ie-
 sus, noluit bibere. Ceterum postea quā crucifixissent eum, partiti sunt inter se uestimen-
 ta Iesu. Ceterum pro tunica, quæ sic erat contexta, ut dissui non posset, sortiti sunt: ut per-
 ficeretur quod dixerat prophetia: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam
 miserunt sortem. Et assidentes cruci seruabant eum, ne quis tolleretur eum. Quin & titulus
 ludibrij causa impositus est cruci: Hic est Iesus rex Iudæorum, qui tamen ipse honorificen-
 tior erat quā ut ferre possent Iudæi. Siquidem apud Pilatum egerant, ut is titulus corri-
 geretur, nec poneretur rex Iudæorum, sed hic fecit se regem Iudæorum. Atq; hac una in-
 re passi sunt Pilatum uincere. Quin & hoc curatum est à Iudæis, ut simul cum eo crucifi-
 gerentur duo latrones, sic ut Iesus medius, à dextris haberet unum, ad leuam alterum: ut
 omnibus & ipse uanus & impostor haberetur, & illorum similis, quibus erat adiunctus.
 His tantis malis nondum erat saturata Iudæorum crudelitas. Insultant crucifixo, ac præ-
 tereuntes conuicia iaciebant in eum, motis capitibus subsannantes eum, ac dicentes. Vah,
 tu ille, qui demoliris templum dei, & in triduo rursus instauras. Pollicebaris alijs salutem,
 nunc saluum fac te ipsum. Iactabas te filium dei, nunc igitur descende de cruce. Simili-
 ter & principes sacerdotum unā cum scribis & senioribus populi, conuitijs insultabant
 illi: Alijs salutem contulit, nunc sibi ipsi non potest esse saluti. Si rex Israel est, ut uideris ui-
 luit

Sanguis eius
 super nos

Tunc crucifi-
 sunt cum eo
 duo latrones

illi, declaret nunc quid possit, descendat de cruce, & credimus ei, confidit in deo, quem ia-
 batur patrem suum, liberet eum nunc, si diligit eum. Atque ut omni ex parte conuictis in-
 cesseretur inno centissimus Iesus, latrones quoque supplicij socij similia quaedam exprobra-
 bant illi. Quae omnia pertinaci patientia tolerauit Iesus, ut perageret salutiferum illud pro
 omnibus sacrificium. Continuit uirtutem diuinam, & humanam naturam totam omni-
 bus cruciatibus exposuit. Et adeo non regessit, aut ultus est tam atrocem maledicentiam,
 etiam morientis irrogatam, & ipsa cruce acerbior, ut patrem interim deprecatus sit pro
 militibus ac Iudaeis insultantibus, & alterum e latronibus resipiscensem receperit in para-
 disum suum. Sol ipse sensit innoxij supplicium, & huius facinoris tam impij non sustinuit
 esse spectator. Obduxit atra nube faciem suam, & totam eam regionem caligo quaedam
 obtexit, ab hora sexta usque ad horam nonam. Nec interim discuti potuit caligo Iudaicarum
 mentium. Porro circiter horam nonam, Iesus clamat uoce magna dicens illud e Psalmo:
 Heli heli lamazabatani, Deus meus, deus meus, quare me deseruisti? Quidam autem astari-
 tes & audientes procul Heli, ac suspicantes eum implorare auxilium Heli dicunt: Heli uocat
 iste. Videamus an ueniat inuocatus, & opituletur illi. Tum Iesus ut ostenderet ueram esse
 mortem, quam pro omnibus oppetebat, clamauit sitis. Solet enim sitis uulnera & sangui-
 nis profusionem comitari, quae nonnunquam est illis supplicium morte atrocius. Et accurrens
 quidam spongiam imbutam aceto impositam summae arundini admoit ori pendentis.
 Vehementer sitiebat Iesus salutem hominum, sed Iudaei praeter fel & acetum nihil offe-
 runt. Itaque post gustatum acetum dixit, Consummatum est, significans nihil esse praeter-
 missum, quod ad eius sacrificij ritum pertineret. Moxque ut declararet sese sponte ponere
 animam suam, ubi spiritum suum patri commendasset, emissa magna uoce, & inclinato ca-
 pite mortuus est. Ac protinus omnia testata sunt mortem efficacem domini Iesu. Si qui-
 dem uelum templi, quod separabat sancta a reliqua parte templi, ultro scissum est in duas
 partes, indicans Mosaicę legis umbras posthac euanituras, ad corruscantem Euangelij lu-
 cem: ad haec terra concussa est, & petrae scissae sunt, Iudaeis exprobrantes cordis inuincibi-
 lem duriciem. Monumenta aperta sunt, multaque corpora sanctorum qui mortui fuerant
 reuixerunt, & egressi e monumentis post Christi resurrectionem uenerunt in sanctam ci-
 uitatem Hierusalem, & apparuerunt multis, praecones ac socij resurrectionis Iesu. Porro
 Centurio & huius comites, qui aderant ut seruarent Iesum, sentientes terrae motum, te-
 nebras, petras scissas, caeteraque prodigia, uehementer timuerunt dicentes: Vere filius Dei
 erat iste. Aderant autem illic & foeminae complures, procul spectantes quae gerebantur, quae
 sequuta fuerant Iesum a Galilaea subministrantes illi necessaria, inter quas erat Maria
 Magdalene, & Maria mater Iacobi & Ioseph, item mater filiorum Zebedae, cumque his
 aliae complures. Quum autem immineret nox, diues quidam decurio Arimatheensis no-
 mine Ioseph, qui & ipse fuerat discipulus Iesu, adiit praesidem petens sibi donari corpus
 Iesu. Pilatus admiratus si iam esset mortuus, uir florenti aetate, & cuius crura non fuissent
 fracta, simul atque ex Centurione certo cognouit esse mortuum, iussit illi donari corpus exa-
 nime. Ille acceptum inuoluit sindoni munda, ac reposuit illud in monumento nouo, quod
 exciderat in solido saxo. Et aduoluto saxo ingenti ad ostium monumenti, abiit. Et hoc a-
 dum consilio diuino, ne sauirer in cadauer, aut ne quis suffosso sepulchro posset furtim
 tollere. Ac caeteris quidem digressis, perseuerarunt illic duae, Maria Magdalene & altera
 quaedam, sedentes e regione sepulchri, & annotantes locum ubi recondere corpus, quod
 suo tempore praestarent officium unctionis: & harum uigilantem sedulitatem in hoc ex-
 citat dominus, quo certior esset resurrectionis fides. Postridie uero parasceues, rur-
 sum principes sacerdotum & Pharisei conueniunt ad Pilatum, confirmaturi resurrectio-
 nis ueritatem, dum eam conantur impedire, dicuntque praesidi: Domine recordamur quod
 impostor ille, dum adhuc uiueret, dixerit se post triduum resurrecturum. Iube igitur custo-
 di sepulchrum usque in tertium diem, ne ueniant discipuli eius, & suffuretur corpus eius;
 plebsque persua deant eum resurrexisse. Quod si fiat nihil promouerimus, sed erit error po-
 tior peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite custodite sicut nostis. Illi uero
 dum resurrecturo conantur exitum occludere, auxerunt miraculum & fidem resurrectio-
 nis, adhibitis custodijs munierunt sepulchrum, lapide quoque qui claudebat os sepulchri
 obliuato, ne quid fraudis esse possit uel in custodibus.



QUUM autem adesset uespera sabbati prioris, cuius finem excipiebat dilu-
culum diei sequentis, qui primus erat hebdomadae successura, Maria Mag-
dalena, & illa altera Maria nocte paratis aromatibus, mane rursus adierunt
sepulchrum, ut uiderent quid esset actum, & ungerent corpus Iesu. Et factus
est terrae motus ingens. Quumque mulieres inter se consultarent, quomo-
do possent amoliri lapidē ab ore monumenti, erat enim maior q̄ ut foemineis uiribus pos-
set amoueri, ecce angelus domini descendit de caelo, amouitq; saxum ab ostio monumen-
ti, ac deinde insedit illi. Erat autem facies angeli similis fulguri, ac uestimenta eius niueo
candore lucentia. Ad huius aspectum expauesacti sunt custodes sepulchri, adeoq; exani-
mati, ut mortuis similes stupefacti iacerent. Angelus autem consolatus est mulieres, di-
cens: Isti merito exanimantur ad gloriam resurrectionis, qui perseverant in incredulitate
sua. Ceterum nolite timere uos, scio enim quod Iesum quaeritis, qui crucifixus fuit. Iam
reliquit sepulchrum, ac praestitit quod se facturū promiserat, hoc est, tertij diei diluculum.
Itaq; resurrexit. Venite, uidete locum, qui corpore uacuum, corporis adhuc habet uesti-
gium: habet & corporis exuias, lintea quibus fuit inuolutus. Haec uobis fidem facient,
si mihi parum creditis. Sed propere abite & annunciate haec quae uidistis reliquis discipu-
lis, morte domini sui moestis, quod resurrexit. Quem si uidere cupitis, ecce praecedet uos
in Galilaam, quemadmodum ante mortem pollicitus fuerat. Ibi licebit eum aspicere ui-
uum, quem luxistis mortuum. Ecce praedixi uobis. Et inspecto monumento uacuo, quod
occlusum cōpererant, celeriter regressae sunt, partim pauidae ob magnitudinem miraculi,
partim ingenti gaudio correptae, ob desiderium ac spem uidendi dominum rediuiuum,
curruntq; ut hoc gaudium cōmunicent discipulis Iesu. Atq; inter eundum, obuius fit illis
Iesus, quo certiora nunciare possent. Quibus pauidis ut animum redderet, dixit: Auete.
Illae uiso & agnito domino, adierunt: & amplexae pedes, adoraueunt eum. Rursus Iesus
ut illis omnem pauorem adimeret, quo rectius perciperent, quae essent dicenda, ait. Noli-
te timere. Ite nunciate fratribus meis, quae uidistis, ac iubete eos proficisci in Galilaam, ibi
me uidebunt. Quae cū abissent, quo resurrectionis fides etiā inimicorum testimonio con-
firmaretur, quidam ē custodibus relicto sepulchro, abierunt Hierosolymā, ac renūciaue-
runt principibus sacerdotum quae gesta fuerant, quemadmodum clauso & obsignato se-
pulchro, non esset repertū corpus. Et quēadmodum angelus mirabili specie submouerit
saxum, de q; terrae motu, & quemadmodū metu fuissent exanimati. Et quēadmodum au-
dierint angelum cum mulieribus colloquentem. Haec ubi audissent à custodibus sacerdo-
tes, inito rursus consilio cum senioribus, cū res esset manifestior q̄ ut posset dubitari, men-
dadium ab illis pecunia redimunt, quēadmodum ante proditoris operam pecunia rede-
merant: nisi quod maiore summa redimunt operam mentientium, q̄ prodentis. Tacete,
inquiunt, quae uidistis, sed in uulgus spargite, quod discipuli eius noctu uenerint, & suffu-
rati sint eum uobis dormientibus. Quod si hoc cōmentum fuerit delatum ad praesidem ue-
strum, nos illi persuadebimus, uosq; liberabimus omni periculo negocij. Milites igitur
accepta pecunia fecerunt quemadmodum fuerant edocti, & inuenit commentum tam
friuolum in populo fidem. Nam rumor hic in hodiernū usq; diem diuulgatus est apud Iu-
daeos incredulos. Porro discipuli undecim moniti à mulieribus, profecti in Galilaam, con-
scenderunt montem, quem illis designarat Iesus. Illic se conspiciendum praebuit. Vide-
runt & agnouerunt eundē dominum suum, & adorauerunt ueluti iam sublimē ac coelestē.
Nonnulli tamen adhuc dubitabant, donec plurimis ac certissimis argumentis, & illis fi-
des facta est. Quanquā & illorum dubitatio profecit ad fidei nostrae certitudinem. Acce-
dens igitur propius ad illos Iesus, non solum cominus se conspiciendum & contrectan-
dum praebuit, uerū etiam uoce nora consuetaq; loquutus eis est: declarans se morte sua
cōsecutum regnum & autoritatē in caelo pariter atq; in terra. In caelo ubi semper regna-
rat cum patre: in terra, ubi posthac regnaturus esset, nō praesidijs tyrannicis, sed per fidem
credentium, atq; huius Euāgelici regni functionē impartiturus & discipulis, suis uestigijs
ingressuris, mandans eis officium Euāgelij praedicandi, nō solum apud Iudeos, sed apud
uniuersas gentes, autoritatem baptizandi, & per spiritum sanctum condonandi peccata
omnibus, qui sincero pectore profiterentur Euāgelicā uitam, & hos erudiendi forma
diq; nō iuxta legem Mosaicam, neque constitutiones pharisaicas, sed iuxta pracepta
ipsum

*Pecuniam co-
piosam dede-
runt militib.*

plus, donec adolefcerent usq; ad perfectionē Euangelicæ philosophiæ. Ac ne quid diffiderent, quod non iam cum eis assidue uersaturus esset, promittit nec illorū sodalitū unquam interiturū, nec se suis unq; defuturū, sed spiritu uirtutēq; semper suis fore presentē, usq; ad huius mundi finem extremum: Data est, inquit, mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Vidistis per imbecillitatē carnis esurientem, sitientē, lassescentem, egenum, contemptum, captum, uinctum, consputum, damnatū, cælum, crucifixum, omni contumeliarum genere coopertum, & quodammodo infra infimos deiectum homines. Hæc omnia quoniam uolens ac sponte toleraui pro salute mortalium, pater me suscitauit à morte, & immortalitatis gloria donatum euexit ad regni sui consortium, meaq; potestati ac ditioni subiecit omnia quæ cœlo terraq; continentur. Non habetis autorē cui debeat diffidere, non habetis dominum poenitendum. Ut pro omnium salute sum mortuus, ita nulla est natio gentium, quæ mei iuris non sit. Vestræ partes erunt mihi uindicare, quod in uobis est, omne hominum genus. Vindicabitis autem non armis bellōue, sed iisdem rationibus, quibus ego mihi ius peperī, doctrina sacra, uita Euāgelio digna, beneficētia gratuita, tolerantia malorum. Ite igitur tanquam bonæ fidei legati, ac me autore freti docete, primum quidem Iudæos, mox finitimōs, deinde cunctas totius orbis nationes: docete quid de me credere, quid ex me sperare debeant. Primum ut agnoscant patrem cœlestem rerum omnium uisibilem & inuisibilem conditorem, moderatorem & instauratorem. Cuius potentia nemo resistere potest, quum sit omnipotens, cuius scientiam nemo fallit, quem nihil non uideat: cuius iudicium nullus effugiet: à quo ceu fonte manat, quicquid bonæ rei est usquam: cui debetur omnis honos, laus, & gratiarum actio. Agnoscant & filium illius Iesum, per quem æterno suo & inscrutabili consilio, statuit hominum genus liberare à peccati mortisq; tyrānide, & per Euangelicam doctrinā aperire uiam ad æternam felicitatem. Qui hac de causa ex illius uoluntate descendit in terras, natus est homo uerus e uirgine Maria, diuq; uersatus homo inter homines, docuit cœlestem philosophiam, quæ sola beatos reddit. Et innocēs pro totius mundi peccatis afflictus est, & in cruce mortuus conditus sepulchro, resurrexit tertia die, iuxta uaticinia prophetarum. Hinc dies complures uersatus cum suis, ac certis argumentis declarata resurrectionis ueritate, rursus ascendit in cœlum: ubi ueluti confors regni, gloriæq; paternæ, dexter assidet patri omnipotenti: olim denuo uenturus in mundum, non humilis, ut ante, sed cum maiestate diuinā: non seruator, sed iudex, & eorum quos ille dies reperiet in uiuis, & eorum quos iam mortuos angelica tuba subito reuocabit ad uitam: ut illius ineuitabili iudicio, quisque mercedem recipiat suis factis dignam. Agnoscant & spiritum sanctum, quem uobis iam ex parte impartij, copiosius impartiturus, ubi me recepero in cœlum: cuius arcanus afflatus, consolabitur, docebit, & corroborabit animos mihi fidētium, & infusus per animos omnium mutua charitate conglutinabit & confœderabit, quotquot Euangelicam fidem ex animo fuerint professi, quacumq; ex gente sint oriundi. Et si quis quid deliquerit per humanam imbecillitatem, ueniam suorum peccatorum consequetur, modo ne se separet à fœdere contubernioq; sanctorum. Et quicumq; ad hoc fœdus sese adiunxit, illi gratis donabuntur omnia superioris uitæ peccata. Denique ne quis in hac uita putet expetenda benefactorum præmia, aut ultionem moliat aduersus maleficos, sciant hoc olim in ipsis futurum, quod in me factum uidetis. Reuiuiscunt mortui, & suo quæque anima corpori restituetur. Quod simul atq; factum erit, quicumque pertinebunt ad hanc sanctam sodalitatem, mihiq; constanter adhæserint, mecum ad uitam æternam transferentur, ut participes sint felicitatis, qui socij & æmuli fuerunt afflictionū. Hæc ubi illos docueritis, si crediderint quæ docuistis, si poenituerit uitæ prioris, si parati fuerint amplecti doctrinam Euangelicam, tum tingite illos aqua, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, ut hoc sacro symbolo confidant sese liberatos ab omnium peccatorum suorum sordibus gratuito beneficio mortis meæ, iamq; cooptatos in numerum filiorum dei. Nemo circuncidatur, nemo baptizetur in nomine Mosi, aut cuiusquam hominis. Agnoscant omnes, cui debent salutem suam, unde pendere totos oporteat. Nec onerentur Mosaicis aut humanis æremonijs. Sufficiat hoc symbolum omnibus ad Euangelij professionem transeuntibus, quod ubi uis facile est parabile. Cæterum ne quis satis esse putet ad salutem, semel esse tingendum ac professum Euangelicam fidem, rursus docendi sunt, quibus modis tueri possint

*Euntes docete
omnes gentes*

innocentiam, quibus rationibus progredi queant ad perfectionem Evangelicæ pietatis. Atque nihil omissum est quod pertineat ad parandam salutem æternam. Nec spiritus ille celestis, quem accipietis, patietur uos obliuisci quod à me didicistis. Quicquid igitur ego præcepi uobis, id illis seruandum tradite. Non autem præscripsi uobis Mosaicæ legis ceremonias, quas iam uelut umbras ad lucem Euangelicæ ueritatis euanescere oportet, non pharisaicas constitutiones, sed ea quæ sola præstant ueram innocentiam ac pietatem, quæ quæ sola uos Deo charos reddant, uereque felices. Hæc igitur docete nomen meum professos, non oratione tantum, sed & uita, quemadmodum ego quicquid docui, factis præstiti. Dum hæc agitis, dumque mortales cælo asseritis, coarctetur in uos mundus, sicut in me coortus est. Non enim conuenit spiritui meo, cum spiritu huius mundi, meaque doctrina tota pugnat cum affectibus eorum qui diligunt ea, quæ sunt huius mundi. Huiusmodi tumultibus coarctetur in uos, uerum non est quod diffidatis, quamlibet humiles, quamlibet idiotæ, quamlibet imbecilles, quamlibet pauci. Ego uici mundum, & uos meo præsidio meoque exemplo uincetis. Mea uirtute non uestra superabit, quicquid hic mundus habet formidabile. Quanquam autem corpus hoc subducturus sum in cælum, quod sic expediat uobis, tamen nunquam uos destituam. Nam posteaquam in corpore desiero esse uobiscum, tum efficacius adero spiritu meo. Adero autem usque ad mundi finem. Porro quando sit futurus mundi finis, nec refert, nec expedit uos scire. Interim agite quod uobis mandatum est, semper in illam diem parati. Qui quandocumque uenerit, tum uos quoque deposita mortalitate, toti mecum eritis, consortes regni paterni, cuius nullus erit finis.

REVERENDISSIMO DOMINO D. MATTHÆO CARDINALI Sedunensi Desiderius Erasmus Rotodamus S. D.



ANDEM ausus sum me committere itineri Germanico, quum tota uia undique militibus esset operta. Adeo multos contemnebam, quos paucos metuissim. Misere cupiebam adesse nouo Testamento iam tertio renascenti. Græcus ille malebat ter in acie stans Martis aleam experiri, quam semel parere. At quanto nos infeliciores, quibus idem foetus toties est parturiendus. Cæterum quum asina per medios ignes suis pullis succurrere tradatur, non mirum si nos per tot pericula subinde transcurramus ad foetus nostros. Sed parum abfuit, quin frustra periculofum ac molestum iter suscepimus, mox enim ad nidore hypocaustorum agrotare cœpimus, usque recreatos morbus sic repetijt, ut non abessemus à periculo uitæ. Sed interea tamen setmanimes paraphrasim in Euangelium Matthæi absoluimus: quam operam & ego tibi Bruxellæ receperam, & tu Mediolanum proficiscens Germaniæ meo nomine promiseras. Neque nescit tua celsitudo, quam illa sit improba flagitatrix. Eadē igitur opera tuam simul & meam fidem liberare studui. Valetudini congruebat argumentum, in quo uelemori pium sit & optabile. Sumus utriusque in negotio nescio quod simili, certe totius. Utinam utriusque succedat quod agit, imò utinam in Christi gloriam æque cedat quod agimus omnes. Nescio quod sydus infaustum quis uelut genius malus hos tantos tumultus excitat inter mortales. Nec satis est sic bellis intestinis, regna, ciuitates, summos orbis monarchas, inter se collidi, nisi studia literarum, nisi religio fidesque Christiana tam periculofis dissidijs concuterentur. Equidem si tantis malis nullum adhibere remedium possim, certe me duce aut autore nullus erit factiosus. Video seculum hoc esse malum ac periculofum. Quid moliantur quidam, aut quid parturiat mundus, nescio. Ego quod semper feci, non desinam fauere gloriæ Christi. Homunculus sum misellus, qui minus possim quam nihil, tamen uoluptati est mihi, reflorescere, ac uelut *ἀναζωοψέδω* doctrinam Euangelicam. Quam quidem ad rem, utinam liceat tantundem adferre momenti, quantum cupimus. Certe sedulo bonaque fide conamur. Hic animus sibi conscius est, & testem habet Christum, quod nec opes ambit, quarum nunquam fuit auidus: nec honores, à quibus semper abhorruit: uoluptates multo minus, quæ nec ætatem hanc deceant, si libeat frui, & breuiter mihi sciam esse relinquendas: illud mihi potius studio est, commeatum aliquem parare, quo instructus hinc feliciter emigrem ad Christum, cui nostra desudant studia. Utinam pariter

pariter succedat hic conatus noster, ac successit in epistolis apostolicis. Iam enim passim teruntur manibus etiam laicorum. Atque utinam per istas negotiorum procellas amplius tui liceat hoc agere, quod solum erat agendum. Et tamen, quantum licet, scio te fauere negotio Christi, proinde non dubito quin faueas & Erasmo. Opus dicauimus optimo principi Carolo, partim quod diuinarem, ut est pietate singulati, hoc illius maiestati fore grauissimum: partim ut tam fauorabili titulo plurimum animis commendaretur. De Leone nostro coeptus est hic spargi rumor, quem magnopere cupiam esse uanum. Nihil illius ingenio mitius, unice fauebat honestis literis. In me peculiari quodam animi fauore propensus erat, sed mortalis erat. Si uisum est deo pastorem suum ad solidiorem felicitatem euocare, precor ut nobis contingat aliquis tui simillimus, si quis tamen tui similior esse potest, quam es ipse tui. R. D. T. diu florentem & incolumem seruet dominus Iesus. Basilie pridie Idus Decemb. Anno M. D. XXI

CHRISTIANISSIMO GALLIARVM REGI

FRANCISCO, EIVS NOMINIS PRIMO, ERA-

smus Roterodamus S. D.



VO minus ad hunc usque diem tam propenso tuæ maiestatis in me fauore sim usus, Franciscus rex Christianissime, neque per me stetit, neque per te: sed quum aliarum causarum complures haecenus obstiterunt, tum praecipue temporum horum tumultus hanc mihi felicitatem inuiderunt. Semper enim expectabam, ut in tam diutinis bellorum tempestatibus alicunde nobis affulgeret aliqua pacis serenitas. Nec unquam tamen arbitratus sum me uelילו minus obnoxium esse tuæ benignitati, quam si iam accepissem, quicquid ea detulit. Atque etiamnum bona spes est, breui futurum, ut hunc in te animum certioribus argumentis declarare liceat. Interim dum remoratur opportunitas, uisum est huius pollicitationis uelut arabonem ad te mittere, paraphrasin in Euangelium Marci. Ad hoc consilij propensum ac uelut ultro currentem, incitabat & ipsa rei congruentia. Quum enim Matthaeum Carolo principi meo dedicassem: Ioannē, quem ilico post Matthaeum sum interpretatus, Ferdinando Caroli germano: Lucam, quem tertio loco sum aggressus, Anglorū regi: uidebatur Marcus tibi relictus, ut quatuor Euangelia quatuor orbis praecipuis monarchis cōsecrarentur. Atque utinam quod congruenter nomina uestra iungit codex Euangelicus, tam cōcorditer pectora uestra cōglutinet spiritus Euangelicus. Sunt qui Romano pontifici tribuāt ditionē etiam apud inferos, sunt qui tribuāt imperium in angelos, quam autoritatē illi tantum abest ut inuideamus, ut optemus etiam ampliores: sed utinam hanc sibi potestatem illius salutarem sentiat orbis in concilianda retinendaque re ipsa concordia, qui tam diu summa rei Christianae perniciē nō minus foedis, quam feralibus bellis inter ipsos cōflicant. Et interim execramur ac deuouemus Turcas. Quod autē speciatim gratius exhiberi poterat Turcis, aut si qui sunt qui peius uolunt nomini Christiano, quam tres longe florentissimos totius Europae monarchas exitialibus dissidijs inter sese cōmitti. Vix mihi persuadeo, quē esse tam truculentum Turcam, qui plus malorum imprecetur Christianis, quam ipsi uicissim infligunt sibi. Neque quisquam interim exoritur pacificator, qui tam impios rerum motus autoritate sua componat, quum non desint qui instigent: quique oleum, quod aiunt, adijciant camino. Non est meum ullius partis causam meo prauiudicio uel grauare, uel subleuare. Scio suam cuique causam uideri iustissimam, & fateor in huiusmodi iudicijs plus fauoris tribui solere ei, qui depellit illam iniuriā, quam qui infert. Sed tamen magnopere cupiam, ut omnes Christiani principes illud apud sese ueris rationibus expendant, quam ingens lucrum fecerit, quisquis maluit pacem iniquam amplecti, quam bellum aequissimum persequi. Quid hac nostra uita fragilius, quid breuius, quid calamitosius? Omitto tot morborum genera, tot iniurias, tot casus, tot fatales calamitates, pestilentias, fulmina, terramotus, incendia, exunda-

tiones, reliquasq; calamitates, quarum neq; modus est, neq; numerus. Nam inter omnia mala quibus discruciatuſ uita mortaliū, nihil bello ſcleratiuſ, nihil nocentiuſ, quod atrocius exitium infert moribus hominum, q̄ facultatibus aut corporibus. Minus damni dat qui uitam aufert, quā qui bonam mentem. Nec ideo minus eſt deteſtabile bellum, quod maxima pars malorum redundat in capita tenuium & humilium, uelut agricolarum, opificum ac uiatorū. Nihilo minus ſanguinis dominuſ omniū Ieſuſ Chriſtuſ effudit pro redimendis illis quamlibet contemptis, q̄ pro ſummis monarchis. Quūq; uenietur ad Chriſti tribunal, quo breui ſiſtendi ſunt omnes quantumuis potentes huiuſ mundi ſatrapæ, non minus exacte rationem exiget iudex ille ſeuerus pro pauperculis illis, quā pro ſatrapis ac magnatibus. Itaq; qui putant eſſe leuem iacturam, quum expilantur, affliguntur, eſſiciuntur, exuruntur, opprimuntur, occiduntur tenues & humiles, Ieſum Chriſtum qui eſt ſapientia patris, ſtulticia condemnāt, qui pro talibus ſeruandis præcioſum ſanguinem ſuum effuderit. Proinde nullum ego genus hominum arbitror exitialiū, quā qui monarchis ſuggerunt bellorum ſemina, quorum animi quo ſunt excelfiores, hoc facilius hiſ imponitur. Atque inter regias uirtutes cum primis numeratur animi ſublimitas. Prædicata eſt hæc olim in Iulio Cæſarē, prædicatur & hodie magno cōſenſu gentium in Franciſco. Porro nullum certius argumentum animi uere ſublimis, quā iniurias poſſe negligere. Laudata eſt ueterum ducum uirtus, qui de imperio certabant, non de uita, ſed in ethnicis & ab ethnicis. Chriſtiano principi glorioſius eſt, aliquo ditionis diſpendio pacem ac Reip. tranquillitatem redimere, q̄ precioſos & opimos referre triumphos tantis hominum malis emptos. Proinde qui dilatandi imperij ſtudium iniecerunt monarcharū animis quid aliud q̄ perennem bellorum fontem reppererunt. Neq; minorē perniciem inuehunt rebus mortalium, qui principum animis ſuggerunt iræ materiam, ac perſuadēt eſſe regiæ fortitudinis, dictum aliquod, quod fortaiſſe falſo delatum eſt, aut atrocitū delatum q̄ dictum eſt, armis ac bello uindicare. Quanto fortius eſt publicæ tranquillitatis reſpectu conuiuium negligere: quod ſi lædit, priuatim lædit: imò ne lædit quidē, ſi fuerit neglectum. Atq; in alijs quidem rebus fortaiſſe licet utcunq; ceſſare regibus: ſi tamen uſquam ceſſare licet, qui tam multis uigilant. Ceterum in bellis ſuſcipiendis, quoniam ingentium malorum inducunt diluuiū, oportet omnibus oculis aduigilare, ne quid temere ſtatuatur. Non hæc dico rex Chriſtianiſſime, quo principibus gladiū e manibus excutiam. Eſt fortaiſſe boni principis, aliquando bellum gerere, ſed tum deniq; poſtea q̄ omnibus fruftrata tentatis huc adigit extrema neceſſitas. Dominuſ Ieſuſ Petro gladium ademit, principibus non ademit. Pauluſ eorum autoritatem etiam comprobāt, præcipiens, ut qui Romæ Chriſtum eſſent profeſſi, principum licet ethnicorum autoritatem adeo non contemnerent, ut illis ueluti dei miniſtris, nec uectigal, nec tributum, nec honorem detrahi uelit. An adimit gladium, qui dicit: Non enim ſine cauſa gladium portat. Nec aliud docet Petruſ ordinis Apoſtolici princeps: Subditi, inquit, eſtote cuiuſ humanæ creaturæ propter dominum, ſiue regi tanquam præcellenti, ſiue præſidibus tanq̄ ab eo miſſis, ad ultionem quidem nocentium, laudem uero recte agentium. Petro nihil eſſe uoluit armorum, præter gladium Euangelicū, qui eſt ſermo cœleſtis, qui, ut docet Pauluſ ad Hebræos, uiuiduſ eſt & efficax ac penetrantior quouis gladio utrinq; incidente, ac pertingens uſq; ad diuiſionem animæ ac ſpiritus. Etenim qui iubet recondi gladium, nec aufert, pluſ facit, q̄ ſi auferat. Quis enim iubet recondi: nimirum ne bellet paſtor Euangelicuſ. Quis autē deponi nec iubet, nec uetat: nimirum ut intelligamus, ne tum quidem eſſe parādā ultionem, quum uires ſuppetunt ad uindicandā iniuriā. Habent igitur Euangelici paſtores gladium Euangelicum à Chriſto traditum, quo iugulant uitia, quo reſecant humanas cupiditates. Habent Reges gladium ſuum ab eodem permiſſum, ad terrēdoſ malos, & honorandoſ bonoſ. Non ademptuſ eſt gladius, ſed præſcriptuſ eſt uſuſ: habent ad publicæ tranquillitatis deſenſionem, non ad ambitionis præſidiū. Duplex eſt gladij genus, duplex eſt regni genus. Habent & ſacerdoteſ ſuum gladium, habent ſuum regnum. Proq; diadematiſ bus & galeis habent mitras, pro ſceptro pedum. habent lorica, baltheum: deniq; totā panopliā, quā illis non uno in loco ſtrenuū ille bellator Pauluſ deſcribit. Reges Euangelici paſtores dicuntur, ſed & prophani reges Homero dicuntur paſtores populi. Idem agunt utriq;ue, tamen ſi diuerſa funcſio eſt, quæmadmodum in fabuliſ iſdem alias alijs par-

tea

trahunt. Quod si suum utriusque gladium semper haberent expeditum, hoc est, potestate tradita sicut oportet uterentur: non toties, opinor, Christiani, qui uocamur potius quam sumus, in fratrum viscera gladium impium stringeremus. Porro dum utriusque suo munere neglecto, quod est alienum affectant, neutri satis tuentur neque dignitatem suam, neque tranquillitatem. Quando rex plus habet regiae maiestatis, quam quum in iudicijs sedens distatius, cohercet iniurias, dirimit lites, subleuat oppressos: aut quum in consilijs sedens, prospicit Reipublicae commodis: Ceterum episcopus quando plus habet suae dignitatis, quam quum e suggesto docet Euangelicam philosophiam: Tum enim uere in suo sortio est rex Euangelicus. Quam uero Neroni fuit indecorum in theatro certare cum phoenicis & citharædis, aut in circo cum aurigis: tam indecorum est regi in humilibus ac sortidis negocijs uersari, quæ pertinent ad priuatos affectus ipsius, & officiunt incolumitati Reip. Rursum quam indecorum esset, si philosophus cum pallio & barba fabulam saltaret in proskenio, aut in harena falcem teneret ac rete, gladiatoriam canens cantionem: Non te peto, piscem peto, quid me fugis galler tam indecorum est Euangelicum regem beligerari aut nundinari, ne quid dicam inhonestius. Quir nunc inuenitur episcopus, qui sibi pulchrius ducit, trecentos equites balistis, lanceis, ac bombardis instructos secum ducere, quam pijs & eruditis diaconis comitatum sacros libros secum circumferre: Quir earum rerum ostentatione sibi magni uidentur, quarum contemptu magni fuerunt illi, in quorum locum successerunt: Quir illis dulcius sonant tubæ & cornua, quam sacra lectior: Age, quid si rex pro diademate & trabea sibi imponat mitram & infulam, contra promissa & infula sibi diadema & trabeam sumat episcopus, nonne portentis simile uidebitur: Adeo mouent inuersa insignia, cur non magis mouet inuersa functiones: Iam si quid priuatum facit uel rex uel episcopus, non alio spectare debet, quam ad salutem populi. Aut enim monet errantes, aut corrigit lapsos, aut consolatur defectores, aut comprimit elatos, aut extimulat cessantes, aut reconciliat dissidentes. Hæc est functio regum, sed præcipue Euangelicorum, quos non decet ambire regnum huius mundi. Quoniam autem Iesus Christus utriusque genus in se complexus est, tamen si regnum Ecclesiasticum tantum expressit in terris, utrisque conandum est, ut pro sua quisque portione principem suum emuletur. Ille se totum impendit suis. Et qua fronte quisquam sibi uiuit, qui se Christi uicarium prædicat: Ille per omnem uitam nihil aliud quam seruatorem, quam consolatorem, quam beneficum egit. Siue uersabatur in templo, siue in synagogis, siue in publico faciebat iter, siue in priuato uersabatur domi, siue nauigabat, siue in desertis agebat: docebat multitudinem, sanabat agrotos, mundabat leprosos, restituebat paralyticos, mancos & cæcos, profligabat demones noxios, excitabat mortuos, liberabat periclitantes, saturabat famelicos, refellebat phariseos, patrocinabatur discipulis, & unguenti prodigæ peccatrici: consolabatur Cananæam peccatricem, & adulteram deprehensam. Repete totam uitam Iesu, nulli mortalium quicquam immisit mali, quum ipse tot malis afficeretur, & in promptu esset ulcisci si libuisset. Ubique seruatorem agebat, ubique beneficum. Malcho restituit auriculam, quam Petrus amputarat. Ne tantulo quidem damno uoluit uindictam incolumitatem suam. Herodem ac Pilatum redegit in concordiam. In cruce pendens seruauit alterum ex latronibus. Mortuus centurionem pertraxit ad Christianam professionem. Hoc erat uere regem agere, prodesse omnibus, nocere nemini. Ad huius exemplum oportet omnes principes, quatenus licet, accedere. Te uero rex Frâcisce peculiariter etiam ad hoc excitare debet Christianissimi cognomen, ut Christum principem pro uiribus referas. Ceterum quid frontis habent isti, qui quum se Christi uicarios appellari gaudeant, immensa sanguinis humani iactura postulent defendi, non dico uitam aut dignitatem suam, sed auaritiam ac fastum: Atque hæc scribo rex inclite, non ut episcopos ullos notem aut taxem: atque utinam nulli exoriantur, in quos ista merito dici possint: sed ut indicem, qui huiusmodi rebus sita sit uera regum & episcoporum dignitas: ut utrique felices uiuant, dum suam utrique dignitatem agnoscunt ac tuentur. Longius autem absunt ab officio suo pastores Euangelici, qui quum reges inter se tumultuantes debuerint in concordiam redigere, ultro facies ad bellorum incendia suggerunt. Atqui si usquam erat tempus bono pastori uitæ suæ iactura gregi consulere, si usquam summus ille pastor cuius uices gerunt, erat referendus, hic potissimum erat officio locus, ubi tantum mare scelerum ac malorum

inundat in orbem. Ex tanta multitudine abbatum, episcoporum, archiepiscoporum, cardinalium, quur nemo prodit, qui uel capitis sui periculo tantos rerum motus componat? Quam feliciter moritur, qui sua morte tot milium uitæ consuluit. Nihil monomachijs & gladiatoria laniena crudelius aut immanius. Et tamen hoc spectaculo tam insane delectata est antiquitas, ut turpissimū exemplum ab ethnicis relictum, diu resederit etiam apud Christianos, præsertim in urbe Roma, quæ nondum dediscere potuit ueterē pugnissimum. Sed monomachiarū abolitionem, ut refert historia, quam Tripartitam uocant, debemus Telemacho cuidam, ex eorum numero, qui olim ob uitæ Christianæ simplicitatem, ac studium solitudinis, fugamq; contaminatæ multitudinis, uulgo monachi uocabantur. Is hac gratia relicto Oriente Romam uenerat, atq; in theatrum ingressus, ubi uidit prodire duos armatos, & utrunq; in alterius necem tendere, prosiliit seseq; medium inter furentes intercit, clamās: Quid facitis fratres, quur in mutuum exitium ferarum more ruitis? quid multat? Dum uir ille pius studet utriusque uitæ cōsulere, uitam amisit ipse à populo lapidatus. Tanti faciebat insana multitudo crudelem oculorum uoluptatem. Quid consequutum est? Imperator Honorius, hac re cognita, iussit aboleri morē exhibēdi paria gladiatorum. Nunc mihi cogita, quā foedus fuerit ille ludus, & quot hominum milia per hunc infelici ter perierint: & intelliges, quantum mundus debeat unius hominis mortis. Atq; ob hoc factum merito relatus est in numerum diuorum Telemachus. Quanto autem iustius hoc honoris deberetur ei, qui tantos orbis monarchas inter se conficiantes dirimeret? Neq; enim grauis est iactura, si gladiator occidat gladiatorem, & scelerosus sceleroso uicissim præstet carnificem. Et tamen ut summo totius orbis malo colliduntur inter sese principes, ita minore periculo possunt dirimi, quā ille diremit gladiatores. Primū Christiani sunt, quoq; sunt animis generosioribus, hoc sunt tractabiliore, si quis episcopus, aut alioquin autoritate præditus Euangelica, synceris rationibus cum illis agat. Quod si quis forsitan inciderit in principem inexorabilem ac uiolentum: extremum denique malorum, quod uel fauissimus possit inferre, mors est. Et ubi, quæso, præstabunt exemplum apostolici spiritus, qui in Apostolorum uices successerunt, si hic non præstant? Dicit aliquis: Quid profecero si morior, nec impetro quod studeo? Non committet Christus agonotheses, ut huic athletæ pereat suum præmium. Tamen si mors frequenter impetrat, quod uita non potuit. Est enim efficax piorum hominum occubitus. Non hic repetam exempla priscorum, quæ sunt innumera. Apud Anglos diuus Thomas, archiepiscopus Cantuariensis, leuiore de causa libertatem Euangelicam exercuit aduersus regem, cui pridem seruierat, cuiusque fauore ceu longi seruij mercedem acceperat eam dignitatem. Non agebatur de reconciliandis inter ipsos principibus. Quāq; illud seculum nec habebat ullos principes, quorum ditio tam late pateret, quā horum, qui nunc tot annis inter sese conficiantes, ceteros etiā minores in belli contagium pertrahunt. Et tantū agebatur de secessu quodam, magis apto homini pio, q̃ regi. Loco nomen est Orfordia. Ne me quidē admodum cepisset hic locus, prius quā R. D. Guilhelmus Vuaramus, archiepiscopus Cantuariensis ac totus Angliæ primas, uir multis nominibus dignus qui in laudatissimi uiri dignitatem succederet, ibi sic ædificarat, ut magis uideatur nouam structuram excitasse, quā instaurasse ueterem. A deo nihil reliquit ueteris ædificij, præter aulæ cuiusdam ac templi parietes. Itaq; quum leuioribus de rebus esset contentio, quum nihil non molitus esset uir ille pius, nihil tamen impetrauit uiuus. Cæterum mors illius tantam autoritatem conciliauit ordini sacerdotum apud eam gentem, tantas opes aggressit, ut nunc ob hæc graui laborēt inuidia. Ioannes ob linguæ libertatem decollatus est: sed nō omnes sunt Herodes, nec omnes habent Herodiadem. Ambrosius episcopus Mediolanensis ausus est Theodosium Cæsarem ob crudelem ac præcipitatum in Thessalonicenses sententiam à templi limine secludere, postq; se uas obiurgatiōes, post indictam satisfactionem in poenitentiu classē relegare. Ac tanti principis maiestas cessit autoritati præsulis. Tentauit idem Babylas Antiochenus episcopus aduersus regem innocentis homicidio pollutum. Et interfectus est, sed mortuus formidabilis esse coepit non solum ethnico Cæsari, uerum etiam demonibus, qui tum adhuc pro dijs colebantur. Ego uero sic mihi, rex optime, de Caroli Cæsaris, de tuo, de regis Angliæ ingenio persuadeo, ut non dubitem uos omnes salubribus consilijs obtemperaturos fuisse iampridem, si quis monitor, modeste liber & libere modestus

defus extitisset. Atque interim ingens ubique copia est istorum, qui principum animos
 insistent ad bellandum: nimirum hi, quorum comodis expedit res humanas esse pertur-
 batas. Alius suggerit: ille te contemnit, ille hoc in te iecit scomma. alius: Hanc partem si
 adieceris ditioni tue, facile quum uoles adicies & illam. O cōsultor inconsulte, quur sug-
 geris quousque possint proferri ditionis limites potius quàm in mentem reuocas, quàm
 angustis terminis olim ditio, quæ nūc est, circumscribebatur? Quin admones, quibus mo-
 dis quod adest queat administrari recte, potius quàm proferri? Proferēdi limites nullus
 est finis. Ac uero uerius est, quod scripsit Seneca: Multi imperatores fines alijs abstule-
 runt, sibi nemo constituit. Caterum in bene administrando uera principum laus est. Ale-
 xander Magnus, ubi uentum esset ad Oceanum, desiderauit alterum orbem: uidelicet il-
 lius ambitioni mundus hic erat angustus. Hercules ultra Gades nō est progressus. Nunc
 ambitioni nostræ nullæ sunt Gades, nullus Oceanus. Verum aduersus istorum pestife-
 ras uoces oportet animos Christianorum principum Christi decretis, uelut antidotis, di-
 ligenter esse præmunis, atque ad Euangelicam regulam, uelut ad scopum, omnia dirige-
 re consilia. Quares forsitan, quur tibi occupatissimo tam prolixam occinam cantionem.
 Imò cunctis optarem hanc cantilenam esse decantatam, nec ob aliud, nisi quod me discru-
 ctat publica mundi calamitas: quod que uehementer cupiam, res Christianas ubiq; tran-
 quilliores esse, sed præcipue Gallias, qua ditione nescio an hæcenus ulla fuerit uel sancti-
 or, uel florentior. Quod si tumultus huiusmodi rarij existerent, ueluti diluuiā, terræ mo-
 nus, aut bulimæ, res esset tolerabilior. Nunc sine fine talibus dissidijs cōcutitur mundus.
 Ac medici quidem corporum in nouis morbis exortis sagaciter inquirunt malī causas,
 quibus deprehensis, non ita magno negotio medentur. Nec hoc contenti, rationes ex-
 cogitant quibus fiat, ne pestis eadem subinde recrudescat. Quur in tantis totiesq; recur-
 rentibus malis nō scrutantur homines prudentia ac rerum usu pollentes, quibus ex fon-
 tibus hi tumultus subinde scateant in orbem, ut incisis radicibus liceat tantis mederi ma-
 li? Quur in rebus multo leuioribus tam sumus perspicaces, in re longe omnium grauissi-
 ma tacutiētes? Mihi uidetur maxima bellorū pars ex inanibus aliquot uocabulis, uelut
 in alimoniam humanæ gloriæ, excogitatis, oriri: quasi parū fuerit ambitionis inter morta-
 les, nisi nouis titulis aleremus hoc malum, ex sese nimium gliscens in nobis. His atq; huius-
 modi bellorū radicibus excisis, nō fuerit difficile leges pacis inter Christianos principes
 sancire, quæ prohiberent hos tumultus identidē repullulascere. Hac uia fieret, ut & princi-
 pum opes crescerent, uidelicet per amicitiam iam factæ communes, & sub florentissimis
 monarchis populus Christianus amabili rerum tranquillitate frueret. Sic faueret nobis
 ille uerus totius orbis monarcha, dominus Iesus, resq; nostras bene fortunaret. Sic esse-
 mus Christiani nominis hostibus formidabiles, aduersus quos nunc egre tuemur nostra:
 tantū abest, ut illos longius submoueamus. Quāq; ego malim & illos corrigi, q̃ submo-
 ueri. Sed qui corrigamus alios, si nos ipsi sumus illis penē dixerim corruptiores? Nō enim
 iam æstimo Christianos ex articulis, quos ore profitemur, ex moribus æstimo. Vbicunq;
 regnat ambitio, diuitiarum amor, superbia, ira, uindicta, nocēdi libido, interpretor abesse
 fidem euangelicā. Porro quū hæc lues corripuerit etiā illos, quorū præcipue partes erant
 rebus collapsis consulere, bonam tamen quampiam spem mihi præbet, quod uideam sa-
 cras litteras, sed præcipue nouum testamentū, sic teri manibus omnium, etiam idiotarum:
 ut hi qui diuinorum uoluminum scientiā profitentur, non raro sint impares in cōgressu.
 Mihi uero uel illud argumento est, a plurimis legi noui testamenti libros, quod quum tot
 uoluminū milia singulis annis in publicū emittant typographi, tamē tot officinæ nō suffi-
 ciunt emptorū auiditati. Vendibilis hodie merx est, quicquid molitur aliquis in Euange-
 lium. Nō poterit hoc pharmacū tam efficax semel haustū, non exerere uim suam. Itaq; mi-
 hi nunc mundus nō aliter affectus uidetur, q̃ solet corpus hominis grauibus morbis ob-
 noxium, deuorato elleboro, aut alio quopiam præsentī pharmaco, Totum enim cōturbatur
 & concutitur, sepe morituro simillimum. Atq; utinam hoc ueracū euangelicum, postea
 quam semel collustrauit ac penetrauit omnes animi nostri uenas, sic erumpat, ut eiectis
 malorum seminibus, sanos ac puros nos restituat Iesu Christo, postq; tantos rerū tumul-
 tus, ac morbū orbis penē deploratum, latam & optabilem tranquillitatē reducat omni-
 bus. Magis autē speratim hæc publica bonorum omnium uota nō irrita fore, si primates
 orbis

orbis, ueluti fidi medici, sic laboranti mundo curent adesse, hoc est; si monarcha, de quo-
rum arbitrio nunc potissimum pendent res mortalium, meminerint sese breui (quid enim
in hac uita longum est) Christo summo principi rationem administratae ditionis esse red-
dituros: Rursum si episcopi, theologi, & monachi meminerint sese non successisse in lo-
cum Annae & Caiaphae, aut scribarum & Pharisaeorum, qui dum suum regnum imple-
tuebantur, Euangelij regnum conabantur opprimere: dum suam asserabant gloriam,
Christi gloriam studebant sepelire: dumq; suam iustitiam nitebatur approbare, deum fa-
ciebant iniustum: sed potius in locum apostolorum, qui sanguinis etiam sui iactura gaude-
bant asserere Christi regnum, gloriam ac iustitiam. Semel passus est Christus, reuixit nun-
quam moriturus. Sed eadem quae passus est, denuo patitur, quoties damnatur, conspu-
tur, caeditur, crucifigitur, & sepelitur Euangelica ueritas. Denique sibi putat infligi, quic-
quid malorum infligitur membris ipsius. Haec & liberius fortassis & prolixius à me dicta
sunt, rex Christianissime, quam par erat: uerum amoris magnitudo fecit, ut & loquacior
essem & confidentior. Omnibus Christianis bene uolo Christianus, Caterum erga tuam
maiestatem ac florentissimum Galliarum regnum singulari quodam ducor studio. Pre-
cor autem ut Iesus, immortalis totius orbis monarcha, cui diuinitus data est omnis potes-
tas in caelo & in terra, spiritum suum impartiat tum populis, tum principibus: his qui-
dem ut omnes inter sese sub communi principe Iesu concorditer, ac perinde feliciter ui-
uant: illis uero, ut sub sanctissimis ac florentissimis monarchis rebus pacatis fruantur: ita-
que demum fiat ut Euangelica pietas inter nos bene constituta quam latissime propage-
tur, non inuadendis aut diripiendis aliorum regionibus: sic enim pauperiores reddun-
tur, non meliores: sed Euangelica philosophia synceriter per uiros Euangelico spiritu
praeditos ubiq; praedicanda: atq; ita uiuendo, ut nostrae pietatis fragrantia plurimos allici-
at ad eiusdem instituti professionem. Sic nata est, sic creuit, sic late prolata est, sic constabi-
lita est Euangelica ditio: diuersis autem rationibus sic nunc in angustum contractam, ac
propemodum explosam uidemus, si totius orbis uastitatem consideres. Iisdem itaq; pra-
edictis oportet restituere collapsam, dilatare contractam, constabilem uacillantem, quibus
primum & nata est & aucta & firmata. Haec affectu puro scribo Franciscus rex Christia-
nissime, neq; perstringens quentem, quum omnibus bene uelim: neq; blandiens cuiquam,
quum a nullo quicquam ambiam. Bene uale. Anno M. D. XXXIII. Calend.
Decemb.

VITA SANCTI MARCI PER DIVVM
HIERONYMVM



MARCUS discipulus & interpret Petri, iuxta quod Petrum referentem au-
dierat, rogatus Romae à fratribus, breue scripsit Euangelium. Quod cum Pe-
trus audisset, probauit, & ecclesiae legendum sua autoritate addidit: sicut Cle-
mens in sexto *ὁποτιώμων* libro scribit. Et Papias Hierapolitanus episco-
pus meminit huius Marci: & Petrus in epistola prima, sub nomine Babylo-
nis figuraliter Romam significans: Salutat uos quae in Babylone cum electa, & Marcus
filius meus. Assumpto itaq; Euangelio quod ipse cōfecerat, perrexit Aegyptum, & primus
Alexandriae Christum annuncians, constituit ecclesiam, tantae doctrinae & uitae cōtinen-
tiae, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Deniq; Philo disertissimus Iu-
daeorum, uidens Alexandriae primam ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gen-
tis suae librum super eorum conuersatione scripsit, & quomodo Lucas narrat, Hierosoly-
mae credentes omnia habuisse communia: sic ille quod Alexandriae sub Mar-
co fieri doctore cernebat, memoriae tradidit. Mortuus est autem
octauo Neronis anno, & sepultus Alexandriae
succedente sibi Aniano.



EST VER quum Romanæ urbi clarum uerbi dei lumen fuisset exortum, Simonis quidem tenebræ cum suo autore restinctæ sunt, sermo autem ueritatis & lucis qui per Petrum prædicabatur, uniuerforum mentes placido illustrauit auditu, ita ut quotidie audientibus eum, nulla unquam satietas fieret. Vnde neque auditio eius sola suffecit: sed Marcum discipulum eius omnibus precibus exorant, uti ea quæ ille uerbo prædicabat, ad perpetuam eorum commotionem habendam, scripturæ traderet, quo domi forisq; in huiuscemodi uerbi meditationibus permanerent. Nec prius ab obsecrando desistunt quam quæ orauerant, impetrarent. Et hæc fuit causa scribendi, quod secundum Marcum dicitur Euangelium. Petrus uero ut per spiritum sanctum religioso se spoliatum cõperit furto, delectatus est, fidem eorum per hæc deuotionemq; considerans: factumq; confirmauit, & in perpetuum legendam scripturam ecclesijs tradidit. Clemens in sexto dispositionum libro, hæc ita gesta esse describit. Cuique simile dat testimonium etiam Hierapolites episcopus nomine Papias, qui & hoc dicit, quod Petrus in prima epistola sua quam de urbe Roma scripsit, meminit Marci, in qua tropice Romam Babylonem nominarit, cum dicit: Salutat uos ea quæ in Babylonæ est electa ecclesia, & Marcus filius meus.

Hunc autem Marcum tradunt primum ad Ægyptum perrexisse, atque inibi Euangelium quod ipse conscripserat prædicasse, & ipsum primum ecclesiam apud Alexandriam constituisse. Tanta autem refertur multitudo credentium uirorum ac mulierum primo ingressu, exemplo sobrietatis eius & continentię congregata, ut etiam conuersatio eorum qui per ipsum crediderant, & uita totius abstinentię ac frugis eorum sobriaq; conuiuia, librorum memoriæ mandarentur a uiro disertissimo Philone, quem sermo tenet et temporibus Claudij Imperatoris Romam uenisse, & Petrum apostolum uidisse, atq; eius adhæsisse colloquijs, uerbum Dei prædicantis. Quod ualde est uerisimile: quia & scripturam illam quam diximus, posterioribus ab eo temporibus constat esse compositam. In qua euidentissime omnia ecclesiæ instituta complectitur, quæ & tunc tradita sunt, & in hodiernum seruatur a nobis. Sed & abstinentium uitas, eorum duntaxat, qui nunc in ecclesijs uel monasterijs degunt, describit ad liquidum. Vnde plane manifestissime proditur, non solum sciens quæ nostra sunt, sed amplectens: quippe qui diuinis laudibus extulit sui temporis apostolicos uiros, ex Hebræorum (quantum intelligi datur) præcipue genere credentes: quoniam quidem constat, quod hi qui sub apostolis ex Israelitis credebant, Iudaicis adhuc institutionibus & legis obseruationibus inhærebant.

IN EVANGELIVM

MARCI PARAPHRASIS PER DES. ERA/
smum Roterodamum.

CAPVT PRIMVM

Initium Evan-
gelij Iesu
Christisicut scri-
ptum est

VNCTIS mortalibus insitum est, ut felicitatem expetant. Hanc multi mundana quadam sapientia prepollentes, alij pro-
ditis legibus, alij traditis preceptis recte uiuendi hactenus pol-
liciti sunt. Sed quoniam homines erant, non ualuerunt prae-
stare, quod pollicebantur. Nec enim nouerant, quanam esset ue-
ra hominis felicitas, aut quibus in rebus sita. Proinde factum
est, ut pro uera felicitate fallacem quandam felicitatis imagi-
nem sint amplexi, & errorem suum in alios transfuderint fal-
si simul & fallentes. Attulerunt igitur & legum conditores &
philosophi quoddam Euangelium suum, sed partim uanum
& fallax, partim dilutum & inefficax. Certius autem ac solidius Euangelium proditum est
à Mose & prophetis, sed uniduntaxat genti, proque temporis ratione figuris & umbris in-
uolutum, prae parans tantum ad cognitionem ueritatis nec satis efficax ad praestandam
perfectam salutem, sed ad hanc tamen gradibus aliquot prouehens, uidelicet diuina sapi-
entia naturam ipsam referente, quae nos à rerum uisibilibus cognitione, ueluti manu du-
cit ad cognitionem inuisibilium. Et tamen horum Euangelium plus habet terroris, quam lae-
tae promissionis: magisque prodidit malitiam hominum, quam diluit ac dei potentiam ma-
gis ingessit animis hominum, quam clementiam ac bonitatem commendauit, terrorem
incutiens potius, quam amorem inferens. Quid enim supererat, nisi posteaquam per legem
didicerant se peccatis obnoxios, nec posse ab his temperare, simulque sciret dei, seueri iudi-
cis, iudicium neminem posse effugere, nisi ut trepidarent, horrerent, ac desperarent?
Quis autem amare potest quem horret? Porro terror diuinæ iusticiæ, quantum est non
nunquam initium salutis, quemadmodum amarum pharmacum totum hominis corpus
concutiens, initium est sanitatis, tamen non absoluit hominis felicitatem. Gratia & be-
neficentia conciliat amorem. Amor erga deum reddit felicem. Posteaquam igitur uniuersus
mundus utcumque prae paratus esset oraculis prophetarum, ac Mosis praeceptis simul &
figuris, his nouissimis temporibus proditum est illud uere laetum, & omnibus amplecten-
dum Euangelium, quod non Iudæis modo, uerum etiam uniuersis mundi nationibus ul-
tro desert abolitionem omnium peccatorum: & ne quis dubitet de fide promissi, deus est
autor, non homo quispiam. Nec huius legatus est Moses, aut prophetarum aliquis, sed
ipse filius Dei Iesus Christus, qui nostrae salutis causa profectus è caelis, nostram carnem
mortalem induit, ut innocens per crucem ac mortem suam, innocentiam ac uitam gra-
tis conferret omnibus qui credentes ipsius promissis, spem omnem in eo collocarent.
Deus enim natura clemens ac beneficus, uoluit hoc pacto declarare summam & inasti-
mabilem benignitatem suam erga genus humanum, qua maior nec possit optari, nec de-
beat expectari. Honoratiorem legatum mittere non potuit, quam filium suum unigeni-
tum: maiorem benignitatem exprimere non potuit, quam ut per solam fidem, omnibus
omnia peccata, quamlibet multa, quamlibet atrocía condonaret gratis: ac per spiritum suum
eos, qui ante erant serui diaboli, adoptaret in consortium filij sui, per quem nobis dona-
uit omnia, quae in caelis & quae in terris. Hoc nuncio quoniam nihil potuit esse laetius, opti-
mo iure dicitur Euangelium, ne rursus timeatis iugum legis Mosaeicæ. Porro Euangeli-
cam historiam quidam altius repetere maluerunt, uidelicet à natiuitate Iesu Christi: mi-
hi compendij studio satis uisum est exordiri à praedicatione Ioannis Baptistæ. Is enim non
fortuito, sed diuina dispensatione, ut lucifer solem, ita Christi praedicationem antecessit,
Iudæorum animos excitaturus in expectationem mox uenturi Messiae: digitoque demon-
straturus uenientem, quem prophetae tot retro seculis uenturum praedixerant. Nam pro-
phetae, qui uaticinati sunt de uenturo Christo, iidem uaticinati sunt de Ioanne Christi an-
teambulone. Sic enim apud fatidicum Micheam deus pater loquitur filio suo: Ecce mit-
to per

peculiarem & electum nuncium meum ante conspectum tuum, qui sibi mox uenturo ad prædicandi Euangelij munus præparaturus est uiam. Similiter ait Esaias, Ioannis prædicationem designans: Vox clamantis in deserto, parate uiam domini, rectas facite semitas eius. Sic nimirum ante medici aduentum admonetur agrotus, ut agnoscens morbum medicum uenientem reuerenter excipiat, seseq; illi morigerum ac dicto audientem præbeat. Quum igitur instaret tempus, ut Iesus Christus dei filius, qui eatenus nondum innotuerat mundo, auspicaretur hoc munus, cuius gratia missus erat e cœlis in terras: Ioannes, iuxta prophetarum oracula, præcursores agebat, aqua tingens in deserto: non quod ipse ablueret peccata, sed quod suo baptismo inuiteret ad poenitentiam uitæ superis, ut morbum suum agnoscentes, desiderarent eius aduentum, qui solus baptizat spiritu & igni: per fiduciam in ipsum semel tollens omnia peccata, atq; ex sese uelut e fonte, cœlestem inferens gratiam animis hominum: gratis liberans ab iniustitia, gratis conferens iustitiam: gratuito liberans a morte, gratuito donans uitam æternam. Hæc dei benignitas quo maior est, hoc grauioribus supplicijs punientur, qui eam oblatam fuerint aspernati. Id ne fieret, præcessit Ioannes, qui suo carnali baptismo præpararet omnes ad spirituale baptismum Christi: qui adhortans, ac metu territans, adduceret eos ad resipiscentiam & ordinem uitæ prioris: qui præmoneret in proximo esse Messiam, ac regnum dei. Non erat illux, quæ illuminaret omnem hominem uenientem in hunc mundum, sed erat nuncius lucis, mox exorituræ: non erat ille medicus, qui tolleret peccata, daretq; sanitatem, uerum ingesta cunctis periculi magnitudine, horrorem incussit animis omnium: ac prædicans in proximo esse, qui solus liberaret a peccatis, excitauit omnium mentes ad desiderium salutis æternæ. Non erat ille sponsus, sed anteambulo sponsi, qui cunctos expergefaceret, ut uenienti occurrerent. Non erat ille uerbum dei, sed uox prænuncia uerbi mox proferendi. Lex Moysi terrorem habebat, adeo ut filij Israel non ferrent uocem dei loquentis ad ipsos. Ioannes confinium legis & gratiæ, ueluti mixtus ex utroque, hoc habebat uetustæ legis, quod exitum minitabatur omnibus, ni mature resipiscerent: hoc habebat nouæ legis, quod non uocabat ad uictimas aut holocausta: non ad uota seu ieiunia: sed ad baptismum ac poenitentiam uitæ prioris: quodq; nuntiabat iam adesse clementissimum illum Messiam, qui gratis omnibus condonaret omnia peccata, fiduciam omnem in ipso collocantibus. Lex prior prodita est in deserto: indidem profertur & nouæ legis exordium. Omnia relinquit oportet, qui uelit esse dignus Euangelica gratia, quæ compendio largitur omnia. In urbibus sunt opes, deliciae, uoluptates, ambitio, fastus. Sed præ cæteris Hierosolyma habebat templum quo superbiebat: habebat carnales uictimas, quibus fidebat: habebat festos dies, sabbatismos, delectum ciborum, aliasq; ceremonias, in quibus collocabat iustitiam: habebat sacerdotum supercilium, pharisæorum hypocrisin. Verum ab omnium harum rerum fiducia semet excutiat oportet, quisquis ambit baptismum Euangelicum. Relinquenda Iudæa tota cum sua Hierosolyma, cum suo templo, cum suis uictimis, cum suo sacerdotio, cum suo pharisaismo, emigrandum in desertum, ubi lætissimum accipias nuncium, mox uenturi seruatoris. Nec frustra fuit clamor Ioannis: siquidem ad huius prædicationem territi complures, relictis sedibus suis, properabant ad Iordanem: non tantum ex omni Iudææ regione, uerum etiam ex ipsis Hierosolymis. Confluebat autem Consistentes peccata sua ueniebant, citra personæ delectum recipiebantur a Ioanne, docebantur: ac sibi displicentes, confitentesq; peccata sua, baptizabat uelut imagine quadam præludens ad ordinem Euangelicum. Primum enim est docere. Ex doctrina dum catechumenus incipit & suam turpitudinem agnoscere & dei bonitatem, totus sibi displicet: atque intelligens nulla alia in re paratam salutis spem, ad dei gratuitam beneficentiam confugit. Magnus ad sanitatem gradus est, hominem agnoscere morbum suum: ingens ad lucem profectus est, agnoscere tenebras suas. Multum promouit ad uitæ puritatem, qui suam horret impuritatem. Ioannis prædicatio adumbrat catechismum Euangelicum: Ioannis baptismum repræsentat baptismum Christi. Ioannis in quibuscumq; recipiendis facilitas loquitur, quemadmodum omnes egent gratia Euangelica, ita neminem ab ea submouendū, cuiuscumq; gentis aut ordinis sit. Habebant pharisæi lotiones suas: abluiebant manus sumpturi cibum: abluiebant corpus e foro domum reuersi: subinde lauabant pocula, patinas, sellas, lectos, reliqua

quamq; domus supellectilem, quasi uel in huiusmodi rebus sita sit puritas, quam amat in nobis deus, aut quasi phariseorum aquila possit hominē in oculis dei puriorem reddere. Non reddunt puriorem tales baptismi, sed arrogantiorē. Felices, qui relictis mosaïcis ac Pharisaïcis lotionibus, properant ad lauacra Iordanis. Iordanis enim sonat Hebraïcis, fluuium iudiciij. Non iudicatur à domino, qui seipsum iudicat. Hic est ille purificator fluuius, scatens è duobus fontibus, agnitione propriæ iniustitiæ, & recordatione bonitatis diuinæ. Hic est ille baptismus poenitentiae, flumen lachrymarū, ex intimis cordis uenis aquas emittens amaras, sed acrimonia nitri abstergens omnes animæ maculas. Habent & pharisei suam confessionem, sed arrogantem. Ieiuno bis in sabbato: decimas omnium bonorum do pauperibus: & non sum sicut ceteri homines. Iudæi aliena peccata confitentur, non sua. Porro qui se præparant ad baptismū euangelicum, nec sua benefacta norūt, nec aliena mala cōmemorant, sed sua quisq; peccata confitētur. Propria benefacta cōmemorare, arrogantia est: aliena mala referre, liuoris est & maleuolentiæ. Propriam maliciā agnoscere, est dei bonitatem glorificare. Ioannes autem, qui sic priorem Christi aduentū præuenit, quemadmodū Helias postremū aduentum præuenturus est, iuxta uaticiniū Malachiae, quo magis Heliam referret, uiuebat in deserto, fugitans undiq; contaminatam hominum consuetudinem, uestiebatur non Sericis aut laneis, sed ueste contexta ex pilis camelorum, lumbos habens zona pellicea cinctos & astrictos, ante proditum Euangelium Euangelicū quiddam exprimens: neq; non respondebat uictus loco & cultui. Vicius erat parabilis, & quem ipse locus ultro suppeditabat, locustæ & mel syluestre: & hic præstitit plus præco Christi, quam lex Mosaïca requirebat. Siquidē illa distinxit animantiū genera: hic in totum ab esu quadrupedum, uolucrum & piscium abstinebat iniussus. Illa prohibet uti ueste è lana linoq; contexta: hic sibi & lini & lanæ usum interdixit. Talis nimirum uita decebat poenitentiae præconem: qui tamen si sanctificatus est in utero matris, tamen austeram uitam agebat, ne parum haberet ponderis prædicatio, si mores doctrinæ nō respondissent. Atq; his rebus tantam & auctoritatem & gloriā sibi pepererat apud Iudæos, ut plerique suspicarentur eum esse Messiam. Ille uero tamen si uir esset deo gratissimus, plurimisq; diuinis dotibus præditus: tamen intelligens quantum scelus esset, hominem sibi uindicare gloriā dei: aut hominem in homine salutis præsidium collocare, palam apud omnes prædicabat, dicens: Non sum is, quem uos me esse suspicamini. Humilis ac diluta est mea doctrina, meus baptismus inefficax est. Ipse nihil aliud sum quam homo uobis similis conceptus in peccatis: nec aliud sum, quam nuncius eius, qui mox uēturus est, ut omnibus conferat salutem. Tempore quidem me posterior est, & iuxta humanā æstimationem minus habet auctoritatis: sed adeo me præcellit uirtute cœlesti, ut ego, quem uos suspicitis, non sim dignus, qui illi infimi mancipij ministerium exhibeam: ac procumbens humi, soluam corrigiam calciamentorum eius. Ille uobis est suspiciendus, ille studijs omnibus expetendus. Ego prædico terrena, ille docebit cœlestia. Ego hæcenus baptizauī uos iuxta corpus aqua, præparans animos uestros ad poenitentiam. Ille ubi prodierit, baptizabit uos spiritu sancto cuius occulta uis sanctificat omnia. Etenim quemadmodum nullus hominum ex sese habet iustitiam, ita nulli potest conferre. Maior homini ne sit oportet, qui hoc præstet, quod est solius dei. Agnoscite discrimen inter indignum famulum & dominū, inter ministrum & auctorē, inter præconē & regē. Posteaquam Ioannes huiusmodi uerbis animos multorū excitasset ad expectationē uenturi Messiae, cōmodum ac suo tēpore prodijt Iesus, relicta Nazareth uiculo Galilææ, ubi q̄ esset educatus, ac diu uersatus, etiam natus existimabatur. Hæc uidelicet est natura rerum euangelicarū, ex minimis initijs paulatim ad summa proficere: quum contrā mundi satanæq; molimina, à magnificis initijs exorta, subito ad ima præcipitentur. Sic lucifer dum constituit sedem in Aquilone, meditans æqualitatem cum altissimo, repente præceps datus est in tartara. Sic Adam, dum huius instinctu affectat æqualitatem cum deo, è paradiso exactus est. Hic igitur si cogites Iesu magnitudinem, magis admiraberis modestiam. Prodijt ab humili uiculo, à Galilæa contemptissima Iudaicæ gentis regione. Prodijt autē humilis nullo comitatu, ut qui uis è plebe, inter peccatores, milites, meretrices, & publicanos: ad baptismū poenitentiae uenit, ille purificans omnia. Non erat illi satis circuncisum fuisse iuxta legis præscriptum, purificatum fuisse iuxta Mosi traditionem: Ioannis quoque baptismum am-

bijt

Venit fortior
post me

Et factum est
in diebus illis

Nos interim erudiens ac docens, ei, qui se paret ad Euangelici doctoris munus, nihil
 omittendum, quod pertineat ad aliquem gradum pietatis: nihil non fugiendū quod of-
 fendiculum præbeat infirmis. Docuit hoc Ioannes, non esse conciliandam auctoritatem
 doctori, splendore uestium, aut strepitu uitæ, sed integritate morum. Sed perfectius & à
 Iudaismo longius erat, quod exhibuit Christus, qui cultu uictuq; nihil differens à ceter-
 is, tamen innocentia, mansuetudine, beneficentia in omnes, Ioannis auctoritatem obscu-
 rauit. Perfectius enim est, quod præstat Euangelij gratia, quàm quod legis austeritas. To-
 tum autem domini Iesu consilium in hoc fuit, ut ipsum mundus agnosceret unicum esse
 salutis autorem, ut nobis Euangelicæ ueræq; pietatis formam exprimeret, & de præteri-
 tis prophetarum ac Moisi fidem confirmaret: ac de futuris uelut arrabone dato, certam fa-
 ceret expectationem. Libentius enim illi credimus, de quo magnifice sentimus, & in
 quem multorum testimonia consentiunt. Procuratum est igitur diuino consilio, ut undi-
 quaque testimonium ferret dominus Iesus, totius legis, prophetarum omnium, angelo-
 rum, pastorum, Magorum, scribarum, Simeonis & Annæ, Ioannis baptistæ, patris, spi-
 ritus sancti, denique Pilati & dæmonum, miraculis etiam ipsis filium dei clamantibus.
 Multa uero gessit, non quod ipse talibus egeret, sed ut nobis in seipso uitæ formam ex-
 primeret: uidelicet ieiunans, tentatus, orans frequenter, ad baptismum ueniens, obediens
 parentibus, patienter tolerans iniurias, postremo ad crucem ueniens. Multa præstitit,
 quæ fuerunt prophetarum oraculis prædicta, ne quid addubitarent de promissis in poste-
 rum exhibendis: ueluti quum in baptismo columbam accipit uertici insidentem: quum
 resurgit à morte. Venit igitur ad Ioannem uelut poenitens, ambijt baptismum, & impe-
 trauit. Baptizatus est in Iordane, in quo baptizabantur & coriarij, & publicani, & mili-
 tes, quo non aliud hominum genus inquinatus. Non erubescit hic principū huius mun-
 di superbia, quæ nihil uult habere cum populo commune. Nemo regum, nemo sacerdo-
 tum uenit ad baptismum: & si libuisset baptizari, uix aureo gemmeoue labro dignaten-
 tur baptizari. Ille fons omnis puritatis, ille rex regum & dominus dominantium, non fa-
 tidiuit commune cum populo lauacrum: sed quisquis sese deiecit apud homines, is atrol-
 litur apud deum. Ut unus quislibet è populo baptizatus est Iesus, sed pater coelestis insi-
 gni & inaudito signo secreuit eum à reliquis. Etenim simul atque Iesus relicto Iordane,
 quem sui sacri corporis contactu consecrarat, sese recepisset in terram: dum intentus est
 precationi, Ioannes uidit diffindi coelos, atq; inde spiritum sanctum deuolare in sacrum
 uerticem domini, atq; inibi comorari. Adæ superbia paradysum nobis clauserat, Chri-
 sti modestia pro paradiso coelum nobis aperuit. Visibile signum exhibitum est oculis,
 sed quo doceremur, quales animos amaret spiritus ille coelestis, & quales redderet. Sata-
 næ mundiꝝ spiritus reddit & amat animos elatos, tumidos, feroces: at spiritus ille coele-
 stis amat modestos, mites ac tranquillos. Nihil enim columba simplicius, aut à pugna ra-
 ptuq; alienius. Expressum est in domino corporali typo, quid fiat spiritualiter in omni-
 bus, qui sincera fide suscipiunt baptismum Euangelicū. Corpus aqua tingitur, sed mens
 inuisibili gratia perungitur. Porro quod in uertice domini columba permansit, designa-
 bat: ceteris quidem pijs, pro modo fidei dari spiritum sanctum, prout rerū præsens usus
 postularit: ceterum in Iesu perennis erat fons omnis gratiæ coelestis. Neq; enim colum-
 bam deferrebat ad illum nouam gratiam, sed plenitudinem in eo gratiæ declarabat: &
 unde nobis omnis gratia manaret, ostendit. Hoc tam euidenti signo, quod acceperat à pa-
 tre, confirmatus Ioannes, non dubitauit illum pronunciare filium dei. Graue erat apud
 Iudeos Ioannis de Christo testimonium: sed longe grauius testimonium ipsius patris,
 cuius uox è coelis insonuit, dicens: Tu es ille filius meus unice charus, in quo sibi placet
 animus meus. Gaudium enim patris, filius sapiens, Non est ignauus aut languidus spiri-
 tus ille coelestis: igneus est, ac statim uim suā exerit, ubi semel corripuerit animū hominis:
 segnis ac lentus est spiritus humanus, neq; quicq; cogitat, nisi terrena & humilia. Ceterū
 in quibus iam mortificatus est spiritus carnis, & aguntur spiritu dei, mox ad fortia subli-
 miāq; grassantur, ad certamē cum immūdo spiritu, quem nō dubitant in se prouocare: ni-
 mirum freti præsidio spiritus coelestis, qui fortior est omnibus qui repugnāt Euangelio.
 Iesus igitur in se exprimens, quid à nobis fieri uellet, statim à baptismo spiritus uigore actus
 est in desertū. Illic cōmoratus est quadraginta dies, ac noctes totidē, perseverās in preca-

tionibus ac ieiunio: atque interim tentabatur à Satana, quem fractum, nobis deuincendum tradidit, uiam etiam uincendi commonstrās. Vincitur enim spiritu Christi, uincitur assiduus precationibus, uincitur perpetua uitæ sobrietate, uincitur armis scripturæ diuinæ. Interim abstinebat omni solatio mortaliū, uiuens inter bestias. Nihil erat illi periculi à turba hominū, sed cōmonstrauit nouo militi necessariā esse fugam promiscuæ multitudinis, donec domita carne, ac deuictio satana, meditatione diuinæ legis, ac puris deprecationibus spiritus robur iustum collegerit. Nonnullis enim tutius est uersari inter bestias cum Christo, quā inter homines bestiis nocentiores. Versabatur dominus inter bestias, sed destituto ministerio hominū, aderant angeli, & ministrabant ei. Qui reijciunt omnes huius mundi uoluptates, his adsunt solatia cœlestia. Nobis baptizatus est Christus, nobis deprecatus est, nobis testimonio spiritus & patris insignitus est, nobis secessit, nobis ieiunauit, nobis tentatus est, nobis uicit. Hic mihi considera Christiane miles, tuæ perfectionis ordinem. Catechismus inducit odiū uitæ prioris, ac spem purgationis. His ducibus curris ad Iordanem, illic per fidem in Christum deponis maculas omnium criminum. Mox ad preces tuas & ecclesiæ, datur è cœlis nouus spiritus: per eum ascisceris in numerū filiorum dei, nimirum insitus corpori Iesu Christi, qui est caput ecclesiæ. Interim non oportet militem esse securū. Dedisti nomen Christo imperatori, renunciaisti diabolo: accepisti autoramentum ac donatiuum, uelut arrabonem tui salarii, spiritū sanctum, ad palmā oportet contendere. Ea non contingit oscitanti, arma capeffas oportet, ne te hostis, qui nusquā nō insidiatur, incautum atque inermē opprimat. Oppugnabit ilico mundus, oppugnabit satanas, oppugnabit te caro tua: semper pugnandum est, ut semper uincas. Neque enim prius erit finis pugnæ, quā uitæ: sed tamen quo sæpius hostem tuum uiceris, hoc & ille discedet à conflictu debilior, & tu robustior. Hic ubi gnauius te gesseris, tum demū ad Euangelij prædicandi munus accingere, si modo huc te propellit spiritus dei. Dominus Iesus idoneus erat Euangelicæ prædicationi, quo non aliud munus perfectius, etiam tum, quum admodum esset puer, sed nobis exemplar in sese parauit, non esse statim ac temere ad tam sacram functionem prorumpendum. Habebat lex Mosi tempus suum: erat tempus, quo paulatim exoriente luce ueritatis Euangelicæ, legis umbras oporteret euanescere: & proferente se spiritus uigore, caro cederet. Quemadmodum autem in transformationibus rerum naturalium, quo commodior sit transmutatio, miscetur aliquid in medio, quod affinitatem habeat cum utroque: Ioannes inter legem Mosi carnalem, & legem Euangelicam spirituales medius interuenit, quo facilius homines à carne ad spiritum transfigurarētur. Neque enim subito è terra fit aer, sed intercedit aqua media, quæ paulatim extenuatur in liquidius elementum. Itaque quamdiu florebat Ioannis prædicatione, qui ex parte legis personam sustinebat (nam & lex aliquo modo perducit ad Christū) dominus Iesus, ne cui uideretur amulationem cum Ioanne suscipere, aut ne legem quam uenerat absoluturus, abrogare uideretur: nec palam prædicabat, nec miraculis, nisi paucis uirtutem suam exerebat: nec discipulos colligebat, quin potius semet ut Ioannis discipulum agebat: nos docens, non posse quenquā recte magistrum agere, nisi qui se prius obsequentē discipulum præbuisset. Cæterum posteaquam ob linguæ libertatem Ioannes esset cōiectus in carcerem, Christus illi ueluti successit. Prius enim esse conuenit, quod est carnale, posterius quod est spirituale. Antecedit quod imperfectū est, succedit quod est perfectū. Gratia naturam imitatur. Frumentū prius in herba est, quā in spica: & infantia succedit ætas robustior. Tendūt ad suum finem legis ceremoniæ, quæ tamen Christum utcunque deliniarant: emicat Euangelica lux, cuius unicus autor est Iesus Christus. Is primū prodit in Galilæa: nam à parte Iudææ contemptissima placuit auspicari lucis huius exortum. Non merebatur hoc honoris superba Hierosolyma: quæ quum esset cæca, sibi uidebatur oculata, & ob hoc ipsum magis insanabilis. Cæterum in hisce rebus haudquaquam fortuito gestis, subest arcana quædam rerum gerendarum significatio. Quid enim nobis designat Ioannes inclusus carceri: Nimirum obscurandam esse legem Mosaicam, ad exortum clarissimæ lucis Euangelicæ. Quid Ioannes alligatus: Nempe astringendum esse, quod erat carnale legis. & Euangelica gratia laxandam esse libertatem. Quid Ioannes decollatus: Videlicet iam adesse uerum caput totius ecclesiæ, ex omnibus orbis nationibus congregandæ. Quid autem Iesus prædicans in Galilæa regnum dei: Haud dubie præludit Euangelij gratiam ab impie religiosis

Postquam autem traditus est Ioannes

religiosis Iudæis, qui uetus illud caput, quod per Euangelium erat recisum, amplectebantur, & Christum totius etiam legis caput aspernabantur, ad gentes demigraturam. Nam Galilæa Syris transmigrationē sonat. Antea latebat gratia, regnabant ceremoniæ: nūc illis submotis, prodit in publicū Iesus, efficax Euāgelicæ gratiæ tum autor, tum præco. Itaq; iuxta sensum mysticū, quicunq; uolunt audire Christū prædicantem, à pristinis ritibus & cupiditatibus demigrent oportet, ut nouæ cœlestisq; doctrinæ possint esse capaces. Abijciat Iudæus sanctimoniam: abijciat pharisæus supercilium ex operum fiducia sumptū: abijciant pontifices templi & uictimarum gloriam: abijciant philosophi humanæ sapientiæ inania præsidia: abijciant reges ac tyranni stultissimam confidentiam, quam in suis opibus ponunt: abijciant omnes gentes impios ritus, turpes cupiditates, & audiāt nouum prædicatorem Iesum, non humana docentem, sed cœlestia. Loquitur ex æquo omnibus, audiāt pariter omnes. Est autem operæ precium considerare, quibus modis auspicetur doctrinam suam. Huius mundi philosophi primum ea obijciūt auditoribus, non quæ sunt utilissima, sed quæ ipsis conciliant admirationem non uulgaris sapientiæ: cum primis illud captantes ad gloriam, ut ab alijs magni nominis doctoribus dissentiant. Dominus Iesus, nec legis auctoritatem uoluit antiquare, sed non intellectam interpretatur: & perficit potius, quàm destruit: nec Ioannis doctrinam, licet imperfectam, refellit: sed ab ipsius exordijs auspicatus est suam prædicationem, quibus ille cœperat. Diceres esse Ioannis discipulum, qui erat magister & autor omnium. Quid autem prædicat: quid clamat sermo patris æterni? Lege naturæ quam deus inscripserat cordibus omnium mortalium, abusi sunt. Philosophorum sapientia reddidit mundū stultiorem quàm fuerat. Gentium religio hæcenus summa fuit impietas. Lex Moysi suis umbris, uictimis ac terroribus fecit hypocritas. Lex figuris suis innuit, prophetae suis oraculis prædixerunt uenturū, qui perfectam salutē offerret omnibus gentibus. Ad hanc promissionē quoniā dū dilata est, mundus uelut obsurduerat: sed nō est oblitus dominus promissi sui. Tēpus quod ille huic negotio præfinerat iam expletum est, non est quod posthac expectetis figuras alias; aut ænigmata legis: non est quod expectetis novos prophetas, ecce iam adest regnum dei. Pro umbris emicabit ueritas: pro carne succedet spiritus: pro ceremonijs corporalibus regnabit uera pietas: pro regno satanæ proferet se regnum dei. Non est quod cunctemini: non est quod quisquam ad suæ iustitiæ præsidia respectet. Ad mosaicæ legis æstimationē fortassis aliqui iusti sunt apud homines: ad Euāgelicæ legis exactionē peccatores sunt omnes homines. Nec est tamē quod desperetis: agnoscite morbum, & accipite remediū, tantum pœniteat uos uitæ superioris, & credite euāgelio. Offeritur lætus & optabilis nuncius, gratuita condonatio omnium peccatorū. Nihil opus est holocaustomatis, tantum agnoscite uestram iniustitiā, & confidite dei iustitiæ: qui quod per euangelium pollicetur, haud dubie præstaturus est. Promerebitur promissum, quisquis crediderit promittenti. Huiusmodi sermonibus quum dominus Iesus excitasset animos Iudæorū ad philosophiam Euāgelicam, cœpit & ipse Ioannis exemplo discipulos aliquot colligere, sed paucos, eosq; rudēs & humiles: ut per hos conuersis totius orbis nationibus uere constaret, regnū esse dei, non mundi. Proinde quum die quodam faceret iter iuxta lacum Galilææ, uidit Iesus Simonem & Andream fratrem eius opera communi laborantes, ut retia laxarent in lacum: erant enim piscatores, & hac arte sibi uicium parabant. Humilitas artis faciebat ad gloriā: concordia fratrum denotabat ecclesiæ consensum. Piscatura typum habebat Euangelici muneris, quod per sermonem dei, mortales immerfos ignorantiae tenebris ac sordidis huius mundi curis extrahit ad lucem ueritatis, ac cœlestium rerum amorem. Hos igitur piscantes, primum piscatus est Iesus. Venite, inquit, ac me sequimini: efficiam enim ut incipitis esse piscatores hominum. Ad hanc uocem duo fratres nihil contati, relictis ut erant retibus, sequuti sunt dominum Iesum. Nam Iesu uox cœleste habebat incantamentum. Atque hinc progressus pusillum dominus, conspexit alios duos, Iacobum Zebedæi filium, & Ioannem fratrem eius: qui & ipsi reconcinnabant retia sua in nauī, adornantes piscationem. Et hos alibi intentos, subito interpellans Iesus, uocauit: iussitq; ut sese sequerentur. Ut autem agnoscas iuuenes Euangelicæ fiduciæ, nihil morati, relicto etiam patre Zebedæo unā cum mercenarijs in nauī, repente sequuti sunt uocantem. Ab his initijs dominus Iesus collegit principes ecclesiæ suæ, fastiditis interim cum suo fastu sacerdotibus

impletum est
tempus

Et præteriens

ac pharisæis Hierosolymitis. Eiusmodi sodalitiō comitatus Iesus uenit Capernaum: ea ciuitas erat ut opibus florens, ita superba simul & impia. Hic statim aggressus est Euangelizare munus. Nam sabbato ingressus synagogam, publicitus docebat Iudæos: non inania pharisæorum commenta, sed ueram legis mentem explicans, quæ spiritalis erat, nō carnalis. Sensit ilico populus nouum doctorem, ac nouum doctrinæ genus. Homine uidebant humilem, raro contempto: sodalitiō stipatum, sed admirabantur sermonem uim quandam diuinam spirantem. Neque enim scribarum in morem docebat frigidas constitutionum culas, & aniles fabulas de genealogijs, sed dictis aderat autoritas, ac sermoni ueraci fidem adstruebat miraculorum magnitudo. Friget quicquid humanū est, quoties diuina uirtus exerit suam potentiā: & ecce protinus adest ædendi miraculi occasio. Erat in ea congregatione quidam obnoxius impuro dæmoni. Non tulit spiritū cœlestem in Christo loquentem spiritus impius: coepit enim obstrepere doctrinæ cœlesti, uociferās, ac dicens: Quid tibi nobiscū est rei Iesu Nazarene? An uenisti perditurus nos ante diem? Noui qui sis. Nā mirum sanctus ille olim promissus à propheta Daniele, quem deus præ cæteris unice sanctificauit. Dominus autem siue quia nondum uenerat tempus, ut palam profiteretur quis esset: siue quia non placebat uera quidem illa, sed metu extorta confessio, & ab impio profecta spiritus: qui quum ex se sit mendax, & fallere gaudeat genus humanum, nec uera loquens erat audiendus apud populum, ne quis illi post credat mentienti: increpuit illum, dicens: Obmutesce & exi ab homine, sic melius prædicabis qui sis. Nec mora, spiritus impurus ad uocē iubentis domini reliquit hominem, sed dilanians eum, atque ingenti clamore uociferans: ut palam esset, illum non suapte sponte, sed uirtute diuina coactum, profugere. Atque hic exhibita est imago hominis occupati spiritu Satanæ. An non pessimo dæmonio obnoxius est, quem totū possidet ambitio, auaritia, liuor, odiū, libido, cæteræque cupiditates impiæ? Huiusmodi qui sunt, non ferunt sermonē Euangelicum, sed uociferantur: Quid tibi nobiscū est Iesu? Venisti ut perderes nos? Etenim quos possidet huius mundi spiritus, perdi se credunt, quoties coguntur ea relinquere, inquit us sibi falsam constituere felicitatem. Itaque conturbantur ac discerpuntur, dum hinc ad honesta uocat metus æterni supplicij, hinc amplectitur ac retrahit male dulcium malorum consuetudo. Sed nullum est dæmonij genus tam pertinax, quoad Iesu iussu non aufugiat. Marius autem miraculū est, ex ambizioso modestū, ex feroci tolerantem, ex libidinoso castum, ex rapaci liberalem reddere, quæ corpus hominis ab impio spiritu liberare. Sed illud magis admirantur homines, nō quia sit mirabilius, sed quia cernatur oculis corporeis. Itaque iussu simplici profligatum impurū spiritum, uehemēter tum admirati sunt Iudæi, adeo ut inter sese conquirerent, dicentes. Quid hoc est nouæ rei? Nihil tale legimus unquam à prophetis esse factum, ut simplici uerbo propellerent dæmonia. Aut quanam est hæc doctrina noua, quam tanta uirtus comitatur? Prædicat regnum dei, & profert uirtutem dei, Satanæ uires conterens. Neque enim magicis precibus, aut proluxa ad deum flagitatione, aut alioqui magno negotio profligat impios spiritus: sed ceu dominus ac uictor illorum, nudo uerbo imperat illis, & uolentes nolentes obediūt ei. Ex hoc admirabili facto fama Iesu dimanauit per uniuersam regionem Galilææ. Vt autem liqueret, in eo fontem esse diuinæ uirtutis, quæ non possit exhauriri, miracula miraculis succedunt. Mox enim ut egressi sunt è synagoga, uenerunt in ædes Simonis & Andreæ, eodem comitantibus Iacobo & Ioanne. Porro socrus Simonis decumbebat, grauiter laborans febris: eius rei simul atque commune fecissent Iesum, accedit ad lectum, & apprehensa manu mulieris, erexit eam: ac protinus reliquit eam febris. Nec minus perfecta fuit, quæ subita sanitas: nam subito redierat & uigor mulieri, sic ut obiens solita munia, ministraret Iesu cum discipulis suis. Periculose decumbit, quisquis carnaliū uoluptatum amore æstuat, quisquis per luxum uitā igneam trahit. Mulier decumbit, & olim prima mulier pomi illecebra capta, coepit hac febris laborare. Caro nostra, quæ concupiscit aduersus spiritum, Eua nostra est. Sed felices, quos contactu sui spiritus ad cœlestiū rerum amorē subrigit Iesus: ut qui prius seruiebat ocio, luxui, aut immundiciæ, subito uigore recepto, mutatus seruiat castitati, puritati, ac sobrietati. Nam his epulis delectatur ac reficitur Iesus. Iam imaginare domū Simonis esse Ecclesiam, in qua non conuenit esse spiritu languidos, sed Euangelico uigore feruentes: & tamen hic nonnunquā decumbit socrus Petri, hoc est, synagoga. Ad synagogā enim pertinet

nis, cuius corrupto palato adhuc sapit frigida litera: cui sapit aqua sensus pharisaici, nec sapit uinum Euangelici spiritus. Qui simul erant in domo, rogauerunt dominum Iesum, ut iacentem erigeret. Rogemus & nos, qui sumus in ecclesia, ut dignetur & hos metriculosos, literæ affixos, ceremonijs addictos, corruptoque iudicio ea uehementer expetentes, quæ sunt noxia, contra ab his abhorrentes, quæ sola sunt expetenda, porrecta dextera, ad libertatem Euangelicam erigere: quæ non in hoc ualet, ut licetius peccemus, sed ut alacres ac uolentes obeamus munia charitatis Euangelicæ, & Iesum in suis membris refocilemus. Nullo non tempore paratus est dominus ad sanitatem animi conferendam, si quis intetpeller: amat ille uel intempestiuos & importunos interpellatores. Iam erat multa uespera, solq; occiderat, ut improbum uideri posset, medicum id temporis interpellare: sed uicit sanitatis desiderium pudorem. Adduxerant plurimos omni morborum genere correptos, atque inter hos etiam impuris spiritibus obnoxios. Ad hoc spectaculum confluxerat ad ianuam domus tota ciuitas Capernaum. Iesus autem nihil causatus, sanabat plurimos, qui uarijs morbis tenebantur: ac dæmonia multa eiciebat. Celer & expeditus erat medicus, qui dicto pelleret morbum. Porro dæmonia uociferantia ipsum esse Christum, cohercuit: respuens testimonium ab hostibus, & cum quibus noluit suis esse quicquam commercij. A pueris Hebræorum, à piscatoribus prædicari sustinuit, à dæmonibus nullum recipit testimonium, tametsi uerum. Lædit enim ueritatem improbus autor: & nocentius mendax est, qui ueritate sibi fidem conciliauit. Atque ea quidem res tum gesta est, iuxta historiam. Cæterum uidemus & hodie plurimos confluentes ad domum Simonis Petri, quam diximus habere figuram ecclesiæ; nam Capernaum totius mundi gerit imaginem. Occasus solis Christi mortem adumbrat: ianua domus est baptismi, quem ambit poenitentia uitæ prioris, & fiducia sanitatis ab Iesu impetrandæ. Aegroti fores obsident: publicani & peccatores ambiunt recipi in ecclesiæ consortium. Non promererentur autem sanitatem, nisi crederent Iesum & posse & uelle conferre salutem. Infrequens erat ecclesiæ contubernium uiuo Christo, qui lux erat mundi: sed eo mortuo, magna uis hominum ex uniuersis mundi regionibus cœpit affluere. His ita gestis, dominus Iesus, qui non in hoc proprie uenerat, ut mederetur morbis corporum, quos ipse suis nonnunquam immittit, ut ualeant animo: quum uideret multitudinem magna auiditate quærere sanitatem corporis, quæ non pari studio inhiaret doctrinæ cœlesti, qua sanantur animorum morbi, postridie uelut ocij desiderio fefellit turbam, admodum diluculo surgens: ac relicta Capernaum, abiens in locum desertum, illic orabat: patri gratias agens pro beneficijs, quæ per ipsum humano generi largiri decreuisset. Atque hic interim nobis non simplex paratur exemplum, post collatam in alios beneficentiam oportere secedere, ne præmium ab his, quibus benefecimus, uideamur expectare. Deinde nonnunquam ad tempus intermittendam salutiferam doctrinam, quo magis iritemus appetentiam animorum. Postremo crebris secessibus, qui rerum cœlestium contemplationi dantur non uoluptati, spiritum esse uegetandum, quo ad iuuandos infirmos redeat alacrior. Secessit autem in desertum, non quisquis commutauit locum, sed qui ante uiam à curis huius uitæ ad cœlestium rerum contemplationem seuocauit. Simon Petrus reliquit discipuli, ubi senserunt clam abisse Iesum, persequuti sunt illum, donec inuenirent ubi nam esset. Non enim decet ueros Iesu discipulos unquam abesse à domino suo, quæ oportet in omnibus æmulari. Interim & turba quæ mane confluxerat ad ostium domus, ubi didicisset Iesum abisse, consequuta est illum in desertum. Multi sequuntur Iesum, soli discipuli inueniunt, & inuentum alijs commonstrant. Nunciant itaq; domino, adesse magnam uim Capernaitarum, qui quærerent ipsum. Ad quos dominus: Satis est in præsentia hæc fundamenta iacta esse apud Capernaitas, cæterum tempus est, ut proficiscamur & in propinqua oppidula, uicosq; ut & illic prædicem regnum dei. Nō enim in hoc ueni, ut unī prædicem ciuitati, sed ut omnibus annunciem salutē. Peragrabat itaq; dominus Iesus oppida uicosq; totius Galilææ, prædicans in synagogis eorū, morbos depellens, ac dæmonia eiciens, ut apud rudem populū potentibus factis fidem adderet doctrinæ suæ. Accidit autem, ut die quodam, posteaquam Iesus in monte quodam multa prædica docuisset populum de perfectione professionis Euangelicæ: descendenti occurreret quidam lepra, morbo abominabili pariter & insanabili, infectus, in quo corporeis oculis

exhiberetur imago eorum, quæ inuisibiliter gesserat in animis auditorum. Oderat morbum suum leprosus, ac summam de Iesu conceperat fiduciam. Agnoscis resipiscentem peccatorem sanitati proximum. Non ueritus est turbam, cui se sciebat esse abominandum; tantum Iesu bonitatem habebat præ oculis. Ad hunc igitur accurrit: accidit ad genua. Quid hic faceret superbus pharisæus? Clamaret: Submouete detestabilem, ne uel oculos nostros inficiat: & lauacrum posceret, quo hominis afflatum ablueret. Hoc faceret pharisæus, anima contaminatio, quam quiuis leprosus corpore. Quid autem mitissimus dominus, qui solus erat purus ab omni macula? Non propellit à conspectu, non submouet à genibus. Non ignorabat quid peteret, sed insignem hominis fiduciam uoluit omnibus esse exemplo. Qui libidine, qui avaritia, qui odio, qui inuidentiâ, cæterisque foedis cupiditatibus tenentur, execrabilis lepra sunt oppleri. Qui tales sunt audiant uocem leprosi, ut imitentur: Si uis, inquit, potes me mundare. Agnoscit morbum, de potentia bonitæque domini non dubitat. De se an dignus sit tanto beneficio, iudicium defert domino: gratias acturus, si consequatur quod petit, non murmuraturus si non impetret. Diceret enim: potest ille lepram pellere, qui præter omne morborum genus etiam dæmonia eijcit: & uult, qui passim omnibus miseris opitulatur: sed mea tanta est indignitas, ut solus non promerear quod impetrant omnes. Hæc tanta fiducia cum summa modestiâ coniuncta, impetravit misericordiam Iesu. Nam affectum quandam misericordiæ ipso etiam uultu præ se ferens, ut nos doceret quales oporteat esse erga peccatores, manu porrecta contigit leprosum, ac uerbis ab ipso præscriptis mundauit hominem. Dixerat ille: Si uis, potes me mundare. Iesus ait: Volo, mundus esto. Non est multiloqua syncera fides: neque grauatim præstat beneficium Euangelica charitas. Vix ea dixerat, mundus esto, discessit ab homine totus morbus, sic, ut nulla mali uestigia relinqueret. Lex Moysi prohibet leprosum contingere, neque caret salutari doctrina sensus spiritualis. Abstinentium à consortio inquinantium, ne contagium mali transeat ad nos. Sed dominus Iesus lege superior est: neque contactu potest inquinari, qui quicquid contingit, reddit purum. Contigit leprosum manu, & ilico sanauit corpus eius. Oremus, ut suo sermone contingat animos nostros, ut purificet eorum immundiciam. Quisquis es scortator, adulter, alijsque morbis impure, accurre & tu ad Iesum: nam is occurrit tibi, descendens e sua sublimitate: & tuæ conficius turpitudinis aduoluere pedibus illius, procumbe in faciem tuam. Clama ad illum, sed clama cum summa pectoris fiducia: Domine si uis, potes me mundare. Mox audies à misericorde: Volo, mundus esto. His ita gestis, dominus non passus est hominem sese consecrari, sed coegit discedere, interminatus, ne quid huius rei apud quenquam efferret. Quin potius abi, inquit, & ostende te sacerdoti: cuius iudicio iuxta legis ritus leprosus es iudicatus: & si te pronunciauerit uere purum à lepra, offer id quod Moyses præcepit offerri ab ijs, quibus contigisset à lepra liberari. Sic maiore fide prædicabis dei in te beneficiū, quam si statim clamites apud omnes, te mundum esse à lepra. Nam hac ratione constabit ipsis etiam pharisæis, mea beneficia calumniatibus, te fuisse uere leprosum, & præter medicorum aut legis subsidium, solo contactu simplici uerbo fuisse mundatum: & intelligent adesse quandam ipsorum sacerdotio maiorem, qui nullo negotio lepram quauis execrabilem, tollat, quum ipsi magno negotio de lepra iudicent. Abijt pro leproso purus, adijt sacerdotē, inspectus est, iudicatus est purus ab omni lepra: moxque factū ipsum non tacuit, sed diuulgauit passim, & hoc & alia multa de Iesu prædicans. Dicit hic quispiam: Quur in altero præstitit quod erat iussus, in altero neglexit domini præceptum? Quoniam alterum pertinebat ad cōfirmandā miraculi certitudinem, ut sacerdos ignarus, à quo sanatus esset, pronunciatet de perfecta sanitate per Iesum restituta, qui fortasse calumniaturus fuisset Iesu beneficiū, si priusquā pronunciatet, autor beneficii fuisset cognitus. Sed confirmato per sacerdotis sententiā miraculo, ad dei gloriā pertinebat diuulgare quod factum erat. Quur igitur Iesus iussit silei, quod uoluit diuulgari? Nimirū ut nos admoneret, ex bene factis nostris, quæ deus operatur per nos, nō esse querendā gloriā apud homines, quod ea speciosior sequatur fugitantē. Magni animi est, sic dare beneficiū, ut ab eo cui das, nolis tibi gratias agi, contentus iuuisse proximum. Cæterū hoc maiore studio prædicare debet apud omnes, quod beneficio adiutus est. Christo nihil erat ab inani gloria periculi: sed nobis, quibus hinc plurimū est discriminis, exemplū hoc parabatur. Neque uir ille cōtēpsit Christi iussa

illa, sed immensa latitudo de sanitate reddita, & impotens quidā amor erga salutis auctore, non patiebatur illum silere. Fit autem ferè, ut maiore cum fide narremus, quæ malueramus silere, nisi res ipsa cogeret efferre quod est in animo. Quid autem est consequutū ex huius hominis prædicatione? Tanta de domino Iesu nata est omnium opinio, ut iam ob turbam affluentium non posset palam ingredi ciuitatem, quemadmodū consueuerat: sed cogeretur, uitatis urbibus, in desertis locis uersari. Qui præstigijs ac magicis miraculis sibi famam & quæstum aucupantur, ciuitates quàm maxime frequentes expetunt. Iesus autem subinde fugitans hominum frequentiam, docet quid nobis agendum sit. Qui pollet miraculis Euangelicis, non tam quærit numerosum theatrum quàm ardens. In ciuitatibus multi affluebant, tantū ut oculos nouitate spectaculi pasceret. In desertis loca nemo sequitur Iesum, nisi uehementi quodam illius desiderio flagret. Qui relictis urbium delicijs, per aspera & inuia sequitur Iesum, is magno cum fructu suo sequitur. Etenim qui uere illum amat, per omnia sequitur quem amat, per ignominiam, per famem, per direptiones facultatum, per exilia, per carceres, per cruciatus, per mortes. Horum imaginē sustinebant illi, qui ex omnibus Galilææ regionibus concurrebant ad Iesum in desertis locis latitantem.

CAP. V. T. II

NERAM uirtutem quocumq; fugias, sua sequitur gloria, non aliter quàm umbra corpus. Non enim potest sui dissimilis esse, qui uere bonus est: & quem admodum quocumq; sese transfert corpus solis, ibi lumē est, ita quoquē locorum fugitat uera pietas, ibi celebritas est. Iam enim desertum desijt esse desertum, posteaquam eò se contulerat dominus Iesus, uera lux huius mundi. Et tamen qui præditus est Euangelica uirtute, non desinit, quod quidem in ipso est, fugitare theatrum populare: nimirū intelligens, quàm periculosa pestis sit, famæ sitis, sed in uinum subinde eodem reuocat iuuandi beneq; merendi studiū. Itaq; fit, ut dum uir bonus aliunde aliq; propellitur, ad plures dimanet ipsius beneficentia. Iesus itaq; nobis formam exhibet, & fugitandæ gloriæ, & perpetuo benemerēdi de proximis, post dies aliquot reuertit Capernaū, unde multitudinis importunitate uidebatur propulsus, quæ nocturnis etiam horis fores domus, in qua diuersabatur, obsederat. Quemadmodū enim Bethlehem cunis suis nobilitauit, Nazaret educatione celebrem fecit, Aegyptum fuga sua felicē reddidit, ita Capernaum frequenti commoratione, atq; inibi proditis subinde miraculis, uelut adoptauit in patriam. Huc autē uelut furtim reuersus est, prius abdens sese in domū, q̃ aduentus ipsius innotesceret uulgo. Verum ut non potest latere sol, ita non potest esse clam dominus Iesus. Rumor, ut fit, à paucis exortus, iā per omnē ciuitatē sparserat, Iesum esse in edibus. Nec mora, tanta uis hominū eò confluit, ut non solum tota domus impletur, uerum nec uestibulum, eaq; loca quæ sunt ostio uicina, caperent multitudinē. Beata domus, in quam immigrauit Iesus, & à qua nuncq; recedit: Ea est ecclesia. Nā Capernaum totius orbis, quacumq; gētes incolunt, gerit imaginem. Nimirū Hierosolymis efficiebatur & templo Iesus: apud gentes regnum cœlorū uisum patitur, & uī quadā irrumpit promiscua multitudo. Obsident fores catechumeni, magno desiderio ambientes, ut admittantur in domum domini, esurientes & sitientes iustitiam regni cœlorum. Iesus autem ab hac domo hominem excludit, neque pauperem, neq; diuitem, neq; sanum, neq; ægrotum, modo uelut benemerit exoptet audire Iesum. Dominus igitur docens nos, ubiq; primam habendam esse rationem animorū, posteriorem corporum: in primis impartiebat eis sermonē Euangelicum, quo sanantur animorū morbi. Proinde recte faciunt, qui daturi mendicis elemosinam, prius eis admonitiunculam aliquā impartiunt quæ reddat animos illorū meliores, mox stipem largiuntur. Nam uulgus hominū præpostero rerū iudicio, uehementiori studio fertur ad ea, quæ corpori conducunt, q̃ quæ ad animi salutē pertinent. Dominus autem exemplo suo monstrauit nobis, quæ potior est hominis pars, eius priorē oportere curam esse: prius docēs, mox sanans ægrotos. Porro quum adhuc doceret Iesus & animis curandis operam daret: adueniunt quidā adducētes secum paralyticum, totius corporis neruis ita morbo solutis, ut affixus lectulo, à quatuor baiulis deportaret. Habes simul huius mentis terrenis cupiditatib; sic effœminatæ dissolutæq; ut ad nulla pietatis officia se possit erigere: sed humilibus ac sordidis curis affixa, nihil sublime aut cœleste cogitat. Porro quū obstante conferta multitudine, quæ fores ac uestibulū obsederat, non possens eum

cum deferre in conspectum Iesu: sarcinam suam sustulerunt in lectum, eo detractis tegulis patefacto, demissis funibus, pensilem hominem unà cum lecto deposuerunt ad pedes Iesu nihil addubitantes, quin misericors dominus opitulaturus esset misero: simulatq; suis illis oculis conspicatus esset paralyticum, uiui cadaueris ritu solutis membris decumbentem in lecto. Viderat & ante Iesus miserum, nec ignorabat fiduciam eorū, qui hominem adduxerant. Poterat non interrupto sermone per quemlibet illis denunciare: Surgat ille paralyticus, ac subito sanus, lectulum suum domū repperet: uerum oculis omnium exhibere uoluit miserabile spectaculum, simulq; declarare, quantam uim habeat apud deum syn cera in ipsum fiducia. Morbus erat insanabilis, iamq; inueteratus: aditus importunus: & tamen certam spem illis porrigebat domini bonitas, cum pari potentia coniuncta. Iesus igitur perspecta illorum insigni fiducia, tanto magis est misertus hominis, quanto magis uidit illum grauius animo laborare, q̃ corpore. Nemini non miserandus uidebatur, qui careret omnium membrorum usu, sed longe miserabilior erat animus uitij obnoxius. Nihil expectabatur, nisi ut corporis integritas restitueretur misero, quod ipsum erat humanis uiribus maius. At Iesus delectatus tam insigni fiducia, totum hominē sanare uolens, uersus ad paralyticum: Fili, inquit, remittuntur tibi peccata. Erant in eo confessu scribæ quidam, quos eruditio sacrarum literarū nihilo reddebat meliores, sed potius ad calumniandum propensiores. E prophetarū ac Mosi libris didicerant, solius esse dei, cōdonare peccata. Sacerdos enim non remittebat peccata, sed intercessorem agebat apud deū pro peccatis alienis, non sine uictima. Id quum non ignorarēt scribæ, sic tacite cogitabāt in cordibus suis: Quam hic nouā uocem profert, quā nec Moyses, nec Aaron, neq; quispiā ueterū prophetarum ausus est proloqui: Remittuntur tibi peccata. Nimirū iste sibi uindicās auctoritatem diuinam, contumeliosus est in deum. Quædam peccata lex iubet puniri morte, quædam holocaustis, alijsq; sacrificijs expiantur sacerdotis interuentu: hic nihil moratus eiusmodi ritus, semel omnium criminum summā uerbo condonat. Nō est hominis quod sibi sumit: solus deus potest præstare quod hic pollicetur. Nimirum offendeat illos infirmitas humani corporis, quod uidebant, eoq; nihil supra hominē de Iesu poterant suspicari. Neq; uero magnificentius de eo sentiebat populus, cui tamen hoc adserebat simpliciter ut minus esset ad calumniandum propensus. Eas cogitationes huius mundi spiritus *Cognito Iesus* *spiritu suo* suggerebat animis scribarum, qui legis Mosaicæ literam mordicus tenentes, à spiritu legis erant alieni, & hoc magis erant indociles, quod sibi docti uiderentur: ut hic quoque locum habeat, quod uidemus in pictoribus & cantoribus euenire, qui minore mercede docent prorsus artis rudem quàm qui ab alio præceptore male sit institutus: propterea quod in rudi simplex sit capiendus labor: in male docto ut prior ita molestior sit dedocendi labor q̃ docendi. Atq; has impias cogitationes prudentia quadā humana premebant apud sese, metuentes populū, apud quem sese uenditabant. Iesus autem qui suam diuinitatē factis testari maluit, quàm oratione prædicare, ut ostenderet scribis, nihil esse tam abditū in cordibus hominū quamlibet astutorum, quod ipsius fugeret spiritū omnia scrutantē, & omnia perspicientem: uersus ad eos, perinde quasi proloquuti fuissent, quod animo cogitarent, ait illis: Quur istas cogitationes calumniosas uersatis in animis uestris? Quur ex huius corporis infirmitate me iudicatis potius, q̃ ex factis ipsis? Quin potius ex his, quæ cernitis oculis, quæq; non potestis inficiari, ea colligitis esse uera, quæ non possunt oculis cerni? Offendit uos hæc uox: remittuntur tibi peccata: & putatis irritam, quia nō uidetis efficaciam quæ sese exerit in animo. Vos autem quū habeatis oculos corporis sanos, mentis oculos habetis uitiatos. Quid si de promā huic similem uocem, cuius efficacia se probet oculis uestris, an non æquum est, ut ex eo quod cernitis, credatis etiā id quod nō cernitis? Nihil est apud homines facilius, quàm dicere: difficillimū autem præstare quod dixeris. Apud deum autem eadem est facilitas & dicendi & perficiendi. Hanc potestatem si hæc nūc dominus non dedit hominī, non est tamē illi adempta facultas dandi, cui uelit. Et per prophetas olim pollicitus est se missurū Messiam suum, qui auferret morbos populi Israelitici, & peccata aboleret. Itaque nolite spectare corpusculum hoc, uestris corporibus simile, neq; uestem hanc nullis phylacterijs aut fimbrijs pictis insignem, neq; uocem hanc à cæterorum hominū uoce nihil dissonantē. Ex re sumite iudiciū. Cuius in promptu est dicere peccatis obnoxio: Condonātur tibi peccata, atq; æque proclius est dicere paralytico morbo

morbo obstricto. Surge, tolle lectulum tuum & ambula. Audistis unam uocē & calumnia
 mini, audite nunc alterā, quam calumniari nō poteritis, ubi uideritis palam rem dicto esse
 comitem. Id faciam, nō ut iactem potestatem meam, sed ut intelligatis filio hominis, qui
 uobis nunc humilis uidetur & imbecillis, à deo traditam esse potestatem uerbo remitten
 di peccata, quam uestri sacerdotes nunquam habuerunt: idq; non solum in Iudæa, sed in
 terris etiam omnibus: ut quicquid ille remiserit in terris, remissum sit in coelis: quicquid
 non relaxauerit in terris, idem maneat astrictum in coelis. Non est quod calumniemini,
 sed est quod uobis gratulemini si deus suam erga uos benignitatē auxit. Si dicitis hoc non
 posse deum, maiestatem illius læditis, si non uelle bonitatē offenditis, si non facere, quum
 pollicitus sit, mendacem facitis: si in his quæ sunt animi non creditis, cum in his, quæ pa
 lam cernitis oculis corporis, tergiuersari non possitis, peruersam & obstinatam uestram
 maliciam declaratis. Hæc loquutus Iesus, atq; illis attentis, quid esset factururus, uersus ad
 paralyticum, ait: Tibi dico surge, tolle grabbatum tuum, & abi in domū tuam. Ac uix edi
 tum sermonem manifesta præsentanea q; uis consequuta est, Non enim paralyticus pau
 latim ac tandem ægreq; coepit sese mouere, sed ad Iesu uocem alacer erexit sese, quasi nun
 quam sensisset ullam paralytin, ac sublato in humeros lectulo per confertam hominū mul
 tudinem egressus est, nouū & antehac inuisum omnibus spectaculum exhibens: ut qui
 paulo ante uelut exanime quoddam cadauer à quatuor baiulis affixus lecto deportaba
 tur, nunc gestiens & alacer, tantæ etiam sarcinæ gestandæ solus sufficeret. Datus est locus
 exeunti, qui negatus est adueniēti. Sic enim expediebat utrunq; ut uenienti obfistens tur
 ba, fiducia magnitudinem omnibus faceret manifestam: & datus per mediam mul
 tudinem exeunti locus, miraculi spectaculum omnium oculis subiceret. Viderunt hæc
 scribæ, ac non solum correcti non sunt, uerum etiam magis incanduit illorum inuidia.
 Ceteri uero, quotquot aderant, insolito miraculo stupefacti, glorificauerunt deum: qui
 talem potestatem dedisset homini, ut simplici uerbo & peccata condonaret, & morbum
 insanabilem adimeret: ingenue confitentes, inter omnia quæ narrarētur à sanctis superio
 ribus peracta, aut quæ suo seculo uidissent à sanctis uiris fieri, nihil huic factio simile exti
 tisse. Iam uero si ad sculptorum aut pictorum opera nonnunquā resistimus, singulas artifi
 cū partes cōtemplantes, semperq; noui quippiā animaduertentes, quod prius oculos sus
 fugerat, equidē arbitror non abs re fore, si ad hoc tam insigne spectaculum aliquantisper
 commoremur, pia curiositate collustrantes singula: quandoquidē quicquid gessit in ter
 ris dominus, in hoc gessit, ut in his philosophantes, nobis decerperemus, quod ad pie ui
 uendū conducit. Id maiore cum fructu fiet, si primū consideremus, quod foris exhibitum
 est oculis corporeis: mox, quid in animis gerendum, hac imagine nobis est significatum.
 Primum igitur consideremus morbi uim ac magnitudinem, quem dominus Iesus uerbo
 depulit. Siquidem paralytis humore noxio neruos corporis, qui motus sunt organa, oc
 cupat, ac torpescit: sic, ut qui laborat hoc malo, membra corporis nō ad usum, sed ad sar
 cinam molestatam habeat, ut propemodū uiuum cadauer esse uideatur: non in aliud spirās,
 nisi in poenam suam. Hoc malum ferè aut subito tollit hominem: aut, si id nō fit, crudelius
 lenta morte consumit. Est autē de numero eorum à quibus medicorū ars, uelut ab
 inmedicabili malo libenter abstinet: aut si tentet uincere, diu frustra luctata, tandem disce
 dat infelix: præsertim si non in unam aut alterā corporis partem, sed uniuersum occupa
 rit. Porro quā fuerit huius hominis deploratum malū, lectulus indicat, cui affixus, non
 aliter q; exanime cadauer, à quatuor baiulis gestabatur: quin frequenter & linguæ usum
 eripit, ac mentis uigorē hebetat. Quod huic quoq; uidetur accidisse, qui nihil rogarit do
 minū, quū tāto malo premeretur. Quis autē tam durus est, cui tale spectaculū non moue
 ret misericordiā? Quis nō feliciorem iudicaret extinctū, quā sic spirantē? At nunc mihi
 paulisper adhibe spirituales oculos, & cōsidera, quāto sit infelicior animi paralytis, cuius
 omnes uires sic occuparunt rerū fluxarū frigidissimæ curæ, ut totus ad omnia pietatis offi
 cia torpeat, ut nec manus habeat ad subueniēdū inopiæ pauperū, nec pedes quibus adeat
 Iesum, nec linguā, qua seruatoris opem imploret: sed uelut iustitiæ mortuus, cupiditatum
 baiulorū arbitrio huc & illuc circumferatur. Quid faciat infelix animus, qui luxu, qui
 voluptate, qui studio gloriæ & pecuniæ totus solutus & enervatus, ex sese nullū habet ro
 bur à sordidis curis subrigendi sese ad amorem rerum cōlestiū: Totus affixus est infelici
 grabbato

grabbato cupiditatum carnis, in quibus conquiescit. Nulla certe potestas hominum potest huic opitulari: solus Iesus potest omnem morbi uim omnipotenti iussu propellere. Hic igitur medicus adeundus est, cui nullum malum est immedicabile, sed adeundus est cum ingenti fiducia, quæ tantum ualet apud dominum Iesum, ut huic paralytico præsidio fuerit etiam aliena fiducia. Nihil illi quidem orant uerbis, sed tamen re magnopere flagitat. Est autem efficax in primis apud Christum flagitatrix fiducia, quando uidemus etiam iuxta humanos affectus magnam sollicitudinem injici mentibus nostris, ubi sentimus aliquem toto pectore de nobis pendentem, sibiq; certam spem in nobis collocasse. Deus autem à peccatoribus nec holocaustomata requirit, nec donaria. Tantum agnosce morbum; & confide de medico: quāquam ut hoc ipsum possis, nemo largitur, nisi deus. Is enim ubi pro sua bonitate decreuit sanare paralyticum animum, immittit illi mirabile quoddam sui ipsius tadium, sic, ut semet oderit, ac uitæ etiam tædeat. Contuetur in quibus tenebris, in quibus flagitijs uersatus sit, horretq; seipsum, plane desperaturus, nisi qui immisit acetum doloris, adderet oleum bonæ spei. Iustitia dei perturbat animum sibi male conscius, minatur uindictam sceleribus debitam, intentat gehennā: sed à desperatione reuocat considerata dei bonitas: qui non quærit mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Dominus Iesus, qui naturam restituit, qui Mosi legem nō soluit, sed absoluit, ad communem etiam uulgi sensum sese accommodauit. Si potio per fidum medicum administrata, uehementer concitat totum corpus, præsertim in morbo capitali, quo maior est perturbatio, hoc magis speratur sanitas: Ita quo propior est desperationi peccator resipiscens, hoc saluti uicinior est, medico Iesu. Iam mihi considera pudentem impudētiam. Est enim iuxta uulgi quoq; sermonem, pudor inutilis uiro quem urget necessitas. Pudor autem pudorem pellit, non aliter quā clauus clauum. Inutilis autem pudor est, cælare morbum. Hunc pudorem extundit morbi tadium, ac salutis impetrandæ concepta spes: iamq; non pudet fateri morbum, quia pudet agrotare. Quis hominum in graui corporis morbo meminit pudoris? Nonne secretissima etiam corporis membra nudant, ac medico tractanda permittunt? Nec aliter affectus est, qui scædum animi morbum cœpit agnoscere. Quid enim improbius, quā conscendere tectum alienæ domus, deijcere tegulas, aperire fenestram, sordidum & abominandum spectaculum ex alto ingerere oculis omnium? Quid hoc dicturus erat superciliosus pharisæus? Nimirum clamasset, indignum facinus: magnisq; conuictijs incessiuisset illorum improbitatem, qui contra ius publicum, perfollo tectum, irrumperent in priuatum alienū, ac funesto spectaculo simul & sermonē sacrum interromperent, & oculos auditorū contaminarent. Iuberet abigi cadauerosum paralyticum, sedq; totum aqua prolueret. At his, quibus offendendus erat ostentator Mosaicæ iustitiæ, quoniam arguebant insignem erga se fiduciā, dominus Iesus delectatus est, adeo, ut nec expectatis precibus calamitosum hominē sanitate donaret. Ac primū adimit animi morbos, quæ sunt peccata: mox paralyti leuat corpus: quod quemadmodū nonnulla uitia ex corpore sumptis initijs permanant ad animum, ita non raro fit, ut ex animo natum morbum corpus contrahat: ueluti quū libido ex carnis humoribus orta conspurcat animum: atq; inde rursus in corpus reciprocatur malum, paralytim gignens aut morbum comitiale. Aut quum liuor ex animi uitio sumens originem, corpus etiam tabefacit. Solus autem sanare potest utranq; hominis partem, qui utranq; condidit. Considerandum est & illud, quanta fuerit largitas Iesu in condonandis peccatis. Quum enim ait condonantur tibi peccata, relaxat uniuersa. Nec ulla meritorum præteritorum mentio, nec ulla sacrificiorum aut satisfactionis exactio: tantum fiduciæ fit mentio. Satis est, uenisse ad pedes Iesu. Satis sacrificauit, qui se illi cum plena fiducia ostendit: nullum illi gratius holocaustoma. Totus sibi displicebat ille paralyticus, & male sibi cōsciens, & miserabili corporis morbo oppressus. Tota spes erat in potenti bonitate Iesu: ille totum restituit, quia se totum Iesu medico commisit. Non reputabat, quā esset immedicabilis morbus: tantū cogitabat, quā potens, quā bonus esset medicus, cui sese concredebat. Quæ spes autem istis, qui morbo suo blandiuntur, qui fugiunt oculos medicī, imò qui medicū oderunt & auersantur? Si te pudet apud medicum hominem, aut si quid diffidis, qui fortassis cognitum morbum exprobraturus sit potius, quā subleuaturus, noli cælare morbum tuum apud Christum, qui neminem traducit, sanat omnes & sanat gratis: ut tibi quoque contingat, quod contigit paralytico

satisfactio

paralytico. Quid is fecit? Sustulit in humeros grabbatum suum, uersa rerum uice: nimirum imperans cupiditatibus, quibus antea seruierat: hoc est enim gestare crucem, hoc est crucifigere carnem cum uitijs & concupiscētijs. Iam nihil est opus quatuor baiulis. Suis pedibus ambulat, quocūq; agit illum Christi spiritus: nec aliō uadit, quā quō iussus est. Quid enim est ambulare, nisi uirtutū profectibus semper ad meliora progredi? Quid est, redire in domum unde uenerat: nisi agnoscere, qualis illinc exierit: & cuius beneficio subito mutatus, eō redierit? Nam pharisaeorum est, habitare in plateis, foris & conciliabulis. Domi suae habitat, qui se nouit quā nihil sit: & quicquid habet uirtutum, id totum ascribit gratuite benignitati seruatoris. Iam te dimittā ab hoc spectaculo, si personas huius scenae demonstraro. Paralyticum & huius baiulos fiducia reddit impudentes, & impetrant quod desiderant. Iesus delectatus eorum fiducia, etiā non rogatus ultro duplicat beneficium. Populus simplex & illiteratus, nihil dijudicans in eo, quem credebat esse hominem, tantum admiratur uirtutem diuinā: soli scribae taciti apud sese murmurant. Fugiamus exemplum scribarum: qui dum suae student gloriae, Iesu gloriam conantur obscurare. Simus ē simplici turba, glorificantes deum: non solum, si quando nobis sua clementia adimit morbos animi, uerum etiam quum alios uidemus eiusdem benignitate a pristinis uitijs resipiscere. Hoc insigni miraculo gesto Capernaui, quo pluribus prodesset, rursus commutauit locum, ac sese contulit ad lacum. Non se subduxit hominum saluti, sed fugiēs insanabiles scribas, piorum hominū desiderium abitu suo prouocauit. Siquidem ad lacum quoq; magna uis hominum confluebat: docens nos, omnibus relictis, Iesum esse sequendum quocūq; se contulerit. Nusquam enim nō seruator est, siue urbes incolat, siue uicos & oppida peragret, siue uersetur in desertis, siue conscēdat montes, siue descendat in campēstria, siue lacus adeat. Videns itaq; numerosam hominum multitudinem confluisse, nec ignorās quamobrē eō cōcurrisset, docebat illos in littore. Quumq; faceret iter in littore, praeteribat teloneum quoddam, in quo sedere solent, qui a praeter nauigantib. uectigal exigunt. In eo uidit Matthaeum quendam, qui idē dicitur ē Leui, Alphei filium, sedentem ad teloneum. Erat enim publicanus. Id hominum genus quanquam ubique populo est inuisum, tamen apud Iudaeos peculiariter habebantur abominabiles. Redimunt enim iniqua summa munus a principe, eoque fere, quo plus lucri faciant, inclementer extorquent ab omnibus, odioseq; negocium facessunt nautis ac uiaoribus, quibus nonnunquam & aliunde satis est incommodi. Erant autē apud Iudaeos plurimi, qui negabāt Iudaeos, populum deo sacrum, pendere tributum oportere Caesari prophāno principi, & idolorum cultori. Hinc factum est, ut publicanos, qui Caesaris negocium ad quāstum usurarium agebant, uehemēter execrarentur. Dominus autē, qui prius exprobrauerat scribis suam incredulitatē, obmurmurantibus miraculo, quum turba simplex deum glorificaret, rursus ostendere uoluit, nullos longius abesse a uerā religione, quā qui sibi uidebantur eximie religiosi, Matthaeum auocauit a teloneo, iussitq; ut ipsum comitaretur. Ille subito mutatus, relicta sella quāstuarīa, sequutus est pauperem Iesum, ut Euangelicis opibus ditesceret. Hoc factum non omnes perinde mirabantur, tamen erat multo prodigiosius eo, quod paulo ante demirati fuerant in sanato paralytico. Nam illud mihi cogitā, quanta paralyti laboret, cuius animus affixus est studio pecuniae: nec obscurum est quā sint perplexae publicanorum rationes. Et tamen hic subito factus alius, mirabilius exiit a teloneo suo, & omnibus relictis sequutus est Iesum, quā paralyticus ille exiliens ē grabbato suo, domum abiit. Phariseus audit Iesum multa differentem, uidet miracula patrāntem, & diffidit ac obmurmurat. Publicanus, qui nihil tale audierat aut uiderat, simplici dicto Iesu obtemperat. Et ecce rursus occasio, qua magis illustretur & pharisaeorum iniquitas, & Iesu benignitas. Matthaeus enim iam certus Iesu discipulus, quo pluribus illum commendaret, suisq; ordinis nuper sodales ad Euangelicum quāstum adducti, rogare dominū ausus est, ut domi ipsius uellet esse conuiua. Obtemperauit Iesus roganti, quandoquidem ille obtemperarat uocanti. Matthaeus rem magnam impetrasse letatus, apparat conuiuium splendidum ac magnificum, quod multis esset suffecturum, uidelicet discipulis, quos iam aliquot collegerat dominus: ac praeter hos non paucis alijs, qui tum Iesum comitabantur, & ad conuiuiū eunti fuerunt umbrā: multisq; publicanis, & peccatoribus etiam, quos ob priusnam notitiam ac familiaritatem eodem uocauerat

Matthæus, non erubescens quales aliquando sodales habuisset, qui tum ad aliud sodalium transisset: sperabat enim fore, ut quemadmodum ipse uocatus fuisset à domino, itidem & plures, quos habuerat infamis quæstus ac uitiorum socios, Euangelicæ philosophiæ, quæ largitur opes coelestes, haberet condiscipulos. Hanc spem illi præbebat perspecta Iesu singularis in omnes clementia. Decebat autem amplum esse conuiuium, quod ecclesiæ ex gentibus colligendæ gerebat imaginem. Parca sunt enim & angusta Iudæorum conuiuia, qui carnem legis sequuntur, quum spiritus sese latissime diffundat, omneque hominum genus recipiat. Libertatem amant omnes, clementia opus est omnibus. Iustitia paucorum est: hanc quum non haberent, sibi uindicabant pharisæi. Qui quum conspicerentur Iesum cum publicanis & peccatoribus agentem conuiuium, quos ipsi ueluti sancti, nec alloquio dignarentur, adeunt illius discipulos, rudes adhuc, & qui facile uiderentur abduci posse à præceptore, hos captant uenenato susurro: Quamobrem, inquiunt, magister uester, quem uos deserto Ioanne ut sanctiorem sequimini, cum peccatoribus edit ac bibit, quum mensæ communio summum sit familiaritatis indicium? An non legit quod scriptum est: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris? An non cogitat, quod hac consuetudine addit animos peccatoribus, qui uitati, fortasse resipiscerent? Ad hæc quum discipulis adhuc rudibus, non esset in promptu quod responderent, sed tantum simplici fiducia pendebant à domino: Iesus, quem nec uoces clanculariæ, nec cogitationes occultæ pharisæorum latebant, pro discipulis respondit: Quid obmurmuratis pharisæi, quod cum his, quos uos pro impijs & abominandis ducitis, agitem conuiuia potius, quàm cum sacerdotibus, scribis & pharisæis? Laudantur medici, qui sapi quum uocantur, adeunt ægrotos: & ego culpor quod eos adeam, qui morbum agnoscunt animi sui, & medicum desiderant. Qui prospera ualeitudine sunt, non expostulant cum medico, dicentes: Quare inuisis illos & illos, nos non inuisis? Etenim qui ualent, nihil opus habent medico, at medicorum ars his debet esse parata, qui male habent. Hi qui morbum suum agnoscunt, gaudent adesse medicum. Vidistis enim in paralytico mihi traditam esse potestatem tollendi peccata. Vos qui uobis uidemini sani, uindicantes uobis iustitiam, non habetis quod expostuletis cum medico, si uos non adeat. Ideo missus sum in mundum, ut tollam peccata mundi. Quicumque morbum agnoscit, ac medici desiderat opem, huic non deero. Porro qui sibi uidetur uacare culpa, si recte sentit, non eget ope nostra: si laborat falsa persuasionem, aut si sibi male conscius, tamen dissimulat morbum suum: hunc quoniam insanabilis est, frustra adiret medicus. Quis enim curet inuitum? Proinde iniuria reprehenditur medicus si id facit, quod proficeretur ars: sed insignis est inhumanitas eorum, qui cum sani sint, medici præsentiam inuident ægrotis. Nec hoc quod facio uobis, qui legis scientiam profitemini, nouum uideri debet. Sic enim legitis: Misericordiam uolo potius, quàm sacrificium. Hæc deus per prophetam loquutus est, significans abolendam carnalem legis iustitiam, quæ constat abstinentia manifestorum flagitiorum, & obseruatione ceremoniarum. Qui non committit homicidium, qui non furatur, qui non mœchatur, qui quiescit sabbatis, qui ieiunat statis diebus, qui lauat, qui sacrificat, iustus est apud homines. At deus aliam iustitiam requirit, quæ constat gratuita beneficentia in proximum, ignoscentia ac lenitate. Quantum uero absunt ab hac laude, qui non solum non opitulantur proximo suo, uerum etiam inuident & obstrepunt, si quis opem ferat egentibus. Talem autem uobis deus promissit Messiam, non qui sacrificijs, phylacterijs, ieiunijs, ac prolatis precationibus superaret pharisæos, his rebus sese populo uenditantes: sed qui beneficus in omnes lux esset errantibus, subleuator oppressis, consolator afflictis, medicus contritis corde: qui quæ eos, qui longe uidebantur abesse à deo, deo iungeret: qui uero deo uidebantur esse proximi, hos declararet procul abesse à uera pietate. Hoc sermone dominus Iesus simul & os obrurauit pharisæis, & discipulos docuit, quales sese præstare deberent erga peccatores. Multum debemus pharisæorum maliciæ, quæ subinde dominum prouocat ad explicationem Euangelicam doctrinam. Ecce rursus adeunt Iesum aliquot discipuli Ioannis, iuncti calumniatoribus pharisæis. Nam & illos liuor quidam humanus arripuerat, quod Iesus Ioannis famam uideretur obscurare, quum Ioannis uita, & institutio uideretur esse superior, quàm Iesu: qui discipulorum etiam numero fuerat superior. Adeunt itaque Iesum & calumniosam obijciunt quæstionem: Quare, inquiunt, discipuli Ioannis & pharisæorum

rum ieiunant frequenter, tui autem discipuli non ieiunant: Ad hanc quæstionē, quoniam ipsum petebat non discipulos, dominus Iesus clementius respondit, quam paulo ante fecerat discipulis suis patrocians: nos interim docens, Euangelicam charitatem, quæ lenis est in malis sibi proprie inflictis, diligentiorē esse in propellendis malis alienis. Oportet enim episcopum Euangelicum in iniurijs ipsius capiti ingestis, tolerantē ac lenem esse, ceterum magno studio succurrere gregi periclitanti. Ait itaq; Iesus: Vos qui sedulo audistis Ioannem Baptistam, meminisse debetis, quod ille me prædicarit esse sponsum, se uero sponsi amicum. Par est autem abesse tristitiam omnem, ubi adest sponsus. Moses seruus est, non sponsus. Illi congruebant ieiunia, quæ tristitiam habent, & hilaritatē obnubilant. Recte ieiunant, qui manent in synagoga, ancilla non sponsa. Non enim uersantur in cubiculo sponsi. Cæterum liberi qui uersantur in thalamo nuptiali, quā diu sponsum ipsum habent præsentem, non possunt ieiunare, quod gaudij magnitudo nō sinat eos meminisse tristitiam. Qui metu pœnæ suum facit officium, alacer esse non potest. Porro filij qui spiritum liberalem hauserunt, intelligentes se charos & curæ esse sponso, non anguntur sollicitudine, ne peccent in his, quæ ad tempus præscripta sunt ingenio seruili præditis, in lotionibus, in sabbatistis, in delectu ciborum, in uestitu, in diebus festis, in sacrificijs. Confidunt enim potentia & bonitati sponsi, qui sine his omnibus potest absolutam conferre iustitiam. Fiducia spiritualis tollit sollicitudinem carnalem. Charitas omnia condulcans addit alacritatem. Habet sponsus cibum suum, à quo sodales ipsius non possunt abstinere. Cibus animi est sermo cœlestis, cibus animi caro est ipsius sponsi: potus animi sanguis est eiusdē. Hoc cibo semper satiari cupiunt, qui mihi propius adhærent: hoc potu cupiunt semper inebriari qui uersantur in thalamo sponsi. Cæterum ut cibus corporis nō confert iustitiam, ita nec ieiunium: ac sæpe fit, ut uescens iustior sit ieiunante. Tristitia sunt ieiunia, quæ præscribit lex, & ob hoc minus grata deo, qui diligit hilarem datorem. Hilaris autem esse non potest, qui metuit, qui trepidat. Cæterum qui sciens sese in hisce rebus esse liberum, & ex charitate sua sponte ieiunat, is lætus & alacer ieiunat, non quia sic præscriptum est, sed quia sic hortatur charitas. Quum ad hanc firmitatē, ad quam nunc formantur, mei discipuli profecerint, plus impetrabit ab eis charitas, quā nunc extorquet à uobis legis aut Ioannis præscriptio. Nondum autem ad hoc roboris peruenerūt. Adhuc teneri sunt. Obstat enim illis huius corporis præsentia. Venient autem dies, quum corporalis sponsi præsentia tolleretur ab illis: tunc facti firmiores, hausto cœlitus spiritu, non solū ieiunabūt, idēq; sua sponte, uerum etiam fortiora magisque mascula præstabunt uolentes & alacres. Hæc doctrina quoniam spiritualis est, non capitur ab his qui in pharisaicis ceremonijs inueterauerint. Et idcirco mihi simplices ac rudes delegi iuuenes, lusus operam, si spiritualē ac cœlestem doctrinam credam animis, carnalium rerum superstitione uehementer occupatis. Vetera ueteribus, noua nouis congruunt. Quæ si misceas, non solum inane sumis operam, uerum etiam eos quos in melius mutare coneris, reddis deteriores. Præstat enim in ueteri superstitione perseverare, quā adempto metu peccandi, dum ad libertatem spiritus studes adducere, ad peccandi licentiam inuitare. Quemadmodū enim plin habet negotij, qui docet imbutum hac falsa persuasione, quod artem calleat, q̄ qui potius artis ignarum: ita difficillimum est eos ad Euangelicam iustitiā instituere, qui ob carales obseruationunculas sibi persuaserunt, quod absolutam iustitiam sunt consequuti. Hinc nimirum est, quod piscatores, publicanos, peccatores, meretrices & ethnicos magis dociles comperio philosophiæ spiritualis, quā scribas, phariseos ac sacerdotes, qui in humanis ceremonijs perfectam statuunt pietatem. Ioānes ut medijs inter ueterem ac nouam legem, tentauit miscere doctrinæ geminum genus. Neq; enim ausus est uiuidam hanc philosophiā infirmis animis committere. Infirmū est autem quicquid humanū, quicquid carale est. Quod diuinum, quod spirituale, quod cœlestē, id uiuidum est ac ualidū. Proinde meos discipulis, quos in hoc delegi rudēs, ut eos ad hanc masculam ac robustam philosophiam instituam, nihil istarum rerū præscribo: His uescere, ab his abstine, nunc quiesce, nunc labora, sic uestire, hoc ne contingas, illud ne contractes: ne semper maneant imbecilles, si me preceptore semel didicerint huiusmodi rebus corporalib. fidere. Inutilis est mixtura rerum sibi non congruentiū. Nullus enim sic desipit, ut si uestem ueterem sarcire cupiat, assuat fragmentum panni noui. Quir ita? Nempe quia uidet futurum, ut si id faciat,

Nemo assumē
tum panni

& noui panni laturam faciat, & uetustæ uestis plagam reddat maiorem. Siquidem offensus insigni dissimilitudine panni assuti, & uestis male sartæ, continuo detrahit quod assuerat: itaque ruptura uestis antiquæ turpius hiat quàm antea. Neq; quisquã tam stultus est, ut uinum nouum credat utribus antiquis. Quamobrem? Quia uidet fore duplicem laturam. Nam mustum ob uehementiam spirituum efferuescens, dirumpit utres ob uetustatem imbecilles, itaque simul pereunt & utres & uinum. Quid porro facit, ut & uino consulat & utribus? Vinum mustum condit in utres nouos. Ita quorum animus assueuit uapæ pharisaicarum obseruationum, non ferunt mustum cœlestis ac spiritualis doctrinæ, sed abhorrent & auersantur, ac deterioris uini gustum cui assueuerunt, requirunt. Hunc

Et factum est iterũ cum do. Iesu sermonem non esse uanum, ipsi pharisæi crebro suis factis docuerunt. Cum enim accidisset die quodam ut discipuli facerent iter per segetem, idq; die sabbati, quo religiosum erat Iudæis aliquid operis agere, præibant discipuli, Iesus uero sequebatur. Quum autem stimulairet illos fames, coeperunt uellere spicas, manuumq; contritu exclusis granis uesci. Audi nunc ueteres utres offensos nouo musto libertatis Euangelicæ, ac sabbatismi uapam requirentes. Siquidem pharisæi, qui ceu uehementer iusti comitabantur Iesum, conspicientes quod faciebant discipuli, dominum in discipulis calumniantur. Nam quemadmodum discipulorum probitas commendat præceptorem, ita malefacta solent his imputari qui instituerunt. Admonent igitur dominum, & indicant discipulos, perinde quasi rem nephariam agentes, quod uiolarent sabbatum: ut aut illos coerceret & probaret pharisaicam superstitionem: aut si id non faceret, haberent de quo ipsi calumniam struerent. Dominus autem sic patrocínatus est suis discipulis, ut legis Mosaicæ peritos ex ipsa lege refelleret, pro sua mansuetudine docens, qui reprehendi merebantur. Qua fronte, inquit, desertis meos discipulos, quod coacti fame, spicas aliquot forte obuías decerpunt, quo uitæ suæ consulant, quum ipsa lex, cuius uos esse doctores profitemini, commemoret, Dauid in simili necessitate deprehensum, fecisse quiddam, in quo magis etiam uidetur uiolata legis religio. Siquidem fame periclitans confugit in domum dei, nec ueritus est homo profanus ab Abiathar, qui tum primas tenebat inter sacerdotes, postulare sibi dari panes illos unice sacros, quos propositionis uocant, quibus nefas erat omnibus uesci præter sacerdotes, idq; tantisper, dum intra templi septa uersantes sacris operarentur. Non ignorabat Abiathar quid lex præscripsisset, nec tamen ueritus est Dauid atque eius comitibus tradere panes sacros in loco sacro edendos. Hoc si nescitis esse scriptum, aut si non meministis, qua fronte profitemini legis scientiam? Si scitis ac meministis, cur in simili causa Abiathar ac Dauid absoluitis, atque etiam probatis, meos ut nefarij sceleris reos desertis? Si tum necessitati proximi cessit legis rigor, quum maxime regnaret lex, quo magis nunc æquum est cedere legis ceremonias, quoties charitas hortatur proximo subueniendum esse? Quin & illud præcepit lex, diligendum esse proximum pari amore, quo se quisque complectitur. Hoc præceptum quum sit in tota lege præcipuum ac maximum, cur præpostero iudicio ob ea quæ leuiora sunt nec perpetua, uiolatis id quod & summum est, & perpetuum? Fuit olim tempus, quo nulla esset sabbati religio. Et futurum est, ut uere pijs quiuis dies sit æque sacer. Nunquam autem nec fuit, nec erit tempus, quo non fuerit, aut futurum sit sanctum, opem ferre egenti proximo. Lex uetat occidi: occidit autem qui quum seruare possit, non succurrit. Ea perpetua lex est. Verat eadem quiesci sabbato. Quàm uero præpostera religio, si quis dum timet uiolare sabbati ocium, sinat interire fratrem suum, quum asinum delapsum in foueam educat sabbato, nihil deterritus septimi diei religionem? His atque huiusmodi dilucidis rationibus quum Iesus docuisset, quàm essent peruerse religiosi, adiecit catholicam sententiam: Sabbatum, inquit, hominum causa est institutum, non homines conditi sunt propter sabbatum. Filius autem hominis uenit, non ut perderet homines, sed ut seruaret: itaque potestatem habet etiam abrogandi sabbatum, quoties id postulat hominum salus. Quod de sabbato dixi, de similibus constitutionibus omnibus sentiendum est. Ad tempus institutæ sunt, ut rebellis populus paulatim assuesceret obedire præceptis dei, ut per figuras corporales, ueluti manu ducerentur ad intellectum rerum spiritualium. Pie uiolat sabbatum, qui uacuu a tumultu malarum cupiditatum, iuuandi proximi studio uiolat sabbatum. Pia res est ieiunium, sed fit impia, si quod ad salutem hominis est institutum, uertitur

uenitur in perniciem & corporis et animi. Res est religiosa uotum, sed fit irreligiosa, quoties huius seruandi superstitione reuocatur aliquis ab his, quæ propius spectant ad ueram pietatem. Sancte facit qui donum offert ad altare, sed profanum est donum quod offertur, irreconciliato proximo. Ita recte negligitur color aut forma uestis, quoties id commodum est homini: neque enim homo uestis causa factus est, sed hominis gratia reperta uestis. Eidem cibus hominis causa paratur, non homo cibi causa conditus est. Proinde quouis cibi genere uesci fas est, quoties id postulat hominis necessitas. Siquidem hæc omnia corporalia, in quibus uos absolutam iustitiã constituistis, templum, uictima, cibus, uestis, dies festi, ieiunia, uota, donaria, irreligiose seruantur, si ob hæc leditur salus proximi. Religiosissime uero seruantur, si ob proximi charitatem neglectis his quæ sunt carnalia, intus in animo seruatur id, quod corporalium rerum umbris est designatũ. Huiusmodi constitutionum Moses adinistrator fuit, non autor: seruus, nõ dominus. His qui adhærent animo serui magna superstitione seruant ea quæ sunt carnis. Cæterum qui adhærent filio hominis, qui totius legis est dominus, eaq; docent obseruanda iuxta spiritum, quæ carnalibus illis simulachris figurabantur, liberi sunt ab eiusmodi ludæorum ceremonijs.

CAPUT III



ET in agro quidem per uiam dominus Iesus huiusmodi sermonibus & phariseorum retudit calumniam, & discipulis innocentibus est patrocinator. Sed ut planè disceremus nihil esse calumniosius falsa religionis persuasiones, quum Iesus ingressus esset synagogam, illic ex more docturus populum, obtulit sese rursus & domino benefaciendi, & phariseis calumniandi occasio. Aderat enim illic in turba quidam, miserum omnibus spectaculum exhibens, manum habens arefactam ac mancã, membrum mortuum & inutile circumferens, hoc etiam miserabilior, quod opera manuum solitus esset alere tum sese, tum familiã tenuem & inopem. Et o maliciam phariseorum, oculatam ad calumniandum benefacta Christi, cæcam ad intelligendum doctrinam cœlestem. Ex his quæ cernebant oculis corporeis, uidebant humanam naturam, ex his quæ gerebantur non perspiciebant uirtutem diuinam. Vident hominem miserabilem, & norant Iesum misericordem, & ilico coniectant quid esset consequiturum. Iamq; calumniam adornant non in discipulos, quemadmodum prius de spiciis reuulsis, sed ipsi domino, qui discipulis fuerat patronus, obseruant igitur natura propensum ad opitulandum miseris: an auderet etiam synagoga teste, die sabbati sanare hominem, ut si id faceret, accusarent eum uiolati sabbati, quum facti testem haberent multitudinem. Nihil quidem orabat miser ille, uerum hoc ipsum erat rogare miserabili, uenire in conspectum misericordis Iesu. Dominus autem, quo redderet omnes attentos adendo spectaculo, euocauit hominem, cui manus erat manca. Surge, inquit, & consiste in medio multitudinis. Surrexit ille bona quadam concepta spe. Tum Iesus uersus ad phariseos, quorum cogitationes non ignorabat, dixit illis. Quid censeris uos, qui legis cognitionem profitemini? Quibus rebus uiolatur sabbatum, benefaciendo, an malefaciendo: seruando uitam hominis, an perdendo? Non fallebat illos, quo tenderet hæc cornuta peroratio. Si respondissent, satius esse ob religionem sabbati pati perire proximum, quàm neglecta superstitione succurrere periclitanti: non tulisset populus absurdum respõsum, & a sensu naturæ communi abhorrens. Sin respõdissent licere, sibi ademissent ius calumniandi. Itaque uisum est obticescere. Et tamen interim produnt multitudini maliciosam uersutiam suam, quod prouocati interrogatione ad resipiscentiã, obstinate persisterent in studio calumniandi. Porro quo facilius esset responsio, proposuit à simili quæstionem, quis inter illos esset tam religiosus obseruator sabbati, ut ouem sabbato delapsam in lacum perire sineret, nec auderet educere. Nullus autem erat in ea turba, qui non intelligeret, quanto sit hominis salus magis curanda, quàm ouis. Occidit autem, quisquis perire sineret, quod seruare potest. Dominus igitur, quum expectato responso uideret omnes phariseos non ignoratione ueri, sed obstinata malicia, uelut coniuratos obmutescere, circumtulit oculos in illos, ipso uultu præse ferens, quanta cum ira, quantoq; dolore ferret illorum insanabilem maliciam: qui, quum sese profiterentur duces cæcorum, ipsi cor habent terrenis cupiditatibus excacatũ, ut clarissimam ueritatis lucem uolentes non cernebant. Nulla enim cæcitas immedicabilior, quàm quum quis sciens ac uolens cæcus est. Vide-

bant mutam pecudem, ne periret, extrahi posse è puteo non uiolato sabbato, & uidere nolebant homini licere sabbatis consulere. Itaq; clementissimus dominus, quo nos doceret, ob deploratam malorū peruersitatem non esse abstinendū à iuuandis proximis, contemptis pharisæis, uertit sese ad hominē, ac populo ad rei euentum inhiante, dixit illi: Extende manum tuam. Vix ea uox audita est, extendit manum, subito mutatam, nec aliter omnibus officijs suis fungentem, quā fecerat alterā quę nuncq; manca fuerat. Quem illæ rationes non abduxissent ab errore: Quem tam euidentis miraculum non excitasset ad glorificandum deum: At pharisæi fermēto inuidiæ infecti, his omnibus ad sceleratiora etiam consilia prouocantur. Hæc nimirum sunt illa semper præpostera pharisæorū iudicia. Pluris faciunt pecudem q̃ hominē, uestem quā corpus, cibum q̃ uitam, corpus quā animum, humana q̃ diuina, carnem quā spiritū, homines quā deum. Adeo nihil est peruersa religione pestilentius. Apud homines prodigiosa uirtutis est, simplici dicto restituere mancā manum homini, sed multo maioris & uirtutis & beneficij est, restituere mancas ac præmortuas animi uires. Quā miserē mancā habet manum, quā mortuam, quā ab omni misericordiæ sensu uacuam: qui cum uidet proximum suum egentem, nec stipem porrigit: qui errantem nō docet: qui oppressum non subleuat, qui cessantem non excitat: Tales erant pharisæi, qui maluerunt inuidere domino, q̃ sanitati per eum restitui. Huiusmodi debiles habet synagoga. Cæterum ecclesia Christi neque surdos, neq; mutos, neq; cæcos, neque debiles, neq; claudos recipit. Quisquis est obnoxius malis, ueniat in conspectū Iesu, & sanabitur. Afflabit ille nobis spiritum suum, & quod mancum erat, animabitur. Qui sese domino simplici fiducia credunt, sani domum redeunt. Qui suę confidunt iusticiæ, ex alienis benefactis redduntur deteriores. Qui pharisaico spiritu tumēt, nulli bene uolunt, nisi sibi ipsis: Qui Iesu spiritum hauserunt, nihil aliud conantur, quā omnibus benefacere. Siquidem simulatq; pharisæi synagogam ingressi sunt, ramentis non audebant mutire apud populum, ascitis etiam Herodianis, quo firmior esset conspiratio (nam nulli magis hanc nouerunt artem) clancularijs consilijs inter sese agitabant, quomodo Iesum extinguerent, quem ut uidebant potentibus factis longe superiorem, ita nec dictis refelli posse sentiebant. Non conueniebat inter pharisæos & Herodianos, & ad perdendum salutis autorem consentiebant. O sceleratam concordiam, o cæcitatem uere deplorandam. Quid proficiēt cuniculi fraudis humanę aduersus eum quem nihil latet: Dominus autem nos exemplo suo docens, nonnunquam ad tempus cedendum immedicabili malorum peruicaciæ, ne prouocati reddantur sceleratiores, subduxit sese ab eo loco, & rursus secessit ad lacum. Iesu secessus non est Euangelij dispendium sed incrementum. Nisi enim propulissent illum pharisæi, non uenisset ad gentium multitudinem. Posteaq; igitur Iesus reliquerat inuidam & angustam synagogam, seseq; recepisset ad lacum, undique confluxit ad eum numerosa uis hominum, non solum à Galilæa, uerum etiam à Iudæa, atque ab ipsis etiam Hierosolymis, tum ab Idumæa, eq; regionibus ultra Iordanem sitis, ad hæc è locis Tyro Sidoniq; finitimis. Præluitur enim ad congregandam gentium ecclesiam, quando synagoga per incredulitatem repellebat Euāgelium dei. Ex omnibus his locis concurrerat ingens hominum multitudo, qui excitari rumore, qui late sparsus erat de miranda doctrina deq; potentibus factis Iesu, sese ad lacum effuderant. Dominus autem benignus ac diues in omnes, neminem nec à doctrina sua, nec à sanitatis beneficio submouebat. Tantus autem erat ardor multitudinis ob auuditatem sanitatis, ut alius alium protruderet, ac ui irrumperent ad Iesum, ut eum uel contingerent, quando solo etiam uestis contactu pellebantur morbi. Nec ullum erat uel hominum uel morborum discrimen apud potentē iuxta ac benignū medicum. Quicunq; quibuscunq; malis tenebantur, protinus liberabantur, modo contigisset adire Iesum. Atq; id etiam hodie uidemus iuxta spiritum fieri. Ex totius orbis nationibus quā multi, quibus uitijs obnoxij confugiunt ad Iesum, & fiduciæ contactu sanantur: Quin & spiritus immundi, uiso Iesu, non ferebāt illius præsentaneam uirtutem: sed accidentes ad genua illius, exclamabant, dicentes: Tu es ille filius dei. Iesus autem non ferens ab impijs spiritibus prædicari, interminatur illis ut taceant, nec ipsum prodant ante tempus. Per humiles ac tenues mundo uoluit innotescere, quibus dixit: Qui uos audit, me audit. Spiritibus autem impijs ne tum quidem fidem haberi uult, quum uera dicunt. Nec enim hoc negotium fortuito gerebatur, sed di-

uino

uno consilio gradibus quibusdam & profectibus temperabantur omnia ad nostram salutem. Iesus igitur quum à turba comprimeretur, mandauit discipulis, ut sibi pararent nauiculam, quo tutus esset ab incondita ac tumultuosa multitudine: quæ magis sitiebat corporum salutem, quam animarum: & comprimit potius, quam tangit Iesum. Qui confidentes morbum suum, cum sincera fiducia adeunt illum, tangunt & sanantur: qui uero mundanis cupiditatibus adhuc obnoxij tumultuantes irruunt, molesti sunt. Proinde discipuli, qui norant familiariter cum domino uersari, parant illi nauim purioris ecclesiæ. Iesus autem magis delectatur paucis puris ac placidis, quam multitudine turbulenta. Sed tamen ita subducit sese, ut nihilo secius è nauì doceat multitudinem. Quum uides Iesum è nauicula docentem, cogita episcopum concionantem promiscuæ multitudinì, quæ catechumenos, energumenos, & Iudæos & ethnicos complectitur. Beati qui spiritualiter tangunt Christum. Non tangunt autem, nisi qui prius ab eo tacti fuerint. Sanantur enim ab omnibus uitijis, quoscunque ille contigerit, iam enim ex tumultuosis facti tranquillì, recipiuntur in nauim ecclesiæ, ut perpetua Iesu consuetudine fruantur, semperque illius mensæ assideant. Nauicula in qua Iesus est, angusta est impuris, amplissima purgatis. Reiecerat dominus prædicationem dæmonum, effugerat impuram ac tumultuantem turbam, & tamen hæc arguebant adesse regnum Dei, in quod irrumpere conabantur digni & indigni. Proinde sibi parat duces aliquot, qui in uindicando regno cælorum essent adiutores: quicquid tot nationibus, mox ex toto terrarum orbe ad Euangelicam philosophiam confluxuris, sufficerent. Sic enim consueuerunt huius mundi monarchæ certos præfectos sibi deligere, per quos imperium suum & asserant & amplient & administrent ac tueantur. Hos oportet egregie fidos esse, cordatos & industrios: in primis autem gnaros regiæ uoluntatis. Iesus itaque, qui sese frequenter demiserat ad promiscuam multitudinem, ut multos ad se alliceret, facto docens idem esse faciendum Euangelicis doctoribus, iam ad sublimitatem Euangelicæ perfectionis euocans, conscendit montem. Et accersiuìt ad se non quosuis è multitudine, sed quos ipse uoluit, quosque ad hoc munus delegerat. Non enim uocauit opulentos, non satrapas, non sacerdotes, pharisæos aut scribas: sed tenues, humiles & idiotas. Siquidem hi demum erant idonei, qui Iesum sequuti montem conscenderent: unde quicquid hic mundus habet admirandum despicitur: unde uelut è propinquo uox auditur patris cœlestis, & unde spectatur immortalitatis gloria. Parent qui uocati sunt, & ueniunt ad Iesum sublimem. Nullus enim hunc montem potest conscendere, nisi uocante Iesu. Nam ipse mons est, nec ad ipsum quisquam uenit, nisi tractus ab eo. Hic rex ille regum, ac dominus dominantium, duodecim præfectos selegit, qui ueluti fidi satellites nunquam ab ipsius latere discederent: ut ubi res Euangelica postularet, mitteret eos, ueluti legatos à latere prædicaturos quæ à rege suo didicissent, ac diuulgaturos per uniuersum terrarum orbem ædicta sui principis. Quoniam autem ignobiles erant piscatores, idiotæ, tenues, nihil regale præ se ferentes, quum pollicerentur regnum dei, ne contemneretur illorum autoritas, addidit potestatem, quam nulli huius mundi monarchæ suis legatis dare possunt: nimirum ut in nomine Iesu omne morborum genus sanarent, utque etiam impuros spiritus profligarent. ~~Hoc~~ primus erat Simon, cui nomē uerterat Cephas, hoc est, Petrus, siue saxum: ut ex ipso nomine disceremus, Euangelicæ philosophiæ caput esse fidei immobilem constantiam. Secundus Iacobus Zebedæi filius unā cū fratre suo Ioanne: his imposuerat nomina, ut dicerentur Boanerges, quod Syris sonat filios tonitruj, uidelicet ipso nominis præfatio declarante, hos olim ex Euangelico monte emissuros in uniuersum terrarum orbem Euangelicæ prædicationis tonitruum, quod omnium animos comoueret, & erigeret ad studium reuelationis cœlestium. Siquidem ut tonitru sonat è sublimi, ita prædicator Euangelicus nihil humile carnale sonat, sed cœlestia omnia. Pœnitentiā agite, instat regnum cœlorum: tonitruum est. Adhanc enim uocem corripit unūquęque timor fulminis, sed succedit imber: Credite Euangelio, & salui eritis. Quartus erat Andreas, frater Petri. Quintus Philippus. Sextus Bartholomæus. Septimus Mattheus. Octauus Thomas, cui cognomentum erat Didymus. ~~Nonus~~ Iacobus Alphæi filius. Decimus Thaddæus. Undecimus Simo Cananæus. Duodecimus Iudas Iscariotes, qui prodidit dominum: Per hos paucos obscuros, illiteratos, imbecilles uisum est domino totum innouare mundum, ne quā laudis partem in cœlesti negotio

*Et ascendens
in montem.*

Et ueniunt in domum sibi uindicaret humana uel sapientia uel potentia. His rebus in monte peractis, ut nos doceremur in deligendis Euangelici sermonis dispensatoribus, non esse uocandos in consilium humiles ac priuatos affectus, descendit Iesus cum electis suis proceribus, & pariter ueniunt in domum, nimirum iam familiares ac domestici dei. Hæc forma nobis expressa est, ut de sublimitate sua doctores non grauentur sese ad humilitatem infirmiorum demittere, quo plurimos domino suo lucrifaciant. Sequamur & nos Iesum in domum hoc animo, ut perspiciamus quid sit expectandum, & ad quæ præparandus sit animus his, qui suscipiunt negotium sincere prædicandi Euangelium cœleste. In montem non conscenderat turba. Est enim hoc eorum, quos ad id selegerat dominus. Verum ubi descensum est ad humilia, rursum confluit promiscua turba: tanta importunitate instans, ut audirent Iesum, & à morbis liberarentur, ut apostolis non fuerit ocium uel cibi sumendi. Nihil hoc spectaculo gratius esse potest Euangelicis doctoribus, quàm quum populus discendi audis, negotium faceffit sacerdotibus, quum ingens catechumenorum multitudo ecclesiæ fores obsidet, quum promiscuæ multitudini angustæ sunt basilicæ, concionantibus episcopis. Hæc omnia quæ gerebatur, ubi rumor pertulisset ad cognatos Iesu, quibus erat nota carnis infirmitas, quum de diuina potentia nihil suspicari possent homines crassi, Iesum cum humili sordidoq; sodalitis sursum deorsum uagari, trahere post se cateruas hominum, noua quædam & inaudita docere, profligare morbos, eijcere dæmones, furori tribuebant, quod offensi corporis imbecillitate, non poterant ascribere diuinæ potentia. Norant matrem & patrem, norant domum & omnem familiam, norant ipsum in cæteris nihil à reliquis differentem: & intelligebant, quæ nunciabantur supra modum humanarum esse uirium. Itaque quoniam erant cognati, iuxta leges humanas, putabāt esse sui officij, ut mentis impotem, & à spiritu quopiam arreptum, uinculis cohercerent. Dicebant enim: In furorem uersus est. Etenim qui contemptis rebus terrenis omnibus, atque ipsa etiam uita, cœlestem philosophiam toto pectore amplectuntur, insani uidentur his, quibus nihil sapit nisi terrenum & caducum. Qui patrimoniū profundit in usus pauperum, insanit ei, qui uitæ præsidium in diuitijs collocauit. Qui ob Euangelium uolens semet in exiliū, paupertatem, carceres, cruciatus, ac mortem immittit spe felicitatis æternæ: furit ei, qui post hanc uitam non credit esse uitam feliciorē prijs. Qui spernit principum ac populū honores, ut gloriam assequatur apud deum: insanit his, qui uere insaniunt, largitionibus, fraudibus, per fas nephasq; regnum ac dignitates mox eripiendas ambientes. Et hoc tam impium iudiciū à suis propinquis tulit dominus, ne quid offendamur ipsius discipuli, si similia contingat audire à suis. Sed manifestius impij pharisæi, qui testes fuerant tantorum miraculorum. Nam propinqui uulgari crassitudine peccabāt potius quàm impietate. Cæterum pharisæi qui uenerant ab Hierosolymis, quos oportebat ob prophetarum cognitionem ex huiusmodi factis intelligere, iam adesse quod illi promiserant: & ob religionis excellentiam, qua sibi placebant, uenerari diuinam potentiam, quam omnes sibi salutiferā experiebantur: blasphemis uocibus incessunt Iesum, dicentes. Sunt hæc quidem humanis uiribus maiora quæ facit: uerum non ista facit uirtute dei, sed potentem aliquem & insignem habet dæmonē, cuius præsidio prodit hæc miracula. Habet enim spiritum Beelzebub, qui princeps est omnium dæmoniorum, & huius auxilio profligat dæmonia, minus pollentia uiribus. Hanc impudentē & cæcam blasphemiam, quoniā non tam impetebat Iesum, quem nihil aliud quàm hominē esse credebāt: q̃ ipsū deum, cuius gloriæ inuidentes, miracula quæ illius uirtute gerebantur, ascribebāt impuro dæmonio, domini accurate refellit, adhibitis etiā parabolis, quo rem omniū sensibus redderet euidētem. Quum totum, inquit, regnum dæmonum sit aduersum regno dei, qui fit ut Satanas Satanā eijciat? Nisi forte ipsi inter sese bello intestino tumultuantur, quasi sub eodem principe militantes sese uicissim depellant è præsidio. Quod si regnum inter homines, si factionibus intestinis diuisum fuerit, ruinæ proximum est, propterea quod ut concordia custos est optima regni, ita discordia nihil non quamlibet firmum ac munitum demolitur, quomodo consistet regnum Beelzebub, si dæmon eijciat dæmonem? Quid de regno loquor? Adeo nihil est stabile, ubi regnat seditio, ut ne priuata quidem domus diu possit consistere, si mutuis odijs inter sese diffideāt inhabitantes. Si igitur ope Beelzebub eijcio dæmonia, quemadmodum uos falso calumniāmini, certum argumentū est, illius regnum breui

bruticatum. Ad destructio dæmonum regno, quid superest, nisi ut existat regnum dei? Sin id quod est uerissimum, uirtute dei, profligo dæmones, deo hostes, & humano generi inimicos, profectio palam est iam adesse regnum dei, cuius potentia dæmones cogunt recedere. Non enim cedunt uolentes, nec ex pacto. Nullum esse potest fœdus inter deum & dæmones. Bellum est irreconciliabile: ueluti quum bellum incidit inter duos egregie fortes, & implacabili odio inter sese dissidentes, neuter ab altero patitur se capi, nisi ui belloque subactus. Quis enim fortis & animosus dux patiatur hostem suum irrumpere in domum suam, quam habet egregie munitam, nisi ui domum expugnet aduersarius, & uictum conijciat in uincula? Hoc facto, diripiet domum illius, ac prædam abducat. Quod si uidetis clamantes & eiulantes exigi dæmones, si uidetis multos relictis peccatis, quibus diabolo seruebant, sese recipere in libertatem innocentia, quor dei uictoris gloria transfertis in uictum Beelzebub? An Beelzebub hostis humani generis nunc mutatus consulit hominum salutem? An non ista manifesta est in deum blasphemia? Illud pro certo habete: Nullum est blasphemiae genus, quod non possit impetrare ueniam apud deum, propterea quod in alijs uel error uel imbecillitas humanae naturae ueniam relinquit locum. Caterum qui contumelia affecerit spiritum sanctum, non impetrabit ueniam in æternum. Dicit autem blasphemiam in spiritum sanctum, qui per inuidiam obstinatus, opera, quae uidet non posse geri nisi per spiritum dei, tribuit spiritui Beelzebub. Error & ignorantia meretur ueniam, destinata malicia aduersus bonitatem dei, prouocantis ad salutem, quomodo ueniam impetrabit? Blasphemiam quae committitur in filium hominis, excusabit corporis imbecillitas. Caterum uirtutem dei, in ipsis operibus relucens ad salutem humani generis, transcribere Beelzebub hosti dei, blasphemiae genus est inextinguibile. Haec illis loquutus est Iesus, uindicans patri suam gloriam, ac suam interim negligentiam. Innucebat autem, excusabilius peccare, qui de ipso male sentirent, quemadmodum cognati, dicentes: In furorem uersus est, & apparabant uincula: quam pharisaeos, qui opera, quae nullo modo calumniari poterant, quin essent deo digna, uelut insanabili malicia tribuebant spiritui Beelzebub. Nondum intelligebant in Christo diuinam naturam. Neque enim Christus illud adhuc aperte prædicari uolebat: certe per homines puros deus suo spiritu frequenter addidit miracula, cupiens per hæc glorificari apud homines. Ea si quis non per errorem, sed per maliciam tribuat spiritui Beelzebub, huius est deplorata peruersitas. Proinde poterat excusari, si dixissent Christum esse nihil aliud quam hominem, non esse regem, non esse Messiam. Caterum opera calumniantes, deum ipsum & spiritum eius lædebant, cum per homines quoscunque spiritus dei possit operari. Nunc quum tot miracula mirabiliter uidissent ædita, quum uiderent a populo glorificari deum, quum uiderent tot homines sanari, tot liberari a spiritibus immundis, tot a scelerata uita conuertri ad studium pietatis Euangelicæ, idque opera Iesu Christi, tamen dicebant pertinaciter: dæmonium habet, non spiritum dei. Quum his alijsque multis sermonibus dominus Iesus uindicasset gloriam patri coelesti aduersus impiam phariseorum calumniam, ac Iudeis exprobrasset obstinatum & inuincibilem incredulitatem, quum per solam fidem omnia peccata relaxentur, interim superuenit occasio, per quam Euangelicæ uirtutis gloriam uindicaret etiam ab humanis affectibus, quibus alijs in rebus laudi ducitur multum tribuere. Aduenerunt enim cognati Iesu, comitantes matrem ipsius, quibus quum ob turbae densitatem non pateret ingressus, consistere foris: ac uox ceu per manus tradita, peruenit ad eos, qui sedebant circa Iesum. *Et ueniunt mater eius & fratres* Hi referunt adesse matrem ipsius ac fratres, cupientes cum eo colloqui. Erant autem & inter propinquos cognatos, quorum alij parum magnifice sentiebant de Iesu, nonnulli etiam insaniam suspicabantur, & tamen existimabant ob sanguinis propinquitatem hoc sibi iuris esse, ut illum quouis etiam tempore ad colloquiū euocare possent. Dominus autem, quo nos doceret negocium Euangelicum, quod spiritu patris gerebatur ad hominum salutem ac dei gloriam, non oportere ullis humanis affectibus interpellari, uelut indignatus respondit: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Id hoc negotio non agnosco cognationem carnis. Habet Euangelium suam cognationem spirituales, quæ multo arctioribus uinculis astringit animos, quam illa iungit corpora. Quumque circumtulisset oculos ad discipulos, qui proxime circum sedebant docentem, addidit: Ecce hi sunt fratres mei, & mater mea. Ut per Euangelium noua natiuitas est, ita noua cognatio. Quisquis enim crediderit Euangelio, & in

& in hoc paruerit uoluntati patris mei cœlestis, hic, etiam si sit non solum à propinquitate domestica, uerum etiam à tota gente alienissimus, frater meus, hic soror mea, hic mater mea est. Siquidem hæc cognatio non æstimatur gradibus sanguinis, sed spiritus. Non agnosco cognationem cuiusquam, nisi per fidem renascatur ex patre cœlesti, iamq; ut filius germanus patri cœlesti ad æterna uocanti obtemperet. Vt quisque hoc perfectissime præstiterit, ita mihi habebitur proxime cognatus.

CAPUT IIII



Omum igitur hanc, quæ synagogæ typum habet, in qua blasphemis uocibus incessitur à pharisæis, in qua interpellatur importunitate cognatorum, reliquit Iesus, ac rursus se contulit ad lacum, ueluti gentium amplitudinem desiderans. Subinde pellitur à Iudæis, subinde præludit Euangelio ad gentes demigraturo. Etenim cum in domo, hoc est, in Iudæa uersaretur, pauci adhærent Iesu, quos fratres, sorores ac matres appellat: multi obmurmurant, multi conuiciantur, plurimi insidiantur, ac proximè cognati docentem interpellant. Non amat tales domos Iesus, amat multitudinem non sibi placentem, quemadmodum faciebant pharisæi, non obtrectantem, quemadmodum faciebant cognati, qui crassi carnali sapientia, cœlestem sapientiam interpretabantur insaniam: non affectibus humanis cœlestem studium interpellantem, quemadmodum mater & propinqui. Amat multitudinem auidam sermonis Euangelici, & ex huius fiducia totam pendentem. Itaque cum dominus Iesus uenisset ad lacum, ibiq; doceret, ut ante fecerat, rursus ingens hominum turba eo confluit, adeo ut ob tumultum turbæ sese protrudentis, cogeretur scapham conscendere, unde uelut è suggesto docebat multitudinem in littore uelut in amphitheatro condensatam. Disce doctor Euangelice quid sibi uelit hæc imago. Sic fuge promiscuam ac tumultuosam turbam, ut tamen ab officio docendi ne cesses. Vbi periculum est, ne te negociorum tumultus obruat, ut iam docere non possis, recipe te in nauiculam Euangelicam, quæ nescit tumultus terrenos, hinc quietus docebis multitudinem infirmam ac rudem. Ne procul à littore recesseris, esto uicinus ripæ, quoad licet te populi captui attemperans: nondum enim potest te sequi. Primum doctrina rudibus animis attemperanda est, donec profecerint. Quid enim Iesus è scapha sua docebat, nisi rudem ac promiscuam hominum turbam? Proponebat eis parabolas, hoc est, rerum omnibus notissimarum similitudines. Est enim hoc simplicissimum docendi genus, ac rudibus maxime accommodum. Videtur enim prima specie puerile ac ridiculum huius mundi sapientibus. Sed hoc docendi genus placuit æternæ sapientiæ. Philosophi magna arte contortis syllogismis tenebras offundebant auditoribus. Rhetores admirabili dicendi copiam admovebant animis

*In doctrina
sua*

hominum. Pharisei retrusa quædam & à populari captu procul semota congerebant. Caterum hoc doctrinæ genus simplicissimū & ab omni ostentatione scenica alienum sibi delegit Iesus, ut tota gloria mundi per Euangelium innouati esset uirtutis diuinæ. Multis itaque parabolis excitauit animos illorum, ut simplici credulitate purisq; mētibus acciperent sermonem Euangelicum, unde salutis nostræ principium proficiscitur. Id quoniam oportebat omnium animis esse infixum, priusquam exordiretur, iussit illos attentos esse: Audite, inquit, si quis habet aures, quibus audiat. Fabula est non parabola, nisi quis attentus audiat. Neq; cuius sunt aures, quibus audiat parabolas Euangelicas, subtiliter simplices, sapienter stultas, obscure dilucidas. Sub uili enim ac ridiculo tectorio cœlant sapientiam cœlestem. Neque Iesu satis erat, si arrexissent aures, spectatores etiam esse uoluit eorum, quæ dicerentur. Beati uero, qui ad Iesu sermonem & aures habent purgatas, & oculos synceros. Ecce, inquit, egressus est in agrum seminator quidam ad seminandum semen suum, quod habebat eximium. Dumq; copiosi prouentus auidus, nusquam non spargit semen, euenit ut aliud inciderit iuxta publicam uiam agro proximam. Quoniam ob uia duriciam remansit in summa terra, protinus aduolarunt aues, & collectum deuorauerunt. Rursus aliud incidit in terram petricosam, quæ quoniam exiguo puluere tegebat latentia saxa, semen ante tempus exiit in herbā, uidelicet eliciēte tepore cœli. Mox autē, ut incanduit solis feruor, æstu affectū est, quod erat præcociter enatū, & quoniam ob sistētibz saxis non habebat radices, quæ ex altiore terra suggererent humorem aduersus ardorem solis, exaruit, priusquam assurgeret in aristas. Rursus aliud incidit in terram

Ecce exijt,

fertilem

sterilem quidem ipsam, sed uepribus ac spinis obsitam. Porro quum spinæ succrescentes in latum ac longum condensarent sese, factum est ut herba tenera enata, prius quam emergeret in lucem, suffocaretur, non humoris inopia, sed auræ. Proinde nec hinc ullus fructus rediit ad seminatore. Verum non erat omnino irritus seminantis labor. Nam fuit semen quod incideret in terram bonam. Hinc enata est herba, quæ succreuit & adoleuit usque ad maturitatem. Nec ullum granum caruit suo fructu, tametsi dispari fœnore. Siquidem aristæ nonnullæ ex uno grano reddidere triginta, aliæ sexaginta, nonnullæ centum. Hæc loquutus dominus, ne quod dictum esset elaberetur, sed apud se quisque scrutaretur, quid sibi uellet hæc parabola, subiecit: Qui habet aures ad audiendum, audiat: nimirum indicans non omnes audisse, quod audierant. Porro quum ne duodecim quidem illi, quos dominus selegerat, rudes adhuc, satis intelligerent, quid sentiret hæc similitudo, non ausi sunt palam interrogare: sed nacti solitudinem, ausi sunt rogare Iesum, ut sibi parabola secretum exponere dignaretur. Tum Iesus admonens nos, non omnibus omnia proferenda, sed pro ratione temporum, proque captu auditorum dispensandam esse doctrinam Evangelicam, ait discipulis suis: principes huius mundi paucis communicant arcana sua, ijsque selectis & exploratis, quibus tuto possint sua credere consilia, populum uero cælant, si quid habent arcani. Vobis autem è uulgo mihi selectis, datum est nosse mysterium regni cœlorum, qui mecum domesticam agitis consuetudinem. Caterum plebeijs, & ab aulica familiaritate seclusis omnia fiunt per parabolas siue quid loquar eis, siue quid faciam. Non enim habent aures idoneas, nec oculos idoneos. Quod audiunt non credunt, quod uident calumniantur. Itaque fit in istis, quod propheta dixit futurum, ut quum maxime uideant, tamen non uideant: & quum maxime audiât, tamē non audiât, quia nō intelligunt. Non intelligit autē, qui non credit. Porro non remittuntur peccata, nisi credentibus, Euangelio gratuito peccata condonari. Itaque ipsorum incredulitate fit, ut non conuertantur ad deum, quoniam ipsi semet auertunt à deo, nec liberantur à peccatis, quia pharmacum respuunt, quo sanantur peccata. Hoc sermone Iesus notauit eos, quos modo designarat per terram uarijs de causis sterilem. Vt autem discipulos redderet dociliores, subincrepat illorum tarditatem. Nondum coniecit, inquit, quid sibi uelit hæc parabola, quæ facilis est coniectura. Et quomodo reliquas parabolas omnes coniectabitis, quum nihil dicam aut faciam, quod non occultioris alicuius rei significationem habeat? Exponam hanc, ut assuescatis & ipsi in cæteris scrutari retrusioris sensus arcanum. Ager est mundus, qui plurimos habet inidoneos Evangelicæ doctrinæ. Seminator est filius hominis, qui è cœlo descendit in terras. Semen est sermo Evangelicus, per quem mortalibus annuntiatur uoluntas dei. Voluntas autem hæc est, ut omnes suis uiribus diffusi, toto pectore fidant promissis Evangelicis, uidelicet per fidem omnibus omnia condonari peccata, si post cognitam ueritatem sese conuertant ad studium ueræ pietatis. Semen igitur, quod dicebam incidisse iuxta uiam, notat illos, qui leuiter, & uelut aliud agentes audiunt sermonem Evangelicum, perinde quasi audirent humanam quampiam fabulam. Nec ulli minori fructu audiunt. Mox enim ut audierint, aduolat satanas, & alijs cogitationibus immixtis in animum, eximit semen, priusquam inleat animo, ut nec meminerint quid audierint. Iam semen exceptum in terram petricolam, notat istos, qui satis auide percipiunt sermonem Evangelicum, ac deuorant cum gaudio, sentientes esse ueracem ac salutarem: ceterum quoniam non alta cogitatione recondunt in pectus suum, nimirum obstantibus alijs affectibus, qui animum occupant, nec uolunt cedere sermoni diuino, non perseverant in eo, quod alacriter cœperant, nec ullum fructum Evangelicæ pietatis edunt, sed temporarium duntaxat, propterea quod radicibus careant. Itaque fit ut rebus secundis credant Euangelio, ac uelut herba prognata spem bonam de se præbeant, ceterum simulatque ingruerit aduersitas ac tempestas ob Euangelij professionem oborta, protinus offensi deficiunt ab instituto. Semen autem, quod incidit in solum spinosum, designat eos, qui sermonem quidem Evangelicum diligenter audiunt ac meminerunt, sed fallacium diuitiarum amor, aliarumque rerum falsa boni specie blandientium cupiditates irruentes in animum, & indies, ut fit, accrescentes, tandem obruunt semen, ne possit ad frugem emergere. Denique semen, quod incidit in terram bonam, signat eos, qui attentè audiunt sermonem Evangelicum,

audito

audito credunt, ac traſſiunt in intimos ſinus cordis ſui, donec emergat in fructum Euangelio dignum, uario quidem diſcrimine pro ſoli uarietate, proq; cœleſtis auræ tempera-
tura, ut hic adferat fructum mediocrem, ille copioſiorem, alijs copioſiſſimum, ueluti ſi
unum granum producat triginta, aliud ſexaginta, tertium centum. Qui copioſum pro-
ducit fructum, eſt quur deo gratias agat, non eſt quur ſibi placeat: qui mediocrem; non
eſt quur feliciori inuideat. Deus enim qui nulli eſt obnoxius, aut debitor, pro ſua benigni-
tate, partitur cuiq; ſuas dotes, prout ipſi uſum eſt. Quicquid prouenit illi debetur, qui pri-
mus iecit ſemen, & per quem augeſcit quicquid prouenit. Cupio autem hac ſemente to-
tius orbis ſegetem undiq; occupari, quum tempus aduenerit, & hanc doctrinam, quam
nunc uobis paucis clanculum impartio, quàm latiffime per uos propagari, ut & uos exhi-
beatis imaginem terræ bonæ, ſi quod accepiftis, in quàm plurimos transfundatis. Nul-
lus enim hoc fructus eſt deo grator. Cauendum eſt igitur uobis, ne ſemen animis ueſtris
creditum, obliuione negligentiaue ueſtra pereat, ſed diligenter recondendum in animo
ut ſuo tempore prorumpat fructumq; copioſiſſimum adferat. Hæc admonitio quo al-
rius inſideret Apoſtolorum pectoribus, addidit parabolam Ieſus: Nolite putare me,
quod nunc ſecreto uobis committo, perpetuo cœlatum eſſe uelle. Nunquis accendit hu-
cernam, ut accenſam ſubter modium, aut ſubter lectum recondat? An potius, ut impo-
ſita candelabro luceat omnibus, qui uerſantur in domo? Sermo Euangelicus ſemen
eſt, quod ideo uobis conceditur, ut multo cum ſcœnore proueniat. Lux eſt, per me in uo-
bis accenſa, ut ueſtro miniſterio diſcutiat tenebras totius mundi. Nunc quidem multa
cœlamus multitudinem, quoniam nondum eſt capax, & ſi eſſet, nondum aduenit tem-
pus: uerum ubi tempus aduenerit, nihil eſt inter nos tam abſconſum, quod tum non
ſit patefaciendum: neque quicquam tam arcanum, quod non ſit palam omnibus præ-
dicandum. Non enim oportebit ullis rebus ab Euangelij propagatione deterreri, ſed
omnibus poſthabitis, hoc unum erit noctes ac dies agendum. Væ enim illi qui ſemen
bonum ſibi conceditur non propagarit, qui lucem ſibi traditam abſconderit. Proinde
ſi cui ueſtrum ſunt aures ad audiendum, hunc ſermonem audiat, & auditi meminerit.
Rurſus, ne quod dixerat excideret, adiicit Ieſus: Videte quid audiatis, & curate ne fru-
ſtra audieritis. Non enim auditis humanas fabulas, ſed cœleſtem doctrinam, per uniuer-
ſum orbem ueſtra opera diffundendam. Quod accepiftis, bona fide tradite, ne quid di-
uerſum ab eo quod accepiftis doceatis. Magno ueſtro fructu hæc auditis, ſi tenebitis, &
gñauiter alijs communicabitis, quæ auditis. Magno periculo ueſtro auditis, ſi uel metu
humano perculſi, uel huius mundi commodis deſiniti, ſuppreſſeritis quod accepiftis.
Nolite eſſe paſci, aut ignaui diſpenſatores doctrinæ, quam uobis impartio: largiter ef-
fundite, quando quidem ueſtra benignitas non diminuet, ſed augebit quod habetis. Per-
cuniae theſaurus exhauritur benignitate, hic theſaurus cœleſtis quo benignius impar-
tietis, hoc magis cumulabitur. Neque ut pauperior eſt qui largitur opes ſuas egentibus,
ita indoctior eſt qui doctrinam Euangelicam quàm plurimis communicat: uerum ut
qui præluceat multis, non ideo minus ipſe lucis habet: ita qui doctrina Euangelica uiam
aperit omnibus ad cognitionem ueritatis, non ſolum non facit iacturam eiſ lucis quam
habet, uerum etiam copioſiore donatur lumine, quo pluribus queat prodeſſe. Quod ha-
betis non ueſtrum eſt, ſed eiſ qui diſpenſandum credidit. Id ſi larga menſura diſpenſa-
bitis alijs, qui dedit ſortem, larga item menſura adiſciet incrementum. Amat deus profun-
di dotes ſuas, & præter humanarum opum conſuetudinem magis ditelcit, qui profu-
ſior fuerit. Sic enim promeretur, ut qui multum dedit, adiſciet plurimum, propterea
quod perſpiciat, id quod datum eſt, in multorum effundi utilitatem. Ergo qui habet ef-
fundat largiter, ut abundet. Nemo recte donat diuitias abundanti, ſed egenti dant, qui
uere liberales ſunt. Hic contra ſit. Qui habet, nec habet ſibi tantum, ſed alijs impartit quod
habet, ei tanquam bonæ fidei diſpenſatori adiſcietur, ut abundet. Qui uero non ha-
bet, non habet autem qui theſaurum deſoſſum apud ſe ſeruat, non ſolum non erit di-
tior, uerum etiam hoc ipſum, quod uni ſibi uidebatur habere, tolletur ab eo. Nec uero il-
lud uos reddat in diſpenſandis fidei dotibus ſegnioreſ, ſi hominum ingratitude ue-
ſtro ſtudio non reſpondeat. Salua erit uobis ueſtra merces apud Deum, qui quo
quiſque plus laborauit in Euangelio propagando, hoc copioſius reſoluet præmium in
futuro

futuro seculo. Quamquam nec interea prorsus uestro præmio fraudabimini, indies magis ditescentes opibus Euangelicis. Adiecit dominus & aliam parabolam, qua doceret suos, nihil ipsis aliud curandum, nisi ut totis uiribus studerent Euangelio per uniuersum orbem profundendo, tempus messis olim uenturum, quum ipsi domino uideretur, Sic, inquit, habet sese regnum Euangelicum, quasi si quis interdum iaciat sementem in terram. Mox ubi semen creditum est aruo, ueluti securus obdormiscit qui iecit, eoq; dormiente, nihilo secius interim semen tacitis incrementis, absq; cuiusquam opera, noctu pariter atque interdum prouenit; iamq; seges enascitur & assurgit, nimirum ultro properans ad frugem ui quadam occulta naturæ. Habet autem natura gradus suos, quos citra cultoris operam seruat, posteaquam semel iactum est semen. Primum enim ubi in terra semen computruit, exilit in herbam. Ea prima spes prouentus. Deinde ubi culmus erexit sese, adnascitur spica, sed inanis. Tandem spicæ folliculi plenè tritici granis implentur. Atque hæc secretis profectibus ita procurat natura, ut proficere non sentias, profecisse sentias. Ergo ubi seges maturuit, qui iecit semen statim mittit falcem, ut demetat quod natum est, quoniam intelligit adesse tempus messis. Huius ænigmati inuolucro dominus tecte docuit suos totius Euangelij exordium, progressum & consummationem, quarum primam & postremam partem ipse palam uisibili corpore peracturus esset: medium, hoc est progressum, in uisibili spiritus sancti gratia administraret. Siquidem ipse princeps, per uniuersam Iudæam sparsit sementem Euangelicam. Mox eo peractio obdormiit, moriens primum, deinde resurgens in quietem æternam. Atque hæcenus germinat semen Euangelicum, illo qui primus iecit uelut dormiente, ac secretis ausibus increfcit nocte simul ac die, hoc est, in prosperis pariter atq; aduersis, per omnem occasionem, & promouentium, & reluctantium. Non enim potest non prouenire, quod ille iecit, cuius uoluntati nemo resistit. Porro quum nihil illum lateat, tamen permittens mundum aduersus Euangelium tumultuari, permittens apostolos suos affligi & occidi, uidetur incredulis nescire quid agatur, & quodammodo dormire quum inuisibili spiritus sui uirtute magis etiam nunc operetur omnia in omnibus. Nec rediturus est mundo conspicuus, nisi quum Euangelico negotio ad eam mensuram progressu, quam ipse præfiniuit & nouit solus, rursus adueniet omnibus conspicuus ea specie, qua ascendit in cælum, separaturus pios ab impijs, ac pios, ueluti probum frumentum, in æternæ quietis horreum recõditurus. Videmus autem ex quàm paruis initijs exortum est Euangelij regnum, si rem æstimes iuxta mundi speciem. Hæc erat uelut herba prouenientis Euangelici seminis, quod pharisæi, scribæ, sacerdotes, seniores, præfecti, principes, reges, philosophi certatim conabantur obruere ne proueniret. His frustra reluctantibus, occupare cœpit totum orbem, nec desinet succrescere usq; ad consummationem mundi, donec maturuerit uniuersa seges. Tum mittetur falx inuitabilis iudicij, quæ succisis omnibus, zizania tradat igni, purum ac putum triticum seponat in tutum. Hæc parabola, quamquam peculiariter pertinet ad Iesum Euangelici regni principem, prouectorem, & consummatorem, tamen attingit & apostolos & apostolorum successores, quibus hoc unum uult esse studio, ut quàm latissime disseminetur Euangelij sermo. Etenim usq; ad mundi finem sementis tempus est. Nam & hi uelut adiutores Iesu Christi, seminatores sunt, nisi quod iaciant semen non suum, sed ipsis à Christo traditum. Id quoniam est cœleste, non potest opprimi. Habebant & pharisæi semen suum, habebant & philosophi semen suum. Hæc ne fauente quidem mundo potuerunt succrescere, dum interim cœlestis doctrinæ sementis, mundo totis præsidijs suis oppugnante, indies magis ac magis inualescat. Itaq; suo quodam modo seminant & apostoli, in hoc ipsum missi, qui subinde mutantes segetem, tantū hoc agunt, ut quàm latissime diffundatur Euangelium. Prouentum ipsis dormientibus donat deus. Id semē in singulis etiam Christianis, suam habet herbā, suam spicā, suam messem. Catechumeni rudis est seges: nuper per baptismum in Christum renati, herba est, innocentiae uirore lætam spem de se præbens. Vbi iam excelsiores facti adoleuerint Euangelicæ pietatis profectu, spicas habent: ubi pro suo quisq; modo maturuerit, falce succiditur. Falx autem mors est, post quam triticum neq; crescit, neq; decrescit, neq; deterius fit neq; melius. Horreum est uita cœlestis. Quin & alia parabola dominus Iesus expressit imaginem Euangelici successus, ut qui tum non intelligebant quod dicebatur, post ex euentu rei cognoscerent, hæc nō fortuito nec hu-

Sic est regnū
dei

Cui assimilabi
mus regnum

mano consilio geri, sed providentia consilij diuini. Quo magis autem redderet auditores attentos, uelut hæsitans, cui rei potissimum posset conferre regnum cœlorum, dixit: Cui rei dicemus esse simile regnum cœlorum? aut quam adhibebimus collationem, per quam illius naturam, ac uim explicemus his, qui nihil sapiunt, nisi quod oculis uident? Simile est, inquit, grano sinapis, quod dum seminatur minus est omnibus seminibus holerum quæ seminatur in terra, ut si magnitudinem species, aut speciem, non expectes alicuius magnæ rei prouentum. Cæterum ubi fuerit enatum, ac sese semel exeruerit à terra, meditatur arborem, à stirpe durefcens, & late fundens ramos suos supra mensuram omnium holerum, adeo ut auibz etiam præbeat umbram, ac nidulandi locum. His atq; id genus alijs multis parabolis dominus Iesus rudi crassoq; populo proponebat imaginem futuri successus Euangelici, sermonem suum ad illorum captum attemperans, nihil autem illis tum loquebatur, nisi per inuolucra parabolarum, quod nondum essent nudi sermonis capaces. Etenim si dixisset, se breui à Iudæis occidendum, sed mox reuicturum, gloriamq; suam per uniuersum orbem sparsum, sic ut quicumq; omnium infimus uidebatur, intelligeretur totius mundi princeps; ut nulli mortalium quantumuis sublimi, quies aut tutum receptaculum esset futurum, nisi sub ipsius ramos confugeret: nemo sermonem neq; tulisset, neq; credidisset. Et tamen expediebat illos hæc ueluti per somnium meminisse, ut post ex ipsa re agnoscerent, quid sibi uoluissent parabolæ. Apostolis autem secreto colloquio declarabat, quis esset arcanus sensus parabolarum omnium quas dixerat. Sic ille dies consumptus est. Vbi uero iam appeteret nox, præcipit discipulis, ut traiceretur in aduersam ripam. Quoniam initium incrementis Euangelij fiducia est erga Christum, & per Christum ex a deum; dominus intelligens, nec discipulos suos adhuc rudes & imbecilles fide re ipsa quæ docuerat, multis modis hoc agit, ut fiduciam hanc in illis gignat & confirmet. Potissimum autem robusta; & immobili fiducia erga Christum est opus, quoties ingruit nox, hoc est tempestas rerum aduersarum. Obtemperant itaq; discipuli, ac dimissa turba, quæ consequi non poterat, Iesum ipsa nauis, in qua tum erat docens, cœperunt in ulteriorem ripam transuehere, comitantibus & alijs aliquot scaphis. Transuehant Iesum apostoli, quoties aliunde aliò prouehunt sermonem Euangelicum. Id agentibus sciebat multos grauesq; tumultus olim excitandos ab his, qui magis diligunt ea quæ sunt huius mundi, quam ea quæ sunt salutis æternæ. Aduersus hos igitur ut confirmaret suos, doceretq; nullam tempestatem quamuis atrocem metuendam esse ipsi, qui toto pectore fiduciam habent in domino Iesu, passus est periclitari discipulos usq; ad desperationem. Posteaquam enim iam procul ab nauigassent à terra, subito oborta est uehemens uentorum procella, adeo ut excitatis undis, uentorum uis fluctus impelleret in nauim, iamq; periculum esset ne uis aquarum impleta subsideret. Interea Iesus in nauis dormiebat, capite innitens supposito ceruicali. Non erat ille somnus simulatus. Vere dormiebat, laboribus ac uigilijs fatigatus, mirum corpus humanum gerens, omnibus his affectionibus obnoxium, quibus nostra sunt obnoxia. Verum ille non ignorabat quid esset euenturum. Nouerat tempestatem exorituram. Sciebat apostolos motu territos ipsum excitaturos. Non poterat illos efficacius docere, nihil esse metuendum his qui fidunt Iesu. Vellicant igitur dormientem, & expergefaccunt: Magister itane tu nobis pereuntibus dormis securus? nec tua referre putas si mergamur? Fiduciam argumentum erat quod ingruente periculo confugiunt ad Iesum, sed imperfectæ fiduciam erat, quod credebant se parum tutos dormiente domino. Iesus autem expergefactus, ut ipsa re declararet sese dominum esse elementorum omnium, increpauit uentum, iussitq; conuiescere: deinde loquutus est mari: Sileto, obticescito. Agnouerunt conditoris sui uocem duo nulli hominum obtemperantia elementa. Mox conuiescit uentus, subsedere fluctus & facta est tranquillitas magna. Deinde dominus uersus ad suos, increpat incredulitatem illorum: Quid, inquit, ita timetis? Nondum, tot conspectis miraculis, habetis in me fiduciam? Porro discipuli, cæteri, qui erant in nauis, conspecta prodigij nouitate, ut mare mutum elementum & indomitum, ut uenti uiolentum item elementum repente ad increpantis uocem conuiescerent, intelligentes rem esse supra conditionem humanam, dicebant inter sese: Quis est hic, cui non solum morbi ac demones obtemperant, uerum etiam muta elementa obediunt iussis illius? Filius hominis iuxta cupiditates hominum, non habebat in hoc mundo, ubi reclinaret caput suum. Nam & in cruce moriens, quum

Et ait illis in
die illa

quam non haberet in quod reclinaret caput suum, demisso capite expirauit. Cæterum hic non solum quieuit, uerum etiam subiecto puluillo quieuit, & statim oborta est procella, ut sciremus quantum discriminis imminet ecclesiæ, quoties in nobis dormit Iesus. Dormit autem, quoties pastores delinunt cōmodis huius mundi, profundo somno consopiti sunt, adeo ut quantumuis uellices, quantumuis inclames, non queant expergisci. Quam alte dormiunt episcopi, qui uoluptatibus dediti, qui regnandi libidine temulentī, qui nummis congerendis affixi, nec gregis commissi curam ullam agunt, nec suæ salutis meminerunt, neq; tantulum communi periculo commouentur, ut experrecti secū cogitent: Quid facio demens? Grex domini mihi concreditus est pascendus. Ac propediem ueniendum erit ad tribunal æterni iudicis, qui pro his ouibus, quas meæ commisit fidei, preciosum sanguinem suum fudit. Quid illic responsurus sum? Debebam exēplo uitæ inculpatae præfucere meis ad salutem æternam, & perdita uita dux fui ad gehennam. Debebam eos pascere doctrina Euangelica, non pasci, sed deglubui, sed spoliaui, sed maculaui. Pro patre tyrannum egi, pro episcopo lupum ac prædonē. Atq; interim sursum deorsum miscet tempestas omnia. Iesus autem, qui uerus est pastor ecclesiarum, dormit, dissimulans ac permittens oboriri procellam, sed ita dormit, ut ad clamorem suorū protinus expergefiat. Vna est nauis in qua Christus iuxta corpus uehitur, sed hæc plures habet comites. Vna est ecclesia catholica, rursus multæ sunt ecclesiæ. In omnibus æque Christus est, & omnes ad hærentes eidem capiti, una est ecclesia. Nulla nauis mergitur, quæ sequitur Christum: quantumuis iacentur fluctibus, quātumuis periclitentur, incolumes perueniunt ad portum. Sed hoc interim nos docet tempestas & nox, in nostris uiribus nihil esse nobis præsidij, totam salutis spem in uno Christo sitam esse si quis illi toto fidat pectore. Frequentes & priuatim in suo cuique pectore tempestates huiusmodi concitat satanas. Sed postea, quam nox erroribus occupat animum nostrum, postea quā deficit lux fidei, postea quā uigor Euangelici spiritus ueluti consopitus dormit, tum oborti uenti malarum cupiditatum, animi tranquillitatem perturbant; periclitatur ipsa mens, nihil est præsidij in remigio, nihil in uelis: certum exitium urget, nisi precibus ardentibus & improbis excite- tur Christus. Si non statim audit inclamatus, ne cessa, sed stimula, uellica, donec experge- fiat. Per hunc illico redibit tranquillitas.

CAPUT V



Vemadmodum autem hæc tempestas docuit, omnes tumultus Christi præsidio fortiter esse ferendos, quos hic mundus aduersus Euangelium esset excitaturus, & aliquādo Christi iussu uertendos in summam tranquillitatem: ita mox successit imago, quæ significaret, alibi fore barbaras & immanes nationes, quæ doctrinam Euangelicam primum auersarentur ob ingenij feritatem: futurum tamen, ut hæc quoq; progressu manuescerent, ac suaue domini iugum iam cognitum acciperent. Ergo sedata procella principum aduersus Euangelium ferocientium, Iesus cum suis comitibus appulit in diuersum littus. Ea regio dicta est Gerasenorum ab urbe celebri Gerasa: quæ est Arabiæ, contigua monti Galaad in tribu Manasse, haud procul dissita à lacu dicto Tiberiadis. Iam enim dominus Iesus præludit ad effera- tam quarundam gentium barbariem, de quibus dubites, an hominis uocabulum merean- tur. Ex tamen nulla tam effera feritas est, de qua sit desperandum. In hanc igitur regionem ubi Iesus nauis egressus uenisset, statim occurrit imago, quæ mores & ingenium gentis ex- primeret. Prorupit enim ad sensum aduenientis domini homo quidam obnoxius impu- rissimo fauissimoque dæmoni. Is fugitans hominum frequentiam, uitam agebat in desertis locis, latitans in monumentis defunctorum, quæ iuxta uiam erant. Neq; quisquam tenta- bat eum amplius alligare, propterea quod sæpe antea uinctus dirupisset catenas, & con- pedes comminuisset. Nec ulla uis poterat eum domare, quo minus libere ferretur im- peters sui, quocumq; raperet dæmon. Itaq; solutus noctes ac dies uagabatur per sepulchra mortuorum, percq; montes inuios, uociferans & concidens seipsum lapidibus. Hoc specta- culum, si cui uidetur, ut est, miserabile & horrendum, cogitet, quanto miserabilius sit spe- ctaculum sub oculis dei, homo qui præter hominis nomen nihil iam habet hominis: luxu perditus, in scorta furens, in aleam infans, temulentia uesanus, rixosus, prædator, pul- sator, uiolentus, nullis nec dei nec hominum legibus coercendus; nec pudore nec reueren-

ria, nec metu cohibendus: audens quicquid animo collubatum fuerit, qui exiguu stipendi-
dio conducitur ad quoduis bellum, ad iugulandos homines ignotos, nihilq; committos:
ad incendiendos uicos & urbes, ad diripienda tēpla, ad subruenda sacra profanaq; omnia.
Adde his periuria, blasphemias, & incestus, huic hominum generi familiaria crimina: ad
de proditioes & ueneficia, ac magicas artes, & uidebis quanto leuius furebat ille damo-
niacus, quā hic perditus. Sed quid? An de huiusmodi desperandum est? Nequaquam, si
modo contingat uidere Iesum. Fide is conspicitur. Quum enim miser ille ad strepitum ho-
spitum processisset ē latebris suis, impetum facturus in eos, quemadmodum consueuerat;
mox ut eminus uidit Iesum, uī coelesti attractus, subitoq; mutatus, accurrit ad illū, & ado-
rauit eum. Moxq; dæmon per os hominis cōpit ingenti uoce clamare: Quid tibi rei me-
cum est Iesu, fili dei altissimi? Obtestor te per deum, ne me torqueas. Etenim Iesu uox illi
tormentum erat dæmoni, quia dixerat: Impure spiritus exi ab homine. Tanta erat dæ-
monis malicia, ut grauissimus esset ipsi cruciatus, si iam non liceret cruciari miserum ho-
minem. Sentiebat autem Iesu uocem efficacem & omnipotentem, cui uolens nolens pa-
rere cogeretur. Iam mihi confer, an non similis sit affectus in hominibus, qui iam ad extre-
mum maliciæ deuenerunt, quibus uoluptati est, alijs uel suo etiā malo malefacere: & si
coerceantur à licentia facinorum, uehementer animo discrucietur. Iesus autem interro-
gabat spiritum impurum, quod haberet nomen. Is respondit: Legio mihi nomen est, pro-
pterea quod multi sumus. Agnoscis uocabulum militare, spurcam colluuiem multorum
in perniciem hominum coniuratorum: uerum nulla uis multitudinis ualet aduersus po-
tentiam Iesu. Tam facile profligat legionem, quā unicū. Tum dux ille, qui pro omni-
bus loquebatur, magnopere deprecabatur Iesum, quem agnoscebat uictorem, ne se eice-
ret ex ea regione. O peruersam dæmonis maliciam. Non deprecatur ueniam: non aliud be-
neficium petit, ut ipsi sit reus: pro beneficio ducit, si liceat illic uiuere, ubi plurima sit no-
cendi occasio. Quasi scelerata militū manus, urgente maiore principis potentia, & à præ-
sidio iubente discedere, roget: Non petimus salarium, tantum liceat nobis uagari per
agros, ac nostro periculo latrocinari. Quum ad hanc petitionem non responderet Iesus,
erat in propinquo iuxta montem numerosus grex porcorum, pascens in agris. Agnoscia
animal ueris Iudæis abominabile, gentibus Idololatris gratissimum. Orant igitur dæmo-
nes ut saltem in porcos liceat immigrare: & si non licet, inquit, perdere hominem, quem
tu nobis eripis, liceat maliciam nostram aliquo pacto saturare immundi animantis interi-
tu. Id facile permisit eis Iesus, cui non erat curæ porcorum salus, sed hominum: docens, uel
ob unius hominis salutem, cæterarum rerum quamuis grauem iacturam esse negligen-
dam. Legio uero dæmonum impurorum relinquens hominem, Christi spiritu purgan-
dum, immigrauit in gregem porcorum, qui mox magno impetu per præcipitium mon-
tis ferebantur in stagnum, ibiq; suffocati perierunt. Erant autem ferme duo milia. Cæ-
rant homines, ne porcorum similes inueniantur. In tales enim animos gaudent immigra-
re dæmones. Porro subulci, conspecto prodigioso facto nihil opitulati sunt porcis, sed me-
tu territi fugerunt in uicinam ciuitatem, atq; in uillas proximas: & quod uidissent, omni-
bus renunciarunt. Bonus ille pastor ouium succurrit periclitanti gregi. Cæterum ubi de-
plorati perditq; gregis pastores sunt similes, & internitione perit grex, & pastores territi
nihil aliud quā fugiunt. Ad hunc nuncium passim ex urbe atq; agris procurrunt, auidi
uidendi oculis, quod auribus acceperant. Nam incredibile uidebatur, quod audierant à
subulcis. Veniunt igitur usq; ad Iesum, & conspiciunt illum, quem omnes nouerant pri-
us à sauiissimo dæmonio fuisse agitatū, ac præ furoris impotentia solitū omnes cate-
nas & compedes dirumpere, uestes dilacerare, seipsum saxi concidere, prætereuntes im-
petere, uesani uociferationibus omnia complere: nunc sedere ad pedes Iesu quietum, ue-
stitum, ac sanæ mentis. Porro qui spectaculo adfuerant, rursus ab initio narrabant illis qui
procurrerunt, omnem rei gestæ historiam, de legione eiecta, de porcis demersis in lacum.
Itaq; quum iam ex re diligenter peruestigata, fides esset facta, quod narrabatur non esse
uanū: metu perculsi cōperunt rogare Iesum, ut ex ipsorū finibus decederet. Gens impia
& crassa non nouerat tortū Iesum: potentiam uiderat, at non animaduertebat in homine re-
stituto bonitatem, ac magis eorum animos commouebat iactura porcorum, quā salus
hominis. Metuebant bubus asinis, & porcis suis, solliciti de uentre, securi de animo. Est
tamen

tamen aliquod salutis initium, ut cuncti timere dei potentiam. Dominus factio docens, non esse rosas Euangelici sermonis obijciendas porcis, reuersus est ad littus, ac nauem conscendit. Interea qui fuerat a daemonio liberatus, uidens autorem suae sanitatis abire, coeperat illum rogare, ut sibi liceret in illius esse comitatu. Dominus autem maluit illum habere praekonem quam comitem, quod id magis expediret multorum salutem. Abi potius, inquit, in domum tuam, & ad cognatos notosque tuos, & apud illos praedica, quanta beneficia deus in te contulerit: & quomodo misertus sit tui, quum esses omnibus miserabilis, sed ab omnibus deploratus. Ea regio decem ciuitates complectebatur, unde & decapolis dicta. Abijt homo Iesu iussis obtemperans, ac per omnes eas ciuitates praedicabat, & qualis fuisset, & qualis esset beneficio Iesu factus. Porro narratio fidem apud omnes inuenit, quod plerisque illius regionis hominibus antea notus fuisset, & nunc passim praese ferret, integram mentis sanitatem a Iesu sese consequutum. Non puidit illum pristinae calamitatis, dum illustrat gloriam dei. Audi haec idololatra, scortator, aleator, comessator, profusor, raptor, praedo, incendiarius, bellator, uenefice, sicarius, ne spem abijcias: tantum accurre ad Iesum. Noli aestimare multitudinem ac magnitudinem criminum tuorum, tantum cogita, Iesum esse qui seruandis hominibus uenerit, qui nutu potest omnia. Vbi te legio daemonum reliquerit, ubi sanae mentis factus fueris, praedica apud tuos potissimum, dei in te misericordiam. Ne te pudeat uitae prioris. Faciet & illud ad illustrandam Iesu misericordiam, si quam plurimis innotuerit, quod ante fueris abominandus. Agnosce & confitere qualis fueris: & quod nunc alius subito factus es, ne tribuas meritis tuis, sed gratuita dei misericordia, qui miseretur, quoruncumque multiplis: nulli debitor neque obnoxius. Hoc uelut semine iacto apud Gerasenos, dominus Iesus rursus transmisit lacum. Subinde mutatus locus facit ad Euangelij profectum: & uarietas miraculorum admonet, Euangelicum doctorem per omnem occasionem adiuuare debere, ut quoscumque potest ad salutem pertrahat. Quum igitur redditus esset diuer solitori, rursus eodem confluit ingens hominum multitudo. Etenim quemadmodum magnes ferrum ad sese trahit, ita beneficentia cunctos allicit. Quum igitur uersaretur iuxta lacum, adiit illum quidam ex primoribus synagogae, cui nomen erat Iairus. Is excius fama Iesu, cum reliqua multitudine eo uenerat. Erat enim quod animum illius uehementer angeret, & in quo Iesu praesentiam desideraret. Cum igitur uidisset eum reuectum in littus, gaudius est: & ut sunt humiles qui quid ualde desiderant, quanquam Archisynagogus, hoc est, inter superciliosos primas, accidit ad pedes Iesu, ac deprecatus est eum, dicens: Domine, filia mea duodecim annos nata, in qua praecipuum senectutis meae solatium posui, in summo uitae periculo est, iam animam agens. Veni, impone illi manum tuam, ut tuo contactu salua sit & uiuat. Iesus ex huius oratione satis intelligens, quam nondum esset solida fiducia, qui extremi periculi meminisset, quasi non potuisset & mortuam excitare: qui praesentiam ac manus etiam contactum requirat, quasi non posset & absens & nutu sanare quos uellet Iesus: promittit se uenturum, & festinantem sequitur, formam interim exhibens, quam oporteat pastorem omnibus, & Graecis & barbaris, claris & obscuris, pauperibus ac diuitibus, doctis & indoctis expositum esse, ad animae salutem procurandam. Atque inter eundem offertur occasio, per quam Archisynagogi corrigat imperfectam fiduciam: idque exemplo mulierculae, quae quo minus nouerat ex legis cognitione Christum, hoc excusabilior fuisset diffidentia. Etenim Iesum euntem ad aedes Archisynagogi densissima hominum turba comitabatur: partim quia non poterat diuelli a Iesu, partim quo spectatores fierent reuerentiae, & rogantis nobilitas acuebat spectandi desiderium. Itaque dum quisque uult esse proximus Iesu, afflictabatur a turba premente. In hac erat mulier, quae foedum ac pudendum iuxta & immedicabilem morbum habebat iam annis duodecim, nempe sanguinis profusum, hoc etiam infelicio quod dum in medicis magnifice pollicentibus spem salutis constituit, & ab uno frustra ad alium certiora pollicentem confugit, rursus ab hoc ad alium, semperque blanda spe laciatur, omnes facultates suas in eos impenderat, & adeo nihil opis attulerat medicorum ars, ut mulier etiam deterius haberet,

quàm si medicis non fuisset usa, qui nihil non pollicentes, & officiose uexantes miseram, ueteri malo exasperato, nouum addiderant, profluuium sanguinis paupertatem. Tale nimirum est uulgus profitentium humanam medicinam. Sed plerumque fit, ut salus sit non sperare salutem. Posteaquàm cœpit diffidere medicis, & illi tum demum pronuntiassent nullam esse spem, posteaquàm intelligerent nihil esse quod daretur, cœpit esse saluti uicinior. Deus enim nulli libentius opitulatur, quàm quem humana destituere præsidia. Audierat mulier tantum de Iesu, & illico concepta admirabili de illo fiducia, miscet sese confertæ multitudini. Sexus pudor ac morbi fœditas obstabat, quo minus faceret, quod fecerat Archisynagogus: sed accessit à tergo, atque tandem eluciata per collidētium sese globos hominum, contigit uestem Iesu. Tantam enim spem de illo conceperat, ut diceret apud sese: Si liceat uel fimbriam uestis eius attingere, liberabor à morbo. Destituta à medicis, à quibus fuerat magna mercede uexata, repererat alium medicum, qui gratis & subito confert plenam salutem. Nec fefellit mulierem sua fiducia, si mul ut tetigerat uestem domini, sistebatur sanguinis profluuium, subito correctio liquore, qui uelut è perenni fonte solitus est emanare. Quin & ipsa sensit toto corpore redisse uigorem, quem habuerat antequàm hoc morbo cœpisset laborare. Qui luxu, qui uoluptatibus, qui delitijs huius mundi euirati sunt, non aliò confugiant quàm ad Iesum. Si standant philosophis, si legum peritis, si magicis artibus, si cæremonijs pharisaicis, ubi in his & ætatem, & ingenij uires consumpserint, nihil aliud quàm morbum auxerint, & paupertatem lucrifecerint, nisi forte leuior est paupertas, ætatis & ingenij iactura. Gaudebat mulier, hoc beneficium uelut suffurata à Christo, quem ut hominem sperabat falli posse: aut si non falleretur, sperabat pro sua bonitate pudori sexus indulturū. Dominus autem magis consulens glorię dei, multorumq; saluti, quàm unius mulieris pudori: non ignarus se fuisse contactum, neq; non sentiens sanitatis beneficium ex eo contactu peruenisse ad mulierem, uersus ad multitudinem à tergo prementem, ait: Quis attigit uestimenta mea? Porro discipuli nihil suspicantes eius quod acciderat, respondent domino: Vides turbam undique prementem te, & rogas quis te contigerit? Qui legunt Euangelium, contingunt Christum: qui consecrant, aut sumunt corpus sacrum, contingunt. Sola mulier, quæ cum ingenti fiducia contigerat, sanata est. Iesus autem pro suo beneficio nihil aliud præmij flagitat, nisi confessionem mali, & agnitionem clementiæ diuinæ. Itaq; quum mulier pudore obticesceret, sperans se posse latere, Iesus circumferebat oculos in turbam, quasi noscitare studens mulierem, quæ se contigisset. Hic circumspexus erat ciuilitate exigentis accepti beneficii confessionem. Nolebat eam proderet, ne uideretur exprobrare beneficium. Mulier pudore fœmineo silebat, non ingratitudinis uitio. Adhibitus est stimulus, qui pudorem inutilem excuteret, salubrem eliceret confessionem. Quid enim non potest intuitus Iesu? Sic intuitus est Petrum, & resipuit. Mulier autem sibi conscia, qualis uenisset ad Iesum, & quid ab eo beneficii adepta esset, non ausa est dissimulare. Sed excussa muliebri uerecundia, prodijt in conspectum Iesu, timens ac tremens: metuebat enim obiurgationem improbitatis suæ: accidit ad genua, & rem ut habebat omnibus audientibus enarrabat, nihil dissimulans, nihil fucis obnubilans de morbo diuturno, de medicorum arte frustrata, de furtiuo uestis contactu, de concepta fiducia. Huiusmodi confessionem amat dominus Iesus, quæ facit ut peccator agnoscat seipsum, & sanitatis restitutæ gloriam omnem deo tribuat, & multos ad similem fiduciam excitet: admonens ab uno Iesu proficisci gratuitam salutem, nec referre quot aut quolibus uirij laboraueris, sed quantum de domini uel potentia uel bonitate confusus sis. Si clancularius est morbus animi, tamen confitere Iesu, qui non prodit, qui non exprobrat, sed sanat. Si palam est, confitere palam, ut quemadmodum exemplo tuo multos ad peccandum pellexeras, ita conuersus multos item excites ad meliorem frugem. Excutiendus est pudor, qui & deo suam inuidet gloriam, & proximo salutem. Gaudebis excussisse, posteaquàm senseris ex confessione conscientie maiorem tranquillitatem, uelut audieris à domino Iesu, quod audiit mulier. Quid autem audiit? Filia tua de me fiducia restituit te sanitati, quam medicorum ars dare non potuit. Abi læto tranquilloq;

quilloq; animo, uolo beneficium hoc tibi perpetuum esse. Vides ne, audis ne hæc Archisynagogus? Tibi enim tuicq; similibus agitur hæc fabula. Mulier immedicabili morbo laborabat: profecerat in petus; ob insignem de Iesu fiduciam solo uestis contactu sanata est, & tu ceu medicum domum accerlis, iubes imponat manum, & celeritatem exigis. Dum mulieri respondet Iesus, superueniunt nuncij ab Archisynagogi domo, dicentes. Filia tua defuncta est. Quid pergis frustra uexare magistrum? His dictis Archisynagogus, qui prius ancipitem ac multo metu mixtam spem habebat, ueluti desperans, non audet amplius rogare dominum. Nuncij iubent desperare. Mortua est. Sic plerique homines solent, de his qui in facinus aliquod ingens prolapsi sunt, uelut in adulterium, incestum aut furtum, aut homicidium. Conclamatum est, nulla salutis spes est. Iesus autem non patitur quenquam in desperationem uenire, nisi qui recusat fidere. Iudeorum est desperare: Christianus, cui nota est domini bonitas par eius potestati, nunquam desperat. Collabentem itaque spem Archisynagogi blando alloquio subleuat: Noli metuere, etiamsi mortua est. Tantummodo confide. Non refert quantum sit malum puellæ, sed quam firma sit tua fiducia. Hæc loquutus, uenit ad ædes Archisynagogi, ingressus est: sed foris relicta promiscua multitudo, ne discipulis quidem admissis, præter Simonem Petrum, Iacobum & Ioannem fratrem Iacobi. His comitantibus ingressus est domum Archisynagogi. Illic comperit ambitiosum funeris strepitum, multitudinem cognatorum & cognatarum miserabili lamentatione deplorantem mortem præmaturam puellæ. Solet enim uulgus hominum acerbius ferre mortem iuuenū quam senum, quum nihil sit optabilius, quam tum emori, quum dulcissimum est uiuere, prius quam animus multis huius uitæ malis contaminatus est. Non enim refert quam diu uiueris; sed quam bene. Iesus itaque docens, non esse deploranda funera inanibus nanijs, compescit tumultum lugentium. Quid, inquit, ita tumultu completis domum & ploratis? Puella non est mortua, sed dormit. Nimirum domino dormiebat, qui uerbo poterat expergefacere multo facilius, quam homo hominem excitat à somno. Et omnino somnus imago quædam ac meditatio mortis est. Somnus enim consopit animi uires, ac sensum adimit: qui si perpetuus esset, uera mors esset. Cæterum qui astiterant puellæ morienti, non intelligentes quid sibi uellet hic Iesu sermo, deridebant eum, qui crederet eam adhuc uiuere, quam constabat expirasse. Hos omnes abigit Iesus, qui tumultuoso ploratu, sed inani complebant domum: & non solum nihil adferebant salutis extinctæ, uerum etiam & dolorem parentum exacerbabant, & Iesum salutis autorem irridebant. Nihil opus tali turba, ubi peccato mortuus animus ad innocentia uitam est reuocandus. Fecit hoc tum Iesus in adibus priuatis & alienis. Quid autem faceret, si uideret quorundam usque ad insaniam ambitiosa funera? Conducuntur qui sicte plorent, qui cieant eiulatus, qui lanient capillos, nonnunquam appositicios, qui percutiant pectus, qui uulnerent genas, qui uerba iactent plus quam insana, ac diffidentia plena. Admouent caduæri lac, ut prolificent oberrantem animam. Inclamant nomine iterum atque iterum: Redi Philippe, reuertere Philippe, reddere nobis Philippe. Obiurgant exanimatum cadauer: Quir tuos deseruisti? quir nos luctu uoluisti occidere? Nihil tibi deerat ad fauiter uiuendum, non opes, non generis claritas, non honores, non forma, non ætas. O te crudelem, o nos miseros. Iam adde tubas, surdo canentes: adde cantores, qui lugubres nanijs frustra canant mortuo non sentienti: qui uiuis dolorem non eximant, sed augeant. Adde longas daduchorum series, ad hæc ordines pullatorum. Quidam etiam equos pullatos in hanc pompam inducunt, qui gestent insignia defuncti, & ceruice tibijs alligata, prono capite uideantur quasi requirere dominum suum, qui descenderit ad inferos. Ne commemorem epulas & sacra parentalia, superbas sumptuosasque monumentorum structuras, quasi parum fuerit ambitionis & luxus in uita, nisi tales se declarent & mortui. Hæc quum ethnicis etiam paulo cordatoribus uideantur insana, quanto longius oportet abesse à Christianorum moribus, qui omnes obdormiscunt potius quam moriuntur, ad tubam angelicam expectecturi in nouissimo die. Ergo ut ad narrationis ordinem redeam, eieciis his omnibus, Iesus

adhibitis utrisque puellæ parentibus, ingressus est conclaue, ubi corpus iacebat exanime. Hos enim uoluit esse miraculi testes. Hic dominus arrepta puellæ manu, ait illi, uelut excitaturus à somno: *Thabita cumi*: quod Syrorum lingua sonat: *Heus puella, surge*. Qui profundo somno premuntur, nonnunquam expergefieri non possunt, etiam si semel atque iterum inclames ac uellices: nec statim uigilant excitati, sed diu semisomnes, oscitantes distendunt brachia, nutant capite, nonnunquam & mento pulsant pectus, & nisi instes relabuntur in somnum. Hæc mortua confestim ad uocem uocantis Iesu surrexit, & ambulauit: non solū rediuiua, sed & lacris. Agnouit enim animula, quæ pulsa morbo corpus reliquerat, uocem conditoris sui. & nihil contata reuerfa est in domicilium unde demigrarat. Quo mors fuerat flebilior c. b. teneram puellæ ætatem: neque enim maior erat duodecim annis, hoc uberius erat gaudium de resuscitata. Huius spectaculi nouitas ingenti stupore affecit patrem ac matrem puellæ. Iesus autem nec præmium ab illis exigens, nec gratiarum actionem: tantum mandat illis, ut quò certior esset reddita mortuæ uita, darent illi cibum. Nam edere non solum uitæ, uerum etiam prosperæ ualeitudinis indicium est. Præcepit & illud, ne quod paucis testibus ac priuatim gestum esset, effertent in uulgus: siue quod malebat id quod acciderat, per alios quos eiecerat euulgari, quàm per Archisynagogum, qui maiore inuidia, sed minore fide præco fuisset dominici beneficii: siue quod præcipiens sileri, quod sciebat eos non tacituros, nos docere uoluit in omnibus benefactis fugiendam esse gloriam humanam. Quod si quis penitus introspiciat, quid arcanæ doctrinæ lateat in hoc miraculo, quandoquidem facta quoque Iesu parabola sunt: Puella duodecim annos nata, ac uix dum pubescens exanimata designat hominem, qui primum, ac per imbecillitatem prolapsus sit in crimen occukum, & ob hoc, quoniam nondum perfricuit faciem, qui commisit, nondum assuetudine collegit habitum, pudore facile sanari possit. In huiusmodi decet pastores, Iesu ciuilitatem imitari, qui domi paucis adhibitis arbitris non magno negotio puellam erexit. Sic enim lapsis sufficit priuata obiurgatio, ne prolato in publicum crimine, uel pudorem exuant, uel immodica tristitia absorbeantur. Primus lapsus si per imbecillitatem accidat, facillime corrigitur. Difficilior est eius curatio, cuius malicia iam in publicum emanauit, difficillima qui longa peccandi consuetudine callum duxit. Et ideo puellam in priuatis adibus, paucis admissis, uerbo erigit. Cæterum adolescens qui per baiulos efferebatur, maiusculo negotio reuocatur ad uitam. Plorat mater unà cum turba comitante: Effertur adolescens. Primum audit mater, noli flere. Deinde contacto loculo sistuntur baiuli, mox in clamatur adolescens: *heus tibi dico, surge*. Ille primum erigit sese ac residet in loculo, post incipit loqui. Tandem exiliens redditur matri. Cæterum Lazari monumentum, quasi nesciat, iubet sibi commonstrari, semel atque iterum soluitur Iesus in lacrymas, ac turbatus infremit spiritu, iubetur tolli lapis, ualida uoce euocatur, mortuus prodit, sed uinctus. Tandem soluitur, & cibum capit. Christo quidem nihilo difficilior erat suscitare quatruiduanum cadauer, quàm modo exanimatum, qui in supremo die per angeli uocem mortalium omnium corpora, ante tot annorum millia sepulta, reuocaturus est ad uitam, Sed hac imagine nos docere uoluit, quàm ægre resipiscunt, qui diu uitij affueuerunt: non ut de his desperemus, sed ut maturius studeamus resipiscere, maiorique studio adnitamur, ut tales quoque redeant ad bonam mentem. Quin & illud annotatu dignum arbitror, quod quum Iesus à Geraseno dæmoniaco prædicari uoluerit, Archisynagogo silentium præcepit. Si quidem inuida synagoga conata est obruere gloriam domini Iesu, quæ post etiam cæsis apostolis denunciauit ne nominis Iesu facerent mentionem. Verum nihil profecit horum inuidia. Quo magis illi contenderunt salutiferum Iesu nomen opprimere, hoc latius prædicatur inter gentes. Silent sacerdotes, reclamant pharisæi, conuiciantur scribæ, deridet Herodes, sed laudant idolatra, raptores, incesti, adulteri, per Euangelij gratiam à pristinis uitij, uelut à sauiissimis dæmoniis, subito liberati.

CAPVT VI

QUocunq; locorum, quacunq; occasione sese confert, aut recipit dominus Iesus, ubiq; sui similis est, salutem adfert, ut interim comites discipulos admoneat, nusquam esse cessandum ab Euangelico negotio, sed semper hoc per omnem occasionem agendum, ut ex malis reddamus bonos, ex bonis meliores, siue domi cōtingat uiuere, siue peregre, siue in publico, siue in priuato. Quin & in nauibus, in uehiculis, in familiaribus colloquijs, in cōuiuijs, deniq; & in iocis ac lusijs, qui uere præditus est Euangelica bonitate, semper aliquos dimittit meliores. Iesus igitur, qui Gerasenos adire tentarat, ne uideretur in alienos propensior quàm in suos, relictis locis lacui uicinis, recepit sese in patriam suam. Nam hunc nominis honorem promeruit Nazareth, quod illic dominus fuerit enutritus diuq; uersatus. Comitati sunt illum discipuli, iam affectatores perpetui. Porro quum aduenisset dies sabbati, quo ex laudatissimo more Iudæi consueuerunt conuenire, non ut ineptis spectaculis, aut inanibus fabulis, aut profanis lusijs, aut superuacaneis cantiunculis sacrum tempus fallerent, hoc est, perderent, sed religiosa confabulatione legem domini uel discerent, uel docerent: ingressus est & Iesus, exemplum hoc suis commendaturus, ut omnes intelligerent, quàm indecorū nobis esset futurum, quā Iudæis tanto studio fuerit, carnalem legē nec ab solutam, nec perpetuo duraturam, & à Mose proditam perdiscere, si non pari uel attentiore cura philosophiam Euangelicam, ab ipso dei filio traditam, studeamus cognoscere. Quum igitur doceret in synagoga Iesus, apud multos hoc ipsum eleuauit illius auctoritatem, quod iuxta carnem notus esset. Nouerant tenues parentes, & humilem domum unde prodierat: de patre coelesti, deq; domo aeterna, unde nostra causa descenderat, ne per somnium quidem aliquid suspicabantur. Nouerant artem paternam, qua Ioseph familiam alebat, quam primis annis & ipse Iesus exercuerat. Erat autem faber lignarius, opificio uidelicet congruente ei, per quem pater coelestis mundum hunc uniuersum fuerat olim fabricatus. Per fabrum conditum est genus humanum, per fabrum decuit & restitui. Proinde quibus notus erat Iesus, qui usque ad annum fermè trigessimum uixerat apud suos, nihil præ se ferens pharisaicæ doctrinæ, quum audirent eum magna cum auctoritate docentem, quæ nunquam audierant à doctissimis pharisæis, uel homines admirati sunt, dicentes inter sese: Vnde hic subito factus est alius? Vnde huic hæc omnia? Et quod est hoc nouum sapientiæ genus, quæ data est illi? Et unde tam præsens uis in ædendis miraculis, quantam nec in ullo prophetarum audiuius fuisse? Quum paucis membris abfuerit, quomodo repente mutatus nobis rediit? An non hic est Iesus ille, faber, & fabri Ioseph Mariæq; tenuis & humilis mulierculæ filius? Nonne & hunc nouimus, & totam illius cognationem? An non hic apud nos uiuunt, illi proxima cognatione iuncti, fratres & sorores? Itaque subinuidebant Iesu, nuper humili cognito, nunc repente sublimi. Siquidem scandalo fuit illis, nimum nota carnis imbecillitas. Id quum intellexisset dominus Iesus, ait: Nusquam propheta contemptior est, quàm in patria sua, & inter affines suos, ac domesticos. Male conuenit spiritali negotio cum carnis affectibus. Nec omnino decet prophetam uere Euangelicum, qui docet huius mundi contemptum, qui promittit gaudia coelestis patriæ, qui docet renascendum esse per baptismum in Christo Iesu, qui docet mortificanda membra, quæ sunt super terram, ut spiritum uiuamus in coelis: hic nosse patriam, domum, notos aut cognatos, aut amicos: Nec mirum, si terreni ciues non agnoscunt alterius patriæ iam factum municipem. Itaque Iesus, quum esset omnipotens, & cuperet seruire quàm plurimos, non potuit illic apud suos edere multa miracula, nimirum obstante notorum & cognatorum incredulitate. Quum enim apud alios genus omne morborū à plurimis facile profligasset, dæmonia eiecisset, leprosos sanasset, hic paucos duntaxat agrotos restituit, idq; manibus impossitis. Iesus igitur uelut admirans suorum tantam incredulitatem, discessit illinc, obambulans per uicos undique uicinos, ubique spargens semen Euangelicum: hoc facto submonebantur discipuli, ne in Euangelico negotio fiderent affectibus humanis: nam quod Iesu uenit usu in patria ipsius, hoc illis erat euenturum in Iudæa: sed eò se conferrent, ubique uiderent spem copiosi prouentus. Illic autem est fructus uberrimus Euangelicæ prædicationis, ubicunq; prona est credulitas. Ea nec est inter cognatos, nec inter pharisæos.

*Et conuocauit
duodecim*

saos, nec apud reges. Contemnunt cognati, pharisei inuidet, reges irridet stultitiam crucis. Iam autem tempus erat, ut Apostoli quos Euangelicæ functioni destinaret, iamque aliquandiu assidui comites fuerant Iesu, præluderent suo muneri, duci; suo specimen aliquod darent industriæ fidei; suæ. Accersit igitur ad se duodecim illos, quos ad hoc munus ut præstantissimos selegerat, simulque collectos omnes eodem instruit sermone, ne quid inter sese discrepant ab eodem præceptore missi, & iisdem mandatis astricti. Quoquæ maior esset fructus, emisit illos binos: per iugum admonens non fraternæ charitatis, sine qua nullus est Euangelij fructus: ac ueluti præfectis quibusdam, suam cuique pari prouinciam designabat. Nam id expediebat propagando regno Euangelico. Emisit autem inermes ac nudos, ne quid hic in cœlesti negotio sibi uindicarent mundana præsidia. Porro ne leuis esset piscatorum & idiotarum autoritas, addidit illis, quod huius mundi monarchæ suis legatis ac præfectis dare non possunt. Tradidit enim illis potestatem tollendi morbos, eijciendi dæmones. Quid simile potest Cæsar? Vim auri, copias, securus, machinas dare potest, quibus abundat ipse: cæterum nullus Cæsaris præfectus tantam habet potentiam, ut uel oculis lippis, inuocato Cæsaris nomine, mederi queat. Et hanc ipsam potestatem sic impartijt suis, ut ea gratis opitularentur omnibus, quibus esset opus. Iam quo forent expeditiores ad munus, quod strenuum minimeque cessantem ad ministratorem flagitat, præcepit eis, ne quid impedimentorum, commeatus aut armorum secum deferrent in hac profectioe, præter uirgam tantum: non peram reponendo commeatus: ac ne panem quidem, qui uel sine pera circumferri potest: neque zonas ere onustas: neque tibias munirent ocreis, sed duntaxat sandalijs plantas pedum aduersus saxorum aut uel prius iniuriam defenderent: simplici; ueste contenti essent. Hæc instructio Iesu eo tēdebat, ut rudibus adhuc discipulis crassa quadā ratione inculcaret, eum qui suscipit functionem Euangelicam, oportere uacuum & expeditum esse ab omni sollicitudine rerum corporaliū, ne quid interueniat, quod profectum doctrinæ cœlestis remoretur. Vt negotium erat longe diuersum à negocijs huius mundi, ita legationis est noua species. Accipiunt doctrinæ formam, ne quid audeant docere quod à præceptore traditum non esset. Habebant hoc cum humanis legationibus commune, in quibus capitale est præterire præscriptum mandatorum. Ab uno mittuntur omnes pari potestate, ne qua nasceretur inter eos æmulatio. Bini mittuntur, ut fraternæ concordie meminissent, & frater fratrem subleuaret. Ad diuersa mittuntur loca, quo latius pateret Euangelij fructus. Additur potestas medendi morbis, sed in nomine Iesu, ut quemadmodū alienam doctrinam susceperant bona fide dispensandam, ita scirent esse domini uirtutem, non ipsorum, qua morbos propellerent. Veruit ne peram circumferrent, ne panem, ne pecuniam, ne binas tunicas, ut tota fiducia penderent à promissione præceptoris sui, huius præsidio confiderent se tutos fore aduersus omnem uolentiam aduersariorum: huius prouidentia scirent sibi nihil defuturum, quod ad temporariam corporis necessitatem attineret. Porro quum uoluptati nihil sit satis, necessitati naturæ minimo satis sit. Nec enim dominus hoc animo loquutus est ista, quasi fas non esset unquam futurum, eos qui tractant rem Euangelicam, aliquid necessariorum sarcinulæ aut pecuniæ secum ferre, quum id non uereantur & hodie facere apostoli. Imò fortassis plus laudis mereatur, si quis suo sumptu doceret Euangelium. Sed hoc genus hyperbolis uoluit suis crassis adhuc & rudibus penitus eximere sollicitudinem earum rerum, quæ solent remorari animum, cœleste quippiam molientem. Alioquin sciebat illis in mentem uenturum: Mittis nos ad regiones ignotas, exponis nos nudos & inermes uarijs periculis. Sed quis pascet, si fames: quis defendet, si qua uis: quis uestiet, si rigor incidet? Vis nos docere gratis, & uis sanare gratis. At multis rebus eget, qui uiuit peregre. Hanc sollicitudinē anxiam & sordidam, quoniam plerunque ex diffidentia nascitur, Iesus studuit ex animis suorum reuellere, ut talis negocij magnitudine indignam. Porro sermonis tropus ad hoc ualet, ut altius infideat animis rudibus, quod traditur. Neque enim peccaret, si doctor Euangelicus apud Getas uteretur calceis, aut duabus tunicis: aut si ad Libycas harenas, aut inhospitalem gentem profecturus, commeatus atque etiam pecuniæ non nihil secum ferret. Sed quicquid remoratur Euangelij profectum, reiiciendum est. Iam mihi cogita, quanta sarcina grauati proficiscantur ad Euangelicum negotium, qui regales opes circumferunt, qui dignitates, qui uoluptates huius,

huius mundi, qui uindicandi libidinem, si quid occurrat molesti, secū portant. In animo sarcina est potius quā in peris aut uestibus. Has sarcinas oēs qui non abiecerit, non est idoneus legatus Iesu Christi. Idem tropus est in his, quæ permittit: permittit enim uirgam & sandalium. Leuissimum enim calciamenti genus est sandalium, & sic pedes defendit ab iniuriā, ut non impediat celeritatem. Idem itaque monet, qui permittit sandalia, & qui uetat uti calceis: prohibet enim cessationem, & hortatur ad celeritatem. Rursus idem monet, qui permittit uirgam, & qui adimit baculum. Etenim uirga subleuat ambulante, nec remoratur iter, sed promouet. Baculus autem ut onerat, ita aduersus uim gestari solet. Itaque qui concedit uirgā, ac præterea nihil, & qui interdicat baculū, uult Euangelicum præconem non alio præsidio securum esse aduersus malorum insultus, quā præsidio Christi. Virga uiatori conuenit, baculus pugnaci. Porro qui tractat rem Euangelicā, semper progredi debet ad perfectiora, ab ulciscendi studio debet quā longissime abesse. Hac igitur solitudine reuulsa ex animis apostolorum, pergit illis cōmonstrare rationem, qua futurum esset, ut nihil esset necesse talium rerum cura torqueri. Ne sitis, inquit, solliciti, neque de diuersorio, neque de cibo. Sed ingressi uicum aut ciuitatem, quæcūque domus uos exceperit, etiam si sit tenuis & humilis, illic permanete, donec alio uocante Euangelij profectus, usum fuerit inde discedere. Pauci & paruo contenti, non eritis cuiquam graues hospites. Vix fieri poterit, ut usquā sit tam deplorata ciuitas, in qua nullus reperiatur, qui tales hospites non sit cupide recepturus, quum sint qui medicum magno conducant, & e longinquo accersant. Quod si domus aut ciuitas contigerit tam ingrata, ut uos ultro deferentes cœleste munus, quo sanentur & corpora & animi, non recipiant, nolite ob paucorum duritiam desistere à suscepto negotio, sed ad tempus relicta ea ciuitate, pergite ad alias, uerum exprobrata prius sua dementia ijs, qui uos noluerant recipere. Exeuntes enim in plateas, excutite puluerem, pedibus uestris hærentem, ut meminerint & intelligant uenisse, qui gratis salutem obtulissent, nunciumque multo omnium latissimum: nec tantum bonum ullo præmio pensari posse, nec inuito cuiquam aut fastidioso mercedem tam preciosam obtrudendam esse: sibi imputent exitium suum, qui perire maluerint, quum licuerit sanari, uos nihil aliud uenatos esse apud illos nisi salutem proximorum, ut ne pulueris quidem iactura uolueritis illos afficere. Hæc superbia decet meos legatos aduersus contumaces ac fastidiosos. Vnum autem illud illis abeuntes uel nolentibus ingerite, dicentes: Scitote iam adesse regnum dei, siue recipitis, siue non recipitis: si recipitis, uestro bono uenit: si reijctis, magno uestro malo, tamen uenturum est. Hoc uaticinio instructi legati Iesu, reliquerunt dominum suum, ac sicut erant iussi, prouocabant omnes ad poenitentiam uiae superioris: iam enim adesse regnū dei, quod per fidem Euangelicam adferret omnibus perfectā iustitiam. Nam id Euangelicæ prædicationis & caput est & initiū, credere quod audis, & fidere promissis. His atque huiusmodi multis sermonibus quum diligenter instruxisset suos dominus Iesus, profecti sunt duodecim regni cœlorum procures, & successit rex: denunciabant omnibus ut poenitentiam agerent ante actorū malorum, neque quisquā fideret suis factis, sed tantū promissis Euangelicis. Et inuenerunt qui prædicationē pronis acciperent auribus. Nec defuit miraculorū parata uis, quæ fidem cōciliaret dictis hominibus quamlibet humilium & ignotorum. Vnguebant oleo ægrotos, & sanabantur: iubebant in nomine Iesu exire spiritus noxios, & exhibant. Non erat illud oleum pharmacum (quis enim eodem pharmaco medetur morbis omnibus) sed sacramentum. Oleum uisibile inunguebatur cuti, & sanabatur corpus: sed oleum Euangelicæ gratiæ per unctum nostrum Iesum erat inungendum animis, mox à morbis uitiorum sanandis. Ita nec magorum erant preces, quibus exigebant daemones, sed uerba erant Euangelica fide efficacia. Nimirum hæc erat uis regni cœlestis. Quid humilius, quid contemptius apostolis? Sed quo minus erat illis roboris, hoc magis liquebat uirtutis esse diuinæ quod agebatur. Nec opes habebant nec literas, nec magistratum nec satellitium, nec generis claritatem, nec famam, nec auctoritatem. Nihil habebant nisi simplicem fiduciam erga nondum satis cognitum Iesum. His rebus indies magis ac magis inclarescebat fama Iesu, adeo ut nomen eius innotesceret etiā Herodi regi. Iesus enim sero innotescit regibus, quibus oportuit maxime, nec ullis infelicius. Quum autē Iesu miracula tam essent crebra, tamque euidētia, ut nemo posset causari cōmenticia: tā salutifera, ut nullus calumniari posset ea per malos

malos dæmones geri: quumq; multi uarias sententias proferrent de domino, tandem & suam deprompsit Herodes: Ioannes, inquit, resurrexit à mortuis, & ob hoc nunc pollet ædendis miraculis. Rursus alij, sumpta cōiectura ex uaticinio Malachiae, dicebant Iesum esse Heliam, cuius reditus promittitur ante diem domini magnum & horribilem. Erant qui negarent illum esse Heliam, cuius apud Iudæos summa erat autoritas, sed unū quempiam ex mediocribus prophetis, qui reuixisset. Quorum sententijs auditis, Herodes perstitit in sua, dicens: Imo hic est ipse Ioannes, quem ego decollauī. Is reuixit, ac iam diuus factus operatur humanis uiribus superiora. Nullus erat horum, qui non crederet reuiuiscere corpora. Et hodie tamen multi sunt, qui negant reuixisse Christum. Atq; hic ut intelligas quàm sint impiorum præpostera iudicia: Ioannem, qui nullis miraculis inclaruerat, credunt reuixisse: Iesum, cuius tot modis diuina uirtus declarata est pertinacissime negant reuixisse. Quin etiam regum impiorum stoliditatem cōsidera: fatetur Herodes Ioannem reuixisse, fatetur illum nunc demum plus ualere quàm ualuerat uiuus, & tamen propemodum iactat, quod illum occiderit, paratus eum & rursus occidere, si licuisset. Tanti facinoris occasionem audire est operæ precium. Nam Herodes incestæ mulieris instinctu iussit apprehendi Ioannem, ac detrudi in uincula, non ob ullum crimen, sed propter Herodiadem Aretæ regis filiam, quæ quum prius esset locata Philippo tetrarchæ Ituræ, & Trachonitidis, orta simultate abduxit à genero, cui iam pepererat filiam, & huic Herodi fratri Philippi, sed inimico, matrimonio iunxit. Ioannes autem quo magis Heliam referret, qui magna libertate reprehendit Achab & Iezabelam, nō tulit incestum coniugium, dixitq; regi: non est fas te domi habere coniugem fratris tui, nec sterilis, & adhuc superstitis. Herodias autem, quæ iam exciderat à priore matrimonio, metuens ne Ioannis opera ab hoc quoq; excluderetur, insidiabatur ei, captans occasionem occidendi illum, nec succedebat. Herodes enim, tametsi non amabat ex animo Ioannem, tamen uerebatur ac metuebat illum. Ea uis est ueræ uirtutis, ut etiam regibus sit formidabilis. Sciebat enim illum uirum iustum ac sanctum, & obseruabat eum, multisq; in rebus illius consilijs obtemperabat, ac libenter eum audiebat. Hæc obstabant, quo minus impia mulier posset Ioannem extinguere. Aderat malus animus, sed deerat occasio, quæ tantum deest malis ut lædant. Dies natalicius Herodis ad impium facinus idoneus aduenit. Decuit enim impij regis natalem, sanctissimi uiri morte funestari, mediumq; luxum ac delicias aulicas crudeli morte innocentis inquinari. Quum igitur magno luxu fastuq; instructa cœna natalicia exhiberetur principibus, tribunis ac primatibus Galileæ, quo plures haberet suæ crudelitatis testes, ingressa est conuiuium puella Herodiadis ac Philippi filia, ut indecora lasciuiaq; saltatione delectaret conuiuias. Quo turpius saltabat, hoc magis placuit conuiuiis, ac regi iam bis insano, ut qui præter amorem incestæ mulieris etiam uino incaluerat. Itaq; regali magnificencia dixit puellæ: Posce à me quicquid uoles, nihil enim frustra poposceris. Quoq; maiorem fiduciam adderet puellæ petendi quicquid collibuisse, temulentū promissum iureiurando confirmauit: Quicquid petieris, etiamsi dimidium regni mei petieris, dabō tibi. O uocem stultissimo ac temulento rege dignam. At puella quemadmodum hanc fabulam matris instinctu cœperat agere (nam illa diem, locum & horam obseruabat, illa saltatriculam instruxerat) non audet ilico pronunciare quid peteret, sed egressa è conuiuio consulit matrem, dicens: Iureiurando rex cōfirmauit se daturum quicquid petiero. Quid igitur petam? Hic merito locus erat hæsitandi, ne tanta periret opportunità. At incesta mulier nihil contata, neq; quicquam charius habens morte sanctissimi uiri, respondit: Perte caput Ioannis baptistæ. Et o docilem ad flagitium ac morigeram filiam. Illico reuersa est in cōclauē. Submonuit & hoc mater ut properaret, prius quàm ille feruor animi regij refrigesceret. Adit itaq; regem, & incestæ saltationis præmium poscit, dicens: unicū duntaxat missum peto. Volo ut protinus des mihi in disco caput Ioannis baptistæ. Hic mihi uide præposteram regis impij religionem. Quū nihil sit illis familiarius, quàm omnia fœderum ac religionum uincula dirumpere, hic religiosa religione stultissimi iurisiurandi cōstrictus est, præsertim quod tot testibus prodidisset. Itaq; ne uideretur parum bonæ fidei, si quod forte per regiū diadema, aut genium suum, aut saltatriculæ caput iurasset, nō præstaret: neue parum humanus, uel puellam tristiorē dimisisse uideretur, uel conuiuariū quibus puella placuerat, hilaritatem aliqua mœroris nubecula obfuscaret: o fidem ac religionem

nam, o ciuilitatem atq; humanitatem annalibus dignam: nulla mora, mittitur carnifex, ad ferum sacrum caput innocentissimi uiri, ueluti missus quidam, in disco. Traditur puellæ, puella reddidit matri suæ, munus dimidio regni charius. Hoc tam funesto spectaculo stultus & insanus rex gratificatus est incestæ mulierculæ, natalemq; diem honestauit. Rex occidit, carnifex adfert caput, puella impetrat, ad matrem horum malorum artificem ac fontem redit ferale præmium. Et o conuiuas interim tali conuiuatore dignos. Nullus erat tægitam amicus, qui rem tam nefariâ interpellaret. Et postea miramur, si reges aliquando audent nefaria, quum tales habeant animos, incestis amoribus & crapulæ deditos, conuicio res uel timidos uel crudelitatis fautores. Huius facti rumor quum peruenisset ad discipulos Ioannis, abstulerunt corpus eius, & honorifice dederunt sepulturæ. Quanquam in his rebus latet aliquid reconditoris sensus. Ioannes tamen si legis typum gerebat, tamen ut Euangelij præcursor Euangelico præmio donatus est, nimirum gloriosa morte, sed tamen diuersa à morte domini. Siquidem huic clam amputatum est caput, iam aliquamdiu uinculis astricto in carcere. Christus palam sublatus est in crucem. Carceris tenebræ congruunt legis umbris ac figuris, eas oportebat cedere luci Euangelicæ iam exorienti. Et imminui conueniebat ceremonias carnales, ut augeretur spiritalis libertas: & astringi oportebat quod erat timoris, ut latius sese panderet fiducia, & charitas Euangelica. Deniq; decebat amputari caput humanum, ne quod iam caput agnosceret ecclesia, præter unum Iesum. Itaq; lex quodammodo occisa, & cum honore elata, locum dedit domino Iesu spiritualem philosophiam prædicaturo. Etenim quod Euangelio fidimus, magna ex parte debemus ueteri testamento, quod nobis tot retro seculis Iesum Christum umbris ac figuris delineauit, prophetarum uaticinijs promisit ac depinxit. Dum hæc aguntur, redeunt a peracta legatione apostoli, & simul sese congregant ad Iesum, totius negocij caput. Ab eo profisciscuntur omnia, ad eundem omnia referantur oportet. Ab eo mandatis acceptis discesserant concorditer, ut in illius nomine pariter agerent quicquid agerent, ad eundem concorditer redeunt, cupientes approbari quod gestum erat. Exponunt itaque totius legationis historiam, magna alacritate cõmemorantes singula, quæ docuerant, quæq; gesserant, & quàm res ex animi sententiâ successisset. Dominus autem comprobata illorum sincera fide, sed coercita gloria, abduxit illos in locum solitarium, in desertum urbis Bethsaidæ, ut aliquantulum refocillarentur à tantis laboribus ac respirarent. Non datus est secessus ad uoluptatibus laxandum animum, sed ad secreta precatone uegetandum renouandumq; spiritus uigorem mox recursuris laboribus. Nam doctori Euangelico sanè quàm leuis debet esse cura corporis. Porro qui fungitur apostolico munere, quoniã cum infirmis ac firmis, cum doctis & indoctis, cum bonis ac malis rem habere cogitur, fieri non potest, quin interdum ab illa perfecta tranquillitate mentis nonnihil labefactetur. Id quoties accidit, ad secretas & intentissimas preces, ad purissimam rerum cœlestium contemplationem animus est traducendus, ut mox uegetior factus, ad iuuandum proximum redeat. Siquidem ubi tum temporis offenderunt dominum Iesum, innumera hominum turba uentitabat ad Iesum, ut æstuariæ quædam uices uiderentur uenientium & abeuntium, qui adeo nullam quietem permittebant Apostolis ex itinere lassis, ut ne cibi quidem sumendi daretur spatium. Itaq; dimissis turbis & conscensa naui, petierunt littus Bethsaidæ uicinum, atque inde in locum desertum sese cum domino receperunt. Verum nec hic contigit diu latitare. Nec enim potest abscondi lux Euangelicæ ueritatis. Secessus hic nihil aliud, quàm irritauit, & acuit hominum desideria. Obseruatum est à quibusdam, quò se contulissent, nimirum in desertum spectans ciuitatem Bethsaidæ: moxque rumore sparso quod illic ageret, magna uis promiscuæ multitudinis ex omnibus uicinis oppidis eo pedestri contendit itinere, sic ut prius eo pedites peruenerint multi, quàm ipse dominus cum discipulis, etiam nauigatione adiutis. Dicas adesse tempus, quo ui pararentur impere in regnum Dei. Iesus ubi sensit innumeram hominum multitudinem undique difficili ac pedestri itinere confluisse, adeo non subduxit sese, nec abegit importunos, ut è secessu suo uelut obuiam prodierit: nimirum hoc interim agens, ut uarijs modis formaret discipulos suos, & institueret ad promptitudinem sine cessatione promouendi negocium Euangelicum. Itaque progressus clementissimus Iesus, ubi conspicitur est numerosam quidem, sed promiscuam & incompositam turbam puerorum, uiro-

Et conuenientes apostoli ad Iesum

rum ac mulierum, tactus est misericordia, ac syncerum animi dolorem ipsis oculis, ipso uultu, atque ipsa, quod aiunt, fronte præ se tulit, fingens ac formans affectum doctoris Evangelici. Sitiebant salutarem doctrinam. Id arguebat itineris & celeritas & difficultas. Amor pedibus alas addiderat, sed erant uelut oues huc & illuc palantes ob boni pastoris inopiam. Siquidem sacerdotes, pharisæi & scribæ neglecto grege, pascebant semetipsos. Iesus itaque misertus simplicis & inconditæ multitudinis, coepit agere fidum pastorem. Primum multo doctrinæ sacrae pabulo refecit illorum animos, mox sanabat, quos secum adduxerant, agrotos. His rebus quum iam multum temporis consumptum esset, iamque res ipsa moneret, corporis quoque cibo reficiendam esse multitudinem, discipuli, præceptoris clementiam imitantes, submonent illum: Domine uides infinitam multitudinem, absque com meatu huc usque profectam. Et locus hic desertus est, iamque tempus reficiendi corpora præterijt. Obluiscuntur sui, tuis sermonibus inhiantes, nec possunt diuelli. Itaque dimitte illos, ut eant in proximas uillas ac uicos, emantque sibi cibos quos edant. Tum Iesus instituens suos, quomodo sit pascenda multitudo, respondit: Quin potius uos qui pastores estis futuri, nunc agere pastores consuefcite, ac de uestro date illis quod edant. Porro discipuli nondum intelligentes quò tenderet hic Iesu sermo, pro rudî captu suo responderunt: Rem mandas nobis impossibilem, scis enim quàm tenuiter simus instructi uiatîco. An ibimus & ducentis denarijs ememus panes huic multitudinî, adeo non suffecuros ad satietatem ut singuli uix paulum quiddam gustaturi sint? Tum Iesus paulatim animos illorum miraculo præparans: Quot, inquit, panes habetis? Quum non haberent in promptu quod responderent: Ite, inquit, & inspicite quàm sitis instructi com meatu. Inspiciunt, & renunciant esse quinque panes ac duos pisces. Non latebat dominum, quantum haberent, sed uoluit apostolis exploratam esse paucitatem, quo magis agnoscerent in miraculo uirtutem diuinam. Quoque magis etiam animaduernerent quanta esset hominum multitudo, præcepit ut omnes iuberent in uirenti gramine discumbere, sic distributos in sodalitia, ut in singulis centum aut quinquaginta simul accumberent. Paruerunt apostoli domino, populus paruît apostolis, tâta erat fiducia in pastore Iesu. Is igitur accepit quinque panes ac duos pisces, & ex more sublati in cœlum oculis, gratias egit patri, cuius beneficio sic procederet negocium Euangelicum. Deinde fregit panes, tradiditque discipulis, ut apponerent multitudinî. Similiter & pisces partitus in partes tradidit discipulis, omnibus distribuendos. Refecti sunt omnes ad saturitatem usque; & adeo nihil cuiquam defuit, ut peractio cœuiuii apostoli ex reliquijs, iussu domini collectis, impleuerint cophinos duodecim. Porro numerus multitudinis, qui facile poterat deprehendi ex distributis per uiridaria sodalitîs, erant quinque uirorum milia, præter pueros ac mulieres. Hoc miraculo Iesus & apostolis suis formam præscripsit, pabulo sermonis Evangelici pascendi multitudinem, & anxiam sollicitudinem exemît parandi com meatus. Quisquis igitur es episcopus ac pastor gregis dominici, noli sic cogitare: sum legis diuinæ professor, sum arcanorum uoluminum peritissimus interpres, est abunde quod doceam, populoque quamuis esuriienti diuite confertoque eruditionis meę penu depromam. Inspice potius & agnosce quàm sit tibi domi com meatus exilis, quem & ipsum, quantus quātus est, domino debes. Verum hoc ipsum facultatis, quod habes, offer manibus Iesu, roga ut ille contrectet ac frangat: Deinde quod ille tradidit, sic ut tradidit appone populo tanque domini cibum, non tuum: & appone nihil hesitans, nihil dijudicans, nihil tuis fidēs uiribus, ita demum erit Euangelicū conuiuium: & salutari pabulo per idiotam magis reficientur & explebuntur animi credentium, quam si pharisæus superstitiosus, aut philosophus arrogans, aut orator eloquens meditata accurataque oratione sese uenditaret multitudinî. Porro quoniam ante iussit illos nulla prouidentia com meatus accedere ad Euangelij negocium, nunc ipsa re declarauit, nihil defuturum ijs, qui dum toto pectore sunt intenti regno dei & iustitię eius, negligunt ista temporaria, quorū sollicitudine uulgi hominū misere discruciat, modo adsit fiducia simplex erga dominum Iesum. Leue beneficium erat saturasse famelicos, præ his quæ quotidie præstabat illis benignissimus dominus. Longe benignius est pauisse mentem, quàm uentrem. Et tamen hoc quod est minimū, crassum uulgus, ut est præpostero iudicio, solet plurimi facere. Iesus igitur cognoscens futurum, ut crassa multitudo iam satura de regno ipsi deferendo cogitaret, cōpulit discipulos suos

Et statim
cogit

suos, nam ægre diuellebantur à tam amabili domino, ut consensu naui, transmissio que lacu præcederent Bethsaidam, dum interim ipse dimitteret multitudinem. Ea dimissa, furtim subduxit sese in montem, ut ibi solus deprecaretur patrem: ut quemadmodum bene coeperat negocium Euangelicum, ita progrediretur. Interim appetebat nox, & discipuli sine præceptore nauigabant in medio lacu. Et oborta est tempestas. Quid ni nox sit, ubi non adest ille sol & lux mundi Iesus? Quid ni periclitetur nauis, in qua non est Iesus? Quid ni turbentur apostoli, quum abest ille consolator omnium Iesus? Quid ni uenti resistentes succedunt remorentur humanæ industriæ, nisi promoueat Iesus? Abest ille, qui dem nonnunquam, sed non destituit suos in finem. Ad tempus uidetur interdum destituere, ut exerceat rebus aduersis, ut instituat ad firmam de se fiduciam. Iam enim emonte descenderat, iam stabat in littore, sed solus. Non uidebatur à discipulis, sed ipse tamen uidet eos. Non oportet igitur despondere animum in rebus quantumlibet turbatis atque commotis: hac certa fiducia concepta animo, quamuis nusquam sese ostendat dominus, tamen suis non defuturum quum tempus postularit. Iam enim astat in littore, & uidet eos laborantes in remigando. Nam uetus erat aduersus. Quum itaque sic aliquandiu luctati fuissent aduersus undas & uentos huius mundi, nec multum abessent à desperatione, circa quartam noctis uigiliam, hoc est, sub diluculum, uenit ad eos Iesus, non uentus naui, sed placide ambulans super undas (agnouit enim elementum conditorem suum) ac præ se ferebat quasi uellet eos præterire. Sic enim patitur aliquando suos hæere in malis, quasi negligat, quum non deponat unquam curam illorum. Apostoli quum per tenebras uidissent eum ambulantem super aquas, obliti tot miraculorum quæ uiderant, credentes que non posse fieri, ut solidum & graue corpus hominis liquidum elementum sustineret: suspicati sunt esse spectrum inane, quod oculos uana specie deluderet. Igitur expauesciti, præ metu exclamarunt. Nam speciem Iesu uidebant omnes, nec tamen Iesum esse credebant. His formidabilis est Dominus, qui ultorem esse credunt, seruatores effenesiunt. Nec enim agnosci potest in huius mundi tenebris, nisi ipse sese nobis in sinuet. Non passus est igitur suos diutius exanimari metu, sed protinus uoce iam non ignota compellauit eos, dicens: Estote forti animo: ego sum: nolite timere. Et ingressus nauim iunxit se discipulis suis, atque illico confedit tempestas. Iam pauori successit admiratio, quomodo corpus humanum posset ambulare super elementum fluidum. Tanta erat discipulorum tarditas, tanta ruditas, tanta que obliuio, ut non ueniret illis in mentem uel illud miraculum, quod paulo ante uiderant, quinque panibus ac duobus piscibus saturata tot hominum milia. Tanta que erat caligo cordis, ut pro stupenda re ducerent, quod Iesus ambulasset super undas: quum longe prodigiosius esset, tantulo cibo tantam saturare multitudinem. Hanc tarditatem dominus in suis hæere permisit, ut & ipsi consuescerent imbecillium ferre tarditatem, donec proficerent. Peruentum est ad littus diluculo: appulerunt autem in terram, quæ dicitur Genezareth, ad portum destinatum. Vix ingressus est in terram, aderant ex incolis qui agnoscerent Iesum. Iam enim eruperat sol, & abierat nox, quæ occuparat discipulorum animos. Obseruabatur enim à multis, quocunque se conferret. Iam enim plurimis innotuerat etiam de facie, sed multo latius se fama miraculorum doctrinæ que sparserat. Porro qui uiderant & agnouerant, perinde quasi uelut exploratores uenissent, continuo relicto eo percurrentes totam illam regionem, renunciarunt adesse Iesum. Ad eum rumore plurimi coeperunt ægrotos in grabbatis circumferre. Et quocunque se cōferret Iesus, siue in uillas siue in uicos, siue in ciuitates, aderat importuna turba, magis sollicita de tollendis morbis corporum quàm animorum, ac miseranda spectacula uarijs morbis laborantium exponebāt in plateis, ac prætereuntem Iesum deprecabantur, ut liceret uel fimbriam uestis eius cōtingere. Tantus enim erat turba tumultus, ut uix hoc cuius dari posset. Neque enim hæc erat Iesu difficultas, qui nec leprosum grauatus est tangere: sed fiducia delectabatur exemplo, quod omnibus uolebat esse commendatum. Quid ni commendatum sit? Quotquot contingebant Iesum sanabantur, quocunque genere morbi tenebantur. Illi fidentes contingebant fimbriam uestis, quæ postea cessit his, qui crucifixerant eum, & leuabantur morbis corporum: quanto magis adnitendum est omnibus, ut Iesum ipsum contingant animo, & sanentur à morbis animorum? Nihil ualet contractus sine fide. Nudum Iesu corpus contrectabant, qui

impegerunt alapas, qui uinciebant, qui flagellabant, qui suffigebant in crucem: neque cuiquam horum profuit contigisse. Legis Euangelium, contingis quidem Iesum: sed legis ut refellas, aut legis oscitanter, frustra contingis Iesum. Lege sincera fiducia, mox sanaberis. Sed deprecandus est Iesus, ut liceat contingere. Frustra contingit, quem ille non contingit prior. Si non potes assequi reconditam illam sapientiam, quam Paulus loquitur inter perfectos, uel fimbria contacta restituet sanitati, si fides adsit integra. Nihil tale prestare possunt, quantumlibet lata phariseorum fimbria. Nihil est in domino Iesu tam humile quod per fidem non praestet salutem.

CAPVT VII



ATQUE hic fuit Euangelij successus apud simplicem & credulam turbam. Sed non idem est apud scribas & phariseos, qui religionis totius ac doctrinae arcem sibi uidebantur obtinere, ac plebeios idiotas uix ducebant pro hominibus. Nam sacerdotum uix usquam ulla mentio, nisi quum perdendus esset Iesus. Proinde quemadmodum in comoedijs uariantur scene, ut ex personarum ac rerum collata diuersitate, singula magis elucescant: sic in negotio Euangelico dominus Iesus ita temperauit uices omnium quae gerebantur, ut ex perspecta simplicitate atque etiam ethnicorum credulitate, liqueret omnibus, quam esset insanabilis eorum peruersitas, per quos conueniebat aliorum incredulitatem corrigi. Rudibus ac plebeis ad salutem sufficit contacta uestis fimbria: phariseos nec intellecta prophetarum oracula, nec audita toties Iesu doctrina coelestis, nec tot conspecta miracula corrigunt. Commodum igitur, his rebus gestis, conueniunt eodem aliquot pharisei & scribae, uenerabile nimirum ac suspiciendum genus hominum, atque hoc magis, quod uenissent ex Hierosolymis, ubi fontem pietatis ac sacrae doctrinae uolebant esse: quum illic esset fons & caput omnis ambitionis, hypocriseos, & impietatis. Hi quum sibi iusti doctique uiderentur, non ueniunt ut discant, non ut sanentur, sed ut calumnientur. Et ecce protinus parata calumniandi ansa. Eam porrigit auidis caeremoniarum superstitio, unde fere nascitur omnis inter homines calumnia. Iudaei commune uocant, quicquid profanum est & impurum, nimirum abominantes omnem immunditiam, & hoc agentes ne quid impurum usquam uideantur habere. Atque hanc puritatem non animi sinceritate, quae sola ueraque puritas est apud deum, sed corporalibus ceremonijs metiebantur. Quarum aliquot & Moysi lex praescripserat, non ut perpetuo serioque seruarentur: sed partim ut ad tempus populus rudis & intractabilis consuesceret obtemperare praeceptis diuinis: partim ut huiusmodi uelut umbris ac rudimentis paulatim instituerentur ad ea, quae sunt uerae pietatis in animo sitae. Porro quidam non his contenti quae lex praescripserat, innumeras constitutiones de suo adiecerant, quas pharisei seuerius exigebant a populo, quam ea quae Deus praeeperat, semper & apud omnes obseruanda. Et ex huiusmodi nugis uindicabant sibi laudem sanctimoniae, populoque stultam sanctimoniae persuasionem inducebant: quodque sceleratius est, ex his quae nihil faciebant ad ueram pietatem, impietatis calumniam struebant proximo. Quum enim uidissent aliquot ex Iesu discipulis sumere cibum manibus illotis, hoc est, quemadmodum illi loquuntur, communibus & impuris, uituperabant illos, quasi parum religiosos, simulque praecceptorem qui suos parum sancte institueret. Nec ideo damnat, quod uel per se uitiosum esset, uel a Deo uetitum, sed quia dissidebat ab ipsorum consuetudine. Est autem haec pessima iudicandi regula, ideo damnare quippiam, quod ipse non soleas idem facere. Fit enim saepenumero, ut quae stultissima sunt, irrepan in publicam consuetudinem, quam non oportet facere regulam pietatis, quum ex ueris ac praescripto dei sit aestimanda puritas. Contra scribae ac pharisei, atque adeo omnes fere Iudaei, stultissime iudicantes animi puritatem in rebus corporalibus esse sitam, adeo superstitiose seruabant morem a maioribus, non a deo traditum, ut etiam si fame periclitarentur, non caperent cibum, nisi prius lotis manibus. Et si saepius in die capiendus sit cibus, crebro lauant manus, atque ita se puros arbitrantur ad cibum accedere. Quin etiam si domum ex foro redeant, uelut ex populi contactu contraxerint aliquid impuritatis, non capiunt cibum, nisi loti corpore toto: quum interim mentem habentes odio, liuore, ambitione, auaritia, simulatione, caeterisque pestibus inquinatissimam, non cogitent de lauando. Hac aliisque his consimilia praeter legis constitutiones tradita sunt illis a maioribus, quum lex ipsa uetet addi demique quicquam ab his, quae diuinitus essent praescripta. Nec satis

fuit erat subinde lauare corpus, quo puriores uiderentur, frequenter lauabant & urceos, & uasa aerea, & lectos denique. Nec hanc calumniandi scabiem poterant intra se preme-
re pharisei, cum discipulis non expostulant, sed uelut in atroci facinore dominum ipsum
adoriuntur. Quir, inquit, discipuli tui qui te sequuntur, & ex tua pendent institutio-
ne, non obseruant morem à maioribus institutū, sed illotis & impuris manibus capiunt
cibum: Iesus autem nos docere uolēs, nullum esse pestilentius calumniandi genus, quā
ubi quis sub prætectu pietatis incessit benefacta proximi: seuerē retundit illorum malici-
am, ac simulatam iustitiam. Factis, inquit, uestris declaratis, recte meritoq; de uobis hy-
pocritis uaticinatum Esaiam, qui foris speciem habetis sanctimonie, quum intus plenis-
sima iniquitate. Apud quem hūc in modum queritur deus. Populus hic labijs me honorat,
cor autem eorum procul abest à me. Et quemadmodum ipsi uiuunt, sic alios instituunt.
Nihil moror istam corporum & supellectilis munditiem, animi munditiem requiro.
Hoc pietatis genere fucato frustra me colunt, ceu magnum quiddam ostentantes, & in
quo sita sit absoluta pietas, docentes humanas constitutioniunculas, quæ neminem com-
mendant deo, atque harum superstitione pro nihilo ducentes præcepta dei. Quantum
interest inter hominem & deum, tantum interesse decet inter hominum constitutiones
& præcepta dei. Deus spiritus est: & quod spirituale est, perpetuū est, nec unquam opor-
tet negligi. Quicquid corporale est, temporarium est. Si fas est negligere ceremonias à
deo præscriptas, quoties id suadet proximi charitas: quanto minus conuenit, ob huma-
nas constitutiones uiolare dei præcepta? Præpostera pietas est, & irreligiosa religio, su-
perstitiosum esse in obseruandis his, quæ maiores uestri ex suo animo tradiderint, & ea
negligere, quæ præcepit deus. Vos in lotionibus manuum, calicum, urceorum, alijsq;
multis similibus rebus, præcipuam quandam pietatem collocatis, quæ uos populo com-
mendant falsa quadam religionis imagine, & hanc fucatam laudem pluris facitis, quā
autoritatem dei. Diligitis enim uos ipsos, nec quæritis gloriam dei, nec salutem populi,
cuius uos profitemini duces ac doctores. Proinde non mirum est, si quod à deo præce-
ptum est, ut semper & ab omnibus seruetur, abrogetis & antiquetis, quo maneat huma-
næ constitutionis autoritas, quæ uobis conciliat autoritatem & quæstum. An non palam
ita facitis? Nonne per Moysen deus hanc legem prodidit? Honora patrem tuum & ma-
trem tuam. Et qui male dixerit patri, uel matri, morte morietur. Hoc deus non uno in lo-
co præcipit, sed iterum atque iterum repetit & inculcat animis omnium, ut parentes aeta-
te defectos, aut egētes, aut alioqui necessitate quapiam oppressos, liberi pro sua uirili sub-
leuent, ac nutritionis officium rependant. Dicat idem lex naturæ, nonnullis etiam ani-
mantibus insita, ueluti ciconijs. Vos autem uestris commodis consulentes, commentitia
doctrina subuertitis præceptum dei: & postulatis, ut quod deus tantopere uoluit, cedat
uestre doctrinæ fucatæ. Deus ipse clamat: Honora patrem & matrem. Vos audetis con-
tra dicere: Ne honora patrem & matrem. Non clamatis hæc uerbis, sed re facitis: quō sce-
leratior est uestra impietas, quā imagine pietatis obnubilatis. Etenim ut gazophylacium
expleatur, unde uester alitur luxus ac fastus, technis allicitis quos potestis, ut etiam frau-
datis parentibus, quorum egestatem oportebat subleuare iuxta præceptum dei, quā
plurimum donariorum adferant in templum: persuadentes, ita satisfactum esse præcepto,
quasi deo donetur quod consecratur templo, & deus uerus sit pater omnium. Itaque qui
pecuniam misit in gazophylacium, huic dicitis non esse iam opus ut quicquam impar-
tatur egentibus parentibus, quod præcepto sit factum satis: & interim superstitione deter-
retis parentes, ne audeant à filijs exigere, quod semel deo dicatum uidetur, ne sacrilegio
sele reddant obnoxios. Atqui nec deus eget uestra pecunia: nec ista pecunia uertitur in
gloriam dei, sed in usus uestros: & si uerteretur in structuram templi, tamen deo nullum
templum tam sacrum est, ut eius causa uelit parentes à liberis destitui. An non, dum per
huiusmodi cōmenticias doctrinas & filios seducitis, ne subueniant parentibus: & paren-
tes deterretis, ne ausint contingere quod templo dicatum est: dum uestra constabilitis,
subuertitis præcepta dei? Hoc exempli causa uobis produxi, quod non potestis inficiari.
Verum non in hoc tantum peccatis, multis alijs in rebus idem facitis, quemadmodum in
hoc ipso facto. Præceptum est dei: diliges proximum tuum sicut teipsum. Et uos ob friv-
uolas lotiones ab hominibus traditas, calumniam struitis, & mihi & meis discipulis: ni-

Et aduocans iterum turbas mirum contempto præcepto diuino. Phariseis hoc priuato sermone coercitis uersis q̄ sanatis, rursus aduocauit multitudinem, quam uolebat his de rebus admonitam esse, ne posthac pharisaicis traditionibus auocarentur ab Evangelica synceritate. Audite, inquit, omnes & intelligite. Vidistis intentatum impietatis crimē, propterea quod discipuli quidam mei manibus illotis panem comederint, quasi tali cibo contaminaretur apud deum qui uestitur. Puritas & impuritas hominis non est in rebus extrarijs, sed internis. Nec enim inquinari potest rebus corporeis. Proinde nihil quod sit extra hominem, & ingrediatur in corpus hominis, potest hominē impurum facere apud deum: sed quæ intus sunt in homine, & ab homine exeunt, declarant impurum hominē. Hoc enigmatē dominus Iesus multitudinē dedit occasionē disquirendi, quid sibi uellet quod dictum esset. Quod magis acueret studiū illorum, adiecit. Quisquis habet aures idoneas ad audiendū, audiat: significans eam cationē frustra cani furdīs phariseis. Ceterum ubi sese dimissa turba recepisset in domum, discipuli rogabant eum priuatim, ut explicaret parabolam de discrimine ingredientium in hominē & egredientium ex homine. Iesus autem ad exemplum fidi diligentisq̄ præceptoris, prius excitata obiurgatiuncula illorum attentione, docuit parabolæ mysterium. Adeone, inquit, uos quoque, quos cæteris docendis delegi, caretis intelligentia? Atqui ex tot parabolis, quas uobis sum interpretatus, huius etiam sensum oportebat conijcere. An non intelligitis ex his, quæ foris ingrediuntur in hominē, non posse deprehendi puritatem aut impuritatem hominis? Quod enim ingreditur per os, non transmittitur in cor, sed in stomachum, mox in uentrem: inde si quid impurum est excernitur in secessum, ut uestienti sit omnis cibus purus, natura repurgante quod impurum est. Verum ea quæ proficiuntur ex intimis hominis partibus, sunt quæ faciunt ac declarant impurum hominē. In corde sedes est animi: & in animo uera puritas est aut impuritas. Non igitur statim purus est qui lauit manus, sed qui cor habet lotum ac mundum. Hinc ergo quæ prodeunt, uere declarant hominē purum aut impurum. Ex intimis enim cordis recessibus proficiuntur cogitationes malæ, adulteria, stupra, homicidia, furti, avaritiæ, fraudes, dolus, impudicitia, malus & inuidus oculus, conuicia, superbia, stulticia. Nihil horum inuehit cibus illotis manibus sumptus, uerum hæc oriuntur ex ipso homine, hoc est, ex corde: quumque prodeunt, declarant hominē uere impurum esse, qui cor habeat tot spurcitijs impuratum. Hæc si lateant in corde, tamen impurus est homo apud deum, qui cordis intima perspicit: sin prorumpunt etiam in orationem, aut in facta, non solum testificantur impuros esse unde hæc exeunt, uerum etiam frequenter & alios inquinant, dum per oculos & per aures penetrant in animos uidentium aut audientium. Sit igitur uobis prima cura mundi cordis, & nō referet utrū lotis an illotis manibus capiatis cibum. His ita gestis, Iesus ipsa loci mutatione significans quàm tæderet Iudæi cultus, qui fere totus æstimabatur corporalibus obseruatiunculis, & intra Iudææ per quam angustos limites constringebatur, quamq̄ sitiret gentium latitudinem, apud quas erat adorandus in spiritu & ueritate, submouet sese illinc, & profectus est in fines Tyri & Sidonis, sed ueluti furtius hospes ob inuidiam Iudæorum: qui quoniam Tyrios ac Sidonios habebant pro canibus & abominandis, non tulissent Iesum doctrinā Evangelicam ad illos transferre. Proinde non ibi uersatus est in publico, quod solet apud Iudæos: sed domum ingressus est, quasi cupiens latere, quanquam latere non potuit: adeo fama dictorum ac factorum eius sese & ultra Iudææ fines profuderat, ueluti iam tum meditans in uniuersum orbem propagari. Sic optime spargitur pietatis euangelicæ gloria, si fugi tantem ultro sequatur. Etenim mulier quædam Chananæa ad rumorem de Iesu sparsum e finibus suis progressa, mox ingenti de eo concepta fiducia, properat ad Iesum, & ægre admissa procubuit ad pedes illius. Hæc non erat Iudaicæ religionis, sed ethnica: nec Iudaicæ gentis, sed Syrophœnissæ genere. Agnoscis manifestum ecclesiæ typum, paulo post e gentibus congregandæ. Iudæi Iesum elecerunt: Syrophœnissæ relictis suis sedibus obuiam profecta est Iesu. Frustra uenitur ad Iesum, nisi pristina uitia iam domestica reliqueris. Emigrandum est e tuis ædibus, ut uenias in domum in qua sedet Iesus. Hæc mulier habebat domi filiam, malo dæmonio obnoxiam. Is est populus idololatriæ deditus. Rogat itaque mater Iesum, ut filiam a dæmonio liberet. Quanto perfectior ethnica mulieris fiducia, quàm Archisynagogi. Iesus autem quo magis redderet omnibus conspicuam

tuam mulierculæ fiduciam, uelut ex affectu Iudaico respondit: Sine prius saturari filios. Non decet ut tollam panem filiorum, ac proijciam canibus. Nam Iudæi gloriantur se solos esse filios dei. Caterum gentes à Iudaica religione alienas, pro canibus habent. Partem autem uocat uirtutem Euangelicam, quæ per cœlestem doctrinam, ac synceram fidem sanat omnes morbos, ac profligat ab animis omne dæmoniorum genus. Mulier autem nihil offensa conuicio, quod dictum uidebatur ad abigendam illam, uertit in argumentum impetrandi. Recte, inquit, dicis domine. Non inuidemus Iudæis, quod honorifice tanquam filij accumbentes ad mensam ditissimi patris, affatim explentur sacris panibus: sed tamen conceditur canibus, ut comedant micas, quæ decidunt in terram ex mensa filiorum. Iesus autem ueluti uictus tanta mulieris fiducia, tolerantia, modestia, ac perseuerantia, respondit: Isto responso extorques quod nondum erat tempus ut daretur. Abi domum, iam filia tua liberata est à dæmonio. Credidit mulier, abiit alacris, & comperit esse uerum quod dixerat Iesus, puellam quiescentem in lecto, iam à uexatione dæmonij liberam. Nimirum matris fiducia à Iesu sanitatem extorserat. Profligato malo dæmone, consequitur animi quies. Nam innocentie comes est tranquillitas. Sic & hodie piorum ecclesia Iesum adit, Iesum interpellat pro his, qui idololatria, qui ambitione, qui iracundia, qui auaricia, qui bellandi uesana libidine, uelut ab impuro quodam dæmonio agitantur. Ac Iudæi quidem iudicant indignum, ut qui paulo ante dæmonum arbitrio ad omne flagitiorum genus rapiebantur, repente per Euangelij gratiam recipiantur ad dignitatem & consortium filiorum dei: non intelligentes, hoc honoris non æstimandum propinquitate sanguinis, sed ardore constantique fiducia erga dominum Iesum. Filijs Israel, ac posteris Abraham promissus erat Christus: sed Abrahamæ posterij sunt, quicunque fidem imitantur Abraham. Filij Israel sunt, quicunque non meritorum suorum commendatione sibi postulant aperiri regnum cœlorum, sed Euangelicæ fiduciæ uiolentia conantur irumpere. Hoc enim sonat Hebræis Israel, uirum aduersus deum fortem. Etenim gentes, quæ prius erant omni genere malorum inquinatæ, neque quicquam habebant bonorum operum, quo sibi ius regni cœlorum uindicarent, quum per dei iustitiam excluderentur, per misericordiæ fenestram irruerunt, ac fiduciæ pertinaciâ, ueluti telo quodam sibi patefecerunt aditum, per fractis regni cœlorum parietibus. Nondum aduenerat tempus, ut palam gentes ad regni cœlestis consortium uocarentur: sed tamen huc subinde præludit dominus, ueluti gestiens anteuertere, quod summopere sitiebat. Hoc igitur semine, ceu furtim iacto apud Tyrios, Sidonios & Cananæos, dominus relegit iter, rursum proficiscens ad lacum Galilææ, præterita Sidone, & itinere facto præter regionem decapoleos, ubi prius sanarat dæmoniacum. Huc ubi uenisset, adducunt illi miserabile spectaculum, uidelicet hominem & surdum & mutum. Mutus enim sit oportet, qui natura surdus est. Sed miserabilius surdus est, cui non sunt aures idoneæ ad audiendum sermonem dei: peius mutus est, qui non habet linguam ad confessionem suæ turpitudinis, ac diuinæ misericordiæ. Per auditum fidei salutis est initium: per confessionem oris, salutis est perfectio. Iudæi tamen si quotidie Iesum audiebant loquentem, audientes non audiebant: quoniam ad exemplum aspidis obturantibus aures aduersus sapientis incantatoris uocem, credere nolebant his quæ audiebant. Et ideo linguam habebant ad obrectandum, ad salutem fidei professionem non habebant. Quid faciet miser, qui linguam non habet, qua salutem petat à domino: qui aures non habet, quibus percipiat uocem Iesu, etiam mortuorum excitatricem? Succurrunt misero, qui linguam & aures habebant. Adducunt illum ad Iesum. Interpellant illius clementiam, ut illi dignetur imponere manum. Sic uisum est clementissimo domino, ut aliena etiam fides opituletur peccatoribus. Adducitur ad Iesum Catechumenus, desijt malefacere, desijt male loqui: sed nondum didicit benefacere, nondum didicit confiteri bonitatem Euangelicam. Qui possit autem, nisi Iesus illi manum imponat? Frustra laborant homines, nisi Iesu secreta uis acceperit. Erat in procliu domino, uel simplici uerbo dare sanitatem surdo & muto, sed nobis hæc rerum forma proponitur. Siquidem ut plerunque parabola est, quod loquitur Iesus: ita non raro parabola est, quod facit. Apprehensum hominē seducit à turba. Saluus est quencunque apprehenderit Iesus, quem ab huius mundi tumultu semouerit. Misit digitos suos in auriculas eius, ac salua sua tetigit linguā illius. Iam in proximo est salus, ubi Iesus uirtute sui spiritus

*Et suspiciens
in cœlum*

qui digitus est dei, dignatur aures mentis nostræ contingere: quoties salua cœlestis sapi-
entia, quæ ipse est, ex ore patris altissimi prodians, dignatur animi nostri linguam contin-
gere, ut sapiant nobis ea quæ dei sunt. Neque enim absque hoc humore fit gustus: & hu-
mana salua uitata, peruersum habet iudicium. Hæc salua non solum linguam soluit, ue-
rum etiam oculos aperit cæci nati, quoties admixta terræ, oculis inungitur: quum salua
philosophorum & pharisæorum magis exoculet. Faciunt idem quodammodo & docto-
res Euangelici. Apprehensos abducunt à turba, quum à lata uia, per quam plurimi ambu-
lant in exitium, reuocant ad pusilli gregis consortiū. Inserunt digitos in aurículas, quum
auocantes à fiducia rerum fluxarum, hortantur ad doctrinam cœlestem. Sputum immi-
tunt in linguam, ad Euangelicæ fidei professionem exhortantes: imponunt manum,
quum baptizatis impartiunt spiritum sanctum, per quem abolentur peccata, & confer-
tur innocentia. Verum hæc omnia frustra doctor facit foris, nisi Christus intus opere-
tur, ac diuinam uirtutem emittat e cœlis. Huius rei uelut imaginem quandam exhiberi
uolens Iesus, quum apprehendisset, quum immisisset digitos in aures, inpsuisset in lin-
guam, sustulit oculos in cœlum, & ingemuit. Gemitus hic non erat diffidentia, sed huma-
nam calamitatem deplorantis. Quid enim miserabilius illis, quibus aures mentis sic oc-
cupatæ sunt cupiditatibus terrenis, ut non queant audire uerbum dei? quibus lingua sic
impedita est, & infecta uitiosis affectibus, ut non sapiant cœlestia, ut muti sint ad suæ ma-
litiæ confessionem, muti ad prædicandam dei misericordiam? Itaque gemitus Iesu nos
admonet quales fuerimus, at suspectus in cœlum adimit desperationem, indicans unde
sit paratum auxilium, & cui debeamus acceptum ferre: quod qui prius habebamus aures
patulas ad obtreptiones, ad turpiloquia, ad ineptas fabulas, ad pharisaicam doctrinam,
ad philosophorum dogmata, ad satanæ suggestiones, nunc habemus patefactas ad acci-
piendam cœlestem doctrinam Euangelij: qui prius habebamus linguam sic infectam sa-
liua carnis, ut nobis nauseam saperet philosophiæ cœlestis ambrosia, sic alligatam uincu-
lis satanæ, ut nec sua peccata posset agnoscere, nec Dei gloriam prædicare: nunc confi-
temur nobis nihil aliud ex meritis nostris deberi quàm gehennam: totum autem esse di-
uinæ largitatis, quod adoptamur in nomen & hæreditatem filiorum Dei. Proinde inge-
miscal & sacerdos potius, quàm sæuiat in aliena peccata: doleat magis, quàm irascatur:
nec sibi uindictæ potestatem absoluendi, sed suspiciat in cœlum, profitens ac testificans
totum hoc, quod sacramentorum ritibus agitur, esse uirtutis diuinæ, non humanæ po-
testatis. At autem Iesus: Effata, quod Hebræis sonat adaperire. Vocem illico sequuta uis
est. Mox enim apertæ sunt aures eius, & solutum est uinculum linguæ eius, & loqueba-
tur expedite. Aures habebant apertas, quibus quum dominus dixisset: Venite post me,
relictis omnibus sequuti sunt. Linguam habebant expeditam, qui accepto spiritu sancto
loquuti sunt uarijs linguis magnalia dei: ac magistratui denunciati, ne posthac prædi-
carent nomen Iesu, responderunt: An oportet magis obedire deo quàm hominibus, uos
iudicate. Hæc acta sunt seorsum à turba. Non enim oportet profanam multitudinem fa-
cere testem initiationis Euangelicæ, ne rideat quod nondum credit. Iesus ita quæ præce-
pit, ne cui dicerent: non quod nollet sciri id quod gestum erat, sed quod uirtutem cœle-
stem melius ipsa loquitur res, quàm hominum prædicatio. Omnes nouerant surdum &
mutum. Nunc audiebat & loquebatur expedite: sic uel tacitus prædicabat beneficium Ie-
su. Præterea Iesus hic hominis imaginem gerebat, ut homines erudiret. Quicquid homo
facit præclari, cupiat esse tacitum, ut sileatur hominis gloria, & prædicetur gloria dei. Per-
iculose laudatur homo, sed merito prædicatur potestas ac bonitas dei. Quanquam nec
hominis gloria siletur, si qua tamen est hominis gloria: imò sæpenumero quo magis uita-
tur, hoc magis sequitur. Attamen hic debet esse affectus Euangelici uiri, ut quod ad ipsum
attinet, cupiat soli deo notus esse. Atque hoc ipso dignior est, qui prædicetur apud omnes.
Quisquis enim affectat gloriā apud homines, hoc ipso indignus est gloria. Proinde quod
Iesus interdixit ijs qui mutum adduxerant, ne cui dicerent quod esset actum, hoc ipsum
magis prouocauit, ut apud omnes prædicarēt: atq; hoc uehementius suspiciebant magni-
tudinem Iesu: qui quā talia posset ac præstaret, nō solum nihil exigebat præmij, uerum ne
gloria quidē tam insignis facti frui cupiebat. Sed ut est hominis uere benefici, nō exigere
laudem pro beneficio: ita grati est hominis, hoc impensius referre gratiam, quod qui be-
neficiū

nefciunt de dñe, nullam expectet gratiam. Itaq; passim isti prædicabant de Iesu dicentes: Bene omnia fecit. Et surdis reddidit auditum, & mutis linguam. Hæc laus in solum deum competit. Nemo mortalium bene facit omnia. Omnia Iesu miracula nostra erant beneficia. Quæ si iuxta speciem rerum corporalium expendas, erant multo splendidiora, quàm hoc quo ex surdo fecit audientem, ex muto loquentem. Sed iuxta sensum spiritualem, summa felicitatis in hoc est, ut homo auribus audiat sermonem Evangelicum, & quod dicit crediditq; loquatur.

CAPUT VIII



ARIIS autem exemplis dominus Iesus suos discipulos hortatur ad perpetuam beneficentiam, cuius præcipua pars est, rudē populum pascere doctrina Evangelica. Proinde repetit exemplū pascendi, ne posset excidere quod sic toties esset infixum. Accidit enim quodam tempore, ut in locum desertum ingens hominum multitudo conflueret ad Iesum, deferens secum multos varijs malis obnoxios. Clementissimus dominus sanabat omnes corporum morbos, animos uero cœlesti sermone pascebat. Hac benefaciendi promptitudine adeo sibi deuinciebat animos multitudinis, ut ab eo non posset diuelli. Dum que totis animis intenti sunt regno dei, non uenerat in mentem prospicere de comœatu, adeo ut sanatis corporibus, paſtis animis, de fame periclitarentur. Est autem & hoc ingens telum, præsertim apud multitudinem. Iesus autem ipsa re docere uolēs apostolos, nihil omnino de futurum hīs qui sincera fiducia adhærent ipsi, dicit illis: Misere me huius multitudinis. Nam ecce iam triduum est, quod adhærent mihi, nec habent quod edant. Quod si dimiserō eos ut sunt ieiunos, periculum est ne deficiant in uia, prius quàm domum perueniāt. Nam quidam uenerunt e longinquo. Hac oratione Iesus excitauit suorum animos ad futurum miraculum. Discipuli uero rudes ac rursus oblitī, quemadmodum ante pauisset numero tam multitudinem quinque panibus ac duobus piscibus, respondent hunc in modum: Vnde possit aliquis tam immensam multitudinem biduano ieiunio famelicam, explere panibus hic in solitudine, etiam si nobis suppetat pecunia? Audis uocem obliuionis ac diffidentiae. Rursus Iesus. Quot panes habetis? Illi inspecto comœatu, responderunt: Septem. Nimirum hic erat uere panis Evangelicus, triticeus non ordeaceus, quemadmodum superiores illi, quo aluntur filij, nec proficitur canibus. Habet ordeum suam medullam, s. d. scabro opertam tectorio. Habet & Moſi pentateuchus sensum spiritualem, sed figurarum inuolucro tectum. Creuit numerus panum, sed detractum est tectorium: quoniam aucta est gratia, & detractum est ceremonijs. Quum uero comœatus hic non uideretur suffecturus tantæ multitudini, tamen Iesus iussit omneis discumbere super terram. Felix conuiuium, ubi famelica turba discumbit iussu Iesu. Id fit, quoties populus audis sermonis Evangelici conuehit in basilicam, auditurus Iesum per os boni concionatoris loquentem. Nam multi non alio animo ueniunt in sacram concionem, quàm quo uulguſ solet uenire in theatrum, spectaturum profanam fabulam. Qui uult saturari panibus Iesu, discumbat oportet, id quæ super terram. Compositis affectibus huc ueniendum est: non merentur hunc cibum qui supini resident in lectis pharisaicæ philosophicæ que doctrinæ. Quid superbis terra & cinis? Quid intumescis inani philosophia? Quid confidit his rebus, in quibus non est salus? Agnosce te ipsum, deſce te in terram unde produſti. Conquiescant in te cupiditates carnis, & satiaberis cibo Christi. Factum est quod admoneo. Iam discubuit in terra multitudo. Nunc mihi specta, quid agat Iesus. Accepit septem panes, & ut ostenderet à deo proficisci, quicquid conducit ad salutem hominis, susulit in cœlum oculos: nam ibi pater habitat, unde iussit quotidie peti panem hunc: & gratias egit, nō sibi uindicans auctoritatem eius muneris, ne quid sibi uindicaret homo putus. Nam poterat ille sibi uindicare tanquam equalis patri: quanquam & iuxta diuinam naturam quicquid est aut habet, patri debet: sed magis conducebat ad nostram disciplinam exemplū quod exhibuit. Gratijs actis fregit, fractos tradidit discipulis suis: ut sicut acceperant, apponeret turba. Non est efficax hominis sermo, nisi prius cōtreſciatus Christi manibus. Habes eloquētiā, habes philosophiā, habes ingenium, habes cognitionem sacrorum uoluminum, legum, ac pontificij iuris: quicquid habes, prius trade manibus Christi: consecret ille quod habes, frangat ille: lāmque non uelut tuum sed ab ipso acceptum ac traditum, appone populo. Sunt enim qui frangant panem scripturæ diuinæ, non

non ut oportet, detorquentes eam ad cupiditates hominum, non ad uoluntatem Iesu. Iesus enim sic frangit, ut saturetur multitudo famelica, non ut principum ambitioni aut auaricie seruiatur. Quisquis ad quæstum, ad humanam gloriam, ad alias humanas cupiditates docet Euangelium, non accipit panes à Christo fractos. Imitemur igitur in prædicando sermone Christi, Christi discipulos. Vt iussi erant, fractos panes apposuerunt turbæ. Dicit interim aliquis: Quid? Nihil ne obsonij? Tantum panarium est conuiuium? Non oportet multum addi panibus Euangelicis. Nihil illis efficacius, nihil suauius. Et tamen ex benignitate conuiuatoris adduntur pisciculi pauci. Fortassis aliquid epistolarum addent apostoli: sed hoc & pusillum est, & minimi momenti, si ad apparatus Euangelicum respicias. Datum est hoc additamentum quorundam fastidio, sed non oportet ultra requirere. Sufficere debet hoc obsonij, ne si quis de suo pergat addere quod libet, iam hominum fiat conuiuium, non Iesu Christi. Nam Iesus & hos pisciculos, licet paucos & pusillos, consecrauit, ac iussit apponi: quod ni fecisset, non erant apponendi. Noli queri de frugalitate obsonij: alioqui si patieris inferri rhetorum placentas, si philosophorum magnificos missus, si phariseorum insipida iura: iam periculum est, ne palato tot obsonijs infectio, non sapiat panis Euangelicus. Vt autem saturi discedamus ab Euangelico conuiuio, faciant doctores, quod fecerunt Apostoli: faciatque populus, quod fecit illa multitudo. Quid fecerunt apostoli? Sicut acceperant à domino, sic apponunt turbæ, nihil hæsitantes, nihil disputantes. Multitudo item quæta, nihil obmurmurans accipit, bonique consulit quod datur. Itaque factum est, ut non solum saturati sint omnes, uerum etiam septem sportæ impletæ sint fragmentis reliquiarum, quæ saturis superfuerant. Quoque magis demiseris, qui comederant usque ad saturitatem, erant ferme quatuor hominum milia. Nimirum hæc est opulentia sermonis Euangelici. Quoties accedit superbus doctor, multo disciplinarum, multo literarum, multo legum & constitutionum apparatu instructus, sic, ut undique exuberet: claudens non suffecturum dicenti tempus, concionem non esse capacem rerum tam sublimium: sese obrui copia, & ancipitem fieri, unde debeat ordiri: nonne fieri uidemus, ut concio discedat famelica? Tantum abest ut quicquam super sit. At è Iesu frugali parco: quæ conuiuio supersunt sportæ septem. Copia enim ac dapsilitas Euangelici conuiuij, non est sita in multitudine disciplinarum, ueluti ciborum generibus ad fastidium usque multis, aut in condimentis ex omnium humanarum literarum mixtura confectis, sed in uirtute sermonis à Deo traditi, bonaque fide dispensati. Ita pastos dimisit Iesus. Est & hoc aliquid, feliciter discedere à conuiuio Iesu. Sic autem dimittuntur, qui gratias agunt: qui ipsius beneficia recondunt in animo, & concoquunt quod acceperunt: qui domum reuersi, ueluti saginatiore corpore, factis exhibent quod didicerunt. His rebus ita gestis, Iesus confestim aliò properat. Non est pastori uersandum cum multitudine, nisi quum iuuanda est. Sanarat ægros, docuerat, pauerat fame periclitantes. Post hæc hære, uidetur expectantis aliquid gratiæ. Omnibus quidem modis subleuanda est egestas multitudinis, siue corporalis urget necessitas, siue spiritalis: sed sic est natura populi, pro minimis beneficijs solet maximas agere gratias. Leuissimi beneficij est, alere corpus: maius est, sanare: maximum, sacra doctrina sanare & pascere animum: Pro doctrina, proque sanatis morbis nemo regnum detulit Iesu: pro cibo detulerunt. Id ne rursus fieret, Iesus ilico reliquit multitudinem: & conscensa naui cum discipulis, quos perpetuos comites sibi delegerat, uenit in fines Dalmanutha, siue Magedan. Quoque sæpius patefiat phariseorum incredulitas, & huc egressi sunt, non ut sanarentur, sed ut calumniarentur. Inuidebant enim miraculis Iesu: inuidebant & populo tot beneficijs adiuto. Cœperunt itaque disputare cum Iesu, quasi miracula quæ promebat, non gererentur uirtute cœlesti, quod essent humilia ac plebeia. Proinde si uellet phariseos, homines longe supra uulgus positos, quasiq; cœlestis sibi credere, exigebant ut signum aliquod æderet è cœlo, quemadmodum Moses impetrauit manna è cœlo: & Helias precibus suis effecit, ut ignis subito delapsus è cœlo, consumeret & holocaustum & ligna, & aquam denique, quæ constiterat in lacunis iuxta altare. Dominus autem sciens illos calumniaturos, quicquid fecisset (probabilius enim poterant tribuere Beelzebub, si quod ostentum è sublimi proditum fuisset, ubi uersantur principes tenebrarum harum: præsertim quum Magorum familiare sit, subuocare imbres, excitare tonitruum ac fulmen, mouere grandinem ac tempestatem: quàm ea, quæ

Et dimisit eos

Et statim ascendens naui

aquæ oculis uidebant, auribus audiebant, & manibus contrectabant) ingemuit spiritus, declarans se dolere de illorum incredulitate tam pertinaci. Ac uelut indignans apud se loquutus est: Quænam est hæc natio tam peruersa, ut tot uisis miraculis, adhuc signum requirat, quasi nullum antehac uiderit? Deinde uersus ad pharisæos, ait: Illud conueniunt uobis, non dabitur nunc huic nationi signum, quod tentandi gratia postulat e cœlis: sed dabitur signum, quod non expectat, ex inferis. Id erit signum Ionæ. Ille quum tribus diebus absorptus crederetur extinctus, præter omnium spem redditus est e uentre ceti: sic filius hominis ad triduum abditus in sinu terræ, præter expectationem uestram rediit exiliis. Hunc sermonem quum non intelligerent pharisæi, reliquit eos uelut deploratos: ac reuersus ad nauim, transmisit lacum. Ita dominus Iesus sitiens humanæ salutis, subinde uertit solum, non uictimas quærens, quarum iam olim satur erat, sed fidem. Eam autem ægre inuenit in terris, sed ubiuis potius, quàm apud sacerdotes, scribas, pharisæos, ac populi primores. Adeo male conuenit Euangelicæ fiduciæ cum his, qui pollent huius mundi commodis. Hic inter nauigandum, non ueniebat in mentem discipulis, quod per obliuionem sibi non prospexissent de panibus. Nam unum duntaxat panem secum habebant in naui. Iesus autem sciens illos obliuione securos esse non fiducia erga ipsum, reuocauit admonendo curam. Quanquàm hæc sollicitudo non tam ex diffidentia proficiscebatur, quàm ex incogitantia & obliuione humana. Intentis ijs, quæ dicebat ac faciebat Iesus, non succurrebat de panibus: & nobis expediebat illos frequenter obliuisci quinque panibus satiata multitudinis, quo uidelicet nostris animis altius infingeretur, nihil defuturum his, qui sincero corde adhærent Christo. Satis prospectum est illi naui, quæ unicum habet panem, qui est Christus Iesus. Itaque uoluit illorum elicere sollicitudinem quo mederetur, ac præcepit eis, dicens: Videte diligenter ut caueatis à fermento pharisæorum, atque à fermento Herodis. Ea uox audita quidem, sed non intellecta, reuocauit discipulis seram sollicitudinem prouidendi de comœtu. Itaque cœperunt inter se mulsitare: Panes non habemus. Aliud enim ex alio ueniebat in mentem. Audito fermento, reminiscuntur panum omissorum. Hæc de re tacite mulsant, quasi peccassent incogitantia, quod panes non emissent. Verum hæc obliuio grata est Iesu, quoniam ardore cœlestium, obliuiscimur rerum corporalium. Verebantur obiurgari de negligentia, sed obiurgantur de superuacanea cura. Quid, inquit dominus, disputatis inter uos, solliciti quod non habetis panes? Tot præceptis instituti, tot exemplis edocti, toties admoniti, nondum animaduertitis, nec intelligitis? Adhuc cor habetis occæcatum: et oculos habentes, non uidetis: & aures habentes, non auditis? Non saltem illud memoria tenetis, quod nuper bis exhibitum est uestris oculis? uidistis nuper quinque panes à me fractos, à uobis distributos suffecisse quinque milibus hominum usque ad saturitatem. Et quot reliquiarum sportas tum sustulistis? Aiunt: duodecim. Deinde quum simili modo septem panes sufficerent quatuor milibus, quot cophinos implestis reliquijs. Dicunt: septem. Tum Iesus: Qui fit igitur, ut toties tot modis edocti, nondum intelligatis istam de uictu sollicitudinem esse superuacaneam, quodque monui de uitando fermento pharisæorum & Herodis, non pertinere ad panes sed ad doctrinam illorum uitandam, ne & uos seducamini, quemadmodum illi seducunt multos? Paululum fermenti totam afficit conspersionem: quod si uitiosum est, corrumpitur tota conspersio. Præ se ferunt speciem pietatis, quum plurimum absint à uera pietate: atque inter se dissident opinionibus, cum turpiter erant utrique. Siquidem Herodiani frequenter errant ob ignorance diuinæ scripturæ non credentes futuram corporum resurrectionem, propterea quod nihil esse credant, nisi quod uident: pharisæi quum teneant scripturas, excæcati malis cupiditatibus, relucantur ueræ pietati. Ab horum doctrina uobis summopere cauendum est, ne & ipsi inficiamini, & alios post inficiatis uestro contagio: sed amplectamini panem Euangelico fermento affectum, ut hunc syncerum & alijs distribuatis. Interim appellant & ueniunt Bethsaidam, & ecce nusquam non parata est promendæ misericordiæ occasio. Hic in uico quodam adducunt ad eum cæcum, rogantque ut contingeret eum. Nihil rogat cæcus sed alienis precibus commendatur domino. Nemo petit salutem à domino Iesu, nisi contactus ab illo. Primus enim contactus efficit, ut homo seipsum agnoscat. Nō erat iste lusciosus aut leuiter cæcutiens, sed profundissima cæcitate obrutus. Qui sic cæci sunt, opus habent ut ab

ut ab alijs adducantur ad Iesum, qui illis sacræ manus efficacem cōtactum precibus exorant. Iesus autem, qui nutu poterat sanare quemlibet cæcum, non statim restituit hominem, ut discipulis suis formam exhiberet, quanto opere laborandum sit, priusq; ad ueræ cognitionem queant adduci, qui in errore iam inueterauerunt: qualis erat gentium cæcitas, quæ tot seculis simulacrorum cultum pro magna pietate fuerunt amplexæ: qualis erat Iudeorum, qui superstitionem à maioribus acceptam, cui tot annos assueuerant, non poterant relinquere. Proinde quum talis cæcus occurrerit, quid faciendum erit apostolico uiror? Animaduerte quid fecerit Iesus. Primū apprehendit cæci manum. O felicem ducem; sed quo duxit hominem? Eduxit extra uicum. Pessimum exemplar sibi proponit, qui sequitur multitudinem. Male sibi blandiuntur, qui sic dicunt: Non solus hoc facio, idem faciunt omnes: malo cum populo desipere, quàm cum paucis sapere. Qui capti sunt oculis, multis periculis expositi sunt, uersantes in turba: ridentur, offenduntur, impingunt, protruduntur, subinde cōcidunt. Primum igitur educendus est ex hominum frequentia. Tunc iam ambulat, qui talem habet ducem. Quid præterea facit dominus? Expuit in oculos, ac mox admouit manus: nec dum aperiuntur oculi, tam profunda erat caligo. Tum Iesus interrogat hominem, ecquid uideat. Ad hanc uocem ille ueluti concepta specula quadam, attollit oculos, & ait uideo homines ambulantes arboribus similes. Qui nondum planè receperunt lucem Euangelicam, quicquid uident in hoc mundo, maius esse uidetur, quàm est ipsa re. Vident opulentum hominem, platanus esse uidetur: uident magistratum aut principem, credunt se uidere malum aut cupressum: uident barbatus Stolicum, aut pharisæum latis fimbrijs ac phylacterijs insignem, ficum esse credunt. Quod si purgatis oculis, res illis ut sunt sese ostenderent, tum cernerent, quàm nihil sunt illa, quæ cæcutienti uidentur ingentia. Sed dominus, qui linum fumigans non extinguit, nec cæcutientem destituit, donec perfecte cernat: rursus admouit manus oculis illius, ac mox cœpit esse perspicacior: eoq; profecit, ut clare uideret omnia. Beatus qui à Christo illustratus oculis cordis, clare cernit omnia: huic minima uidentur quæ mundo uidentur esse maxima: huic foeda uidentur quæ mundo uidentur esse pulcherrima: huic maxima uidentur, quæ mundo uidentur nihili. Quisquis es doctior Euangelicus, noli spernere imbecillitatem eorum, qui primum instituuntur in Euangelica philosophia. Primum satis est educi è uico, hoc est, à pristinis malis discessisse: mox admouenda est eis Euangelica doctrina, quæ lucem det oculis: ac primum tradenda sunt rudimenta perfectionis Euangelicæ, quibus initiati baptizentur. Mox communicanda est secretior solidiorq; doctrina, quæ faciat ut clare uideant omnia. Hæc facient ministri Iesu Christi, sed Iesus occulta uirtute dignabitur oculos cæci contingere, ut lucem recipiat. A dato beneficio dominus iubet hominem redire in domum suam, interdicens ne cui prædicaret, quod factum erat. Quoties dominus iubet sileri quod factum est, docet sacerdotes, non esse quærendam apud homines gloriam, si quid recte gesserint in Euangelica functione. Porro si quando iubet prædicari, docet, eum qui sanatus est à peccatis, & suam turpitudinem agnoscere, & dei bonitatem efferre, cui soli debet, quod mutatus est. Porro redire in domum propriam, est post acceptam cœlestem gratiam non obliuisci, qualis antea fuerit, & quò relapsurus sit, nisi dei beneficio conseruetur. Quod si domum redeunti contingat incidere in uicum aliquem, hoc est in profanam multitudinem, quæ citius irrisura sit, quàm creditura, non sunt illic temere iactanda nostræ initiationis mysteria. Dixerat illi Iesus: Vade in domum tuam, & si in uicum introieris, ne cui dixeris. Ante sanauerat Iesus surdum & mutū. Audiuit sermonem Euangelicum, & loquutus est expedite. Modo sanauit cæcum, qui quū clare uideret iubetur silere inter impuros. Nam ubi domū uenerit, res ipsa loquetur apud eos, qui cæcum nouerant. Est enim tempus quo decet profiteri mysterium Euangelij: est quo satius est cælare. Nunc quod per ænigmata corporaliter gestum est in alijs, explorat in discipulis suis, quantū ipsi profecerint iuxta spiritū. Itaq; relicta Bethsaida, profectus est unā cum discipulis in oppidulum Cæsareæ, cui cognomentū est Philippi. Inter eundum autem interrogabat discipulos suos, quid de ipso uulgus hominū sentiret: iam enim tot aditis miraculis, oportebat & populum mirificam quandam de Christo cōcepisse opinionem. Non ignorabat Iesus, quid de ipso sentiret uulgus, sed nobis declarare uoluit, quæ sit Euangelica fides, quæ seruat credentes, quantumq; distet ab inconstanti uariæq; uulgi suspicionem.

Quem

Et egressus
est Iesus & discipuli eius

Quæ, inquit, me dicunt esse homines: Discipuli simpliciter quod audierant, responderunt: Alij suspicant te esse Ioannem Baptistam, qui reuixerit: alij Heliam Thesbiten, cuius aduentus promissus est per Malachiam prophetam: alij rursum non Heliam, sed alium quempiam ex ueteribus prophetis, qui reuixerit. Hæc sentiebant homines, qui tum magnificētissime de Iesu sentiebant: nihil enim supra hominem de eo sentire poterant homines. Magnum hominem suspicabantur, Messiam, filium dei, seruatore[m] orbis nondum credebant. Erat hoc tamen qualecunque rudimentum professionis Euangelicæ, cuius mysterium nondum erat uulgo prodendum, quo proditio, nemo poterit consequi salutem, nisi qui credat Iesum esse salutis omnis autorem. Fons autem Euangelicæ salutis, fiducia est erga Christum dei filium diuinitus inspirata. Hanc professionem ut ex apostolis proliceret, ait: Vacillat, ut uideo, uulgus, nihil constanter de me sentiens: & tamen magnificētius de me sentiunt, quàm hi, qui me nihil aliud prædicabāt, quàm fabri filium: quàm qui dicebant me uersum in furorem, & uenabantur ad uincula: quàm qui dicebant mihi esse spiritum Beelzebub. Vos autem, qui me domestice nostis, qui perpetui testes fuistis omnium quæ gessi, quæque docui, quem me esse pronuntiatis? Tum Petrus Euangelicæ professionis princeps, omnium nomine respondens ait: Tu es ille Messias à prophetis olim promissus, filius dei uiui, per quem unum salus est orbi promissa. Hanc professionem quum dominus uehementer approbasset, ut diuinitus inspiratam, huic beatitudinis elogium tribuisset, hanc pronunciaisset fundamentum congregationis, & ciuitatis Euangelicæ, quod nulla uis Satanae possit unquam labefacere: interminatus est illis, ne quod scirent ex afflatu patris, palam facerent ante tempus. Expectari Messiam expediebat, breui uenturum credere, cæterum nondum expediebat agnosci Iesum esse Messiam. Sic enim expediebat ad institutionem nostram, ut ex humilitate nasceretur gloria. Discipuli humano affectu abhorrebant ab incommodis domini sui, siuentes illum ab omnibus magnum haberi: sed alius ordo placuit æternæ sapientiæ. Proinde Iesus coepit illos docere, quæ passurus esset, priusquam orbi magnitudinem suam uellet innotescere. Oportet, inquit, filium hominis, de quo uos tam magnifice sentitis, multis ignominijs & cruciatibus affici, damnari ut nocentem à scribis, à sacerdotibus ac primoribus populi: denique ut maleficum morte probrosa occidi, sic, ut apud mundum nihil esse possit eo de iectus aut desperatius. Sed non est quod despondeatis animum: tenete professionem uestram constanter in animo, quæ apud me professi estis. Occisus resurgat ac reuiuiscat tertio die. His de rebus quum Iesus aliquoties subobscurè monuisset discipulos suos, nunc palam loquutus est, quum uiderentur laturi, qui magnifice pronunciaissent de domino suo. Sed non tulerunt illorum aures mentionem mortis, tametsi spes resurrectionis debebat eos consolari. Magno quodam affectu diligebant Iesum, sed humano. Nondum enim acceperant spiritum coelestem, qui perficeret in eis, quod erat imperfectum. Itaque Petrus quum audiret tam crudelem sermonem de damnando, de affligendo, de occidendo, auctorem Iesum seducere, quasi priuatim aliquid admoniturus, quod esset in rem ipsius. Hec tantum est humana sapientia, sæpe meditans præire diuinæ. Audet etiam increpare dominum suum, quasi non recte saperet, qui mori uellet, quum liceret effugere. Etsi credens Iesum tertio die reuiucturum, tamen præstabilius iudicabat, omnino non mori, quàm à morte reuiuiscere. Hæc improbitas Petri tametsi ex ingenti quodam erga Iesum amore perficiebatur, tamen & palam & acriter à domino redarguitur: ut nos disceremus, in omnibus diuinam sequi uoluntatem, neque nostro iudicio præire decretis dei. Non est enim hominis, apprehendere Iesum & increpare ne faciat, quod deceptum facere: sed mandatus est, ut nos dignetur apprehendere, ducturus quod uelit. Hoc igitur malum ut Iesus penitus reuelleret ex animis omnium, primum auersus à Petro, & conuersus ad discipulos suos, eosque intuitus, quos sciebat à Petro non dissentire, tametsi ille cæteris fidentior uisus est quod sentiebat proloqui, Petrum increpitorem suum uicissim increpat, dicens: Quid mihi obsistis Satana? Ea uox Syris aduersarium sonat. Quur præire tentas discipulus præceptoris, homo deor? Sequere potius à tergo. Non est hoc humanum negotium, quod geritur: tuus adhuc humanus est affectus, nec sapias ea quæ dei sunt. Si uis esse discipulus meus, imitari mortem meam decet, non impedire. Nec hoc te solum decebat, quanquam te potissimum, cæterosque selectos, uerum etiam omnes qui se meos discipulos

nolent profiteri. Hæc loquutus Iesus, iussit adesse multitudinem uniuersam unam cum discipulis, ne quis existimaret hunc sermonem ad illos duntaxat selectos pertinere. Iamq; congregatis in unum omnibus, clara uoce loquutus est Iesus: Multi me sequuntur pedibus magis quam imitatione. Nec omnes eadem adducit causa: alios allicit miraculorum uitas, alios amor sanitatis, alios doctrinæ fames. Cæterum quisquis uolet esse uerus affectator mei, si uolet esse socius felicitatis & gloriæ, pareat interim animum suum, ut sit socius afflictionum & mortis. Abneget semetipsum, nihil sibi seruans in hoc mundo, sed omnia pro derelictis habens usque ad uitæ contemptum, tollatq; suam quisque crucem, & sequatur me. Non pudeat discipulum sequi præceptorem: non pudeat seruum sequi dominum. Nec alia uia quisquam uelit ad gloriam peruenire, quam qua me uiderit pertendere. quisquis in se præsidia salutis collocarit, peribit: quisquis omnibus suis præsijs diffusus, se totum in me coniecerit, is saluus erit. Nec enim satis est, agros, domos, parentes, uxorem ac liberos in ea causa negligere, ipsa etiam uita negligenda est: cuius seruandæ gratia mortales deserunt uniuersa. Bono animo este, non perit quod mihi impenditur: imò perdendo seruabitis, quod male seruando uere perderetis. Per fidem Euangelicam confertur omnibus uita æterna. Proinde qui pluris facit hanc uitam, quam Euangelicam gratiam, etiam si uidetur ad tempus lucrifacere uitam, tamen re uera perdit eam. Nullus enim hic uitam suam ultra præscriptam diem ualet prorogare: tamen nec interim uere uiuit, nisi qui uiuit pie. Et post hanc uitam, quæ nulli non breuissima est, addicitur æternæ mortis. Porro quisquis amore mei, & Euangelicæ professionis constantia, uitam suam exposuerit in discrimen mortis, per me seruabit eam, alioqui uere perituram. Proinde si nihil cuiquam tam charum est cuius iactura non libens redimat uitam corporis, sic apud se rem expendens: Quid mihi profuerit, seruasse domum, agros, opes, gemmas, uxore, liberos, si ipse pereat, nec licebit frui quod possideo? Quamuis enim hæc omnia salua sint, tamen mihi pereunt, si moriar: Quid enim potest esse tam charum, quod non contemnendum sit pro lucro uitæ. Si quis offerat opes Midæ Croësiq;, si quis formam Absalonis, si monarchiam totius mundi, si uoluptatū omne genus, dicatq; hæc accipe, & morere, nōne statim recuset cōditionem delatā, dicatq; una uita charior est his omnibus? Hæc inquam, quum apud se quisque prudenter expendat, quoties periclitatur uita corporis: quorū non attentius subducitur ratio, quoties agitur de uita illa inæstimabili? Nunc offertur animæ uita perennis, & cum hac non commutabis breuem ac miseram uitam corporis: præsertim quum corpus quisque suum, iam feliciori uitæ redditum, sit recepturus. Non erit omnibus ob Euangelij professionem moriendum, sed tamen in hoc omnibus debet esse paratus animus, ut si res postulet, uilis sit etiam uita corporis, dum seruetur animæ uita. Quoties ingruerit persecutionis procella, tollenda crux erit: quanquam nec in tranquillis rebus cuiquam defutura est sua crux, nisi facile est omnibus naturæ affectibus, omnibus huius mundi uoluptatibus & irritamentis renunciare, castrare carnem, refrenare luxum, premere libidinem, domare iracundiam, condonare uindictam. Nam hæc in tranquillitate quoq; cuiq; præstanda sunt, qui uelit esse meus discipulus. Cæterum mundus omnibus machinis consurget aduersus mei nominis professores, intentabit probra, exilia, carceres, tormenta, proscriptiones, mortes. Est enim hæc natio praua semper plures habitura malos quam bonos, inter quos summi criminis loco habebitur profiteri nomen meum. Quo in statu, si quem puduerit profiteri se meum esse discipulum in hac natione scelerata & adulterina; ubi breuem afflictionem sequitur æterna felicitas, huic filius hominis par pari referet, ac uicissim erubescet illum profiteri suum discipulum, quum rursus adueniet, non humilis & contemptus ut nunc, sed admirandus in gloria patris: nec comitatus paucis ac tenuibus discipulis, sed cinctus innumeris sanctorum angelorum turmis.

CAPVT IX



lius gloriæ non erunt consortes, qui nunc ferre nolunt meæ crucis ignominiam. Expectabat Iudæorum populus admirabile quoddam regnum Israelitici populi, quod mox exoriturum arbitrabantur, simulatque uenisset Messias. Et ideo non poterant credere Iesum esse Messiam, quod tam humilis, tam abiectus aduenisset, magis autem offendebatur mentione crucis ac mortis. Non intelligebant autem duplicem Messiae aduentum, priorem iuxta mun-

dum

humilem & ignominiosum, alterum maiestatis & gloriæ plenum, qui in fine mundi
 furus est, ut uniuersum corpus suum ab omnibus exemptum malis, sibi iungat in glo-
 ria patris: Sata nam autem cum omnibus suis membris demergat in gehennam. Huius au-
 tem aduentus diem omnibus incertum esse uoluit, sed tamen in hunc uoluit omnes esse
 paratos. Itaque quum essent in turba, qui sic cogitarent apud sese: quando ueniet hoc tem-
 pus gloriæ, quod promittit: nonnulli fortasse non credebant unquam futurum, Iesus hoc
 sermone confirmabat illorum uacillationem. Habete pro indubitato quod dixi uobis: fili-
 us hominis, quem nunc humilem, mox infra omnes homines abiectum conspicietis, ap-
 paritum in maiestate paterna cum omnibus angelis & electis discipulis. Nec id tem-
 pus adeo procul abest. Sunt enim in hoc numero, qui priusquam moriantur, uisuri sunt re-
 gnum dei tam aduenisse cum uirtute. Proinde paret se quisque ut inueniatur dignus re-
 gno celesti. Hunc domini sermonem nec apostoli tum temporis intelligebant, quod sen-
 sum haberet non simplicem. Nam post mortem, resurrectionem, ascensionem Iesu, postq-
 uam missum coelitus spiritum sanctum, coeperat exerere se uis illa grani sinapis, hoc est Euan-
 gelicæ doctrinæ. Porro ne quid addubitarent discipuli, quin olim præstaturus esset, quod
 de maiestate secundi aduentus promiserat, uoluit illis etiam ante mortem gustum quen-
 dam futuræ maiestatis exhibere, quatenus natura mortalis capere posset. Itaque post sex
 dies Iesus adiungit sibi tres e selectis duodecim, uelut eximios, quibus hoc spectaculum
 crederet, taciturnis donec tempus esset proferendi. Hi erant, Petrus, Iacobus & Ioannes:
 hos solos abducit in montem uehementer excelsum. Procul enim oportet abesse ab hu-
 militatis rerum solitudine, quos Iesus dignetur tali spectaculo. Dignatur enim & hodie
 uisum selectis, subuectis in montem puræ contemplationis, aliquem æternæ fer-
 licitatis gustum præbere secretis afflatibus. Hoc nec intelligit populus in campestribus
 uisus, & si quis narret, non habet fidem. Vbi uentum est in montis cacumen, primum
 uocatum est precationi. Hæc potissimum oculos cordis præparat tali spectaculo. Et eo-
 dem præcandum subito murata est Iesu species. Facies enim, quæ prius uisa est nihil
 differre a forma uulgari, solis in morem resplendebat. Tum uestes plusquam niueo quo-
 dam candore relucebant, qualem nemo fullonum potest arte sua pannis inducere. Nec
 solus uisus est Iesus, sed una uisus est Helias ac Moses, colloquentes cum Iesu. Erat
 hoc illi, colloqui cum deo, & Helias igneo curru legitur raptus in coelum. Nimirum
 horum cum Iesu colloquium designabat consensum legis ac prophetarum. Lex enim
 & prophetæ figuris mysticis deliniarant: prophetæ suis uaticinijs Christum talem uenturum
 prædixerant, qualis uenit Iesus: & tamen Iudæi recusarunt credere. Argumentum collo-
 quii erat gloriosus excessus, quem breui peracturus erat in cruce Iesus Hierosolymis, ut
 hic quoque mortis mentio, uoluptatis magnitudinem, cuius nulla mens humana capax
 esse temperaret. Petrus autem raptus inenarrabili spectaculo, nec satis sui potens, inter-
 ruptum de morte colloquium, aitq: Præceptor, ualeat Hierosolyma, bonum est
 hic esse. Proinde faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Mosi alterum, tertium He-
 liæ. Hæc Petri uox partim ex horrore mortis, quem penitus imbiberat: partim ex delecta-
 tione spectaculi, quæ illum uelut ebrium reddiderat, profecta est. Etenim uelut extra se ra-
 tione nesciebat quid loqueretur. Tantis paupor obstupescerat animos mortalium, non
 minus capaces diuinæ maiestatis. Itaque ne absorberentur magnitudine splendoris, obor-
 tuæ nubes, quæ obumbrans apostolos, lucem intolerabilem illis temperabat. Hic maie-
 statis gustus datus est oculis corporeis: datum est aliquid & auribus. Siquidem à nubē
 patris & ipsa maiestatis plena, profecta est, dicens: Hic est filius meus charissimus,
 quem audite. Qua fronte adhuc reclamant Iudæi Christo, quum Moses & Helias, qui
 plurimum tribuunt, Christo præbuerint testimonium: quum patris uox, cuius illi
 religiosi cultores uideri uolunt, totam autoritatem in filium unicum transfulerit. Place-
 bat gloria, sed ad hanc peruenire qui uolet, audiat Iesum ad crucis imitationem uocan-
 tem: Petre, noli posthac increpare dominum tuum, ac præire celesti consilio. Audis
 patris uocem. Huic auscultate, qui mihi filius est unice charus. Hactenus audistis Mo-
 sen & prophetas de Christo uaticinantes, defuncti sunt illi suo munere. Adest quem pro-
 phetauerant, nec posthac audite pollicentes futura, sed præsentem & ex me loquentem audi-
 te: nemo loquetur certiora. Quicquid ab huius oratione dissonat, rejicite. Patris audite

uoce, subito scena uersa, alia rerum facies rediit. Quum enim circumspicerent, uelut ex perfecti somno, nihil eorum uiderunt, quæ uiderant antea, præter solum Iesum, qui solita specie rursus aderat discipulis suis. Per nebulam duntaxat ostenderat illis magnitudinem suam, & capere non poterant. Quid facerent, si ueram ipsius sublimitatem aperuisset: Iesus igitur rursus ad suorum humilitatem sese demisit, ac relicto montis fastigio, descendit ad reliquos discipulos, ac multitudinem. Interim memento doctor Euangelice, quanto magis te decet ad imbecillium capacitatem temet submittere, qui & olim talis fueris: & si quid habes sublime, Christi est, non tuum. In descensu uero montis, priusquam ueniretur ad cœtum hominum, dominus Iesus interdixit tribus illis discipulis, ne cui narrarent quod uiderent, nisi posteaquam filius hominis resurrexisset à mortuis. Alij iussi tacere, tanto magis prædicabant. At hi tres, quoniam audierant uocem patris, Ipsum audite, obtemperant, & silentio premunt quod uiderant, adeo, ut nec ceteris apostolis indicarent ante tempus præscriptum. Non intelligebant, sed tamen credebant esse causam seriam, quod Iesus id nollet ante cognitam resurrectionem efferi in uulgus. Quid enim profecissent hoc narrantes, nisi quod incredulis ludibrio essent futuri? Quis autem credidisset uere talem apparuisse Iesum, quem mox uidissent tot ignominijs affectum: ac denique morientem in cruce? Sed interim discipuli, qui post auditam patris uocem non audebant Iesu dictis diffidere, quum non intelligerent, quid sibi uellet hæc uox: ubi filius hominis resurrexerit à mortuis: disputabant inter sese, suspicantes fore, ut mox à resurrectione ueniret illius regni gloria, cuius iam gustum ceperant. Sed obstabat huic suspicioni scrupulus quidam, propterea quod Iesu mors immineret, de quo iam sæpe illos admonuerat, & tertio à morte die promiserat se reuicturum. At ex uaticinio Malachiae didicerant uenturum Heliam, antequam ueniret dies domini magnus. Hunc scrupulum quum ipsi inter sese parum explicarent, interrogant Iesum: Domine, inquiunt, præstitisti quod pollicitus es, uidimus claritatem regni dei. Itaque quum resurrexeris, talem te uenturum speramus, qualis nobis es uisus. Sed quid est, quod ex Malachiae prophetia dicunt pharisæi, non uenturum illum diem, nisi prius uenerit Helias Thespites, qui præparet populum in aduentum illius diei ne dominus feriat omnes anathemate? Atqui nondum uenit Helias, quem uidimus tecum in monte: neque quicquam adhuc per illum est actum. Aut igitur non statim à resurrectione tua uenturum est regnum dei: aut alius est uaticinii sensus, quam tradunt pharisæi. Ad hanc discipulorum interrogationem dominus Iesus ambigue respondit, quod nondum essent capaces totius mysterij. Siquidem abhorrentes ab his, quæ magis ad ipsos pertinebant, tantum somniabant de gloria regni, cuius gustum ceperant: non intelligentes & hoc esse regnum dei, quum propagato Euangelio, spiritus cœlestis subigat omnem huius mundi satanæque potentiam. Id iam apparere cœperat, quum claudi ambularent, cæci uiderent, muti loquerentur, leprosi mundarentur, dæmones eijcerentur. Porro quando uenturum esset hoc regnum, cuius gustum modo ceperant, dominus noluit se ipso scire: sed tamen quo moderatius ferrent mortem domini sui, quem supra modum amabant, patiebatur illos ad tempus somniare, breui uenturam regni claritatem, cuius specimen erat exhibitum in monte. Itaque responsum suum temperat, ut prophetiam approbet: nec pharisæorum interpretationem in totum damnet, sed tantum refellat impiam illorum argumentationem, qua colligebant nondum uenisse regnum dei, quod Helias ille promissus à Malachia, nondum apparuisset in mundo. Iam enim uenire cœperat spirituale regnum dei, quod superbi pharisæi non intelligebant: iam Helias iuxta sensum mysticum uenerat. Ait itaque Iesus: Et quod de Helia dixit Malachias, & quod de filio hominis prædictum est à prophetis, haud dubie futurum est. De Helia legis, quod præueniens diem domini magnum & horribilem, conuersurus sit corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres: ut minores intelligant exhibitum, quod maioribus fuerat expectatum. Hic igitur Helias anteuertens, restituit omnia, ac deprauata corrigit: ne dominus magno omnium malo ueniat, si offenderit imparatos. Sed quem admodum uerax est prophetia Malachiae de præcurfore Helia, ita uerax est & ceterorum prophetia: quæ prædicat futurum, ut filius hominis, prius quam aperiat maiestatem suam, multa patiatur, contemptuiq; & ludibrio habeatur: denique & occidatur. Imo

In quo quod de Helia uenturo prae dictum est, iam peractum est: id quod ignoratum pha-
 risaeis, ego uobis amicis indico. Nam Helias iam uenit, qui nunciauit adesse regnum dei,
 & ad uitae superioris poenitentiam prouocauit. Et tamen qui prophetiae scientiam ha-
 bant, hunc non agnouerunt: sed fecerunt in eum, non quod ille promerebatur, sed quic-
 quid ipsis collubatum est, qui magis amabant suum regnum, quam regnum dei. Venit
 enim ille iuxta Esaiam & Malachiae uaticinia, uociferans in deserto, adesse diem domini
 magnum & horribilem: iam securim admotam arboris radici, properaret quisque fuge-
 re uenturam dei uindictam. Sed hunc palam reprehendentem sine delectu personarum
 omnium uitia, spreuerunt & occiderunt. Nec mitius tractaturi sunt Messiam, quam pra-
 cursorem tractarunt. Hoc sermone Iesus indicabat Ioannem fuisse Heliam, non iuxta cor-
 poris, sed iuxta spiritus similitudinem: qui dum nec pharisaeis, nec regibus parcat, coniectus
 est in carcerem, ac decollatus est. Quod fecerunt anteambuloni, id faciuri sunt domino.
 Idem facient his qui sequentur apostolls. Quisquis enim sincere praedicauit regnum dei
 uenturum, multa passus est ab impijs: & quisquis praedicat sincere iam uenisse, similia
 patiatur oportet. Huiusmodi dictis Iesus aduocauit suos a somnio gloriae, ad futuram tem-
 perantiam quae imminabat, hoc est, a iucundis ad necessaria. Interim uentum est in con-
 spectum turbae. Iam enim ingens multitudo collecta erat circa discipulos, quos in plani-
 ties reliquerat. Vidit & scribas disputantes nescio quid cum discipulis suis. Populus au-
 tem uniuersus, ut praeter spem uidit Iesum, qui se totum paucis subduxerat, obstupuit &
 occurrens salutauit eum. Non ignorabat Iesus quid disceptarent pharisaei, sed tamen in-
 terrogat, quid esset rei, de quo disceptarent, ut omnibus esset notum quid ageretur.
 Quum & discipuli pudore obticerent, quod frustra tentassent eicere daemoneum: ob-
 stiterunt & scribae, qui apud discipulos nomen Iesu uelut inefficax calumniabantur:
 quidam e turba, qui dederat huic disputationi occasionem, rem ut erat exposuit Iesus:
 Magister, inquit, adduxeram huc ad te filium meum, obnoxium muto spiritui, a quo
 misere affligitur. Quoties enim corripit eum, elidit illum in terram, ac puer spumat, stri-
 dit dentibus ac uociferatur, & interim arescit & contabescit hac uexatione. Quomodo
 autem tu non aderas, rogauit discipulos tuos, ut profligato spiritu liberarent filium.
 Illi uocauerunt, nec potuerunt. Hoc audito dominus, ut ostenderet fiduciae imbecillita-
 tem causa fuisse, quo minus liberatus esset iuuenis, uelut indignans, ait apud se: O na-
 tio incredula, quae tot miraculis auditis, nondum adduci potes ut confidas? Quandiu
 uiuam in terris luctabor cum uestra diffidendi pertinacia? Quandiu feram uos? Quati-
 do proficietis ad ea, quae sunt spiritus? Quando credetis ea, quae non uidetis: quum nec
 credatis, quae cernitis oculis corporeis? Adferre illum ad me. Et attulerunt eum ad
 Iesum. Tenax malum, cui a teneris assueuit peccator. Caeterum ubi perductus est ad
 Iesum, magis etiam conturbatur, exorta lucia inter spiritum resipiscere cupientem, &
 cupiditatem ad solita reuocantem. Mox enim ut spiritus uiderat Iesum, sensit inimicam
 mentem, & corripit ac diuexat hominem, isque elisus in terram uoluebatur spumans.
 Totid spectaculum toti populo miserabile, uerum longe miserabilius spectaculum est,
 quum eadem patitur in animo peccator, magnis & inueteratis malis obnoxius. Sed nul-
 lum est malum immedicabile Iesu. Dominus, ut caeteri quoque cognoscerent mali ma-
 gitudinem, rogauit patrem, quantum temporis esset, quod filius ei malo coepisset esse
 obnoxius. Respondit pater: Ab infantia. Nec tantum, inquit, hunc in modum uexat
 cum spiritus, uerum etiam frequenter illum nunc in ignem, nunc in aquam praecipitem
 agit ut interficiat eum. Audis malum in naturam uersum, & atrox: & ideo pater timet,
 ut immedicabile. Adiecit enim: Attamen si quid potes, adiuua nos, misertus nostri.
 Rursum implorat Iesu misericordiam, qui nulla merita poterat allegare: sed audis uacillan-
 tem fiduciam, quum ait: Attamen si quid potes. Eam corrigens Iesus, ait: Noli dubitare
 quid ego possim. Nam si tu potes confidere, nihil est quod non impetret firma fidu-
 cia. Ad hanc uocem illico pater concepta certiore spe, & clamore & lachrymis testifi-
 cans uehemens animi desiderium, ait: Confido domine, & si quid deest meae fiduciae, tu
 succurre imbecillitati meae. Interim ad spectaculum concurrunt undique turba. Hanc ubi
 uidit Iesus iam adesse (nam eam uolebat esse testem miraculi) deprompsit uocem illam
 omnipotentem: quia, quum uult, mortuos etiam in uitam reuocat. Interminatus est enim

impuro spiritui, ni protinus exiret, dicens: Surde & mute spiritus, ego tibi impero, ut exas ab homine, & ne posthac ingrediaris in illum. Indignatur spiritui Iesus, ut hominis miseretur: nobis exemplum præfigens, quid agendum sit in sanandis peccatoribus. Sic insecanda sunt vitia, ut hominis salutem amare uidearis. Vrautem intelligas inanem esse hominis operam, ni Christus tacite uocem suam addat: discipuli iusserant exire spiritum, sed frustra, quoniam aberat Iesus. Abest autem, quoties friget ac uacillat fides, per quam uult impetrare nos omnia. Quid autem factum est ad uocem imperiosam Iesu? Protinus exiit spiritus, sed ut intelligeres eum inuitum demigrare, uociferans, multumque diuexans miserum. Iacebat enim mortuo similis, adeo ut multi dicerent eum mortuum esse. Vides imaginem poenitentis, & à magnis assuetisque uitijs resipiscantis. Iam odium peccati, liberauerat à peccato: sed proximus est desperationi, qui & turpitudinem suam agnoscit, & dei iustitiam cogitat. Sed tamen feliciter mortuus iacet, qui peccato mortuus est. Superest enim ut incipiat uiuere iustitiæ. Et hoc beneficium addit benignissimus Iesus, sine quo nulla salus est. Arripit manum iacentis, & attollit exanimatum: ac protinus qui uidebatur mortuus, uigore recepto, surgit ualidus & alacer beneficio Christi: qui frustra liberatus erat à dæmonio per patris fidem, nisi ad pie uiuendum Iesus nouam addidisset gratiam. Iam audit surdus, qui prius habebat aures terrenis cupiditatibus obturatas aduersus sermonem Euangelicum. Iam loquitur mutus, qui prius linguam habebat impeditam carnis affectibus. Iam quietus est ac tranquillus, qui prius nunc libidinis, nunc ambitionis, nunc iræ, nunc inuidiæ, nunc auariciæ percitus cæstro uelut impuri uiolenti, dæmonis impulsu ferebatur. Hæc omnia taciti spectabant apostoli, non audentes interpellare dominum. Tacebant & scribæ, uidelicet ipsa re docti, sanationem hominis non fuisse retardatam ob nomen Iesu parum efficax, sed ob imbecillitatem credulitatis ac fiducia. Nam quod inueni factum est iuxta corpus, hoc in pharisæis agebatur iuxta spiritum. Ideo non sanabatur, quia non credebant sermoni, per quem solum poterant sanari. Caterum quum Iesus introisset in ædes, discipuli semotis arbitris interrogabant eum, quid fuerit in causa, cur ipsi non potuerint hunc dæmonem eicere, quum antea multos eiecissent in nomine Iesu. Ceperat enim animos illorum sollicitudo quædam humana, ne quid imprudentes offendissent dominum, & uirtutem ædendi miracula, semel ab ipso traditam perdidissent. Iesus autem, qui non solet eripere quod semel dedit, sed augere, non uult tamen sua munera secure & oscitanter haberi: iamque in patre sanati satis indicarat, fidei imbecillitatem obstetisse, quo minus exiret dæmonium: quæ nondum tanta erat in apostolis, quantam oportebat esse: respondit esse peculiare quoddam dæmonium genus, quod expelli nequeat, nisi adhibita precatione & ieiunio. Sunt enim hæc dæmonia machinæ, quæ plurimum ualent aduersus impios dæmones. Etenim precatione renouatur & excitatur uigor fidei, quemadmodum accidit patri, qui dixerat: Domine, succurre incredulitati meæ. Ieiunio, quod omnium carnalium uoluptatum abstinentiam complectitur, domatur carnis rebellio, debet autem ipse spiritum habere purum, qui conatur ab alijs spiritibus immundos eicere. Iesus autem cum tribus redibat ab recenti precatione. Cateri discipuli cum multitudine uersantes, nec precabantur, nec ieiunabant, & ob id impares

Et cū introissent in domū
Et inde profecti erant eiciendo dæmonio tam pertinaci, tamque familiari. Quo magis in nobis crescit fiducia nostri, hoc magis decrescit uirtus ædendi miracula: quo magis in nobis emortua fuerit potestas earum, hoc magis roboratur spiritus cœlestis, per quem eiciuntur impuri spiritus. Itaque frequenter orandum, ut augeat in nobis robur fidei: semperque mortificanda caro, ut in nobis uiuat spiritus Iesu Christi. Denique iam illos in illam horam præparat, qua iubebuntur uigilare & orare, ne incidunt in tentationem. Sed quia dormitabant à cœna: uicit carnis infirmitas. His rebus ita peractis, Iesus unā cum discipulis suis coepit proficisci in Iudæam, præterita Galilæa, idque ueluti fortuito itinere: non quod metueret mortem, quam ardentissime sitiebat, sed ne uideretur ante tempus sacerdotum ac pharisæorum animos ad homicidium irritasse. Hanc formidinis speciem in se suscepit, ut à suis omnē eximeret formidinem, & ipse susceptæ naturæ imbecillitatē exprimeret. Inter eundem autem rursus inculcat discipulis suis, quod iam non semel audierant. Dicebat enim: Omnino futurum est, quod toties dixi: Filius hominis tradetur in manus hominum ut capiatur, ut condemnetur, ut illudatur, ut flagelletur, ut occidatur. Ad hæc quæ sine dubio

Non instant præparandus est animus. Non autem poterit esse præparatus, nisi liber ab om-
 nibus humanis affectibus, spiritus uigore confirmetur. Scio perturbat uos mortis me-
 moria. Sed oportet forti esse animo. Non diu uos deferam. Nam tertio die reuiuiscam. Tan-
 tus autem torpor obsederat animos discipulorum, ut hunc sermonem, tametsi dilucis-
 dum, non intelligerent, suspicantes aliquid ænigmati subesse, quandoquidem memine-
 rant se dictis eiusmodi figuratis aliquoties fuisse falsos, ueluti quum iuberentur cauere
 sermone phariseorum. Necdum animo concipere poterant mysterium crucis, neque
 coniectare, quorsum attineret occidi, si mox esset reuiuisciturus, quum qui reuiuiscere potest,
 obiicit, idem possit si uelit, non mori. Proinde quanquam hoc sermone uehementer offen-
 derentur, tamen non audebant interrogare Iesum, exemplo Petri deterriti, cui parum fe-
 liciter successerat hac de re dominum interpellasse. Audierant enim: Vade post me sata-
 na. Adhuc sapiebant ea quæ sunt hominum. Nam dei consilium erat, ut agni immacula-
 ti uictima deus humano generi reconciliaretur, condonatis per fidem peccatis omnibus.
 Discipuli uero regnum quoddam mundanum somniabant. Itaque inter uiam orta est inter
 ipsos disputatio, quis esset primas habiturus in regno dei, quod mox sperabant apparitu-
 rum. Viderant paulo ante tres discipulos prælatos cæteris in consensu mortis, uiderant
 Petrum omnibus prælatum in tradendis clauibus regni cælorum: & tamen erant illo nar-
 rum maiores quidam, etiam sanguinis propinquitate contingentes dominum. Quum at-
 tenuentium esset Capernaum, dominus priuatim interrogabat illos, quid esset illud de
 quo clanculum inter sese disputassent in itinere. At illis pudore obtuscentibus, quum
 facile suspicarentur fore ut hunc ambitionis affectum improbaret dominus, omnis mode-
 stia doctior: Iesus quo penitus hunc affectum longe pestilentissimum ex animis suorum re-
 uelleret, confedit, ueluti rem seriati cum autoritate traditurus, iussitque adesse duodecim
 apostolos, & ait: Si quis in regno cælorum uolet esse primus, is erit omnium postremus,
 ac minister omnium: tantum abest, ut ex regnis huius mundi æstimari oporteat regnum
 cælorum. Mox quo magis infingeret hanc doctrinam animis discipulorum, uocat ad se pue-
 rum pusillum, & hunc statuit in medio discipulorum. Eum ubi cõplexus esset, significans
 quod uiceretur superbos, quamque diligeret humiles spiritu ac modestos: Videtis, inquit,
 hunc paruulum? Quid abiectius aut humilior iuxta mundum? At qui tales sunt animi mo-
 desti, simplicitate, innocentia, qualis hic est ætate, hi sunt apud me maximi precij. Nam
 æquum est mihi charissimos esse, qui mei simillimi sunt. Non æstimatur hic dignitas ex
 opibus, censu, potentia, fastu & uiolentia. Nam qui tales sunt, ut sunt regibus ethnicis si-
 millimi, ita plurimi sunt apud illos precij. Quemadmodum reges in primatibus suis sese
 uel honorari credunt uel ledi, ita ego in regno Euangelico in huiusmodi paruulis, quos ob
 innocentiam, simplicitatem ac modestiam contemnit mundus, me uel honorari credo,
 uel contumelia affici. Si quid nouistis me summissus, illum pro summate ducite in re-
 gno cælorum. Quod si neminem inuenietis, me primatem habete: & ut quisque proxime ac-
 cesserit, contemptu rerum earum, quas in principum aulis affectant magnates, ita sum-
 matum esse iudicate. Quisquis igitur unum ex huiusmodi puellis receperit in nomine
 meo, me recipit, In his enim recipi gaudeo, quos ut mei similes amo. Porro qui me recepe-
 rit, qui sum omnium infimus iuxta mundum, non me recipit, sed eum qui me misit. Ut enim
 magister honoratur aut lædatur in discipulis, ita pater lædatur aut honoratur in filio. Atque
 hoc sermone Iesus non ademit autoritatem his, qui præfunt gregi dominico, sed omnem
 detraxit ambitionem. Neque enim humilitas huius generis paruulorum æstimatur corpo-
 ris modo uel robore, sed animi modestia, quæ sibi nihil altum in hoc mundo uindicat, nec
 uisum suis fidit uiribus, sed simplici fiducia pendet ex Christo. Ex huius sermonis occa-
 sione subortus est alter scrupulus discipulis, quem Ioannes ita proponit: Magister quum
 misisset nos ad prædicandum regnum dei, uidimus quendam in nomine tuo eiicientem
 demonia, qui tamen nec erat de numero duodecim, nec de numero septuaginta, quos po-
 stea designatos emisisti, nec omnino de numero discipulorum, qui sequuntur nos. Hunc
 igitur, uelut alienum à tuo consortio, prohibuimus, recte ne an secus, incerti. Iesus au-
 tem respondit: Istiusmodi nolite prohibere, qui quocunque modo conducunt Euange-
 lio propagando. Non enim oportet esse fastidiosos in recipiendis his, qui student rem
 Euangelicam qualicunque studio prouehere. Non est spectandum an sequatur nos, sed an

prædicet nomen nostrum. Quod si inuocato meo nomine eijcit dæmonia, non facile potest de me male loqui. Quod si faciat, res ipsa redarguet eum. Dicitur enim illi: Quæ fronte obtrectas nomini, quod in ædendis miraculis expertus es potens & efficax? Nolite facile suspicari eum malo animo facere, qui rem piam facit. Qui non repugnat Euangelio, hoc ipso iuuat Euangelium, quod aduersas partes non adiuuat. Quisquis non aduersatur uobis, pro uobis facit. Noua res per omnem occasionem est promouenda, quàm syncretis animis, uestra nihil refert, modo quocunque pacto prosit negotio quod agitis. Nec enim solum hi mercedem ob Euangelij negocium prouectum ferent, qui in nomine meo dæmonia eiecerint, uerum etiam qui pro suis facultatibus uel minimum aliud quod momentum attulerint. Quisquis enim uobis uel aquæ frigidæ potum dederit in nomine meo, hoc est, quia mei estis discipuli, meumque negotium agitis, pro certo habete; non est cariturus mercede sua. Quod si quis obstiterit his, per quos Euangelicum negotium promouetur, promouetur autem non per istos, quos mundus pro magnis ducit, sed per pusillos, simplices & humiles: si quis tamen cuiuspiam ex pusillis his, qui fiduciam suam in me collocarunt, offendiculo fuerit, adeo non effugiet supplicium, ut leuius puniendus esset, si saxo molari collo ipsius alligato, conijceretur in mare. Principes huius mundi poenis atrocibus afficiunt, per quos impediuntur quæ præfectis suis mandarunt, suffigunt in crucem, nonnunquam & in quatuor dissecant partes, aut e saxo præcipitant, aut alligatos saxo ne possint emergere, in mare demergunt. Adeo nolunt offendi magnates suos, quibus utuntur ministris ad suam tyrannidem, hoc est, ad opprimendum populum. At multo grauius deus punit eos qui paruulis suis, per quos cœlestis regni negotium ad seruandos omnes homines tractari uoluit, obstiterint, quo minus exequantur regis sui mandata. Nam quamuis hæc uidebuntur ad tempus id facere impune, tamen gehennæ supplicium non effugient. Nullum autem mortis genus huius mundi tyranni potuerunt excogitare, quod cum illo supplicio possit conferri, quo corpus simul & anima perenni cruciatu morientur, nec mori licebit. Proinde ne uos cogitetis de uindicta, peragite negotium uestrum, deus sumet poenas de his qui uobis obstiterint. Quod si offendiculum nascatur non à persecutore, sed ab his qui uidentur esse amici, nihil tam charum oportet habere, ut huius gratia deseratur Euangelica functio. Finge manum esse dextram, hoc est, finge patrem aut amicum uehementer necessarium: finge oculum esse dextrum, hoc est, uxorem adamatam ac dulces liberos: finge pedem esse, hoc est, famulum aut procuratorem, cuius opera carere non possis in huius uitæ negotijs: amputa manum, erue oculum, abscinde pedem ab Euangelico negotio remouentem. Si potes patrem ac matrem, fratres ac sorores tecum adducere ad salutem Euangelicam, facito: sin horum charitas te reuocat ab Euangelio, futurumque est ut dum illi per te seruari nolunt, tu simul cum illis pereas, exue naturæ affectum, & humanam pietatem uincat Euangelica pietas, & hoc fac in animæ periculo, quod faceres in periculo corporis. Si res urgeret, ut aut occidendus esses, aut manus iactura seruanda uita, non dubitares amputare manum, & unius membri quamuis necessarij dispendio uitam redimere. Optabilius erat simul cum parentibus & amicis seruari per Euangelium, uerum si id non licet, præstat te desertis parentibus, qui non solum seruari nolunt, uerum te conantur in exitium pertrahere, ueluti mutilum ingredi ad uitam, quàm unà cum parentibus & amicis conijci in gehennam, hoc est, in ignem inextinguibilem. Ibi uermis arrodens poenitentia miserorum conscientiam, non moritur. Viuunt enim tantum in poenam. Ibi ignis quo cruciantur, nunquam extinguitur. Vtrosque poenitebit, sed sero, & frustra, & te male obsequutum parentum affectibus ad perniciem, & illos non obtemperasse ad salutem inuitanti. Nec illorum calamitas te subleuabit, nec tuus cruciatus illorum poenam imminuet. Porro ad Euangelij negocium properanti, non imputabitur parentis exitium, qui seruari noluerit. Sic & pedem amputa, cogitans esse satius, ut claudus aut mutilus peruenias ad uitam æternam, quàm ut pedibus integris conijciar in gehennam, ubi nec incendium extingui potest, nec uermis moritur. Nihil est homini charius oculo, nihil est uxore dulcius, aut liberis suauius. Verum si res urgeat, ut aut horum gratia deserendum sit Euangelium, & unà cum illis pereundum: aut illi, quibus nihil habes iuxta affectum humanum charius, deserendi: ne con-

*Et si scandaliza
uerit te manus*

teria

letis erueret oculus & abijcere, reputans multo satius esse, luscum ingredi regnum coelorum, ubi perpetua uita est, quam utroque oculo incolumi conijci in gehennam. Ne quid hic te moueant uxoris lachrymae, aut liberorum blandiciae. Stulte plorant se deum, qui sequi poterant si uellent. Omnes affectus humani posthabendi sunt, quoties iugiter praeceptum dei. Omnia dispendia rerum corporalium pro lucro ducenda sunt, quoties paranda est uita aeterna. Non est delicata professio mei nominis, coorientur undique quae uos ab instituto retrahant, persecutio, affectus humani: uerum his omnibus oportet esse superiores, qui suscipiunt negocium Euangelicum. Totum se diuinae uoluntati dedat & consecret oportet, qui uelit esse idoneus administrator Euangelicae doctrinae, ut nec ullis persecutionum terroribus, nec ullis carnalium affectuum illecebris corruptus defleat a sinceritate ueritatis Euangelicae. Quemadmodum enim nulla uictima iuxta Moysi praescriptum legitima est, nisi quae uel igni salitur uel sale, uel utroque, ita quisquis Euangelicam philosophiam uolet profiteri, necesse est ut igni purgetur ab omnibus humanis affectibus: & sale condidatur, ne possit corrumpi malorum contagio. Diluta & insipida est huius mundi sapientia, nec seruat hominem ab huius mundi corruptione, nec alios seruare potest. Atqui utrumque praestare oportet doctori Euangelicum, ut & ipse sit incorruptus, & ab alijs eximat corruptelam. Non praestat hospes philosophorum sapientia, non pharisaeorum doctrina, sed sola philosophia Euangelica, quae ueritatis acrimonia emordet & consumit quicquid in homine est obnoxium corruptioni. Idem efficit ignis ille diuini spiritus, consumens ac repurgans ex animis omnes carnales affectus, & quodammodo transformans in deum quicquid corripuerunt qui prius affixi fuerant curis rerum terrenarum, nunc hic contemptis rapiantur ad salutem. Hoc sale quisquis conditus est, non poterit ullis illecebris corrumpi a syncretismo spiritus Euangelici: hoc igni qui purgatus est, contemnet quicquid intentare potest persequutor. Nihil melius igni, si quis recte utatur: nihil utilius sale. Caeterum si ignis, si sal fiat insulfus & euanidus, quid reliquum est quo condiantur insulsi? Si, qui profitentur spiritum Euangelicum, territi minis hominum, deferant institutum, ac mercedem stulticiae principum, quam oportebat fortiter redarguere, quid superest? Si, qui salem Euangelicum profitentur, non solum acrimonia ueritatis non sanant corruptos affectus, sed ipsi in gratiam parentum aut amicorum ob res terrenas succumbunt a spe regni coelestis, ac lucrificiunt gehennam, & quod est omnium sceleratissimum, ipsam Euangelicam doctrinam interpretantur ac detorquent ad affectus & cupiditates humanas, quid superest, per quod humana stulticia condidatur, simul & corruptis illis, per quos id fieri conueniebat, & uitato eo, quod unum relictum est mundo, ut aliquando resipiscat? Proinde ut possitis & persecutionum saeuitiam uincere, & omnes humanos affectus Euangelij gratia contemnere, ut possitis & uestrae saluti consulere, & uiam plurimos ad salutem adducere, habeat in se quisque uestrum salem Euangelicum; habete pacem & amicitiam inter uos mutuam. Sal faciet incorruptos, concordia faciet robustos ac potentes. Vbi dissidia sunt, ibi non est sal Euangelicus. Vbi ambitionis robur est, ibi nec pax est, nec sal. Ideo philosophi inter sese pugnant quia non habent salem, ideo pharisaeis male conuenit cum Sadducaeis & Herodianis, quia corrupti affectibus carent Euangelico sale. Vestra doctrina condiet stulticiam mundi, si ueritate homines, in uestris affectibus nihil esse corruptum aut putre, uel studio gloriae, uel amore pecuniae, uel cupiditate uindictae, uel metu mortis, uel desiderio uitae, uel ullo alio humano affectu, & si, quemadmodum uestra uita respondebit doctrinae, ita in uos consentietis. Consentietis autem, si procul abiecio omni ambitionis uitio, quo uiuunt qui regnum affectant huius mundi, coelestem doctrinam, quam a me accepistis, praestiteritis alijs impartitis.

*Omnis enim
igne salietur*

CAPUT X



Postquam huiusmodi monitis dominus Iesus satis instruxisset animos discipulorum aduersus tempestatem imminentem, relicta Galilaea profectus est in eam Iudaeae partem, quae est ultra Iordanem, in qua primum docuit Ioannes. Iam sic undique inclaruerat fama Iesu, ut nusquam posset latere. Mox igitur & huc confluunt turbae, quemadmodum alijs in locis consueuerant, nec unquam

unquam ille fatigabatur benefaciendo omnibus, sanandis corporibus, docendis animis. Nec hic desunt pharisæi, nusquam non sui similes. Multitudo quærit sanitatem, quærit doctrinam. Pharisæi malunt insidiari, quàm sanari, tentare quàm discere. Atque interim religionis speciem prætexunt suæ malitiæ, ac discendi studium obtendunt suæ fraudulentitiæ. O indocilem sapientiam, accedunt ad Iesum corpore, à quo longe distabant animis. Obijciunt captiosum problema, dicentes: Quid tu sentis magister noster? num fas est viro repudiare uxorem? Hanc cornutam quæstionem inter se commenti fuerant, sperantes fore, ut uel in hoc, uel in illud cornu respondens incurreret. Pronunciaret beatos, qui se castrarent propter regnum dei. Itaque si quum faueret castitati, pronuntiasset licere dimittere uxorem, alterius ducendæ gratia, quemadmodum passim faciebant Iudæi, uideretur docere pugnantia: si respondisset non licere, obiecissent uiolatam legis auctoritatem, quæ permittit marito ius repudiandi. Dominus autem, ut prudentes caperet sua ipsorum uersutia, nam ex lege parauerunt laqueum, rogauit eos: Quid opus est me percontari, quum legis peritiam profiteamini? Quid Moses de his rebus præcepit uobis? Illi responderunt: Moses, si quid maritum offenderet in uxore, permisit ut dato libello repudiij dimitteret eam, & aliam si uideretur duceret. Hanc legis permissionem sic interpretabantur pharisæi, quasi recte facerent, qui ob quamlibet leues causas repudiarent uxores suas, & alias ducerent domum, non intelligentes mentem legislatoris, quam ex Genesio exordio poterant apprehendere. Ait itaque: Quod Moses uobis permisit ius repudiandi, nequaquam fauit diuortio, sed indulgit marito rum libidini, maluitque concedere leuius malum, quàm aperire fenestram atrocioribus. Maluit iniquum diuortium, quàm homicidium, ueneficium aut etiam parricidium. Non uult enim duritiæ cordis uestri, cui remedium hoc datum est, ne ueniretur ad sceleratiora: Cæterum in paradiso, prius quàm ad hanc maliciam prolapsa esset humana natura, non sic est institutum matrimonium, ut ex libidine mariti fieret diuortium, sed ut perpetuum & indiuisum inter maritum & uxorem esset coniugium. Primum enim unum ueni coniunxit deus, marem foeminæ, inter quos tantam uoluit esse charitatem, ut nulla posset incidere diuisio. Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & duo redigentur in carnem unam, ita ut iam corpore simul & animo conglutinati, non sint duo homines, sed unus homo, ut tristitium ac latorum omnium sit inter eos communio. Hæc uerba palam declarant, deo non placuisse diuortium, alioquin rescinderet quod primum instituerat. Sed Moses præter uoluntatem dei permisso repudio, consuluit ad tempus uestræ duritiæ, leuius dicens adulterium quàm parricidium. Si placet indulgentia Mosis, agnoscite & causam, qua coactus indulgit. Proinde quod ipse deus initio sic coniunxit, ut esset indiuisum, ne distrahat homo. Deponite cordis duritiæ, & non erit nec opus nec locus diuortio. Huiusmodi temperatura responsionis Iesus asseruit præceptum dei, nec Mosen tamen damnauit, nec castitatis laudem imminuit, nec se pharisæorum captioni præbuit, quin potius eos cepit qui captatum uenerant. Cæterum ubi uentum esset in ædes, ac priuatim hac ipsa de re percontarentur apostoli, Iesus apertius damnauit repudium. Quicumque, inquit, repudiauerit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit aduersus illam. Rursus si uxor relicto marito, nupsit alteri, committit adulterium aduersus maritum priorem. Non enim conuenit Euangelij professores habere cordis duritiæ, ut uxoris mores nec ferre possint, nec uelint ciuilitate corrigere, sed concepto quibuscumque ex causis odio, machinentur homicidium, nisi se subducatur uxor. Hic animus est Iudaicus, à quo oportet abesse meos discipulos. Iudæus ob oralitatem grauiorem, ob oculi lippitudinem, aut aliud simile uitium repudiatur uxorem, quum inter Euangelicos una duntaxat causa dirimat coniugium, hoc est, uiolata coniugij fides. Vxor enim quæ sui corporis copiam fecit alteri, iam etiam si non repudietur, desinit esse uxor. Et maritus, qui sui corporis copiam fecit alienæ, iam ante diuortium maritus esse desinit. Quemadmodum ignis non est ignis, nisi caleat: ita coniugium non est coniugium, nisi ex duobus fiat unus. Ex tribus aut quatuor una caro fieri non potest. His dictis, aderant quidam adducentes infantulos, ut Iesus imposita manu benediceret illis. Viderant illius contactu pelli morbos, confidebant & infantibus profuturum aduersus incommoda, quibus multis ætas imbecillis esse solet obnoxia. Discipuli uero suspicantes, dominum maiori-
bua

Et offerebant
illi paruulos.

bas intentum non esse fatigandum huiusmodi leuioribus negocijs, arcebant pueros, ne uenirent ad Iesum, & increpabant eos, qui adducebāt, quasi importunitate sua domino fa-
 cesserent negocium. Atqui paulo ante dominus commendauerat eis paruulos. Itaque
 quum uideret illos, oblitos quæ dixerat, obstare quo minus infantes peruenirēt ad ipsum
 coercuit discipulos suos, dicens: Sinite pueros uenire ad me, nec arcete illos à contactu
 meo. Talium est enī regnum cœlorum. In his est exemplum innocentiae ac simplicita-
 tis, ad quam oportet refingi superbiam maliciam hominum, si uelint admitti in regnum
 cœlorum. Ne quis putet hos esse contemnendos ob imbecillitatem uirium, aut simplici-
 tatem. Illud pro certo confirmo uobis: Nisi quis renascatur, ac deposita omni uersutia, a-
 uaritia, ambitione, odio, ira, uindicta, liuore, talis reddatur animo, quales hi sunt ætate,
 non recipietur in regnum cœlorum. Quoq; magis commendaret omnibus simplicem in-
 nocentiam, complexus est singulos, & impositis unicuiq; manibus suis, bene precatus est
 illis, docens, idiotas & imperitos, aut quamlibet humiles & abiectos iuxta mundum, non
 esse fastidiendos episcopis, sed omnibus modis fouendos, donec proficiant ad meliora.
 Rogandus autem in primis dominus Iesus ut dignetur illis manus suas imponere beneq;
 ominari. Dabit ille paruulis astutiā, qua uident diaboli laqueos: dabit infantibus linguam,
 ut ex ore infantium & lactentium perficiatur laus dei. His domi gestis, quum dominus
 prodisset in ciuitatem, accessit adolescens quidam, ut post cōmendatam puericiam, hæc etiam
 ætas à bene cœptis ad perfectiora uocaretur. Is accidit ad pedes Iesu, dicens: Magister bo-
 ne, quid faciam, ut uitam æternam? Hæc percontatio non omnino uacabat ali-
 quo uitio sibi placentis. Sed hoc uitij, si mediocre sit, solet doctorum lenitas spe profe-
 ctus in illa ætate dissimulare. Nec enim tam doceri cupit à domino quid facere debeat,
 quam obee quæ fecerat laudari. Et bonum appellat, quem nihil aliud credebant esse q̃
 hominem, quasi quicquam esset homini boni ex seipso. Iesus autem uelut offensus arro-
 ganti cognomine: Quid, inquit, me uocas bonum? Hoc cognomen homine maius est. Ne-
 mo enim uere bonus, nisi solus deus. Ut igitur arrogans est homo, qui hoc cognominis si-
 bi uindicat, ita qui tribuit homini, plus tribuit q̃ decet. Hoc proœmio Iesus retudit ado-
 lescentis spiritum, qui sibi uidebatur ab huius cognominis elogio non multum abesse.
 Mox adiecit Iesus: Tenes præcepta? Et interroganti quæ nam essent illa, respōdit illa uul-
 garia, quibus obseruatis, Iudæi sibi uindicant bonitatis & iustitiæ laudem. Non commit-
 tes adulterium, non occides, non furaberis, non dices falsum testimonium, non fraudabis
 proximum, honorem habe patri & matri tuæ. Hic adolescens, concepta spe magnæ lau-
 dis, iam lætus & alacer, respondit Iesu: Magister, hæc omnia seruauī à puero. Iesus autem
 intuitus adolescentem probæ indolis ac lætæ spei, qui non ista fingeret, nec sibi maliciose
 placeret, quemadmodum pharisæi, significabat sese etiam huius ætatis studio delectari.
 Itaque præ se tulit, quod eius affectu pio, licet imperfecto, delectaretur, uelut exosculans
 spem indolis Euangelicæ (quemadmodum enim in ea ætate rarum est, ita plausibile est
 studium pietatis) nos interim admonens, ut ubicunque uiderimus aliquam indolem ac
 spem Euangelicæ pietatis, ne sæuis obiurgationibus obruamus, & alienemus teneros a-
 nimos: quemadmodum quidam nimium morosi literatores, qui bene nata ingenia, sua
 auiditate docent odisse literas: sed comitate prouehamus ad meliora, probātes studium
 sedulitatis interim quò sit proficiendum. Ita Iesus gestientē ante tempus adolescen-
 tiam temperauit dicens: Quod ista seruaris, laudo. Caterum non in istis, ut tu pu-
 tas, collocata est perfecta iustitia, sed unum adhuc deest tibi. Miranti & roganti quidnam
 id esset, respondit dominus: Redi domum, ac diuenditis possessionibus omnibus, pecu-
 niam collectam eroga in pauperes. Non perdes quod ita dissiparis, sed pro terrenis pos-
 sessionibus recondes thesaurum in cœlis. Deinde liber & expeditus ueni & sequere me:
 tuum enim agnoscam discipulum Euangelicum. Multa deerant adolescenti: sed hoc ulce-
 re contacto, Iesus uoluit ostendere, quantum adhuc ab Euangelica perfectione abesset. Hoc
 audito, iuuenis discessit mœrēs, nimirum frustratus sperata laude iustitiæ. Habebat enim
 possessiones multas, quas subito relinquere, uidebatur admodum esse durum. Porro di-
 scipuli non omnino desperandus. Nec enim indignatus est nec obmurmuraui, sed abiit ta-
 citus ac mœrens. Laudatus est de studio, pietatis: quod mœret, infirmitatis est humanæ.
 Non intelligebat autē sermonem Iesu. Nec enim ille perinde sentiebat de possessionibus
 abijciendis

abijciendis, ac de affectibus. Quisquis paratus est omnia relinquere si res postulet, is relinquit omnia. Hoc exemplo Iesus deterrebat suos à cupiditate diuitiarum. Itaq; digresso iuvene mœsto, Iesus circumtulit oculos in discipulos, ad hos enim pertinebat hæc scena, dixitq; Abijt ille. Quàm difficile qui pecunias habent, introibunt in regnum dei. Hic sermo uehementer obstupescit discipulos, existimantes uix quenquam posse inueniri, qui amplas possessiones subito profusus esset ob regnum dei, quanquam ipsi paucula quædam reliquissent. Proinde Iesus inculcat quod dixerat, blandimento mitigans sermonis asperitatem, & interpretans non intellectam obscuritatem. Filioli, inquit, quàm difficile est, istos qui multas habent possessiones, & in his fiduciam suâ collocant, ut uulgius mortalium facit, intrare regnum dei. Et ne uideatur hoc durius dictum, addam quod hoc quoque magis est durum, sed uerissimum: Facilius est camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum dei. His auditis, discipuli magis etiam conturbati sunt animis, ita ratiocinantes inter sese: Si nullus potest esse saluus, nisi intret regnum dei: & si nullus potest intrare regnum dei, nisi abiectis diuitijs: quomodo uideamus omnes homines sic amare diuitias suas, ut non uideantur relicтури, quis diuitum poterit seruari? Hæc discipulorum sollicitudo sapiebat pietatem domini: cupiebant enim quàm plurimos intrare regnum dei, sed nondum intelligebant uigorem Euangelicæ professionis, qua iubemur & uxorem, & liberos, & parentes & uitam deniq; contemnere, si res ita poscat. Leuissimum autem est negligere diuitias, si rem expendas: si uulgi mores, multo omnium grauius. Dominus igitur uidens suos discipulos sollicitos ac mœstos ob hunc sermonem, & desperationi proximos, addit illis animum, sed primum coniectis in illos oculos, quod facere solitus est, quoties aliquid eximium esset dicturus: Quid desperatis, inquit, de salute diuitum? Ardua sunt quæ requiro, sed magis ardua præstanda sunt. Nihil difficilius quàm uitam negligere Euangelij gratia. Hic me ducem habebitis. Si reperientur, quibus Euangelium sit uita charius, desperatis futuros, quibus diuitiæ sint Euangelio uiliores? Hæc affectibus humanis uidentur impossibilia. Sed hæc res agitur diuino præsidio. Deus exigit ardua, & humanis maiora uiribus, sed idem addit opem ut possis quod iuberis. Ita fit, ut quod homo non potest ex sese, id possit auxiliante deo, qui nihil non potest. Huic qui toto pectore fidei, per illum nihil non poterit. Itaq; qui negligit possessiones ob regnum dei, non facit dispendium, sed lucrum. Ut autem hoc intelligat, non est humanæ prudentiæ, sed fidei cœlitus infusæ. Quisquis enim credit toto pectore, pro relictis possessionibus quæ remorabantur à negotio salutis, & hic centuplum rependi & in futuro seculo uitam donari æternam, uolens ac lubens accipiet talem commutationem. Ex hoc sermone, qui desperationem adimebat, accessit plus animi discipulis, quàm oportuit. Iam enim Petrus

Et cepit ei Petrus dicere ex collatione iuuenis, qui mœrēs abierat, cœpit sibi nonnihil placere: Ecce, inquit, nos tua causa reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Præstitimus quod ab adolescente requirebas: illi promittebas thesaurum in cœlis, nobis igitur quid sperandum est præmij? Si censum apostolorum æstimes, non multum reliquerant, præsertim Petrus qui piscator fuerat, & quotidiana opera ægre uictum parabat: sed suum cuiq; maximum est. Et plurimum relinquit, qui totum quod habet sic deserit, ut nec de sarcinando, nec de augendo cogitet. Qui penitus exiit affectum opulentiae, tantum reliquit, non quantum erat in censu, sed quantum poterat optari. Ad hanc regulam dominus æstimans res ab apostolis derelictas, qui quod charius erat alacriter reliquerant, nimirum parentes, uxores & cognatos, respondet hunc in modum: Illud pro certo dico uobis: Non uos solum non fraudabimini præmio uestro, sed nemo futurus est, qui si reliquerit Euangelij studio, meaq; causam domum, fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut liberos, aut agros, non pro singulis relictis centuplum sit recepturus in hac etiam uita, quantum uis sauiant persecutionum procellæ. Siquidem longe plus accrescet ex charitate Euangelica, quàm decessit ex immanitate persecutorum. Pro uno fratre aut sorore iuxta carnem relicta, tot habiturus est fratres ac sorores, quot habebit professionis Euangelicæ sodales. Vehementiores autem atque etiam dulciores sunt affectus spiritus, quàm naturæ. Pro uno patre ac matre tot habebit patres, quot habebit doctores: pro una domo relicta nusquam non habebit domum, ubicunq; uigebit Euangelica charitas, quæ communia facit omnia. Pro paucis agris relictis ueniet in consortium omnium agrorum, quos possident germani Euangelij professores

Quæ si non contingerent, tamen corporaliū rerum dispendium spiritalibus animi
 dotibus faretur, ut centuplo magis accepta, quàm relicta. Nulla enim cōparatio fluxarū
 rerum, ac mox etiam si nullus eripiat periturarum, ad opes animi, quas nēmō potest largi
 ri, nisi solus deus, nemo potest eripere, nisi qui largitur. Et si hoc quoq; lucrū parū uidet,
 additur ad cumulum, æternæ uitæ possessio in seculo futuro. His dictis Iesus confirmauit
 animos discipulorum suorū adhuc imbecilles, ne uel pœniteret reliquisse quod relique-
 rat, uel olim in admirationē corporalium diuitiarum relaberentur: itaq; dum uilibus re-
 bus studebant dītescere, miserabiliter bonis animi paupereſcerent. Est autem hæc infelix
 rerum uicissitudo, cum quis ab animi bonis ad corporalia recidit, à ueris diuitijs ad inaneſ
 ac fallaces relabatur, ab æternis cōmodis ad caduca fluxaq; reuoluitur. Itaq; ne discipulis
 securitatem adderet, quod à domino ob relictas res & affectus neglectos essent collauda-
 ti, & qui nunc uidentur postremi, erunt olim primi. Nec desperandi sunt, qui nondum
 possunt hoc præstare, quod exigit euāgelicus uigor, nec sibi debent fidere, qui iam ad gra-
 dam aliquam profecerunt. Sunt enim qui idem fecerunt quod uos fecistis, & ad scelerati-
 ſsimam auariciam relapsuri sunt. Et sunt qui nunc non possunt opes suas contēnere (quem
 modū iuuenis ille) qui post superabunt illos qui uidebantur reliquisse omnia. Postre-
 mi uero qui uisui sunt iuxta mundi iudiciū opulentissimi, comperientur fuisse pauperrimi: &
 qui in speciem uidebantur omnīū rerum mundanarum contemptores, deprehendentur
 esse cupidissimi. Non enim in rebus sita est hæc laus, sed in affectibus. Pauperior est, qui
 in casu obigit, sic habet quasi non habeat, facile donans, quoties subleuandus est pro
 alio, nec gaudio gestiens si quid accrescat, nec dolore contabescens si quid eripiatur:
 qui hoc ipsum pusillum, quod habet, magni facit, nec augendi facit ullū finem. His
 uidebatur Iudam notare, qui quum & ipse relictis omnibus secutus esset Iesum, ta-
 men post sceleratius auarus compertus est, quàm ij, qui iuxta mundum sunt opulentissi-
 mi. Huiusmodi sermonibus Iesus paulatim fingebat ac formabat animos suorum aduer-
 sus tempestatem omnīū grauissimam, quæ instabat, & à cuius commemoratione uehe-
 menter abhorrebat illorum animus. Iam enim cœpit ascendere Hierosolymam, cuius no-
 ta moderant discipuli, quod audissent illic dominum indigna passurum. Alibi nōnunq;
 uidebant discipuli, ueluti quum esurientes uellerent aristas. In hoc itinere non pote-
 rat præcedere. Difficile siquidem est ascendere Hierosolymam. Fortium & robustorum
 locus, & in quibus hic mundus iam nihil habet suum. Itaq; præcedit Iesus, sequuntur
 discipuli, sed tristes & obmurmurantes quod se uolens in manifestum uitæ periculū con-
 duceret. Et illius animum admirabantur, & sibi metuebant, ne per illum uenirent & ipsi in
 eodem periculum. Tales discipulos, tam crassos & infirmos tolerauit Iesus, & nos
 imbecilles imbecillium ferre tarditatem: Ad regnum inhiant omnes, cupiebant
 esse consortes gloriæ, ac de primo loco disputabant. Cæterum ab eo, quod erat omnīum
 maxime necessarium, totis animis abhorrebant. Iesus itaq; nobis exemplum ostendens
 in statuendo proximo magis ei tradamus quæ necessaria sunt, quàm quæ iucunda,
 utilitaria magis, quàm suauia: accersitis ad se duodecim, quos huius tempestatis ali-
 qua parte participes etiam, non modo testes esse uoluit, infixit animis illorum, quæ
 tempeſte, mox aperte etiam prædixerat: Ecce uenit tempus, de quo iam frequenter dixi.
 Ascendimus Hierosolymā, ut intelligatis me uolentem ac scientem pati, quæ passu-
 rus sum. Non enim oportet fugere, quum tempus adest à deo præscriptum. Hierosoly-
 mam trahetur hoc sacrificium, is locus huic uictimæ destinatus est. Et filius hominis tra-
 hitur in manus eorum, qui primas tenet inter sacerdotes, & scribarum, phariseorum, &
 ceterum populi. Hi ueluti nocentem & impium damnabunt illum, & obiectis uarijs cri-
 minibus addicent illum supplicio capitis: mox ut palam facinorosum tradent illum gen-
 tibus, ut ab illis ludibrijs afficiatur, conspuatur. Deniq; flagellabitur & occidetur, sed à
 mortuis uiuificet die tertio. Hæc uos duab. potissimū de causis & scire & meminisse oportet:
 primum ne putetis hæc fortuito, aut me inscio, uel inuito geri, quæ geruntur ex dei consi-
 lio, & partim ne uos oborta procella, uelut inopinantes supra modū perturbet. Nec
 timetis decet uos a deo indigne ferre, quod ego uolens, & uestra causa, & ex præscripto
 patris passurus sum: nec conuenit uos ad rem uelut inopinatam exanimari, cuius toties

*Erant autē in
 uia ascendētes*

uos pramoniui. Ad hunc sermonem quum uelut obtorpescerent apostolorum animi, neq̃ auderent dehortari, accedunt priuatim ad Iesum duo ex discipulis, Iacobus & Ioannes filij Zebedaei. Hi ad resurrectionis mentionem spem bonam coceperant mox exoriturum regnum illud, quod toties promiserat Christus. Nondum penitus exuerant ambitionis affectum. Matrem enim subornarant, per quam sibi postularent praecipua aliquam dignitatem in eo regno: sed priusquam proponunt quid optent, obstringere conantur fidem domini, ne fas esset negare quod peterent. Ille uelut non negaturus, quicquid petissent, turbet ut eloquantur quid magnae rei postulent. Videbantur enim aliquid magni petitori. Domine, inquiunt, petimus hoc honoris in regno tuo, ut simus tibi proximi assessores, alter ad dexteram, alter ad leuam. Iesus percuntatione prodidit illorum ruditatem. Adhuc enim somniabant regnum aliquod corporale, adhuc de primatu cogitant: sed tum quidem tempus non erat eorum crassitudinem obiurgare: ceterum ad mortis commemorationem, unde abhorrebat illorum animus, reuocat illos, dicens: Quoniam non intelligitis quale sit regnum dei, ideo nescitis quid petatis. Quaeitis inanem gloriam: nec cogitatis, quibus rebus ad ueram regni mei gloriam perueniatur. Ego uobis uiam aperiam: ea si placet, sperate gloriam optatam, sed ueram, non qualem uos somnatis. Potestis bibere de poculo, de quo ego nunc paro bibere? Potestis baptizari baptismo, quo ego mox baptizabor? Illi auiditate consequendi quod optabant, sicut stulte postularant, ita temere de se pollicentur, nondum sibi satis noti: possumus. Nec hanc stulticiam discipulorum conuictus infectatus est clementissimus dominus: nondum enim uenerat tempus, ut harum rerum essent capaces. Adhuc uelut per somnium audiunt, quicquid audiunt, & tamen nihilo segnius format illos & instituit, sermonem ad illorum imbecillitatem attemperans: ut olim uelut expergefacti, clare cognita per spiritum sanctum ueritate, hoc magis amarent dominum: qui quum talis esset, tales discipulos tam leniter pertulisset: & ipsi uicissim iam facti perfectiores, in proximorum quos instituerent imbecillitate perferenda domini lenitatem imitarentur: nimirum memores, quod rudes, quam obliuiosi, quam tardi fuissent & ipsi aliquando. Ambitiosa uox erat: Assideamus in regno tuo proximi: temeraria uox erat, possumus, eorum qui mox essent dominum abnegaturi metu: sed error non ex malicia, uerum ex simplicitate profectus, aut sanari debet, aut ad tempus tolerari. Respondit itaque Iesus: De poculo quidem meo bibetis, & baptismo quo baptizor, baptizabimini, sed olim. Nondum enim potestis, quod uos posse confiditis: huc igitur parate animos uestros. Ceterum de premio iudicium omne relinquit deo patri: uos tantum hoc agite, ut me imitemini. Sunt apud illum sua cuique parata praemia, quae pro suo arbitratu distribuet, prout ipsi uisum fuerit. Non enim haec res agitur in regno coelorum, quemadmodum in aulis principum: ubi non semper primus est dignitate, qui merito primus est, sed cui rex maxime fauet: fauet autem aliquando deterrimo. Ceterum apud patrem meum nullus est respectus personae. Nec uestrum est, dispicere modum meritorum uestrorum, quum ex uobis ipsis nihil possitis: neque circumspicere, quanto sitis alijs superiores, tantum pro uiribus a deo datis conandum est, ut me sequamini. Non fraudabimini premio, etiam si de premio non cogitetis. Etenim qui praemij causa certat, non certaturus nisi sciat dandum praemium, is seipsum praemio frustratur. Nemo sui iudex sit, sed conatum omnem adhibens, iudicium omne deferat deo. Et ecce malum ex malo nascitur. Duorum discipulorum simplicitas, prodidit aliorum maiorem etiam ruditatem. Etenim ubi rescuerant, quid duo ambissent apud dominum, quam non impetrarant: ceteri uelut inuidentes, indignantur illis, quod parum agnoscentes mediocritatem suam, primum locum ausi fuissent postulare, qui potius alijs debebatur. Nullus autem sibi non sperabat, ut suis quisque dotibus ac meritis blanditur. Hi nimirum sunt affectus eorum, qui uiuunt in aulis principum. Sibi quisque placet, sibi quisque pollicetur primos honores, & alijs praetatis inuidet, nisi quod aulicorum ambitioni mixta est malicia: discipulorum ambitio, mera simplicitas erat. Atque interim eius sermonis, quem Iesus habuerat de minimo et maximo in regno coelorum, de quo imitatione paruuli, profunda illis obrepserat obliuio. Quod si quis roget, quam obrem dominus tantam ruditatem tam diu passus sit residere in discipulis, per quos statuerat Euangelicam philosophiam proferri per orbem uniuersum: ideo potissimum passus est, ut hos affectus paulatim ac penitus ex animis suorum reuelleret, & ideo toties sinit illos in eundem

dem affectum relabi. Veluti si quis statim à febris liberetur, protinus obliuiscitur & morbi & beneficij: si quis subinde recidens in morbum, tandem ægre liberatur, magis odit morbum suum, magis agnoscit sanitatis reſtitutæ beneficiū, meliusq; nouerit alijs eodem obnoxij morbo mederi. Itaque Iesus intelligens & duorum stultam petitionem, & aliorum indignationem ex eodem fonte proficiſci: omnes simul aduocat, ut omnibus eodem pharmaco medicinam admoueat. Quoties, inquit, auditis de regno cœlorum, quod utiq; spirituale est, nec minus differens à regno mundi, quàm terra differt à cœlo: nolite uobis fingere talem speciem rerum, qualem uidetis in regnis terrenis. Scitis enim, quod qui uidentur principatum tenere inter gentes huius mundi, dominatum exercent in subditos populos: & qui magnates sunt inter eos, potestatem suam exercent in eos, quibus præſunt: cauete ne quid tale sit inter uos. Hic iuuandi studium maiorem reddit, non ambitio. Proinde, quemadmodum & ante uos docui, quicumque uoluerit inter uos uere magnus esse, siue ſter miniſter: nec ſemet erigat ad dominandū, ſed ſeipſum deſciat ut proſit omnibus. Et quicumq; uoluerit inter uos eſſe primus, fiat omnium ſeruus: nec ſibi uindicet dignitatem, ſed obſeruiat omnium utilitati, nihil hinc honoris ſibi uenans ſed deo, cui ſeruit in membris ipſius, totam gloriam tranſſcribens. Nō pigeat uos hoc imitari, quod in me uidetis expreſſum. Non enim uenit filius hominis in mundum, ut imperaret, ut alios ſerui-
tio premeret, ſed ut omnium ſaluti ſubminiſtraret: nec in ſeruire ſolum cōmodis omnium, ſed etiam ſeruis in libertatem aſſerendis, ſemetipſum impenderet, ut unius diſpendio plurimi ſeruarentur. Nimirum hic eſt principatus Euangelicus, quem qui uolet ambire, meo ambiat exemplo: & expectet præmiū, non quod ipſe ſibi præſcribat, ſed quod patri uſum erit largiri, quemadmodum ego ſimpliciter obtempero paternis iuſſis uſque ad crucem, arbitrium præmiij deferens illi. Impudēs autem fuerit ad exemplum terrenorum principum ambire dignitatem, & à patre cœleſti quærere præmiū. Aut ambire regnum cœleſte, & expectate cœleſte præmiū: aut ſi ambitis regnum huius mundi, nolite poſcere præmiū regni cœlorum. Talibus monitis præmonentur, qui proficiſcuntur cum Chriſto Hieroſolymam. Etenim quo quiſq; eſt purgator ab omnibus carnis affectibus, hoc in ſtrictior eſt ad certamen crucis. Iam igitur peruenerant in ciuitatem Hiericho, quæ non ita multum abeſt ab Hieroſolymis. Hiericho Syris lunam ſonat: ea typum habet huius uitæ, quæ nihil aliud eſt, q̃ perpetua naſcentium ac morientium, ægotantium ac reualeſcentium, pubeſcentium ac ſeneſcentium, lætorum ac triſtium uiciſſitudo. Noſtra cauſa ex illa cœleſti tranquillitate deſcendit Ieſus: non tamen hic cōmoratus eſt, ſed Hieroſolymam properat, auidus humanæ ſalutis. Atq; hæcenus ſequunt eum diſcipuli, ſimulq; cum his copioſa hominum multitudo. Vide autem ut nuſquam Ieſus non eſt hoc, quod dicitur: Aut docet, aut ſanat, aut uiuificat. Quod mors illius erat effectura per Euāgelij prædicati fidem, hoc exhibet imagine corporali. Cæcum erat genus humanū, ignorantia ueri: mendicum erat, inopia uirtutum omnium. Niſi tranſiſſet nos Ieſus, non erat ſpes lucis. Sede-
bat enim iuxta uiam mendicus quidam non ignotus, oculis captus, nomine Bartimæus, Timæi filius: qui cum ſenſiſſet aduenire Ieſum, clamare cœpit, ac dicere, Ieſu fili Dauid, miſerere mei. Primū rumor Euangelicus nunciat nobis tranſire Ieſum. Porro mox con-
ſepta de illo fiducia, non cōmittit, ut nobis tacitis pertranſeat, ſed agnoſcens ſuam miſer-
iam, inclamat miſericordem. Luci proximus eſt, qui cæcitatis ſuæ magnitudinem agno-
ſcit. Non eſt iſta uox phariſæica, miſerere, qui ſibi uidentur oculati, ſed Euāgelica: nec iſta,
fili Dauid. Dicunt enim. Nōne hic eſt filius fabrici? Plus cæcus ille uidebat per tenebras, q̃
hodie cernunt ludæi, qui iactant legis ſcientiam, ſeq; profitentur duces cæcorum. Sed mi-
ſerum uociferanti obſtat turba. Quid enim aliud poteſt turba, quàm obturbare? Reclamat
conſcientia non una uoce, ſed tot uocibus, quot admiſſorum ſibi conſcius eſt animus.
Quid tibi cum Ieſu, tot peccatis inquinato? Reclamat lex. Fruſtra clamas, iuſtus eſt deus:
expecta pœnas tuorum ſclerum. Reclamat magiſtratus ſynagogæ, ne quis hoc nomen
Ieſu prædicet, ne quis nominet. Non eſt ſalus in Ieſu, ſed in Moſe. Obſtrepunt & philoſo-
phi, & principes ethnici. Sed ut agnoſcas in cæco fiduciam uere Euangelicam, non cedit
clamanti turbæ: & adeo non cedit, ut obiurgatus iuſſusq; tacere, ualidius etiam uocifere-
tur. Fili Dauid, miſerere mei. Offenditur turba clamore mendici, Ieſus ſolus non offendi-
tur, ſed reſtitit, iuſſitq; cæcum accerſi ad ſeſe. Audierat Ieſus tranſiens clamorem, ſed diſſi-
mulabat

Et ueniunt
Hiericho

mulabat. Non erat hoc difficultatis, sed elicientis ad exemplum aliorum insignem cæci fiduciam: ac per cæcum omnes docere uoluit, quibus modis lux extorqueri possit à Iesu. Prima spes est, restitare ad nostrum clamorem Iesum. Secunda per doctores Euangelicos, aut etiam afflatibus arcanis ad ipsum accersi. Nec enim cæcus illum adire poterat sine ductu sacræ doctrinæ, quæ nobis aspernanda non est, etiam si per hominem administraretur. Felicitè autem uocant Apostolici uiri cæcum, quoties iussu Iesu uocant ad Iesum. Sed hodie sine iussu Iesu uocant, non ad Iesum, sed ad præsidia philosophiæ humanæ, ad obseruationem legis Mosaicæ, ad huius uitæ commoda: hi nimirum ex cæco reddunt ceciciorem. Sed apostoli iussis domini obtemperantes, uocant eum ad Iesum: & adeo non obstrepunt, quemadmodum turba, ut bene speranti fiduciam addant, dicentes: Bono sis animo, surge, uocat te Iesus. Ex his uerbis tantā spem cōcepit cæcus, ut abiectio etiam pallio, quo defendebatur aduersus frigoris iniuriam, exilierit, & accurreret ad Iesum. Hic ego paulisper te remorabor optime lector, ut species cæci huius ac mendici alacritatem. Quoties tu uocaris ad Iesum, nec abijcis pallium, nec exilis, nec accurris ad uocantem, sed tergiversaris, differs, hæ sitas, causaris, torpescis in sordibus ac tenebris tuis, malens in sordido pallio stipem emendicare ab hoc mundo, quàm ab Iesu lucem accipere, quæ summam totius felicitatis complectitur. Quàm est splendida uestis innocentiae. Quàm sordide palliatus est, qui libidine, qui auaricia, qui luxu, qui ambitione coopertus est. Quàm abiecte mendicus est, qui ob uile cōmodum corporis, supplex est huic mundo. Quàm misere cæcus est, qui nec se nouit, nec deum. Quoties autem ab ista miserabili calamitate uocaris ad Iesum, lecta aut audita doctrina Euangelica, aut arcano quopiam spiritus afflatu attractus, quur non reiectis omnibus quæ remorari solent à tanta felicitate, exilis ad spem uitæ melioris: quur non accurris summa cum fiducia ad Iesum, qui solus potest dare lucem, & dare uult omnibus: Venit ad te Iesus, accersit, & tu grauaris illi uicissim occurrere? Ad mortem usque contabescis in tenebris tuis, at non semper habebis transeuntem Iesum. Certe post mortem neminem uocat ad salutem, sed ad iudicium. Hic transiens audit clamantem: Miserere mei, hic restitat, hic uocat, hic illuminat. Tuam ignauiam pudefecit hic mendicus, qui quū uenisset ad Iesum, ait illi dominus: Quid sibi uult tuus clamor? Quid uis ut faciā tibi? Quid? An ignorabat Iesus quur ille clamasset? An ipse nesciebat quid esset factururus? Nequaquam: sed nobis agitur hæc fabula. Multi credebant cæcum expectare stipem à domino, quandoquidem mendicus erat: Sic enim & hodie multi uociferantur ad Iesum: Domine: miserere. Rogati quid petant, quid tandem optant? Alius dicit, fac ut ditescam: alius, liceat assequi magistratum: alius, da uxorem cum dote: alius, da uires corporis: alius, da longæuitatem: alius, da ulcisci inimicum. At ista non raro Iesus eripit amicis suis, quoniam sic expedit ad salutem. Nihil horum petijt mendicus euangelicus, nouerat enim quid esset petendum à Iesu. Audiamus igitur cæcum, et imitemur. Rabboni, hoc est præceptor mi, fac ut uideam. Caterarum rerum omnium securus, nihil aliud optat, q̃ lucem, qua cernat deum, & Iesum filium eius: quem nosse, est uita æterna. Nam nosse: uidere est. O precationem uere Euangelicā. Quantulum habet uerborum sed quantum fiducia. Nimirum hæc est illa breuis oratio, quæ penetrat cœlos. Iesus itaq; respondit: Abi: fiducia tua tibi salutem peperit. Non statim perditus est, quisquis corpore nihil cernit: sed saluus esse non potest qui nihil cernit oculis animi. Hos oculos recepisse, salus est æterna. Audi uocē hanc, quisquis es uir pharisaice, qui dicis, crebris ieiunijs, prolixis deprecationibus, eleemosynis meis, sacrificijs meis salutē acceptam fero, et ideo nō clamas, miserere: sed, redde præmium debitū. Contra Iesus, fidei tribuit salutē, non operibus. Illico uisum recepit cæcus, nō quia meruerat, sed quia credebat. Ac iussus abire, sequutus est Iesum. Grátis data lux est, grātis adempta cæcitas. Post tuo relinqueris arbitrio, utrū dono dei bene an male uelis uti. Non cogeris sequi, tantum datum est, ut cernas Iesum: ab i quo uis, sed tuo periculo. Quid autem fecit beatus ille cæcus? Non redijt ad pallium, non redijt ad pristinam mendicitatem, sed oblitus omnium, sequutus est Iesum in uia. Parum est nouisse Iesum, nisi quem uides, studeas æmulari. Iesus rectā ad crucē proficiscitur, huc illum receptis oculis sequaris oportet. Quādiu cæcus es, uociferari potes: Iesu miserere: sed nisi recepto lumine, in hac uia Iesum sequi nō potes. Quis enim sequeretur animā suam sponte tradentem in mortem, nisi per fidem cerneret, per ignominia temporariam peruenire ad eter-

et aeternā gloriā: per cruciatus corporis, perueniri ad aeterna gaudia: per mortē, perueniri ad uitam aeternam: Hæc nō perspiciunt huius mundi lyncei, qui non solum omnibus oculis inhiant imperio, opibus, honoribus, uoluptatibus, longauitatis: uerum etiam consiliis astrologis, ariolis, & Magis ad ista contendunt. Hæc soli uident, qui credunt quod docet Euangelium: qui confidunt sese accepturos, quod promisit Euangelium.

CAPVT XI



NONDUM erat peractum in animis discipulorum, quod Iesus per imaginem exprefferat in cæco. Nondum clare cernebant, quā felix sit mors, Christi mortem imitantium. Adhuc somniant regnum huius mundi. Dominus itaque quo magis infingeret animis illorum, quā non sit affectandum hoc regnum his, qui Iesum sequi uelint: spectaculum quoddam oculis illorum exhibet, quo derideret huius mundi gloriam, ut rem temporariam, moxq; perituram: sed eadem opera declarauit sese quicquid libuisset, imperare potuisse quibuslibet, nisi patris uoluntati maluisset obtemperare. Postremo testatū omnibus esse uoluit, se esse illum, quem tot seculis Iudæi ex prophetarum oraculis, expectarant uenturum ad salutem totius mundi. Iam itaque propior factus Hierosolymis, nimirum iuxta Bethphage & Bethaniam, quæ duo oppidula sunt in monte, qui dicitur Oliuarum, unde Hierosolyma erat in prospectu: illinc emittit duos de discipulis suis, cum huiusmodi mandatis: Ite, inquit, in uicum illum, quem uidetis e regione: & ingressi statim ad portam, inuenietis asinæ pullum alligatum, rudem adhuc, & cui nullus hominum hactenus insedit: soluite eum, & adducite huc ad me. Quod si quis uos interrogauerit, quare soluistis pullum? Dicite, dominus hoc habet opus, et illico mittet huc ad nos. Abiere sicut erant iussi discipuli, uenerunt, repperunt asinæ pullum alligatum pro foribus in biuio, soluunt eum. Interea quidam de his, qui illis adstabant, ubi uiderunt ab ignotis solui pullum, aiunt illis: Quid facitis? quare soluistis pullum? Discipuli nihil aliud respondent, quā quod iusserat dominus: Dominus hoc opus habet. Illi quum non agnoscerent quem dicerent dominum, nihil ultra percontati dimittunt pullum. Solutū, discipuli adduxerunt ad Iesum. Hic etiam atq; etiā te lector admonitum esse uolo, non solum quæ loquutus est Iesus Christus, uerū etiam quæcunq; gessit per omnem uitam, non esse fortuito gesta, sed ex consilio diuino ad humani generis eruditionem. Nihil enim est quod non habeat, aut exemplum nobis ad pietatem expressum, aut repræsentationem ueteris prophetiæ, aut exhibitionē figurarum, quibus lex uelut anigmatibus quibusdam Christum signarat, aut significationem rerum post euenturarum. Id quum in omnibus ab illo gestis uestigandum sit, tamen quo propius accessit ad diem mortis, qua nostræ salutis negotium præcipue peragendum erat, hoc sacrationibus mysterijs plena sunt omnia. Nimirum instabat illud tempus, de quo prædixerat ille uerementem sitiens salutem omnium: Quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Nam angusta erat illius charitati Iudæa: & illic fructus Euangelij non respondebat operæ studioq; cultoris. Accersitur itaque pullus asinæ rudis, cui nullus hominum insederat. Is est populus gentium, nec legi naturæ parens, nec legi Mosaicæ seruiens. Nam asinæ, hoc est, synagogæ tergum presserat Moses, presserant prophetae. Ad gentium autem uocationem emittuntur aliquot ex nouis discipulis, qui accersant non ad Moysen, sed ad Iesum. Hic non erant defuturi qui obstreperent: Quid facitis? Quare soluistis pullum? Nam pullus & mukos & incertos habebat dominos, & alligatus erat, & stabat in biuio. Qui non paret legi dei, tot habet dominos, quot seruit uitijs. Et sic alligatus est, ut dominum non habeat, sed pateat in biuio cuius occupanti. Verum accersenti Iesu nemo potest resistere. Iudæi clamabant: Hæc salus nobis promissa est, unde gentes idololatras miserantur nobis: His responsum est, qui dominus est uniuersorum, talibus pullis opus habet. Iam frustra laborando apud Iudæos lassus est, in rudi pullo cupit conquiescere. Non offendit ruditas, modo adsit obedientia fidei. Nouo sessori, nouo iumento est opus. Adiuvant hanc fabulam apostoli, nondum intelligentes quid ageretur. Insternunt pullo sua pallia, ne nudum tergum premeret Iesus. Discipulorum sedulitatem imitare, quisquis es doctor Euangelicæ, obnoxium multis uitijs, sed ob stultitiam potius quā maliciam: sed qui pariturus sit, si quis abducat, hunc soluto, adducito ad Iesum, insternito pallio sanæ

doctrina. Et tergum illius dignabitur premere dominus omnium Iesus. Imitare & aliorum studium, qui iam processuro Iesu, uiam cōsternebant uestibus suis, hoc est, exemplis Euangelicæ pietatis. Nonnulli etiam ramis ex arboribus decisis ornabant uiam, præsertim è palmis, quæ uirginum ac martyrum habent typum. Per talem uiam, tali iumento magnificum ac regale putat incedere dominus omnium Iesus. Cum hoc spectaculo mihi paulisper confer, o lector, aliquem ex his, qui apud iudaicos sacerdotes primas tenebant: ac primum illud cogita, qualis & quantus sit hic, qui uehitur asinæ pullo. Filius est dei, cui pater tradidit omnem potestatem in cœlo & in terra. Seruator est ac gubernator totius mundi. Auctor, dominus ac rex omnium quæ condita sunt: sacerdos in æternū, secundum ordinem Melchisedec, qui nutu poterat, quicquid uolebat: cuius maiestatem adorant omnes angelorum ordines, qui dexter assidet patri omnipotenti. Cum huius dignitate compare unius templi pontificem, qui sacerdotiū unius anni ab impio rege turpi precio redemit. Confer nudum Iesu caput, cum huius auro gemmisque lucente tiara. Confer modestum illum & mansuetum Iesu uultum, cum huius facie fastu turgida, fronte torua, supercilijs adductis, oculis elatis, ore procaci. Confer nudas Iesu manus, ad huius digitos annulis ac gemmis onustos. Confer Iesu simplicem ac plebeiam uestem, cum huius ornatu tragico, in quo nihil uilius purpura & auro. Confer discipulorum pallia, cum ephippijs aureis, cum stragulis hyacinthinis, cum stapedibus argenteis, sed inauratis. Confer publicum asinæ pullum gestatorem Iesu, cum tot mulis, bysso & auro uestitis, tot superbis caballis, tot mannis magno emptis, tot uehiculis, tot lecticis, tot sellis curulibus, uni homini gestando paratis. Confer paucos & humiles Iesu discipulos, cum plus quam regali pompa anteaambulorum, puerorum insignium, tubarum, lituorum, stipatorum, satellitum, equitum ac peditum turmis, in quibus ut quisque superbissimus est, ita pontifici proximus est & acceptissimus. Confer puerorum acclamationes, qui præcedentes ac sequentes Iesum, afflati diuino spiritu, canebant illud ex prophetia psalmi: Osianna, hoc est, saluifica. Benedictus qui uenit in nomine domini. Benedictum quod uenit regnum patris nostri Dauid. Osianna in excelsis, cū prophanis acclamationibus, quibus Iudæo & scelerato pontifici acclamat adulatorum chorus: *Viuat sanctissimus pontifex: uincat summus sacerdos dei: regnet beatissimus religionis princeps.* Quam huiusmodi pontifices auerfetur Iesus, illud argumēto est, quod totum illud fucatum & superbum sacerdotiū, cum suo templo, deleri iusserit. Siquidem hi sunt, per quos etiam hodie perimitur Iesus in membris suis: qui solus uult esse sacerdotij princeps. Tales autem querit ministros, qui adducant asinum: qui insternant sua pallia, qui palmarum ramis consternant uiam, qui acclamationibus prijs agnoscāt aduenisse regnum Euangelicum, à prophetis promissum. Nec audit obmurmurantes pharisæos, quibus non placet hæc acclamatio, dicens uel ipsos lapides elamatueros citius, quam taceretur dei gloria. Tali pompa rex Iesus ingressus est regiā ciuitatem Hierosolymam, ingressus est templum cœlestis sacerdos, atque illic quod rege sacerdoteque dignum est, docuit populum, sanauit ægrotos, restituit debiles, ueluti tyrannidem occupans in regno alieno. Discruciantur interim impij sacerdotes & pharisæi cum populi primatibus, sed clamat simplex ac docilis turba. Iesus autem uelut instauraturus collapsam templi religionem, quæ tum pharisæis maxime uidebatur florere, collustrauit totum templum, obseruans si quid illic gereretur templo dei indignum: nō quod illi magnopere curæ fuerit, quid in eo templo gereretur, quod paulo post nouerat esse demoliendum: sed imagine quadam rei corporalis declarare uoluit, qualem uellet suam ecclesiam, quam edificabat ex uiuis lapidibus. In his conuenit obambulare pontificem, & circumspicere, ne quid sit quod templum deo dicatum profanet. Profanat autem ambitio, quæstus turpis, auaricia, fraudulentia. Has abominationes non fert in templo suo dominus Iesus. Quum autem iam appeteret uespera, reuersus est in Bethaniam, quod in tam opulenta tamque superba ciuitate non reperiret hospitium Iesus. O religionis apicem, qui non fert religionis omnis antistitem. O falso dictam Hierusalem, quæ cupiditatibus terrenis excæcata, non agnoscit pacificatorem suum. O felicem Bethaniam, quæ sine legis operibus, per simplicem obedientiam fidei, meretur habere hospitem Iesum. Postero die quum diluculo rediret Hierosolymam, relicta Bethania, inter uiam coepit esurire Iesus, uere famelicus humana salutis: & illi suauissimus erat panis, ex uoluntate patris redimere genus humanum: quandoque

quaquam & iuxta naturam hominis assumptam uere esuriebat ac famis molestiam sen-
 tiebat, quemadmodum ceteri sentiunt homines, ex siccitate corporis. Itaque quum pro-
 cul uidisset ficum arborem, uirentibus folijs pollicentem aliquid fructus: accurrit ad illam
 si quid haberet, quo fami succurreret. Ingens dolor, quum esurias, non esse quod edas: sed
 longe uehementior, homines perire per incredulitatē suam, quum seruare cupias. Quumq;
 uenisset ad ficū, ac frustratus lenocinio foliorū, nihil in ea reperiret fructus, execratus est
 eam dicens: Posthac nemo fructum edat ex te in aeternum. Hæc taciti secum admirati sunt
 discipuli, quod deuouisset arborem, maxime quum nondum esset tempus, quo solet hoc
 genus habere ficus. Habet quidem fames corporis bilem suam, sed acriorem habet fames
 Euangelica. Omnis mora dilatae salutis longa erat Christo. Et habent arbores stata tem-
 pora, quibus ædunt foetus suos, ut iniquus uideatur, qui sterilitatem perpetuam impre-
 cetur ei quæ non ante tempus produxit. Ad hæc quid attinebat Iesum accurrere ad ficum,
 excurere si quid esset fructuum, quum sciret nihil esse? Verum hæc absurditas rei iuxta
 speciem corporalem reddebat apostolos attentiores, eosq; relegabat ad scrutationem sen-
 sus mystici. Dominus Iesus esurientissimus humanæ salutis, repperit fructum in arbori-
 bus infrugiferis quæ nullam spem de se præbebant, in meretricibus, in publicanis, in pec-
 catoribus, in ethnicis, in Cananæa, in Samaritis: in solis sacerdotibus, scribis & pharisæis,
 qui dulcissimi fructus Euangelici summam de se spem præbebant, nihil omnino fructus
 inuenit. Tenebant arcem religionis, obuersabantur in templis, tenebant legem ac prophe-
 tas, pallebant ieiunijs, prolixè orabant, dabant eleemosynas, quin & stolæ lataq; phylac-
 ria mirum quoddam pietatis studium præ se ferebant. Hæc nimirum erant folia, uel ante
 tempus præcocem fructū pollicentia. Sed dominus hoc docere uoluit, nihil esse deplora-
 rius impietate, falsa religionis specie fucata. Hæc ficus meretur execrationē Iesu, ne quis
 foliorū pompa deceptus, ex hoc hominū genere posthac speret ullum fructum suauissime
 charitatis Euangelicæ. Itaq; relicta ficu, quæ nihil cōmeruerat, uentum est Hierosolymam
 quæ ficum habebat moralem, tamdiu frustra altam & stercoreatam, nec aliud producen-
 tem, quàm folia. Quumq; esset ingressus templum, rursus imaginem exhibuit, quæ mo-
 neret, quæ puritas deceat ecclesiam Euangelicam, quæ pectus Christi spiritui dicatum. Si
 quidem ē funiculis contexto flagello, profligauit ē templo turbam ementium ac uenden-
 tium: quin etiam mensas numulariorum, & cathedras uendentium columbas euerit.
 Nec patiebatur, ut quisquam uas aliquod profanum deportaret per templum. Addidit
 Esaiæ testimoniū, ne frustra uideretur indignatus: Nōne, inquit, scriptū est, domus mea
 domus deprecationis uocabitur cunctis gentibus? Vos autem fecistis illam speluncam
 latronum, idem agentes fraudulentia, sub prætextu cultus diuini, quod latrones faciunt
 in itineribus. Non magnopere dominus curabat illius templi, quod cum suis ritibus uo-
 lebat aboleri, puritatem: sed noui templi, cuius ipse futurus erat architecton, insignem pu-
 ritatem nobis cōmendabat: subindicans interim et illud, merito sacerdotes, scribas & pha-
 risæos submouendos à principatu religionis, qui ueterem etiam illam ac figuratā religio-
 nem sua avaricia, fraudulentia, simulatione, omniq; spurcitia genere contaminassent ac
 profanassent. Nunq̃ legitur æque commotus Iesus, nunq̃ æque sauiisse. Quid facturus
 esset, si conspiciat suam sponsam ecclesiā, quam suo sanguine lauit, ut exhiberet sibi pu-
 ram, expertem omnis maculæ ac rugæ, per episcopos ecclesiæ præfectos, omni turpitudi-
 nis genere profanari, uiolari, conspurcari? qui non solum pecudes & columbas, sed om-
 nia sacra habent uenalia, quæ precio nec dari possunt, nec emi. Conspicit haud dubie, tam
 esse dissimulat: nec ideo poenā effugient tales, quia dei lenitas toleret eos ad poenitentiam.
 Nec tetur aliquando, nec tetur terribilis ille funiculus, qui templi sacri uiolatores ejiciat in
 gehennam. Vt autem intelligas, quāta pestis sit sacerdotum ac pharisæorum avaricia: ubi
 hæc uiderunt, qui primas tenebant inter sacerdotes & scribas, ad quos maxima quæstus
 pars redibat, uiam quærunt, qua possent Iesum extinguere. O ficum uere sterilem & exe-
 crabilem. Venditabant sese ut antistites puræ religionis, & indignantur ē templo detur-
 bari templi contaminatores. Aderat impla mens ad parricidium parata, sed quæritur oc-
 casio, per quam quod optabant, tuto perficerent. Soli non poterant amare illum amabi-
 lem Iesum, nulli nocentem, omnibus subuenientem. Tantum metuebant illum, propte-
 ra quod populus suspiceret illius doctrinam, & ob conspecta miracula magnifice de illo
 sentiret

sentiret. O præposteram religionem in religionis professoribus. Tam impio facinore concepto, non metuunt deum ultorem, cui nihil occultum, & populum formidant. Quur non saltem metuunt ipsum Iesum? Viderant & audierant ab eo tot ædita miracula, quæ plane præsentem illi diuinam uirtutem, quoties uolebat, testificabantur. Qui potest profligare dæmonia, multo facilius potest immittere. Qui uerbo reuocat ad uitam exanimés, multo facilius potest uitam eripere. Si credunt tam clementem, ut nolit quenquam, quum possit, lædere, quur talem moliantur occidere? Si credunt, & uelle quod potest, quur non uel metu uindictæ temperant à tam impio consilio? Nimirum hæc erat illa deplorata cæcitas eorum, qui sibi soli uidebantur oculati. Iam ergo quum rursus appeteret nox, Iesus totum diem uersatus in templo ieiunus, relinquit Hierosolymā. Toties relinquit urbem, offensus eorum pertinaci incredulitate: toties repetit, ut aliquem fructum inueniat, in tam magnifica foliorum pompa. Sed utinam execranda ficus tantum fuisset sterilis, nec letale uenenum produxisset. Iesus instante iam mortis tempore, nullum tempus sinit elabi sine fructu. Diem consumit in templo, noctem impendit præcationi, ac priuatim animandis discipulis. Rursus quum mane redeunt e Bethania Hierosolymam, ac præterirent ficum, animaduenerunt discipuli iam arefactam arborem, ab ipsis radicibus usq; ad summum cacumen. Recordatus est Petrus, quid pridie fecisset Iesus, & agnouit ficum quam fuerat execratus, atque admirans quod tota tam subito aruisset radicitus, ait domino: Præceptor, ecce ficus quam execrabaris, iam aruit. Mirabatur hoc Petrus, quum longe maiora uidisset frequenter: uidelicet oblitus, nihil esse tam difficile, quod non possit fides. Ex fide fructus omnis Euangelicus nascitur: ea quoniam deest synagogæ, uidemus quomodo exaruerit. Floret ac germinat gentium ecclesia, tot martyrum coronis, tot uirginum gemmis, tot uirtutum exemplis: quid autem Iudæorum populo deploratius, abiectius, aut sterilius? Vbi nam est legis autoritas? ubi religionis admiranda species? ubi templum? ubi fastus scribarum & phariseorum? An non tota ficus exaruit? Vos igitur, inquit, si florere uultis, habete fiduciam, non in uestris uiribus, sed in deo. Illud pro certo confirmo uobis, si quis certa fiducia de Deo concepta, iusserit arefcere ficum, quod uos factum admiramini, non solum hoc illico fiet, uerum etiam si dixerit huic monti, moue te loco, ac conijce te ipsum in mare: tametsi uidetur admodum impossibile, tamen si dixerit, nihil hæsitans in corde suo, sed concepta in animo certa fiducia futurum quicquid dixerit, fiet quicquid iusserit. Hæc in deum fiducia præstabit, ne quid ab eo frustra petatis. Ideo me sponse confidite, quod quicquid perieritis à patre, nihil addubitantes, quin sit ille quod rogatis largiturus, obtinget uobis, modo mens sit immunis à cupiditate uindictæ, modo rem peratis salutiferam. Nihil impetrat qui diffidit. Etenim qui diffidit, aut credit patrem non posse præstare, quum ille nutu possit omnia: aut non uelle præstare, quod recte petitur. Nihil impetrat & ille; & si confidit, impudenter confidit, qui rogat patrem, ut sibi remittat quæ deliquit in eum, quum ipse nolit remittere fratri, quod in ipsum admisit. Proinde quum cōposueritis uos ad orandum, ex animo remittite, si quis aliqua in re uos læsit: hac cōditiōne pater uester qui in coelis est, remittet uobis peccata uestra. Quod si uos nolitis condonare proximo culpā in uos admissam, nec pater uester coelestis uobis gratiam faciet delictorum in se admissorum. His in uia gestis, rursus perueniunt Hierosolymam: ac Iesus ex more templum adit. Iesus in templo, salus est in ecclesia. Nec alibi magis uersari decet eos, qui Christi uices gerunt, quam in templo. Versantur autem in templo, qui tractant ea quæ sunt dei, non quæ sunt huius mundi. Quid agit episcopus in castris? quid in theatris? quid in principum aulis? Iuxta corpus in templo uersabatur pharisei, scribæ, sacerdotes, ac seniores: iuxta spiritum procul aberant à templo. Ergo qui principatum renebant inter sacerdotes, adiunctis sibi scribis populiq; primoribus, quores uideretur legitimo consilio geri, quum uideret Iesum in templo doctrina sua occupantem aures multitudinis, ac miraculis regnantem uelut in alieno regno (nam & negotiatores eiecerat, ac deferentes uasa per templum excluserat) adeunt illum & interpellant, reflicantes ueterem calumniam, ac dicentes: Qua tandem autoritate facis ista? Et quis tibi dedit istam potestatem? Doctrinam non poterant refellere, miracula nec inficiari poterant tam multa tamq; manifesta, nec calumniari poterant, quum nullum non impendebat seruandis hominibus, idq; gratis. De autoritate uenantur ansam calumniandi: nolēbāt enim

nam hanc gloriam deo tribui, ac suam auctoritatem uolebant ubique polletere plurimum. Si Iesus quem nihil aliud quam hominem esse credebant, sibi uindicasset auctoritatem dei, parata erat blasphemiae calumnia: sin minus, in promptu erat calumnia seditionis, quod auctoritate priuata tantum auderet in templo, sine permisso sacerdotum ac seniorum. Quid autem opus erat mouere quaestionem de auctoritate, quum ipsa facta clamitarent, deo auctore geri quod gerebatur: quum res ipsa loqueretur hunc esse, quem deus olim per prophetas uenturum esse promiserat; quum pater post baptismum sua uoce declarasset hunc esse filium suum unice dilectum, cui deberent obedire: Iam sacerdotum auctoritas, quae perperam utebantur, ad nihil aliud ualebat, quam ad impediendam Dei gloriam: sed horum peruersa uoluntas proficiebat etiam ad illustrandam Dei bonitatem ac potentiam. Iesus itaque quum non esset ignarus, quid illi captarent: quicquid enim respondisset, erant calumniaturi: nec adhuc tempus adesset, ut se profiteretur esse qui erat, percontationem insidiosam prudenti percontatione retudit. Hac, inquit, lege respondebo uestrae interrogationi, si mihi prius ad meam quaestionem responderitis. Ioannis baptismus uirum erat e caelo, an ex hominibus? Expedite mihi hanc quaestionem. Quam facile diuina sapientia capit humanam astutiam, omnibus technis molientem aduersus Dei consilium. Habebant cor plenum humana uersutia, conuocant in pectore dolos omnes: & qui captabant, sentiunt sibi paratos laqueos. Sic enim apud se cogitabant: Si dixerimus e caelo, respondebit: quid igitur non credidistis ei de me testificanti? Si dixerimus ex hominibus: periculum est, ne populus in nos faciat impetum. Nam summa erat apud populum Ioannis auctoritas, ac sancta etiam memoria, quod nemo dubitaret quin uere propheta fuisset. Itaque quanquam erant superbi, tamen pudescere malebant, quam uel reuinci uel lapidari. Proinde Iesu responsum exigenti, dicunt: Nescimus. Iesus quoque par pari respondens, ait illis: Si uos mihi nescitis quod scitis, nec ego dicam uobis per quam auctoritatem faciam, quae facio. Conferte facta mea cum factis illius, & expendite, an si non dubitatum est de illius auctoritate, conueniat de mea dubitare.

CAPUT XII



VM ex hac quaestione utcunque fuissent elapsi sacerdotes, scribae & primores, quoniam senserant insidias, dominus Iesus per enigma proponit eis aliam quaestionem, ad quam dum imprudentes respondunt, & suam ipsorum damnant impietatem, & fatentur auctoritatem, quam hactenus iactabant, merito ad alios transferendam. Sic autem habebat parabola: Quidam plantauit uineam, & circumdederat sepem, ne pateret incursum, ac foderat in ea lacum excipiendo musto, denique extruxerat in ea turrem ad seruandam uineam. Atque ita rebus omnibus affatim instructam, locauit agricolis, moxque peregre profectus est. Quum autem adesset uindemiae tempus, misit ad agricolas illos, quibus locarat uineam, seruum suum, ut a colonis reciperet fructum, quem reddidisset uinea. At illi conspirati seruum apprehensum, uerberibus afflictum, remiserunt uacuum. At Dominus lenis, misit ad illos alterum e seruis suis. Illi uero lenitate domini facti deteriores, coniectis in seruum saxis, comminuerunt illi caput, multisque contumeliis affectum, remiserunt fructu uacuum, sed iniuratum. At lenissimus dominus, ne sic quidem procurrit ad ultionem, sed tertio seruum misit. Hunc etiam occiderunt. Rursus quum alios atque alios misisset, omnes autem occiderunt, aut interfecerunt. Supererat huic unicuique filius, quem tenere diligebat. Itaque ne quid intentatum relinqueret admiranda lenitas, & hunc postremum misit ad colonos. Sic cogitans apud sese: Tametsi contempserint seruos meos, tamen hunc filium meum saltem reuerentur. Sed uicit omnem domini bonitatem colonorum malitia. Vbi uidens adesse filium, conspirant sceleratiore consilio. Hic, inquit, est haeres, uenite, occidamus eum & nostra erit hereditas. Et iniectis in illum manibus eiecerunt e uinea, & eiecum occiderunt. Perorata parabola, dominus rogabat sacerdotes & scribas: Quid igitur faciet dominus uineae talibus colonis? Illi primum non animaduertentes, quo tenderet similitudo, respondent in suum ipsorum caput pronunciantes sententiam: Veniet ipse, & poenas sumet de colonis, ac uineam locabit alijs melioris fidei. Id responsum cum approbasset Iesus, adiecit Psalmi testimonium, ab ipsis, qui legis scientiam profitebantur, exquirens interpretationem. An ne hanc quidem scripturam, inquit, legistis: Lapis quem reprobaue-
runt hi qui aedificabant, hic factus est caput anguli: A domino factum est hoc, & est admirabile

rabile in oculis nostris. Hic expergiscuntur, & intelligunt non latere Iesum scelerata ipsorum consilia, ac inuolucro parabolæ, maliciâ ipsorum insanabilem esse depictam. Commiserat illis deus populum suum, ueluti uineam unice colendam, omnibus rebus quæ ad pietatis disciplinam attinent, diligenter instructam. Ipse perinde quasi peregre agat, passus est illos quæ uellent agere. Sed illi sibi coluere uineam, non domino, ad quem oportebat redire fructum. Cessantes per uarios prophetas admonuit officij sui, sed illi semper in deterius proficiebant: tandem & filium dei unicum Iesum abiecturi è Hierusalem & occisuri, sibi pollicentes extincto illo uineę perpetuam proprietatem, ac dominium ad se transiturum. Sed contra euenturum erat, ut iustissima dei toties sprete uindicta, templum ac religionis dignitas ab eis tolleretur & traderetur apostolis: deinde Iesus quem illi ueluti reprobum lapidem reijciebant à structura Synagoge, deo uolente, præter illorum expectationem electus est, ut esset caput anguli in structura ecclesiæ, ex Iudæis pariter ac gentibus ædificandæ, ut medius & immobilis utrunq; populum uelut utrunq; parietem, contineret in una fide Euangelica. Intelligunt parabolam, agnoscunt prophetiam, nec tamen resipiscunt excæcati maliciâ, sed ob metum populi circumstantis relicto Iesu, abierunt: cuniculis ac technis peracturi, quod palam non poterant. Sceleratissimum autem homicidij genus est, quod sanctitatis ac iusticiæ fucis prætextitur. Ipsi ueluti iam quieti subornant aliquot insigniter impios ex pharisæis & Herodianis, qui inter se dissentiebant in dogmatibus, sed consentiebant in odium Iesu. Ostultam huius mundi sapientiam. Toties uicti, subinde repetunt, ut liqueret ipsos omnibus modis esse uictos, & impares abire diuino consilio. Iam enim tempus erat, ut satanas, qui pridem adortus dominum discesserat inferior, per suos satellites omnes machinas expediret. Adeunt itaq; Iesum histriones subornati, qui captiosa quæstione proposita, uenarentur aliquid ex dictis Iesu, quo possent illum apud Cæsaris præfectum reum peragere. Exordiuntur à blandissimo procemio, quasi falli posset blandimento, qui toties declararat sese nihil nescire. Magister, inquiunt, nouimus te ueridicum esse, neq; te uereri quenquam, sed citra respectum personarum libere, quod uerum est, pronunciare. Nec enim te mouet dignitas aut sublimitas cuiusquam, quem admodum faciunt multi, qui potentibus assentantur, sed contemptis hominibus libere doces, quod deus præcepit. Dic igitur & nobis, licet ne censum pendere Cæsari, an nō licet: Pharisei defendebant populū deo dictum, non oportere tributarium esse prophanis Cæsaribus, & simulachrorum cultoribus. Contra Herodiani ius Cæsaris tuebantur. Et huc tendebat insidiosa præfatiuncula: ut pro pharisæis pronuncians, ab Herodianis deferretur, uelut autor rebellionis aduersus Cæsarem. Iesus autem nequaquam ignorans illorum uersutias, indignans quod non discendi, sed tentandi causa uenissent, ait: Quid mentatis? Proferte mihi denarium, ut uideam. Prolatus est ilico denarius. Libenter enim subseruiunt captioni, qui captatum uenerant. Tum Iesus inspecto denario, dixit: Cuius est hæc imago, & inscriptio? Respondent illi: Cæsaris. Quid est hoc? Iesus, quem nihil fugit, non nouerat imaginē aut titulum Cæsaris, pharisæi & Herodiani nouerūt: nouerat & anteq̃ inspiceret, sed querebatur occasio commodè respondendi captiosæ quæstioni. Parabatur exemplum, quā nō oporteat callere principum negocia, qui se Christi uicarios profitentes, docere debent cœlestia. Nunc audi responsum Christo dignum. Reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt dei, deo. Non improbauit si qui deo dicat sunt, pendāt Cæsari quamlibet impio, quod ob publicam functionem debetur: aut quod per uim exigit, quando iactura pecuniæ non facit nos impios: sed per occasionem admonet quod magis ad rem attinebat, ut deo redderentur, quæ illi debentur. Vile nomisma titulum & imaginem habebat Cæsaris. Si hunc agnoscis, & pendis Cæsari quod debetur, quanto magis reddendum est deo, cuius imaginē gerit omnis homo: In baptismo dei character impressus est animo tuo, quare eum tradis diabolo? Christiani titulo gloriaris: quare non reddis illi quod debes ex professione? Huius responsi prudentiam omnes sunt admirati. Impositum est silentium duabus Iudæorum sectis unico dicto. His successit factio ad eum Sadduceorum, quæ negat esse resurrectionem corporum, sed totum hominem affirmat mori perire: nec ullum spiritum esse credit, in hoc dissentiens à Pharisæis. Habent & illi crassi captiosam quæstionem, qua tentent diuinam sapientiam. Iesus tum quidem gerebat personam idiotę: sed quod in illo erat infimum, sublimius erat eo, quod in hominibus est.

est summum. Sic autem adoriuntur: Magister, Moses in libro Deuteronomij reliquit nobis hanc legem, ut si quis uxore ducta decesserit absque liberis, frater defuncti ætate proximus ducat uiduam, & ex ea gignat prolem, quæ defuncti nomen ferat. Quod si is quoque decesserit orbus, frater, qui natu proximus est, succedat in fratris uices. Euenit autem ut e septem fratribus qui natu maximus erat, duceret uxorem. Is decessit absque liberis. Huic qui natu proximus erat, iuxta legis præscriptum successit, & uxorem relictam duxit domum. Et hoc absque liberis defuncto successit tertius frater: & post hunc item ceteri usque ad septimum. Omnes alius post alium duxerant eam uxorem, omnes sine liberis defuncti sunt. Tandem & mulier ipsa defuncta est. Itaque quum uenerit tempus resurrectionis, ac fratres septem reuixerint, unà cum muliere, quis eam sibi uindicabit uxorem? Nam septem ex æquo nupta fuit quum uiueret. Ex huius casus absurditate Sadducæi putabant seriditulum & absurdam faciuros resurrectionem mortuorum, si ob uxorem omnibus communem, lis inter fratres oriretur. Iesus autem non grauatus est eorum crassitudinem docere, dicens: An non ista percontatio declarat uos tota errare uia, propterea quod non intelligitis scripturas, neque uirtutem dei? Scriptura spiritualis est: & deus qui condidit hominem quum nihil esset, potest eundem quum uolet ex mortuo uiuum reddere. Non solum autem reuocabit ad uitam mortuos: uerum etiam donabit eos immortalitate. Porro coniugium ad hoc repertum est inter mortales, ut quod per se perpetuum non est, aliud ex alio propagando propagetur. Cæterum ubi nullæ sunt uices nascentium ac morientium, quid opus est matrimonio. Cum enim resurrexerint à mortuis, neque quisquam ducet uxorem, neque quisquam locabit filiam nuptum: sed quemadmodum angeli dei in cœlis, quoniam inter eos nulla est mortalitas, nesciunt usum matrimonij, sic erunt qui reuiuiscunt in resurrectione, iam corpore spirituali ac immortalis, similes angelis effecti. Porro mortuos resurgere, quo modo uobis absurdum uidetur? Nonne legistis in sacris libris, quorum uobis est sacrosancta autoritas, quibus uerbis usus sit deus rubo loquens ad Moysen? Ego sum deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob. Illi iam mortui erant, & tamen se uocat illorum deum. Viuunt igitur etiam mortui, propter superstites animas. Quæ si supersunt, quid magnum est eas in pristini corporis domicilium reuocare? Quod si prorsus interierunt, absurdum dicitur deus mortuorum. Quemadmodum nemo se gloriatur esse regem eorum, qui non sunt: ita deus uiuentium deus est, non mortuorum. Vos igitur Sadducæi uehementer erratis, nihil aliud imaginantes futurum in illa uita, quam in hac cernitis. Verius ac felicitus sunt ea, quæ non cernuntur, quam quæ uidentur oculis corporeis. Nihil enim deo uerius est, & tamen hic non cernitur, sed sentitur. Nondum tentandi finis. Sadducæis succedunt pharisæi & scribæ. His animos addiderat, Sadducæis exprobrata legis inscitia. Nam scribæ & pharisæi legis cognitione præ cæteris se iactant, & à Sadducæis dissentientes, credunt esse angelos & spiritus, credunt animas hominum à morte corporum superstites esse: denique credunt fore resurrectionem. Hi gaudentes refutatos Sadducæos, & Iesum ex ipso tum sententia respondisse, uelut eruditi per scribam quendam ad id subornatum, proponunt eximiam questionem ex intimis legis arcanis. Interrogant eum quod esset præcipuum ac maximum in lege præceptum. Iesus autem incontanter illis respondit ex libro Deuteronomij: Audi Israel, dominus deus tuus, deus unus est. Et diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota uirtute tua: hoc est præcipuum ac maximum præceptum. Huic proximum illud est: Diliges proximum tuum non secus ac teipsum. His duobus mandatis non est aliud maius, quoniam toti uel legis summam completitur. Hoc audito scriba dixit: Recte uereque respondisti, quod unus sit deus, nec sit alius præter eum: & quod hunc diligere ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex totis uiribus, maius est holocaustomatis, reliquisque sacrificijs. Iesus autem uidens quod cordate respondisset, dixit illi: Haud procul abes à regno dei. Siquidem pietas Euangelica sita non est in uictimis pecudum, sed in puritate spiritus. Ab hoc intellectu non multum abest, qui quod est spirituale ac simplex, præfert omnibus alijs præceptis, quæ figuram habent ueræ pietatis potius, quam rem. Contra, Iudæorum uulgus summam pietatem collocabat in his, quæ uidentur oculis, in lotionibus, in obseruatione sabbati, in delectu ciborum, in donarijs, in sacrificijs, in diebus festis, in ieiunijs, in prolixis precibus. Quisquis ex toto corde diligit deum propter ipsum, qui nunquam potest satis diligi, quique

*Et nemo iam
audebat eum
interrogare*

quicq; proximum diligit propter deum, abunde sacrificauit. Quum ubiq; uicisset sapientia Iesu, destiterunt à tentando, ne plus etiã dedecoris referrent, teste populo. Habebant Iesum pro idiota, ipsi magnificis titulis, tragicoq; cultu tantum non pro dijs se gerebant apud imperitam multitudinem. Verum Euangelica sapientia non est sita in multitudine literarum, sed in sinceritate spiritus. Quod Iesus erat inter scribas & pharisæos, sacerdotum, ac primores populi, post fuerunt apostoli rudes inter philosophos ac principes. Quamquam igitur illi cessabant à tentando, Iesus tamen non cessabat à docendo. Quum enim omnibus collectis quæstionem proposuisset, cuius filius esset Messias, quem expectabāt & ex prophetis respondissent, Dauid, mouit scrupulū omnibus insolubilem. Qui consistit, inquires, ut Messias sit filius Dauid, quandoquidem ipse Dauid afflatus spiritu sancto, sic loquitur in psalmo: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? Quum maior sit autoritas progenitorum quam nepotum, quomodo Dauid ex se nasciturum appellat dominum suum, ueluti si pater filium uocet dominum? Hoc mysterium nondum intelligebant scribæ & pharisæi, qui spiritum habebant carnis. Dauid autem afflatus spiritu cœlesti, uidebat in Christo nondum nato, quiddam malus homine, quum ipse nihil aliud esset quam homo. Obtercentibus scribis & pharisæis, pleraque multitudo fauebat Iesu, eumq; libenter audiebat differentem. Quam quum uideret sanabilem, sacerdotes autem, scribas & pharisæos desti nata malicia tendere quò cœperant, cœpit eos palam apud populum traducere: non ut illis obtrectaret, sed ne posthac populum fallerent, detraxit illis falsæ pietatis ac sanctimonie personam. Iam enim tempus ita postulabat: itaq; depromens suam illam doctrinam, hoc est, liberam nulliq; palpantem, aiebat: Cauete ne uos fallat magnifica species scribarum & pharisæorum: non student uestre salutis, sed sue gloriæ. Cupiunt enim, ut magni uideantur, ambulare in uestibus ad talos usque demissis, uenanturq; salutationes in foro, captantq; primorum sedilium honorem in confessibus, & in conuiujs primum locum in acubitu. Habent prolixas preces, quo uideantur esse cæteris religiosiores. His fucis captant uiduas beatas, sed simplices, non uno nomine fraudi idoneas: uel quia sexus est infirmior, uel quia uiduæ sunt, maritorum patrocinio destitutæ, uel quia diuites sunt. His sese ingerunt ueluti patronos ac tutores, fictaq; religione totas illarum domos deuorant. Adeo nihil illis proderit ista simulata religionis species, ut grauius etiam sint à deo condemnandæ, quod maliciam suam obnubilarint fucis sanctimonie. Ab his itaq; cauete, ne fallamini. His peractis Iesus conferebat sese in eam templi partem, in quo erat gazophylacium, in quo seruabantur donaria sacra: sedensq; e regione gazophylacij, spectabat eos qui donaria conijciebant in gazophylacium. Ac multi diuites conijciebant ingentia munera. Hos sacerdotes ueluti cæteris sanctiores haberi uolebant, pietatem illorum ex doni modo metientes. Interea accessit & mulier quædam uidua paupercula. Ea misit duos minutulos nummos, qui efficiunt unum quadrantem. Nullus erat, qui non diuites illos huic mulierculæ tenui præferret. Sed longe discrepat Iesu iudicium à iudicio scribarum & pharisæorum, id noluit latere discipulos suos. Pro comperto, inquit, dico uobis, quod hæc uidua quâlibet tenuis, plus dedit in gazophylacium, q̃ cæteri omnes qui uidentur liberalissimi me dedisse. Nam cæteri dederunt ex eo quod ipsis abundabat. Multū dederunt, sed plus sibi seruarūt. Hæc autem ex inopia sua facultates suas uniuersas largita est, nihil sibi reseruans. Non enim deus æstimat donarium ex modo rei, sed ex affectu mentis. Tali uidua delectatur Iesus huius sponsus & consolator esse dignatur. Synagoga ueluti fastuosa matrona iactat opulentiam iustitiæ suæ, ostentat diuitem mundum bonorum operum. Gloriat de marito Mose, cui nunquam fuit morigera: uenditat se de prophetis filijs, quos omnes impioparricidio uel occidit, uel certe afflixit. Semper habet in ore templum domini, legem dei, patriarchas, Abraham, Isaac, Iacob, Israel. Stipata incedit sacerdotibus, scribis, & pharisæis. At ecclesia uelut paupercula uidua nihil habet quod ostendet, agnoscit inopiam bonorum operum, & tamen hoc ipsum quod habet, totum deo dedicat. Iam quid tali uidua potest esse pauperius, quæ sibi nihil facit reliquum? Mosē non agnoscit maritum, quia circumcisionem nescit, quia uictimas pecudum abominatur, contenta seipsam totam immolasse. Sponsus autem dominus, quoniam relictis terris redijt in cœlum, uidetur destituisse uiduam suam, quæ nunc à Iudæis ac gentibus uelut omni præsidio destituta spoliatur

solatur, eijcitur in exiliū, protruditur in carcerē, affligitur & opprimitur. Audit quod
die, ubi est sponsus tuus? Videtur peritura fame, quę tam pusillū habuerit: & hoc ipsum
quod habebat, abiecerit: uidetur propediem intermoritura cum probro sterilitatis, quę
maritum perdiderit. Sed hanc iuxta mundum deploratam uiduam consolatur Esaias. La
te, inquit, sterilis, quę non paris: erumpe & clama quę nō parturis, quia plures filij de
scendunt, q̄ eius quę uirum habet. An non uidemus hoc uaticinium impleri? Esurit & emori
tur synagoga, propagatur ac dilatatur ecclesia, triumphās in martyribus, florens in uirgi
nibus, exultans in tot milibus cōfessorum. Non habet quadrantem ex suis opibus, sed ex
sponsi sui diuitijs habet aurum probātū ac purum: habet gemmas inestimabiles. Per syn
agoga enim fiduciam erga diuitem spōsum, habet quicquid habet ille. Synagoga, tamen
uideretur multum elargiri deo, tamen sibi plus satis reseruabat. Vis uidere synagogā lar
gentem? Audi pharisæum precantem. Gratiās ago tibi domine quod nō sum talis, qua
les homines ceteri. Nunc uide quantum sibi seruet: ieiuno bis in sabbato, decimas omni
um bonorum meorū do pauperibus. Iam contra contemplare mihi uiduę speciem. Tum
dispectus suū, non audet oculos in cœlum tollere, tantū clamat: Deus propicius esto mi
hi peccatrici. Synagoga dum suam iactat iusticiam, nec suam habet iustitiam, nec dei. Ec
clesia dum abdicat ab sese omnem iustitię gloriā, & iniustitiā suā agnoscit, sponsi iu
sticiā ditescit.

CAP V T XIII

Nihil illic placuit Iesu in templo, præter pauperēculam uiduam, in quo nihil ali
ud erat quā adumbrata religio. Nos quoque, qui Iesu discipulos profite
mur, exeamus ē templo Iudaico, abijciamus fiduciam operum carnalium,
ac iusticiam quę per fidem Euangelicam est, amplectamur. Itaq; discedit il
linc, aliud templum nobis excitaturus, uere sanctū ac spirituale, structuram
solidam ac firmam, aduersus quam nec inferorum portę forent præualitura. Quum au
tem egressus esset, quidam ē discipulis ait illi: Pæceptor, uide quā ingentes sint lapides
huius templi, quāq; firma structura, subsignificans opus esse firmius, quā ut ulla uetu
stas posset collabi. O Iudaicos oculos. Foris lapides admirantur, hominum manu con
gestos, quasi tali structura delectetur Iesus. Iesus autē illi respondit: Vides hanc magnā
& opusculam substructionem? Veniet tempus, quo nec lapis lapidi hærens reliquus fiet,
quod destruat: tantum abest ut hæc structura sit futura perennis. Iam desiderio templi
spiritualis, nihil non fastidit & contemnit Iesus, quod oculis corporalibus cernitur. Por
ro quum sederet in ea parte montis oliuarum, in quo tum elegerat nocturnum diuersō
rium, unde templū erat in prospectu, renouata est discipulis memoria sermonis, quo præ
dixerat fore, ut templum funditus dirueretur. Suspiciabatur enim diruto templo, iam uen
turum regnum dei, de quo non desinunt somnare. Adeunt igitur Iesum ita sedentem se
cundo quatuor ē discipulis, Petrus, Iacobus, Ioannes, & Andreas, hoc agentes, ut quemad
modum transfigurationis arcanum paucis seorsum crediderat, ita de tempore uenturi re
gni paucis communicaret, quod alijs omnibus crediturus non esset. Dicunt itaq;: Dic no
bis quando fient ista, & quo signo poterimus deprehendere iam adesse tempus illud: Do
minus autem, qui suis exemerat solitudinem uicis, libidinem uindictę, prouidentiam
soluit & curiositatem cognoscendi, quę ad salutem non pertinent, eximere. Itaq; ser
monem temperat, ut significet excidium urbis Hierosolymorum aliquando futurum, ac
postea ipsum graues persecutionum procellas coarcturas aduersus Euangelij præ
dicatorem, ac uenturum aliquando finem huius mundi. Sed quemadmodum omnibus expe
dit hoc scire, quod aliquando finient hanc uitam, ut semper in eum diem sese præparent:
non debet esse persuasum discipulis, uenturum tempus, quo rediret iudex uiuorum &
mortuorum, ceterum quando id uenturum esset, quoniam non expediebat, sciri nolebat.
Ergo itaque de rebus sic exorsus est Iesus: Cauete ne quis uos seducat. Sūt enim multi uen
turi, qui sibi nomen meum uindicabunt, quorum unusquisq; mentietur se esse Christum,
et hoc præstigio multis incautis imponent: Magni orbis tumultus arguent instare meū
aduentum, ac finem huius mundi. Ceterum non oportet uos statim ad excitata bella, aut
ad fauos rumores excitandorum statim ita cōturbari, quasi iam adsit tempus illud. Sunt
enim & hæc uentura, sed non continuo sequetur finis mundi. Hęc præludia diutaxat
erunt mundi finiendi, quemadmodum in senili corpore, crebri morbi prædicunt breuē

collapsurum. Temperatura qualitatum seruatrix est bonæ ualitudinis. Cæterum, ubi
 his inter se pugnantibus concutitur corpus, argumentum est imminere mundi interitum.
 Coorietur enim gens aduersus gentem, regnum aduersus regnum, & copijs ingentibus
 in mutuum ruent exitium. Quin & terra ipsa, uelut indignata tam impios homines su-
 stinere & alere, motibus concutietur. Itaque passim erit fames, terra negante alimoniam.
 Quin & aer, uelut indignans impijs uita & halitu indignis, pestilens erit ac letalis. Ha-
 iusmodi multa quum uideritis exoriri, ne protinus expectetis finem. Erunt enim hæc tan-
 tum exordium ac procæmium uenturæ calamitatis. Ne uos quidem eritis immunes ab
 his malis: quare cauete uobis, ne quid inopinantes obruat. Pertrahent enim uos reos
 in concilia & synagogas, & coram regibus ac præsidibus sistemini, causam dicturi de
 capite, non ob aliquod maleficiū, sed duntaxat ob nominis mei professionem, ut pa-
 tefiat illos merito reiectos a regno dei, qui præcones regni sic affixerint. Verum hæc ni-
 hil perturbent animos uestros. Nihil efficiet aduersus Euangelij profectum, impiorum
 fauitia. Neque quisquam uos extinguere poterit ante diem. Non enim ueniet finis mun-
 di, prius quàm Euangelium prædicatum fuerit per uniuersas orbis nationes. Nihil igitur
 opus, ut ulla mundi huius præsidia paretis aduersus persecutorum uiolentiam: aut sol-
 liciti sitis, quomodo possitis ex illorum iudicijs elabi. Vocati in ius, ite, ne uideamini pu-
 blicam auctoritatem aspernari: nam & hoc profuerit ad Euangelij propagationem: cæ-
 terum ituri, ne sitis solliciti, meditantes quid aut quomodo loquamini, rudes legum, & fo-
 rensiū actionum imperiti, quemadmodum solet hominum uulgus, qui rhetores, aduo-
 catos, ac patronos adhibent in causis agendis: sed quicquid tum uobis suggererit ani-
 mus id loquamini. Nec enim uos eritis autores sermonis, sed organa tantum: spiritus au-
 tem sanctus loquetur per uos, quæ conducent euangelico negotio. Cæterum huiusmo-
 di persecutiones, non solum expectandæ sunt ab alienis & hostibus, uerum etiam ab
 amicis & cognatis. Frater enim fratrem pertrahet in ius, & capitis accerset, contempto
 naturali affectu: & pater filium præter naturæ pietatem. Quin & filij uicissim erigent sese
 aduersus parentes, & ad mortem adigent. Et quum nemini noceatis, sed offeratis salutis
 nuncium omnibus, tamen eritis omnibus inuisi qui mundum hunc diligunt, ob mei no-
 minis quod prædicabitis inuidiam. Cæterum in his malis opus erit perseveranti animo.
 Quisquis enim perstiterit in bene cœptis usque ad finem, hic saluus erit, eo quod nulla ca-
 lamitas perdere ualet constanti pectore fidentem Euangelio. Quod si signum queritis
 imminenti extremæ calamitatis, ubi uideritis abominationem desolatricem, stantem in
 loco quo non decet, qui legit Danielis prophetiam, intelligat. Iam enim tempus adert,
 ut omiſſis omnibus sibi quisque fuga consulat: ac salutem non ex præsijs, sed ex fugæ
 celeritate petat. Tunc qui in Iudæa sunt florētissima parte, celeberrimaq; regionis, fugiant
 in deserta montium. Quod si quem hæc calamitas deprehenderit in tectis, ne descendat
 in domum, nec ingrediatur in conclaue, aut cubiculum, ut aliquid inde secum auferat, sed
 tantum ut repertus est fugiat. Et si quis id temporis fuerit nudus in agro laborans, ne re-
 currat domum sublaturus pallium suum, sed recta profugiat aliquò. Tanta futura est ce-
 leritas inundantis calamitatis. Proinde uæ tum grauidis & lactantibus, quoniam illas na-
 tura non finit onus abijcere, has prohibet pietas. Et unica salutis uia erit, fugisse sine mor-
 ra. Proinde illud orate deum, ne calamitas hæc incidat hyeme uel sabbato. Neque enim
 celeriter modo, uerum etiam procul aufugiendum erit. At hyems ob diei breuitatem ad
 longius fugiendum inutilis est. Et sabbato longius iter facere religio uetat. Quæ hæcenus
 differuit dominus, sic dicta sunt, ut partim ad excidium urbis Hierosolymorum: partim
 ad tempora persecutionum, quæ lapidato Stephano potissimum incruduerunt: par-
 tim ad extremum mundi finem pertinere uideantur. Neque tamen non subest tropolo-
 gia, quæ docet nos ab omnibus humanis impedimentis expeditos, semper oportere ex-
 pectare diem illum, qui nos deo sistet iudicandos. In eum non potest paratus esse, qui uel
 ob temporalium rerum amorem, uel ob affectus carnis, hoc est, amorem parentum, uxo-
 ris aut liberorum reuocatur in periculum salutis æternæ. Vase onustus est, qui diuitijs
 impeditus, cessat agere quæ sunt salutis æternæ. Pallio grauatur, qui ob curam corporis
 negligit uitam animæ. Infantis onere tardior est, qui propter affectus naturæ non rece-
 dit ab his, quæ scit esse modis omnibus fugienda: nec properat ad ea, quæ nouit omni-
 bus

In testimoniū
 illis

Tradet autē
 frater fratri

bus remoris abruptis expetenda. Hyems fugientes occupat, qui propter exiguitatem lucis, quam præbet fides, & charitatem quæ refrigit in ipsis, non pertendunt gnauiter quod cœperant. Porro sabbati supersticiosa obseruatio illos pertrahit in periculum, qui dum præpostero iudicio illic trepidant timore, ubi non erat timor, non metuunt illa, quæ cum primis oportebat formidare: uelut ubi quis ne uiolēt hominis constitutionem, dei præceptum negligit. Nam Iudæorum sabbatum ob salutem hominis recte contemni palam docuit ipse dominus. Porro quæ subiecit, magis uidentur pertinere ad supremum mundi diem, quem præueniet ingens omnium rerum tumultus, ob aduentum antichristi. Erunt, inquit, illi dies tam undique calamitosi, ut similis afflictio non fuerit à rebus conditis usque ad hunc diem, nec post futura sit. Quod si hæc afflictio, quemadmodum erit facta, sic etiam esset diuturna, non euaderet saluus quisquam mortalium. Sed dei clementia uoluit eam tempestatem esse breuem, propter eos quos delegit ad uitam æternam. Ex his enim neminem perire patietur, quæcunque insurrexerit malorum procella. Quare non est quod sibi quisquam timeat, modo perseueret in fide Euangelica, uelut ad sacram ancoram. Nulla uis prosternet mihi constanter fidentes. Tantum cauete ne pro me alium Christum amplectamini. Plus erit periculi ab impostoribus, quam à persecutoribus. Exorientur enim in illis diebus pseudochristi, qui sibi meum nomen, meamque personam falso uindicabunt. Exorientur & pseudoprophete, qui fucata sanctimonie specie, se mentientur esse prophetas: magicisque prodigijs ac dæmonum arte adumbratis miraculis imitabuntur prophetas ac me, sic ut eiusmodi præstigijs falli possint, si qua uis ualeat aduersus deum, etiam electi. Itaque si quis uobis dixerit: ecce hic est Christus, ne credideritis: aut si quis alio reuocans, dixerit: ecce hic est, quemcunque locum uobis demonstrauerit, quamcunque speciem, aut cultum, nolite credere. Christus enim ubi semel terras reliquerit, non poterit ostendi digitis, sed in animis latebit, & ex his indicijs agnosceatur, si cuius uita referat Christi doctrinam. Caterum in fine mundi, Christus non ueniet quemadmodum nunc uenit, sed subito præter omnium expectationem ostendet sese fulguris in morem è sublimi, terribilis impijs, qui conspicientur in ignem æternum: amabilis pijs, qui uocabuntur ad cœlestis regni consortium. Vos igitur si incideritis in hæc tempora, cauete ne pro me Christum aliquem euentitum amplectamini. Ecce prædixi uobis omnia. Superest ut memineritis. Verum posteaquam extiterint illæ calamitates bellorum, persecutionum, famis, pestilentie, terræmotuum: succedent & alia portenta è cœlis profecta, uelut omnibus elementis in ultionem impiorum excandescensibus. Nam sol luminis fons obtenebrescet, uelut exprobrans impijs suam cæcitatem, qui solem illum æternum uidere noluerint, nec luna reddet splendorem à sole mutuum, quæ noctis tenebras solet discutere. Ad hæc uidebuntur & stellæ cœlo decedentes in terram, quæ tot seculis illic affixæ fuerant, in usum humani generis. Quin & cœlorum uirtutes, quarum potentia miranda illa corpora seruauerunt à deo præscriptos cursus, ac functiones suas ab orbe condito, concutientur. Tantus erit terror imminētis iudicij supremi. His peractis, subito uidebunt omnes qui uixerint filium hominis nunc humilem & contemptum, emicantem in altissimis nubibus cum potestate multa & gloria patris, & numeris angelorum copijs. Tunc emittet angelos suos, qui nullum electum patientur abesse, sed omnes undique colligent, seu uiuos seu mortuos, subito in uitam reuocandos, omnia mystici corporis membra suo capiti aggregaturi, ut qui fuerant consortes afflictionis, ob Euangelium, consortes sint æternæ felicitatis. Nec refert quod deuolarint animæ piorum, quod proiecta fuerint corpora, reperientur ab angelis, & colligentur à quatuor mundi plagis, rursus à summo polo cœli usque ad imum. Suo quæque anima corpori iungentur, & suo capiti sociabuntur omnes pariter electi. Porro ne uos omnino imparatos operiamur hoc tempus, ex coniecturis quibusdam diuinare licebit iam instare, non aliter quæ ex arbore ficu colligere licet uenturam æstatem. Quum enim rami huius arboris cœperint tenerescere, uelut parturientes grossos, iamque frondes eruperint, cognoscitis æstatem non procul abesse. Sed multo certius est uenturum illum diem, quam certum est æstatem hyemi succedere. Illud affirmo uobis, hæc ætas non præterierit, quin hæc omnia sint euentura. Nihil est in rebus corporalibus cœlo firmitus, nihil immobilius terra: uerum & cœlum & terra citius mutatura sunt naturam suam, quam uerba mea futura sint inania. Ne

uero uobis curæ sit, ut certo sciatis diem illum supremum, quando nec angelis datum est hoc scire, nec ipsi filio: sed quoniam pater sic intelligebat expedire salutem uestram, sibi uni seruauit hoc arcanum. Certissimum habete, uenturum: ne querite quando, ne obrepat securitas. Semper caute, semper uigilate, semper orate, nescientes quando futurum est ut dies ille terribilis ingruat. Cauebitis, si nullis huius mundi praesidijs, si nulli humanæ creaturæ fidei, sed toti ex me meisque præceptis pendebitis. Vigilabitis, si per abstinentiam luxus, & omnium corporis uoluptatum, toto pectore studebitis sanctimonie spiritus. Orabitis, si flagrantibus animis inhabetis ad ea, quæ promissa sunt in Euangelica professione perseverantibus. Habet satanas artes suas, quibus imponat etiam oculis. Aduersus has adhibenda est serpentis prudentia. Habet mundus & caro suas illecebras, quibus sic delinunt animos incogitantium, ut illis uelut somnus obrepat securitas & obliuio rerum æternarum. Ex quibus nascitur regni coelestis uel contemptus uel desperatio. Non destituet suos electos deus, sed amat uigiles & attentos: sic tamen ut quum omnia præstiterint, quæ possunt humano studio præstari, orent nihilo secius: intelligentes & initium & progressum & summam æternæ felicitatis esse diuini muneris. Sic ad uigilate, quasi uos deus ad tempus destituerit: sic orate, quasi sine illo frustra sit futurum quicquid conemini. Hanc doctrinam quo dominus Iesus altius infingeret animis discipulorum, adiecit & similitudinem ad rem appositam. Vbi reliquero uos perinde gerite uos, ut facerent serui fideles ac prudentes, quibus dominus peregre profecturus commisit autoritatem administrandæ rei familiaris, & suum cuique distribuit opus ac functionem. Porro aduersus nocturnum furem, ianitori mandauit ut uigilaret. Hi quoniam incerti sunt, quando sit rediturus dominus, dant operam ut semper in officio sint, ut quocumque tempore contingat redire dominum, offendant ipsos uigilantes. Certius autem est uobis me rediturum esse, quam illis rediturum dominum. Potest enim aliquid incidere, ut peregre moriatur. Sed certo certius est me rediturum, tametsi uobis incerto die. Proinde facite uos, quod serui faciunt frugi. Vigilate semper expectantes reditum meum. Nescitis enim quando dominus uenturus sit, sero an nocte intempesta, an gallicinio, an diluculo: ne si uenerit repente, sicuti ueniet, offendant uos dormitantes & in officio cessantes. Quod autem uobis dico, per uos omnibus dico, quicumque nascituri sunt usque ad finem mundi, uigilate. Nulli non uigilandum, qui uelit esse saluus. Cuius suum opus præstandum, quod commissum est à domino, sed præcipue ianitori uigilandum, qui toti uigilat familie. Etiam si quando dormitet populus, non uacat dormire pastori. Porro tota hæc uita, quæ non habet certum discrimen bonorum ac malorum, & in qua plurimum est ignorantie, lucis & minimum, nox est si conferatur ad uitam futuram. Quanquam autem in fine mundi dominus semel ueniet omnibus, tamen singulo cuique uenit quum adest mortis tempus. In hunc igitur, quoniam eque incertus est, priuatim cuique uigilandum est. Quibusdam enim uenit sero, uelut in adolescentia: quibusdam intempesta nocte, uelut in florentissima ætate: quibusdam in gallicinio, puta in senectute. Nec uiribus, nec ætati fidendum. Omnibus ex æquo incertus est mortis dies.

CAPUT XIII



Am uero propius aberat ille sacratissimus paschæ dies, hoc est, phase, quod Hebræis transitum sonat, quo nos sacrosanctus cruor agni immaculati liberaturus erat ab ultione gladij extinctoris, ac eductos ex Aegypto per mare rubrum, perque desertum huius mundi, perducturus in coelestem Hierosolymam, in terram lacte ac melle manantem. Nam Iudæorum phase, quod illi summa religione quotannis celebrant, nihil aliud erat, quam huius uictimæ umbra. Quemadmodum & illud, quod his diebus Iudæi temperabant à panibus fermentatis, nos ad Euangelicæ puritatis sinceritatem adhortantes. Is dies post biduum erat futurus, quem illi parascueu appellant. At primores sacerdotum, & scribæ, quam religiose se se parabant ad celebrandum phase corporale, tam irreligiose festinabant imprudentes immolare uerum illum agnum, quem solennis illa uictima tot seculis designarat. Iam enim certum consilium conceperant occidendi Iesum, sed quoniam id palam non audebant ob populi metum, uisum est ut per dolum illi manus injicerent, & occiderent. Huic consilio maxime conueniebat ille dies, quo res noui testamenti, ueteris testamenti figuræ responderet. Non delegerant illi diem hunc, sed æterno patris consilio fuerat huic uictimæ

dimæ destinatus. Siquidem illi conferentes inter sese consilia de occidendo Iesu, dicebant: Non in die festo, ne tumultus exoritur in populo. Iudaica nimirum religio est, homines uereri, quum deum non uereantur. Iesus autem sciens adesse tempus, quo patri uisum erat peragi sacrificium illud æternum, non recedit ab Hierosolyma, ne loco deesset præfinito. Quum igitur Bethania cum amiculis suis conuiuium ageret in ædibus Simonis, cui cognomen erat leproso, unus e conuiuiis erat Lazarus. Agnoscis in eadem domo concors & amicum sodalitiū ecclesiæ, quam Christus immundam suo purgavit sanguine, quam mortuam ob peccata, sua morte uiuificauit. Cum talibus Iesus amat accumbere, potius quàm cum sacerdotibus ac pharisæis, qui sibi puri ac uiui uidebantur, quum id essent animo, quod Simon ille fuerat, quod fuerat Lazarus. Inter conuiuium autem ingressa est mulier quædam, habens alabastrum plenum unguenti exquisiti preciosi, ex nardo pistica, fractoque alabaistro effudit in caput accumbentis domini. Tali unguento iuxta spiritum amat perfundi Iesus, qui mundi delicijs nunquam est delectatus. Huius in sponsum suum dilectum prodiga est ecclesiæ. Quicquid habet preciosi, non seruat sibi, sed effundit in caput Iesu, cui debetur omnis gloria. Latissime per orbem patet ecclesiæ domus, uerum huius unguenti fragrantia repleuit uniuersam domum. Hoc odore trahuntur multi, ut ambiant in eam domum admitti, ubi cum amicis suis accumbit Iesus. At non desunt qui inuideant & obstrepant Iesu delicijs, nimirum Iudæi, qui magis quærunt quæ sunt ipsorum, quàm quæ Iesu Christi. Sic enim ex discipulis adhuc carnem sapientibus quidam, sed præcipue Iudas Iscariotes obstreperit, indignans apud sese, & obmurmurans: Quorsum attinebat huius unguenti tam exquisiti iacturam fieri? Poterat enim uendi trecentis denarijs, eo quæ precio multis pauperibus subueniri. Adeoque cruciabat illos huius unguenti dispendium, ut infremerent aduersus mulierem pie prodigam. Bene perit, quod impenditur gloriæ Christi: Imò nihil minus perit. Synagoga Christo parca est, sibi prodiga. Contra ecclesiæ non æstimat, quod habet à Christo, sed hoc totum quod habet, comminuto uasculo temere effundit in caput sponsi sui. Placebat autem uidua pauperula, quæ quadrantem coniecit in Gazophylacium. Placet & hæc quæ preciosi unguenti iacturam fecit. Illa agnoscens tenuitatem suam, hoc ipsum, quod habebat, totum effudit: hæc domini ex benignitate iam diues, non solum quod habebat impendit Iesu, sed uasculi quoque iacturam fecit. Illa impendit uictum: hæc etiam corpus & animam, sperire posset, quod impenditur Iesu. Vbi nunc sunt, qui murmurant aduersus profusionem gratam auctori gratiæ? Dat ipse de suo largiter, ut odor benignitatis ipsius latius spargatur. Nihil postulat præmij, hic tantum ambitiosus est. Vult agnosci suam beneficentiam, non quod egeat hac laude, sed per hanc placuit illi largiri nobis suas diuitias. Sed aduersus obmurmurantes discipulos, mulieris piam sedulitatem tuetur dominus, cui uni probari satis est. Quis, inquit, negocium facestis huic mulieri? Sinite illam obsequi animo suo. Bonum opus operata est erga me. Nam quod auaritiâ, pauperum subleuandorum titulo prætextitis, pauperi impensum est, quod mihi impenditur. Vulgares autem istos pauperes semper habebitis uobiscum, quibus licebit benefacere, quoties uolueritis: me uero non semper habebitis, ut officijs huiusmodi corporalibus possitis de me mereri. Semel hoc honoris impensum est mihi, & quod factum est, non factum est, ut exemplum trahatur ad multos iuxta carnem reficiendos, sed ut ab omnibus iuxta spiritum exhiberetur. Hæc quid faciat, nescit. Tamen pia sedulitate, quod potest, facit. Instat mors, cupiet tunc ungere corpus meum sepeliendum. Id quoniam tum non licebit, anteuertit: & nunc impendit honorem, quem mortuo non poterit. Cæterum huius mulieris pietas, cuius obstrepitis, adeo non carebit laude sua, ut quum mors mea per Euangelium celebrata fuerit per omnes orbis regiones, simul & huius mulieris memoria celebranda sit, quæ mortem meam antequam morerer tali munere honorarit. His dictis dominus discipulorum suorum murmur compescuit. Cæterum Iudas Iscariotes unus e numero duodecim, qui communem pecuniâ mala fide dispensabat, non tulit huius unguenti iacturam, sed abiit ad summos sacerdotes, ut proderet illis Iesum. Nec enim fugiebat illum, illos hoc agitare, ut Iesum arte caperent. Hoc audito gauisi sunt illi. Placuit auctor sceleris domesticus Iesu. Conuentum est de precio. Et inuenitur mutua fides in tam impio consilio, quæ rara est in pactis honestis. Credidit Iudas simplici promisso sacerdotum absque

tabulis ac testibus, absque sponfore aut uade. Cogitat apud sese quo pacto posset Iesum prodere sacerdotibus ac scribis ex ipsorum animi sententia, hoc est, loco ac tempore commodo, ne quid oriretur tumultus. Nam hæc in pacto intercesserat conditio. Interea dum Iudas & sacerdotes de perdendo Iesu consultant, ille salutis humanæ negocium agit. Iam uenerat primus dies azymorum, quo solitum est immolari pascha. Dicunt igitur Iesu discipuli: Quò uis eamus, & paremus tibi cœnam paschalem? Iesus autem emittit ad apparandam cœnam duos ex discipulis suis, & ait illis: Ite in ciuitatem, & ingressis occurret uobis homo, lagenam aquæ baiulans. Eum sequamini, & quocunque introierit, dicite domino domus hæc uerba meo nomine: Magister dicit, ubi est cœnaculum, ubi pascha cum discipulis meis edam? Is nihil moratus ostendet uobis cœnaculum ingens stratum, iamque futuro conuiuio paratum. Illic instruite nobis paschalem cœnam. Hic uide simplicem apostolorum obedientiam, qualem exhibuerant & ante quum emanderentur ad pullum asinæ. Vide & illud, nihil omnino latere dominum, ut palam sit illum præscium ac uolentem omnia passum, quæ nostra causa passus est. Ad hæc uide auctoritatem. Ad domini nomen statim dimittitur asinus, rursus ad domini uocem statim ostenditur cœnaculum, ut perspicuum sit, illi in manu fuisse facere quicquid uellet. Nutu poterat coercere sacerdotes ac phariseos crudelia molientes. Abiere discipuli, uenerunt in ciuitatem, offenderunt hydriæ baiulum, sequuntur, ingrediuntur domum, exponunt mandata domino ædium. Ille nihil moratus ostendit cœnaculum. Illic discipuli adorant pascha, hoc est, ultimam ac mysticam cœnam, simul & repræsentaturam legis uetustæ figuram, & Euangelicam uictimam arcanis signis exhibituram. Vespere autem sequutus est Iesus cum duodecim discipulis suis, quos solos, ut selectos uoluit sacrosancti conuiuij testes esse. Vbi uero iam accubuissent omnes ac cibum caperent, ait Iesus: Confirmit uobis, quod unus est uobis, qui comedit mecum, me proditurus est. Ad hanc uocem mœror ingens corripuit undecim apostolos. Nullus enim præter unum Iudam sibi male conscius erat. Sed tamen non audent fidere imbecillitati humanæ. Ita singulicupientes domini indicio à solitudine liberari, dicunt domino: Num ego sum is? Nec Iudas sibi male conscius puduit cum cæteris dicere: Præceptor, num ego sum is? Iesus autem, ut suis absolutum lenitatis exemplum proferret, maluit suos ad tempus affici mœrore quàm prodere proditorem, nihil non faciens, ut ab impio consilio resipisceret. Ait itaque: Unus erit de duodecim, qui mihi sic est familiaris, ut in eundem discum intingat mecum manum. Et huius dignationis tale præmium mihi referet. Sentiebat Iudas se non latere domini conscientiam, & perspiciebat inauditam mansuetudinem. Iesus à quo mox perfidissime prodendus erat in mortem, eum non uult prodere cæteris discipulis, fortassis in eum amore domini sauituris. Et o deploratam maliciam. Quod saxum, quem adamantem non emolliret tanta mansuetudo hominis, qui nutu poterat lædere? Sed hæc magis etiam illum animat ad maleficiū. Tum ita pergit dominus: Cæterum quod ad me pertinet, nihil præter animi sententiam accidet, sed quemadmodum à prophetis prædictum est de filio hominis, ita futurum est. Expediit plurimis, ut tradatur in mortem filius hominis, sed tamen uæ illi, per cuius maliciam filius hominis tradendus est. Procurat enim rem alijs salutem futuram, sed in suam ipsius perniciem. Præstiterat illi homini natum non fuisse. Nec tanta domini mansuetudine, nec terrore denunciati supplicij correctus est animus Iudæ. Tanta pestis est amor pecuniæ. Sub hæc Iesus commendauit suis sacrosanctum illud symbolum mortis suæ, perpetuique fœderis, cum his qui in fide Euangelica perseverarent. Accepit igitur panem, quumq; gratias egisset Deo patri, fregit, ac distribuit singulis, dicens: Sumite, hoc est corpus meum. Item accepto poculo, quum gratias egisset, tradidit illis, & biberunt ex eo omnes. Tum ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Certum habete, quod dico uobis. Posthac non bibam de fructu uitæ usque ad eum diem, quum bibam illum nouum in regno Dei. Cœna peracta, atque hymno in laudem Dei ex more dicto, eadem nocte, relictis Hierosolymis, abierunt in montem Oliuarum. Semper agendæ gratiæ, semper laudes Deo canendæ sunt, siue contingunt prospera, siue premunt aduersa. Ibi Iesus non ignorans imbecillitatem discipulorum suorum, parat illos ad tolerantiam imminētis tempestatis. Omnes, inquit, hac nocte mea causa turbabimini. Prædixit & hoc Esaias: Percutiam, inquit

qui pastorem & dispergentur oves. Verum ne despondeatis animum. Quemadmodum mors mea uos turbatos dissipabit, ita resurrectio mea uos refocillatos colliget in unum. Reuiuiscam enim, ut dixi, tertio die, ac rediuuius præcedam in Galilæam. Ibime conspecto, moerorem animi deponetis. Hoc audito, Petrus nondum sibi notus, fortiter quidem, sed temere respondit. Et si cæteri omnes offensi fuerint tua morte, certe ego non perturbabor. Iesus autem penitus cupiens reuellere ex animis nostris nostri fiduciam, ait illi: Petre negas futurum, quod & prophetia futurum prædixit, & ego, cui iam oportebat credere, non reclamare? Temerarie pollicitator, imò hoc insignius cæteris perturbare, quo tibi cæteris uidere fortior. Siquidem illud pro certo confirmo tibi, prius quam gallus hac ipsa nocte bis cecinerit, ter me negaturus es. Hac oratione adeo non coercita est Petri confidentia, ut tanto fortius etiam ac magnificentius de se polliceretur, dicens: Imò si me necesse fuerit etiam commori tibi, tamen haud unquam te abnegabo. Hanc Petri uocem sequuti sunt & cæteri discipuli, ut pariter errantes, pariter emendarentur. & agnoscerent quàm ex suis uiribus nihil essent, quàmque non posset esse uanum, quicquid ex ore Christi prodisset. Consenserant in professione pridem, & in Petro corroborata est omnium opinio. Hic consentiunt in temeraria fiducia sui, & in uno Petro reducta est omnium temeritas. Solus Petrus abiurauit Iesum, cæteris omnibus idem facturis, si data fuisset occasio. Abiurassent enim nisi fugissent. Petri fortitudo cæteris constantiior, adduxit ipsum in periculum. Nihil autem horum in discipulis accidebat destinata malicia quemadmodum in Iuda, sed humanæ naturæ imbecillitate: & ideo Iudæ per uicaci malicia Iesus abusus est ad salutem nostram: apostolorum imbecillitatem ideo uoluit multis euidentem fieri, ut per illos doceret omnes, ne quis sibi quicquam de suis ipsis uiribus polliceretur, sed ingruente malorum procella, totus penderet à præsidio celesti, quod tanto præsentius adest, quo magis homo de suis uiribus fuerit diffusus. Apostoli nondum uerbis coargui poterant, sed futurum erat, ut ex re tandem agnoscerent seipsos. Venit igitur in prædium, cui nomen Gethsemani. Ea uallis est ad radicem montis Oliueti. Nemo potest ascendere in crucem Iesu, nisi prius descenderit in uallem hanc, nisi sese delegerit abdicatis omnibus humanæ superbix præsidij. Hic iubet subsistere reliquos octo, ipse adiunctis sibi tribus, Petro Iacobo & Ioanne, non magno intervallo subducit sese, ut uacaret precibus. Agnosce machinas Euangelicas aduersus uolentiam persecutorum. Erant in Iesu duo inter se diuersissima, diuina maiestas, qua nihil sublimius: & humana imbecillitas, qua nihil abiecius. Quoniam autem his tribus gustum aliquem præbuerat suæ sublimitatis, uoluit eosdem extremæ abiectionis & humilitatis esse testes, ut in eodem discerent, & quid esset imitandum, & quid sperandum. Nusquam hic facies solis in morem fulgurans, nusquam uestis niue candidior, nusquam confabulator Moyses & Helias, nusquam paterna uox: uerum ut homo prorsus omni destitutus auxilio, coepit pauore conturbari, & anxietate mentis exanimari. Nimirum homo uerus erat, & indigniter in se expressit, quod imminente tali tempestate solet his accidere, qui nihil aliud sunt quàm homines. Nec dissimulauit anxietatem animi apud amicos: Perfentio, inquit, nimio moerorem morti simillimum. Quærebat undique solatium, nec inuenit. Est & hoc aliquod solarij genus, apud amicos, tametsi nihil opitulaturos, queri de calamitate. Hic igitur iubet & hos treis subsistere ac uigilare. Quo facto paululum progressus, ac uelut prorsus ab omni solatio hominū destitutus, planeque deploratus, quod ad humanas attinebat opes: confugit ad patris auxiliū, nec apud hunc statim inuēturus mali leuamen. Itaque procumbens humi, demissa in terrā facie, rogabat patrē, ut si quā fieri posset, præteriret huius inuentaminis tempus. Natura corporis horrebat cruciatū ac mortem imminentiē. Abba pater, inquit, tu nihil nō potes: trāster hoc poculum à me ne bibā, uerūtamen id fiat, quod tua statui uoluntas, quæ nihil uult, nisi quod est optimū, nō quod uult huius corporis imbecillitas. Hæc precatus redijt ad relictos tres apostolos, ac reperit illos iam dormientes. Ac Petrū modo tam fortia pollicitum appellat: Simon, inquit, dormis? Non poteras uel unam horam uigilare mecum? Hoc tempus non admittit oscitantiam. Neque enim dormit, qui nobis molitur perniciem. Vigilate & orate, ne ueniat in tentationem, quæ si uos oppresserit imparatos, periculum est ne uincamini. Commune periculum est: ego uobis uigilo, uobis oro: uigilate & uos mecum, & orate mecum, ut mecum uincatis.

Spiritus quidem promptus est, sed caro infirma. Ne uincat caro, spiritus est uigilia ac precatione confirmandus. His dictis, Iesus rursus abiit unde uenerat, atque iisdem uerbis rogauit patrem, ne biberet ex poculo, quod instabat. Mox reuersus ad suos, offendit illos denuo dormientes. Dormitabant in uisione maiestatis, nec sciebat Petrus quid loqueretur. Dormiunt & hic in spectaculo infirmitatis, nec satis intelligunt, quid respondeant obiurganti Iesu. Rediit ad suos tertio Iesus a precatione sua, ac tertio reperit illos dormitantes. Perierant illi nobiscum, nisi pro nobis omnibus uigilasset ac deprecatus fuisset Iesus. Expergefactos igitur obiurgat illos, ut per eos omnium extimet oscitantia: Dormite posthac & requiescite. Satis dormitatum est. Ipsa res uos uolentes nolentes excitabit. Adest articulus tempestatis. Ecce filius hominis mox proderit, tradendus in manus sceleratorum. Surgite eamus illis obuiam. Iam enim dominus Iesus ex precatione robur animi collegerat aduersus instantem procellam afflictionum. Nec post ullum signum dedit pauoris aut tedij, sed exemplum constantissimae tolerantiae nobis praeuit usque ad mortem. Nondum hunc finierat sermonem, adest Iudas Iscariotes unus ex numero duodecim selectorum, & inter hos habitus praecipuus, adducens secum numerosam cohortem, eamque gladijs ac fustibus armatam aduersus inermem Iesum. Nec deerat autoritas. Miserant hanc manum summi sacerdotes, scribae & populi primores. Hic mihi uide lector egregium confictum Euangelicae pietatis, aduersus falsam religionem. Sic quotidie oppugnatur, sic semper uincit Euangelica ueritas. Nullus ad eam prodendam magis idoneus, quam qui sub professione ueritatis Euangelicae, docet ea quae sunt carnis. Longe plus periculi est a falsa doctrina, quam a gladijs & fustibus palam sceleratorum militum. Nec sibi tamen satis fidit Iudas ad prodendum dominum, adhibet armatam manum cum autoritate utriusque ordinis, prophani & sacri. Atque haec aguntur noctu, ea praeter loci quoque opportunitate. Densissimae tenebrae sint oportet, ubi uincitur & capitur Iesus. Haec erat potestas tenebrarum, & ad tempus permittitur satanae, ut Christum uideatur deuicisse. Quid autem caecius, quam illi humanis consilijs moliri insidias, quem nihil fugit: quam illum aggredi gladijs & fustibus, qui nutu potest, quicquid uult? Iudas autem non palam ostendit se ducem sceleratae manus, sed prius dedit illis symbolum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ille est Iesus. Inijcite manus illi, & abducite eum, ne elabatur. Cauent hoc sacerdotes, ne numeraretur pecunia, nisi Iesus esset in manibus. Deinde coepit ex interuallo praecedere turbam, quasi aliud agens, sic tamen ut illis esset in conspectu. Mox ut adiit Iesum, salutauit illum, dato ex more osculo. Nec hic Iesus remisit lenitatem suam erga proditorem. Tantum illius tangit conscientiam, dicens: Amice, ad quid uenisti? Sciebat, non futurum ut ille resipisceret, & tamen nihil non facit; quo corrigeretur: nos erudiens, ut erga peccantes summa lenitate utamur, propterea quod ignoramus, an aliquando sint ad meliorem mentem redituri. Si resipiscunt, lucrificamus proximorum salutem: si non resipiscunt, non carebit nostra mansuetudo suo praemio. Osculum charitatis mutuae signum est. Charitas autem declarat nos esse discipulos Iesu. Nihil igitur hostilius osculo simulato. Tale nimirum osculum dant & hodie Iesu pseudapostoli, qui sub praetextu pietatis Euangelicae uentri suo seruiunt, gloriam ueniant humanam, & pro libertate spiritus docent Iudaismum. Ad osculi uenenatum signum milites manum iniecerunt in Iesum, ac uinxerunt. Ad hunc tumultum incandescit discipulorum animus: Iamque Petrus oblitus eorum, quae praedixerat dominus, turbidauit adesse tempus, quo praestaret aliquid dignum fortibus promissis. Is educto gladio percussit seruum summi pontificis nomine Malchum, quod is ceteris ferocior, primus festinaret manus inijcere in Iesum: ac domino dextrae ipsius moderante, tantum amputauit auriculam illius dextram. Sed obiurgato discipulo, dominus clementissimus ilico sanauit uulneris minime periculosi dispendium, & auriculam restituit. Adeo nulli non beneficus fuit Iesus, ut nos pueret quenquam ulcisci uelle, ne dicam immerentem laedere. Porro Iesus, ut non uult alijs praesidijs defendi, quam gladio sermonis Euangelici, qui penetrat ad intima cordium: ita uoluit armatam manum scire, se nulla ui capi posse, nisi uolens ac prudens se praerberet capiendum. Itaque uersus ad illos dixit: Quid accidit, ut intempesta nocte cum gladijs & fustibus exiretis huc ad me, tanquam ad latronem sese similibus armis defensurum? Quotidie eram Hierosolymis, non clam, sed clara luce, & in loco

loco omnium celeberrimo, uidelicet templo, sanans agrotos, ac docens ueritatem. Sem-
 per inermis fuit, cum inermi raroque discipulorum comitatu. Quur ibi me non compre-
 hendistis? Certe minore negotio tum poteratis, si decretum hoc erat. Sed istud est tem-
 pus uestrum, ut diuino permissu liceat, quod lubet. Et ita futurum iam olim prædixerunt
 scripturæ, quæ mentiri non possunt. Hæc ubi dixisset, adoriuntur agminatim, ac manus
 iniiciunt in Iesum. Moxque discipuli sibi quoque timentes, quotquot erant, deserto domi-
 no, alius alio diffugere. Infirmis licet fugere, qui nondum idonei sunt perferendis suppli-
 cijs: quanquam incidit tempus, quo fugisse, negasse est. Ibi non oportet fugere, sed ultro
 ad mortem occurrere. Vbi plus est dispendij, quam compendij Euangelio ex morte tua,
 fugito, latita: ubi fructus est copiosus, si moriaris, dispendium ingens, si te subducas, oc-
 curre carnifici. Erat autem inter duodecim adolescens quidam, qui cæteris uehementius
 diligens Iesum, sequebatur illum, quum iam uinctus duceretur. Is unica duntaxat sindo-
 ne nudum corporis tectum habebat. Hunc agnitum apprehenderant: at ille reiecta sindo-
 ne elapsus est e manibus illorum, uestis iactura uitam redimens. Qui iuxta spiritum sic
 fugit, feliciter fugit. Quid enim est aliud hoc corpus, quam animi uestimentum? Quo-
 ties Satanas manum iniecit animæ, negligè sindonē, & effuge. Nunc contemplator, qui
 his modis tractetur Euangelica ueritas, posteaquam prodita est ab impio discipulo. Per
 uolentam militum manum uincta ducitur ad utriusque ordinis primores, in illius exitium
 coniuratos. Primum adducitur ad summum sacerdotem. Nullus hostis capitalior Iesu,
 quàm impius pontifex. Iam ut res maiore cum autoritate geri uideretur, conuenerunt
 eodem omnes sacerdotes, cum scribis & senioribus. Hæc est autoritas huius mundi con-
 iurata aduersus humilem sed nihilo secius inuincibilem ueritatem. Nondum Petrus ab-
 iecerat animum, sed eminus sequutus est Iesum, iam dissimulatus discipulus, nimirum mox
 abiuraturus. Ad nihil enim aliud per se ualet hominis fortitudo, nisi ut enormius peccet.
 Itaque perrupit in atrium summi sacerdotis, atque ibi sedebat admixtus scelerato gregi
 famulorum, & calfaciebat se ad prunas spectator futurus dominicæ tolerantia potius,
 quàm imitator. Interim qui inter sacerdotes primum dignitatis locum tenebant, quo-
 rum ut quisque primus erat autoritate, ita cæteros superabat impietate: cumque his reli-
 quum concilium, ne uiderentur homicidæ potius, quàm læsæ pietatis ultores, uenantur
 aliquod testimonium aduersus Iesum, ut eum ad mortem adigeret. Nihil aliud sitiebant,
 quàm mortem illius, qui omnibus gratis uitam offerebat æternam. Nec inuentum est ul-
 lum testimonium satis idoneum. Solus enim erat Iesus, in quem nullum testimonium ido-
 neum inuenire posset humana uersutia. Iam enim multi prodierant, qui testimonia dederant
 aduersus Iesum, uerum adeo friuola, ut nec iniquissimis illis uiderentur sufficere ad con-
 demnandum eum, quem iam apud sese damnauerant, priusquam in iudicium adductus
 esset. Tandem exorti sunt, qui graue testimonium ferrent aduersus Iesum, dicentes: Nos
 adferimus comperta. His enim auribus audiuius eum dicentem: Ego dissoluam tem-
 plum hoc manufactum, ac post triduum aliud non manufactum extruam. Hanc uole-
 bant uideri blasphemiam in templum domini. Nec horum testimonium, quanquam ad-
 id erat aliquid ueris ad exaggerandam criminis atrocitatem, uisum est satis idoneum. Di-
 citur illis esse iudiciorum religionem, ac faueri reo: uerum hæc sacerdotum diligentia
 non aliò tendit, quàm ne quæ possit elabi Iesus. Nihil agitur, ad perdendum Iesum sum-
 mo pontifice est opus. Is itaque uidens rem parum succedere, surgens in medio consilij,
 cepit appellare Iesum, ex ipsius ore uenans unde posset conuinci: Audis, inquit, quæ
 tibi obijciuntur crimina? Nihil habes quod ad ista respondeas? Iesus autem obticuit, ne-
 que quicquam respondit. Quid enim attinebat ad ea respondere, quæ ipsi iudicabant fri-
 uola? Pergit itaque uenari summus pontifex & interrogat eum, dicens: Es ne tu ille Chri-
 stus filius Dei semper laudandi? Iesus esse se fassus est: nec enim debebat negare, quod
 expediebat omnes scire. Sciens autem illos non credituros, aut certe contempturos ob
 corporis imbecillitatem, adiecit quod illis terrorem inieceret. Videbitis, inquit, filium
 hominis sedentem à dextris diuinæ maiestatis, magnæque cum gloria & comitatu angeli-
 lotum uenientem sublimem in nubibus cœli. Sensit autem Iesus de secundo aduentu,
 quo rediturus est iam non humilis, sed in maiestate diuina iudex uiuorum ac mortuo-
 rum. Sacerdotes impij legem nesciebant, uerum ex pharisæis discere poterant utrunque
 aduentum.

aduentum Messiae praedictum à prophetis, alterum aspernabilem & contemptum, alterum magnificum ac formidabilem. Verum non uacat illis conferre, quæ gesserat Iesus, cum his quæ prædixerant prophetae. Tantum hoc agunt, ut extinguant Iesum. Hic summus pontifex etiam pietatis imaginem suæ prætexens impietati, lacerat uestimenta sua, quo blasphemiam redderet atrociolem. Quid, inquit, præterea opus est testibus? Ipsi autem distis manifestam blasphemiam. Pontifex impius suæque gloriæ studiosus, non fert prædicari gloriam Christi, sic existimans, suæ maiestati decedere, quicquid illi tribuitur. Furor illum paulo ante submouerat à sede, & tamen interim assurgit filio dei: nunc lacerat uestimenta, uaticinans futurum, ut regnante uero pontifice Iesu, carnale pontificium aboleretur. Scissa est gloria synagogæ, Christi tunica manet integra. Quid longius abest à blasphemia, quàm prædicare gloriam filij dei: quàm testificari futurum, quod prophetae futurum prædixerant? Et tamen hæc scelerato pontifici blasphemia est, quæ non egeat testimonijs. Quid, inquit, uobis uidetur? Omnes consentientibus calculis iudicarunt esse facinus morte plectendum. Dignum tali sacerdote concilium: Nunc considerandum est, quibus modis in talibus concilijs tractetur ueritas Euangelica, ubi sacerdos impius pro deo cupiens haberi, non fert prædicari gloriam filij dei: ubi scribæ tacent, quod didicerunt ex prophetis: ubi primores populi conspirant cum templi primatibus: ubi adsunt ministri militesque conducti, & ad omne scelus suapte malicia parati. Iam enim ueluti rite damnatum Iesum, quidam ex illis coeperunt conspuere, alij uelo obtegere faciem eius, & colaphis impactis dicere illi: Vaticinare, quis te percusserit: huiusmodi ludibrijs exprobrantes illi, quod se passus esset haberi prophetam. Porro ministri sacerdotum alapis illum cædebant. Hæc erant morte crudeliora, uerum hoc exemplum nobis parabatur. Ferendis ignominijs nemo superauit Iesum, ædendis miraculis quidam superarunt. Dum hæc aguntur circa Iesum, Petrus timidus spectator, sedebat in atrio inferiore, admixtus pontificis impij satellitio. Ibi decebat esse, quum esset abnegaturus Iesum. Huc uenit ancilla quædam summi sacerdotis: ea quum uidisset Petrum cum ceteris calfacientem sese ad prunas, intuita illum curiosius, coepit noscitare speciem discipuli, & ait illi: Tu quoque eras cum Iesu Nazareno. Hac uoce territus Petrus, negauit dicens: Non noui hominem, neque scio quid dicas. Conueniebat magnificum pollicitatorem, quo magis agnosceret suam imbecillitatem, à muliercula terreri, ut post intrepide Iesu nomen profitens apud magistratus & reges, sciret eam fortitudinem non esse uirium humanæ naturæ, sed spiritus diuini. Itaque territus Petrus, nec satis fidens ei loco, egressus est atrium, nec tamen recessit ab ædibus pontificis. Dum hic hæret, gallus cecinit. Audiuit Petrus, nec tamen uenit in mentem, quid dixisset Iesus, tantus pauor habebat hominem. Rursus autem quum illum uidisset ancilla quædam, coepit illum deferre apud circumstantes, dicens: Hic ex illorum numero est. Rursum Petrus mendacio elapsus est, negans sese de numero apostolorum esse. Atque aliquanto post, ministri qui astiterant, quum ab ancilla nosciteretur, quum & ipsi curiosius hominis uultum & cultum contemplarentur, coeperunt eum noscitare & dicunt: Vere ex illis es, nam & Galilæus es. Prima delatrix est mulier. Quantum autem periculum, Christi discipulum notum esse in aulis pontificum ac principum: Nisi totum discipulum exuat, periclitatur de capite. Et sermonis etiam idiomate periclitatur Petrus. Tales aulae nihil ferunt synceræ ueritatis. Nunc demum fiet germanus aulicus Petrus, coepit enim execrationibus additis deierare se prorsus non nosse Iesum, de quo loquerentur, ac rursus gallus cecinit. Nec prius ad se rediit Petrus, quàm illum est intuitus Iesus. Tandem itaque recordatus sermonis quæ dixerat Iesus: Prius quàm gallus cantet bis, ter me negabis, egressus est domum Caiphæ, & erupit in lachrymas. Nec tamen fugit ad laqueum quemadmodum Iudas: quia non per maliciam, sed per humanam imbecillitatē ceciderat, idque permissu domini, ut nos illius lapsus erudiret. Sed hic imber erumpens extinguit fulmen iræ diuinæ. Non flet autem, nisi prius egressus è palatio Caiphæ. Nam illic quo quisque peior est, hoc sibi magis placet.



CAPUT XV
 NOTAE ea nox in ædibus Caiphæ consumpta est in perniciem & ludibrium Iesu. Mane uero statim inito rursus concilio, summi sacerdotes, cum senioribus & scribis, toroque confesso uinctum Iesum abduxerunt, ac tradiderunt Pilato

Pilato iudicandum, quem ipsi suo iam præiudicio damnarant. Nunc ex iudicibus fiunt accusatores. Pilatus auditis illorum delationibus, appellauit Iesum reum: Tu ne es ille rex Iudeorum? Iesus respondit: Tu dicis, tacite agnoscens quod erat. Quamquam ea uox nihil mouebat Pilatum, quum in Iesu nihil appareret quod argueret mundani regni affectato rem. Porro summi sacerdotes, ne quâ posset elabi Iesus, varios criminum articulos in illum congerunt, ut ex multis tandem aliquod saltem esset, quod moueret iudicem non admodum iniquum. Pilatus autem animaduertens, quod res ageretur odijs priuatis, captabat occasionem liberandi reum à causa. Itaque quum rursus adisset Iesum, nec ille quicquâ responderet, ait: Non respondes quicquam in tanto capitis periculo? Vide quot articulos isti tibi obijciunt. Iesus autem postea nihil respondit, nec cupiens elabi ex hoc iudicio, ne mortis utilitas impediretur, & sciens sacerdotum maliciam non inquieturam, etiam si hac uia non profecissent. Itaque sic mori uolebat, ut constaret eum mori uolentem. Præses autem, quanquam ethnicus, tamē abhorrens ab homicidio hominis, quem suspicabatur innocentem, nihil intentatum relinquit, quo liberet eum, quandoquidē uidet ex ipso nihil auxilij suppeditari, quo posset liberari. Mos erat apud Iudæos, ut in die festo Paschæ dimitteretur aliquis ex his, qui ob capitale facinus essent uincti, quemcunque populus Iudæorum petisset sibi donari. Habebatur autem tum in uinculis quidam ob facinora nobilis Barrabas, qui in ciuitate mouerat seditionem, & in tumultu patrarat homicidium. Hac occasione Pilatus decreuerat uti ad seruandum Iesum. Proinde quum populus ex more confluxisset, ad postulandum remitti fontem aliquem: & hac ratione testificās, quod ipsi incolumes euasissent ex Aegypto, Pilatus ita respondit: Duos habeo, Barrabam uobis notum, & Iesum, quem dicunt regem Iudæorum. Vultis igitur ut Iesum uobis dimittam? Senferat Pilatus in sacerdotibus nihil esse præsidij, itaque confugit ad populum, sperans ut illorum favore liberaretur Iesus. Et futurū erat, nisi pontificum infatigata malicia concitasset multitudinem, ut postularent sibi condonari Barrabam potius quam Iesum. Id quum præter expectationē præsidis accidisset, nam audierat eum esse gratiosum apud populum, non desinit tamen opitulari Iesu pro uiribus. Quid igitur, inquit, uultis ut faciant de rege Iudæorum: expectans in hunc mihiorem à plebe sententiam. Sed hic strenue uigilant pontificum uersutia. Suam impietatem in multitudinis animos transfuderant. Nec alibi ualet alium pontificum autoritas, quam ad excitandos principes ac populos aduersus ueritatem Euangelicam. Rursum igitur clamat populus: Crucifige eum. Persuaserant & hoc pontifices, ut mortis genus omnium probrosissimum deligeretur, quo Iesus hominem apud omnes Iudæos redderetur execrabile, propterea quod lex pronunciat execrabilem, quisquis penderet in ligno. Adeo non solum student Iesu uitam eripere, sed famam etiam honestam abolere, quod est homicidio crudelius. Non ferunt cuiusquam nomen haberi sacrosanctum præterquam suum. Nec hic cedit illorum furori Pilatus, sed reclamatur: Cæsaris præses sum, mihi non est ius occidendi, nisi rite conuictum. Quid autem hic adinisiit cruce dignum? Nihil hic proficit præses, sed furiosius etiam inclamabāt: Crucifige eum. Nec prius tamen labefacta est præsidis constātia, quam obijceretur Cæsaris lesa maiestas. Nō enim conueniebat occidi Iesum, nisi pontificum uesaniæ, Cæsaris subseruisset autoritas. Pilatus autē uidens hinc imminere periculum à Cæsare, hinc à populo tumultuante, quum sciret innocentem Iesum, tamen uolens morem gerere implacabili odio pontificum, scribarum, seniorum & populi, pronunciauit in Iesum sententiam mortis, sed eadem sententia liberans innocentem à crimine, sacerdotes & populum condemnans. Innocentem enim pronunciauit, quem permittebat illis crucifigendū. Tales Pilatus semper habitura est Euangelica ueritas: utinam non exoriantur illis etiam pontificibus sceleratiores. Iesus itaque damnatus, primum flagellis cæsus est. Quum nec ea poena satiare animos Iudæorum, traditus est cohorti ut crucifigeretur. Sic uisum est consilio diuino, ut Iesus fons omnis gloriæ, ab omni genere hominum per omne ludibrij genus excerneretur, ne nos ullo malorum genere frangeremur. Iudas prodebat, pontifices, scribæ, primores populi consularant, ministri ceperant, Caiphas summus pontifex damnauit, fons omnis huius tragœdiæ: concilium eum ministris uelut damnato illustris, populus obstreperit infanis clamoribus, Cæsaris nomen terret, Herodes spernit, Cæsaris præses pronunciat. Et in his omnibus est Caiphas, in Caipha satanas. Superest

ut

ut profana militum cohors suas agat partes. Et in his erat Caiphas. Omnis ignominia Iesu, omnis perniciēs, si qua est, à Caipha est, qui rem sanctissimā imprudens peregit. Peregit enim hoc sacrificium, sine quo nemo saluus esse poterat. Milites itaq; Pilati damnatū Iesum duxerunt intrò in atrium prætōrij. Nam Iudæi qui religiosi uideri uolebant, nō audebant ingredi prætōrium hominis ethnici, quo puri accederent ad celebrandum suum illud phasē. Et tamen animus illorum erat in medio prætōrio, erat in manibus militum, quos suapte sponte propensos ad maleficiū, huc instigarāt. Postea quā Pilatus semel tradiderat Iesum, non existimabat magni referre, quomodo occideretur. Sic fauit Herodes uirtuti Ioannis, ut tamen ad puellæ preces amputaret illi caput. Constantius fauit Pilatus, sed tandem denique tradidit illum crucifigendum, ne quis Euangelicæ ueritatis professor ullum præsidium sibi poneret in hoc mundo. Milites igitur, quo magis satiant animos suos ignominij in Iesum, conuocant totam cohortem, & per ludibrium induunt illum purpurea ueste, uelut insigni regum: capitiq; imponunt diadematis uice coronam è spinis contextam. Sic ornatum cœperunt consalutare, dicentes: Aue rex Iudæorum. Quin & arundine, quam illi sceptri uice dederant in manum, percutiebant caput eius, & conspuebant eum: ac flexis genibus adorabant eum. Iesus autem tacitus sese præbebat ad omnem contumeliā, nostris malis debitam ignominiam in se transferens, ut nos eueheret ad suam gloriam. His peractis, exuunt illum purpura, & induunt illum uestibus proprijs, quo crucem inter maleficos baiulans, nosci posset ab omnibus. Et hoc curarat sacerdotum malicia, quo magis alienarentur omnium animi. Inter eundem obuium habuerunt Simonem quendam Cyrenensem redeuntem è uilla sua. Is erat pater Alexandri & Ruffi. Hunc, tamen si notum ac diuitem, militari procacia nolentem compulerunt, ut tolleret crucem Iesu, non ut illi parcerent, sed ut citius absolueretur negotium occidendi. Quosdam necessitas adigit ad amplectendam crucem Iesu. Verum hæc felix est necessitas, quæ propellit ad salutem. Apostoli neminē cogunt ad Christum, sed milites cogunt. Malorum uiolentiā multis saluti fuit. Perducunt autem Iesum in locum sonituum supplicij infamem, cui nomen apud Syros Golgotha, quod Latinis sonat, Caluariæ locus. Illic dederunt illi bibere uinum myrrhatum. Vinum enim ex more solet offerri morituris, Iesus autem oblatum non accepit Iudæorum amarulentia uitiatum. Iam enim biberat cum discipulis suis, non bibiturus de fructu uitis, donec biberet nouum in regno Dei. Oderat uinum acerbum, quod illi produxit Iudaicæ synagogæ uitis, uersa in amaritudinem domino cultoriq; suo, quæ pro meritis uuis dederat labruscas. Oderat uinum impiorum. Aliud uini genus sitiebat. Id erat mustum Euangelici spiritus, quem post effudit in discipulos ipse relatus in cœlum. Sublato autem in crucem Iesu, hi qui crucifixerant eum, partiti sunt inter se uestes illius, missis fortibus super tunica, quæ sic erat contexta, ut scindi non posset, cui tota contingeret. Agnosce pauperem Iesum, cui iam nihil erat reliqui in terris. Pendet medius inter cœlum & terram. Sic nudum, sic expeditum, sic sublimem esse oportet, qui uelit cum hoste salutis humanæ congregari. Dauid conficturus cum Goliath abiicit arma Saulis quæ magis onerant quā iuuant. Erat autem hora tertia, quum illum suffigerent in crucem. Additus est summo stipiti titulus causæ: Rex Iudæorum: tribus linguis, Hebræa, Græca, Romana. Simulq; cum eo crucifigunt duos latrones, sic ut alter illi penderet dexter, alter sinister, mediumq; Iesum hinc & hinc cingerent. Et hoc à sacerdotibus impijs erat procuratum, ut ignominiosum redderent nomen Iesu. Prædixerat hoc futurum prophetia Esaïæ: Cum iniustis deputatus est. Nec his tantis malis saturari poterat pontificum & scribarum odium. Primum enim Iudæi prætereuntes crucem, conuicia iaciebant in pendentem, ac uelut exprobrantes iam uictō, Iudibrij causa motis capitibus dicebant: Vah qui demoliris templum dei, & intra tri-duum rursus extruis: nunc ostende quid possis: exere uires istas quas iactitabas: serua te, si potes, ac descende de cruce. Nec mitiora iactabant in eum summi pontifices, unā cum scribis illudentes inter sese: Alios saluos fecit, seipsum non potest seruare. Iactauit se Christum, iactauit se regem Israel, si uera sunt quæ promisit, descendat nunc de cruce, uideamusq; & credemus illi. Hæc sacerdotum exprobratio hoc agebat, ut omnes omnino à fiducia Iesu alienarentur. Sic & hodie frequenter insultatur martyri in supplicio corporis: sic insultatur ab incredulis Euangelicæ ueritati, quæ si non nunquam laborat, ut plane uideatur

deatur oppressa. Nondum finis conuiciorum in Iesum. Qui simul cum ipso crucifixi fuerant, e cruce conuicia iaculantur in innocentem: sed hic quoque Iesus respondet suo nomini, e latronibus alterum seruat. Porro hora sexta oborta caligo texit totam illam terram. Ea durauit usque ad horam nonam. Tum Iesus ingenti uoce clamauit ad patrem, omni mortalium solatio desolatus, referens prophetiam de ipso praedictam ex psal. Heloi, heloi, lama sabachthani: quod, si quis interpretetur, Latine sonat, deus meus, deus meus, quare me deseruisti. Eam uocem quum exceperent quidam de circumstantibus, nec satis intelligerent hebraice, dicebant: Hic Heliam inuocat. Tales & hodie sunt multi, semperque futuri sunt pseudoprophetae, nihilo melius interpretantes uerba Iesu, quam irrisores illi sunt interpretati. Post haec, quum rursus clamasset, sitio, quidam accurrit, ac spongiam aceto imbutam impositamque arundini, porrexit illi, dicens: Sinite, uideamus an ueniat Helias, qui deponat eum de cruce. Iesus autem rursus gustato aceto, noluit bibere. Aliud uinum sibi dabat, quod illi nolebant porrigere, qui nolebant Euangelio credere. Iesus autem consummatis omnibus, emissa uoce magna, expirauit. Moxque templi uelum, quod ea quae Iudaei habebant sacratissima a conspectu multitudinis separabat, scissum est a summo usque ad imum. Cessant umbrae, simulatque prodit ueritas. Nec erat necesse futurum, ut ullus sacerdos introiret in sancta, semel immolata uictima, quae sola sufficeret pro expiandis totius mundi peccatis. Porro Centurio, qui astabat ex aduerso minister ac testis mortis, qui multos supplicio morientes conspexerat, quum uidisset, Iesum praeter aliorum morem statim a ualido clamore efflasse spiritum, ait: Vere homo hic filius Dei erat. Agnosce primitias gentium Christi uirtutem profitentium. Qui hominem profitemur ac dei filium, hominem ac deum profitemur: tamen si Centurio quidem adhuc dei filium sentiebat hominem insigniter deo charum. Considera & illud, ut seruator ubique seruator est: in cruce moriturus seruauit alterum e latronibus, mortuus ilico trahit Centurionem ad professionem Christianam. Aderant autem & mulieres, e longinquo spectantes quae gerebantur. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, ac Ioseph mater, & Salome, quae quum Iesus esset ac doceret in Galilea, sequebantur eum, ac ministrabant de facultatibus suis: cumque his aliae complures, quae tandem & Hierosolymam euntem fuerant consequutae. Quum autem iam appeteret uespera, quoniam erat dies parasceues, ideo sic dictus, quod praecederet magnum illud sabbatum, uenit Ioseph Arimathiensis, nobilis decurio, qui & ipse expectabat regnum Dei. Is quoniam bene sentiebat de Iesu, fretus nobilitate sua, ausus est adire Pilatum, ac petijt corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur, si iam mortuus esset Iesus, homo iuuenis, quum multi fractis etiam cruribus soleant biduum, aut triduum uiuere. Itaque accersit Centurionem, qui cruci astiterat, percontatus est eum, an iam mortuus esset. Et quum ex eo certum cognouisset, quod iam mortuus esset, donauit corpus Ioseph. Iesus enim quam diu uiuebat, impijs etiam sese pullandum & conspuendum permisit. Mortuus statim dignitatem suam sibi uindicat, nec tractari uult, nisi ab honestis ac pijs: ne conspici quidem nisi a discipulis aeternae uitae destinatis: nos hac imagine docens, ne quis dignitatem suam in hac uita uindictet. Tantum per honorem & contumeliam, per gloriam & ignominiam peragat negotium Euangelicum: A morte dignitas efflorescit. Ioseph itaque latus tam precioso munere, mercatus est sindonem, eaque conuolutum corpus reposuit in monumento nouo quod erat excisum e uiuo saxo, & aduoluit ingentem lapidem ad ostium monumenti, ne quis facile suffuraretur corpus. Ceterum ex mulieribus, quae spectabant dominum morientem, duae ad monumentum usque consequutae sunt, Maria Magdalene & Maria Ioseph, contemplantes ubi reponeretur corpus: ut quum liceret, ex more gentis illius officium & honorem sepulturae exhiberent.

CAPVT XVI



Quoniam autem die parasceues, quo sepultus est sub uesperam dominus, mox a solis occasu sabbati religio uetabat operari, intermisso quod coeperant in parandis aromatibus, expectabant posteri diei finem: statimque ut occidisset sol & redisset operandi facultas, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome paratis aromatibus, ueniebant ut ungerent Iesum, summoque diluculo primo die sabbatorum, qui sabbatum exactum sequebatur, a parasceue tertius, praeparatae ueniunt ad monumentum, iam ad solis exortum albescente coelo. Dicebant au-

tem inter sese: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat enim ingens, nec muliebrium erat uirium eum amoliri. Et circumspiciunt, si quem nancisci possent, cuius ad id uterentur opera. Ac dum respiciunt, uiderunt lapidem iam amotum. Mox ingressæ monumenti uestibulum, uiderunt iuuenem ad dextram monumenti partem, amictum stola candida. Ad hoc spectaculum tametsi lætum faustiq; ominis, tamen quia subitum & inexpectatum, obstupuere mulieres. Has ilico blando alloquio consolatur angelus, dicēs: Non est quod expauescatis. Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Ecce locus uacuum, ubi reposuerāt corpus illius. Quare superuacuum est officium, quod illi parastis. Quin potius abite, renunciaturæ discipulis illius, morte domini uehementer exanimatis, sed præcipue Petro, cui ter abnegatus dominus mœrorem congenerat: quod Iesus præcedet eos in Galilæam, eò sequantur: illic eum uidebitis uiuum, quæ defletis mortuum. At illæ partim insolito gaudio, partim nouo spectaculo expauescæ, fugerunt è monumento, neq; quicquam ibi loquutæ sunt: tantus pauor illas corripuerat. Nondum autem Iesus cuiquā apparuerat, sed posteaquā surrexerat, mane primo à magno sabbato die, primum omnium apparuit Mariæ Magdalenæ, unde eiecerat septem dæmonia. Illa protinus quod uiderat, renunciavit Iesu discipulis lugentibus ac fletibus. Illi narranti, quod uiueret quodq; sibi uiuus uisus esset & auditus, non habuerunt fidem. Adeo exciderat, quod toties promiserat, se tertio die surrecturum. Eodem die apparuit duobus discipulis effigie peregrini ac uiatoris, dum Hierosolyma profisciscuntur in uillam. At illi, tandem agnito domino, reuersi Hierosolymam nunciant cæteris, quæ uidissent. Nec horum narrationi habita est à plerisque fides. Postremo iam abiturus in cœlum, apparuit undecim apostolis (nam Iudas perierat) in conuiuio accumbentibus: quibus exprobrauit incredulitatem ac duriciam cordis, quod his qui uidissent ipsum resurrexisse, non credidissent. Nec enim omnibus exhiberi debebat mortis ac resurrectionis spectaculum, uerum ad fidem Euangelicam sufficebat, rem semel per idoneos testes esse comprobata. Alio qui quomodo crederent gentes quæ gesta sunt, si tam essent diffidentes apostolorum narrationi, quàm Thomas & alij quidam ex ipsis initio fuerant? Et ait illis Iesus: posteaquam tandem uobis hæc omnia multis ac certis argumētis probata compertaq; sunt, ite in mundum uniuersum, & prædicate hoc Euangelium uniuersis orbis nationibus. Omnibus enim mortuus sum, omnibus resurrexi. Nihil iam opus est obseruatione ueterum ceremoniarum: nihil opus uictimis & holocaustis ad expianda commissa. Quicumq; crediderit Euangelio, per quod omnibus in me fidentibus, per mortem meam offertur gratuita remissio peccatorum omnium: & huius gratiæ signum acceperit, aqua tinctus, saluus erit. Qui uero non crediderit Euangelio, nō est quod fidat obseruationi legis, aut philosophiæ, condemnabitur. Hæc uia patet omnibus ad salutē, sed una. Ne uero uestra prædicatio fide careat, addetur & miraculorum uis, si modo adsit Euangelica fiducia, & res ipsa miraculum poscat. Præcipua uis Euangelicæ gratiæ in animis est, sed tamen ob incredulos & infirmos hæc quoque præsto erunt, ubi profectus Euangelij requireret miraculum. Qui in me posuerint fiduciam, eijcient dæmonia, non in suo nomine, sed in meo: linguis loquentur nouis, serpentes abigunt: & si quid letale biberint, non nocebit illis. Aegrotis imponent manus, & bene habebunt. Hæc quum in animis fiunt, maius præstat miraculum, sed occultum. Auaricia, libido, ambitio, odium, ira, liuor, uenena morbiq; letales sunt animo. Hæc abigunt in nomine meo, idq; facient perpetuo. Propter infirmos autem, & ad credendū difficles, nonnunquam fient & illa, ut homines crassi uideant in illis esse spiritum humanis uiribus potentiolem. Hæc aliq; cum dominus Iesus loquutus esset discipulis suis, recepit sese in cœlum, atque illic dexter asidet Deo patri. Discipuli uero post acceptum spiritum cœlestem prædicauerunt, sicut erant iussi, non in Iudæa tantum, uerum etiam in omnibus regionibus: & successit res, licet aduersante mundo, uidelicet domino Iesu per spiritum suum uim suam exerente per apostolos: & quod illi uerbis promittebant, miraculis ubiq; paratis confirmante.

F I N I S.

IN VICTISSIMO ANGLIAE REGI

DOMINO HIBERNIAE, CATHOLICAE FIDEI

defensori, Henrico eius nominis octauo, Des. Erasmus

Roterodamus

S.

D.



MITTO tibi Lucam medicum generosissime Rex, non alium quam antehac habebas, sed Latinis auribus explanatus fufiusque loquentem. Nec mihi hic puto sumendam operam, ut placem istos, qui nobis occinere solent, recte proditam a doctis, uiris sententiam, in meritis dandis illud in primis esse spectandum, ut apta sint quae donamus. Factum est hoc nuper a nobis cum Carolo Caesari dicaremus Mattheum, & ante nos ab eruditissimis hominibus demonstratum est ex praescriptione uetustae consuetudinis, quoduis argumentum re dicari principibus, quos etiam si sciamus nunquam lecturos, tamen hinc ea capitur uelitas, quod illorum titulis opus studioforum affectibus commendatur, quemadmodum non inscite scripsit Plinius, quaedam ob hoc ipsum summo haberi in precio, quod sint templis dicata. Est autem quorundam erga nuper natos libros tanta morositas, ut prius reijcerent quam degustent. Itaque perit & scriptori speratus fructus, & lectori sua utilitas. Ab his illud saltem impetrabit praefixus in frontispicio uoluminis summorum principum titulus, ne damnent, ne fastidiant, ne conspuant, priusquam legerint. Quanquam & alioquin quorundam principum pietas facit, ne uideatur absurde facere, qui regi dono mittit Euangelium. Quandoquidem mihi retulerunt homines minime uani, & Carolum Caesarem, si quid in tantis rerum tumultibus datur oculis, id in Euangelico codice libenter consumere: & illi fructum principem Ferdinandum huius fratrem, paraphrasim in Iohannem, quam ipse nuper dedicaui, frequenter habere in manibus: atque inclitum etiam Danorum regem Christianum, id quod tibi quoque notum esse potest, Christianos libellos frequenter habere in manibus, nostramque in Mattheum paraphrasim cupide legere. Quare igitur uideatur in pie mitti Euangelium istis, qui tractant & amant Euangelium, quod certe ab omnibus tractandum est, qui se meminerunt esse Christianos. Quanquam autem iuxta rationem humanam hoc potissimum donandum est, quo maxime eget cui mittitur: tamen iuxta regulam Euangelicam, habenti donandum est, ut exuberet. Proinde uidebar mihi facturum congruentissime, si tibi medicum hunc Euangelicum mitterem, qui sacras literas adeo non fastidias, ut quod tua scripta testantur, in his etiam ultra mediocritatem profeceris: ut qui et si donet aliquid huius generis, non tam minus dare uideatur, quam officium reponere. Quid quod & coniunx tua nobilissima, unicum hoc tuo uerae pietatis exemplar, fastidiosis tuis muliebribus, bonam diem partem collocat in sacris libris, quum alias principes foeminas, quae maximam temporis partem in fucando, in alex, in similibusque lusibus conterunt, admonens quid ipsas deceat: tum nobis nostram exprobrans ignauiam, uel impietatem potius, qui maximam uitae partem in profanis literis absumimus. Iam si hoc in primis curae est, ut in monarcharum aulis semper adsint exacte docti perspectae fidei medici, qui curam agant regis corporis: quanto magis conuenit illic uersari Lucam medicum, qui non solum in monio aut elleboro tueatur corporis bonam ualitudinem, sed coelesti pharmaco liberet animum a morbis ad aeternam mortem pertrahentibus, qui sunt, ignoratio ueri, diffidentia erga deum, amor huius mundi, ambitio, auaritia, luxus, odium, inuidia. Nam his morbis obnoxia est omnis uita mortalium quemadmodum ait Ioannes Apostolus, deplorata totum mundum in malo positum esse, nec aliud in eo regnare, quam concupiscentia carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam uitae. Ab his morbis hoc plus est periculi summis principibus, quo maior est indulgentia fortunae, & quod libet facendi libertas. Videor autem mihi non inane operam sumpturus, si tibi primum Lucam medicum, deinde pharmacum quod adfert paucis commendaro, tamen non dubito, quin utrunque sit ut esse debet, tuae pietati commendatissimum. Nimirum hic est ille Lucas patria Antiochenus. Est autem Antiochia ciuitas, olim adeo celebris ac potens, ut ei parti Syriae, quae Cilicia attingit, nomen dederit: hoc ipsa quoque Roma felicior, quod hic primum sedem habuerit apostolorum princeps Petrus, quod in hac Paulus & Barnabas apostoli

lici muneris dignitatem acceperint. Fuit autem familiaris apostolorum omnium, sed praecipuus affectator Pauli, atque etiam peregrinationis illius indiuiduus comes. Ex conuiuiu apostolorum scripsit Euangelium, ex his quae Paulus ipso teste gessit, scripsit uolumen cui titulum fecit, Acta apostolorum. Eam historiam produxit usque ad secundum annum Pauli Romae commorantis, hoc est, usque ad quartum Neronis Caesaris. Vnde conijciunt eadem in urbe librum esse scriptum. Satisque constat inter eruditos, hunc esse, cuius toties in epistolis meminit Paulus, uelut in epistola ad Corinthios secunda: Misimus etiam cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in Euangelio per omnes ecclesias. Rursum scribens ad Coloss. Salutat, inquit, uos Lucas medicus charissimus. Rursum in epistola ad Timotheum secunda: Demas enim, inquit, me reliquit diligens hoc seculum, & abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas est mecum solus. Quin & illud proditum est à ueteribus, quoties Paulus uocat Euangelium suum, uelut ad Timotheum: Memor esto dominum Iesum resurrexisse à mortuis, ex semine David secundum Euangelium meum: eum sentire de Euangelio Lucae, quod quemadmodum Marcus ex autoritate Petri, ita Lucas ex autoritate Pauli conscripserit historiam Euangelicam. Hieronymus arbitratur eum Graecae litteraturae ceteris fuisse peritiorem, & ob id exactius contexit narrationem historicam, ab ipsa Ioannis Baptistae conceptione exorsus, per multa referens de natiuitate deique infantia, quaedam etiam de pueritia Iesu, multas etiam parabolas ac miracula, quae ceteri breuitatis studio praetermiserant. Quumque ceterorum nullus egressus sit tempus domini assumpti in coelum, hic solus altero uolumine nascētis & gliscentis ecclesiae prosecutus est historiam. Addunt & illud, quemadmodum Matthaeus Euangelium, Petrus epistolas scribit Iudaeis potissimum, ita Lucam Euangelium potissimum scripsisse gentibus, nimirum discipulum Pauli, qui ut doctor erat gentium, ita ad gentes scripsit omnes epistolas, praeter unam ad Hebraeos, de cuius auctore semper est dubitatum. Scripsit post Marcum, sed ante Ioannem, unde & discipulus praefertur apostolo. Denique quod medico congruit, traditur fuisse longaeuus. Nam sequutus consilium Pauli, qui scripsit, bonum est uxorem non attingere, uixit coelebs octoginta quatuor annos. Ossa defuncti ex Achaia translata sunt Constantinopolim una cum reliquijs Andreae apostoli, anno Constantij uicesimo. Habes medicum ex medico, apostolorum familiaritate commendatum, Pauli apostoli non uno testimonio laudatum, denique ecclesiarum omnium consensu comprobatum. Quum enim multorum Euangelia relecta sint, hic consentientibus omnium suffragiis receptus est, ut expleret sacram illam ac mysticam tetradem, quam olim designauit Moyses, exponens nobis quatuor fluuios ex uno paradisi fonte scatescentes, qui irrigant uniuersam terram: post uidit Ezechiel, quum nobis depingeret animalia mystica quatuor, & quatuor rotas in una. Nunc de pharmaco quod nobis dedit, paucis si uideatur, dicamus. Ex Hippocrate sumere consueuerat remedia, quibus corporum morbos leuaret, ceterum ex Apostolis qui Christum uiderant ac audierant, imò ex ipso spiritu sancto hausit hoc pharmacum, quo nostris animis mederetur. Apud priscos medicos erat quoddam medicinae genus efficacissimum, ex uarijs & exquisitis rebus arte commixtum, quod illi uocabant *θεῖον χεῖρας*, hoc est deorum manus. Verum nullum adhuc pharmacum repertum est à medicis, quod omnibus corporum morbis medeatur, quantumuis iacerent efficacem illam, sed nulli notam panaceam. Certe senectus morbus nulli cedit medicinae. Sed haec uere manus est Dei, quae per synceram fidem semel aufert omnes animorum morbos, & quod solius est Dei, confert immortalitatem. Nec inscite dictum est Graecorum prouerbijs: animi laborantis medicum esse sermonem. Neque defuerunt qui crederent, & corporum morbos conceptis uerbis, magicam uim habentibus, propelli posse. Dominus Iesus medicus erat, qui dum uiueret in terris, sermone pellebat morbos corporum quamlibet atroces aut inueteratos, sermone mortuos excitabat ad uitam. Non enim erat sermo magicus, sed omnipotens sermo patris omnipotentis. Idem sermone prostrat morbos animorum, quum ait: Fili remittuntur tibi peccata. &: Vade, fides tua te saluam fecit. Proinde & prophetia Christum medicum promiserat. Dicit enim in libro Sapientiae: Etenim neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus domine sermo, qui sanat omnia. Haec nimirum est illa uera panacea. Psalmus item mysticus sic habet: Misit sermonem suum & sanauit eos ab interitionibus eorum. Sermo patris uiuus, Christus est. Misit Mosen &

& prophetas, per hos curata est Iudeorum natio, sed non est sanata. Solus sermo patris
 efficax fuit sanandis hominum morbis, non solum leuioribus, uerum etiam letalibus. Letali
 morbos agnoscis, quum addit propheta: ab interitionibus eorum. Quum ita collapsus
 est stomachus, ut fastidiat ac reiiciat omnem cibum, agrotus ad mortem tendit. Tali mor
 bo laborabat uniuersus mundus ante medici coelestis aduentum. Id quod paulo superius
 dixi: Omnem escam abominata est anima eorum, appropinquauerunt usque ad portas
 mortis. Miscuerant uaria pharmaca philosophi Pythagorici, Academicus, Stoici, Epicu
 rus, Peripatetici, promittentes animi sanitatem ac felicitatem etiam. Multa miscuit Moses, prae
 scribens uarias religionis ceremonias, multa prophetae, sed inualescentibus morbis nihil
 profuit medicina, nisi quod auxit morbum & prodidit. Animi stomachus prauus, cupidus
 est, ut humores noxii, corruptus, & auersabatur philosophorum laborata prae
 scripta. & Mosis praescriptis superstitiones reddebantur non meliores, non sapiebant
 prophetarum obiurgatio, & horum promissis non est habita fides. Id uidentem pater coe
 lestis, nihil uolens perire eorum quae condidit, emisit sermonem suum, qui coelesti medici
 nati liberaret uniuersos ab omnibus animorum morbis, tantum ut morbum agnoscamus
 & fidamus medico. Quemadmodum autem amici medici, si quando non licet semper ad
 esse agrotis, relinquere solent pharmacum aliquod, quo sibi possint esse medici qui labor
 ant, res ita postulat, ita dominus Iesus in coelum reuersus, reliquit nobis per apostolos
 hoc pharmacum Euangelicum, facile quidem & cuius expositum, sed efficax, si quis ut
 oportet sumperit: ut autem utiliter sumas, praecipue praestat fiducia erga medicum. Nec
 gustasse, transiendum est in uiscera, ut stomacho receptum, per omnes uenas um
 bras diffundat. Tum demum incipit concutere totum hominem odio pristinae uitae: sed
 hanc perturbationem sequitur magna animi tranquillitas. Habent corporum medici em
 plicas & pharmacopolas artis suae ministros, ipsi praescribunt quid dandum sit agrotis.
 In Coenae unus est qui praescripsit salutis aeternae remedium, apostoli & horum successores
 episcopi tantum ministri sunt, miscunt, terunt, admouent, non sua pharmaca, sed Chri
 sti aqua, sed Christus abluuit animum: docent quae Christus ipsis tradidit, sed Chri
 stus ipse facit, ut sermo illorum sit efficax. Corporum medici frequenter uariant & mor
 borum iudicij, & in praescribendis remedijs, nonnunquam & pro remedijs praescribunt
 uenena: iuxta dictum Graeci poetae: *φαρμακὰ, πολλά μὲν ἰδὲλὰ μὲν γυμνὰ, πολλά δὲ λυγρὰ.*
 Vnicum autem Euangelicae medicinae praescriptum est, quod a nullo mortalium corruptum
 pi debeat aut mutari. Denique simplex est, ut si cessent hi quos oportebat huius pharmaci
 ministros esse, sibi quisque possit sumere, modo adsit animus fidens, syncerus, & salu
 tis audius. Nam & summus ille medicus, qui solus totum hominem sanare potest, alio
 quando per se conferebat sanitatem, nonnunquam & per apostolos ac discipulos. Iam
 tota medicorum ars duos potissimum scopos habet, primum ut morbis, & ab his quae gi
 gaunt morbos, corpora liberet, hanc partem Therapeuticam uocant: deinde ut bonam
 ualitudinem tueantur, ac robur addant: eam in ratione uictus collocant. Neque enim me
 dici semper urunt aut secant, non semper infundunt scammonium quo corpus exhau
 stum propemodum occidentes ut uiuificent, sed aliquando ministrant quae cor exhilarent,
 quae & pascunt benigniter. Ita nobis primum administratur potio fidei, quae poenitentia
 perturbat animum, & inaniens nos exonerat peccatis. Mox additur pharmacum conso
 lationis, exhortationis ac doctrinae perfectioris. Etenim si medicus posteaquam corpus
 inaniit, subito destituat agrotum, periculum est ne uacuum ac uiribus defectum, maior ali
 qua morbi uis inuadat, uelut paralytis, apoplexis, aut phthisis. Ita postea quam poeniten
 tia nos prostrauit, exagitato morbo, baptismus nos uacuos reddidit ab omnibus peccatis,
 adhibentur ea quae iam bene uacuum animum salubriter impleant. Exhausta est iracun
 dia, infunditur lenitas & mansuetudo. Exhausta est inuidia, subiicitur candor. Exhausta est
 rapacitas, succedit liberalitas. Exhaustus est ardor bellandi, succedit studium pacis. Ex
 haustus est amor uoluptatum carnis, succedit amor rerum coelestium. Vis audire scammo
 nium Euangelicum: Poenitentiam agite. Iam securis ad radicem arboris posita est. Et om
 nis arbor quae non facit fructum bonum, exciditur. Idem Paulus: Mortificate membra
 uestra quae sunt super terram: fornicationem, immundiciem, libidinem, concupiscentiam ma
 lam & auaritiam. Ac mox: Expoliantes uos ueterem hominem cum actibus suis. Exhaustis,

quomodo rursus implet: Induite uos, inquit, sicut sancti dei & electi, uiscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, & condonantes uobis inter uos, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & dominus donauit uobis. Super omnia autem haec charitatem habete, quod est uinculum perfectionis, & pax Christi exultet in cordibus uestris. Huiusmodi domum mundatam scolis, & talibus ornamentis undique plenam, non rursus occupabit spiritus malus, reuersus cum alijs septem ipso peioribus. Habet igitur Euangelica medicina suum uinum, quod emordeat famem uulnerum nostrorum. Abi post me Satana, non sapis ea quae dei sunt, sed quae sunt hominum: Vinum est. Nunc uide oleum: Confidite quia ego uici mundum. Capillus capitis uestri non peribit. Nolite timere pusille grex, quoniam uestrum est regnum coelorum. Paulus habet cibum quo fouet nuper conuersos ad Christum, ne relabantur in morbos adhuc imbecilles: habet & solidum cibum, qui corroboraret eos semper proficientes usque ad plenitudinem Christi. Robur collegerant, de quibus scriptum est in Actis apostolicis: Ibant gaudentes a conspectu consellij, quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Robur collegerat, qui dixit: Omnia possum in eo qui me fortem reddit. Proinde dominus Iesus in Euangelio hortatur ad esum panis e coelo profecti, cuius esus praestat immortalitatem. Hortatur ad esum carnis suae, ad potum sanguinis sui, nimirum de doctrina sua sensationis, quae ut panis uegetum ac robustum reddit animum, ut uinum efficax inebriat usque ad huius uitae contemptum, ut caro solidam habet alimoniam, ut sanguis uitalem habet uim. Quamquam autem omnis diuina scriptura uim habet medicam, tamen nullum pharmacum habet efficacius quam Euangelicum. Idem in omnibus est spiritus, sed in his esse uoluit, in quo praecipue uim suam exereret, ne nullum esset discrimen inter ministros & dominum, inter lacunas & fontem. Opera precium est autem considerare, quanta sit uis huius pharmaci. Res publica corpus quoddam est. Huius pestes ac morbi sunt mali mores. Quibus diuersis regionibus precellentes sapientia uiri, leges seu remedia quadam opposuerunt, uelut apud Athenienses Solon, apud Lacedaemonios Lycurgus, apud Cretenses Minos, apud Romanos decemuiui. Nullus tamen horum potuit efficere, ut leges quas condidisset aliae quoque nationes amplecterentur. Ac ne tenuit quidem hoc illorum quisquam, ne praeter inanem operam, impudentia quoque lucrifaceret opinionem. Solon decem exilio leges suas obtrulit uni ciuitati. Plato uir tam doctus ac perinde facundus nunquam persuasit, ut Athenienses reciperent ipsius leges. Neque dubitandum tamen est quin omnes sibi persuaserint, leges quas condidissent esse ueras, & optasse, si fieri potuisset, ut totus terrarum orbis eas amplecteretur. Ac ne Mosi quidem leges ultra nationem unam propagatae sunt, quanquam pharisaei magna ambitione proselytos aliquot uenarentur. Denique ne Caesarum quidem uiolenta autoritas extorquere potuit, ut ipsorum leges apud omnes gentes haberent pondus. Et quod hi conati sunt proditis legibus, idem conati sunt philosophi praecipis suis, magno iudicio summaque cura proditis. Quorum nemo tam eloquens fuit aut tam eruditus, ut unicuique nationi persuadere potuerit. Adeo pharmacum, quod adferebant, uim habebat dilutam & inefficacem. Sola ueritas Euangelica intra paucos annos cunctas totius orbis regiones occupauit, peruasit, ac uicit: Graecos ac barbaros, doctos & indoctos, plebeios ac reges ad se pertrahens. Tam efficax erat huius ueritatis pharmacum: ut tot hominum millia, relictis patrijs legibus, relictis maiorum religione, relictis uoluptatibus ac uitijs, quibus ab incunabulis affueuerant, nouam ac peregrinam doctrinam amplecterentur: & ex diuersis linguis, diuersis institutis, in humilem quandam philosophiam consentirent: praesertim quum nulla aetas magis fuerit instructa, uel eruditionis facundiaque praesidijs, uel monarcharum potentia: quumque mundus omnibus suis praesidijs pugnaret aduersus inermem Euangelij ueritatem, tamen efficere non potuit, quin ea primum occupata Graecia, Neronis urbem & aulam inuaderet, moxque per omnes Romani imperij prouincias sese spargeret usque ad Gades & Indos, usque ad Afros, ac Scythas, & pernitus toto diuisos orbe Britannos. Haec gentes, linguis, legibus, ritibus, moribus, institutis, dijs, religione, forma plurimum inter se dissidebant. Mox ex tanta discordia facti concordēs, eandem cantionem canere coeperunt, Iesum Christum unicum orbis dominum seruatorem laudibus uehentes. Interim direptio bonorum, exilia, carceres, cruciatus, mortes, nihil aliud erant, quam profectus Euangelij. Quis unquam inuentus est, qui pro Solonis legibus

legibus, aut Zenonis decretis mortem oppetere sustinuerit: Pro simplici Christi doctrina quot senum ac iuuenum, quot matronarum ac uirginum milia suas ceruices prebuere scandas: Et tamen quanto sunt admirabilia magisque à sensu cōmuni abhorrentia, quæ docet Euangelium, quàm paradoxa philosophorum: Et illorum doctrinam nemo principum oppugnauit, & tamen sua sponte euanuit, quemadmodum, & leges & magia, & ritus sacrificiorum. Quis enim nunc sacrificat dijs ethnicorum, aut mactat Iudaicas uictimas: Quis nunc nouit Zoroastren: Quis Pythagoræ ænigmata pili facit: Quis Apollo in Tyanei uitam non ueluti somnium quoddam legit: imò quis legere dignatur: Nam quod Aristoteles hodie celebris est in scholis, non suis debet sed Christianis: perisset & illi nisi Christo fuisset admixtus. Aduersus Euāgelicam philosophiam adhuc teneram ac nascentem statim coortus est mundus omnibus suis præsidijs, per Iudæos prætextu religionis aduersus omnis religionis fontem pugnantes, per philosophos omni doctrinæ genere pollebentes, per sophistas disputandi pertinacia inuictos, per rhetores eloquentiæ uiribus admirabiles, per tyrannos omni genere sauitiarum armatos, per reges, præsides, magistratus, per magos ac præstigiatorum artifices, per demones huius mundi dominos. Hos omnes tumultus, uelut inundans malorum pelagus, Euangelicæ ueritatis uis excepit, sustinuit, perrupit, deuicit. Ad lucem enim Euangelicam æquum erat omnia humanæ potentie simulachra euanescere. Emicuit Euāgelium illud simplex & humile, quod omnes moliebantur obruere. Libri eorum qui summo ingenio, mirabili eruditione, exquisita facundia scripserunt aduersus Euangelium, ceu somnia quedam ultro euanuerunt, adeo ut ne extant quidem, nisi si qua fragmenta seruata sunt à Christianis. Reges quod prius impugnant, adorant; magica uis euanuit, demones eiulantes eijciuntur. Philosophia confessa est suam incertitiam, & relicta stulta hominum sapientia, amplexa est sapientem stultitiam crucis: Rhetores scribunt encomia Iesu Christi, poetæ deos ueteres exhibant, & pro innumeris unum Iesum Christum decantant. Hæc tanta mundi mutatio paucis annis à Christo occiso, per totum orbem fieri cœpta est, ac nullis præsidijs humanis semper incerta in malum, donec fermentum admixtum farinæ satis tribus, totam afficeret conspersione, donec granum sinapis terræ infossum, per Asiam, per Africam, & Europam latepanderet ramos suos. Accedit huc, quod qui ueritatem Euangelicam oppugnabant, non solum habebant uaria terribilia, quibus mascula quoque pectora possent lahesctari, ædicta, tribunaia, confiscationes, proscriptiones, exilia, carceres, euleos, uirgas, secures, cruces, ignes, bestias, mortes: uerum etiam illecebras uarias, quibus animus quamuis continens posset corrumpi. Dicebat Cæsar: abnega Christum, & esto inter proceres meos primus: ni facis, confiscabuntur omnes tuæ facultates, sauiam in uxorem ac liberos, ipse bestiis obijceris. Quis hic persuasit tot hominum milibus, ut cum gaudio acciperent honores ademptos, facultates direptas, ut conspicientes eos quibus nihil habebant secundum deum charius, rapi ad immania supplicia, gratias agerent: ut ipsi demum cum liceret effugere, cum liceret tantis potiri commodis, ultro se præberent excarnificandi. Nulla uis humanæ facundiae id potuisset, sed diuina uere uis potuit, quæ latebat in grano sinapis. Nec philosophorum doctrina caruit lenocinio. Stoici libertatem, ueras diuitias, sanitates, regnum, alia que dictu magnifica pollicebantur. Epicurei uoluptatem auribus hominum commendabant. Peripatetici corporis bona cum uirtute copulabant. At Euangelica doctrina, ut nullis terroribus humanis quenquam pertraheret: ita quàm nihil habebat in speciem plausibile, imò quàm multa prorsus incredibilia. Annunciat quendam Iesum suffixum cruci, qui morte sua liberasset genus humanum: hunc esse deum & hominem, natum ex uirgine, qui reuixisset à morte, sederetque ad dexteram dei patris, qui docuisset esse beatos qui hic ob nominis ipsius professionem lugerent, sitirent, esurirent, affligerentur, male audirent & occiderentur, olim reuicturos omnes: tum ipso iudice pios sortituros immortalitatem, impios perennes gehennæ cruciatus. Quis philosophus ausus fuisset hæc tam paradoxa, tam non plausibilia proponere: Et tamen hæc ita persuasit humilis Euangelij sermo, ut insanus habeatur qui non credat, ut tot hominum milia uitam citius deserant, quàm ueritatis Euangelicæ professionem. Et per quos tandem hæc tanta mutatio nata est: per paucos discipulos, ignotos, humiles, tenues, idiotas. Quid attinet de reliquis dicere, quum Petrus horum princeps piscator fuerit idiota, Paulus

futor coriarius, nullus omnium diues, aut potens, aut nobilis. Aut nihil habebant huius mundi, aut si quid habuerant, relinquebant. Et quomodo tales rem tantam præstare potuerunt: nimirum adferebant pharmacum in uili pyxide, sed diuina uel potens & efficax. Simplex & inconditus est Euangelij sermo, quem si quis expendat, ad Thucydidis, aut Titi Liuij historiam, multa desiderabit, multis offendetur. Quam multa prætermittunt Euangelistæ, quam multa tribus uerbis attingunt, quam multis locis non conuenit ordo, quam multis locis inter se uidentur pugnare. Hæc poterant lectoris animum alienare, ac fidem abrogare lectioni. Contra qui scripserunt humanas historias, quam solliciti sunt, unde rem exordiantur: quam curant, ne quid præter decorum, ne quid parum probabile, ne quid inconsistens aut absurdum narrent. Tum qua euidencia rem subiiciunt oculis, quibus delicijs delinunt ac retinent animum lectoris, ne quid obrepat tædij. Atqui horum elaborata monumenta magna ex parte interciderunt, & quæ supersunt, nec ab omnibus, & sine fide leguntur. Quis est enim usque adeo credulus, qui cõfirmet in Tuo Liuiio nihil esse falsæ narrationis. Verum tot hominum milia reperta sunt, quæ mallent decies mortem optare, quam admittere, in Euangelicis literis unicam esse falsam sententiam. Ex his an non palam agnoscimus, rem non esse potestatis aut prudentiæ humanæ, sed uirtutis diuinæ. Latens uis est in pharmaco, quod semel infusum corpori, se sparsit per uniuersas orbis nationes, ueluti per omnia mēbra. Habemus causam quur Euāgelica ueritas intra tā paucos annos per homines humiles, omni sæuitiæ genere rebellante mūdo, sese sparserit per uniuersum orbem. Nunc uero subierit alicui demirari, qua ratione factū sit, ut propioribus sæculis, cum mundus haberet principes Christianos, episcopos doctos, opulētos, magnæque autoritate præditos, sic in angustum contracta sit ditio Christi. Nam huius rei comperta causa, fortasse citius inueniretur remedium. Sed ego iam dudum oblitus mei, præfationis excedo limites. Redeo nunc ad nostrum medicum Lucam, quem ut tibi non dubito fore commendatissimum, ita uelim per te omnibus reddi commendationem. Ait sapiens Ecclesiasticus: Honora medicum propter necessitatem. Quanto magis huic medico suus habendus est honos, qui tam efficax pharmacum exhibuit, quod nulli non est necessarium, nisi si quis est qui uacat omni crimine, nec opus habet, ut seipso melior euadat. Erit autē & efficax, si pertaxi morbos nostros, pharmacum hoc frequenter arrodemus, si assidue commandemus, si transiciemus in stomachum, in intima pectoris, si nō reuomemus quod sumptum est, sed in animi stomacho continebimus donec explicet uim suam, nosque totos in se transformet. Expertus sum hoc in meipso, parum esse fructus ex Euangelio, si quis oscitanter ac perfunctorie legat. Sed si iugi & accurata meditatione in eo uersetur, uim quandam sentiet, qualem in nullis alijs libris. Iam ut hominū suspicionibus occurramus, quod singulas Euangeliorum Paraphrases singulis principibus dicauimus, casus est, non ambitio. Siquidem idem nobis hic euenit, quod in epistolis apostolicis. Quum scriberemus in Matthæum, nihil minus expectabamus, quam ut flagitaretur Ioannes, ac mox Lucas. Nunc ne qua lacuna uacua uideatur inter Euangelistas, addemus & Marcū. Quamquam qui diuersa Euangelia diuersis dicat, nihilo uideatur facere absurdius, quam diuina fecit Hieronymus, qui prophetas etiam minores diuersis attribuit. Admonuimus alios, ac rursus admonemus lectorem, ne plus tribuat nostræ paraphrasi, quam tribueret aliorum commētarijs. Non enim in hoc scribimus Paraphrases, ut Euāgelium excutiamus e manibus hominum, sed ut commodius & maiori cum fructu legatur: quemadmodū condiuntur cibi, quo libētius ac iucundius sumātur. Quin & illud mihi monendus est Lector, crassior, me nusquam in Paraphrasi loqui, ne, quod sub Euāgelistæ persona modeste ueregreditur, sub mea uideatur arroganter dici. Impartiat tibi Dominus Iesus spiritum suum rex inclyte, ut sub principe uere Christiano indies magis ac magis regnet floreatque ueritas Euangelica. Basileæ decimo Calend. Septemb.

Anno M D XXXIII

IN EVANGELIVM

L V C A E P A R A P H R A S I S P E R D E S.

Erasmus Roterodamum.



N HUMANIS HISTORIIS, quoniam ex cognitio-
ne rerum non mediocris capitur uel uoluptas uel utilitas, in
primis requiri solet narrationis fides. Sed hanc multo magis
esse oportet in Euangelica narratione, quæ non solum adfert
oblectationem animi uacui, aut utilitatem ad uitam hanc tem-
porariam, uerum etiam necessaria est ad ueram pietatem, sine
qua nemo consequitur æternam salutem, uitæq; immortalis
nunquam interituram felicitatem. Nec enim magnum pericu-
lum sit, si quis ignoret, quis fuerit Hannibal aut Alexander:
quid rerum gesserit Epaminondas aut Scipio: quid scripserit

*Quoniam quæ
dem multi cop
nati sunt*

Solon, Lycurgus, aut Draco: quid docuerit Socrates, Plato, uel Aristoteles: quanquam
harum quoque rerum cognitio, iuxta modum humanæ conditionis suum habet fructum.
Cæterum quisquis ignorarit patrem, filiū, & spiritum sanctū: quisquis non didicerit, quid
pro salute generis humani gesserit in terris Dei filius Iesus Christus, quid docuerit, quid
promiserit constanter adherentibus Euangelicæ doctrinæ, quid comminatus sit hæc ne-
gligentibus, aut etiam aspernantibus, is uitare non poterit, quin exclusus à sodalitate pio-
rum, exclusus à gaudijs uitæ coelestis, cum impijs, gehennæ supplicijs nunquam finiedis
addicatur. Ac primū quidem Euāgelium per apostolos ad hoc ab ipso domino delectos,
reliquosque discipulos spiritu sancto afflatos, uiua tantum uoce, sed optima fide, propaga-
tum est per omnes mundi regiones, atque indies latius latiusque diffunditur. Quoniam
autem facilius uitatur narrationis sinceritas, quæ uoce ceu per manus tradita permanat
ad plurimos, quam quæ scriptis proditur: idcirco Matthæus apostolus unus è numero duo-
decim, quos in hoc munus peculiariter designarat ac delegerat dominus Iesus, quum ad-
hucageret in terris: & Marcus Petri apostoli discipulus, afflatu diuini spiritus commoni-
tus, ut summam Euangelicæ narrationis in literas mitterent, non hoc agentes, ut alijs
præcipere istidem de rebus scribendi facultatem, sed ne per pseudapostolos quisquam cir-
cumuentus Iudaismum aut ineptas fabulas pro Euangelio sequeretur. Porro quemadmo-
dum non omnes pari sinceritate prædicabant Euangelium: ita nec pari fide qui scribunt,
tractant historiam Euangelicam. Complures enim ita conati sunt contexere seriem Euan-
gelicæ narrationis, quemadmodum alij scriptores rerum ab hominibus gestarum solent,
sepe falsa ueris admiscentes, quæque ex incertis uulgi rumoribus hauserant, pro compertis
narrantes: nonnunquam & ex sese comminiscentes, quod memorent, siue mentiendi libi-
dine, siue alio quopiam affectu corrupti. Atque ut sunt res humanæ natura procliuēs ad cor-
ruptionem, fortassis & in posterum exorientur, qui mentiendo de gestis doctrinaque Christi,
discipulorum eius, efficiant ut nec ueris habeatur fides. Proinde spiritus Iesu uellicauit &
meum animū, ut post Matthæum & Marcum, qui summa quidem fide, quod tum satis
esse iudicabant, prodiderunt: sed certo consilio quadam alijs scribenda reliquerunt, interim
uocis officio supplentes, quod scripto deerat: post que alios, qui idem non simili fide
fuerunt, quorum aliqui multa permiscuerunt, magnopere pugnantiā cum Euangeli-
cā doctrina: nonnulli magis hoc spectarunt, ut indignis Euāgelicæ grauitate fabulis exple-
rent hiantes historiarum rimas, quam ut ea narrarent, quæ spiritus sanctus iudicauit ad æter-
nam conducere felicitatem: contexta serie quadam narrationis Euāgelicæ, simul & ea sup-
plerem, quæ sunt ab alijs prætermissa, & excluderem auctoritatem cæterorum, qui uel sua
commenta, uel populari rumore, non optimo rerum autore cognita, pro certis & com-
pertis prodiderunt, aut prodituri sunt. Neque enim nos sic teximus historiarum seriem, ut ni-
hil omnino prætermittamus eorum quæ gesta sunt: sed ea duntaxat referimus, quæ co-
gruimus ad Euangelicam pietatem, & æternæ uitæ fructum pertinere. Nam infinitum
sit omnia perscribere, quæ Iesus uel fecit uel docuit. Sunt autem quæ citra salutis dispen-
dium ignorari non possint: sunt rursus quorum cognitio plurimum adfert utilitatis
ad

ad studium pietatis: sunt denique quæ citra periculum salutis, citra gratie dispendium, pietatis nesciri possunt: quemadmodum in rebus diuinis quæ scimus, minima portio est ad ea quæ nescimus. Ergo nec omnia persequemur, nec incerta commemorabimus, sed ea duntaxat, quorum certissima fides nobis est facta ab indubitatis apostolis ac discipulis, qui non solum ipsi pleraque suis oculis uiderant, suis auribus hauserant, manibus contrectarant, quæ nobis narrabant, uerum etiam aliqua pars fuerant eorum quæ gesta narrabant: utpote qui multa fecerint domini iussu, & illius causa permulta passi sint, nimirum omnibus in rebus indiuidui comites Iesu Christi. Nec ideo mihi debet esse leuior fides, quod ea scribam, non quæ uiderim ipse, sed quæ ab alijs didicerim. Rei tam inusitata, tam nouæ atque incredibili conueniebat, primum fidem ab omnibus corporis sensibus conciliari, deinde prodigijs ac miraculis euidentibus confirmari. Atqui hæc argumenta non possunt esse perpetua. Neque enim Christus diu se conspiciendum præbuit, & miracula pro tempore dantur hominum incredulitati, quondam & ipsa desitura. Satis est ab his initijs esse profecta fidei rudimenta. Vidit, audiuit, contrectauit Thomas, & credit: sed dominus eos beatos pronunciat, qui quum res gestas non uiderint, tamen Euangelico sermoni non minus fidant, quàm si rebus gerendis interfuissent. Alioqui si solis oculis habetur fides, ipsi quoque, qui cum domino corporalem egere consuetudinem multa narrant, quibus non interfuerunt, sed ab alijs bonæ fidei didicerunt, ueluti de natiuitate & genealogia Christi, de Magis, de fuga in Aegyptum, de tentatione Satanæ. Nos tamen rerum initia non uidimus, tamen rerum exitus uidimus. Vidimus in Apostolis, quicquid dominus in Euangelio promiserat. Vidimus illos afflatos cœlesti spiritu per impositionem manuum impartire spiritum sanctum & alijs baptizatis: quin etiam in nobis ipsis sancti spiritus uim experti sumus. Vidimus ad nomen Iesu fugari dæmones, pellimorbos: uidimus innoxia uenena. Vidimus Euangelij maiestatem per homines tenues, humiles, & idiotas, paucis annis per uniuersum orbem inclarescere, frustra repugnantibus mundi principibus. Nimirum & hoc prædixerat dominus: Quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Tales autores, tales rerum exitus, non sinunt nos dubitare, neque de ijs, quæ nostram ætatem præcesserunt, neque de ijs, quæ in postera secula promissa sunt. Quicquid prophetarum oraculis fuerat olim prædictum, Iesus adueniens præstitit: quicquid hincabiturus prædixit euenturum apostolis, euenit: nec dubitandum quin cætera simili fide præstaturus sit, quæ præstanda distulit in alterum ipsius aduentum: de resurrectione corporum, de præmijs piorum & impiorum. A certissimis igitur autoribus totam Euangelicæ rei seriem studiose peruestigauimus, atque ex his de legimus, quæ maxime uidebantur ad fidem & pietatem Euangelicam conducere, non sparsim & carptim attingentes, ut quæque inciderint, sed temporis ordinem ac rerum seriem sequuti, diligenter historiam digessimus: altius etiam rem repetentes, uidelicet ab eius conceptione, qui seruatoris aduentum, ut natiuitate, ita prædicatione, morteque præcucurrit. Tum de noua conceptione uirginis, de natiuitate pueri, de circuncisione, de purificatione, de prophetijs in puerum æditis, de quibusdam diuinæ indolis indicijs, quæ tam tum in puero ueluti scintillulæ quædam emicuerunt, de quibus cæteri, qui cum fide scripserunt ante nos, penè nihil attigerant. Post hæc de baptismo & prædicatione Ioannis: deinde de baptismo Iesu, de tentatione, de doctrina, de prodigijs, de morte, de sepultura, de resurrectione, de reditu in cœlum. His ordine digestis, altero uolumine addemus, quomodo miserit spiritum sanctum; quæque fuerint ecclesiæ nascentis, ac semper in maius gliscentis rudimenta: quid gesserint, quid docuerint apostoli præcipui, Petrus, Iacobus, Paulus, & Barnabas, quibus miraculis, quibus afflictionibus nomen domini Iesu glorificarint: non quod arbitrer hæc tibi noua futura, optime Theophile, sed partim ut ordine recognoscas, quæ carptim ab alijs didicisti: partim ut certiore fide percipias scripto nostro, quæ uiua uoce pridem ab alijs audieras, repudiatis complurium fabulis, quæ se nunc falso Euangelij nomine uenditant: neque tu solum (neque enim hæc uni scribimus) uerum etiam omnes uel huius ætatis uel posteræ, qui hoc sunt aut futuri sunt, quod tu nomine diceris, hoc est, omnes Theophilæ, qui Satanæ renunciantes, prompta credulitate, prijsque studijs ambiunt amicitiam dei: qui que spretis huius mundi malis ac bonis, inhiant ad ea, quæ perennia sunt ac cœlestia.

CAP. I



Vm iam adesset tempus illud diuino consilio præfinitum, uarijsq; prophetarum oraculis prædictum, ac tot iam seculis à sanctis ac pijs hominibus exoptatum, ut dei filius humanam naturam assumeret, sua morte redempturus humanum genus: sua doctrina suisq; factis nos ad ueri cognitionem, ac Euangelicæ pietatis studium instruendus, deniq; suis promissis nos erecturus ad spem uitæ cœlestis, quoniam totum hoc quod erat gerendum, nouum erat, nec ullis auditum seculis, nihil præteritum est argumentorum, diuina sapientia rationibus arcanis omnia moderante, quæ rei per se incredibili fidem apud homines conciliarent. Quis enim unquam audiuit hominem ex homine fuisse natum in terris, qui semper deus regnaret in cœlis: Prodigiorum plenæ sunt etiam ethnicorum historiae. In ueteris instrumenti uoluminibus discimus ignem e cœlo missum, mare diuisum in duas partes, aquam ictu uirgæ prolicitam e petra, mortuos denique reuixisse. Quis unquam audiuit uirginem citra uirilem operam peperisse? Erat autem nostræ salutis caput, illud esse persuasum omnibus, Iesum esse Messiam, cuius aduentum omnia prophetarum uaticinia promiserant, quem tota Mosi lex adumbrarat, à quo uno salus esset omnibus speranda. Proinde diuino consilio paratus est: qui cœlestem uirginis partum, & ipse mirabili modo natus, præcurreret: qui nobilitate generis, qui inaudita uitæ sanctimonia, quiq; raris doctibus parta apud omnes autoritate, Iesu nondum noto, primam notitiam ac fidem conciliaret apud incredulos Iudæos: quemadmodum euangelica philosophia, cuius princeps & autor erat Christus, uetustæ legis, cuius typum gerebat Zacharias & Ioannes, testimonio primum orbi commendata est. Mox uersis rerum uicibus, ut Christus, proditijs suis uirtutibus, obscurauit Ioannis gloriam: ita fulgor Euangelicæ maiestatis, ubi sese prodidit mundo; Mosæicæ legis autoritatem uelut antiquauit. Iacob autem patriarcha morti uicinus, quum fatidico afflatus spiritu plurima prædiceret, quæ multis post seculis essent euentura, iamq; uentum esset ad Iudam, e cuius tribu proditurus erat dominus Iesus iuxta carnem, uaticinium huiusmodi deprompsit: Non auferetur sceptrum de Iudæ, & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Hæc prophetia satis euidenter significabat tum uenturum Messiam, quum Iudaica natio, quæ semper à suæ gentis ducibus, iudicibus, regibus ac sacerdotibus fuerat gubernata, pareret alienigenæ principis: simul & illud indicans, Euangelicam gratiā, à Iudæis spre tam, ad gentes demigraturam. Sed primus omnium Herodes Antipatri filius, quum non esset Iudaici generis, & altoqui uir impius, non solum in gentis honorē coopatus est, uerum etiam fauore Cæsaris regnum in Iudæos obtinuit. Proinde uel hoc indicio conijcere poterant scribæ & pharisæi, qui legis exactam scientiam profitebantur, iam adesse tempus quo nasceretur ille, qui regnis terrenis abolitis, inueheret regnum cœleste, quiq; pro tyrannis faceret pastores, pro dominis patres. Porro quum Iudaici sacerdotij summa quædam & admirabilis esset apud omnes dignitas, prædixerat spiritus sanctus per prophetas, & hoc abrogandum posteaquā uenisset ille, qui non oleo corporali unctus ab hominibus, sed oleo cœlesti iuxta spiritum unctus à deo, unico quidē, uerum efficacissimo sacrificio tolleret omnia peccata mundi, ac per fidem Euangelicam, diuiniq; spiritus largitatem sanctificaret uniuersa. Prædixerat enim Daniel post hebdomadas annorū à deo præfixas, futurum ut ungeretur sanctus sanctorum, ac deinde cessarent hostiæ ac sacrificia ueteris legis. Quum uenerint æterna, cessabunt temporaria: quum uenerint spiritusalia, cessabunt carnalia: quum uenerit ueritas, cedent simulacra: quum uenerit lux, euanescent umbræ: quū coeperit loqui Christus, obmutescet uox crassæ legis, donec & ipsa partim profiteatur eum, quem antehac typis quibusdam ueluti nutibus innuit magis quam eloquuta est. Hoc igitur tempore, quum Herodes, primum alienigena, deinde uir impius, ac multis homicidijs & parricidijs funestus, rerum summa potiretur apud Iudæos, nō ex autoritate dei, sed ex fauore Cæsaris Augusti: cumq; Iudaici templi religio, quæ figuris ac caeremonijs corporalibus constabat, maxime floreret apud homines, quū apud deū sub falso religionis pretextu, inter scribas, pharisæos, seniores & pōtiffices, extrema regnaret impietas, domini Iesu aduentus his iniurijs primum cœpit innotescere mundo. Erat sub impio rege sacerdos pius, uidelicet reliquiæ uetusti ordinis, nondum tot uitijs corrupti,

Fuit in diebus

Herodis regis

Sacerdos quidam

Dan. 9

huius

huic nomen erat Zacharias, quem id temporis sortes ac uices in orbem recurrentes, ad sacrorum administrationem uocabant. Sic enim David uniuersum sacerdotum genus in duas principales familias digesserat, Eleazar & Ithamar. His subiectas familias reliquas distinxit in sortes uigintiquatuor, ut ordine singulæ per suas uices sacris operarentur dies octonos, abstinentes interim ab omnibus, quæ iuxta Mosaicis ritus uidebantur hominem impurum reddere, temperantes & à congressu coniugum, nec attingentes priuatas ædes, sed assidue uersantes in templo, quo castius ac purius tractarent rem diuinam; cæteris interea fas erat, uxoribus, liberis, cæteris que rebus profanis, sed necessarijs uacare. Porro dum hic ordo sortibus digeritur, inter uigintiquatuor familias octauus locus obtigit Abiæ, unde Zacharias ducebat originem, & in cuius uices successerat. Hæc tamen si casu geri uidebantur, tamen nihil non dispensatum est diuino consilio, ne numero quidem ordinis ocioso. Siquidem ut hebdomas multis de causis uetustæ legis typum habet, ita ogdoas Euangelicæ gratiæ congruit, quum non iam per opera legis, sed per fidem gratis donatur æterna felicitas. Erat autem & uxor Zachariæ Elizabet, non tam generis nobilitate commendabilis (ducebat enim genus è primo gentis Israeliticæ sacerdote Aaron) quàm morum integritate uenerabilis, ne non esset tali marito digna coniunx. Erat enim uere sanctum coniugium, non tam coniunctione corporum, quàm animorum similitudine, ac pietatis societate confœderatum, propterea quod essent ambo uere iusti: non iustitia phariseorum, qui se falsa quadam specie sanctimonix uenditabant oculis hominum ad quæstum & gloriam, obscurantes facies suas, præcinente tuba dantes elemosynas suas: prolixis precibus in angulis platcarum uenantes opinionem pietatis, cum animus maderet omni spurcitie scelerum: sed synceris animis sic seruabant omnia, quæ dominus per legem præceperat, ut nec hominibus darent ullam ansam reprehensionis, & quod est difficillimum, oculis etiam Dei semet totius uitæ puritate commendarent: procurante nimirum & hoc diuino consilio, ut is qui Christo uenienti perhibiturus esset testimonium, esset ipse numeris omnibus populo Iudæorum commendatus, primum generis paterni simul ac materni sacerdotali nobilitate, parentis utriusque inculcata uita, tum suis ipsius raris & admirandis uirtutibus, postremo gloriosa morte pro ueritate obita. Talis nimirum præco decebat eum, qui uenerat uniuersum mundum odore bonæ opinionis ad se pellecturus. Quin & illud diuina prouidentia procuratum est, ut natiuitatis nouitas excitaret hominum animos in admirationem Ioannis: nihilque plebeium expectarent ab eo, qui non iuxta uulgare naturæ cursum, sed cœlesti beneficio natus esset. Quamquam enim probatissima esset apud omnes Zachariæ & Elizabet sanctimonia, tamen in hoc parum felix uidebatur illorum pietas, quod ambo consensissent orbi. Nam apud Iudæos ut magnifica quædam res habebatur matrimonij fœcunditas, ita sterilitas cum primis erat in probro, & inter præcipua uitæ mala numerabatur. Vulgus enim interpretabatur à deo reiectos esse, quibus non obtigisset populum deo sacrum aliqua prole locupletare. Nondum enim didicerant carnales Iudæi, spiritua!em esse populum, quem deus uellet cœlesti generatione semper in maius propagari: nondum audierant esse beatos, qui se castrassent propter regnum dei. Ea res grauiter discruciat animos amborum, sed præcipue Elizabet, quæ iam probroso cognomine uulgo sterilis uocabatur: & ut deplorata sterilitatis mulier, inter infelices matronas numerabatur, quæ plurimis annis in mariti cōsortio peractis, nullum matrimonij fructum edidisset. Etenim sterilitatis probum potissimè in fœminas cadere solet. Auxerat prolis desperationem utriusque senectus, sed quod naturæ uirtus non dabat corporum congressui, hoc pijs animorum uotis indulsit diuina benignitas. Itaque quum Zacharias sacerdotij munere fungeretur in ordine uicis suæ, quæ erat, ut diximus Abiæ, & in templo uersans in conspectu dei, purus & castus sacris operaretur: iamque ex more, sorte deligendus esset, quis introiret secretissimum templi secessum, quod dicitur sanctum sanctorum: sorte delectus est ille, ut ingressus sancta sanctorum, quò nemini fas erat ingredi præter pontificem, aut huius loco designatum, ex præscriptis odoribus, stacte, onyche, galbano, ac thure pellucido sacrum suffitum poneret in altari, quod erat in secreto templi recessu. Habebatur enim hoc sacrificij genus apud Iudæos omnium sanctissimum, nec ad huius conspectum admittebatur profana multitudo, ac ne Leuitarum quidem quisquā. Sed reliqui manebant foris, seclusi uelo, deprecâtes interim,

ut quod

quod pro totius populi salute offerebatur, deus ratum habere dignaretur: donec sacerdos, peracto intus sacrificio, prodiret ad populum, reliquaque perageret, quæ ad sacrificij legitimos ritus pertinebant. Porro sacerdos non solum orabat pro populo, uerum etiam pro se iuxta legis præscriptum, nimirum mortalis & ipse, & erroribus ac uitijis humanis obnoxius. Quum igitur Zacharias olim crebro uotis deum fatigasset, ut uxorem ipsius sterilitatis probro, se orbitatis molestia liberaret, tamen desperatione prolis iam pridem concepta, tum publicam populi redemptionem, multis iam seculis expectatam, uotis ardentissimis, uelut à deo præsentem postulabat. Ac suffitus quidem insurgens ab ara per aerem diffundebatur. Caterum prius pontificis uotum ad deum usque penetrabat, angelis nimirum perferentibus, quorum illæ partes sunt, piorum preces ad cœlesti numen perferre, & rursus illius munificentiam ad nos deferre. Angelus igitur e cœlo missus astabat ad dextrum latus altaris, in quo odores adolebantur, ueluti læta nunciaturus, quod quæ de extra sunt, felicitatis habeant omen. Hunc ubi cœlesti luce fulgentem subito uidisset Zacharias: nec enim hominum more ingressus est, sed repente sese conspicuum exhibuit: sane conturbatus est animo, ac pauore correptus est: non quod quicquam formidabile præ se ferret angelus: sed quod humani corporis infirmitas non sustinet cœlestium spirituum maiestatem. Verum ut humanæ imbecillitatis est ad subitum angeli conspectum inhorrescere: ita illorum benignitatis est, nostrum pauorem blando alloquio tollere. Itaque blando uultu, blandaque uoce compellans Zachariam angelus ait: Non est quod expauescas Zacharia, sed est quod gaudeas. Nam adfero tibi, toti que populo, pro quo intercedis, lætum nuntium. Annuat deus prius uotis tuis. Venturus est ille iam olim promissus, multisque iam seculis expectatus Messias, liberator ac seruator populi sui. Nec solum hoc impetratum est, quod petisti, uerum etiam illud ad cumulum uotorum adijcit diuina bonitas, quod tu petere non audebas, quoniam fieri posse desperabas. Petisti redemptorem, accipies & redemptoris præconem. Elizabeth uxoris tuæ diuino consilio dilata fecunditas, ingens gaudiorum fœnus adferet tibi: ac publica totius populi læticia, cum priuata tuæ domus gratulatione copulabitur. In hoc proficiet desperata fecunditas, ut omnes intelligant, non esse partum uulgarem, sed autore deo nasci quod nascetur. Pariet quidem uxor tibi, sed non tibi soli pariet, pariet uniuerso populo, pariet deo, cuius prouidentia totum hoc negotium temperatur. Hoc mirabilius pariet, quo serius: hoc plausibilius, quod præter spem: hoc felicius, quod filium pariet, non quemlibet, sed magnum maximi Messie præconem ac præcursores, & uelut antambulones ac uiatores. Ad tantum eximium munus gratuito dei fauore delectus est, & ideo uocabis nomen eius Ioannes, ut uel hinc admoneatur populus, illum fore deo gratissimum, ac diuinis dotibus affatim cumulatum. Itaque moeror, quem hactenus attulit tibi coniugis sterilitas ubere gaudio multaque exultatione pensabitur. Nec istud gaudium intra tuæ domus parietes continebitur. Gaudebunt tuo gaudio complures amici, qui prius tuo dolore dolebant. Gaudio gestient omnes in natiuitate filij tui, qui sitiunt aduentum Messie. Hunc ueluti solem, filius tuus ceu lucifer qui dum præcurret, admirabili luce prænunciaturus illius imminens exortum, qui totius mundi tenebras dispellet. Erit ille quidem incomparabiliter maximus, sed & filius tuus quemadmodum hoc erit inferior, ita cæteros omnes prophetas, qui hactenus fuerunt, dignitate superabit. Futurus est enim uere magnus, non solum hominum opinione, uerum etiam in oculis domini: cui nemo magnus est, nisi dotibus quas ipse largitur. Nec enim opibus aut strepitu uitæ, aut regno mundano magnus erit, sed harum potius rerum contemptor, quæ magnos reddunt quosdam in oculis hominum: quod minus appetet huius mundi commodum, hoc uberius cœlestibus bonis cumulabitur. Tantum autem aberit à luxu, ceterisque corporalibus oblectamentis, ut nec uinum nec siceram sit unquam bibiturus, hoc est quicquid sobrietate adimere potest homini. Non enim habent locum hæc sordide uoluptates in eo, cuius pectus spiritus sanctus occupat, qui filij tui mentem intra ipsos etiamnum uteri materni sinus latitantis replebit, ut gestu prophetam agat priusquam effari liceat. Mox ubi cum ætate creuerint diuini spiritus munera, mira perficiet, uel exemplo uitæ sanctissimæ, uel admirabili prædicatione. Siquidem iuxta Malachie uaticinium, multos ex filiis Israel alienatos à deo dum freti carnali lege, negligunt ea, quæ legis figuræ designant, conuertet ad dominum deum ipsorum, magna libertate prædicans instare regnum cœlorum

Apparuit autem illi angelus

Et multi in natiuitate eius gaudebunt

Vinum & siceram

rum, ad uitę prioris pœnitentiam adhortans, baptismo preludēs abolitioni peccatorum, quę per Messiam erit futura. Deniq; commonstrans omnibus eum, quē deus in hoc missus est, ut per unum salus æterna contingat uniuerfis. Is Messias primum adueniet humilis, ut omnibus sibi fidentibus, gratis conferat æternā salutem. Deinde rursus adueniet cum maiestate, pro suis cuiq; factis præmium redditurus: pijs uitam æternam, incredulis & impijs mortem æternam. Quemadmodum autem iuxta Malachię uaticinium, Helias præcursor erit aduentus secundi, sua prædicatione præparaturus animos hominum, in diem illū domini magnum ac terribilē: ita tuus filius præcursor erit prioris aduentus, quod deus per Messiam filium suum descendet in terras, per eius prædicationem uniuerfos homines ad sui cognitionem & amorem inuitaturus, & ob id à nonnullis Helias esse creditur. Nec immerito dicitur Helias, qui spiritu ac uirtute Helię præueniet aduentum domini: ut quemadmodum scripsit Malachias, conuertat corda patrum ad filios, quo Iudæi, qui rätopere degenerarūt à religione maiorum suorum, resipiscant, seseq; referant ad meliorem frugem: & credentes Messię sermonibus, per quem deus illis loquetur, uere promereantur dici filij Abrahę, dum Abrahę credulitatem imitantur: simulq; eos, qui contēci legis inhærentes, nō intelligunt mentem ac uim legis, conuertat ad prudentiam iustorum, qui didicerunt altius quiddam & sanctius occultari legis tētorio, quod breui Messię, qui legē absoluet, prædicatione proferetur. Sed huius cœlesti prædicationi filius tuus præuius, præparabit animos hominū, ut aduenienti tradat populum, non omnino rudē, sed iā agnitione peccatorū suorum, expectatione regni cœlestis, ac desiderio uēturi Messię, præparatū atq; instructum. Sic enim uisum est deo, iactis primum initijs ac rudimentis, per gradus paulatim ad summa prouehere mortales, ad extremam ignorantiam & impietatem prolapsos. Hęc angelo loquente iam metū posuerat Zacharias, sed quoniam magnifica promittebat, ac iuxta naturę cursum incredibilia, Iudæorum more, atq; etiam synagogę typum gerens, postulat signo quopiam pondus astrui promissis, ut miraculum miraculo fidem impetraret. Respondit igitur hunc in modum angelo: Quoniam argumento præsentis cognoscere queam, certum esse quod polliceris in posterum: Nam alioqui reclamatur naturę sensus. Siquidem ipse iam consenui, & uxor prouectionis ætatis est, quā ut ex ea partus sperari debeat. Quomodo continget uetulis & effœtis, quod iuuenibus & corpore uigentibus non contigit? Tum angelus: Si hęc tibi promitteret homo missus ab hominē, non iniuriā de promisso dubitares. Fateor enim esse supra uires humanas, fateor esse præter communem naturę ordinem, quod promitto. Sed nec angelus potest adferre uanum nuncium: neque quicquam est tam incredibile apud homines, quod deus non facile præstet ijs, qui credant ipsius promissis. Ego enim sum angelus ille Gabriel, olim missus ad Daniele propheta, qui inter septem præcipuos cœli ministros semper assisto in conspectu dei, paratus ad omne obsequium diuinę uoluntatis, Nunc in hoc peculiariter à deo designatus, ut in hoc negotio, quo non aliud unquā actum est maius aut mirabilius, inter deū & hominē internuncium agam. Huius igitur, ne quid diffidas, promissi deus autor est, ego nūcius ab eo missus, ut hęc tibi referam, lætūq; nuncium adferam. Dabitur autem, quando id postulas, quod simul erit & in posterum præstandi promissi argumentum, & præsentis diffidentię pœna. Ecce subito ab hoc tempore fieri mutus, nec poteris quicquam effari, donec filius natus, meam fidem liberabit, de qua dubitari non oportuit. Instat enim tempus, ut sileat incredula synagoga, neq; linguam habeant, nisi qui prompta credulitate paruerint Euangelicę prædicationi. Dum hęc aguntur in intimo tēpli tabernaculo inter Zachariā & angelū, populus uniuerfus expectabat ut prodiret ex more sacerdos, reliqua peracturus apud multitudinem. Admirabantur autē quod solito diutius commoraretur in tabernaculo. Tandem Zacharias prodit ad populum, uultu quidem insolitam læticiam præ se ferente, sed elinguis. Quibus ex rebus populus intellexit illi uisum aliquod intus apparuisse. Solet enim numinū ac cœlestiū spiritū congressus habitum humani corporis immutare, quemadmodum & olim accidit Moysi. Porro quod lingua proloqui nō poterat, nutibus indicabat, nimirū feliciter esse litatum, gratias agerent deo, qui uota suorū exaudivisset. Permanfit autem Zacharias in templo fungens officio suo in administrandis sacris, usq; ad expletum dierum numerum. Habebat interea populus Iudaicus mutum sacerdotem, mox cessaturę legis indicium, eiq; cessurę

qui

quæ prolata ueritate, rerum umbras submoueret. Cæterum expleto legitimo tempore functionis, Zacharias recepit se in domum suâ, ibi fretus angeli promissis, complexus est sterilem ac uetulam suam Elizabet; nō enim hic libidini uacabatur, sed desiderabatur proles, quæ dei gloriam sua uita & prædicatione illustraret, quicq; præcursor esset futurus eius, qui diu expectatus, tandem perfectam salutem adferret omnibus. Casti coniugum complexus sunt, quos diuina promissio copulat, non libido. Sanctus est coitus, qui nihil nisi prolem ambit. Pius amor prolis, quæ non nobis gignitur, sed publicæ salutis. Porro postea quam iuxta promissum angeli cōcepisset Elizabet, abdidit sese à conspectu populi mensibus quinq; læta quidem de cōceptu, sed ut est uere cunda probitas, suppudefcens, quod his, qui nondum inquerant hæc autore deo geri, iam anus adhuc libidini uacasse posset uideri. Nec enim ignorabat, quā sit prouum ad male suspicandum, simul & male loquendum uulgi hominum. Spectabat & illud prudens mulieris animus, non esse iactandum dei donum apud populum, donec certū esset, ne si quid sefellisset, sterilitatis probum ob frustra speratam anui prolem, conduplicaretur. Verum ubi iam sese certis argumentis cognouisset grauidam, sic suæ felicitati gratulata est, ut hoc totum quicquid esset, ad dei bonitatem referret. Hactenus, inquit, sterilis & effœtæ probro traducta sum apud populum Israëliticum, cui turpior est corporis sterilitas, quā animi improbitas. Sed ut uideo, dominus in hoc fecunditatem distulit, quo non solum eximeret me à probro sterilitatis, uerum etiam cumulatius adferret gaudium præter spem nata proles. Nam planè dei munus est, qui quo ipsi uisum est tempore, dignatus est ancillam suam respicere, quod post hac unica seraq; sed insigni prole quam deo genui, prædicabor mater felicior multis, quæ numero so partu locupletant suos maritos. His ita gestis, restabat ut sanctior ac maior huius mysterij pars per angelum procuraretur; uidelicet ut quod nunquam ab orbe condito fuisset auditum, neq; posteris seculis foret audiendum, filius dei, deus immortalis, ex homine uirgine nasceretur, homo mortalis. Ergo quum appeteret tempus illud ab æterno præfinitum, ut deus per filium suum mundū uniuersum à mortis ac peccati tyrannide liberaret, misit eundē angelū Gabrielē, ueluti paranympheu ac diuinū cum uirgine cōgressus cōciliatorem. Id factum est mense ab Elizabet conceptu sexto. Erat ad hoc cœlestē negocium delecta uirguncula, non opibus, non nominis claritate, nō uitæ strepitu, nō alijs rebus quas hic mundus admirari solet, commendata, sed eximijs animi dotibus prædita, quæ commendant hominem oculis dei, puritate, modestia, pietate. Ea habitabat in humili ciuitatula Galileæ Nazareth, gentis apud Iudeos contemptæ. Erat autem uirgo desponsa uiro, nulla re nobili iuxta mundi æstimationem, sed animi uirtutibus deo commendabilis: arte faber, cui nomen erat Ioseph, genus ducens è stirpe Dauid, è qua genus traxerat & sponsa, ne res non congrueret prophetiæ, quæ Messiam promiserat ex genere Dauid regis. Porro nomen uirginis erat Maria. Humiles delegerat deus, ne quid in hoc cœlesti negotio sibi mundus uindicaret. Moribus inculpatissimis ac purissimis delegerat, ne quid in hos criminis posset impingi. Casto coniugio iunctos delegerat, ut uirginei partus arcuatum in suum usq; tempus cœlaretur, simulq; ne testis idoneus deesset rei alioquin incredibili, quod citra uirilē congressum uirgo peperisset. Hæc quū in suo cōclauī uacaret rerum cœlestium cōtemplationi, quemadmodū uirginitas amat secretum, Gabriel angelus multa luce conspicuus ingressus ad eam, nouo genere salutationis illam affatus est. Aue, inquit, & gaude uirgo gratiosa & fauorabilis. Dominū habes tibi fauentem ac propitium. Et ob hoc eris unice celebris, ac laudati nominis inter omnes mulieres. At uirgo ad subitum aspectum angeli, simulq; ad nouam & inauditam salutationis formā auditam, quum ipsa nihil magnifice de se sentiret, non nihil animo turbata est. Nam quod expauit ad inexpectatum formæ iuuenilis ingressum, uere uirginei cuiusdam ac teneri pudoris erat: quod non ilico respondit, sed secum in animo uersabat, quid sibi uellet tam noua tamq; magnifica salutatio, partim erat prudentiæ, partim modestiæ. Quū autem non lateret angelum, quid illa secum agitare, non passus est eam diutius animo fluctuare, sed & pauorem blando ademūt alloquio, & nouæ salutationis causam exposuit. Nō est, inquit, quod metuas Maria, in tuto est tibi, quæ unice diligis, uirginitatis thesaurus. Nec te uana salutatione demulceo. Et lætissimæ rei, & maximæ tibi nuncius adsum. Noli expendere merita tua. Diuini fauoris est quod offertur, non meriti tui. Hoc ipso places domino, quod tibi

Quia sic fecit
mibi dominus

In mense autē
sexto

Desponsatam
uiro

non places. Sit illud tibi satis, quod nacta es gratiam ac fauorem apud deum. Accipe rem inauditam, sed ueram. Concipies foetum in utero tuo, pariesq; filium, ac uocabis nomen eius Iesum, quoniam salutem adferet populo suo. Quanquam autē ex humili loco, ex humili puella natus, tamē diuinis uirtutibus erit modis omnibus maximus: adeo, ut postea quam innotuerit mundo, uocandus sit non propheta, sed filius altissimi. Cognomen erit maius humano modo, quia quod nascetur, erit humana cōditione sublimius. In hoc nimirum praeſtabit dominus deus, quod promisit uaticiniū tibi non ignotū: ē stirpe Dauid natus, sedebit in progenitoris sui solio. Nō occupabit sibi mundi praesidijs regnū mundi temporarium, sed pater coelestis dabit illi regnū Dauid coeleste, ac regnaturus est super uiros israelitas in eternū. Nec huius regni uenturus est ullus finis, quemadmodum uaticinatus est Eſaias propheta. Ex his tamen magnificis angeli promissis, nihil minus est insolentis, or uirginis animus, nec ex rerum sublimitate cōcepit diffidentiam, non praesumebat animo, se quoq; cum filio regnante regnaturum: nec ignorabat nihil esse tam arduum, quod solo nutu non posset deus. Tantum de uirginitatis adamato thesauro sollicita est. Proinde non postulat ab angelo signū, quēadmodum fecerat Zacharias, tantum modū rei gerendae, uerecunde simul & prudenter quaerit ex angelo cognoscere, respondens hunc in modum: Qua nam, inquit, ratione fiet, ut pariam filium, quandoquidem ita desponsa sum uiro, qui quum nunc uiuo, ut mihi tamen cum eo non sit consuetudo connubialis? Placet enim utriq; castitas, & hanc felicitatem nobis, si liceret, cuperemus esse perpetuā. Docet igitur modum angelus, & de uirginitate scrupulum eximit uirgini. Nihil hic, inquit, o uirgo geretur iuxta communem naturae cursum. Coelestis erit partus, ac coelesti peragetur opifice. Castū sponsum tuum amore casto perges prosequi. Continget tibi felicissima foecunditas, absq; ullo uirginitatis detrimēto. Nō enim tibi in hoc additus est sponsus, ut is te matrem faciat, aut tu illum patrem, sed hac ratione diuinā prouidentia, tua incolumitati, tuae famae ac uirginitati debitae tranquillitati consultum esse uoluit. Voluit adesse certissimum testem noui partus. Nolu it deesse, qui casto conuictu, qui fidei obsequijs tibi, pueroq; qui nascetur, inseruiret. Deniq; hoc consilio uoluit hoc mysteriū celatum esse incredulis, celatum etiā impijs spiritibus. Sanctus hic diuinæ naturae cū humana coitus, nō uio labit pudicitiam tuam, sed consecrabit. Decreuit pater coelestis nouo modo rursus filium suum ex te gignere. Nec erit opus ad diuinum conceptum ullo uiri mortalis semine, sed spiritus sanctus coelitus illabatur in te, inq; tuo utero, uelut in officina coelesti, sacri foetus opificium peraget, ac pro mariti corporali cōplexu, obumbrabit tibi altissimus, sic immensam uirtutem suam ad humanæ naturae modum attemperans, ut congressum sustinere possit. Vbi libido intercedit in coitu, ibi quod nascitur, immundum nascitur, & peccato obnoxium. Cæterum quod ex te nascetur, quoniam ex sanctissimo complexu concipietur altissimi: quoniam ex opificio sancti spiritus, qui sanctificat omnia: quoniam ē purissima uirgine, quam unam in hoc deus delegit immunem ab omni labe uitiorum, mox sanctum erit ut cōceptum fuerit. Ac propter corpus humanū, de tui corporis substantia desumptum, recte dicetur filius uirginis ac filius hominis: cæterū post intellectum huius natiuitatis mysteriū, non dicetur filius Ioseph, sed filius dei: nō quidem uulgari more quo iusti purgati à peccatis ac per gratiā dei iustificati, per adoptionem dicuntur filij dei: sed singulari ratione uocabitur filius dei, ex quo uere bis natus sit, semel absq; initio, ab æterno æternus: nunc in tempore ex matre mortali mortalis, homo ex homine. Sicut autē in hoc congressu diuina natura cū humana conglutinabitur, ita partus utriusq; parētis naturam referet. Hoc diuini cōsiliij mysterium sublimius est q̃ ut uel ab angelis percipi queat. Tibi satis est mentem credulam, & ad obsequiū promptam exhibere. Cætera pro suo arbitratu peraget is, qui quicquid uult, potest. Iam ut gaudium tuum sit cumulatiū, & certior fiducia, sume exemplū recens ē proximo. Ecce Elizabeth cognata tua, anus illa iam diu deplo rata sterilitatis, præter omnem spem, præter naturae uires, me nuncio concepit filium, cui partus præconem futurum. Iam dudum certus conceptus est, tumet uterus, uiuit ac mouetur infans. Nā hic mensis illi sextus est, ex quo concepit illa uulgo dicta sterilis, & anteq̃ senesceret: nunc etiam prouectioris ætatis, q̃ ut sperari possit soboles, etiā si antea sterilis non fuisset. Hoc uisum est deo, ut intelligant omnes nihil esse tam incredibile apud homines, quod non præstet diuina uirtus, si uoluerit. Tam facile dabit conceptum uirgini,

Quod nasci
tur ex te
sanctum

Vocabitur
filius dei

quam dedit sterili: nisi quod tuū exemplum singulare uoluit esse, propterea quod partus
 futurus singularis. Peperere diuino munere steriles aliquot, sed nihil aliud quam homi-
 nes peperere. Nulla antehac uirgo peperit, nec ulla post te paritura est, quia nō nisi semel
 nascetur, qui diuinam & humanam naturā unus in se complectatur. Hæc ubi dixisset Ga-
 briel, uirgo paucis uerbis respondit, sed quæ summam animi modestiam, cum summa fi-
 ducia pietateq; coniunctam testarentur. Scio, inquit, promissum esse per os Esaie, ut uirgo
 conciperet, & pareret filium: nec dubito, quin possit deus omnia quæ uelit, nec faller in
 promissis suis. Quod si ita illi uisum est, me puellam omnium infimā ad huius mysterij mi-
 nisterium deligere, nihil est quod hinc mihi uindicem uel meriti, uel gratiæ, totum erit di-
 uinæ bonitatis, totum erit diuinæ uirtutis, me tantum offero ancillam domino, cui semel
 dicata sum, paratam ad omne obsequiū. Credo quod promittis, & opto ut quam primum
 mihi contingat, quemadmodum promittis. Simulq; cum dicto peractus est insensibiliter
 celestis ille conceptus, habebat in utero filium dei, repleta est spiritu sancto. Ac mox re-
 liquit illam angelus. Ab hoc sancto uirginis cum angelo colloquio deus auspicari uoluit
 restituendi generis humani negocium, quando primum illud pestiferum uirginis cū ser-
 pente colloquium, exitij seminarium inuexerat mundo. Ac paucis post diebus Maria ex
 munere diuino facta modestior & officiosior, quoniam ex angeli sermone didicerat Eli-
 zabet cognatam suam sextum iam mensem esse grauidam, relictis ædibus suis, profecta
 est in montana, magnaq; celeritate peruenit in ciuitatem ludæ, ubi habitabat Zacharias,
 & ingressa domū salutē & gratulationem obtulit cognatæ. Siquidem uera pietas po-
 tius gaudet de felicitate aliena, quam studet iactare suam. Amat secretum uirginitas, non
 euocatur ab ædium intimis, nisi prouocet officium: in publico properat, in officio lentior
 est. In toto itinere neminem salutauit Maria, donec uentum esset ad Elizabet. Nec uero
 uulgaris fuit illa salutatio. Creuit utriusq; ex mutua gratulatione felicitas, exuberauit spi-
 ritus diuini uis. Maria fontē omniū spiritalium dotiū secum ferebat in utero, suiq; foetus
 afflatu iam tota spirabat deum. Itaq; factum est, ut simul atq; uirginis salutatio tetigisset au-
 res Elizabet, infans quem anus gestabat in utero, ueluti gaudio gestiens exsili-
 ret. Sensit Io-
 annes nondum natus domini sui modo concepti diuinam uirtutem, & intra materni ute-
 ri sinus gestu prædicat eum, quem olim erat sua uoce prædicaturus. Nec sine fructu sen-
 sit sanctum infantis sui tripudium Elizabet, per foetum diuinitus afflatum afflatur & ma-
 ter, ac felici contagio corripunt omnia. Per Mariæ uocem celestis uirtus penetrat in foe-
 tum Elizabet, per foetū afflatu correptum, afflatur & mater, sic ut ipsa repleta spiritu san-
 cto, nō iam continuerit animi sui gaudia quæ prius tacita latitauerat, conceptum pudore
 dissimulans: sed ingenti uoce, quā ingens affectus suppeditabat, exclamauerit ea promēs
 afflatu spiritus, quæ nec ex uteri tumore suspicari poterat, nec ex homine didicerat: & per
 inde quasi angelum audisset cum Maria loquentem, ita uerbis angelicis suam gratulatio-
 nem auspicatur. O felix, inquit, uirgo, tu primam laudem obtinebis inter omnes laudatas
 mulieres. Simulq; sacer fructus uirginei uentris tui, unde prodibit flos ille mirabilis, qui
 gentium omnium uoce prædicabitur per uniuersum orbem, de quo iam olim uaticinati
 sunt prophetae, ac primam laudem obtinebit inter omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in ter-
 ris. Agnosco, maius est homine quod claudis uteri tui thalamo. Si tantum in nobis æsti-
 metur ætas, non est incongruum puellam uenire ad anum: sin æstimetur foetū dignitas,
 meum erat ad te properare. Ego quidem sat eram felix diuino beneficio, quod prolem ge-
 sto magnum quiddā olim futuram: sed quonā meo merito tanta felicitas mihi contigit, ut
 mater futura domini mei ultro ueniat ad me? Siquidem argumento indubitato sensi do-
 mini mei aduentum. Ecce enim simul atq; uox salutationis tuæ personuit aures meas, sen-
 si infantem subsultantem in utero meo, uelut occurrere gestientem domino suo, ac debi-
 tum honoris officium exhibere. Nimirum respondes mater tuo foetui. Ille dominus di-
 gnatur inuisere famulū suum, ut sanctificet, impleatq; spiritu sancto: tu tanto maior digni-
 tate, non grauaris adire minorem, hoc submissius te gerens, quo magis præcellis diuinis
 dotibus, quas recte facis dum nō ascribis tuis meritis, quā sint gratuitæ dei beneficentiæ.
 Hoc certe nomine felix es, quod non diffusa sis, quālibet incredibilibus angeli promissis.
 Concepisti citra uirile operam, nec dubiū est quin eadē fide sint tibi præstāda cætera, quæ
 domini nomine pollicitus est angelus. Hæc cū afflatu prophetico dicta essent ab Elizabet:

Fiat mihi

Benedicens
fructus
uentris

Maria quoque quæ hæcenus uirginali pudore texerat animi sui gaudia, spiritu sacro com-
 pra, quo iam dudum erat plena, non sibi temperat, quin hymno gratulabundo prorum-
 pat in laudem dei, cuius bonitati tribuendum est, quicquid præclari cōtingit hominibus.
Magnificat Merito, inquit, mihi gratularis Elizabet, sed hoc totum diuini gratuitiq; muneris est, unde
anima mea de nihil est quod meis arrogē meritis. Et ideo nō lingua tantum, sed & ex intimis præcor-
 dijs anima mea suæ imbecillitatis sibi cōscia, dominum extollit laudibus, tanto uehemen-
Exultat tius admirans diuini beneficij magnitudinē, quanto minus agnoscit in se meritō. Est de
spirit. meus quo illi gratias agam, est de quo illius benignitatem prædicem, non est de quo mihi plau-
 dam. Et tamen gaudio ineffabili gessit & exultat spiritus meus, coelesti afflatus spiritu,
 non in sese, sed in deo, qui mihi cunctisq; totius salutis est autor. Etenim quum esset omni-
 um abiectissima, tamen ille pro sua bonitate respexit humilem ancillā suam, tantoq; digna-
 rus est munere, ut posthac iuxta tuum & angeli sermonem, me felicissimā sint prædicatur-
 ri, non solum huius ætatis Iudæi, uerum etiam seculis omnibus, omnes totius orbis natio-
 nes, quibus contigerit ex me seruator. Siquidem hoc uere felices dici possumus, quod nobis
 non nostra industria, nō nostris meritis, sed gratuito fauore numinis collatum est. Tor-
 ta igitur huius felicitatis laus in illius laudem redundabit, qui gratis contulit. Prædicabor
 ego beata, sed illius munificentia. Quid autem de me prædicabunt posteris seculis totius
 mundi nationes? Nimirum, quod in me humillima puella rem miram & inauditam perfe-
 cerit is, qui immensa uirtute sua nihil non potest. Et idcirco meum nomen inter felices nu-
Et sanctum no- merabitur. Cæterum illius nomen erit ubiq; sanctum & adorandum, ad quod sese flectet
men eius omne genū, coelestium, terrestrium, & inferorum, per quod unum continget salus uniuers-
 so mundo. Huius enim nominis professio salutem & sanctimoniā conferet uniuersis. Ad
 hoc nomen inuocatum pellentur morbi, torpescent uenena, fugient dæmones, reuiuiscēt
Et misericor- mortui. Gratuitum & hoc erit, non debitum: misericordiæ erit non meriti: quam largiss-
dia eius me profundet, non solum genti Iudaicæ, quæ peculiariter illū expectauit, non solū uni æta-
 ti, sed late propagabitur, à natione in nationē, usq; ad extremos orbis fines, à seculo in se-
 culum, usq; ad ultimū huius mundi diem. Soli quidē Israelitæ salutem hanc expectant
 à prophetis promissam, sed quisquis in quacunq; gente relictis uitijs, timere cœperit de-
 um, is in Israelitico consortio censebitur. Adeos pertinet hæc salus, qui sibi displicentes
 per fidem sese submiserint domino, siue Græci sint, siue Galli, siue Britannī, siue Scythæ.
 Contrā qui suis fidentes factis, sese erexerint aduersus magnitudinem dei, repellentur ab
 huius beneficij consortio, etiā si ex ipso Abraham aut Dauid fuerint prognati. Nō enim
 hoc diuinum munus confertur aut ex opum censu, aut ex generis æstimatione, aut ex ope-
 ribus legalibus, alijs uel meritis aut præsidijs humanis, sed ex commendatione cordis mo-
 desti, siquē pœnitentis, atq; ex dei misericordia per synceram fiduciam pendentis. Deus
Fecit potenti- enim uolens deiicere supercilium sapientiæ potentiæq; mundanæ per filium suū factum
am in brach, humilem, exeruit robur sui brachij, ac stultam fecit huius seculi sapientiam: deiecit ac fre-
 git huius mundi potentiam, declarans se etiam quum maxime sese dimittit, tamē esse po-
 tentiorem totius humanæ potentiæ fastigio: & quod in illo stultum uidetur, sapientius
 esse quamlibet admirabili huius mundi sapientia. Cæterum qui freti sua sapientia, qui cō-
 fisi suis uiribus, ceruices suas erexerunt aduersus deum, hos mirabiliter dissipauit suis
 ipsorū consilijs, quæadmodum olim promiserat per prophetam: Comprehendam sapien-
 tes in sapientia sua. Dum enim astutia humana pugnant aduersus consilium diuinū, & su-
 am prodiderunt stulticiā, & diuinam sapientiā imprudentes illustrarunt. Dūq; præsidijs
 huius mundi conantur opprimere institutum dei, declararunt quā nihil possit hic mun-
 dus aduersus uirtutem diuinam, quam sua rebellione confirmarunt. Ita uersis rerum uicijs
Deposuit po- bus, qui prius sublimes sedebant in thronis, humana sapientia turgidi, humana potentia
tentes de se. & autoritate formidabiles, hos detraxit à rerū fastigio: & qui iuxta mundū erāt humiles,
 hos diuina benignitas sustulit in altum. Qui religionis arcem tenere uidebant, deprehensi
 sunt impij: qui uidebantur esse alieni à deo, subito facti sunt filij dei. Qui suam agnoscētes
 iniusticiam, esuriebant iusticiam dei, hos deus expleuit suis bonis: contrā qui sibi uideban-
 tur prædiuites, ac bonis operibus abundare, & ideo non esuriebant gratiam Euangeli-
 cam, hos reiecit à se famelicos. Circuncisio uersa est in præputium: præputium successit in
 gloriam circuncisionis. Israelita sibi fidens, seclusus est à regno dei, & gentes ascitæ sunt
 in hono-

in honorem filiorum Abrahæ. Superbus phariseus fastiditus est, meretrices & humilis publicanus receptus est. Stantes & erectos deiecit, iacentes ac periclitantes porrecta misericordiae manu subleuauit. Qui uidebant, cæcos reddidit. Qui suam cæcitatem deplorabant, aperuit oculos. Qui morbum suum agnoscebant, his salutem contulit. Qui sibi sani uidebantur, hos suo morbo reliquit. Qui se gloriabantur esse filios Abrahæ, hos declarauit esse filios diaboli. Qui nihil habebant cognationis cum Abraham iuxta carnem, hos per fidem Euangelicam reddidit ueros Abrahæ filios. Qui se iactabant glorioso nomine Israel, hos repudiavit ab hereditate promissorum Israel. Caterum quicumque quacumque ex gente, siue seruus, siue liber sese offerret ad cultum spiritualem dei, hunc ad se recepit deus, & in eo præstitit suam diu dilatam misericordiam, quam prophetarum oraculis promiserat Israelitico populo, quem ut peculiarius admatum, in sacris literis appellat puerum suum. Non erat oblitus sui promissi, sed ob longam moram perinde quasi fuisset oblitus, obrepserat desperatio. Nunc declarauit sese nequaquam immemorem sui populi. Hæc est enim illa uera posteritas Abrahæ. Hic est ille uerus Israel, quem deo commendat non sanguinis propinquitas, sed fidei synceritas, qua sola cernitur deus. Non hæc fortuito casu uergeretur, sed hoc nunc exhibitum est, quod olim deus promiserat patribus nostris Abraham, & posteris eius. Dictum est enim Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Deum est Dauid: De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Hæc olim promissa, à pijs expectata, à multis desperata, nunc uisum est deo proficere ueris posteris Abrahæ, quorum genus non deficiet usque ad finem mundi. Hæc fatidico spiritu Maria proloquuta est, perinde quasi facta essent, quæ essent futura. Commorata est autem apud Elizabeth cognatam suam ferme tribus mensibus, sanctis colloquijs & amicis obsequijs subleuans animum. Sub instantem autem cognatæ partum Maria repetijt domum suam. Non enim conuenit uirginibus obstetricandi officium, & mox affluxuram turbam fugiebat. Jamque aderat legitimum tempus quo foetum ederet Elizabeth, ac natus filius certam fidem fecit promissi diuini. Res rumore sparsa est per uicinos & cognatos, quibus ut ante doluerat Elizabeth sterilitas, ita uoluptati fuit, quod ex ingenti misericordia diuina, ædita prole mascula, contigisset anui deploratæ sterilitatis nomen matris, cui felix fuerat futurum genuisse puellam, sed multo felicius erat genuisse filium. Et hic apparuit angeli promissum, qui dixerat fore, ut in natiuitate pueri multi gauderent. Accurrerunt enim complures, ac gratulabantur puerperæ. Aequum autem erat ut multi gauderent in illius natiuitate, qui plurimorum bono natus fuerat. Iam uenerat dies à partu octauus, quo iuxta legis præscriptum circumcidendus erat puer, & indendum nomē. Venerunt itaque cognati, qui ex propinquitatis officio curarent puerum rite circumcidendum. Quoniam pater erat elinguis, qui solet esse autor imponendi nominis, cognati suspicantes id patrem uelle, quod uulgo solet esse gratissimum, appellarunt eum patris nomine Zachariam. Mater contra, quod à marito muto discere non poterat, spiritus afflatu docta, contendit non esse uocandum Zachariam, sed Ioannem: nimirum significante spiritu sancto eum qui natus erat, præconem futurum nouæ legis, quæ ueterum traditiones abrogaret, & carnalem cultum uerteret in gratiam spiritualem. Zacharias enim Hebræis sonat idem quod memor domini. Ioannes à gratia dictus est. Legis iusticia constabat operibus præscriptis: Euangelij iusticia gratia constat ex fide. Non cesserunt auctoritati matris cognati, sed e regione contendebant potius appellandum Zachariam, eo quod nullus esset in tota gente Zachariæ, qui dicitur sit Ioannes. Et solet in prole per inditum nomen, uel patris, uel aui, uel patruj, uel alius cognati memoria renouari. Et adhuc hodie sunt quibus magis arridet nomen Zachariæ, quam Ioannis, nimirum hi, qui nondum patiuntur aboleri circuncisionem, neomenias, lotiones, dies festos, ieiunia, delectum ciborum, sacrificia, re uidelicet clamitantes: nomen Ioannis nolumus, ueterem Zachariam uolumus. Quum itaque non conueniret inter puerperam & cognatos, opus erat auctoritate patris, quæ contentionem finiret. Is nondum habebat linguam, quum iam sermone esset opus. Nutibus igitur utcumque significatum est illi, quod nomen placeret inditum filio. Ille re intellecta poposcit tabellas pugillares, ut mutis literis indicaret, quod uiua uoce proloqui non poterat. Allatis pugillaribus scripsit hunc in modum: Ioannes est nomē eius, significans hoc nomen illi inditum ab angelo priusquam conciperetur. Id admirati sunt omnes, & quod placeret nomen nouum, & quod inter matrem &

*Suscepit Israel
et puerum suum*

*Recordatus
mis. sicut lo.*

*Et peperit
filium*

patrem mutum de nomine conueniret. Iam appetebat tempus ut inciperet loqui lex Mo-
saica, quæ hæcenus figuris ac mutis elemētis euangelij gratiam utcunq; designarat. Tem-
pus aderat ut os, quod iuxta promissum Gabrielis clauferat incredulitas, aperiret credu-
litas. Protinus igitur ut scripserat, solutum est linguæ uinculum: Nec aliunde redditi fer-
monis facultatem auspicatus est, quàm à laudibus dei, cuius gratuita munificentia tantus
gaudiorum cumulus contigisset. Nisi siluerit Iudaica lingua, carnalium obseruationum
prædicatrix, & humanæ iusticiæ uindictrix, non potest loqui lingua Euangelica, quæ
gratiam prædicat, quæ fidem, quæ charitatem, non legis opera, quæ non homini iusticiæ
laudem uindicat e suis factis, sed dei iusticiam prædicat ex innocentia gratis collata per
fidem: Hæc omnia de anu puerpera, de nouitate nominis, de filio per angeli promissum
nato, de patre prius ex loquente facio muto, rursus ex elingui facundo in laudem dei: ru-
more sparsa sunt, non iam per cognatos tantum ac uicinos, uerum etiā per uniuersam illā
Iudææ regionem, quæ montana dicitur, adeo ut nō solum admiratio, sed stupor quidam
& horror, ex tot tam insolitis miraculis cōceptus, occuparet animos omnium. Siquidē ex
his præludijs colligebant, natum puerum olim magna & inaudita patratū, cuius cōcor-
pius & natiuitas iam tum prodigijs insigniret. Videbant patris effoetam senectutē, anus
deploratā sterilitatem: considerabant linguæ subito ademptæ ac redditæ miraculum: au-
dierant Gabrielis intercessisse ministeriū: sentiebant in utroq; parente spiritus cœlestis af-
flatum, nihil non esse præter morem communem, nihil non præ se ferre uirtutem diuinā.
Hæc in suo quicq; corde contemplantes, dicebant apud sese: Quis nam futurus est iste pu-
er: Nemo prophetarum tam prodigiose natus est. Siquidem ipsa rerum miracula decla-
rant hæc geti uirtute dei, quæ puero adsit ad res summas delectio. Neq; uero hæc temere
ratiocinabātur. Nam uere manus dei uirtutem suam cœlestem exerebat in puero, & per
puerum in parentes, mirabiliora suo tempore proditura. Et ne non omnia redundarent
miraculis, & gaudijs affluerent, Zacharias quoq; pater Ioannis totus afflatus diuino spi-
ritu, erupit in hunc hymnum: Prædicanda est, inquit, & omni laudis genere uehenda est
dei bonitas, qui cum sit deus omnium, tamen peculiariter dici uoluit deus Israel, nō quod
non esset aliarum gentium dominus, sed quod Israeliticum populum typum esse uoluerit
cœlestis illius populi, qui contemptis rebus terrenis aspirant ad æternam illam Hierusa-
lem, ubi rebus inuisibilibus colitur deus. Ab his, quocunq; sub cœlo degunt, quacunq; de
gente nati sunt, laudāus est deus, qui tandem dignatus est nouo more inuicere populum
suum iam misere diutinq; seruitutis tēdio laborantem, ac desperationi proximum: aduer-
sus quem satanas, peccatum & mundus inualuerat, sic ut nec spes esset in phariseis, nec in
philosophis, nec in Moisaicę legis ceremonijs. Respexit ille propitius, & ab his omnibus
malis redemit gratuito populum suum. Potens erat tyrannus qui multo satellitio stipatus
regnabat per omne genus hominum, à quo uiribus humanis non poterat uindicta liber-
tas Israelitarum. Solus deus hoste potentior, addidit infirmis robur, misso duce inuicto,
qui cornu diuinæ uirtutis deijceret aduersariorum opes, quicq; deuicta morte gratis con-
ferret per fidē salutem æternā omnibus. Hoc salutis præsidium erexit nobis in gente Da-
uid cultoris sui, cui promiserat hoc beneficium, peruenturū hinc ad oēs, quicq; iuxta spi-
ritum promerentē esse filij Dauid, non degenerantes à pietate patris. Ille fortiter ac feliciter
pugnauit aduersus alienigenas, & hostes Israelitici populi. Hoc duce pugnandum est
aduersus perniciosiores hostes, qui perimunt animas: hi sunt satanas, cum spirituum im-
piorum copijs: hi sunt affectus prauis, sollicitantes ad ea quæ deo sunt inuisa: hi sunt homi-
nes magis amantes ea quæ sunt huius mundi, quàm ea quæ sunt dei, per quos uelut orga-
na, uim suam exerit diabolus. Neque hæc casu sic eueniunt: sed quod nunc præstat, iam or-
lim promiserat deus per omnium prophetarum ora, quos suo spiritu afflauerat, qui ab or-
be condito uaticinati sunt. Promiserat enim ut aliquando misso potēti duce seruaremur
ab hostibus nostris, & erueremur e manibus omnium qui nobis pessime uolebant, con-
stantes pertrahere in mortem æternam. Nec erat hoc meriti nostri, quibus præstitit hoc
tantum beneficiū: neq; patrū quibus promiserat quod nobis exhibuit. Sic illius bonitati
uifum, ut rem tantā largiretur immerentibus: sic illius iustitiæ uifum est, ut quod promise-
rat præstaret suo tēpore, ut ab omnibus intelligeretur nō modo misericors ac beneficus,
uerum etiam uerax ac promissi tenax. Nō enim promissit solum, uerum etiam fœdus pepi-
git

Et Zacharias
pater eius

Bened. dom.
deus Israel

Et erexit cor-
nu salut.

Sicut locutus
est per os san-

ctorum

Ad faciendū
misericord.

git cum patribus nostris: iurauit per semetipsum patriarchæ nostro Abrahamæ, uidelicet illius admirabili erga se fiducia delectatus, quod fretus promisso diuino non dubitaret immolare filium suum unicum Isaac, dicens: Per memetipsum iuraui, quoniam fecisti rem istam, nec pepercisti filio tuo unigenito mea causa, benedicam tibi, & multiplicabo posteritatem tuam sicut stellas cœli, & arenam, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorū suorum, & benedicentur per semen tuum omnes gentes terræ, propterea quod obedisti uoci meæ. Nimirum hæc est uera posteritas Abrahamæ, quæ non per ceremonias legis, sed per obedientiā credulitatis obtemperat deo, per Euangelium orbī loquēti. His præstatur promissa de inimicis uictoria, quibus à peccati tyrannide liberatis, liberatis à cunctis erroribus, liberatis à satanæ iugo, contigit renuntiare uitæ pristinæ, ut post hæc securi nostri ducis præsidio, seruamus uni, cui debemus omnia, qui prius seruieramus ambitioni, libidini, auaritiæ, seruieramus diabolo: seruimus autem non sabbatistis, neomeniis, abstinentia ciborum, immolatione pecudum, quæ speciem religionis habent apud homines, quemadmodum hæcenus fecere maiores nostri, sed puritate conscientiæ, sed sinceritate uitæ, qui cultus est gratissimus in conspectu dei, qui non respicit carnales uictimas, sed animi pietatem, amans sibi de suis donis sacrificari. Nec hic cultus præscriptis diebus exhibendus est deo, quemadmodum hæcenus factum, sed per omnem uitam nostram. Non enim est unquam ab his sacrificiis cessandum, sed semel gratis data pietas, sanctus studiis semper in maius est prouehenda. Nos itaque felices diuino munere, quibus iuxta prophetarum oracula datus est redemptor potens, ac seruator inuincibilis. Sed eiusdem de munere tu quoque felix o puer, qui tanti ducis præcursor delectus es. Quemadmodum enim hesperus anteuenit solis ortum, mortales somno torpentes ad lucis aduentum, tu expectationem expergefaciens: ita tu imminente domini aduentu, qui per unicum filium suum decreuit orbem nostrum inuisere, præcurres, præparaturus animos hominum ad tantæ salutis susceptionem: ne si aduentus ille mentes hominū oscitantes, & auersas offenderit, oblata salus uertatur in cumulum exitij. Efficies enim tuo baptismo, tuæque prædicatione, ut intelligant sese peccatores, ut sciant sibi opus esse medico, ut cognoscant iam adesse eum, qui solus omnium omnibus per fidem Euangelicā, largiturus sit salutem æternam, uidelicet gratuito condonatis peccatis nostris, quæ mortem adferunt animi: & gratis collata nobis sua iustitia. Idque continget omnibus credentibus, nullis omnino meritis hominū, sed propter exuberantem dei nostri misericordiā, qui quos cōdiderat, perire noluit. Ab omnipotente conditi sumus, à misericordissimo restituti. Perieramus, nisi ille pro sua genuina bonitate misertus esset nostri, nisi ille ueluti sol quidā cœlitus nobis exortus, dispulisset tenebras ignorantiae nostræ, profligasset peccatorum caliginē, ac frigida corda suæ charitatis accendisset igni. Iacebamus in tenebris, nō poteramus ad illum oculos attollere. Ille se demisit ad nos, suisque radijs in animos nostros immisissis, serenus ac salutaris illuxit nobis, qui prius in tenebris peccatorum, ac desperatione salutis, uelut in umbra mortis sedebamus, idololatrijs excæcati, mūdānis cupiditatibus obtenebrati, currebamus ab impietate ad impietatem, palpitantes in densissima caligine, pro cœlestibus amplectentes terrena, pro ueris umbras, pro spiritalib. carnalia, pro salutaribus pestifera. Et ecce in altissima nocte desperationis exortus est nobis ille sol æternus, ut animi nostri pedes dirigat in uiam Euangelicā, quæ est uia pacis, quæ per fidem & charitatem humana diuinis conueniat, dirimens inimicitia quæ erat inter deum & homines: omneis orbis nationes in unitatem nominis, in unius fidei professionem conglutinans: denique sedatis tumultuosis affectibus unūquēque hominē concilians sibi. Hæc pius senex fatidico pectore promens, exemplo prophetarū sic futura præcinebat, quasi iam essent peracta. His tam miris rerū exordio progressus probe respondebat. Puer enim prodigiose natus, quemadmodum per ætatem adolefcebat corpore, ita per afflatum diuini numinis semper in maius proficiebat firmitate roboreque spiritus. Nec diu sese continebat in parentum ædibus, sed ab ipsa statim pueritia subduxit sese ab hominum frequentia, ne uel minimum labis cōtrahere posset ex uulgi commercio, qui fuerat in utero matris sanctificatus. Vinum & siceram nunquā biberat, nihil humanæ uoluptatis, nihil honoris gustarat unquam. Neglectis omnibus humanis affectibus, inter feras uictitabat locustis ac melle syluestri: pilis camelorum uestiebat, nō holosericeis: pellicea zona cingebatur. Erat illi perpetuū cū deo colloquiū. Talis nimirum

Vt sine timore de mai.

In sanctitate

Omnib. diebus nostris

Et tu puer

Ad dandam scientiam

Per uiscera misericord.

illuminare his qui in t.

mirum uita decebat eum, qui prædicandæ poenitentiae destinatus erat. Et locus delectus congruebat prophetiae, quæ uocat illum uocē clamantis in deserto. Hic latitabat ad multos annos, hic silebat, ut suo tempore maiore cum autoritate prodiret ac loqueretur. Non se ingessit ad munus præconis, sed quum spiritus impulisset animū ipsius ut suam lucem proferret, & ostenderet populo Israelitico quantus esset, tum magna cum autoritate cœpit agere præcursores.

CAPVT II

Existe dictum
à Cæs. Aug.



IAbes admirabilem ortum præcursoris, nunc accipe mirabiliorem Iesu Christi, qui totius mundi unus princeps futurus erat, & uniuersus totius orbis nationes ad sui nominis professionē, nō minis aut terroribus, sed beneficijs, salutaribusq; doctrina prouocaturus. Proinde diuino consilio procuratum est, ut sub Augusto Cæsare, qui plerasq; mundi reges obtinebat, ac latissime rebus undiq; pacatis Romanorum imperium administrabat, censerentur omnes prouinciæ, quæ Romanum imperiū agnoscebant, ut appareret quanto magis pateret ditio Christi quam Cæsaris: quantoq; placidius sit eius regnum qui nihil aufert, sed largitur etiam cœlestia, regno Cæsaris, qui quum non possit largiri cœlestia, tamen arripit terrena, & uicogit ad professionem, quum cœlestis imperator beneficijs alliciat. Qui Cæsari dant nomen, quid aliud quam seruitutem proficiunt, & rem familiarem comperiunt arctiorem. Qui nouo huic principi dant nomen, libertatem accipiunt cum donatio salutis æternæ. Deniq; Cæsar Octauius, quanquam esset omnium in rebus gerendis dexterrimus, tamen multas regiones non poterat armis subigere, quum noster dux sine ui, sine præsidij huius mundi, uniuersum terrarum orbem, tot linguas, tot ritus, tot religiones, tot barbaras ac retrusas nationes in unam ecclesiam uelut in unum regnū congregarit. Ad eam igitur professionem in Syria peragendam missus est ex autoritate Cæsaris Augusti & senatus consulto Quirinus, eius prouinciæ præses. Hic autem erat primus census, qui sub hoc præside fuit actus in Syria. Nam sub eodem post acti sunt & alij. Ad Cæsaris igitur edictum quod Quirinus promulgarat, proficiuntur omnes in suam quisq; tribum ac ciuitatem, ut ex more profiterentur. Ioseph autem sponsus uirginis, quū esset tribus Iudæ, cuius erat & coniunx illius, habitabat tamen in ciuitatula Nazareth, quæ est in Galilæa: is igitur relicta domo profectus est in tribum suā, hoc est, Iudæam, in ciuitatulam quam extruxit rex Dauid, nomine Bethleem, eo quod Ioseph & uirgo non solum pertinerent ad tribū Iudæ, uerum etiam genus ducerent e progenie ac stirpe Dauid, e cuius semine promissus fuerat Christus. Nihil autem horum fortuito contigit, sed omnia diuino consilio procurata sunt, ut rerum exitus prophetarum oraculis congruerent, quod tantæ rei gloriam inter duas ciuitates partiebantur, uidelicet ut in Nazareth conciperetur, & educaretur rex orbis: in Bethleem iuxta prophetiā nasceretur. Huc igitur comitata est sponsum suum uirgo Maria grauida, iamq; uicina partui. Non detrectauit hoc laboris uirgo prægnans, non fugit oculos hominū sibi bene conscia, non fastidit obsequium mariti mox paritura deum: non dedignatur haberi uxor fabri, quæ tota fuerat deo dedicata. Hac igitur occasione quum dies aliquot cōmorarentur in ciuitate Nazareth, factū est ut euolutis legitimis mensibus, quo magis constaret uerum hominem esse qui nasceretur, adesset tempus pariendi. Oppidulum humile sibi delegerat, in quo tamen domum nullam habebat cœli terræq; dominus, parentes humiles: denique peregre nasci uoluit, ut nos puderet nostræ superbiæ simul & auaritiæ, ac uel huius exemplo disceremus: felicitatē hominis nō esse metiendam istis uulgaribus bonis, quæ si nobis non subducuntur, nos illis subducimur, sed æternis bonis æstimandam, & in illā patriam recondendos thesauros, quibus perpetuo sumus fruturi. Etenim si ueris iudicijs æstimare uelimus, plus erat sublimitatis, plus potentiae, plus maiestatis in hac humillima Christi natiuitate, quàm in omnibus omnium Cæsarū pompis ac triumphis. In Bethleem igitur, quæ dicitur domus panis, sacra uirguncula protulit nobis panē illum cœlestem, unde qui ederet, non moritur in æternum. Atq; hic erat partus ille uirginis unicus, cui nec antecesserat ullum exemplum, nec sequutū est. Matri erat unicum suum filium, nobis erat primogenitus, quos sibi spiritu iunctos fratres reddidit, & hæreditatis æternæ cōsortes, ne solus ueniret ad patrē, sed ipse ueluti primogenitus multos fratres secum adduceret in societatem æternæ salutis. Aeditū infantulū mater non tradidit nutricibus, quas ob pietatem nolebat, ob paupertatem non habebat, sed ipsa fasciolis inuoluit.

Et quo

Equoniam in publico diuersorio propter hospitem frequentiam non erat alius recenti puerperæ locus, reclinauit puerum in præsepe. Audi superbe diues, qui latifundia latifundijs accumulas, qui nusquam non substruis domos, prædia, palatia. Qui cœli terræq; & dominus est & opifex, cuiq; tu in baptismo nomen dedisti, peregre nascitur, nec habet locum in diuersorio. Si principem agnoscis tuum, in cuius uerba iurasti, ne pigeat illius exemplum imitari, & pudeat te tuæ mentis. Audi nunc quàm tota hæc natiuitatis humilitas plena sit magnificentia. Erat haud procul à Bethleem turris Ader, hoc est gregis, Hebraice dicta, quod illic ob agros compascuos esset pecoris copia. Turris autem meminit etiam prophetia Micheæ, quemadmodum & Bethleem. Erant igitur in ea regione pastores, qui nocturnas excubias agebant pro gregibus suis: uidelicet ipsa re docentes, quid exemplo principis pastorum facere debeant Episcopi pro salute populi sibi concrediti. Et noctu natus est ille sol iustitiæ, discussurus mundi tenebras. Humilibus humilis, pastoribus pastor primū innotescere maluit, quàm Cesaribus, regibus, præsidibus, pharisæis, scribis, pontificibus. Et ecce subito Gabriel angelus è sublimi imminabat illorum uerticibus, simulq; noua quædam lux, quæ nec solis esset, nec lunæ, nec lucernæ, repente circumfulsit pastores. Hoc quum esset læti omnis, tamen ob insolitum ac subitum prodigiū magno pauore correpti sunt pastores. sed angelus timorē hunc mox adimit blādo alloquio: Ponite, inquit, pauorem, nihil est quod formidētis, lætissimæ rei nuncius adsum, & hæc nunc inauditum gaudiū adfero: non solum uobis, uerum etiā toti populo Israelitico. Iam olim promiserāt uobis seruatore prophetarum oracula: iam olim expectatus est Messias: hæc nocte natus est, & uobis omnibus natus est. Hic est Messias ille, princeps ac dominus omnium, rex & idem sacerdos unctus diuinitus. Natus est autem iuxta prophetarum oracula, in ciuitate Dauid, cui nomen Bethleem, hac ipsa nocte. Ite & inquirete. Dabo signum quo possit agnoscī. Adite diuersorium, & inuenietis infantulum obuolutū fasciis, ac reclinatum in præsepi. Hæc ubi prædicasset Gabriel, simul audita est ingens multitudo cœlestis militiæ, nimirū angelorum, qui ministri sunt domini fortis in prælio, quiq; pro nobis bellant aduersus principes huius mundi. Hi modulatione quadā cœlesti & ineffabili canebant laudes deo, prædicantes illius inenarrabilem erga genus humanū charitatem, & humano generi gratulantes, quibus fauore numinis tanta felicitas cōtigisset. Hymnus autem quem angelicus ille chorus concinebat, hic erat: Gloria in excelsis deo, & in terra pax, in hominibus bona uoluntas. Nimirū hoc significat nobis angelica cantio: nihil ex hoc negotio gloriæ deberi, nec angelis, nec hominibus, sed uniuersam gloriā deberi bonitati diuinæ, quæ nobis quos condidit, miro consilio prospicit è cœlo, ut intelligamus illinc nobis proficisci, quicquid magnificū aut salutiferum obtigerit, in terris nihil aliud optandū, quàm pacē, quæ peccatis abolitis nos deo conciliet, quæ nos mutua charitate cōglutinet. Hæc est enim pax non mundi, sed dei, quæ exuperat omnem sensum, quæq; præponderat uniuersis mundi felicitatibus. Ea gratis per conciliatorem dei & hominum offertur, non nostris intercedentibus meritis, sed ex propensā in nos beneficentia diuinā, cui uisum est hæc mirabili ratione cōsulere saluti generis humani. Hoc carmē natalitiū ubi lætissimis uocibus præcinnuissent pastoribus angeli, sese receperunt in cœlū. His rebus ita gestis, cōsiliū inter sese cōfert simplex turba pastorum, non dubitans de dictis angelorum, sed pleniūtauens cognoscere quod audierant. Loquuti sunt igitur inter sese: Sequamur angeli monita, proficiscamur hinc usq; ad Bethleem, ut quod auribus accepimus factū, coram oculis intueamur, quo plenior fide prædicemus alijs, quod dominus nobis per angelos suæ cōmuniare dignatus est. Placuit omnibus pium consilium. Pastores properant, extimulati animos pietas, peruentum est Bethleem, uentum in diuersorium. Illic iuxta promissū angeli reperiunt Mariam puerperam, & Ioseph uirginei partus testem, nec non puerum fasciis obuinctum, ac repositum in præsepi. Nihil offendit pios pastores uirguncula tenuitas, nihil sponsus iuxta mundum humilis, nihil puellus ob inopiam loci cōmodiorū reclinatus in præsepi, quæ superbos pharisæos ac scribas alienassent: sed his omnibus magis confirmantur ad firmiorem credulitatem, posteaquam oculis testibus compererunt non esse uana, quæ nūciarat angelus. Habet autem & pietas in hominibus, quamlibet humilibus suam prudentiam. Non enim protinus euulgarunt, quod audierant: sed ubi rem certam cognouissent, tum non ueriti sunt, & apud alios quos audierant, prædicare!

Ab

Bona uolun
tas

*Et omnes qui
audierant, mi-
rati sunt*

*Et postquam
consummati
sunt dies octo*

Ab huiusmodi præconibus primū amavit prædicari Christus, in quorum simplicitate nulla cadebat uanitatis aut fuci suspicio. Non nouerant aliquid ex se cōminisci, nesciebāt affingere uis: sed quod audierant ac uiderant, ut audierant ac uiderant, bona fide nunciabant bonæ mentis hominibus. Et inuenit pastorum uox apud multos fidem, quæ multos excitauit ad cupiditatē uidendi pueri. Atq; hic mihi sanctæ uirgunculæ prudentem modestiam considera. Discit à pastoribus quid nunciarit angelus, quid cecinerit cœlestis militiæ chorus: ipsa sola tacet, hæc omnia quæ prius, quæ nunc acciderant conseruans in animo, ac diligenti reputatione conferens in corde suo. Silet in suum tempus uirginei conceptus mysterium: non iactat apud alios suam felicitatem. Ancillam promiserat opificio diuino, ancillam exhibet: contemplatur tacita secum nouam rationem diuini consilij. Considerat omnia plena esse nouis miraculis: uidet ubiq; summam humilitatem cum summa sublimitate misceri. Infans in utero concipitur, sed angelo internuncio, spiritu sancto opifice: puer nascitur, sed è uirgine matre. Reclinatur in præsepe, sed angeli gratulabundicant e cœlis. Latitat in obscuro loco, sed cœlum nati sublimitatem adorat. His hunc in modum peractis, pastores repetunt gregem suum, glorificantes ac laudantes deum super omnibus quæ audierant ab angelis: & quod quemadmodum audierant comperissent. Caterum posteaquā uenisset dies à partu octauus, quo lex Mosaica iubet infantem masculum circumcidi, amputata summa præputij pellicula (nam id primū ab Abraham profectum deus uoluit esse suæ gentis signaculū) satisfactum est & hac in re legi, quando non uenerat soluturus legem, sed impleturus. Nec dedignatus est ueluti peccatis parentum obnoxius, accipere remedium, qui solus ab omni peccati contagio immunis, ablaturus erat omnia peccata mundi, sibiq; nouum populum acciturus, cui cor esset ab omnibus carnis cupiditatibus repurgatum: idq; non cultris petrinis, sed gladio sermonis Euangelici per fidem omnia purgantis. Quin & nomen ex more inditum. Dicitur enim Iesus, quod Hebraeis sonat seruatorem. Non hoc fortuito, aut humana uoluntate inditum est puero, sed autoritate diuina per Gabrielem fuerat datū, antequam in utero uirginis conciperetur, ut uel ex ipso statim uocabulo mortales admonerentur hunc esse qui ueram salutem conferret omnibus, ac uerum Iosue ducem referens, suos ab omni uitiorum inquinamento purgatos, perduceret in terram cœlestem, æternis gaudijs affluētē. Hactenus typis quibusdam prælusum est euangelio, primum populo Iudæorum prædicando. Quinto à circumcissione die adfunt Magi tres, stellæ indicio procul excitati ad uisendum puerum. Adorarunt nouum orbis principem, ac mysticis donarijs honorarunt, quadam rerum imagine significantes, gentes amplexuras Euangelij gratiam, ab homicidis Iudæis repudiatam. Rursus quum adesset dies à partu quadragessimus, quo lex iubet masculinum foetum primogenitum exhiberi domino, proq; purgatione puerperæ simul & pueri nati, quod uulgaris mulierum partus non absq; sordibus corporis constet, offerri munus: nec hic modestissima uirguncula refugit speciem uulgarium puerperarū, quum in hoc partu nihil esset inquinatum, nihil nō cœlesti puritate sanctimoniamq; plenū. Quid enim haberet impuri puerperæ, quæ citra uirilem attractum, ex amplexu uirtutis cœlestis per officium spiritus sancti cōceperat? An uero quicquā sordidum poterat esse in foetu qui cœlitus natus, in hoc uenerat ut solus omne genus hominum purgaret à cunctis uitiorum sordibus: Sed hī tam insignibus modestiæ exemplis Deus humanam superbiam frangere uoluit: simulq; cōueniebat, ut qui uenerat utrunq; parietem, hoc est, Iudæorum ac gentium populum in eandē Euangelij professionem cōpaciturus, per omnia satisfaceret legi Mosaicæ, unde prima fides & autoritas erat Euangelio profectura. Mater igitur ac Ioseph, qui certo dei consilio pater adhuc credebatur Iesu, infantem suum adduxerunt Hierosolymam, ut in templo exhiberetur in conspectu domini cui dicatus erat & consecratus: non quod non omnia sint domini, sed ut mystico typo doceremur, eos demū animos esse domino gratissimos, qui masculo spiritus robore; deuictis carnis uelut effœminatæ cupiditatibus, grassantur ad ea, quæ cœlestia sunt & æterna. Hoc innuens lex Mosaica, præscripserat ut omne masculinum, si mulatq; uulua matris ad aperta prodiret in lucem, haberetur domino sacrum, siue natum esset ex hominibus, siue ex brutis animalibus, ut hinc quoq; primitiæ cederent sacerdotibus: sic tamen, ut hominis primogenitum à sacerdotibus redimeretur, nisi puer esset tribus Leuiticæ. Atqui lex ipsa palam liberat hanc sacram puerperam ab obligatione suâ, quum

quum ait in libro Leuitico: Mulier si suscepto semine pepererit masculum. Siquidē hęc nec mulier erat, quę uirū nesciebat, nec semine suscepto aliūde pepererat. Rursum quum ait: Omne masculinum primum adaperiens uulua: satis indicat se de uulgari matrum partu sentire, quę prius fractio per uirum uirginitatis signaculo, non sine sordibus, nec sine pudore pariunt. Hic autem foetus cœlestis, nec ingrediens nec egrediens uirginalis uteri claustra uiolauit, sed consecrauit potius, & consignauit, ne in posterum etiam uel corporis ipsius ueluti templum semel deo dedicatum, uel animus, myrothecium sancti spiritus, ullis humanis inquinamentis pateret. Exhibitus est igitur ueluti legi obnoxius in templo, qui dominus erat omnium cœlestium ac terrestrium. Redemptus est exiguo precio, qui sui sanguinis precio redempturus erat uniuersum mundum. Lex enim præscripserat, ut parentes primogenitum masculum redimerēt agno anniculo, qui dabatur in holocaustum: deinde adderetur columbus aut turtur pro expiatione peccati, si quid labis in coitu, aut post esset cōtractum. Debet enim unde quaq; purum esse, quod domino sit offerendum. Quod si rei familiaris angustia non patiebatur dari agnum, agni uice dabatur turtur aut pullus columbæ pro redemptione pueri. Altera auis offerebatur pro expiatione peccati. Obtulerunt igitur pauperum munus: non dubium est, quin uberius fuerint largituri, nisi tenuitas obstetisset: aderat pietate diues animus, sed ad exemplum nobis parādum melior erat professio paupertatis. Atq; hęc omnia diuini consilij dispensatione sic peracta sunt, quum multis alijs de causis, tum ob hanc præcipue, ut tot argumentis declararetur in puero ueritas humanæ naturæ. Vtero tumentis conspecta est in diuersorio, mox enixæ subleuit corporis tumor: infantem recens natum comperere pastores, adorauere Magi, circumcisus est solenni ritu. Rursus idem in templum delatus est, ac palam exhibitus sacerdotibus. His rebus factum est ut nec de partu quisq; possit dubitare, & paulatim pluribus impotesceret, sed potissimū humilibus ac pijs duntaxat. Conueniebat enim ut nec paucis nec uulgariis argumentis confirmaretur, quod creditum omnibus seculis esset allatum: salutem æternam: non creditum, mortem æternam. Angelus nunciat, testis adhibetur sponsus Ioseph. Elizabet sterilis parit, mutus Zacharias loquitur: utrq; spiritu prophético corripitur. Exultat Ioannes in utero matris: uirgo generat: hospites Magi accurrunt et adorant, pastores prædicant. Tot argumētis, tot prodigijs, cōmendata est recens pueri uirtutis. Nunc ne non ab omni sexu omniq; ætate, omni statu & professione ferret testimonium, neq; quisq; omnino relinqueretur, qui sibi ad hoc nō promitteret salutem, Et id temporis Hierosolymæ uir quidam nomine Simeon, senecta iam frigidus, sed spiritus inferuens: effoeto corpore, sed animo uegeto: ætate marcidus, sed uitæ innocentia floridus, nimirū uere iustus, uereq; pius ac religiosus: non uenans exemplo phariseorum gloriam ac questum ab hominibus, sed publicæ salutis audius: quē nulla uoluptas in hac uita remorabatur, nisi ut uideret oculis suis eum, quem in hoc prophetarum oracula promiserant uenturum, ut cōsolaretur Israeliticum populum, multis modis afflictum. Is ut erat puer bonus, afflatu sancti spiritus cognouerat eum diem iam adesse. Quūq; uotis ardentissimis interrogasset dominum, ut sibi contingeret uel semel oculis corporalibus intueri tot iam seculis expectatum Messiam: responsum acceperat in adyto pñ pectoris à spiritu sancto, fore ut non emigraret ex hac uita, nisi prius oculis corporeis uidisset, quē oculis fidei iam pridem prospexerat, ut testari posset uenisse, quem uenturum non dubitabat, felicem illum puerum, quem uidelicet deus unxerat supra mortales omnes, ut æterno regno, nec unquam abrogando sacerdotio potiretur. Quū igitur futurum esset, ut puer Iesus adferretur in templum, quemadmodum diximus, beatus ille senex submonitus afflatu spiritus in ipsum tempus uenit in templum. Quumq; Maria mater & Ioseph, qui tum adhuc credebatur pueri pater, infantem deferrent in templū, ut peragerēt, quæ ad solennes ritus purificationis pertinebant: posteaq; sacerdos oblatum puerum amplexus esset, eiq; benedixisset, nō se continuit pietas senilis, quin ipse quoq; desideratum infantulum cōplecteretur uulnibus suis: simulq; erupit mox defectura uox in laudem dei, ueluti cygneam quandam cantionem promens, ac dixit: Satisfactum est domine uotis meis. Nunc lubens ac lætus moriar, quia dimittis seruum tuum animo requieto placidoq; neq; quicq; præterea desiderantem in hac uita, sed cupidum etiam ex hoc senili corpusculo demigrādī ad felix confortium piorum hominum, qui diem hunc expectant: nec uidere contigit, nisi spiritua-

Et ecce homo erat

Christum domini

Nūc dimittis

Oculi mei libus oculis fidei. Meis uotis abundantius satisfactum est, cui corporeis etiam oculis uideri contingit, cui datum est ulnis sensibus amplecti filium tuum unicum, per quem tibi

Quod parasti ante faciem uisum est ueram salutem cōferre, non solum Israelitico populo, uerū etiam uniueris mundi nationibus. Agnosco in humili corpusculo uirtutem tuam. Agnosco hunc esse lucem mundi, prophetarū oraculis promissam: hunc esse solem, quem exoriri uoluisti, ut dispelleret tenebras omnium gentiū, & haberet populus tuus Israel de quo merito gloriatur, populus, inquam, uere tuus, non iuxta carnem tantum, unde prodijt salutis exordium, sed iuxta spiritualem cognationem, quæ fide Euangelica cōciliatur. Israel enim est, quisquis in hanc lucem pios intenderit oculos, ac fidei uolentia irruperit in regnum cœlorum. Antehac populus Iudæorum gloriatus est de Abraham, Isaac, & Iacob: gloriatus est de Moise, de templo, de prophetis: Posthac spiritualis Israel, qui per totum orbem diffusus est, gloriabitur de tuo filio, quē post omnes, ut omnibus maiorem, mittere dignatus es. Nūc quidem latitat paucis agnitus, sed post emicabit illius lux, suis radijs cunctas mundi plagas illustraturi. Porro mater infantis & Ioseph uidentes hæc afflatu diuini spiritus à senedici, conferentes interim cum his quæ præcesserāt, taciti secum admirabantur, quid sibi uellet senis oratio. Cæterum ubi puero benedixisset, simul & parentibus bene precatus esset Simeon, uersus ad Mariam, dixit: Filius hic tuus, quanquam in hoc datus est à deo, ut salutem conferat omnibus, tamen hominum uitio fiet, ut quemadmodum multos dei donum amplectentes, erecturus est ad spem salutis æternæ: ita multi gentis Israeliticæ, respicientes obuiam dei beneficentiam, deiciantur in exitiū æternum: ueritate per hunc prodita, cadent qui prius stare uidebātur, exurgent qui uidebantur iacere. Ab omnibus Israelitis expectatus est, sed non ab omnibus recipietur. Proponetur enim omnibus uelut signum, quale nunq̃ propositum fuit ab initio mundi, sed obnoxium multorū cōtradictioni. Obstrepent illi Pharisei, scribæ & pōtiffices. Reclamabunt increduli & hæretici: tantusq; tumultus concitabitur undiq; ut ne tu quidē sis à malorum consortio futura immunis. Nam non ad eos tantum perueniet eorū crudelitas, qui crediderint filio tuo, uerum etiam tuam ipsius animam penetrabit doloris gladius. Tale signum uisum est Deo proferre sub oculos omnium, ut clara ueritatis luce prolata, retegerēt cogitationes hominum, quæ latebant in corde: ac uersis rerum uicibus, res ipsa declararet eos abfuisse procul à uera iustitia, qui apud homines uidebantur arcem tenere iustitiæ: deprehenderentur impij, qui sibi uindictarant doctrinam pietatis. Contrā, qui prius habebantur alieni à religione, declararentur multo fuisse propiores ueræ religioni: qui uidebantur esse reiecti ac deplorati, hos simplex credulitas primos admitteret in regnum cœlorum. Scribæ & Pharisei semper Messiam habent in ore, legem habent in ore, iustitiam habent in ore, frequentes uersantur in templo, orant prolixè, ieiunant crebro, latis phylacterijs insignes obambulant, sed longe aliud cœlant in corde, quàm præ se ferunt specie. Horum subdolas & impias cogitationes arguet exorta lux Euangelicæ ueritatis. Publicani, meretrices, & peccatores ab his religionis hypocritis submouentur à sacris, sed hos omnium primos deus recipiet in regnū cœlorum. Gentes idololatriæ deditæ, subito mutata uita, studijs audivis amplectentur doctrinā ueræ pietatis: pharisei & pontifices, penes quos erat legis & religionis fastigium, legis autorē insectabuntur, & ueræ religioni pertinacissimis studijs aduersabuntur. Nox certum iudicium non habet, ac frequenter pro rebus umbras & inania rerum simulachra objicit oculis. Sol exortus discutit omnes præstigias, ac suam cuiq; faciem, suum cuiq; colorem reddit. Hæc pius ille senex, afflato numine pectore gaudens de promptu. Iam acceperat dominus Iesus testimoniū ab angelis, à uirgine, à sponso casto, à sacerdote Zacharia, ab infante nondum nato Ioanne, ab Helizabeth nupta, à pastoribus, à Magis, à scribis ex prophetia pronunciantibus ubi Christus esset nasciturus: ab Herode sibi metutente, à Simeone, qui nec sacerdos erat nec leuites, sed nihil aliud quàm iustus: restabat ut à uidua quoq; ferret testimoniū. Tanta uis erat infantis nondum exerentis iustas uires, ut omnia corripere diuino spiritu: afflans humiles, superbos perturbans ac territans, ut ex his rerum præludijs non difficile colligi posset, quæ foret rerum mutatio futura, quum iam adultus uocem illam cœlestem palam depromeret, quum miraculis inlaresceret, quum moreretur ac resurgeret, quū spiritum sanctum affatim à cœlis in omnes credentes effunderet. Ergo seni cœlibi succedit anus uidua. Erat enim Anna

quædam

quædam ex re nomen habens, nimirum à gratia (quippe spiritu prophetico prædita) filia Phanuelis, uiri laudati de tribu Aser, quæ inter duodecim tribus octaua, tacito quodam typo designat resurrectionis beatitudinem, quam Iudæorum sabbatismo adiecit Euangelica doctrina. Nam Aser Hebræis beatum sonat. Hæc cum esset admodum prouecta ætate, non in aliud uidebatur dilata, nisi ut quod ardentissimis optarat uotis, anus uideret promissum infantem, qui salutem esset allaturus populo Israelitico. Suggesterat enim hoc illi spiritus sanctus, iam esse natum. Et eiusdem spiritus admonitu, quo fuerat afflatus Simeon, superuenit, quum hæc, quæ narrauimus, agerentur in templo. Hæc quum nondum esset apud Iudæos gloriosa uirginitas, uixerat cum marito septem annos à uirginitate sua. Datum est hoc temporis marito & soboli. Cæterum quod reliquum erat uitæ, pietati consecratum est. Perseuerauit enim in uiduitate annos circiter octoginta quatuor. Semel experita coniugium, quamuis esset adhuc ætate uigenti, non cogitauit de repetendo matrimonio, sed ueluti mundo mortua, ac deo iam dicata, non discedebat à templo, uictimis Euangelicis illi sacrificans assidue, non interdum solum, uerumetiam noctu se totam immolans domino hostiam uiuam ac rationalem & acceptam. Nam corpus immolabat crebris ieiunijs, animum prijs uotis & obsecrationibus offerebat. Dum igitur purificationis ritus peraguntur in templo, dum uaticinatur Simeon, dum sacris gratulationibus redundant omnia, commodum & hæc superuenit, ut & ipsa testis esset nati pueri, suisq; pectoris affectus cum aliorum gaudijs coniungeret, laudibus efferens diuinam benignitatem, quæ respexit serpopulum suum. Nec tacuit apud alios, quod oculis uiderat, quod afflatu didicerat, sed de puero loquebatur omnibus, qui Hierosolymis expectabant redemptionem Israeliticæ gentis. Satis erat hoc uiduæ, tantum in templo prædicare, uenisse Christum, & pacis audire hoc indicare. Nondum enim uenerat hoc tempus, quod seruatum erat Apostolis coelestis plenæ spiritus, de quibus dictum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Cunctis tandem rite peractis, quæ ad purificationem præscriptæ lex, reuersi sunt Nazareth, ubi conceptus erat puer. Cæterum quum Herodes rex, & Magis admonitus natum esse nouum regem Israeliticæ gentis, iussisset interfici omnes infantes, qui intra biennium nati fuissent in Bethleem, atq; in toto eius oppidi territorio: Ioseph admonitus ab angelo per somnū, puerperam ac puerum abduxit in Aegyptū, atque illic commorati sunt usq; ad mortem impij regis. Eo facto rursus angeli admonitu reuersi sunt, non in Bethleem, ne daretur occasio sæuendi Herodis filio, qui patri successerat in regni partem: sed in Galilæam in ciuitatem Nazareth, ubi conceptus fuerat infans. Volebat enim ad tempus latere. Et illic habitus facile fallere poterat crudelitatem eorum qui noui regis exortum metuebant. Atque hæcenus coelestis ille princeps noster, qui se nostra causa usque ad fascias, cunas, uagitus, & imbecillam corporis infantiam deiecerat, alienæ uocis testimonio prædicatus est. Cæterum paulatim accrescens ætas augebat corporis modum, ac uires, in quo uelut in domicilio relucebat indoles quædam admirabilis, aliquid præ se ferens homine maius. Augescebat & spiritus robur, indies magis ac magis sese exerentis cultu, incessu, sermone, factis, in quibus nihil erat quod non spiraret modestia, castitas, suauitas, pietatem. Non enim erat obnoxius his uitijs, quibus ætas illa solent laborare, ineptia, lasciuia, inconstantia, stulticia: sed coelestis sapientia, qua repletus erat, non expectatis annis, iam tū sese proferebat, sic, ut qui prius alieno testimonio fuerat commendatus, nunc raris dotibus suis redderetur omnibus & admirabilis & amabilis. Sapientia, sanctitas, integritas, maturitas, quantam in nullo sene reperias, reddebat eum omnibus admirabilem. Porro morum suauitas, comitas, modestia reddebat illum omnibus amabilem. Non erat fauor uulgaris, aut temporarius, quem sibi nonnunquam ætas illa dotibus humanis colligit, puta formæ gratia, aut alioqui præcoci docilitate: sed effulgent in eo diuina quædā & admirabilis gratia, pertrahens omnes in amorem uirtutis. Quam autem Nazareth longius abesset ab Hierosolymis, tamen religiosi parentes Iesu quomodo eo se conferebant: idq; ad diem festum paschæ: qui dies apud Iudæos religiosissime colebatur, atq; is erat quo destinatus erat immolari suo tempore agnus ille omnis macule cilius. Porro puer sub matris ac nutricij ductu iam tum ad nostrum exemplum assuebat religioni, parentes omnes admonens officij sui, quos oportet ex sese prognatos statim & ab ipsis, ut aiunt, incunabulis arcere ab omni lasciuia, sed sanctis moribus, ueracq;

Confitebatur domino

Et ut profecerunt omnia

pietatis studiis assuefacere, dum adhuc tenera est ætas, dum adhuc molle & ad omnem uirtutis institutionem sequax ingenium. Nō egebat puer Iesus alieno magisterio, sed parentibus alijs castæ educationis paratum est exemplum, & omnibus liberis ostēsa forma est, quomodo sese debeant præbere morigeros parētib; ad ea quæ sancta sunt hortantibus. Porro quum iam accedentibus annis firmior esset pueritia ad ephēbiam accedens, annos nato duodecim, ac parentes ex more adissent Hierosolymam ad diem paschæ comite puero, perfectis quæ ad religionem eius festi pertinebant, peractisq; diebus, quibus rei diuinæ dabatur opera, matre & Ioseph domum reuersis, puer Iesus remansit Hierosolyma, iam tum uelut prægestiens ad patris sui mandata peragenda, ob quæ missus erat in mundum. Ea res latebat parentes. Verum ubi non rediret Iesus Nazareth, uulgarī parentum solitudine demirati sunt quid accidisset. Suspiciantur autem eum in æqualium & cognatorum comitatu hæsisse, & ob hoc uenire serius. Proinde remēsi sunt uiam ad iter ferme di ei unius, quærentes eum inter notos & cognatos, inter quos solet ætas illa nonnunquam libenter cessare, uidelicet remorante illos propinquorum affectu. Verum hic non est inuentus Iesus, qui iam tum docuit esse renunciandum parentum & cognatorum affectibus ei qui uelit cœlestis doctrinæ professionem suscipere. Hic igitur frustrata spe, quum magis etiam parentum animos sollicitudo discruciet, reuersi sunt Hierosolymam, suspicantes fieri potuisse, ut illic apud amicum aut notum aliquem hæsisset. Quum autē & hic inter notos & cognatos frustra quæsitus esset puer, post triduum accidit ut præter spem parentes inuenirent illum in templo, non ociosum, aut lulantem, sed sedentem in medio doctorum, quos puer uicissim & audiebat docentes, & interrogabat, ac uicissim ab illis interrogatus respondebat, non quod illi necessitas fuerit sciscitari ab hominibus, quod disceret, sed ut prudenter interrogando doceret eos, qui legis scientiā profitebantur, quum legis uim ignorarent: simul nos interim ad discendi studium accendens, docens quæ nullam ætatem esse præproperam ad discendum ea, quæ faciunt ad pietatem. Sunt enim artes quibus discendis non quæuis ætas sit idonea, sola pietas statim discenda, nec huius studium unquam est remittendum, usque ad extremum uitæ diem, semper enim est quod proficias quo ad uisxeris. Iesus autem quanquam ignotus esset doctoribus, & circumstanti populo, tamen omnes uertit in admirationem sui, quod tantillus puer dictis ac responsis suis admirabilem quandam & plus quam senilem sapientiam declararet. Videbant ætatem corporis imbecillem, & immaturam sapientiæ, & audiebāt puerum singulari modestia ea promentem, quæ doctores prouectæ ætatis, quiq; iam sapientiæ fastigium tenere uidebantur, non pigeret discere. Et tamen interim aberat fastus, aberat procacitas, aberat iactantia, quæ uitiis pueris adesse solent præcoci ingenij. Interrogabat ueluti discendi cupidus, interrogatus modestissime simul & prudentissime respondebat. Atque ita docebat citra speciem arrogantia. His rebus factum est, ut & doctores, quibus cum disputabat, & ij qui circumstantes testes eius disputationis uehementer obstupescerent, non solum ob inauditam pueri sapientiam, quam interrogans ac respondens declarabat, uerum etiam ob raram uultus ac gestus, linguæq; modestiam, quæ gratiam addebant intelligentiæ. Nec hoc interim omnino uacat utili mysterio, quod qui non potuit inueniri inter notos & cognatos secundum carnem, Hierosolymis in templo repertus est: Siquidem illa ciuitas religionis opinione celebris, gerebat imaginem uel ecclesiæ militantis in terris, uel triumphantis in cœlis. Hæc est enim patria nostra ad quam suspiramus, intelligētes, quod hic uersamur in exilio, non habentes permanentem ciuitatem. Vbicunq; igitur res agitur humanis affectibus, ubicunq; studetur his rebus quæ pereunt cū hoc mundo, ibi nec Hierusalem est, quæ uox Hebræis sonat uisionem pacis, nec templum domino sacrum. Proinde nec ibi quærendus est Iesus, qui totus cœlestis est. Verum ubicunq; peccus est, neglectis his quæ sunt carnis & sanguinis, anhelans ad felicem illam tranquillitatem animi, quam hic per fidem Euangelicā præstat dei benignitas, in cœlesti Hierosolyma perficit: ibi Hierusalem est, ibi templū est quo delectatur Iesus: Ibi uicissim proponitur ac respondetur, non de quadratura circuli, non de prima materia aut primo mobili, quæ citra dispendium salutis nesciuntur: sed de cognitione sacrarum literarū, per quas deus nobis uiam ostendit, qua possimus æternā assequi salutē. Ibi maciatur uictimæ gratissimæ deo, libidō, liuor, ira, ambitio, auaritia: ibi pijs uotis ac puris precibus accēdit suffitus domino gratissimus.

mus. Curandum est igitur unicuique, ut Hierusalem habeat in pectore, ut ibi templum par-
 get dignū sancto spiritu, quo Iesum mereatur habere hospitem. Et ecce dum his rudimen-
 tis puer ille mirabilis præludit ad peragendum cœleste negocium restituendæ salutis hu-
 manæ, cuius gratia descenderat e cœlo, superueniunt pater & mater, quibus nondum ad
 plenum erat cognitum diuini consilij mysterium. Resederat in illis adhuc aliquid affectus
 humani, quanquā pia sollicitudine quæsierant puerum. Tacet Ioseph qui sibi conscius e-
 rat, se nihil habere iuris in partū sponsæ suæ, mater pro autoritate sua expostulat: Fili, in-
 quit, quid ad istum modum tractas nos? Quur te clām subduxisti à nobis? Ecce pater tu-
 us & ego iam dies aliquot anxij te quæsiuimus, omnia metuentes tibi, quæ parentum pie-
 tas soler amatis liberis metuere. Ad hunc Mariæ sermonem, à pio quidem affectu profes-
 sum, sed humano, ob quem nō oportebat interpellari rem diuinam, quæ tum agebatur,
 Iesus subdure respondit: nō quod indignaretur parentibus, sed ut ostenderet in Euange-
 lico negotio, ad quod missus erat à patre cœlesti, non oportere locum esse cuiquam auto-
 ritati humanæ. Habet parentū autoritas limites suos, cui renunciādum est quoties agitur
 negocium salutis æternæ. Par est enim ut humana cedant diuinis: & prior sit ratio dei, cui
 debemus & corpus & animam, & à cuius benignitate expectamus hæreditatem uitæ im-
 mortalis: cū horū à quibus iuxta carnem progeniti sumus, & educati, successuri in por-
 tionem aliquam facultatum terrenarum. Debemus & his sanè plurimum, sed longe plus
 debemus deo, cui debemus & ipsos parentes. Sic & post parum blande respondit matri,
 quum in nuptijs interpellaret de uino, ac materna quadā autoritate miraculum exigeret,
 quod non nisi in gloriam patris erat promendum. Sic durius etiā respondit ijs, qui ipsum
 à concione euangelica matris & cognatorum uerbis euocarant. His igitur matri expostu-
 lanti, respondit hunc in modum: Quid erat causæ, quur me tam anxie solliciti quæreretis?
 An non ueniebat uobis in mentem, quod in negotio patris mei oportet me esse, quoties
 ille uocat ad munus delegatum? Hæc oratio Iesu quid sibi uellet, non satis intellectum est
 à parentibus. Præ se ferebat enim quiddam homine maius, præsertim in ætate tam tene-
 ra. Quanquam autem ex his quæ præcesserant, nihil uulgare aut mediocre expectarent
 à puero, nondum tamen ad plenum intelligebant sublimitatem diuinæ uirtutis, nondum
 cognouerant quā admirabili consilio decreuisset deus per filium suum redimere genus
 humanum. Audiunt nomen patris, quem sciebant non habere patrem in terris: audiunt
 negocium patris, de quo nihil adhuc illis meminerat. Obticescunt tamen parentes, & re-
 uerentur sermonem non intellectum. Hoc uidens Iesus, demisit sese, morigerumque præ-
 buit matri, & Ioseph nutricio suo, non quod illis in Euangelij negotio deberet obedi-
 entiam, sed ex sua bonitate obsequutus est ad tempus illorum imbecillitati: simulque pueris
 omnibus formam & exemplum exhibuit, quāto studio, quantaque reuerentia debeant ob-
 sequi parentibus suis, quum puer Iesus qui nulli debebat obsequium nisi patri cœlesti, sic
 obtemperarit simulato patri, ac matri, quæ ipsum citra uiolati pudoris iniuriam genuer-
 rat. Ita uisum est domino Iesu, sic omnia dicta factaque sua temperare, ut nunc diuinæ uirtu-
 tis suæ ueluti scintillas quasdam promeret, nunc rursus ad humanam humilitatem sese de-
 mitteret. Nimirū illud nobis expediebat, ut omnibus modis persuasum esset generi mor-
 talium, diuinæ simul & humanæ naturæ ueritatem in uno coniunctam esse. Ad amorē con-
 ciliandum faciebat naturæ cōmunis societas. Vehementius ac felicius amamus cognata &
 familiaria, iuxta uetus etiam prouerbiū quo dicitur, simile semper adiungi simili. Cæte-
 rum deo tutius fidimus, qui quum mentiri nesciat, nihilque non possit, in dubiū uocari non
 potest, quin præstaturus sit quicquid pollicetur. Ac nascitur quidē amor ex cognatione
 generis. Cæterum ab his initijs proficit ad amorem rerum sublimiorum. Quemadmo-
 dum enim hominum uulgus, primum ē forma conspecta corporis inardescit ad beneuo-
 lentiam, mox ubi ex cōuictu colloquioque perspectæ fuerint dotes animi formosioris, in
 formoso corpore latentis, uerius ac flagrantius incipiunt amare quod non uident, quā
 id quod uident. Sic nobis humanæ naturæ consortiū uelut illecebra fuit ad concipien-
 dum amorem erga dominum Iesum, sed hinc ad amorem diuinæ uirtutis proficimus. Si-
 ue igitur demittit sese ad nostram imbecillitatem, siue sustollit sese ad suam sublimitatem,
 nostræ salutis negotium agit. Relinquit igitur Iesus templū ac Hierosolymam, ac morem
 gerens parentibus, reuersus est Nazareth. Erubescant pueri & adolescentes, qui negligūt

monita parentum ad honesta uocantium, quum Iesus ad tempus reliquerit patris negotium, ne quam præberet speciem filij immorigeri. Erubescant idiotæ rebelles aduersus Episcopos suos, uidelicet patres spirituales, quum Iesus maior obsequundaret minoribus; *Et mater eius* deus hominibus. Mater autem uicissim obsequundauit filio suo, sentiens in eo promicere uim quandam diuinam, ac prudentis suæ modestiæ memor, nihil adhuc effutiebatur muliebri loquacitate, nec pronunciabat de his quæ mirabatur potius quàm assequebatur: sed quicquid ab initio acciderat circa puerum, quicquid ab ipso diceretur fieretue, simul collectum recondebat in pectore suo, ex admirandis initijs rerum exitus cōiectans: nec quicquam sinebat inobseruatum, quo post maiore cum fide narraret omnia discipulis, per orbem uniuersum Iesu uitam prædicaturis. Interea Iesus adhuc paucis notus, uersabatur in ciuitatula Nazareth, ueluti sub imperio parentum uiuens, donec ueniret tempus à patre præfinitum, quo sese miraculis ac prædicatione mundo proferret: nos interim admonens exemplo suo, ne quis ad Euangelicum munus temere & importune semet ingerat, prius quàm ætatis accessu, moribus inculpatis, doctrina sacra, cœlestiq; uocatione docendi sibi colligat auctoritatem. Iesus enim usque ad annum fermè trigessimū nihil admodum insigne gessit, nisi quod supra modum humanum, quemadmodum proficiebat corporis statura, uiribus, ætatis accessu: ita uberius in eo sese promebat cœlestis illa sapientia, reliquæq; dotes diuinæ, quibus ut erat commendatissimus deo, ita quotidie magis ac magis commendabatur hominibus, uidelicet dissimilis scribis ac pharisæis, qui falsa specie sanctimonix sapientiæq; sese commendabant oculis hominum, quum in oculis dei scaterent omni spurcitie uitiorum. Neque solum hoc conducebat ad salutem humani generis, nouo & inaudito consilio redimendi, uerum etiam ad institutionem uitæ nostræ, ut Iesus diuinas dotes suas, quibus erat plenus, paulatim & gradibus quibusdam proferret in notitiam hominum, uidelicet ut nos doceret, à primis illis iusticiæ rudimentis, quam oportet ab ipsa statim infantia imbibere, perpetuo progressu conniti ad perfectiora. Quemadmodum enim corpus habet auctius suos usque ad iustum staturæ modum, iustasq; uires; ab infantia proficiens ad adolescentiam, ab adolescentia ad iuuentutem, à iuuentute ad ætatem uirilem: ita habet & pietas suos accessus, donec adoleamus ad perfectam firmitatem plenitudinis Christi. Grandescit enim Christus in nobis & adolefcit, quum nos à fide dei rudimentis ad reconditiorem diuinæ scripturæ sapientiam proficimus, quum relicto lacte carnis solidum appetimus cibum spiritus: quum relicta litera insipida sumus sensum mysticum, quum neglectis terrenis euolamus ad cœlestia. Præposterū est enim corpus iuxta naturæ cursum semper in melius proficere, & animam nostra socordia semper ad deteriora relabi. Nam id uulgo fieri uidemus. Adolescentes ab infantix puritate degenerant ad lasciuiam: iuuentus rursus ad lites & pugnas proficit: uirilis ætas ad ambitionem & auaritiam. Itaq; fit ut quo quisque propius accesserit ad ætatem, hoc longius recedat ab innocentia. Caterum qui semel induerunt Iesum Christū, hos oportet ad illius exemplum semper ad meliora conniti, quo simul & animi puritate sese commendent oculis dei, & uitæ synceritate famam honestam sibi parent apud homines.

CAPVT TERTIVM



HABES optime Theophile quibus initijs præluserit Ioannes præcursor ac dominus Iesus ad Euangelicæ prædicationis officium. Nunc accipe qua ratione, quoq; successu rē aggressi sint, ut intelligas nihil omnino gestū fuisse fortuito aut humana prudentia, sed omnia diuina prouidentia nouis rationibus suū negocium temperāte. Iam enim aderat tempus ut prodito regno cœlesti, decresceret regnum terrenū: prodito spiritali sacerdotio, euanesceret sacerdotiū umbraticum, quo se ad id usq; temporis iactarant Iudæi. Iam obierat diem suum Cæsar Augustus, ad cuius edictum facta fuerat descriptio totius orbis, sub quo natus est Iesus Christus. Iam decesserat impius Herodes, qui infantē quæsierat ad necem: & huius filius Archelaus ob mores nimium paternos in exilium relegatus erat. Augusto successerat Tyberius Cæsar. Is quum annum iam decimū quintū rerum summa potiretur, Pontius Pilatus Romanus præses erat Iudææ. Herodes autem Archelai frater ex designatione Cæsaris Galilæam sortitus est. Philippus eam Syriæ partem administrandam suscepit, quæ Ituria dicitur ac Trachonitis, nimirum ab asperitate montium: hæc enim à Libano &

nō & montibus Idumęę porrigitur ad plagam occidentalem Syrię. Porro Lyſanię ceſſe
 rata quę dicitur Abilena, nomē ſortita ab Abila præcipua eius regionis ciuitate: cui po
 ſtea Lyſanias nomen uertit Lyſanion. Nam Auguſtus, quo regni eius uires frangeret in
 quatuor fratres deduxerat, Herodē, Philippum, Antipatrum, Lyſaniā, qui ob hoc Tetrar
 chę dicti ſunt, nomine regis abolito. Et hoc indicium erat regni Iudaici mox perituri, iuxta
 uaticinium. Sanctiſſimā uero Iudęę partē, in qua Hieroſolyma & templū, & ex qua pro
 gnatus eſt dominus omnium, Pilatus Romanus adminiſtrabat, re ipſa designans gentes
 in regnum cœlorū ab Iudęis reiectum, irrupturas. Similiter & ſacerdotium, ueluti mox
 ceſſaturum, uagum erat ac mercenarium, cuius principatus tum erat penes duos inſigni
 ter impioſos, Annam & Caſaphā. Ad hūc modum rebus apud Iudęos diſſectis ac turbatis
 exortum eſt regnum cœlorum ac nouum ſacerdotiū cuius præco delectus erat Ioannes
 Zacharię filius. Is quum haſtenus latitaſſet inter feras, & in deſertis exegiſſet uitam inau
 dita aſtutitatis, opertus camelorum pilis, cinctus zona pellicea, melle ſylueſtri uictitās
 & locuſtis, uinum ac ſiceram ne attingens quidem, ut idoneus eſſe poſſet prædicator poe
 nitentię: ac prius uita doceret q̃ ſermone: ac uacaret omni crimine, qui magna libertate
 reprehenderet aliorum peccata: aſſatus & admonitus ſpiritu diuino, prodiit e latebris e
 remi, ſeſeq̃ cōtulit non in templum, qui locus datus erat Chriſto, ſed in omnē eam regio
 nem, quę finitima eſt fluuiō Iordani, quo paratior eſſet baptizandis aquę copia. Prædi
 cabat autem inſtare regnum cœlorum, adhortans ut ſeſe uenturę ſalutis poenitentia uitę
 prioris præpararent, & aquę baptiſmo quem ipſe ueluti præcurſor dabat, ſeſe redderent
 idoneos baptiſmo ſpiritus, quem daturus eſſet cuius aduentus imminēbat. Hęc tum age
 bantur aſſatu diuini ſpiritus, qui iam olim hoc per os Eſaię prophetę futurum prædixe
 rat. Sic enim loquitur de Ioannis prædicatione: Vox clamantis in deſerto, aduentat domi
 nus, præparate uias illius, ac rectas facite ſemitas eius, ne offenſus prauitate morū ueſtro
 rum reſiliat à uobis. Venit ad omnes, occurrendum eſt ab omnibus. Aequanda ſunt om
 nia. Omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis deprimetur. Qui ſublimis erant a
 pud homines opinione iuſtiçię aut ſapientiçi, deponent ſupercilium, ut capaces ſint iuſti
 çię ac ſapientiçi diuinę: qui uelut idiotę ac peccatores cōtempti iacebant apud homines,
 ſubito per obedientiam Euangelicam erigentur ad conſortium regni cœlorum: quęq̃ pri
 us diſtorta prauaq̃ fuerant, ad regulam Euangelicam repente exaquarebuntur: quęq̃ ui
 torum ac malarū cupiditatum ſentibus aſpera, uertentur in uias leues ac planas. Tales
 enim mentes amat dominus, per quas obambulet. Adeo rerum uices ad huius aduen
 tum inuertentur. Qui deſperabant, erigentur in ſpem: qui ſibi fidebant, irreparabiliter re
 iſcientur. Qui prius habebantur ſapientes, ſient ſtulti, qui ſtulti, cœleſti ſapientiā dona
 buntur. Qui prius idololatrę, ſient cultores dei uiui: qui cultores dei uidebantur, reperien
 tur fuiſſe idololatrę. Qui prius iracundi, placidi ſient & benefici: qui prius ſeruiebant li
 bidini, nunc amplectentur caſtimoniā. Qui prius rapiebant aliena, nunc ſua largientur. Et uidebit eū
 omnis caro
 Huic igitur rerum nouatori præparate uos. Mox aderit dominus, & uidebunt eum nō ſo
 lum Iudęi, uerumetiā omnes totius orbis nationes, cernent oculis fidei cōmunem ſalutis
 autorem, per quem deus gratuita felicitatē offert omnibus, qui pia credulitate, qui cor
 rectione uitę prioris uenientē exceperint. Hęc tot retro ſeculis de Ioanne uaticinatus fue
 rat Eſaias, & uaticinio per omnia reſpondit euentus. Siquidē ad Ioannis prædicationē in
 gens hominū turba, relictis ædibus, ac re ipſa loquens, relinquendos affectus domeſticos
 ei qui aſpiret ad ſalutē, conſuebat ad ripam Iordani, ut ab eo tingerentur aqua, nō quod
 Ioannes remitteret peccata, ſed quod his præludijs animos hominum futurę ſaluti præ
 pararet. Siquidem magna ſanctitatis pars eſt, morbum agnoſcere: & uicinior eſt ſaluti, qui
 capax eſt remedij. Quoniam autem primus ad reſipiſcentiam gradus à timore dei naſci
 tur, ut primum à iuſto uindice timeatur ſuppliciū, deinde beneficij liberalitas ametur: ma
 gna libertate clamabat Ioannes aduerſus elatos phariſęos & ſcribas, qui haſtenus impio
 rum parentū ueſtigijs inhæſerāt, falſa iuſtiçię perſuaſione turgidi, uerę religionis hoſtes,
 ob hoc ipſum ſpernentes ceteros homines, ſibiq̃ placentes, quod iuxta carnem genus du
 cerent ex Abraham: quaſi deus homines æſtimaret ex genere, ac non magis ex animi uir
 tutibus. Progenies, inquit, uiperarum, nocentiſſimorū parentum nocentiſſimi filij, unde
 ſenſitis imminere uindictam dei, niſi mature reſipuiſſetis? Quis uos ſubmonuit, ut fuge
 Genimina ui
 perarum
 retis

retis ab instante seuera dei ultione, quæ nulli nec ætati, nec genti, nec conditioni parceret.
 Quemadmodum remedium offertur omnibus, qui se præbent sanandos, ita poena ma-
 net omnes absq; discrimine, qui nolunt à pristinis moribus resipiscere. Quin huc attraxit
 uos charitas erga deum, quò nunc pertrahit metus supplicij. Nondum mutata mens est.
 Proinde si uere uos poenitet superioris uitæ, sumite mores alios, & facitis ipsis declarate
 uos esse correctos. Hactenus ut syluestres arbores, produxistis malorū operum acerbos
 & exitiales fructus, superbiam, iracundiam, auaritiam, inuidiam, hypocrisim, contentio-
 nem. Nunc si uere conuersi estis in bonas arbores, ædite fructus bonos testes mutati in di-
 uersum animi. Nihil opus est mutare uestem, aut cibi genus, mutandæ sunt prauæ cupidi-
 tates animorum. Hæc est radix arboris, quæ si succum habet amarum ac pestiferum, nas-
 cuntur in ramis mali fructus: sin contra radix succum suauē ac salutarem suffundat, in ra-
 mis nascuntur illi deo digni fructus spiritus: pro odio charitas, pro amarulētia, gaudium,
 pro discordia pax, pro ferocia tolerantia, pro rapacitate beneficentia, pro impudicitia cas-
 titas, pro fraudulētia simplicitas, pro arrogātia modestia, pro superstitiōe pietas. Hæc de-
 clarant ueros ac germanos Iudeos, hæc uere circūcisos, ac filios Abrahæ. His sacrificijs de-
 lectatur deus. Nunc lux instat, facessant umbræ: adest ueritas, cedat simulatio: ponite uas-
 nam fiduciā, quam uobis hactenus præbuerunt figuræ rerum spiritualium, Hierosolyma
 ciuitas sancta, templū domini, templum domini, templū domini, pecudum laniena, lau-
 cra corporis, sabbatismi, neomeniæ, delectus ciborum, lata phylacteria, tristitia ieiunia, cæ-
 teraq; obseruationes, quas uel lex ad tempus præscripsit signa rerum animi, uel pharisæi
 cōmenti sunt ad inanem sanctimoniam speciem, hæc omnia simul cum ipsa circumcissione
 cessabunt. Iudæus erit post hac quisquis confitebitur & agnoscat hunc qui mox uentu-
 rus est: circūcisus erit, quisquis habet animum fide purgatū à prauis cupiditatibus. Proin-
 de ne uobis ueniat in mentem: nos sumus filij Abrahæ, nobis promissa est hæreditas salu-
 tis, non deferet dominus populū suum. Imò quæadmodum uobis ad meliora resipiscen-
 tibus nihil officiet maiorum impietas, ita nihil profuerit Abrahæ progenitoris sanctitas,
 si uos perstiteritis in pristina malicia. Reijciemini, abdicabimini, funditus peribitis, nisi
 prorsus mutati, fructus attuleritis Euangelio dignos. Nec deerūt Abrahæ posterī, nec de-
 erit deo suus populus, à quo colatur, cui promissam hæreditatem præstet, etiam si uos de-
 sciscatis ab eo. Hoc enim confirmo uobis: Deus potest uel de his lapidibus suscitare filios
 amico suo Abrahæ, cui promisit posteritatem parem arenæ maris ac stellis cœli. Posthac
 non cognatione sanguinis, sed æmulatione fidei æstimabūtur filij Abrahæ. Agnoscat A-
 braham pro filijs etiā Sogdianos, Gothos ac Scythas, Messiam amplectētes, uos nisi cre-
 dideritis habebit pro alienigenis. Hactenus tolerauit uos deus utcunq; legis fructum af-
 ferentes, uictimas, uota, ieiunia, lotiones, ocia, escarum discrimina, amputatam pellicu-
 lam. Hæc in superficie duntaxat speciem habebant religionis. Hæc folia sunt arboris, ex-
 crabilia deo, nisi adsint fructus spiritus. Nunc autem ex ueris animi bonis aut malis æsti-
 mabitur unusquisq;. Adest exactius dei iudiciū, adest ille qui perspicit & intimos cordi-
 um sinus. Iam enim securis admota est ad radicem arboris, diu toleratæ: succidetur à stir-
 pe populus Abrahæ, & inferentur gentes Abraham credulitate referentes. Non est audi-
 tus Moses, non sunt auditi prophetæ, quorum plerōq; etiam interfecistis, obsurdūstis ad
 uocem legis. Nunc adest quo nemo maior mitti potest, & post quem non alius expectan-
 dus est. Imminet toti genti Israeliticæ exitiū, nisi matūre receperitis uos ad meliorem
 frugem. Omnis enim arbor quæ nunc non produxerit fructum fidei bonum, exciditur,
 & in ignem coniicitur. Nihil medium est, nulla mora est: aut uera pietate properandū est
 ad æternam salutem, aut ni id fiat, irreparabiliter ac funditus pereundū. Hac Ioannis ora-
 tione tam sæua minaciq;, territa promiscua Iudæorū multitudo, dixit: Si sic res habet, quid
 igitur censes nobis faciendū, quo possimus iram diuinam effugere, & salutē assequi? Iam
 sanabiles esse cœperant, qui morbum agnoscunt & remedium expetunt. Ostendit igitur
 Ioannes remediū ubiq; efficax. Non enim uocat eos ad uictimas pecudum, aliasq; Iuda-
 cas expiationes, sed ad opera charitatis. Nulla uictima citius placatur deus, quàm benefi-
 centia in proximum. Deus nostro beneficio non eget, sed sibi patitur imputari quicquid
 in proximum egentem ipsius respectu fuerit collatum. Qui habet, inquit, duas tunicas,
 altera uestiat fratrem nudum, Et qui habet eibum qui duobus sufficiat, impartiat dimid-
 dium

Facite fru-
ctus dignos
poenitentiae

Et ne cœperis
dicere

Iam enim secu-
ris ad r. a. p.

Omnis ergo
arbor n. f. f.

Quid ergo fa-
ciemus

dum esurienti. His duobus exemplis Ioannes crasse docuit populum, efficacissimam esse rationem placandi deum offensum, si modis omnibus benefici simus in proximum cuiuscumque rei inopia laboratem, siue uestis, siue cibi, siue potus, siue hospitij, siue subsidij, siue solarij, siue doctrinae, siue exhortationis. Nec solum de his quae nobis supersunt subleuanda est praesens fratris necessitas, sed commodis etiam usibus aliquid decidendum, quoties opem praesentem flagitat proximi necessitas. Hoc igitur remedium omnibus communè datum est promiscuae multitudini. Venerunt & publicani, territi Ioannis praedicatione, genus aliqui deditum rapinis, & ex publicis incommodis sua comparans comoda, religionis negligens, ac magis obsequens iussis principum, quam praeceptis dei. Qui quum apud omnes nationes uulgo male audiant, apud Iudaeos peculiariter habebantur abominabiles, & tamen tantum terroris incusserat omnibus Ioannis seuera praedicatio, ut hi quoque ueniunt ad Ioannem, flagitantes baptismum, ac discere cupientes, quo pacto placare possent diuinam iram. Ioannes autem uerus praecursor illius, qui nullum quamlibet magnis peccatis inquinatum, reiecturus erat, etiam publicanis leniter ac placide respondet: Si nondum potestis uestra largiri, certe sit ille primus gradus ad meliorem uitam, ut abstinatis a rapiendis alienis. Habetis salarium a Caesare, praescriptum est quid debeatis exigere a populo: Ne quid extorqueatis in uestrum lucrum ultra id quod praescriptum est. Post publicanos ueniunt & milites, uiolentum & impium hominum genus, legum negligens, ad uim praecipuus, uenalem habens animam, rapto gaudens, licentia ferox & insolens. Et hoc coeperat ultionis diuinæ terror, ueniunt ad Ioannem, agnoscunt maliciam suam, expetunt baptismum, rogant quibus modis possint placatiorem habere deum. Nimirum magnus in hoc hominum genere profectus erat, suum agnoscere morbum, ac uitae melioris desiderio rangi. Nec ab his igitur Ioannes audet beneficentiam in proximum exigere, satis magnum primi profectus gradum esse ducens, si temperarent a malefaciendo. Solent autem hoc hominum genus tribus potissimum modis esse noxium, uiolentia, calumnia, & rapinis. Frequenter enim arma quae princeps dedit ad defensionem publicae tranquillitatis aduersus hostes, uertunt in ipsos ciues, & quibus publica salus defendi debuerat, his ulciscuntur iram priuatam. Praedantur itaque frequenter, incendunt, abigunt, ui constuprant foeminas, perrumpunt fores, exigunt ac pulsant hospitem. Id quod nam plerumque faciunt impune, credunt licere. Rursus alij falso deferunt apud principes aut duces, innoxios, quo pars facultatum confiscatarum ad ipsos redeat, calumniae praecipuum. Ad quae facinora conuiuent nonnunquam principes, dum suis militibus gratificari student. Plerique dum, quod a principe nomine salarij datur, scortis, alea, temulentiaque prodigunt, rapto furtis quae rei iacturam sarcunt, & non solum non resoluunt quod debent, sed ultro extorquent ab agricolis quod non debetur, ac sibi quiduis licere credunt belli nomine: quum bellum habeat & suas leges. non omnino damnandum, si iusta de causa suscipiatur, hoc est, si pro defensione publicae tranquillitatis, si sic ut uitari non possit, si per pios principes, si cum assensu eorum, quorum interest bellum suscipi, si legitimis ritibus indictum, si iustis ac moderatis rationibus geratur, hoc est, quam minima sanguinis humani profusione, si quam minima iactura eorum, qui bello cauam non deerunt, si per duces coherceatur militum temeritas, si non conserantur manus, nisi per milites iuratos, si non nisi iussu ducum dato congregiendi signo, si mox abstinence a pugna simulatque receptui cecinerint tubae, si cum primum licuerit, bellum finiatur. Huic igitur hominum generi Ioannes ostendit quid facere soleant, & quid posthac uitare debeant, si uelint effugere uindictam dei. Ne quem, inquit, concutatis, ne quem falso decipiantis lucri causa, sed estote contenti stipendijs uestris. Haec autem tanta cum autoritate gesta sunt a Ioanne, ut populus apud se suspicari coeperit ipsum esse Messiam. Idcirco plerique tacitis cogitationibus uersabant in corde suo, licet ipse Ioannes ob eximiam animi modestiam dissimularet magnitudinem suam. Haec est enim uulgi leuitas, ut his quos adpiratur, plus tribuat quam par est: quos odit, in his omnia calumniatur. Sed hoc populi studium declarauit absolutam sanctissimi uiri modestiam, qui adeo non sibi uindictam alienae laudis usuram, ut ultro delatam fortiter reiecerit: & in hoc profecit error multitudinis, ut Christi paucis adhuc noti dignitas, graui publico quae testimonio comprobaretur. Simulatque per afflatu sancti spiritus intellexisset tacitas populi cogitationes, loquutus est in

Magister
quid faciemus

Neminem concutatis

Existimante
autem populo

est in hunc modum: Vos me aestimatis ex rebus uisibilibus, ex cibo, uestitu & baptismo, sed longe sunt efficaciora quæ non uidentur. Quemadmodum in homine multo præstantior uis est animi, qui non uidetur, quam corporis, quod oculis conspicitur. Ego quamquam aqua baptizo uos, tamen non remitto peccata, sed præparo uos efficaciori baptismo, quem accipietis ab eo, cuius aduentum uobis prædico, tempore quidem maior, ac prædicationis ordine prior, sed potentia longe inferior. Is enim qui me sequitur, tanto me præstantior est, ut ego, quem magnum aliquid esse creditis, indignus sum qui soluiam corrigiam calceamentorum eius. Famulus illius sum non collega, præcursor sum, sed ut lucifer præcedit solem, mox obscurandus maiore lumine. Et hoc ipsum quod habeo, ex illius habeo benignitate. Mea doctrina diluta est, si ad illius doctrinam cõferatur: meus baptismus inefficax est, si cum illius baptismo componatur: siquidem ille cœlestis docebit cœlestia, ego terrenus terrena loquor & humilia. Ego corpus aqua tingo, ille uestros animos tinget spiritu sancto & igni. Quanto est spiritus aqua penetrantior, quanto est ignis efficacior aqua, tanto potentior erit illius baptismus meo. Hacenus latuit qui nam ueri cultores essent pietatis. Facile est ablui aqua, facile maciare uictimam, facile non uesci carne suilla. Nunc ea profertur doctrina, ea instant tempora, ut latere non queant qui uere boni sint, qui secus. Veniet enim ille facturus quod toties minatus est in prophetis, exacto iudicio discrimen æditurus inter pios & impios. Habebit enim uentilabrum in manu sua. Nam tradita est huic omnis potestas in cœlo & in terra. Hoc ineuitabili uentilabro purgabit aream suam, uentilans omnes, & examinans crucis & afflictionum uento. Qui fuerint paleæ, specie religionis nitidæ, cæterum intus inanes à uera religione, dissilient quocunque feret illos humana cupiditas. Cæterum qui fuerint triticum, solidam ac ueram pietatem intus habentes, non dissipabuntur uento, sed discussis paleis declarabunt immobile robur animi. Ea tempestas non reddet impios, sed patefaciet, quid fuerint, etiam quum non uiderentur: ueluti lux orta non efficit cecos aut deformes, sed indicat qui fuerint deformes ac cæci. Euangelica ueritas lux est, hanc non ferent, qui falsa specie sanctimonix se prius uenditabant, quum apud Deum essent impij. Amplectentur, qui quum haberentur abiecti iuxta mundum, tamen affectum pietatis habebant in pectore. Qui ad auditum cœlestis doctrinæ uigorem, ad maleficium ac cædem prouocabuntur, non tum primum fient impij, sed quales ante fuerint, data occasione patefiet. Siquidẽ occasio nõ facit impios, sed prodit. Qui proposita iactura bonorũ, qui ostenso crucis ac mortis periculo desciscet à ueritatis professione, non tum primum incipiet impius esse, sed qualis antea fuerit declarabit. Non statim quisquis aqua tinctus fuerit perdurabit in hac examinatione, sed qui spiritum cœlestem hauserit, qui charitatis inuictæ ignem conceperit, is nulla malorum procella commouebitur, sed magis purgator reddetur ac firmior, quemadmodum uentilatione spiritus purgatur triticum, & ignis ui purgatur aurum. Ad hanc igitur rigidam exactamque discussionem se quisque præparet, nihil fidei generis nobilitati, nihil maiorum sanctimonix, nihil carnalibus Mosaicæ legis ceremonijs, sed solidioribus præsidijs animum muniens. Magni referet, qualis quisque reperiatur. Aeterna salus, & æternum exitium discernet solidos & inanes, germanos Israelitas, & nothos. Triticum enim purgatum recondet in horreum uitæ cœlestis, paleas autem exuret igni nunquam extinguendo. Proferetur hic aliqua ex parte iudicium, sed post hanc uitam poena æterna infligitur impijs. His alijsque compluribus sermonibus Ioannes exhortabatur populum ad poenitentiam uitæ prioris, & ad desiderium mox uenturi Messix, periculo territans, præmijs excitans, ac læto nuncio salutis populares animos ad pietatis Euangelicæ studium expergefaciens. Atque hanc loquendi libertatem, ob insignem uiri sanctimoniam tulit turba promiscua, tulerunt publicani, tulerunt & milites, reprehensi morbum suum agnouerunt, territi quæsiere remedium. Verum non tulit Herodes, animo regio sibi licere uolens quicquid liberet. Amabat tamen Ioannem, perspiciebat ac probabat raram uitæ integritatem, atque in multis obtemperabat hominis consilio. Cæterum in eo, in quo potissimum oportebat auscultare dictis illius, non solum non obtemperauit, uerumetiam bene monentem coniecit in carcerem, & ab exitio reuocantem dedit exitio. Huiusmodi sunt plerumque principum animi, quos Euangelica sapientia nõ uindicauit ab imperio turpium cupiditatum. Imperant alijs, qui ipsi seruiunt uiolentis

Venit autem
fortior

Cuius uentila
brum in ma.

Et congrega
bit triticum

Herodes au
tẽ Tetrarcha

uolentis affectibus suis: & hoc ipso se reges esse putant, quod impune mancipia sunt tur-
 pinudinis. Asciscunt nonnunquam ad se uiros uitæ sanctimonia spectatos, cum his collo-
 quuntur nonnunquam, ex horum consilio faciunt nonnulla: non quod illis cordi sit uera
 pietas, sed ut hoc furo sibi concilient opinionem integritatis & inuidiam malefactorum
 leniant: uelut quum expilant populum, quum impia bella mouent, quum sauiunt in eos
 qui reipublicæ bene uolunt, uideantur & hæc ex probatissimorum uiro-
 rum consilio fa-
 cere. Sic Herodes pilis camelorum, quibus uestiebatur Ioannes, sic zōna pellicea, qua cin-
 gebatur, sic tenui uictu, sic totius uitæ innocentia, sic autoritate qua ualebat apud popu-
 lum, ad suam abutebatur tyrannidem. Vnde & post, uulpem illum appellat dominus Ie-
 sus. Hæc est enim astutia principum huius mundi: ad quos si quando continget Euangelii
 cos uiros ascisci, aut fugiendus erit illorum cōuictus, apud quos citius corrumpendi sunt
 ipsi, quam eos ad meliora flexuri: aut animos suos præparent ad tale præmium non dissimu-
 lant ueritatis, quale contigit Ioanni. Quum enim Herodes, non degenerans à moribus
 patris & auitis, multa patraret impie tyranniceq; populum expilans, libertatem oppri-
 mendo, in alijs puniens quod ipse committeret, uenales habens magistratus, uenale sacer-
 dotum, ac palam domi habens Herodiadem, uxore Philippi fratris, quam ille uiuo præri-
 puerat, una cum filia Philippi, uir sanctus non ferens tam incestas nuptias in domo regia,
 unde cōueniebat exemplum seruandarum legum potissimum proficisci, admonuit eum
 ut abstineret à tam impio flagitio. Sed apud impium regem plus habuit momenti puellæ
 filialis impia postulatio, & impie mulieris suggestus, quam tam incorrupti uiri salu-
 taris admonitio, qua tantum abfuit ut emendaretur, ut superioribus flagitijs facinus ad-
 diderit omnium impiissimum, Ioannem coniiciens in uincula, eò demum progressus ue-
 nit, ut amputatum innocentissimi uiri caput obscenæ saltationis præmium daret pur-
 gandum. Sed ut ad historiae seriem reuertar, prius quam dominus Iesus aggrediretur prædi-
 candum negotium, quod intra breue tempus erat absoluturus, ut omnes numeros mode-
 ste iusticiæ que impleret, non dedignatus est uenire cum cæteris ad baptismum, haud il-
 le quidem purificandus, sed nobis æternæ salutis lauacrum suo baptismo consecraturus.
 Detecit ipse sese, sed Ioannis uoce, ac patris æterni clarissimo testimonio commen-
 datus est palam omnibus, ut de facie quoque cognoscerent eum, de quo uaticinati fue-
 rant prophetae, de quo testificatus fuerat Ioannes. Quum igitur baptizaretur ingens nu-
 merus promiscuæ multitudinis, & inter hos uelut unus è multis adueniens Iesus Christus
 à Ioanne uelut peccatis obnoxius, baptismum flagitasset, recusauit Ioannes, agnoscens ex-
 cellentiam in illo puritatis, à quo debuerat ipse potius baptizari. Hoc primum ab Ioanne
 testimonium, Iesu præsentis dignitati redditum est apud multitudinem, sed euidentiore si-
 gno pater discreuit filium suum à cæteris qui baptizabantur. Cæteris enim baptizatis
 nullum signum apparuit. Verum ubi baptizatus est dominus Iesus, iamq; deprecatur:
 non interim erudiens, ut restituta per baptismum innocentia, protinus uertamus nos ad
 ea studia, quæ sunt spiritus, inter quæ primum locum habet deprecatio: apertum est cœ-
 lum, quod hactenus clausum, baptismus illius nobis patefecit. Atque inde descendit spi-
 ritus sanctus, per se quidem inuisibilis, sed tum circumdatus uisibili specie, quo conspi-
 cuitur oculis hominum. Species autem erat columbæ, quod hæc auis innocentia sym-
 bolum, olim ramum oliuæ detulerat in arcam, iræ diuinæ placatæ signum, ac finiendi di-
 luvij pignus. Porro diluuium illud quo tum purgatus est mundus, typum habebat nostri
 baptismi, quo saluis corporibus & animabus demerguntur peccata. Hac igitur specie spi-
 ritus sanctus descendit in sanctum uerticem domini Iesu, palam designans illum esse, quem
 pater assatim omnibus cœlestibus dotibus unxisset, quas in omnes sibi fidentes, ac per ba-
 ptismum in corporis sui consortium insitos, esset effusus. Accessit huic paternæ uocis e-
 uidens testimonium, non iam per prophetas, non per Moysen, nō per angelos proditum,
 sed ab ipso patre publicatum. Non quod pater, ut est, uel audiri possit, uel conspici, uel
 ullo corporis sensu percipi: sed quemadmodum spiritus inuisibilis, uisibili signo sese pa-
 tefecit oculis hominum, ita pater ædita per elementa superna uoce, perculit aures ho-
 minum. Vox autem è sublimi his uerbis intonuit: Tu es filius meus unice charus, in quo
 ipse mihi complaceo. Nulli ueterum sanctorum tale præbitum est testimonium. Co-
 lumba præcedens designabat, ad quem uox ista pertineret: ne quis suspicari posset, Ioan-
 nem

Factum est an-
 tem quum ba-
 ptizaretur

*Ut putabatur
filius Ioseph*

Qui fuit Heli

nem hoc elogio fuisse laudatum, de quo plerique tam magnifice sentiebant, ut eum crederent esse Messiam. Tot testimonijs Christus orbi commendatus esse uoluit, prius quam ad Euangelij prædicandi negocium accingeretur: nos interim admonens suo exemplo, ne quis sese tanto muneri repente & illotis pedibus ingerat. Priuatim testimonium acceperat ab angelis, ab Elizabeth, à Simeone, ab Anna, à Magis, publice ab Ioanne, cuius erat grauissima apud Iudæos autoritas: à spiritu sancto, ab ipso patre. His omnibus adiuncta est ætatis autoritas. Quum enim ueniret ad baptismum dominus Iesus, accedebat ad annum trigessimus: non quod ætas æstimeretur apud deum, sed quod conueniret, ut is qui pertracturus esset omnes ad se, satisfaceret omnibus per omnia, neque quicquam esset in eo, quod quisquam probabiliter posset calūniari. Proinde ætas matura delecta est & expectata, quod adolescentiæ desit autoritas propter publicam opinionem imperitiæ: senectus minus habeat ponderis ob uires ingenij defectas ac suspensionem delirationis. Quoniam uero & generis uitium apud uulgus multum abrogat autoritatis, curatū est & hoc, ut Iesus tam diu crederetur esse filius Ioseph, donec miraculis, ac prædicatione satis inclauisset Euangelium. Erat hoc dignitatis Christi, ut de uirgine nasceretur, sed quoniam id non referebat statim innotescere, & persuasum fuisset difficillimum, abusus est errore populari, ne qua res interim imminueret autoritatem prædicantis, si probabiliter dictus fuisset ex adulterio natus. Voluit ex humili domo prodire, sed quàm nulla famæ labes aspersisset. Siquidem Euangelico doctori uitanda est non solum culpa, sed omnis culpæ species, & commendatus esse debet non modo suis uirtutibus, uerum etiam ab his rebus alienus, è quibus uulgus concipere solet mali suspensionem. Siquidem hæc est communis hominum opinio, uix unquam è malis parentibus nasci bonos liberos. Ergo qui paupertatis probum, qui domus humilitatem non refugit, uitauit ætatis & generis calumniam. Quamquam autem Ioseph non fuerit pater Iesu iuxta naturam, sed secundum legem tantum, quia sponsus erat matris: tamen quoniam ex eadem tribu domoq; duxerat uxorem, ab hoc uisum est domini recedere genealogiam, quo magis constet illum uere fuisse hominem, iuxta corpus progenitum ex his, è quibus prophetarum uaticinia prædixerant illum nasciturum. Nam iuxta naturam sublimiorē, pater ipse coelestis agnouit ac professus est filium suum. Ioseph igitur coniunx Mariæ uirginis, quæ genuit Iesum, iuxta legem dicebatur filius Heli patris, iuxta ueritatem propagationis filius Iacob, qui fratri suo uterino, quod absq; liberis decesserat, ex uxore relicta suscitauit filiū Ioseph. Heli filius erat Mathat, hic rursum patrē habebat Leui. Leui natus erat ex Melchi, quē genuerat Iannes filius Matathia, cui pater fuerat Amos. Hunc progeniuit Naum, filius Heli, progener ex parente Naggæ. Is prodierat ex Maath, filio Matathia. Hic satus erat ex Semel, filio Ioseph, progenito ex Iuda. Iudas patrem habuit Ioannan, filium Rhesi progener ex Zorobabel. Huius pater erat Salathiel, progener ipse ex Neri, filio Melchi, qui genus duxerat ex Addi, filio Cosam, progeniti ex Helmadam. Is genus ducebat ex Her filio Ieso progener ex Eleazar filio Ioram. Hunc genuerat Mattha, ipse natus ex Leui, filio Simeonis progener ex Iuda, filio Ioseph. Hunc progeniuit Ionam, ipse filius Heliachim, filij Meleam. Is progener erat ex Mathatha, qui fuit filius Nathan. Hunc ex Bersabee genuerat Dauid rex, per quem instaurata est stirps Solomonis, quæ in Ochozia defecerat. Dauid genitus erat ex Iesse filio Obeth, progener ex Booz. Huic pater erat Salmon, filius Naasson progener ex Aminadab, cui pater fuerat Aram, filius Esrom, progeniti ex Phares filio Iudæ. Iudas genus duxit ex patriarcha Iacob, filio Isaac quem iuxta diuinum promissum senex ex uetula Sara suscepit Abraham, ipse progener ex Tharra, filio Nachor, progener ex Saruch filio Ragau, cui pater erat Phalec filius Heber, procreati ex Sale, filio Cainam filij Arphaxat, cui pater fuerat Sem filius Noe, quē genuerat Lamech, filius Mathusala, filij Enoch, cui pater erat Iareth, ipse progener ex Malalehel filio Cainan, progeniti ex Enos filio Seth, quem genuit Adam, postea quàm uixerat centum & triginta annos. Adam erat princeps humani generis, non alium habens generis auctorem quàm deum à quo cōditus est è limo terræ, ueluti è matre. Quoniam autem per huius terreni parentis peccatum uitiatum erat omne genus humanum, & genitoris sui referens ingenium, in omne uitiorum genus fuerat prolapsū, missus est collapsi generis instaurator ac redemptor dominus Iesus, ut quod unius inobediētia corruisset, per unius obedientiam reconciliaretur

eliaretur, & quemadmodum omnes, qui terreni parentis uestigijs ingressi fuerant, redditi sunt obnoxij morti, ita qui per baptismū exempli à cognitione peccatoris intrerentur Adæ coelesti, qui est Iesus Christus, illius uestigijs inhærentes, uitam æternam aliquerentur in coelis. Respondent autem multis modis exordia labentis humani generis, ac constituti. Nihil enim hic fortuito gestum est, sed tota rerum series diuino temperata est consilio. Eua uirginis cum serpente colloquium fuit initium exitij: Mariæ uirginis cum Gabriele colloquium fuit initium salutis. Eua corrupta pomi blandientis illecebra, uirum perdidit ac mortem inuexit mundo: Maria uirgo semper incorrupta, spretis constanter carnis illecebris, simplici fide se præbens uoluntati diuinæ, uirum enixa est, qui salutem attulit mundo. Adam tentatus est & uictus, Christus tentatus uicit tentatorem. Adam uxori corruptæ obsequundans, eiectus est e paradiso: Christus patri obediens usque ad mortem, uiam aperuit in coelos. Ob pomi gustati uoluptatem ille factus est seruus diaboli: Christus spretis omnibus mundi regnis ac delicijs, nobis deuincendum hostem tradidit. Ille per esum pomi perdidit posteritatem, hic per abstinentiam cibi reparauit perditos. Ille à paradiso depulsus est in terram calamitosam ac desertam, hic à deserto uiam muniuit in coelum. Ille per cupiditatem superbæ scientiæ posteros suos pertraxit in mortem: hic per humilem fidei obedientiam reddidit uitam. Denique utrobique lignum. Ibi per lignum uicit ac sefellit serpens, & hic per lignum sefellit ac uicit Christus. Per arborē mors, per arborem uita. Princeps interitus ex terra uirgine conditus est: princeps salutis ex uirgine Maria. Adam ad imaginem dei factus est: Christus imago dei, sumpsit hominis & imaginem & naturam. Adam per sponsam suam deceptus est, Christus suam sponsam ecclesiam ab errore diabolico reuocauit. Ibi mulier prodidit initium stultitiæ dum caprat fieri sapiens: hic mulier dum sibi nihil arrogat, nobis ædit sapientiæ fontem. Adam dum mauult sapiens esse quam obediens, stulticiam inuexit mundo: nouus Adam quum esset sapientia patris, pro nobis stultus factus est, ut sapientes redderemur in ipso. Per superbiam lapsus, per humilitatem erectio. Adam animi dotibus nudatus per serpentem, arboris se texit exuiijs: Christus donis coelestibus diues, nihil desiderauit huius mundi. Congruunt & ueteris instrumenti figuræ cum historia Euangelica. Moses Israelitas duxit ex Aegypto, Christus ex ignorantia tenebris ac uitiorum seruitute liberauit. Illis per aquam transitus erat, hic per baptismum iter est ad salutem ac libertatem. Illic columna nubis & ignis, & hic de nube sonat pater, & igni baptizat spiritus. Per legem priorem occasio mortis, per legem Euangelicam reuocatio ad salutem. Sed uetus lex tonitruis ac fulminibus terret, lex Euangelica lenitate ac beneficijs prouocat ad salutem. Moses terribilis aspectu, sic ut faciem uelare cogeretur: Christus placidus & comis, mediæque turbæ admixtus. Moses ascendit in montem ut cū deo colloqueretur: Christus descendit ad nos, ut per ipsum deus nobis loqueretur. Primus Adam, dum affectat æqualitatē cum deo, comparatus est iumentis insipientibus: posterior Adam, cum sese deijcit à sua diuinitate ad humilitatem humanæ naturæ, nos iumentis etiā abiectiones subuexit ad cōsortium diuinitatis. Denique per Iesum Naue filium reditus in terrā fluentem lacte & melle: per Iesum uirginis filiū reditus in paradysum. Reclamamus igitur ab ingenio primorū parentum, & obseruantes uitam domini Iesu, sinceris mentibus amplectamur illius beneficiū, ac prijs studijs pro uiribus imitemur exemplū. Ipse suppeditabit auxilium, qui præbuit exemplum. Amplectamur Euangelicæ legis placidum conditorem. Sequamur ducem nostrū, qui solus potest omnes totius orbis nationes perducere ad terram illam omnī gaudiorum genere semper exuberantem.

CAPVT QVARTVM

IESVS autem, cuius uertici columba infederat, nō inane signum, iam plenus spiritu sancto, prius quā aggredieretur munus Euangelicæ prædicationis, ne non per omnia probatus accederet, reliquit Iordanem, docens à baptismo connitendum ad sublimiora studia pietatis, subduxit sese à turba, cuius conuictus & frequenter inquinat, & auctoritatem eleuat doctoris: ac per spiritum quo totus rapiebatur, actus est in desertum, unde prodierat & Ioannes, ueluti prouocaturus hostem humani generis, ut artes ac machinas suas expediret: nimirum quo nobis ostenderet illum, qui genus hominum hactenus uicerat, uinci posse: simulque nobis uincendi rationem indicaret. Locus captatus est tentatori commodus, præbita est per esuritionem

tionem occasio. Iesus enim ut Moſen hac imagine referret, nouā & Euangelicam legem mundo proditurus, ieiunauit & ipſe quadraginta diebus, nec in hiſ quicquam attigit cibi ſed totum hoc tempus ſanctis ad deum precibus, laudibus diuinis, & gratiarum actionibus tranſegit. Erat autem hoc raræ cuiuſdam uirtutis ſpecimen. Nec ignorabat artes ſaturnæ, nuſquam magis ad mouentis omnes laqueos ſuos, quàm ubi conſpexerit humanam mentem inſigni conatu tendere ad uitam cœleſtem. Audierat uenturum illum, qui fracturus eſſet ipſius uires, & an iā ueniſſet, dubitabat: quis autē iſ eſſet, ignorabat. Hic enim fallendus erat arte diuina, qui prius ſuis dolis ſefellerat genus humanum. Audierat Ioānem palam proſitentem: non ſum ego Chriſtus. Proinde quum multa conſpexiſſet in Chriſto, quæ uirtutis humanæ modum excederent: rursus quum uideret eſurientem & affligi corporis inedia, quum Moſes & Helias poſt totidem dierum ieiunium nō legantur eſuriſſe, ſuſpicatus eſt nihil aliud eſſe Ieſum quàm hominem, & hominē qui poſſet arte corrumpi. Erat autem hoc callidum tentatoris cōſilium, ut aut uinceret, aut certe expiſcaretur an hic eſſet ille filius dei, promiſſus à prophetis. Quod ſi cōperiſſet, iam eò neruos omnes ac fraudes intenderet, ut impediretur aliqua uia redemptio generis humani. Sed nulla ualet aſtutia aduerſus diuinam ſapientiam, quæ ſic temperauit omnia ſua, ut callidiſſimū illum hoſtem noſtrum non ſolum uinceret, uerumetiam eluderet. Infirmiſſe carnis eluſit, fortitudine ſpiritus ac diuinæ ſcripturæ præſidio uicit, ſic ut turpiter uictus abigeretur, & nihilo certior abiret de filio dei, quàm antea uenerat. Admouit igitur ſatanas primum illud & efficax telum, quo principes humani generis deiecerat: quanquā illos tantum ſollicitabat ille cebra pomi blandiētis, hic fames etiam, intolerabile malum, adiuuabat tentatoris conatum. Eſau fame compulſus, pulte uendidit ius primogeniti. Poterat autē dominus Ieſus diuina uirtute famem corporis uel arcere, uel propellere: ſed eſcam obijcere uoluit captatori, quo caperetur ipſe. Obiecta eſt, uelut eſca, corporis humani imbecillitas, ſed tentator impigit in uncum diuinæ uirtutis. Videbat corpus hominis fame ſiceſcens diſcruciari, & ad uitæ periculū tendere. Negant autē ullum mortis genus eſſe cruciabilius. Videbat eum in deſerto procul ſemotum à uicis & oppidis, unde cibi copia præberi poterat. Hiſ rebus fretus, aggreditur impius ſpiritus dominū Ieſum, ſpiritu ſancto plenum: laceſſit à quo uincendus erat: prouocat fortiorē, captat prudentiorē. Quid opus eſt, inquit, te fame cruciari: ſi tu es ille filius dei, iube ut hic lapis tibi uertatur in panē, iſtoci argumento declarabis te filium dei. Non enim erit pater ſurdus filio fame periclitanti. Quumquē ille cōſiderit ex nihilo cuncta, nil magni fuerit, ſi filius dei lapidem uerterit in panem. Ieſus autē non ignarus quid uenaretur ſatanas, ſic temperat reſponſum ſuum, ut nec obſequatur cōſilio illius, neo diuinam naturam hoſti prodat, qui noua ratione per infirmiſſimam corporis & fallendus erat, & uincendus. Non negat filio dei poteſtatem eſſe uertendi lapides in panes, non improbat famem corporis cibo ſedare, ſed ex autoritate ſcripturæ diuinæ demonſtrat eſſe uitam animi, quæ pluris ſit faciunda, quàm uita corporis, eſſe cibum ſpiritualem, qui magis expetendus ſit, quàm hic cibus qui uitam corporis ad breue tempus prorogat, nihilo ſecius aliquanto poſt morbo, ſenio, alioue caſu perituram. Cibus enim ſpiritus uitam largitur æternam. Iſ eſt ſermo dei. Hunc igitur primum aſſultum diaboli, hoc reſponſo Ieſus eluſit: Scriptum eſt, inquit, in libro Deuteronomij: Non tantum pane uiuit homo, ſed omni ſermone, qui proficiſcitur ex ore dei. Cæterū in hoc dominus diuinæ ſcripturæ teſtimonio nititur: primū ut nos doceret modēſtiā, quos non oportet quicquid extra ſcripturā à deo proditæ autoritatem confirmare: deinde declarauit nobis nullum telum efficacius eſſe ad uerſus omnes inſtinctus impiorum dæmonum, quàm ſacrarum literarum autoritatem. Hinc uerū petendus eſt animi cibus, ſi quis uelit deo uiuere, cui qui nō uiuit, mortuus eſt etiam ſi uideat uiuere. Comederunt primi parentes, & mortui ſunt. Quod ſi tentatori reſpondiſſent id quod reſpōdit dominus Ieſus, & prior illis fuiſſet ratio præcepti dominici, cuius obſeruatō præſtat uitam æternam, quàm pomi letalis appetitus, non ſe ſuamque poſteritatem morti reddidiſſent obnoxios. Quin & illud nos docet ſeruatoris exemplum, non eſſe proferendum miraculum, niſi quum id poſtulat gloria Chriſti, non hominum libido: aut quum id exigit fraternæ charitas. Magorum enim eſt ac præſtigiatorum ad inanem oſtentationem, & ad ſpectatorum curioſam uoluptatem, uel ædere, uel fingere prodigia, unde nec illuſtratur gloria dei, nec utilitas ulla redit ad proximum. Veluti quum fax ardens

Si filius dei es

dens immerfa aquis non extinguitur: aut quum Hectoris aut Achillis horrenda species oculis ostenditur: aut quū culmus serpere uidetur serpentis specie. Iesus nullum unquam addidit miraculum, nisi quo simul & illustraretur uirtus patris, & hominum necessitati succurreretur: uel quo pro tempore prouocaretur hominū incredulitas. Quū essent pascenda turba, paucos panes multiplicauit in multis milibus suffecturam copiam. Herodis oculos adeo non dignatus est pascere miraculo, ut nec alloqui sit dignatus. Eodem uidelicet consilio negat miraculum Satanæ. Hoc congressu uictus diabolus: non statim destitit à contentione, ne nos semel uictores tradamus nos securitati, sed animum semper ad nos uos assultus paratū ac munitū habeamus. Qui profecerūt ad mediocritatē euāgelicę philosophiæ, facile contemnunt gulæ luxusq; morbū, utpote sordidum ac beluinum. Quamquam in hac quoq; tentatione non deerat arrogantia laqueus: Si filius dei es. Etenim qui natura sunt arrogantes, & gloriæ cupidi, plerumq; conantur ad ea, quæ supra uires ipsorum sunt, ne quam faciant opinionis suæ iacturam, ac sibi per fucū uindicant, quod non habent, gloriam uenantes apud homines. Sic multi prophetiæ donum technis arrogant sibi, quod non habent: sic multi iactant uisiones angelorum, quas non uiderunt. Contrā dominus Iesus, quum esset omnium maximus, magnitudinem suam dissimulat, præ se ferens imbecillitatem corporis, nec unquam promittit uirtutem suam, nisi quum hoc expediat hominum saluti, ut gloria patris per filium illustretur. Eodē igitur telo Satanæ ut est improbe maliciosus, sed diuersa materia repetit dominum, experiens an opibus & honoribus huius mundi corrumpi posset, qui fame prosterni non poterat. Siquidem ambitio malum est pestilens, ac propemodum inuincibile, quod in summis etiam uirtutibus obrepit, insinuans sese mentibus ad ardua scandere conantibus: adeo, ut quos nec aduersæ res, nec paupertas, nec morbus frangere potuerint, nec luxus, aut Venus emollire, dericiat ac subruat gloriæ studium. Quid enim est tam nefarium aut impium, quod mortales imperij gratia non & faciant & patiantur? An non frequenter ueneficijs, paricidijs, incestis nuptijs, alijsq; nō referendis probris regnum emitur? Quot cædibus aliquoties unus ciuitatis ditio uindictatur? Dulcis est honos, præclarum est imperare, magnificum ceteris antecellere. Et omnino regnum diuinitas quædam uidetur inter homines. Hoc blandimento capti sunt primi parentes. Arridebat oculis pomi blandientis illecebra, sed magis arridebat animo, falso promissæ scientiæ sublimitas, ac dñs æquanda dignitas. Hac igitur machina tentator adortus est Iesum, nec ille refugit tentatoris improbitatem, ut nobis illum uinceret, utq; nos illum uincendi rationem doceret. Sustulit igitur diabolus Iesum in montem excelsum, atque ex eo uelut è specula, subito in puncto temporis, subiecit oculis illius omnia regna totius mundi: potest enim hoc permissu dei spiritus impius, rerum imagines nouo quodam more representare humanis obtutibus: simulq; quicquid in orbem magnificum habet magnorum regum strepitus, præstigio quodam exhibuit oculis, opes, famulitium, palatia, copias, tubas, adorantium obsequia, pompas, triumphos, legationes, nutum omnipotentē, aliaq; permulta, quibus populorum adulatio principes homines, nonnunquam stultos & impios, certe fragiles ac mox perituros, pro dijs colit ac suscipit, atque ipsi interim sibi fluxarum rerum successu sublati, plus quàm dñj uidentur. Harum rerum omnium præstigiator ille mirum quoddam theatrum repente obiecit oculis domini Iesu, qui præstigijs falli nō potest, quum nihil illū lateat. Ad hanc magnificā speciem rerū, adiecit mendax & improbus Satanæ orationē magnificentiore: Hæc, inquit, omnia tam splendida, tam opulenta, tam magnifica, tradita sunt potestati meæ, ut ea largiar quicunque libuerit. Sum enim princeps ac deus huius mundi. Quod si meum numen agnoueris, & prouolutus ad genua mea me adoraueris, potestatem omnium regnorum uniuersam quæ uides, tradam in manus tuas. Vides quantum ubique sit nomen Cæsaris, & quota portio mundi agnoscit illum dominum: Tu unus obtinebis hæc omnia, & in terris pro deo coleris, modo me tantæ felicitatis autorem agnoueris. Agnoscis pie lector mendacissimā ac superbissimam uocem illius, qui quondam dixit parentibus illis infelicibus: Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dñj, scientes bonum & malum. Hic dominus Iesus impiam Satanæ uocem diuinæ scripturæ uerbis retudit, dicens: Abi Satana cum tuis fallacibus promissis. Damnosum lucrum est, quod pietatis iactura emitur. Quod stipulari impium est, quod promittis inane est. Scriptum est enim in libro Deuteronomij: Do-

minum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Deus suam gloriam non patitur in alium transferri, non patitur sibi cum quoquam esse communem. Ille uerus deus ac dominus est omnium, quęcunq; sunt in cœlis aut in terris. Is suis cultoribus pollicetur hæreditatem regni cœlestis. Huius uoci magis obtemperandum est, quàm tuę: qui ut honorem soli deo debitum impie tibi postulas, ita promittis non solum inania, moxq; peritura, uerum etiam aliena. Poterat respondere dominus Iesus: Quid mihi polliceris quę mea sunt? Qua fronte postulas ut tibi accidam ad genua, quum deus sim, qui te condidi, qui te superbientem de cœlo depuli, deiecturus in tartara, simulatq; mihi uidebitur? In hæc ipsa regna nihil haberes iuris, nisi tibi mortalium error & impietas ius faceret. Illorum stulticia tu potens es. Reuiuifcat pietas, ubi fuerit regnum tuum? Verum id temporis fallendus erat Satanas, non docendus. Nec admoneri meruit, qui corrigi non poterat. Nobis agebatur hæc fabula, nos docebamur magno animo respuendum, quicquid cum impietate coniunctum est. Non quod per se malę sint opes, aut per se malum regnum, aut magistratus publicus: sed quod ad hæc ferè nullus penetret, nisi malis artibus, quodq; non sine graui pietatis discrimine possideatur, propterea quod innumeris periculis obnoxia sint. Quisquis autem harum rerum cupiditate corruptus, negligit præcepta dei, fraudat, rapit, peierat, occidit, fas nefasq; miscet: is iam adorauit huius mundi principem, ac deum abnegauit, inito fœdere cum aduersario dei. Quoties autem sollicitatur animus Christiani, ut ob augendas opes, aut obtinendum imperium, aut parandam gloriam, deferatur ueritas, & admittatur impietas, exemplo Christi ducis sui respondeat intrepide: Abi Satana cum tuis fallacibus promissis, solus deus adorandus est: qui illum habet propitium, is cum illo dominus est omnium. Nec sic repulsa desistit à tentando Satana improbitas. Repetit, sapius uincendus: ut nos intelligamus, nobis in hac uita perpetuum esse cōflictum cum aduersario: neq; quicq; esse tam nefarium, ad quod ille nō audeat sollicitare cultores dei, sed nō esse formidandū prius, quibus iam uicit Iesus Christus, & quibus è diuinis literis efficacissima tela suppetunt, quibus ilico retundatur tentatoris improbitas. Nec enim in aliud ille proficit tentando, quàm ut præbita occasione maiorem ac spectatiorem reddat bonorum uirtutem. Abducit igitur dominum Iesum è monte sublimi Hierosolymam, statuitq; eum in summo templi fastigio; rursumq; prouocat ut aut inani gloria uictus, sese præcipitem det ut pereat, aut eo signo se prodar esse filium dei. Ac fraudis suę patrociniū mutatur à sacris literis, sed perperā intellectis, neq; quod oportuit accommodatis. Sic enim & impij nonnunq; & hæretici diuinis scripturis abutuntur ac fallunt incautos, sermonis diuinæ regulam ad suos affectus deprauantes. Hic, inquit, declara, utrū sis filius dei, an non. Præcipitem da te ipsum, & si nihil acciderit mali, palam sit omnibus, te esse filium dei. Neq; periculum est ne quid accidat. Scriptum est enim in Psalmis de filio dei, quod angelis suis mandauit de te, ut conseruent te, quodq; manibus suis tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Hæc prophetia non proprie prodita est de Christo, sed de quouis homine pio: qui fretus ope diuina, nō debeat sibi metuere ab ullis huius mundi malis, quem admodum & ipse dominus iussit apostolos suos animo securo esse: nec enim pilum capitis illis periturum nolente patre cœlesti. Iesus autem dissimulans interim se natura filium esse dei, tantum illud respondit, quod à quouis homine pio respōderi poterat, & scripturam falso citatam, alia scriptura recte adducta, ceu clauum clauo retudit. Sed è diuerso scriptum est, inquit, in Deuteronomio: Non tentabis dominum deum tuum. Illius auxilium aderit, quum te casus quisq;, aut religio pertraxerit in periculum, nō quum ad ostentationem prouocaris dei uirtutē. Neq; diuina pietas seruit humanę glorię aut libidini, sed suā gloriam declarās, quū uult, in hominibus, succurrit humano destitutis auxilio. Indignus est autem ope diuina, qui suę glorię causa semet ultrò conijcit in manifestum uitę discrimen. Neq; piorum hominum est, deo præfinire, quādo, quibusue modis nos debeat è periculis eripere, quū certi simus, siue liberat, siue non liberat, hoc agi per illum, quod nobis saluberrimū est. Nonnunq; felicius est ægrotare, quàm bene ualere: mori, q̃ uiuere: affligi, quàm rebus sequendis uti. Pietas est, ab illo simplici pendere animo: impium est, humana curiositate tentare quid possit. Potest enim omnia, sed non uult nisi optima. His alijsq; modis princeps ac magister noster Iesus passus est se tentari à Satana mox à baptismo, ne nos satis putaremus baptismi lauacro cōdonata esse nobis peccata, sed acre bellum suscipiendum

Mitte te deor
sum

piendum cum hoste nihil non molituro, quo nos in pristinā retrahat seruitutem. In baptismo damus nomina duci nostro, sub illius vexillis aduersus Satanæ copias bellaturi. Neque uero nobis res est cū hominibus, quū Christus iubeat & inimicos diligere, sed cū impijs spiritibus, qui telis igneis, multaq; arte nos impugnant è sublimi. Sed horum vires semel fregit princeps noster, ac proinde nobis uincibiles tradidit, quos rursus uicturus est in nobis, si modo nos pugnandi rationē, qua Christus eos deuicit, imitemur. Oppugnāt autem nos interim per se, cogitationes impias suggerentes animo: nonnunquam per malos homines, ueluti satellites suos, dum subornant, qui nos ad uoluptatem sollicitent, qui rixis & conuicijs ad iram & cædem prouocent. Escam qua capiāmur, aliquando petunt ab hoc mundo, cuius honores, opes ac pompas ingerūt oculis nostris, nonnūq; & è nobis ipsis sumunt. Insunt enim nobis quidam affectus naturæ, quos abscere non possumus, nisi prorsus humanam naturam exuamus, ueluti cibi & potus appetentia, coeundi libido, posteaquam pubertas genitalia membra distenderit humoribus. Quanquam autē congređi moderate cum uxore scelus non est, neq; nefas est cibo ac potu sitim & famem compescere, tamen hic nobis insidiatur hostis callidus, ut his affectibus uel indulgeamus ultra necessitatem, uel his modis, quibus non oportet, eos placemus. Quod genus sit, si quis contingat uxorem alienam, aut cum sua supra modum, aut rationibus indecentibus congređiatur: siue si cum offendiculo fratris uescatur idolothytis, quum liceat uitato offendiculo succurrere corporis necessitati. Sunt autem & peculiāres corporum & animorum propensiones ad certa uitia, siue quod hæ nobis è parentibus inhæserunt, siue cōsuetudine collectę sunt, siue aliunde accesserūt. Veluti alius est ad auaritiā natura procliuor, alius ad luxum, alius ad uenerem, alius ad iram, alius ad ambitionem. Horum nihil non obseruat hostis noster, quo nos in exitium pertrahat. Verum aduersus omnes huius insidias oportet simul & fortes esse & uigilantes. Aduersus omnes illius machinas robur & ingenium suppediabit Christi spiritus, arma suppediabit diuinæ literæ. Qui patitur nos tentari, nō patietur uinci, sed ita temperabit cōflictum, ut certaminis exitus nobis cedat in bonum. Victus hostis non desinet inuidere, sed aliquādo desinet impetere: quoq; sæpius repetet, hoc redibit fractior. Quid nobis futurū esset, Christus in se expressit. Etenim quū diabolus omnes artes expedisset in dominum, neq; quicq; procederet, simul & uictus, & elusus discessit, sed ad tempus, uidelicet alia captata occasione rediturus ad tentationem. Etenim ex quo non potuit elicere professionē filij dei, quem nulla rerum specie corrumpere potuit, post per suos satellites phariseos, scribas & sacerdotes conatus est occidere. Verum & hic arte diuina uersutiam hostis illulit. Quod hic molitus est in perniciem, ille nobis uertit in salutē. Ac tum deniq; sensit satanas deiectā esse suam tyrannidem, quū sibi polliceretur certissimam uictoriam. Præcessit baptismus, qui confert innocentiam. Successit eremus, ac assidua precatio, ieiunium, atq; interim cōflictatio cum Satana, aduersus quem nos potissimū armat fuga multitudinis, in qua nusq; deest quod animos imbecilles ad uitia sollicitet. Munit deprecatio, & ieiuniū robur detrahit corpori, addit spiritui. Supererat ut ad docendi munus accingeretur. Est autem hoc proprium munus episcoporum, quod nemo recte suscipit, nisi multis modis exploratus ac probatus, uictor omnium malorum cupiditatum, quæ corrumpunt ac uitiant sermonē dei, quo possit & alios docere quibus modis resistent Satanæ. Non enim satis est ad doctorē Euangelicū essē opurum à uicijs, sed & fortē & incorruptum esse oportet, ut nec quæstu, nec ulla corporis uoluptate, nec ambitione, nec metu malorum defleat à rectitudine ueritatis Euangelicæ, quam non desinit ullo tempore Satanas oppugnare per eos, qui mundum hunc diligunt plus quam Dei gloriam. Hoc nos docere uolens dominus Iesus peractis his omnibus, iam magna uirtute spiritus, quo plenus erat, recepit sese in Galilæam. Siquidem è tentatione spiritus robur collegerat, non quod illi quicq; accessisset nouæ uirtutis, sed quod id quod habebat in animo, magis sese promeret atq; exereret: nobis interim depingens, quid Euangelico doctōri curandum sit, & expectandum. A Galilæa contemptissima Iudæorum regione uoluit auspicari prædicationem Euangelicam: partim ut responderet Esaiæ uaticinio, quo prædictum erat, circa fines Zabulon & Neptalim, hoc est, iuxta Galilæam gentium, exoriturā lucem diuinæ ueritatis: partim, ut ne quid Euāgelici successus huius mundi prædijis imputaretur, si per eruditos, si per opulentos, si per potentes proditum fuisset

Consummata
omni tēatione

Et regressus
est Iesus cum
uirtute

Euangelium, si à celebri regione exortū. Delegit enim Deus omnia contempta iuxta mundum, ut tota gloria rei tam mirificæ rediret ad ipsum. Iam autem Iesu fama non erat incelerbris apud Galilæos, apud quos miraculis aliquot priuatim æditis, multis innotuerat & ante baptismum, collectis interim paucis discipulis, quos totius uitæ doctrinæq; suæ testes esse uoluit. Quo tempore paulatim sese subduxit ab affectibus cognatorum, docens & hos officere frequenter synceritati doctrinæ. Cæterum ubi Ioannes esset coniectus in uincula (nam hoc præcedente siluerat propemodum, ne quid inter utriusque discipulos æmulationis oriretur) palam magno animo docēdi negotium aggreditur. Tempus enim erat, ut astricta lege, cuius typum gerebat Ioannes, proferret sese libertas Euangelica. Vmbrosæ & ænigmatibus obscuræ legi conuenit carcer. Lucem autē Euangelicam oportebat in altum tollere, ut uniuersis mundi regionibus esset conspicua, maximis ac minimis, doctis & idiotis. Ergo simul atq; repetisset Galilæā dominus, uirtute spiritus diuini, quo plenus erat, doctrina & miraculis ex parte iam prodita: fama, quæ prius de illo uolitarat inter paucos, tū diuulgata est in uniuersam eam regionē. Congruit enim Euangelico doctōri celeberrimo nomen: non quod illi sit affectanda gloria apud homines, sed quod honesta opinio doctōris, fidem ipsi conciliet & auctoritatem. Verum hæc opinio, ut nō est affectanda, ita nec quibuslibet paranda rationibus. Ad exemplum Iesu sic uiuat doctōr, ut quum ipse sese non ostendet, tamen patris testimonio, spiritus sancti uirtute, Ioannis, hoc est, optimi cuiusq; suffragio commendetur. Sic uiuat, ut morum integritate oculos omnium in se conuertat. Deniq; ea sit erga deum fiducia, ut miraculis etiam, si res postulet, deum glorificet. Quanquam hoc seculo abunde magnum miraculum est, nec opibus, nec solutibus, nec honoribus, nec tormentorum terriculamentis, nec mortis metu, uel tantillum desle-

Et ipse docet in synagoga Cui à synceritate ueritatis Euangelicæ. Erat autem apud Iudæos consuetudo, ut frequēter, sed præcipue sabbatis ac festis diebus cōuenirent in templum, aut in synagogas, ut ocium quod illis indixit lex ab operibus sordidis & prophanis, non in aleam, scorta, compositio nes, rixas, aliq; flagitia cōsumerent, sed in his quæ sunt animi, collocarent. Illic erat confabulatio, non de nugis humanis, sed de lege domini, de uenturo Messia, qui flagrantissimis uotis ab omnibus pijs expectabatur. Et quod quisq; poterat, cōferebat in medium, cuius eunq; status esset. Porro qui præ se ferret, habere quod doceret populum, huic dabatur co-

Et magnificatur ab omnibus dex diuinæ legis, unde promere debet doctōr Euangelicus, quo pascat animos multitudinis, non ex sonnijs humanis. Quicquid autē hic dicebatur aut gerebatur, non poterat esse clam, quod eò promiscua populi multitudo conflueret. Iesus igitur uolens suam doctrinam esse notam omnibus, perambulans Galilææ ciuitates, iuxta laudatam Iudæorū consuetudinem, uentitabat in synagogas eorum, ubiq; promens admirabilem illam & efficacem doctrinam regni cœlestis, tanto potentiorē doctrina pharisæorum, qui corticem legis aut cōstitutiunculas hominum prædicabāt, quanto uinū est aqua efficacius. Nec de-

Et magnificatur ab omnibus erant etiam apud Galilæos animi dociles, qui mirarentur nouum hoc doctrinæ genus, quicq; doctōrem admirabilem suspicerent, ac laudibus ueherent. Et hæcenus quidem factis successit euangelij negociū, donec ad cognatos ac domesticā notitiam est uentum: ut intelligeremus eū qui docet cœlestia, oportere, quantum licet, à carne, à sanguine alienum esse. Peragratis enim aliquot Galilææ uicis, ac ciuitatibus, tandē uenit Nazareth, ubi quoniam fuerat educatus, diuq; uixerat cū parētib; & cognatis, natus credebatur à multis, unde & Nazareus uulgo dictus est. Porro ne & hi queri possent, quod patriam ac propinquos suos fastidisset, malēs apud alienos uenari gloriā, uenit huc quoq; iam fama celebris quam in patria nō habuerat. Utq; declararet sese iam domesticis negocijs renunciasse, ex more suo uenit in publicā synagogam. Nusq; enim magis oportet uersari eum qui publicis cōmodis dicatus est. Quum autē audisset alios de lege differentes, surrexit & ipse, hoc gestu significans, se quoq; spiritu afflatū, habere quod loqui uellet apud multitudinē. Quam mos & hodie perseverat in ecclesijs ex institutione Pauli, ut uicissim dicant & audiant: & si cui fuerit reuelatū aliquid dignum cognitu, cedat qui prior dixerat, & det locū succedenti, ne tumultus & confusio nascatur in cōgregatione sancta, in qua decet omnia cum pace & tranquillitate geri. Datus est Iesu codex, idq; ex more, ut nos doceremur, unde proficiat sci oporteat salutiferam doctrinam: nimirum non ex cōmentis hominum, non ex pharisæorum placitis, sed ex sacris uoluminibus, quæ nobis afflatū diuini spiritus prodita sunt.

Non

Nonnegebat dominus Iesus codice, in quo erant omnes scientiæ & sapientiæ thesauri reconditi, sed tamen accepit codicem, ut nobis studium sacre lectionis cōmenderet. Minister synagogæ porrigit codicē, sed clausum: Iesus, qui solus habet clauem, & aperit quod in lege ueteri reconditum est, codicem acceptum explicat ac reuoluit. Iesus enim ipse latebat in lege reconditus & abstrusus. Decebat autem ut ipsi Iudæi traderent, unde mox conarguerentur. Traditus est autem non quiuus liber, sed Esaiæ propheta, quo nemo clarius aut euidentius uaticinatus est de Christo, deq; doctrina Euangelica. Nec illud fortuito accidit, sed diuina prouidentia factum est, ut explicato reuolutoq; uolumine, is locus potissimum uenerit ad manum, qui Christum clarissime prædicaret, & in quo Christus ipse per os propheta de se loquitur hunc in modum: Spiritus domini super me, eo quod unxit me, ut lætum nuncium adferam pauperibus misit me, ut sanem contritos corde, ut prædicem captiuis remissionem, ac cæcis uisum, ut contractos dimittam liberos, ut prædicem nomen domini acceptum & optabilem, ac diem retributionis. Hæc ubi stans e libro sua uoce pronunciaisset dominus Iesus, librum ut acceperat complicatum reddidit ministro: hoc facto significans pertinacem quorundam Iudæorum incredulitatem, qui literæ legis assidue, Christum legis animā nec intelligerent nec agnoscerent. Iam doctoris personam sumit, & assedit explicaturus quod legerat. Quod stans legit, datum est autoritati scripturæ diuinæ, cui par est omnem humanā dignitatem assurgere: quod sedens docuit, declarat diuinæ scripturæ interpretem, omnium humanarum tumultu cupiditatum oportere uacare. Cæterum fama recens, quæ iam coeperat spargi de Iesu, tum nunc primū assumpta doctoris autoritas, postremo coelestis quædam gratia relucens in uultu eius, efficiebat ut omnium in auditorio quotquot aderant in ea cōgregatione, oculi essent intenti in eum. Tale siquidem auditorium amat dominus Iesus, qui sabbatum agunt quiescentes ab huius mundi tumultibus cupiditatibus, qui mutua concordia cōgregati sunt in unum, qui mentis oculos habent non aliō spectantes, q̃ ad Iesum, quam ad salutem æternam. Loquitur enim ille quotidie nobis in arcanis literis. Loquitur per Euangelicos prophetas, hoc est sacrorum uoluminum interpretes. Felices autem, quibus sic attentis loquitur dominus Iesus. Talibus enim dignatur aperire sensus reconditi mysteriū. Etenim simulatq; uidit omnium oculos in se uisum cōiectos ac defixos, coepit illis dicere: Audistis Esaiā sancti spiritus afflatu uobis prædicantem eximium quendam ac potentem doctorem, qui nō ex spiritu humano docet constitutiones hominum, aut fabulas inutiles, sed affatim unctus ac delibutus diuino spiritu mittendus sit a Deo, ut his qui mites sunt ac pauperes spiritu, eodq; doctrinæ salutari capaces, lætum & optabilem adferret nuncium salutis: qui que potens esset præstare quod annuntiaret, nimirum coelesti uirtute præditus: quiq; gratis salutem adferret omnibus, qui suorum malorum conscij salutem optarent: qui gratis condonatis peccatis omnibus, mederetur his, qui cor haberent uarijs uitiorum ac malorum cupiditatū morbis corruptum: qui prædicaret omnibus libertatem, qui uel idololatriæ dediti, captiui tenerentur a diabolo: uel legis superstitioni seruientes, non possent aspirare ad libertatem spiritus: qui cæcis animo & in altissima errorum caligine uersantibus, per fidem aperiret oculis, quibus aspiceret lucem æternæ ueritatis, iuxta uaticinium, quod aliō in loco idem prodidit propheta: Populus qui sedebat in tenebris, uidit lucem magnā: qui eos, qui prorsus omnium malorum genere confracti contritiq; uiderentur à Satana, restitueret pristinæ libertati: qui uerum iubileum domini prædicaret adesse, ut omnibus exoptabilem, ita ab universis flagrantibus animis acceptandum. Prodidit Moses sabbatum dierum, quo iussit se primo quoq; die cessari ab operibus sordidis. Prodidit sabbatum annorum, quo præcepit primo quoq; anno quiescere a cultura terræ, nec aliud ab ea exigere, nisi quod suapte sponte produceret. Prodidit & annum instauratorem pristinæ libertatis, cui nomen apud Hebræos jubileum ex re, Iubileo. Is post septem annorum hebdomadas recurrebat quinquagesimus. Hic optabilis erat omnibus Israelitis, qui seruitute aut are alieno grauabantur. Venerat sabbatū Mosi corpora tantum reficiebat ocio, ita septimus annus terræ quieti dumq; consulebat. Nunc perpetuum sabbatū annuntiatur, quo liber animus & uacuus omni tumultu malarum cupiditatum, uacare debet quieto studio rerū coelestium, nec iam anxio sollicitudine curare terrena: quū nihil desit diligentibus deum. Quin & Mosi iubileus non succurrebat nisi Israelitis, nec gratuita, nec plenā libertatē largiebatur, & hoc ipsum quod

Et omnium in
synagoga ocn

quod largiebatur, corporale erat ac temporarium. Hic autem annus domini, omnibus quicumque culpis obarati sunt diabolo: qui daemonibus seruitutem seruiunt, qui ignorantia ueri cæci sunt: qui malis omnibus perditī sunt, & inhabiles ad omne opus bonum, adfert perfectam & gratuitam remissionem, libertatem, uisum, sanitatem & integritatem. Quo magis oportet uos omnes amplecti promptis studiis, quod offertur. Quod enim audistis à prophetia promissum, re licet experiri. Auribus audistis, sed animis promptis & audis opus est ut tantæ felicitatis sitis capaces. Summū est quod gratis offert. Sed uæ illis qui dei benignitatē tam obuiā spreuerint. Annus est iubilæus, gratis offerens libertatē ac salutem ijs, qui se mansuetudine & credulitate præbēt dociles ac sanabiles: sed huic succedit annus tribulationis ac uindictæ, pœnas æternas exacturus ab his, qui dei bonitatē fuerint aspernati. His uerbis dominus Iesus modeste significabat se esse eū, de quo promitteret Esaia uaticiniū, quum plerique crederēt eum locū non ad Messia, sed ad ipsum Esaia pertinere. Siquidē quū baptizaretur Iesus, spiritus sanctus e coelo uisibili specie delapsus & insidens illius capiti, populum admonebat hunc esse de quo senserat uaticiniū. Vnctio mite quiddam ac placidum significat. Nihil enim oleo placidius, unde & nomē inditum Messia, quod Græcis *χριστός*, Latinis unctum sonat. Erat autem Ioannis austeram minaxque prædicatio: Christus mansuetudine, comitate, beneficentia sollicitabat omnes ad salutem. Hæc summa cum autoritate, sed pari cum mansuetudine differentem Iesum plerique suspiciebāt, & admirabantur sermonem, longe dissimilem pharisaico, placidum, mansuetum, amabilem, multa gratia conditum, nihil habentem supercilij, nihil toruum aut arrogans, sed cui interim sua non deesset autoritas. Siquidem pharisaorum uerba, quoniam e corde promanabant, ambitione, auaritia, liuore, cæterisque cupiditatibus malis corrupto, plerumque respiciebant fontē suum. Caterum sermo qui proficiebat ab ore Iesu, quoniam à pectore manabat spiritu coelesti pleno, bonis omnibus & amabilis erat, & efficax ad salutē. Erant tamen inter hos, apud quos generis & familiæ humilitas nonnihil eleuaret auctoritatem doctrinæ coelestis. Et enim quum omnes adhuc crederēt illum esse filium Ioseph & Mariæ, nec esset ignota patris utriusque & affinium & propinquorum tenuitas, uidissentque illum multis annis à pueritia nihil aliud didicisse quam artem patris: nec unquam triuisse scholas pharisaorum ac legisperitorum, qui magno fastu docebant sacrorum uoluminum mysteria, demirabantur unde repente contigisset illi tanta uirtus, quam in alijs urbibus ante prodiderat uarijs miraculis, unde tam admirabilis diuinorum uoluminum cognitio, unde tanta cum autoritate facundia. Nondū enim intelligebant, quanto plus ualeret unctio spiritus, quā Pharisaorum doctrina. Aestimantes igitur eum ex his, quæ in eo nouerant secundum carnem, dicebant: Nonne hic est ille filius Ioseph fabri? Non enim nouerant patrē coelestē, qui per filium operabatur. Quum autem Iesus longe pauciora miracula proderet in Nazareth, quā in alijs ciuitatibus prodidisset, eoque cognati quidā subindignarentur, suggillabant eum, quasi uel non haberet ubique paratam potestatem, uel suis inuideret, uenantes interim humanam quandam gloriam ex negocio, cuius tota gloria debebatur deo. Horum impiam murmurationem Iesus huiusmodi sermone compescuit: Quoniam audistis, inquit, me apud alios sanasse morborum omne genus, nimirum dicitis mihi, quod uulgo dici solet: Medice cura te ipsum. Audiuimus prodigiosa quædam patraste te in ciuitate Capernaū, ubi peregrinus eras, nec ullos habes tibi sanguinis propinquitate coniunctos. Atqui cōuenit potissimū in tuos esse beneficium. Quod ciuibus tuis & cognatis præstas, hoc tibi ipsi præsta. Proinde si tibi uirtus ista propria est ac perpetua, quicquid apud Capernaïtas & alienos patrasti, patrato & hic apud tuos, tibi coniunctissimos, & in patria tua. Horū impio murmuri prodito, sic respondit dominus: Ego quidem medicus sum paratus sanādis omnibus omnium morbis, si quis se præbeat sanabilem. Nullus enim quantūuis doctus ac benignus medicus mederi potest egrotis, si pharmacū oblatum reijciāt, ac fidei medico diffidāt. Est autē hic affectus uulgarium hominum, ut medicum hoc pluris aestiment, quod e longinqua regione uenerit ignotus, & illic plus inuenit fiducia, ubi nō alijs ex rebus aestimatur, quā ex arte sua. Et arte quidem, quā secum circumfert, semper & quouis loco idem est: uerum ubi reperit diffidentes & cōtemptores, non perinde multis potest arte sua prodesse, nō quod illic minus uelit aut possit ex sese, sed quod hi, quib. succurrere uolebat, ipsi sibi salutis beneficiū inuideāt. Quod medicis accidit, multo magis

Nonne hic est
filius Ioseph

magis accidit prophetis. Nam ars medicorum nonnunquam opitulatur & inuitis. Propheta uero quoniam potissimum medetur animis, ne potest quidem succurrere ijs, qui salutem oblatam recusant. Recusat autem qui diffidit. Et ideo diffidit multi prophetis, quoniam illos aestimant non ex uirtute dei per illos operantis, sed imbecillitate corporis, quā in illis conspiciunt, quemadmodum & in ceteris hominibus. Reuoluite ueterum prophetarum historias, & certissimum esse cōperietis quod dico uobis, nullum unquam prophetam in precio fuisse habitū in patria sua, & apud cognatos suos: nō quod minus aut possint aut uelint benefacere suis, quā alienis, sed quod incredulitas cognatorum reddat ipsos indignos diuino beneficio. Nam dei munera nō dantur cognationi, sed affectui: non propinquitati carnis, sed promptitudinī spiritus: nō genti, sed fidei. Illud em̄ pro certo confirmo uobis, ætate, qua uixit Helias propheta, quū totos annos tres, ac menses sex, nō decidisset ulla pluuia, atq; hinc terræ sterilitas ingenti fame regiones illas omnes occupasset, multas fuisse uiduas in gēte Israelitica, & tamē propheta fame periclitās, ad nullam harū mittitur pascendus, nisi ad uiduā Sarephthanam, in regionē Sidoniorum. Quur nō potius missus est ad uiduas Hierosolymitanas, ut illic augeret hydriam farinariam, ac lecythum olei: ut apud harum aliquā æderet insigne miraculum, puero in uitam reuocato? Nimirū quoniam apud Israelitas nulla erat, quæ huius ethnicae & barbaræ sincerā fiduciā æquaret. Rogata, prompte dedit aquam: pollicenti non defecturam hydriam ac lecythum, habuit fidem, ac parauit pultem ut erat iussa. Hic nimirum erat animus Israeliticus in muliere non Israelitica. Adeo apud deum plus habet momenti animus q̄ genus. An non simile quid accidit temporibus Helizæi propheta, qui successit Helia? Nec enim dubium est, quin in ætate Israelitas complures fuerint leprosi, qui desiderarent sanitatem. Quur igitur horū nullus mundatus est ab Helizæo: sed solus Naaman Syrus, idololatra, & à gente Israelitica alienus? An propheta non poterat apud suos, quod poterat in exterum & ethnicum? An promptior fuit ad benemerendum de profanis et alienigenis, quā de suis popularibus? Aliqua q̄, sed fiducia uiri promeruit dei beneficium. Credidit enim hoc deū per suos cul-
~~tos~~ prestare posse, & iussus ter mergi in Iordane, obtemperauit. Eadē fiducia si fuisset apud leprosos Israelitas, sensissent & ipsi diuinā beneficentiā. His dictis quum dominus Iesus exprobrasset ciuibz suis incredulitatem, ob quam se redderent indignos dei benefi-
~~cij~~ cūq; interim subsignificaret futurum, ut Euangelicæ uirtutis munus, non solum à ciui-
~~bz~~ bz incredulis, uerum etiam ab uniuersis Iudæis ad uiduā Sidoniam, hoc est, ad ecclesiam gentium, & Naaman Syrum, hoc est, ad gentes prius idololatrias demigraret, inuidū mur-
~~mur~~ mur uersum est in manifestam indignationem. Intantum enim commoti sunt omnium a-
~~nimi~~ nimi, quod hæc ausus sit dicere in publica synagoga, Sydonios et Syros homines apud Iu-
~~dæos~~ dæos abominandos, genti præferens Israeliticā, ut coorto tumultu, eiecerint Iesum e ciui-
~~tate~~ tate Nazareth: nec hoc cōtenti, perduxerūt illum usq; ad superciliū montis, supra quem
~~ea~~ ciuitas erat edificata, ut inde præcipitem darent. O ciues impios, o subito in quantam
~~infamiam~~ infamiam uersum mobilis uulgi fauorem. Et postea mirantur ad se nō uenire salutem, quum
~~in~~ in medium exigant salutis autorem. Indignantur ethnicorum laudari piam credulitatem,
~~et~~ et corrigunt interim suam impiā incredulitatem. Efflagitabant medicum, nec sustinent
~~deorare~~ deorare salutiferum amaræ ueritatis catapotium: uolunt sanari corpora, animorū mor-
~~bos~~ bos negligentes. Animi uero ægrotantis medicina est uerax, & ideo mordax oratio. Ma-
~~gis~~ gis blandum, sed letiferum uenenū, quā amarum & salutiferum pharmacum. Requir-
~~unt~~ unt ad humanam gloriā ædī miracula, quæ Christus non ædebat, nisi ad salutem ho-
~~minum~~ minum & gloriā dei. Nec in hoc uenerat, ut corporibus mox alioqui perituris, medere-
~~tur~~ tur, sed animis in eternum uicturis. Iam mihi uide præposteram Nazarenorū religionem:
~~Sabbatum~~ Sabbatum erat, & nefas esse ducebāt, eo die calceum consuere: & nefas esse non ducunt,
~~ciuem~~ ciuem ad salutem inuitantem, in præcipitium impellere. Nimirum per hos perficere co-
~~mebantur~~ mebantur, quod ante per se suaferat Satanas, & repperit satellites ipso nequiores. Siquidē
~~ipse~~ ipse nihil aliud ausus est, quā suadere præcipitationem. Hi conglomerati, ciuem notum
~~ac~~ ac benemeritum pertrahunt ad præcipitium, & quantū in ipsis erat, præcipitarunt. Perfe-
~~xit~~ xit quicquid potuit impia uoluntas, sed non est data prauæ uoluntati facultas. Nondum
~~enim~~ enim uenerat tempus, quo nobis expediebat mori Iesum, qui moriturus uenerat pro no-
~~bis~~ bis, sed suo tēpore quod illi præfinierat pater, sed eo genere mortis, quod delegerat. Non
~~placebat~~ placebat

placebat illi quoduis sabbatum, sed sabbatum paschæ, quo decebat immolari agnum liberatorem orbis: non placebat præcipitium, sed altitudo crucis. Lucifer præcipitatus est ob superbiam, & idcirco sollicitat alios ad ruinam. Dei filius sponte sese demiserat in terras, ut exaltatus in crucem, omnia attraheret ad sese, & suo exemplo per humilitatem subueheret in cœlum, quos ille superbiæ princeps per arrogantiam & incredulitatem præcipitare conabatur in tartara. Nec illi sacrificio peragendo cōueniebat Nazareth, sed Hierosolyma. Iesus itaque passus est eijci sese, ne prædicaret indignis: quod idem ut facerent, docuit apostolos suos: præcipitari se passus non est, qui sponte mori uoluit. Quid igitur? Non se uertit in auem aut serpentem, aut aliud præstigiij genus, ut sic elaberetur, sed inno-
 cuus transiit per medium illorum, qui ad præcipitandum pertraxerant: palam declarans, nihil in ipsum posse maliciam hominū, nisi suapte sponte sese præberet capiendum & occidendum. Atq; hac uindicta cōtentus fuit clemētissimus dominus Iesus, reliquisse quos comperit insanabiles. Alioqui poterat illos solo nutu in præcipitiū impellere, qui ad præcipitandum pertraxerāt. Sed maluit eos superesse, ut progressu temporis resipiscences, ex nocentibus fiant innocentes, quā perdere nocentes. Nonnunq̃ enim subtrac̃ta beneficij copia prouocat desiderium eius, qui paratus est benefac̃ere. Hoc certe miraculo prouocari poterant uel ad suspiciendum illius potentiam, aduersus cuius uirtutē nihil potuit in-
 sang̃ multitudinis cōspiratio: uel ad amandū eius bonitatem, qui extrema molitus seruare maluit ad pœnitentiam, q̃ perdere ad pœnam. Itaq; relicta superba Nazareth, & aduersus sermonem Euangelicum rebeli, Iesus descendit, proficiscens ad ciuitatem Galilææ Capernaum, opulentam & ideo perditam luxu, uoluptatibus, ambitione, superbia, caterisq; uitijs, quæ comitari solent opulentia. Sed aberat hic familiaritas carnis, cōtemptum gignere solita. Et hic igitur iuxta morem suum, sabbatis ueniebat in congregationem, ac docebat eos. Non enim tantum apud illum potuit Nazarenorum parricidalis impietas, ut offensus atroci facinore, relinqueret Iudæorum regionem, & protinus Euangelij munus ad gentes transferret: sed re præstitit, quod post docuit suos discipulos: nimirum ut cū ex una ciuitate, profugerent in aliam, non cogitantes de uindicta, sed de Euangelio propagando, ut eijcientium malicia proficeret etiam ad celeritatem diuulgandæ professionis Euangelicæ. Capernaïtas aut, tametsi rebus mundi deditos, nec ita multum abhorrētes à gentium moribus ob cōmerciorum mīxturam, candidiores expertus est, q̃ suos Nazarenos, quibus ob notam ac perspectam perpetuam uitæ integritatem debebat esse charior. Siquidem Capernaïtæ uehementer admirabantur doctrinam Iesu, propterea quod non esset diluta fucataq; qualis erat pharisæorum, de lotionibus, decimationibus mentæ & rutæ, de donarijs cōficiendis in corbonam, deq; rebus similibus, quæ superstitionem habebant uerius, q̃ pietatem: quæq; simplicibus imponebantur ad gloriam aut quæstum pharisæorum, quum ipsi interim, qui talia docerent, nec ea seruaret, quæ sunt in legis præceptis præcipua: sed erat solida & autoritatis plena. Primum enim uerissima erant quæ docebat, & naturæ sensui consentanea. Deinde ad ueram pietatem ac salutem æternam faciebant. Ad hæc doctrinam eius uitæ singularis integritas cōmendabat. Accedebat his omnibus miraculorum insolita uirtus, quæ declarabat à deo proficisci quod docebat, non ab humano spiritu. Non enim ad quæstum aut inanem ostentationē dominus Iesus adhibebat miracula, sed primū his calamitosorū hominū necessitatē subleuabat, ut beneficio sibi conciliaret beneuolentiam: deinde in hoc ad tempus corporalibus oculis exhibebantur, ut per hæc discerent ea credere, quæ quum uidere non possent, magis tamen erant expectanda. Postremo figuram & imaginem habebāt eorum, quæ gerebantur in animis illorū. Sabbathum erat, & populus magna religione quiescebat ab operibus interdictis, quæ tamen per se mala non sunt: quod genus est, facere iter, aut incendere ignem, aut molere triticum, aut exprimere uinum, aut reconcinnare dissutam tunicā. Foris igitur sabbatū erat, sed intus in animis magni tumultus erāt, quos illic satanæ spiritus excitabat, uarijs motibus exagitans illorū mentes: avaritiæ, superbiæ, iræ, uindictæ, inuidiæ. Nam ibi demū uerum est sabbatum, ubi spiritus domini tranquillat animum ab omnibus prauis cupiditatibus. Adest igitur huius rei figura quædam, in synagoga homo quidam, cuius corpus impure dæmonio erat obnoxium, tacite submonens, quanto essent infeliciores, quorum animi re-
 prioribus etiam malis essent obnoxij. Quis enim impurius aut nocentior dæmon, quā
 libido

*Et in synago-
ga erat homo*

lido, quam ira, quam ambitio, quam pecuniæ cupiditas, quam liuor, quæ hypocrisis. Huiusmodi dæmonibus maxima ex parte erant obnoxij Iudæi, qui uersabantur in synagoga, quæ nondum acceperat spiritum Christi, sed à tot dæmonijs agitabatur, quot seruiebat uitis. Nec capaces esse poterant mansuetissimi spiritus Euangelici, nisi prius dominus Iesus expulisset ab eis spiritum Satanæ malum, ac uindicem. Dæmoniacus igitur ille non ferens nouam uirtutem Iesu, quæ se tacite quoque proferebat, uociferari cœpit ingenti clamore. Eia, Quid tibi nobiscum rei est Iesu Nazarenè? Venisti perditurus nos ante tempus? Scimus quæ supplicia nos maneant in extremo die. Sed nunc tua præsentia nos ante diem torquet & cruciat. Non precamur salutem, nec deprecamur poenā, sed dilationem flagitamus. Tale nihil sensimus unquam ex aliorum prophetarum præsentia. Proinde non nos latet, quis sis. Tu es enim ille unicus sanctus dei, debellaturus omnem impietatem, & propulsaturus omnem impuritatem. Habet lex suam sanctimoniam, habet suam mundiciam, sed tu es unicus ille, quem deus cœlesti sanctimonia sanctificauit. Non tulit dominus Iesus prædicari ab impio spiritu, qui toram hac gloria uoluit in unum patrem referri, non ignarus dæmonis professionem non ex sincera fide, sed ex malitiosa uoluntate proficisci. Profitetur enim ut eliciat confessionem, non aliud agens per os hominis quam quod prius Satanæ tentator egerat per seipsum. Profitetur subdole, non ut ipse salutem assequatur, sed ut aliorum salutem impediatur. Nec amor uocem expressit, sed supplicij metus. Eoque ueluti malum ac deploratæ mentis mancipium audire meretur: Obmutescere impure spiritus, & exi ab homine quem per tyrannidem possides. Hominibus seruandis ueni. Ad hanc imperiosam & omnipotentem Iesu uocem spiritus impius, posteaquam proiecisset hominem in terram, & conturbasset, exiit ab eo, sic ut in homine liberato nulla læsio remaneret. Quod proiecit, argumentum erat peruersæ uoluntatis, indicium erat, quod admodum inuitus relinqueret possessionem suam. Quod illæsum reliquit, arguit impios spiritus nemini nocere posse, qui se totum tradiderint seruatori. Plus enim ualet unius Iesu bonitas ad salutem, quam innumera dæmonum malicia ad perniciem. Solent autem hi, qui conantur hominum corpora à spiritibus noxijs liberare, nihil non adhibere remedium, quo malum depellant, preces, ceris, uerbis conceptas, suffitus, aspersiones, herbas efficaces, aliasque magicis non dissimiles ceremonias, & his tamen omnibus raro uidemus fieri, ut exigatur spiritus. Quod si quando discedit, relinquit suæ malitiæ uestigia, uel amputato membro, uel relicto morbo inmedicabili. Ceterum ubi uidisset populus, ad simplicem & austeram Iesu iussione, sic repente spiritum egressum ab homine, ut perfecta sanitas nullum haberet uestigium pristini mali, stupefacti quidam & admiratio cepit omnes qui uiderant hoc factum, atque inter sese miscebant huiusmodi sermones de Iesu: quid est hoc nouæ rei, quod uidemus antehac nec lectum, nec auditum? Imperat enim solo uerbo spiritibus immundis, & adest illius iussis tanta uis & auctoritas, ut mox uelut agnoscentes potentiores se, relinquunt hominem, sic ut post abitum illorum redeat plena sanitas. Huius itaque tam stupendi miraculi spectaculum effecit, ut fama non solum in ciuitate Capernaum, uerum etiam per uniuersam illam regionem cerneret hoc factum in synagoga Iudæorum, quæ carens spiritu Christi, tumultuabat, spiritu Satanæ aduersus Euangelicam ueritatem, cuius instinctu Nazarenus moliti sunt eum seruatori. Reliquit igitur synagogam, & ingressus est domum Simonis, cui nonnullum additum Petro, cuius focus tenebatur febris uehementi. Affines autem & cognati rogauerunt Iesum, ut qui non rogatus expulerat à uiro dæmonium, daret hoc amicorum precibus, ut affinem discipuli, quem inter primos habebat, leuaret febris. Iesus autem ut ostendit se & priuatim & publice, erga notos & ignotos, erga omnem ætatem, sexum, conditionem esse beneficum, adstans atque imminens mulieri, interminatus est febris, ut abiret. Sed & ad domini iussum aufugit morbus, non paulatim redeunte corporis uigore, quem admodum accidere solet in his, qui medicorum ope subleuantur, sed repente depulso morbo successit uigor omnis, & alacritas sic ut surgens e lecto pararet coenam Iesu & discipulis, ac discumbentibus ministraret. Tanta autem erat promptitudo domini ad benefaciendum omnibus, ut nec temporis importunitatem excusaret ipsi, qui simplici fiducia flagitarent illius opem. Etenim re diuulgata per uniuersam ciuitatem, quotquot habebant domi ægroantes, uarijs morbis obnoxios, adducebant illos ad fores ædium in quibus uersabatur Iesus. At ille clementissimus, nec excusauit priuatum, cui debebatur ocium, neque noctem

Surgens autem Iesus de synagoga

Cum sol autem occidisset

intempestiuam rebus gerendis, sed omnibus oblati manus salutiferas imposuit, ac morborum omne genus nullo negotio gratisque depulit ab omnibus: hac rerum imagine docens omnes, qui uellent esse liberi à morbis animorum, non alio confugiendum, quam ad ipsum Iesum, qui paratus est omnibus gratis condonare quicquid admissum est, qui per synceram fiduciam conuertuntur ad ipsum unicum uerum salutis autorem. Nullum est enim morbi genus tam immedicabile, tam tenax, tam letale, quod ad illius contactum ac iussu non aufereret. Atque interim exemplum paratur episcopis ac pastoribus in Christi locum succedentibus, quanta cum mansuetudine recipere debeant peccatores, à uitis suis resipiscere cupientes. Etenim si dominus Iesus, in quo ne uestigium quidem ullum fuit morbi aut uitis, nulla morborum foeditate alienatus est, quin reciperet, quin contingeret ac sanaret: quanto magis decet idem facere eos, quos ante Iesu benignitas purgauit à morbis animi, nec interim tamen omni culpa uacantes, praesertim quum ipsi non auferant morbos, sed ministri tantum sint doni coelestis, adhortantes eos ut expetant sanitatem, & ad medicum potentem eos adducentes, nec non misericordiam illius precibus sollicitantes, ut mentes illorum suis manibus dignetur contingere. Nec morbi solum ad iussu uocis, & contactum manuum fugiebant, uerum etiam daemonia, non ferentia diuinam uirtutem Iesu, ultro fugiebant à corporibus infelicium, quos diu possederant. Adeo magna felicitatis pars est appropinquare Christo. Appropinquat autem, qui sibi displicens cupit fieri melior: quicquid certam fiduciam concepit, per ineffabilem Iesu clementiam peccata omnia, quamlibet enormia, condonari. Sunt autem in corporibus uariae morborum species: sed nec pauciores sunt, & sunt perniciosiores, animorum, nisi forte pauciora sunt intemperantiae genera quam febrium: aut periculosius est corpus aestuare febris, quam animi insanire libidine. Sunt autem in corporum morbis quidam adeo foedi, ut nec amici proximi sustineant adesse, qualis est morbus pedicularis: quidam adeo contagiosi, ut non sit tutum adesse, quales sunt praecipue lepra, & quam uocant pestilentiam: quamquam uix ullus est morbus, non aliqua ex parte contagio noxius. Rursus sunt quidam adeo uel uehementes, uel familiares, ut opem & artem medicorum superent. Sed maior est nostri medici uis, quam uel ullius morbi magnitudine sit inferior: maior est puritas, quam ut ullis hominum malis possit inquinari: maior est misericordia, quam ut ullam foeditatem auerfetur. Admittit omnes optimus, contingit omnes ipse purissimus, sanat omnes potentissimus. In nullos autem corporum morbos medici minus habent iuris, quam in eos, qui uitiant animi domicilium: quod genus sunt phrenesis & lethargus, quamquam & his immedicabiliores sunt daemoniaci, quorum & animos & corpora spiritus impij, sed humana natura potentiores, pro sua libidine agitant. Nec enim mos est hos ad homines medicos adducere, sed auxilio coelesti relinquere. Tanta enim est huius mali uis, ut hos spectare etiam miserabile sit. At non uidentur fortassis aequemiserabiles, sed longe miseriores etiam sunt, qui cupiditate regnandi ad ueneficia, ad parricidia, ad sacrilegia, & his atrociora facinora pertrahuntur: quos ira ad praedationes innocentium, ad caedes immerentium, ad bella, ad incendia, ad publicum orbis tumultum transuersos rapit. Quantulum enim est mali, quod uel facit uel patitur ille corpore daemoniacus, si conferas quantis intemperijs agatur, quantam perniciem afferat rebus mortalibus quilibet princeps tyrannico spiritu uesanus? Superat humanas uires huius mali uis, sed fortior est Christi spiritus: quem si semel conceperit animus hominis, necesse est ut effugiat quicquid est impiorum spirituum. Hoc ubi factum erit, subito fiet tyranno pater: crudeli clementissimus: ex expilatore populi, subleuator oppressorum: è furioso bellatore, sectator pacis: è praedone, beneficus: è glorioso Thrasone, sobrius ac prudens princeps. Tantum adducatur ad Iesum, & abducatur è mundo: Siquidem id temporis sub solis occasum non pauci uenerant ad aedes Simonis, hoc est, ad Ecclesiam Euangelicam, & uirtute spiritus Christi exhibant spiritus impij, profitentes adesse cuius bonitas potentior esset ipsorum malicia. Clamabant enim exeuntes: Tu es ille filius dei. Nondum autem uenerat tempus, quo dominus palam omnibus esse uoluit, se esse Messiam illum filium dei: & si uoluisset, noluit impios spiritus suae gloriae praedones: uel quia non simplex, sed subdola erat illorum professio uel quia periculum erat, ne si pondus habere coepisset illorum testimonium in re tanta, à ceteris quoque fidem inuenirent, in quibus mendacio fallere gauderent. Etenim quum satanas natura sit mendax, etiam si quando uerum praedicat, non in aliud tamen hoc agit

nil

ad ut fallat. Nimirum hanc artem ab illo didicerunt quidam, qui p̄a impijs, qui uera sal
 su admilcent, ueluti salubribus cibis uenenum letiferum addentes, quo plures in peri
 clem pelliciant. Iesus igitur nos docens quā non oporteat eos, qui se semel sancto sp̄i Et increpans
 ruit consecrarunt, quicquā habere commercij cum impijs spiritibus: compescuit illorum non sinebat
 damiores, ac minis additis imposuit silentium. Sentiebant enim admirabilem uirtutem ab ea qui
 eo proficisci, & hinc suspicabantur eum esse Messiam illum promissum filium Dei. Iesus
 autem, qui non in hoc uenerat, ut corporibus mederetur, sed animis: nec uni ciuitati uene
 rat, sed cunctis totius mundi regionibus: quum in Capernaū miraculis editis, doctrināq;
 saluari fecisset bonam sementem Euangelicā philosophiā, diluculo prius quā rursus
 conflueret multitudo, magis admirans & expetens sanitatem corporum, quā salutem
 animarum, relicta Capernaum secessit in desertum, ueluti fugitans popularem turbam.
 Nos interim docens, non ad ostentationem, nec ad plebis arbitrium esse proferenda mi
 racula, sed quatenus conducit ad salutem hominū, ac dei gloriam, semper autem fugien
 dam inanis gloriā suspicionem. Quod enim sanarat omnes, exemplū erat paratā in om
 nes benignitatis: quod se clanculum subduxit, exemplum erat modestiā, laudem & osten
 tationem sui fugitantis. Porro quum iam dies esset, confluxerat denuo magnā uis promi
 suar multitudinis, ob pridie gestorum magnitudinem. Caterum ubi cognouissent iam
 abesse Iesum, multi consequuti sunt illum, ac repertū conati sunt remorari, ne relinqueret
 ipsorum ciuitatem, sed illic sedem sibi perpetuam deligeret. Erat ille quidem affectus non
 impius, sed beatiore sunt, qui dominum Iesum non sinunt à sui pectoris domicilio dece
 dere, qui parantem abire, precibus reuocāt. Verum id temporis postulabat carnis assump
 ptæ dispensatio, ut subinde locum mutās, latius ac latius propagaret nouam adhuc ac re
 centem Euangelicam doctrinā. Seminator enim missus erat in mundum, ut late spargeret
 semen sermonis Euangelici, non apud omnes æque feliciter prouenturum. Reuocātibus
 inq; placide respondit hunc in modum: Quod gratis in uos collatum est beneficij, boni Quia & alijs
 consulite. Non aspernor uestrum hospitium, sed oportet ut & alijs ciuitatibus annūciem ciuitatibus o
 regnum dei. Siquidem in hoc me misit pater, non ut uni ciuitati prædicem, sed ut omnes portet m.e.
 inuitem ad societatem regni cœlestis. Quod tūc fecit Iesus, docuit discipulos suos, ut pe
 ragentes orbem terrarū, docerent omnes gentes. Non erat ille morbus instabilitatis, sed
 pluribus benefaciendi studium. Sic uagari, non humanæ leuitatis est, sed apostolicę chari
 tatis. Caterum ubi iam satis est Euāgelicę doctrinæ, uigilans pastor nō desinit tamen ob
 ambulare, sollicitus pro grege sibi concredito, ut quod aberrarat, reuocet, & quod morbū
 dum est, sanet: quod lupis obnoxium, eripiat: quod faucium, curet: quod tenerum et imbe
 cille, foueat. Nec enim ideo adhibetur pastor, ut uni aut alteri familiæ succurrat, sed ut om
 nibus uigilet. Hac excusatione placatis Capernaītis, Iesus perambulabat uicos & ciuita
 tes Galilææ, prædicans iuxta morem suū in synagogis eorum, identidem miraculis æden
 di finem doctrinæ suæ concilians apud Iudæos, qui sine miraculis nihil credere poterāt.

CAP V T V



Vum autem indies latius inclaresceret apud omnes fama Iesu, tantus erat
 hominum affluxus, ut iam non satis esset illum sui copiam facere in synago
 gis, in uicis, in oppidis, uerumetiam quocunq; se subduceret dominus, eo
 simul accurreret promiscuā multitudo uirorum ac mulierum. Plerosq; pel
 lexerat amor sanitatis, nonnullos inuītabat miraculorum nouitas, permul
 ti cœlestis doctrinæ uis attrahebat. Non eos deterrebat deserti uastitas, non montiū la
 biosus ascensus, non arcebat eos pudor irrumpendi priuatam domum, si forte se domū
 contingeret. Deniq; uentum est ad stagnum, nec nauigare parantem poterant relinquere.
 Confluebant, irruebant, irrumpebant, hærebant, urgebant. Hic uero mihi Theophi
 se facis mentis aperias, quo perspicias in narratione rei iuxta carnem gestæ, nascentis &
 exuberantis ecclesiæ imaginem. Iesus stabat in littore uicinus lacui Genezareth, quē He
 brai nonnunquam appellant mare, quod magno spacio porrigatur in longum & in latū,
 & ex sese gignens auram, crebris undarum motibus agitur. Videbatur abnauigaturus.
 Sed improba turba confluens urgebat, & imminebat illi cupiens ex eo audire sermonem
 dominum. Nam sermonem pharisaicum iam pleriq; fastidiebant, quod præter hominem
 nihil resperet. Nō offendit hæc improbitas mitissimum dominum, sed ueluti compulsus

Ingressus au-
tem in nauem
namque

& constrictus, hinc urgente turba populi, hinc lacu proximo: uidensq; locum esse parum commodum Evangelico concionatori, quod neq; turba, sese uicissim impellens facile consistere possit in loco decliui, & uox ex imo missa ad pauciores fertur: tū autem decet Evangelicum doctorem quietum esse, ac tutum à promiscuæ multitudinis tumultibus, subducit sese in locum quietiorem. Commodum autem stabant eodem in littore duo scalmi piscatorij. Piscatores autem ipsi egressi nauim, lauabant retia sua, ueluti parantes in proximam piscationem. Hos ubi uidit Iesus, in alterum illorum ingressus: is porro erat Simonis Petri: rogauit illum, ut scalmum paululum descederet à terra. Quod ubi factum esset, submotus hoc pacto à compressione multitudinis, confidens de nauī, ueluti de cathedra docebat populum in littore stantem. Vocauerat dominus piscatores ad munus Euangelicæ prædicationis. Iamq; hoc ipsum, quod de scalmo agebat Iesus, erat piscari homines. Latus erat mundus uarijs rerum motibus sursum ac deorsum fluctuans. Nauis Simonis erat ecclesia, primum è Iudæis collecta, cui præficiendus erat Simon Petrus. Simon autem obedientem sonat. Iudæi siquidem prodigia requirebant, & in operibus legalibus fiduciam ac spem salutis collocabant. Contra philosophi rationibus humanis de summo bono, quo felicitatem hominis metuntur, disputabant, quum Euangelica doctrina per fidem promittat omnibus salutem. Fides autem obedientia est. Obedit enim, qui iussus credere, credit, nihil hæsitans, nihil disputans: qui iussus sperare, sperat, totus pendens ab eius nutu, cuius fidei se semel dedidit. Habes ecclesiæ rudimentum, nunc audi prouentum ex Euangelica piscatione consequuturum. Peracta concione Euangelicā, dominus loquutus est Simonī, nauiculæ moderatori: Abducito nauigiū longius à terra, & in profundum prouehe, atque ibi laxate retia uestra ad piscandum. Hic Simon suo respondens uocabulo, respondet hunc in modum: Præceptor, tota nocte laboratum est à nobis in piscando, neq; quicquā cepimus: itaq; diffili, lauimus, & composuimus rete: tamē ad tuum iussu laxabo rete. Meum erit obsequium, tuus euentus. Obtemperatum est dictis domini Iesu, nauis abducta est in profundum lacus, late sparsum est rete, cui mox inuoluta est tanta piscium multitudo, ut rete discipulorum, impar ponderi pisciū, rumperetur, nec una nauis sufficeret prædæ capiendæ. Erant in altera naui socij Simonis: his procul, non uoce sed signis indicarunt, ut ad nauigarent, & opitularentur in exonerando rete. Venerunt, adiuuerunt, tantaq; uis piscium reperta est, ut ambæ nauiculæ implerentur unius retdis prouentu: adeo ut parum abesset, quin onere depressæ periclitarentur. Habes in Simone formam & imaginem doctoris Euangelici. Huius proprium ac peculiare munus est, laxare rete prædicationis euangelicæ, non è pharisæorum laqueis, non è philosophorū argutijs, sed è sacrorum uoluminū præceptis, è Christi factis dictisq; sic contextū, ut quā plurimos inuoluat, nec inuolutos sinat elabi. Habet & mundus hic sua retia: habet & satanas piscatores suos, qui miseras animas blandimentis illectas in nassam infelicitatis conijciant, atq; in æternum pertrahant exitium. Sed felices quas inuolutas sagena apostolica de profundo criminum & errorum pertrahit ad auram liberiores: è tenebris ad lucem, è sordido limo ad uitam puriorem: è uagis cupiditatibus ad innocentiæ perpetuæ constans studium. Neq; enim pertrahuntur ad cædem, sed ad salutem. Sic inuoluuntur, ut elabi nō lint, & si elabantur, pereant. Cinguntur undique ueritatis euangelicæ nexibus, agnoscunt suam calamitatem, & gaudent se pertrahi ad nauim ecclesiæ. Quoniā autem sagena prædicationis interim trahit & inuoluit undecunq; pisces uarij generis, fieri non potest, quin bonis admixti sint mali. Malorum itaque culpa rumpitur rete, sed non ideo elabuntur boni pisces. Hæretici scindere conantur doctrinam Euangelicam, sed Christus suos undiq; sepiens, illorum impios conatus uertit in profectum partis synceræ. Quidam onerant ac perturbant nauim suis tumultibus, graues huius mundi cupiditatibus, & cupientes reuerti ad limum relictu, sed nō mergitur, quam Christus semel intuitu suo dignatus est. Quanquam autem non est nisi unica per orbem terrarum ecclesia, tamen ideo typus habet duas naues, ut intelligeremus ecclesiam Christi è duobus populis collectam. A Iudæis profectum est salutis initium: illic Petrus post Christum omnium primus rete iecit apostolicæ prædicationis, & uno factu attraxit hominum promiscuæ multitudinis tria milia, uidelicet agens piscatorem hominum. Nō erat huius oratio rhetorum arte contexta, non philosophicarum argutiarum subtilitatibus perplexa, sed uirtute spiritus sancti potens.

&c

& efficax. Non enim laxauerat rete, confusus humanis uiribus, sed tantum ad iussum Christi, cuius spiritu tum agebatur. Alioqui frustra soluitur, nisi Christus iactum hominis bene fortunet. Sed quemadmodum ex Iudæis fuit huius prouentus initium, ita ex gentibus accessit ubertas, adeo ut qui primi laxauerant retia, coacti sint implorare sociorum auxilium. Post enim irrumpentibus undique gentibus in Euangelicæ salutis consortium, Petrus & Iacobus dederunt dextras Paulo & Barnabæ, symbolum Euangelicæ societatis, & utrique pro suo studio conati sunt implere naues ambas, & successit res usque ad miraculum. Simon igitur ubi uidisset rem non agi uiribus humanis, aut casu, sed uirtute diuina Iesu, rursus facto suo docuit, quid faciendum sit apostolico doctore, si quando feliciter succedit opera prædicationis. Quanquam enim nauis esset ipsius, quanquam suam rete iecerat, quanquam princeps attraxerat, nihil tamen hinc laudis sibi uindicat, sed ex magnitudine successus factus etiam modestior, accidit ad genua Iesu, ei que totam huius facti gloriam transcribit, se nihil aliud quam peccatorem confitetur, indignum qui diuinæ uirtutis minister sit, & organum. Domine, inquit, nunc demum agnosco meam indignitatem, quum tuam considero celsitudinem. Discede à me. Sum enim indignus tuo consortio. Hanc Petri uocem expresserat non aliqua cupiditas discedendi à domini conubernio, quem unice diligebat, sed admiratio quædam uehemens uirtutis humana maioris. Nec aliter erant affecti socij Simonis, quam Simon ipse. Cunctorum enim animos occuparat incredibilis quædam huius facti admiratio. Sed nullus horum hinc quicquam sibi uindicat. Agnoscebant enim operam quidem esse suam, sed prouentum fuisse eius qui iusserat. Quis autem non obstupesceret, considerans prædicatione paucorum, humilium & idiotarum hominum ex uniuersis orbis nationibus, intra paucos annos tot hominum milibus fuisse persuasum, ut contemptis affectibus cognatorum, contempto dispendio rei familiaris, contemptis minis principum, contemptis supplicijs, ac morte denique ipsa, simplicem Christi doctrinam sequerentur, credentes ea, quæ rationibus humanis probari non possint: sperantes ea, quæ iuxta naturæ uires planè desperanda sint. Oportet igitur episcopum promptum & alacrem esse ad laxandum rete, ut studeat quam plurimos lucrificare Christo: laxabit autem, non ad suam gloriam, non ad quæstum, non ad principum arbitrium, non ad aliquam humanā cupiditatem, sed ad arbitrium ac iussum Christi: qui non iubet laxari rete, nisi ad salutem eorum qui captantur & ad gloriam bonitatis diuinæ. Hæc enim demum est apostolica piscatio. Ea tamen si peragitur humanæ uocis & industriæ ministerio, tamen summa laudis totius uni Christo tribuenda est, cuius auspicijs soluitur ad dicendum lingua, cuius spiritus afflat dicentis pectus, cuius occulta uis attrahit animos auditorum. Et si quid etiam hinc sibi suo iure possit sumere doctor, tamen tutius est totum ad illum referre, sine cuius auxilio nihil humano conatui succedit ad salutem. Non nouit auferre, quod dedit: non nouit exprobrare, quod largitus est. Tanto magis uolet esse tuum, si quod aliquo modo tuum uideri poterat, illius esse uolueris. Si nec utilitatem esse tuam, gloriam autem non patietur nisi soli deo tribui. Et si gloriari libet, tutius in illo gloriabimur. Quum autem admiratio facti sic haberet: attonitos omnes, quicum Petro fuerant in captura piscium, inter quos erant Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, socij Simonis, ut præ admiratione diuinæ uirtutis non auderent sese adiungere Iesu, consolatus est eos dominus, dicens Petro, in quo solitus est proponere formam, quam uolebat cæterorum omnium animis imprimi: Non est quod formides Simon. Agnoscis tuam imbecillitatem, & expertus es uirtutem diuinam. Hæc amanda est, non formidanda. Quod enim potest non expromit ad opprimendam imbecillitatem peccatorum, sed corrigendam, tantum ut iussis meis obtemperes: nec expendas, quid tuæ possint uires, sed quid ego uelim fieri. Nihil non succedet, si mihi fidas. Admiraris quod ita successerit in captura piscium. Leue quidem hoc est, mirabilius succedet, ubi piscari coeperis homines. Ad hoc piscandi genus te delegi cum tuis socijs. In præsentia satis istius piscationis. Post hac dabis operam: non ut nauim impleas piscibus, sed ut ecclesiam meam impleas Euangelicæ doctrinæ professoribus. Quod dominus loquutus est Petro, id omnes intellexerunt & sibi dictum esse. Mox itaque subductis in terram nauibus, atque inibi relictis omnibus, sequuti sunt Iesum, uacui sollicitudine rerum corporalium, ac totis animis in hoc intenti, ut fierent piscatores hominum. Ad hoc præclarum munus erant forman-

Quod cum uideret Simon Petrus

Similiter autem Iacobum & Ioannem

di præceptis, erant mysticis exemplis instituendi. Vt igitur ostenderet nullum esse vitium tam foedum, tam capitale, quod non ilico condonetur agnoscenti morbum suum, & per fidem Euangelicam imploranti remedium à cœlesti medico Iesu, factum est, ut in ciuitate una ciuitate quadam esset uir quidam non leuiter infectus lepræ uitio, sed toto corpore foedissima scabie plenus. Hoc hominum genus sic erat abominabile apud Iudæos, ut procul submouerentur ab hominum consortio, ac lex uetaret contingi, ob contagionis præsens periculum. Sed foedior ac detestabilior est animi lepra, quam corporis. Porro Iudæi, quum ipsi uitij intercutibus maderent, tamen ethnicos, publicanos ac notos peccatores sic execrabantur, ut si quando contigisset cum his colloqui, perinde quasi contractio contagio, dum reuerfi, totum corpus abluerent. Ab hac arroganti Iudæorum mundicie, Christus uoluit suos quàm longissime abesse. Profuit igitur misero, uidisse Iesum. Agnouit immundiciam suam, se'que iudicauit indignum, qui foedis maculis abominandam faciem attolleret in dominum, sed sui pudens prostrauit sese in faciem, ac uocem emisit modestiæ simul ac fiduciæ plenam. Quod faciem texit, erat agnoscentis suum malum: quod rogat mundari, confidentis de omnipotenti & cunctis obuia Iesu Christi bonitate. Domine, inquit, scio malum meum esse immedicabile, & fortasse non sum dignus tuo beneficio, sed tamen illud habeo mihi persuasum, posse te mundare me, si uelis. Habes meam de tua potentia fiduciam, superest ut tua bonitas iudicet, utrum hunc calamitosum ac deploratum hominem dignari uelit sua misericordia. Non potuit esse plenior erga dominum fiducia, quàm agnita potestate, beneficij conferendi arbitrium illi deferre, qui nouit aliquoties expedire nobis ut malis corporis affligamur, & inutilem esse rerum temporalium successum. Iesus autem delectatus hominis miserandi tam absoluta fiducia, non solum non submouet illum ab oculis suis, sed prostratum erigit, & porrecta manu contingit faciem eius, dicens: Si requiris bonitatem meam, uolo: & quia profiteris potestatem, mundus esto: simulq; cum dicto discessit à toto corpore lepra qua fuerat oppletus. Discunt interea discipuli, quàm non oporteat abominari quenquam hominem, quamlibet enormibus ac detestandis peccatis obnoxium, modo morbum suum agnosces, cum fiducia melam expetat à bonitate Christi. Etenim si dominus, qui solus erat purus ab omni lepra uitiorum, contactu suo dignatur hominem; cunctis abominabilem: quanto minus conuenit ut discipuli, quos à peccatis emundauit domini bonitas, qui nec omnino sunt immunes à culpis, & labi possunt in omne flagitium, aspernentur curam impendere sanandis aliorum morbis. Huiusmodi contactus non inquinat contingentem, sed contactum purgat. Purus ilico fit, qui contingitur: nec impurior fit, qui contingit, si modo per apostolicam manum dignetur contingere Iesus. Quoniam autem lepræ iudicium lex deponebat, non quibuslibet, sed duntaxat sacerdotibus, dominus noluit hoc miraculum populi rumore tantum diuulgari: sed quo certior esset fides, interdixit sanato, ne protinus euulgaret acceptum beneficium, sed primum adiret iuxta legis præscriptum sacerdotem, cuius iudicio damnatus esset de lepra, & ab hominum consortio semotus: quod si is, inquit, inspecto corpore, iudicarit te esse uere mundum, offer quod Mosaica lex præscripsit offerendum his, quibus contigit à lepra liberari. Ita pariter fiet, ut nec queri possint sacerdotes sibi per me decrescere quæstum suum, nec uiolatam esse legem aut cōtemptam, quam ut absoluerem ueni non ut abolerem: nec calumniari beneficium meum, ut aut negent te fuisse leprosum, aut iudicent te non fuisse sanatum. Etenim ilico res ipsa respondebit illis: si leprosus non erat, quur uos qui iudicandi peritiam uobis sumitis, eum leprosum pronunciaistis ac submouistis ab hominum conuictu? sin autem mundus non est, quur uelut à mundato sumpsistis oblationem lege præscriptam? Hæc ideo tam accurate mandauit dominus Iesus, ut omnibus perspicuum esset, uenisse lege maiorem, qui citra legis opem solo contactu, sola uoce, solo nutu, pro suo arbitratu conferre posset perfectam mundiciam, et ita tolleret omnium immundiciam, qui se per fidem sanandos offerrent, ut ipse nullius inquinaretur contagio: quicq; gratis succurreret omnibus, quum sacerdotes ne pronunciarent quidem gratis de reddita corporis puritate. Siquidem Mosaici sacerdotes nec immittebant lepram, nec auferebant: sed de lepra nata aut sublata iudicabant duntaxat. Solus autem Iesus omne morborum genus tollit ab omnibus, nullum aliud exigens sacrificium, quàm simplicem ac puram erga se fiduciam, ut agnoscamus in eo diuinam uirtutem

utem. qua potest quicquid uult: adoremus in eo bonitatem ineffabilem, ac misericordi-
 am, qua gratis cupit omnes peccatores saluos fieri, de suo dependens, quod pro illorum
 peccatis expiandis erat immolandum. Porro quod dominus Iesus interdixit mundato,
 necui prædicaret quid accidisset, quum sciret non esse taciturnum, suis discipulis parauit
 exemplum, ne quam ex beneficiis suis auram gloriæ uenenur apud homines. Nec enim
 nostra sunt, quæ deus per nos operatur, nec pro illis ullam laudem ueluti præmium con-
 ueniet expetere, sed tacite proximo cui contigit beneficium gratulabimur, ad deum glo-
 riam omnem referemus adeo nobis inde nihil uindicantes, ut quod ad nos ipsos attinet,
 cupiamus etiam ignotum esse cunctis, quod diuinum beneficium nostro ministerio con-
 tingerit proximo. Ne is quidem qui beneficium expertus est, det et huius laudem ad eum
 referre, per quem accepit: sed auctori deo gratias agere, qui per suos famulos tanta largiri
 dignatur hominibus. Felicius autem sequitur gloria fugientem, & speciosior cōtingit non
 affectata. Etenim ea demum uera gloria est, quam inuito ac fugitanti uirtus ipsa conciliat,
 & quam non desert popularis assentatio, nec exigit ambitio: sed quam ipse non agnoscit,
 qui promeruit, & ultro desert adulandi nescia synceritas. Ex huiusmodi mirabilibus factis *Perambula-*
 indies magis ac magis inclarescebat domini Iesu fama, dum alij quod uiderant & audie- *bat autem*
 rant, narrant alijs: & rursus hi quod acceperant à narrantibus alijs, oratione tradunt per
 manus. Itaq; confluiebant undiq; turbæ multitudinis, indies confertiores: partim, ut audi-
 rent efficacem illam doctrinam, quæ sanat morbos omnes animarum: partim ut qui mor-
 bis corporum essent obnoxij, uirtute Iesu sanarentur. Crassus enim populus magis illa mi-
 ratur, quæ uisibilia sunt, quàm quæ non uidebantur. Ingens & homine maius ducebant,
 leproso cutem puram esse redditam contactu manus, quum longe maius ac diuinius be-
 neficium sit, sermonis Euangelici pharmaco ab animo depulisse febrim foedæ libidinis,
 hydropem auaritiæ, dæmonium ambitionis, aliasq; letales animorum pestes. Iesus autem
 nos suo factio docens opera bona, nec ad ostentationem theatricam, nec ad satietatem esse
 facienda, subduxit sese in desertum: atq; illic semotus ab hominum frequentia precatio-
 nis uacabat gratias agens deo patri pro beneficijs, quæ per filium suum largiretur homi-
 nibus. Siquidem hac uicissitudine fit, ut primū intermissio beneficij excludat satietatem,
 & excitet appetentiam: deinde qui secessit ab hominibus ad diuinum colloquiū, instrui-
 tur redeat atque alacrior ad munus intermissum. Sic autem moderatus est totam uitam
 suam dominus Iesus, ut frequenter nobis exhibere uolens uiuendi formam, hominē ager-
 ret, nonnunquam diuinitatis suæ proferret indicia. Nihil autem magis uegetat Euangelii
 cum doctorem: nihil æque munit & armat aduersus omne huius uitæ corruptelam ac fre-
 quens à turba secessus, non ad ocium, lusum, aut uoluptates, quales sunt ferè secessus huius
 mundi diuitum, sed ad lectionem factorum uoluminū, sed ad precationem puram, ad gra-
 tiarum actionem, ad contemplationē rerum cœlestium, deniq; ad expurgationem animi:
 si quid forte labis contractum est ex populari conuictu. His rebus nihil opus erat Chri-
 sto, sed in se nobis formam uoluit exprimere. Pastoris assiduus cum populo conuictus,
 plerumq; gignit contemptū: & prodesse non potest, qui se perpetuo subducit ab hominū
 commercio. Prodit igitur uir Euangelicus, quoties populus eget cibo sermonis Euan-
 gelici, quoties ingrauescentes morbi poscunt medicantis opē. Rursus ubi satis pasti sunt,
 ubi subuentum est multorum malis, ne familiaritas pariat contemptum, ne copia fasti-
 dium, secedat in suum secretum, ut sacrationibus studijs, uelut à diuino colloquio sem-
 per seipso maior ac melior redeat ad iuandos proximos. Sic nimirum dominus Iesus à *Et factum est*
 secessu reuersus Capernāum, se reddidit iritatis iam omnium desyderijs. Ibi quum in do- *in una die*
 mo quadam priuata sedens doceret (siquidem ubicunq; sedēs docet Christus, illic est ec-
 clesia) confluxerant eodem, non iam plebei tantum, uerum etiam pharisæi sanctimonix
 specie turgidi, nec non Mosaicæ legis doctores, qui prouocati fama rerum ab Iesu gesta-
 rum hic profecti fuerant, non solum ex omnibus oppidis Galilææ, in qua erat Caper-
 nāum, & Iudææ uicinæ, uerum etiam ex ipsa ciuitate Hierusalem, quæ sibi religionis tor-
 tus ac sapientiæ fastigium arrogabat. Totus autem Iesus, quoniam fons erat omnis salu- *Et uirtus do-*
 tis, nihil aliud spirabat, quàm uim quandam diuinam ad sanandos homines, cuius rei gra- *mini*
 tia uenerat in terras, Et potior hominis pars, priorem curam sibi uindicabat. Oratione sa-
 nabat morbos animorum. Prius itaque docuerat, idq; sedēs, iustam doctoris auctoritatem
 merito

merito sibi iudicans: Supererat corporalis morbi depulsio, quæ quoniam erat oculis omnium exposita, fidem altrueret ijs, quæ maiore fructu simul & uirtute, sed non perinde perspicue gerebantur in animis. Et ecce parata uirtutis exercendæ materia. Adest enim paralyticus, lecto affixus, qui à quatuor baiulis deportabatur. Tanta uis erat mali, ut omnibus totius corporis neruis occupatis, miser nihil aliud quàm iacere posset: nec aliter quàm cadauer circumferretur. Quanquam et alioqui morbi genus ipsum tale est, ut cum eo non magno successu luctari soleant medici. Tanta autem erat baiulorum erga Iesum fiducia, ut non dubitarent, quin Iesus, cui sciebant nullum morbi genus esse immedicabile, conspecta nouæ calamitatis imagine misertus succurreret. Tantum in hoc labor erat, ut miser ueniret sub oculos Iesu. Siquidem ille iam sanitati proximus est, qui relictis latebris peccandi, ut miserabilis semet offert conspectui Iesu, suam agnoscens calamitatem, & illius expectans benignitatem. Quo minus autem inferrent eum ad pedes Iesu turbæ densitas obstabat, quæ multis obstat alioqui properaturis ad salutem. Verum ea res, quanquam remoraretur ingressum, tamen illustrabat ingens & baiulorum & paralytici desiderium simul & fiduciam. Quanquam enim deus natura propensus est ad miserendum omnibus, tamen differt nonnunquam beneficentiam suam, quo magis acuat nostrum desiderium, doceatque nihil nobis non esse tentandum ut à morbis animi liberemur. Amat hic improbitatem nostram, qua ueluti compellitur ad id, ad quod suapte natura propensissimus est. Itaque mihi uide, quid ausi sint baiuli, imò quid ab illis extorserit paralyticus. Deferunt sarcinam suam in ipsum tectum, eoque nudato, ueluti per fenestram funibus demittunt paralyticum, ut erat lecto affixum, in medium multitudinis ante pedes Iesu. Quid impudentius, quàm mouere tegulas alienæ domus, & tam abominabile spectaculū tali theatro ingerere? Hic turba quæ in foribus nolebat locum dare misero, coacta est ex alto delabenti cedere. Quid autem inter hæc mitissimus ille medicus? Non exprobrat impudentiam, & importunitatem: non destomachatur abominando spectaculo interruptum sermonem suum. Nihil rogant baiuli spectantes e tecto, nihil paralyticus cui morbus etiam linguæ usum ademerat. Et hoc magis loquebatur misericordie medico, quia loqui non poterat. Nihil erat opus precibus, miserabile spectaculum flagitabat misericordiam: et quod fecerant baiuli, satis arguebat quid sperarent à domino. Iesus igitur perspecta illorum admirabili fiducia, plus præstitit quàm expectabant. Summa uotorum erat, ut paralyticus corporis morbo liberaretur. At Iesus ostendens esse diuinus, ac magis expetendum liberari morbis animi, uersus ad paralyticum, ait: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Hæc uox quoniam planè diuinam quandam potentiam sonabat, commouit animos scribarum ac pharisæorum nunquam non ad calumniandum procliuius. Siquidem sacerdotes, qui pro peccatis offerebant uictimas, non ipsi remittebant peccata, sed tantum precibus intercedebant apud deum ut condonaret illis admissa. Iesus autem absque holocaustomatis sacerdotibus, absque precibus, uelut autoritate propria perpetuamque dicit: Remittuntur tibi peccata, generali nomine summam & corpus omnium peccatorum semel complectens, quum sacerdotes non uniuersa peccata, sed certas aliquas culpas uictimis expiandas curarent. Docuerat hoc illos Esaias, solum deum esse, qui gratis condonaret hominibus peccata. Ita enim loquitur per os sui propheta: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Sed cum uiderent in eo diuinæ uirtutis indicia, tamen offensi corporis conspectu imbecillitate, partim etiā inuidia cæci scribæ & pharisæi, malunt calumniari quàm credere. Tacitis enim cogitationibus sic intra sese loquebantur, & quod est pharisaicæ calumniæ proprium, impietati summæ prætexunt pietatem, & studium gloriæ diuinæ. Nulla enim perniciosior impietas. Quis est, inquiunt, iste, qui loquitur blasphemias, sibi arrogans quod proprium est dei? Quis enim potest remittere peccata, nisi solus deus? Porro dominus Iesus ut hac quoque parte declararet sibi diuinæ naturæ consortium esse, ad tacitas illorum cogitationes respondet hunc in modum. Quis ista cogitatis in cordibus uestris? Vtrum iudicatis facilius dicere peccatis obnoxio: remittuntur tibi peccata tua, an dicere huic, quem uidetis totum paralyti resolutum: surge & ambula. Quod si uideritis hominē deplorato subito restitui sanitatē corporis simplici uerbo, credite pari facilitate & animā suā sanitati restitui. Ex hoc quod oculis conspiciamus, credite quod oculis cerni non potest. Ne uos offendat infirmitas huius corporis, sed

ex

et ipsis factis agnoscite diuinam potentiam. Accipite igitur uisibile documentum, quod
 filius hominis habeat in sese perpetuam ac propriam potentiam in terris remittendi pec-
 cata cunctis, qui sincera fide quarunt ipsius opem, simulque illis attentis, & arrectis, do-
 minus dicit paralytico: Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam.
 Nec mora surgit iussus paralyticus sub oculis omnium, & sublato in humeros lectulo,
 in quo decubuerat, pedibus suis abiit in domum suam: subito sic receptis uiribus corpo-
 ris, ut qui prius decumbens gestabatur à quatuor baiulis, nunc etiam lecto gestando sus-
 ficeret. Abiit autem ille totus sanus & animo & corpore, gestans & alacer, glorificans
 Deum, cuius bonitate restitutus esset, quum ab hominibus nulla fuisset spes salutis. Po-
 pulus uero nouo spectaculo commotus uehementer obstupuit, ac plerique laudabant
 deum, qui tantam potestatem dedisset homini (nihil enim aliud adhuc de Iesu suspicaban-
 tur) Quidam autem sibi male conscij, metu etiam correpti sunt, non intelligentes, quod
 Christus in hoc uenerat, non ut perderet nocentes, sed ut redderet innocentes. Dice-
 bant autem inter sese: Conspeximus hodie mirabilia, quæ nec audiuius unquam facta,
 neque legimus. Miratur ac timet populus, & hic nonnullus est gradus ad salutem, sed
 mustant & inuident pharisæi. Iesus autem digressus illinc quum docuisset apud lacum, Et post hæc
exijt
 docens interim nullo non loco spargenda semina sermonis Euangelici, præteriens con-
 spexit publicanum quendam nomine Matthæum, qui idem dictus est Leui, filium Al-
 phæi, sedentem in teloneo. Non id casu accidit, sed aspexisse delegisse erat. Delegit au-
 tem publicanum in consortium apostolorum, ut suos doceret, nullum hominum ge-
 nus repudiandum ab Euangelica professione, modo relictis pristinae uitæ studijs, totos
 sese dedant pietatē. Ait igitur illi: Sequere me. Atque is ad uocem Iesu, uelut efficaci quo-
 riam incantamento transformatus in alium hominem, surgit, & relictis ut erat omnibus,
 sequutus est dominum. Iam hoc erat insignius miraculum, hominem infami quæstui de-
 ditum, & negocijs inexplicabilibus inuolutum, repente uertere in alium, quàm paralyti-
 co suos neruos reddere. Atque hoc ipsum iam tum urebat pharisæos, quod ipsis contem-
 ptis ascisceret publicanos, quorum commercio Iudæi sibi uidebantur inquinari. sed ac-
 cessit quod inuidiam illorum cogeret erumpere. Matthæus enim iam factus Christi di-
 scipulus, domi suæ conuiuium magnificum instruxit. Eò non dedignatus est uenire Ie-
 sus cum discipulis suis. Simul autem uocatus erat magnus numerus publicanorū, quos
 ut Matthæus habuerat prioris instituti sodales, ita cupiebat habere noui instituti sectato-
 res. Id conspicientes pharisæi & scribæ, iam non continent impiū murmur animi sui, nec
 audent tamen interpellare dominum, sed discipulos appellant, apud hos suggillant præce-
 ptorem, quo ab illo alienarēt. Ait autem: Quū deceat sanctos cum sanctis habere com-
 mercium, quur uos publicanos & peccatores palam infames non solum admittitis ad col-
 loquium, uerum etiam in ipsorum ædibus familiariter editis ac bibitis cum illis, nec men-
 sam communem auersamini, non uulgare necessitudinis symbolum? Iesus autem intelli-
 gens quorsum tenderet hæc pharisæorum impia murmuratio, pro discipulis respon-
 det illis: Quid, inquit, calumniimini, quod cum publicanis & peccatoribus habeam
 consuetudinem? Imò cum nullis potius me decet habere commercium. Apud quos
 nimis magis decet uersari medicum, quàm apud ægros? Ego in hoc ueni ut medear ani-
 mabus peccatorum morbis obnoxij. Et sanabiliore sunt hi palam peccatores, agnoscen-
 tes morbum suum, & ideo medicum accersentes, quàm alij qui sibi sani uidentur, ius-
 titiæ specie sese uenditantes apud homines, quum intus grauioribus malis laborent, &
 insanabilius ægrotent, quàm hi quorum morbus in aperto est. Quare cum medicus sim,
 non par est mihi indignari iustos, ut sibi uidentur, si cum ipsis non habeam consuetudi-
 nem, quum sanis non sit opus medico. Porro qui uere iusti sunt, non debent inuidere pec-
 catoribus, ad meliorem uitam resipiscere conantibus. Quod si faciant non minus dam-
 nandi sunt, quàm si qui sanus est indignetur medico, uisenti ægrotum ut eum morbo le-
 uet. Nam in animi negotio sanus non est ipse, qui sanitatem inuidet ægrotanti: & ipse
 morbo tenetur, qui quum possit, non subleuat morbo proximum suum. Hac tam man-
 fecta, tamque probabili responsione dominus Iesus patrocinator est suis discipulis, non-
 dum satis instructis ad retundendum pharisæorum & scribarum maliciosas captiunculas,
 & suam erga peccatores comitatem docuit esse misericordiam, non fauorem iniustitiæ:

& eorum arrogantiam tacite, sed acriter coarguit, qui magno supercilio despicerent ceteros homines, quum ipsi hoc ipso essent immedicabiliter impii, quod sibi falso placerent nomine religionis. Sed calumniā calumniā excipit. Ea nata est partim ex his, qui fuerant discipuli Ioannis. Ioannes enim quum esset confiniū legis mox cessaturā, & Euangelicā libertatis mox emerfurā, quādam tradebat, quę non prorsus abhorrebant ab institutis pharisæorum, quum Christus qui multorum opinione uidebatur Ioāne inferior, indulgētius ac mollius haberet suos, in his duntaxat, quę ad corporales obseruationes pertinent, quod genus sunt, ieiunia ac preces. Nam his præcipue rebus pharisæi sibi sanctimonię famam conciliabant apud populum. Christus autem quanquam ipse frequenter oraret, tamen suos docuit, & paucis & clam esse orandum: nec ullum exegit ieiunium, ad quādam etiam conuiuens, quibus legis præscripta negligi uidebantur, cum eos alia ratione fingeret ad fortiora, quę propria sunt Euangelicę fortitudinis. Siquidem longe fortius est iniuriā condonare ex animo: benemereri etiā de male meritis: pro salute proximi uitę iacturam facere, quā in ediam perferre usq; ad uesperā, aut psalmos aliquot lingua sonare. Pharisæi quod erat uisibile, quodq; per hypocrisim geri poterat, plurimi faciebāt, negligentes eā, quę uerę perfectęq; uirtutis sunt. Sed hi scribis impudētiores audent ipsum dominum interpellare, dicentes: Quid est causā, quod discipuli Ioannis frequēter ieiunant, & orant prolixē, tui uero edunt ac bibunt pro suo arbitrio, neq; perinde cōspiciuntur frequentes in precandis? Si constanter probas Ioānis sanctimoniam, quorū dissides ab illius institutione? Ad hęc calumniā dominus, quoniam ad ipsum proprie pertinebat, ciuilit̃er ac placide respondit, dicens: Non damno preces ac ieiunia, sed in his interim indulgeo meis discipulis, ut alia ratione paulatim ad fortiora proueam. In his quę corporis sunt, & ad legis accedunt ceremonias, lenior est nostra institutio: sed in his quę sunt animi, longe seuerior est. Hęc quę uos ueluti sanctitatis fastigium admiramini, sua sponte facient mei, si quando res ita postulabit. Nolite meis interim inuidere hanc libertatem. Exitus rerum indicabit, utrius institutio fuerit efficacior. Ioānes gloriabatur se sponsi amicum esse non sponsum. Non conuenit autem, ut qui sponso familiariter adhærent, & in thalamo uersantur, ubi par est omnia esse læta, compellantur ad ieiunium. Teneri adhuc sunt, ac toti pendent à sponso. Huius non erit illis diuturna copia. Veniet autem tempus quum orbabuntur sponso, tum facti firmiores ultro ac uolentes nō solum ieiunabunt, uerum etiam in mortem & in carcerem ibunt, quoties exigit charitas. Ieiuniū per se nec bonum est nec malum. Proinde qui ieiunant tantum ut ieiunent, nihil magni faciunt: uerum qui possunt iuxta meam institutionem contemnere gloriam huius mundi, negligere uoluptates, spernere opes, affectus omnes pro nihilo ducere, refrenare iram, inuidiam, bene uelle male uolentibus, bene dicere maledicentibus, orare pro persequentibus: deniq; uitam habere uilem pro salute fratris, hos agnoscam ut me dignos discipulos. Carnis præsentia reddit illos interim infirmos: sed quum ablata fuerit huius corporis copia, postea quā hauerint spiritum Euangelicum, tum arcanis dotibus erunt fortes, & inuicti. Qui iustitię laudem constituunt in corporalibus obseruationibus, quoniam confidunt suis operibus, imbecilles reperiuntur ad ea perpetiēda, ad quę meos præparo. Sed qui suis discipuli factis, præsidium omne collocant in animi dotibus, quas mihi acceptas referent, hos nulla frangit aduersitas. Diuersa est Ioannis ac mea institutio, quia diuersus est scopus. Non possunt ista duo misceri. Qui meus uult esse discipulus, totus spiritualis sit oportet, nihil fiducię collocans in rebus corporalibus, in quibus sita est tota pharisæorū iustitia: & ideo nihil istarum rerum meis præcipio, quę quicquam habeant affīne cum carnali legis obseruatione, ne si uel paulum admiserō, toti relabātur eō, unde uolo illos esse alienissimos. Vt autē ostenderet dominus Iesus, quantū interesset inter Ioannē, qui suos ad pristinā legis haustam saluam instituebat, & se, qui lōge diuersa ratione formabat suos ad perfectiora, proposuit huiusmodi similitudinem: Nullus, inquit, tam stultus est, ut si ueteris uestis rupturam sarcire uelit, immittat pannum nouum ex noua ueste resectum. Quod si faciat, duplex est incommodum. Primum enim lacerat uestem nouam, ut ueterem sarciat: deinde pannus nouus additus ueteri uestimēto, quoniam non conuenit, prodit sarturę deformitatem. Rursum nemo tam stultus est, ut uinum mustum condant in utres antiquos: alioquin fiet, ut uis uini multi effruescētis dirumpat utres ueteres, & consequetur duplex iactura.

Nam

Nam & utres peribunt, & uinum effundetur. Quid igitur faciendum est? Ne misceantur aquae non congruunt inter sese. Vetus uestimentum ueteri panno sarcatur, nouae uesti nequid admisceatur ueteris panni. Vinum mustum condatur in utres nouos, sic fiet ut & utres seruentur & uinum. Scio quàm sit difficile nouam hanc, & spiritualem doctrinam commendare ijs, qui iam diu ueteri assueuerunt. Vix enim quicquam placet cuiquam, diuersum ab eo cui diu assueuerit. Protinus enim offenditur ad gustum inusitatae rei. Quē admodum qui diu bibit de uino ueteri, non statim delectatur musto. Requirit enim gustum, cui assueuit, & dicit uetus fuisse melius, non ob aliud, nisi quod assueuit. Ita qui consueuerunt in Iudaismo, resiliunt ad gustum doctrinae spiritualis, et illa crassiora quibus assueuerunt, requirunt, circumcisionem, festos dies, sabbatismos, discrimina ciborum, uestes, ieiunia, Hierosolymā, templum, uictimas, lotiones, uota, constitutiunculas pharisaicas, aliaque his consimilia. Atque haec non solum requirunt, uerum etiam praefereunt his, quae sunt longe potiora, cuiusmodi sunt, animus à prauis cupiditatibus circumcisus: animus ab omnibus profanis studiis perpetuo feriat: animus ab omni malorum affectuum tumultu tranquillus: animus abhorrens ab omnium contagio, quae inquinant mentis puritatem: animus, fide, charitate, modestia, puritate redimitus: animus ab omnibus malis semper temperans: animus semper aspirans ad coelestem patriam: animus spiritus sancti templum & hospitium: animus semper seipsum offerens gratam ac puram uictimam deo: animus ab omni labe purus per fidem Euangelicam: animus ab omnibus quae sunt huius mundi abdicatus, seque totum diuinis rebus dedicans: animus obseruantissimus eorum, quae praecipit ac requirit Euangelica doctrina. Requirit autem fidem, & praecipit charitatem. Hoc nimirum est uinum nostrae doctrinae nouum, quod non ferent utres assueti uapae Mosaeicae, sed requirit utres nouos ac puros, spiritualibus dotibus fortes ac firmos.

CAPUT VI

Tecce accommodum successit occasio per quam explicaretur quid esset uinum nouum, qui ueteres utres: sabbati religio uinum erat uetus: Charitas autem per omnem occasionem parata subuenire proximo, uinum est nouum. Accidit itaque sabbato quodam (quod Iudaei *Αδελφότητος*, hoc est, secundum primum uocant: propterea quod incidens inter duo sabbata, uideatur geminam habere religionem, quod & finis sit sabbati praecedentis, & initium sequentis) ut Iesus iter faceret per segetem. Porro discipuli, quum forte fortuna esurirent, reuulsas spicas aliquot confricabant manibus, & granis uelcebantur. Erat hoc popolare famis urgentis solatium. Quo quidem in casu, quum Euangelica charitas ultro fuerit esuriētibus suppeditatura cibum: pharisaei ueteres utres, antiquae superstitionis uapam requirunt, dicentes: Quare ista facitis, quae nefas est facere sabbatis? Hic dominus rursus suis patrocians, respondit: Vos qui legis cognitionem profitemini, non saltem illud legistis, quid fecerit Dauid in simili casu, quum esuriret ipse cum suis comitibus, quemadmodum uidetis nunc meos esuriētes? Non solum ausurus erat in famis discrimine facere, quod mei nunc faciunt, sed homo profanus ingressus est templum dei, nec ueritus est uesci sacris panibus, quos illi propositionis appellat, quibus solis sacerdotibus uesci fas erat. Nec ipse solum ausus est uesci, sed ex ipso pauit comites suos, nihil commotus, neque templi religione, neque legis interdicto, uentis quenquam attingere panes illos, praeter sacerdotes, idque tantisper donec in templo uersantes sacris operarentur. Ne sacerdos quidem ueritus est illos panes sacros tradere, nimirum intelligens obseruationes huiusmodi non esse institutas ad perniciem hominum, sed ad salutem, & idcirco cessare, quoties maior quaedam urget causa. Quumque hac de re multa differuisset dominus Iesus, sermonem hac conclusit sententia: Illud habetote pro eternum, quod filius hominis, qui dominus est omnium, dominus etiam est sabbati. Etenim qui condidit sabbatum, abrogare potest sabbatum. Et qui uenit salutem daturus omnibus, non impeditur a suo officio religione sabbati. Successit & aliud exemplum, quàm non ferant ueteres utres uinum mustum Euangelicae libertatis. Accidit enim, ut alio quodam sabbato iuxta morem suum ingrederetur synagogam ac doceret. Ferebant hoc utcumque pharisaei, quoniam ex more praescriptoque legis erat. Sed aderat illic inter multos homo quidam miserabilis, manum, cuius opera solitus est alere seipsum ac liberos, circūferens arefaciam ac manicam, ut praestiterit non habere manum, quae onerari mortua. Atque interim scribe & pharisaei, quos

Accidit autem
ut in sabbato

Et erat ille
homo

quos oportebat misertos hominis interpellare Iesum pro sanatione, taciti obseruabant eum, an restitueret homini manum. Nouerant enim domini clemētiam ubiq; promptam ad opitulandum omnibus. Atque hinc caprabant ansam calumniādi de uio lato sabbato, si eo die manum restituisset homini calamitoso, quo lex uetuerat operari. Iesus autē non ignarus quæ apud se cogitarent scribæ & pharisæi, compellat hominem cui manus erat manca, quoq; conspicuus esset omnibus, iussit ut surgeret, & prodiret in medium populi. At ille, ut statim intelligas fuisse dignum beneficio Iesu, obediens surrexit, in que omnium conspectu constitit, exhibens suæ calamitatis spectaculum. Hic Iesus uersus ad scribas & pharisæos, non prodidit quidem populo maliciosas ipsorum cogitationes, sed in interrogatione perculit illorum conscientias, dicens: Libens à uobis didicerim, qui profiteamini legis scientiam, utrum liceat sabbato beneficio iuuare proximum, an potius deferere proximum in calamitate, cui possis subuenire? Et utrum fas est seruare uitam hominis in sabbato, an perdere? Perdit enim uitam alterius, qui cum possit seruare, nō seruat. Cumq; dominus circumtulisset oculos, neq; quisquam esset qui responderet, dixit homini: Extende manum tuam. Extendit ilico manum prius mancā, contractā & immobilem. Tanta uis erat iubētis. Quid hic facerent scribæ & pharisæi? Miraculū euidentius erat quā ut negari posset: sensus communis approbat esse pium quouis tempore succurrere saluti mortalium. Sed non ferunt multum Euangelicæ charitatis assueti uapæ legis Moisaicæ. Quum ex his factis debuerint agnoscere uirtutem diuinā, & agnoscere legis autorem, uertuntur in amentiam. Iamq; inter sese ineunt parricidiale consilium, qua uia perderent Iesum. Hoc apud illos religionis proceres licebat sabbato, quum religio esset homini miserabili salutem conferre sabbato. Rursus dominus Iesus, relictis urbibus & hominum frequentia, secessit in montem ad deprecandum, eamq; noctem peregit in deprecando deum: nos interim docens, si quid auspiciari uolemus, quod felix ac faustum esse cupimus, à deprecatione auspicemur, ut deus nostris cœptis dexter ac fauens aspiret. Vbi uero diluxit, uocauit ad se discipulos suos, quos iam habebat perpetuos comites, ac testes eorum quæcunq; gerebat. Ex his præcipuos aliquot delegit, quos ideo nominauit apostolos, quod eos missurus esset ueluti legatos Euangelicos in orbem uniuersum, nihil aliud acturos, quā quod haberent in mandatis. Horum nomina sunt hæc: Simon, cui postea nomen additum Syriace Cephas, Græcè πέτρος, Latine saxum, uidelicet ob solidā professionē, qua uacillante populo, ceu uox apostolorū omnium pronunciauit Iesum filium Dei uiui: huius collega fuit Andreas, frater ipsius. Deinde Iacobus & Ioannes, Philippus & Bartholomæus, Matthæus & Thomas, Iacobus Alphæi filius, & Simon cui cognomen Zelotes, Iudas Iacobi frater, & Iudas Iscariotes, qui prodidit Iesum, quē non per imprudentiam elegit, sed per prouidentia, ut huius exemplo doceret omnes, q̄ horrendū sit abuti lenitate seruatoris erga nos. Ac ne in toto quidem apostolorum numero quisquam erat potens aut diues, aut doctus, aut pharisæus, aut scriba, aut pontifex. Rudes delegit omnes, ut nouis utribus nouum uinum infunderet. His ita delectis descendit ē monte, donec ueniret in planiciem multitudinis capacem. Siquidem quæ perfectissimā puritatem desiderant, in monte sunt peragenda. In his primum locum tenet deprecatio, proximum delectus eorum quibus credenda est dispensatio sermonis Euangelici. Aderat autem & reliqua discipulorum multitudo, præterea copiosa multitudo, promiscui populi, qui eò confluxerat ex tota Iudæa, atq; ab ipsa etiā Hierosolyma, item à ciuitatibus maritimis Tyro & Sidone, nam multos etiā ē longinquo pertraxerat auditas audiendi sermonem Euangelicū, nonnullos spes sanitatis. Liberabat enim omnes ab omni morborū genere, quibus tenebantur. Quin etiā hi qui uexabantur à spiritibus impuris, sanabantur. Hæc autem omnia peragebantur tanta facilitate, ut alios solo iussu, alios uestis etiā contractu subito redderet sanitati. Erat enim in eo fons ac plenitudo uirtutis diuinæ, quæ proficiscebatur ab eo, non secus ac lumen à sole, calor ab igni, ac salutem adferebat omnibus. Seruator enim erat, & omnibus sanādis uenerat. Posthæc cœpit proferre mustū Euangelicæ doctrinæ, cui delegerat aliquot firmiores ueluti nouos utres. Beati, inquit, estis, qui nihil habetis elati spiritus, ac uobis ipsis displicetis, quoniā tamen iuxta mundū uidemini contēpti & aspernabiles, tamen uesterū est regnum dei, longe magnificentius omni regno mundi. Videtis profligari morbos, profugere dæmones, aboleri peccata. Quid habet huius mundi celsi tud-

Factum est autem in diebus illis

Beati pauperes

estudo cum hac sublimitate conferendum? An non magnificum regnum est: nulli ser-
uire uitio: nullis obnoxium esse cupiditatibus: conculcasse satanam cum omnibus suis co-
pulis: uicisse mundum cum omnibus suis terroribus & illectamentis: ascitos esse in confor-
tium dei: ascriptos esse regno cœlesti: Beati qui nunc tenues, esuritis, sititis, & contenti fru-
gilitate, spernitis opes ac luxum huius mundi: esuritis autem animi cibum, qui est sermo
diuinus, sititis uiuam aquam Euāgelici spiritus, quoniam continget uobis salubribus his
delicijs expleri, quas desyderatis. Beati qui uos ipsos orbastis ultro uoluptatibus huius
mundi, studio pietatis Euangelicæ, præferentes ea quæ per temporarias afflictiones per-
ducunt ad æternæ uitæ gaudia, quia ueniet tempus, ut uersis rerum uicibus, dolor uester
uertatur in gaudium, & luctus in risum. Vulgus felices appellat quibus applaudit popu-
lus, qui ad honores prouehuntur, qui magnificis titulis celebrantur. Vos autem me auto-
re beati eritis, quum uos deriserint homines, quum uos ut execrabiles & contubernio suo
eiecerint, quum in uos mea causa multa probra congesserint, cum nomen etiam uestrum
ac memoriā uel abolere prorsus, uel abominabilem posteris reddere studuerint, idq; nul-
la uestra culpa, sed odio filij hominis, cuius doctrinam & gloriam prædicabitis. Ne quid
ob hæc displiceatis uobis, quin potius gaudete, cum hæc uobis acciderint, & exultate. Etenim
si non respondebit meritis fauor hominum malorum, tamē manet uos copiosa mer-
ces benefactorum in cœlis. Homines non poterunt abolere uestra nomina, quæ scripta
sunt in cœlis: non poterunt suis probis obscurare gloriam uestram, quæ cum mea gloria
semper iungetur. Imò quo magis insectabuntur nomen ac famā uestram, hoc magis illu-
strabunt. Etenim impijs displicuisse summa laus est. Non nouū est hoc exemplum. Sem-
per malis inuisa fuit egregia uirtus. Quod in uos facient huius ætatis homines, hoc idem
horum maiores fecerunt in sanctos prophetas, non ob aliud, nisi quia iuxta uoluntatē dei
non fiebant ueritatem, semper inuisam improbis. Horum exemplo uos ipsos consolami-
ni. Quorum nomen illi conati sunt abolere, horum memoria nunc sacrosancta est apud
omnes. Vobis tamen uestra fretis innocentia, non est cogitandum de uindicta. Nō enim
cedet illis impune, quod facient in uos, licet interim uideantur huius mundi bonis felices
ac florentes. Differuntur enim ad æterna supplicia. Proinde uæ uobis diuitibus, qui uo-
bis interim placetis, oblectantes animos uestros opibus, honoribus, & illecebris huius
mundi, nec cogitatis breui futurum ut ista uana felicitas uobis auferatur, & succedat infer-
licitas æterna. Væ uobis qui nunc ridetis, deliniti rerum fluxarum successu, dulciq; fortu-
næ cœpi, quia mox uersis rerum uicibus, lugebitis & flebitis, ac momentaria uoluptas in
perennem cruciatū commutabitur. Ne placete uobis, quum ob falsam felicitatis speciem
uobis gratulantur & applaudunt homines, ignari ueræ felicitatis, quum ea quæ turpiter
& impie geruntur à uobis laudibus uehant, impiam insectationem Euangelicæ ueritatis
appellantes zelum legis: ac bonorum afflictionē cædemq; uocant pietatem. Laus ista fal-
sissima nō liberabit uos à uindicta dei, sed grauioribus etiā supplicijs dignos reddet, quod
non solum non puduerit impiorum facinorum, uerum etiam ex malefactis laudem quæ-
sitis. Qui uos laudabunt ob impia facta, horum maiores itidem applaudebant olim
pseudoprophetis, aduersus domini prophetas rebellantibus, & in horum cædem princi-
pes ac populum concitantibus. Prophetæ domini non quesiere uindictam aduersus per-
secutores, & tamen nec pijs defuit sua merces, nec impijs sua poena. Sero poenitebit sce-
lerum, qui nunc audire negligunt monitorem. Viderint ipsi quid commereant, qui pro
benefactis reponunt maleficia. Vobis autem qui præbetis aurem meis dictis, hoc nouum
præceptum trado, ueluti mustum Euangelici uigoris. Non solum non rependite malum
pro malo, uerum etiā diligite inimicos uestros, benefacite his qui uobis malefaciunt. Pro con-
uictis probis, sermonē amicum ac salutiferum rependite. Orate pro his qui uos calum-
niantur, ut uestris precibus recōcilentur deo, condonatis ueris criminibus, qui uos falsis
criminibus deferunt apud homines. Tantum autem absitis ab iniuriæ retaliandæ cupidi-
tate, ut si quis tibi percusserit unam maxillam, citius alterā offeras cædendā, quàm ulcisci
te. Et si quis tibi conetur auferre palliū, sine potius ut auferat & tunicam, quàm in iniuriæ
uentas contentionē. Ille tum uere iniuriam passus est, qui fecit iniuriam: contrā qui dam-
no res consuluit paci & tranquillitati, lucrum fecit non damnum. Vestrum studium sit
omnibus benefacere, lædere neminem. Si quis læserit, uindictam habetis deum. Si quid
benefecit

Veruntamen
ue uobis diuiti-
bus

Sed uobis dis-
co qui auditis

benefeceritis, remuneratorem habetis deum. Penes illum sit utriusque rei cura. Esto promptus ad donandum, si quis quid abs te petierit, sic conciliatur amor mutuus. Quod si quis per fraudem aut vim rem tuam tibi eripit, sine potius habere illū, quā descendas in contentionem. Præstat perdere pecuniam, domū aut fundum, quā ob hæc recuperanda deferere bona potiora. Absit autem dolus ab omni uita uestra, sed quod quisque uelit ab alijs erga se fieri, si res poscat, id faciat erga proximum. Et quod in se fieri nolit, ne molatur in alterum: hoc est enim diligere proximum, nō secus quā teipsum. Vnusquisque sibi charus est, nec aliquod à seipso præmium amoris exigit. Sit igitur & erga proximum simplex & gratuita charitas, parata benefacere quoties erit opus, nullo mercedis ad te reditura respectu, sed tantum ob hoc quia proximus est etiam si nō sit unquam relaturus gratiam, ac ne in amore quidem mutuo responsurus. Et amoris & beneficii uestri præmiū ab uno deo speratē. Nam si diligatis eos qui uos diligunt, quid præmiij postulabitis à deo? Amor amore pensatus est. Qui redamat amantem, non amaturus nisi redametur, is multum abest ab Euangelica charitate, quæ amicos pariter & inimicos complectitur. Qui uero redamat amantem, quid facit eximiū, ac dignum Euangelica sublimitate? Nōne qui mundum hunc diligunt, & alioqui peccatores sunt, tamen ductu naturæ diligunt diligentē, & auersantur eum qui non respondet amore mutuo? Et si beneficium contuleritis in eos, qui in uos fuerunt beneficii, quid præmiij debebitur uobis? Non est ista beneficentia Euangelica, sed permutatio beneficiorū. Siquidem & peccatores, & ab Euangelicæ professionis sublimitate alieni, ductu naturæ referunt acceptum beneficium, execrantes ingratitudinē. Ista non facere turpissimum est: facere nihil magnæ laudis. Ad hæc si mutuum dederitis his à quibus speratis uos recepturos sortē, quid dignum facitis Euangelico uigore? Nōne mali malis uicissim dant mutuum, ac recipiunt? Vulgare officium est, commodare in tempore, ut uicissim tibi commodetur. Non est purum officium, quod spe redituri officij conferatur. Si tuam opem desyderat proximus, & petit mutuum, dato, etiā si nulla spes sit reddendæ pecuniæ: sed hoc animo dato, ut si non reddiderit, donum esse uelis, non mutuum. Sit uestra gratuita & charitas, & beneficentia. Bene uelitis etiam ijs, qui uobis male uolunt. Benefacite etiam his, qui uel non referunt beneficium, uel beneficiū maleficio pensabunt. Et dato mutuum hoc animo, ut etiam si nihil sit ad te rediturum, tamen gaudeas opitulari proximo. Nec est periculum, ne uobis pereat merces uestra, si quidem hoc copiosius præmium rependet deus, quo minus repensum aut speratū fuerit ab hominibus. Et ira facientes; ut germanos filios suos agnoscat altissimus, si bonitatē ipsius fueritis pro uiribus imitati. Nam ille adeo natura beneficus est, ut tantum liberalitatis conferat, non solum in bonos, uerum etiam in malos. Omnibus enim impartit uitam. Deinde cælum ac terram tot ornamentis, tot opibus, tot comoditatibus instruxit ad usum etiam impiorum, malos sua lenitate benignitateque prouocans ad resipiscendum, bonos autem excitans ad gratiarum actionē. Hanc largam & omnibus expositam patris beneficentiam, tanquā germani filij referre debetis, ut huius exemplo, quantum in uobis est, modis omnibus prodesse studeatis uniuerfis: & bonis quo fiant meliores, & malis ut uestra mansuetudine prouocentur ad meliorem frugem. Si deus, qui nouit omnium mortalium corda, tamen ex immensa naturæ suæ bonitate tam beneficus est erga plurimos indignos, in quibus scit perituram largitatem suam: quantomagis uos idem oportet facere, quos sæpe latet, digni an indigni sint qui beneficio iuuantur, & incertus est rerum exitus? Etenim sæpenumero fit, ut qui prima specie mali uideantur, boni sint: & rursus qui nunc pessimi sunt, mox uertantur ad meritum meliorem, præsertim quum quisque talem sit experturus deum erga se, qualem ipse præbuerit erga proximum. Est autem & hoc Christianæ mansuetudinis ac simplicitatis proximi dicta, factaque, quæ quo animo fiant dubia sunt, in meliorem interpretari partem. Syncerus enim animus semper propensior est ad bene opinandū, quā ad male suspicandum. In manifestis autem malis, quod genus sunt, obtrectatio, turpiloquiū, rapina, adulterium, uestræ bonitatis erit mederi uitjs, quantum in uobis est, homines ipsos nō odissē nec ulcisci. Ne iudicetis igitur quenquam, ita fiet, ut ipsi uicissim non iudicemini. Ne condemnatis quenquam, ita fiet, ut uicissim nō condemnemini. Remittite si quid in uos admissum est, & uicissim deus remittet uobis peccata uestra. Estote liberales ac beneficii proximum, & redibit ad uos multo cum fœnore uestrum beneficiū. Refundetur enim in sinum

Nolite iudicare

bonum uestrum mensura bona, conferta, agitata & exuberans, etiam si ab hominibus nul-
 la redeat ad uos beneficij pensatio. Eadem enim mensura qua uos mensi fueritis uestra er-
 ga proximum liberalitatem, referetur uobis praeuium. Si contracti parciq; fueritis erga pro-
 ximum, talem sentietis & remunerationem. Quo magis autem hec dominus Iesus infige-
 ret animis suorum, adiecit similitudinem: Nunquid potest caecus caeco dux esse? Quod si
 teneat, nonne futurum est, ut ambo in foueam incidant? Purus sit ipse ab omni crimine o-
 ponet, qui uelit alteri praere. Quid sit agendum, quomodo docebit alium, qui ipse tene-
 tur errore: sed durum est perpeti quorundam obstinatam malicia. Quir grauamini per-
 ferre, quod ego perfero? An par est, potioem esse discipuli conditionem quam magistri?
 Satis erat perfectus, si magistro aequetur. Quir autem iniquum iudicem te praebes proxi-
 mo, ipse grauioribus malis obnoxius? Quir in aliorum uitis tam oculatus es, cum ad tua
 ipsius mala caecurias? Quir uides festucam in oculo fratris, & trabem quae in oculo tuo est,
 non consideras? Qua uero fronte possis dicere fratri tuo: Frater patere ut eijciam festu-
 cam ex oculo tuo, quum ipse trabem infixam oculo tuo non dispicias? Vera bonitas in
 alios iudex clementior, in se seuerius animaduertit. Contra simulata sanctitas hinc sibi ue-
 natur opinionem integritatis, si ad sua ipsius errata conuiues, in aliorum humanos lapsus
 seuerissime debacchetur. Condemnas fratrem ex cibo potuue, & ipse proximo moliris
 exitium? Audi simulator iustitiae: Si uere uis esse iustus, primu eijce trabem ex oculo tuo,
 ac tum si uidebitur dispicies ut eximas festucam ex oculo fratris tui. Nunc praepostero iu-
 dicio tuis ipsius malis blandiris, aliena eleuas: ad tua ipsius mala lenis es ac remissus, sauius
 in aliena. Quir uobis sanctimoniae laudem arrogatis ex his rebus quae communes possunt
 esse bonis ac malis? Neque uestis, neque cibus, neque proluxa preces, neq; lata phylacter
 in declarant hominem bonum. Non enim ex folijs aestimatur arbor, sed ex fructibus. Fru-
 ctus autem ex radice succum suum trahit: qui si amarus est, non potest arbor gignere fru-
 ctum suauem: Sin bonus est, non potest arbor alium proferre fructum, quam suo succo re-
 pondent. Folia cortexq; uidentur & fallunt, succus & radix non uidentur. Si corruptus
 est animus, malum est quicquid hinc proficiscitur: si syncerus est, syncerum est quicquid
 hinc nascitur. Habet unaquaq; arbor suos foetus, quos dissimulare non potest. Neq; enim
 de ficis colligitur ficus, neque de rubo colligunt uuam. Bonum est, quicquid bonus ho-
 mo fecerit, quicquid ederit, quocunq; uestiatur, aut quicquid agat earum rerum, quae per
 se neque bonae sunt, neque malae, sed speciem habent pietatis potius, quam ueram pieta-
 tem. Vescitur bonus homo, bene facit: non uescitur, bene facit. Vtrunq; enim ex affectu bo-
 no proficiscitur. Rursum malum est quicquid homo malus facit, propterea quod ex cor-
 rupto proficiscitur animo, quomodo cunq; uestiatur, siue ieiunet, siue comedat, siue oret,
 siue non oret. Vultis autem nosse fructus arboris Euangelicae, cuius radicem impleuit sua-
 vissimus succus fidei & charitatis? Amat omnes, odit neminem, bene uult etiam inimicis,
 tantum abest ut quenquam afficiat iniuria. Bene precatur ijs, a quibus deuouetur. Orat pro
 salute eorum, a quibus falso accusatur. Studet seruadis etiam his, a quibus occiditur: gra-
 tis omnibus benefacere studet, praeuium expectans a deo. De nullo male suspicatur. Quic-
 quid ambiguum est, interpretatur in meliorem partem. Neminem condemnat, sed ipse iu-
 dicium deferens deo, tantum benemereri studet. Impios tolerat, ut resipiscant. Proximum
 orantem amanter admonet: peccanti in sese libenter condonat, nec offensae meminit. Hos
 fructus sicubi uideris, agnosce arborem Euangelicam, quia fructus habet Euangelio di-
 gnos. Iam mihi agnosce fructus arboris, cuius radix amaro succo pharisaicae superbiae, li-
 uoris & auaritiae infecta sit: Nulli bene uult, nisi uni sibi, nec amicos amat, nisi sua causa:
 suam gloriam praefert glorie Dei: iniuriae uindex est, imo ultro iniuriam facit: sibi placet etiam
 iniuriis factis, aliorum benefacta calumniatur. Suis priuatis commodis proximorum ma-
 lo consulit. Dissidet ab animo oratio, nec deo fidit, nec diligit proximum: se iactat, alios con-
 demnat. Sibi blanditur, in fratrem errantem seuerus censor. Hos autem fructus quum producat,
 tam folijs & cortice simulat bonam arborem. Obambulat in latis phylacterijs, lauat subin-
 de, quiescit in sabbato, fugitat colloquiū publicanorum, sed obseruat uiduas beatas: in mise-
 ros sauius, in diuites palpo: ieiunat frequenter, sed palam, domi gulae seruit: orat prolixae
 legem, templum, deum habet in ore. Verum ad occasionem erumpit quod latebat in corde, ubi
 absconditus est thesaurus bonorum ac malorum. Ergo quoties urget res, tum euanescit illa fu-

Dicebat autē
 illis similitu-
 dinem

Non est disci-
 pulus super
 magistrum

Hypocrita ei-
 ce primum

Non est enim
 arbor bona

catae sanctimoniae species, & profert se, quod reconditum erat in fibris. Obijcitur iniuria, ingeritur immeriti conuicium, pertrahitur in carcerem, spoliatur facultatibus: ibi bonus homo de bono thesauro cordis sui profert rem bonam. Non iniuriam atrociori retaliat iniuria, sed aut tolerat, aut iniuriam etiam beneficio pensat. Conuicianti miti placidoque sermone respondet. Pertractus in carcerem, deo gratias agit, bonorum iacturam cum gaudio suscipit. Contra autem haec omnia arbor illa pharisaica ad occasionem oblatam longe diuersos fructus profert. Deo non potest imponi, qui perspicit intimos cordis recessus. Nec mouetur corporali bus ceremoniis, quae frequenter imponunt hominibus, falsa sanctitatis imagine. Honorifice loquitur, & moliuntur ignominiam. Quorsum enim attinet, quod me honoris gratia compellatis, domini nomen subinde ingerentes, quum negligatis ea quae precipio? Si dominum agnoscitis, obtemperate iussis meis. Si non agnoscitis quid sibi uult in me domini uocabulum? Vbi res exigit obsequium, factis proferendus est domino debitus honos. Observatio praeceptorum arguit fidelem seruum, non honorifica compellatio. Post haec quod docuerat dominus per similitudinem bonae ac malae arboris, cuius fructus ex ipsa radice sunt aestimandi, idem inculcat adhibita similitudine aedificij, cessuri aut non cessuri procellis imminentibus. Etenim quod radix est in arbore, id est in structura fundamentum. Quod folia sunt in arbore, hoc est aedificij species, quae foris contemplantibus ad blanditur. Quisquis, inquit, animo sincero uenit ad me, & sic audit sermones meos, ut quum res exigit, ex huius thesauro proferat argumenta perfectae uirtutis, indicabo uobis cui similis sit. Similis est prouido structori, qui domum aedificat non ad inanem ostentationem, nec ad temporarium usum, sed ad firmitatem nulli tempestati cessuram. Eoque defodit in altum, & fundamentum solidum iacet super petram. Hoc factum, superstruit. Deinde ubi inciderit inundatio, aut ualida uentorum tempestas, nec impetu fluminis irruentis, nec ui uentorum potest labefactari nixa solido fundamento. Rursus autem qui sic uenit ad me, ut audiat quid doceo, ceterum non demittit mea praecepta penitus in animum suum, similis est improuido structori, qui sic aedificat, quasi nulla tempestas esset unquam exoritura. Huic cum nulla sit cura solidi fundamenti, sed ad ostentationem substruat in altum, simul atque ingruerit uel exundatio fluminis, uel uentorum procella, continuo corruiat quod extruxit, quoque magnificentius aedificauit ad inanem ostentationem, hoc maiore ruina concidit aedificium. Quicquid autem nititur ceremoniis, constitutionibus pharisaicis, observationibus rerum corporaliu, aedificium est cessurum quoties incidet iniuria, damna, ignominiae, mortes, aut alioqui grauis aduersae fortunae procella.

CAPVT VII



Vm huiusmodi sermones, quibus discipulos suos ac populum instituebat ad sublimitatem Euangelicae philosophiae, loquutus fuisset dominus Iesus, repetijt Capernaum, in qua ciuitate plerumque uersabat. Ac rursus varia miraculorum aedendorum occasio, quo magis autoritas doctrinae factorum sublimitate confirmaretur.

Centurionis
autem cuius
dam seruus

Erat illic centurio quidam cui domi erat seruus, qui paralyti sic periclitabatur de uita, ut iam uicinus esset morti. Ea res discruciat animum hominis non aestimatis eum ex conditione, sed ex fide & synceritate morum, & quorundam interim inhumanitatem arguentis, qui seruos non alio habet loco, quam equos ac boues. Itaque quum rescisset quod Iesus ingressus esset Capernaum, subornauit quosdam primores Iudaeorum, qui suis uerbis rogarent dominum, ut dignaretur adire aedes ipsius, & sanaret seruum eius. Pudoris erat, non diffidentiae, quod Centurio, primus ethnicus, deinde militaris ordinis, per alios dominum interpellat. At illi quum uenissent ad Iesum, suspicantes futurum ut aegre impetraretur tantum beneficium, & seruo, & ethnico, & Centurioni, multa cum sollicitudine rogant eum, dicentes: Noli rationem habere quod ethnicus est, quod miles, quod seruo militari petitur hoc beneficium. Nam dignus est alioqui cui praestes hoc officium. Amat enim nostram gentem, ac synagogam nobis aedificauit. Iesus autem ut ostenderet apud se nullam esse uilem personam, quae fide commendaretur, ibat eo quod uocabatur. Cumque iam uicinus esset aedibus, in quibus decubebat aegrotus, Centurio sentiens aduentum domini, iussit amicos illi ire obuiam, qui dicerent illi: Domine, non est quum istius laboris capias ut huc uenias. Plus praestat tua benignitas, quam audebam petere. Agnosco dignitatem tuam, nec ignoro me ipsum: ethnicus sum, Centurio sum, & de seruo tantum agitur. Indignum me iudico cuius tecum subeas, atque hac de gratia non sum ausus uenire ad te. Existimant enim Iudaei sese nostro congressu contaminari, quia sumus a religione cultusque de alieni

uarijsq; peccatis obnoxij. Ingens autē dolor animi, & summa de te fiducia fecit, ut au-
 tem famulo meo periclitāti salutem petere. Eam tu uerbo pręstare potes. Humilius est
 hoc, & leuius q̃ ut per teipsum peragatur. Ex meipso coniecturam facio. Sum enim ho-
 mo subditus alienę potestati, cuius iussis obtempero, habēs & mihi subditos milites, qui
 mea imperata faciūt. Nec est necesse, ut per meipsum obeam omnia. Sed si quid est humi-
 lius, dico huic, uade, & uadit: & alteri, ueni, et uenit. dico cuius e seruis meis: fac hoc, et ob-
 temperans facit. Si tantam habet auctoritatem mea iussio, ut me quiescente peragatur per
 homines mihi subditos, quod uolo, quanto magis te quiescente fiet, si quid simplici uerbo
 mandaris tuis. Hoc sermone, qui plenus erat & affectus erga seruum, & modestę opinio-
 nis de seipso, & admirabilis fiducię erga dominum, delectatus Iesus, substitit, & admiran-
 tis speciem prę se tulit: non quod illi nouum esset, quod audiret, quum nosset Centurio-
 nis animum, antequam hæc dicerentur: sed hoc agebat, ut admiratione sua Iudęis com-
 mendarer fiduciam erga deum, & eis incredulitatem ipsorum hominis ethnici & milita-
 ris exemplo exprobraret. Dilato itaq; responso, dominus se uertit ad turbas Iudęorum,
 qui comitabantur ipsum, & ait: Illud affirmo uobis pro certo, quod hæcenus nec in Israe-
 litica gente tantam fidem compererim. Minus enim credebant seniores, qui domini prę-
 sentiam flagitabant: qui suspicabantur eum non sanaturum ethnici seruum, nisi studium
 allegassent erga gentem Israeliticam, quasi dominus sua beneficia daret humanis affecti-
 bus, aut dignitati personę, ac non potius fiducię postulantis. Iesus itaq; quum affirmas-
 set illis, futurum ut ethnici & peccatores iuxta Iudęorum aestimationem, fidei commen-
 datione reciperentur in dignitatem generis Israelitici, reiectis his, qui quę natura essent
 illis. Abrahę per incredulitatem sese reddidissent indignos hoc generis autorem, ait Centu-
 rioni, qui tandem & ipse accesserat: Vade, nam quod credis posse fieri, factum est. Seruus
 tuus sanus est. Quum autem rediret domū, ex famulis obuijs cognouit, eodem tempore
 subito fuisse morbo liberatum, quo dominus dixerat: seruus tuus uiuit. Hęc nimirū
 facta imago gentiū, per fidem puram absq; Mosaicę legis obseruatione uenturarū in con-
 solum Euangelicę gratię, sed tamen quodammodo legis cōmendatione. Lex enim pe-
 dagogus erat ad Christū, & a Iudęis profecta est ad gentes Euangelij prædicatio. Vide-
 licet in huius rei typum seniores Iudęorum Centurionis causam cōmendant Iesu, eumq;
 ad domū illius adducunt, quem e suo templo erant profligaturi. Dominus autem quo la-
 tius spargeretur semen Euangelicę doctrinę, frequenter aliunde alio cōmigrabat. Itaque
 relicta Capernaum, accidit ut præteriret ciuitatem Naim. Ea duobus ferme passuum mili-
 bus abest a monte Thabor ad plagam australem, haud procul ab Endor. Huc euntem cō-
 mitati sunt discipuli, quorū iam magnus erat numerus, cumq; his copiosa turba promi-
 sę multitudinis. Quum autem dominus Iesus, non procul abesset a porta ciuitatis, ecce
 prout miraculi occasio: Effertur funus magna hominum frequentia. Erat enim flebile: pri-
 mum quod adolescens esset mortuus, & in ipso uitę flore uitę exemptus: deinde quod
 uiduę filius unicus perisset, quę mariti solatio orbata, totam uitę spem collocarat in fi-
 lio. Hęc igitur & lachrymis, & miserabilibus uocibus, quas impotens dolor solet sugges-
 tere, restabatur animi sui eruciātū. Viduę ploratus, & præmaturus adolescētis interitus
 protulit & reliquos, qui funus officij gratia comitabantur, ad lachrymas. Hoc specta-
 culum ubi uidisset clementissimus dominus Iesus, misertus est uiduę, seseq; illi, quę con-
 solatorē nō haberet, efficacem consolatorē præbuit, & uerbis & re opitulaturus. Mulier,
 inquit, noli flere. Hoc locutus accessit ad loculū, quo efferebatur defunctus, ac manu con-
 tigit. Ex ilico qui portabant funus restiterunt. Hic utraq; turba intentā in euentum, tum ea
 quę comitabatur uiduā, tum ea quę comitabatur dominū, Iesus uersus ad adolescentem
 exiit. Adolescens, inquit, tibi dico, surge. Ad hanc uocē ilico adolescēs, uelut excita-
 tus a somno, resedit in loculo: quocq; certius esset uitę redditę argumentū, cœpit loqui. Ser-
 monem etiam animi declarabat. Quumq; iam exilisset a loculo adolescens, ac Iesu ad-
 hęcens, per quem intelligebat sibi uitā esse restitutā, gratias ageret, dominus tradidit illū
 matri, ut uiuū domū reduceret, suis inambulantem pedibus, quem mortuū quatuor baiu-
 li extrulerat. Atq; ita quidem res iuxta historiā gesta est, non sine significatione doctrinę
 spiritualis. Vidua mater, ecclesię gerit imaginem. Nimirū hæc est illa uidua, quam cōsola-
 tur Esaias propheta, dicens: Lætare sterilis quę nō paris, exulta quę nō parturis, quoniā

Et factum est
deinceps

plures filij desertæ, quàm eius quæ habet uirū. Synagoga cōfidit in sponso suo Moſe. Iacet filios Abraham, pares numero arenæ, quæ est in littore maris. Ecclesia iuxta mundū uidetur destituta spōso, qui se subduxit in cœlū, ac primum uidebatur sterilis & absq; spe posteritatis, hoc agētibus Iudeis, & huius mūdi principibus, ut Iesū, quem extinctū putabāt, omnis memoria funditus tolleretur. Hæc uidua quotidie gignit nō filios huius seculi, sed filios lucis: nec Moſi gignit, q̄ terrena docet, sed Christo, qui docet & promittit cœlestia. Gignit autē non morti, sed immortalitati. Parturit autē quotidie foetus informes adhuc & imperfectos, donec hauriant spiritū euangelicū, & formetur in eis Christus. Vera mater est, & unice diligit filios suos, quos magna sollicitudine format & instituit, donec adoleſcant & corroborētur in uiros perfectos. Habet enim & pietas infantia suam, habet ætatis profectus. Quod si quādo contigerit aliquē ē filijs mori, plorat inconsolabiliter, nec aliter deflet q̄ si unicū illum habuisset quem perdidit. Innocētia quæ per fidem Euangelicā confertur, uita est, peccatū mors est. Videmus quāto affectu lugent matres corporea funera, sed multo tenerius ecclesia deflet hominē à baptismo relapsū ad culpā letalem, magisq; sollicita est de morte unius peccatoris, q̄ synagoga gaudet de nonaginta nouē iustis. Effertur ergo defunctus à quatuor baiulis, hoc est, huius mundi cupiditatibus, quæ spiritu sancto iam destitutū, iam sui sensu carentē, iam suis uitijs indormientē, deferunt ad sepulchrū æternæ desperationis. Habet autem ecclesia portas, per quas eijcit mortuos ne foetore cadaueris inficiantur & alij. Habet portas, per quas recipiat à domino reuocatos in uitā. Ve non parit in uitā, nisi de spiritu Christi: ita nō recipit ad uitam, nisi reuocāte Christo. Non consistūt baiuli donec peruenerint ad sepulchrū. Etenim qui semel cōquieuit in hoc mundo, qui semel sese permisit cupiditatib. noxijs, nō desinit infelici profectu semper in deteriora prolabi, donec uenerit in profundū malorum, ac traditus fuerit in reprobū sensum. Interim nihil aliud q̄ plorat mater, plorat & turba ciuiū, dolentes eijci mortuū, quem optant reuiuiscere. Hæc nimirū sunt uota matris ecclesiæ, hæ lachrymæ, hī gemitus piorū hominū de morte peccatoris dolentiū. Adoleſcēs perierat nondū confirmatus spiritu Euangelico, & hoc dignior misericordia, quod quem per spiritū Christi sperarāt profecturum ad culmen Euangelicæ pietatis, nunc uident exanimem, ac spiritu uacū per immitissimos baiulos efferri ad sepulchri latebras. Sed tamē interim comitatur mater, comitantur ciues (uix enim desperare potest charitas) lachrymis, gemitu, lamētis, declarāt quid optēt. Sed quod optāt, dare non possunt. Nec retinere ualent exanimem, nec excirare possunt mortuum. Homīnibus irreuocabiliſſe mortuus est. Sed bene res habet. Ad ecclesiæ suæ lachrymas occurrit Iesus. Felix semper est seruatoris occurſus, aspicit uiduā suā, semper felix clementis obtutus. Nondū respicit mortuū, qui quoniā sibi miser nō uidetur, nondū dignus uidebatur misericordia Iesu: sed impetrat affectus ecclesiæ, quod deploratus peccator nec optat. Iubet dominus sisti luctū, spem faciens succelluri gaudiij. Admouet manū. loculo, consistūt baiuli. Prima spes ad innocentia resipiscētis est, nō progredi in malis. Qui desinit esse peior, spem de se præbet, fore ut aliquādo fiat melior. Nec hoc contingit, nisi Iesus potenti manu sua dignetur contingere loculum. Illa finē imponit impijs cupiditatibus, ut cesset à malis qui prouehebatur ad sepulchrū. Orat quidem, obsecrat, hortatur, obiurgat ecclesia peccātes, ut resipiscāt, ut conquiescant à uitijs suis. Sed hæc omnia frustra, nisi Iesus arcana uirtute contingeret animū peccatoris mortuum. Iesus enim uita est omnium, etiā mortuorū. Bona spes est reditura uitæ, quum Iesus dignatur loculum contingere: sed nondū redit uitæ uigor, nisi mortuo loquatur dominus. Ad cuius unius uocem reuiuiscunt mortui, etiā si sepulti fuerint & quatruiduani: ne quis putaret ullos esse peccatores tam deploratos, de quorū salute desperare debeat ecclesiæ charitas. Lazarus elatus erat, sepultus erat, iam foetebat in sepulchro. Flebatur tamen interim, & ad Iesu uocantis uocē prodijt ē sepulchro. Maiore quidē negocio suscitatus est Lazarus: tum enim infremuit Iesus spiritu, lachrymatus est, ac turbauit se, non quod illi difficilius erat suscitare quatruiduo sepultum, quàm modo mortuū, sed ut ostenderet, q̄ difficile resipiscant, qui diu uitijs afflueuerūt. Aspexit Iesus uiduam, & desijt flere: aspiciet et mortuū, & incipiet uiuere. Versus est itaq; clementissimus dominus ad eum qui mortuus iacebat: Adoleſcēs, inquit, tibi dico surge. Non potest nō reuiuiscere quisquis audierit sermonē Iesu, etiā si mortuus fuerit. Nam quæ ille loquitur, spiritus sunt & uita. Quid consequutū est? Reuixit innocētiæ, qui

qui erat mortuus peccatis: erigit sese, qui prius iacebat sui carens sensu: & quod est certis-
 simum animi correcti documentum, incipit loqui, confitens peccata sua, gratias agēs cle-
 mentiae diuinæ. Redditur matri rediuiuus, & qui prius cum ingenti multorum luctu defe-
 rebatur ad sepulchrum, nūc maiore omnium gaudio domum reducitur. Habet enim hoc
 uera pietas, ut chariores etiam illos habeat, qui à magnis criminibus resipuerint ad stu-
 dium uitæ melioris. In his enim magis elucet diuina bonitas, quàm in his qui nunquā in
 aliquod crimen prolapsi sunt. Gaudet mater recepto filio. Gaudent qui funus ante luge-
 bant. Nec gaudent solum, uerum etiam omnes quotquot aderant huic spectaculo, timor
 quidam corripuit. Nam ideo palam malos & insanabiles uelut cadauera e suo contuber-
 nio eiecit ecclesia, quo multi unius exemplo formident peccare. Sed iidem laudibus ue-
 hunt misericordiam dei, cuius uirtute reuiuiscunt mortui. Dicebat enim populus ille, ui-
 so tam insigni miraculo: Propheta magnus inter nos exortus est, & respexit deus popu-
 lum suum. Nihil enim adhuc altius de Christo suspicabantur Iudæi, nisi quod propheta
 quispiam esset insignis. Creuit autem & hinc fama domini Iesu, rumore facti sparsa, non
 solum per uniuersam Iudæam, uerum per omnem undiq; finitimam Iordani regionem,
 in qua prius baptizauerat Ioannes, atque ipsum etiam Iesum. Porro quidam discipuli Io-
 annis subinuentes tanto successui rerum quæ gerebantur ab Iesu, ac nomini indies ma-
 gis ac magis inclarescenti, Ioannisq; de quo præclare sentiebant, gloriam uelut obscuran-
 ti, referunt ad illum in carcere uinctum omnia quæ dicebat ac faciebat Iesus. Ioannes igi-
 tur, ut huic affectui suorum mederetur, auocauit duos e discipulis suis ad se, eosq; misit ad
 Iesum, qui ex ipso sciscitarentur: Num tu es ille qui dicebatur uenturus, an alium expecta-
 mus: Ioannes iam toties testificatus fuerat de Christo, quem etiam digito demonstrando
 dixerat: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Nihil autem absurdius quàm puta-
 re, ut tantus propheta, iam morti uicinus, dubitare cœperit. Nec enim uinculis fuit alliga-
 tum illius de Christo testimonium, nec carceris tenebræ obscurabant illius de Christo iu-
 dicium. Agnouit in carcere, quem agnouerat in utero. Sed uir optimus ita iudicauit expe-
 dire, ut hac ratione suos discipulos Iesu, uelut in manum, traderet. Quum igitur discipuli
 retulissent totidem uerbis quæ mandarat Ioannes: Dominus Iesus primum illis non re-
 spondit, sed æditis coram illis multis miraculis, depulsis compluribus morbis, ac malis
 immedicabilibus, eiectis uerbo spiritibus immundis, reddito multis cæcis uisu, tandem
 respondit illis: Quid attinet me de meipso pronunciare qui sim? Nullum testimonium cer-
 tius, quàm factorum. Ite renunciate Ioanni quæ uidistis oculis, quæ audistis auribus; Cæ-
 ci uisum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui reuiuiscunt,
 pauperes & humiles amplectuntur lætum salutis nuncium, iuxta prophetiam Esaie quæ
 dicit: Ad euangelizandum pauperibus misit me. Ioannes prædicauit instare regnum cœ-
 lorum. Expendite uos an hæc, quæ uidetis, digna sint regno cœlorum. Beatus autem qui
 hæc, quæ ago ad salutem hominum, sibi non uerterit in occasionem offendiculi. Vt enim
 operum magnitudo nonnullis mouebit inuidiam, ita corporis huius infirmitas nonnul-
 lis erit offendiculo. Hoc dicto Iesus tacite taxauit inuidiam discipulorum Ioannis, simul
 subindicans futurum ut ignominia crucis, quæ maxime peragendum erat mysterium re-
 gni cœlorum, multos alienaret à doctrina Euangelica: felices autem futuros, qui nec in-
 uiderent gloriæ ipsius, nec mortis probro perturbati, resisterent doctrina salutifera. Quum
 autem abissent discipuli Ioannis, ei relaturi Iesu responsum, dominus cœpit apud turbam
 prædicare laudes illius, ne quid ex interrogatione discipulorum suspicarentur ipsum Io-
 annem uacillare: deq; suo ipsius testimonio, quod prius tulerat de Iesu, iam animo com-
 mutato subdubitare. Amolitur igitur ab eo suspicionem inconstantiae, & illius de se testi-
 monio fidem & pondus arrogat, sic extollens illius eximias uirtutes, ut tamen Messie ti-
 tulum non tribuat, quem aliquandiu quidam illi tribuere conabantur. Loquutus est au-
 tem hunc in modum: Si suspicamini, inquit, Ioannem pridem de me testificatum, nunc
 uacillanti esse animo: quid igitur olim sic relictis urbibus concurrebatis in loca deserta ad
 illius uiri spectaculum? an ut uideretis arundinem, quæ uento agitur, nec sibi constar?
 Sed agedum, quid tandem existis uisuri? num hominem mollibus uestitum, ut delicijs aut
 ambitione corrumpi potuerit? At hæc suspicio non cadit in hominē, qui pilis camelorum
 uestiebatur, qui pellicea zona strinxerat lumbos, qui locustis & aqua simplici uiscitabat,

quicq; hoc uictu sustentans uitam, frequēter etiā ieiunabat. Quibus placet uestitus splendidus, quibus cordi sunt ciborum deliciae, hi captant aulas regum. In hos, qui hæc affectant, fortasse cadere potest corruptæ sententiæ, inconstantia, aut assentationis suspicio. Sed Ioannes desertum prætulit aulis principum, pilos camelorum prætulit holoseris, & aureis ac gemmatis uestibus. Mel syluestre & locustas prætulit placentis regum, simplicem aquam prætulit mulso diuitum. Quā autem nesciat adulari Ioannes, satis clamat ipse carcer. Non est igitur quod quisquam suspicetur, illum prius ad gratiam cuiusquam de me tam magnifice testificatum, nunc uertisse sententiam. Sed tamen scire cupiam, quæ res uos euocauerit in desertum: an ut uideretis prophetam? Ille quidem se Messiam non esse palam confessus est. Ego tamē illud confirmo uobis, si ideo procurristis in desertum, ut uideretis prophetā, non estis frustrati uestra expectatione. Omnino prophetā uidistis, atq; etiā plus quā prophetā. Siquidē hic est ille, de quo iam olim uaticinatus est Esaias, quod esset Messia præcursor futurus. Ecce, inquit, mitto angelū meum ante faciē tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Siquidem prophetæ per ænigmata prædicabant quædam olim futura: hic aduenientem digito demonstrauit. Proinde qui magnifice sentiunt de Ioanne, recte sentiunt. Nam illud affirmo uobis, inter omnes quos habet hæc ætas, aut habuere priores, ē mulierib. prognatos, nullus exortus est propheta maior Ioāne. Abundē magnum est quod illi tribuo. Cæterum quod quidam illi tribuūt, nec ipse agnoscit. Est enim unus illo maior uirtute ac dignitate, qui tamen iuxta popularem existimationem minor est illo in regno dei. Illius austeritatem ac secessum mirantur, huius familiaritatem contemnunt. Illius dignitatem suspiciūt, huius inuident gloriā. Illius doctrinam amplexi sunt, huius calumniantur. Prædicauit ille baptismum in poenitentiam, instare enim regnum cœlorum, & audiit illius uocem rudis & humilis populus, audire publicani, milites, & meretrices, properantes ad baptismum Ioannis, confitentes se esse peccatores, & a peccatis suis ablui cupientes. Ita illustrarunt dei iustitiam, suam agnoscetes iniustitiam, quum nullus sit mundus à crimine, nisi solus deus, & amplectentes dei bonitatē, qui synœra fiducia ad se confugientibus promisit se condonaturum omnia commissā uitæ prioris. Contrā pharisæi, scribæ, & legis periti, dum pudet agnoscere suam iniquitatem, deum maluerunt mendacem facere, quā amplecti ueritatem: eoq; dedignati sunt baptizari ab Ioanne, in suam ipsorum perniciem, spernentes benignū dei consilium, qui hac facillima uia constituerat abolere peccata mortalium. Quid enim est facilius quā confiteri, & tingi? Non quod per Ioannem conferretur innocentia, sed quod ad hanc præpararet illius baptismus & prædicatio, quo plures ad salutem perducerentur eius prædicatione, cui Ioannes erat præcursor, si præparatos iam animos inueniret. Nihil horū temere gestum est, sed omnia diuina prouidentia dispensauit ad humani generis salutem. Et amplexi sunt dei beneficentiam idiote, humiles, & peccatores, qui uidebantur à uera pietate alienissimi, longe q; submoti à scientia legis. Rursus hi quos oportebat hæc maxime intelligere prophetarum oraculis promissa, quicq; uidebantur religionis columina, aspernati sunt oblatam dei benignitatem, nec Ioannis prædicatione, nec mea compuncti ad resipiscentiam. Hanc pertinacem maliciam illis exprobrans Iesus, adduxit huiusmodi similitudinem. Quid igitur dicam de huius generationis peruersæ hominibus, aut cui dicam eos esse simileis? Similes sunt pueris, quos uidemus confidentes in foro, qui per lusum sibi uicissim respondentes dicunt: Cecinimus uobis tibijs latus cantiones, nec estis prouocati ad saltandum: cecinimus uobis lugubria, nec plorastis. Hoc prouerbum à foro sumptum dominus Iesus accommodauit ad Iudæos obstinatos, qui nec Ioannis austeritate prouocati sint ad timorem uindictæ diuinæ, nec comitate beneficentiæ Christi excitati sint ad amorem. Venit enim, inquit, Ioannes Baptista singulari uitæ austeritate poenitentiam prædicans, & poenitentia præbens exemplum, neq; pane uescens, neq; uinum bibens, in deserto uiuens, cameli pilis uestitus, zona pellicea cinctus. His rebus adeo non estis commoti ad resipiscentiam, ut quod factum est ad emendandos uos, uerteritis in calumniam, dicentes: Caret sensu communi, dæmonium habet. Venit filius hominis diuersa ratione captans uos ad salutem, expositus ad congressum omnium, nihil præ se ferens nouæ austeritatis, nec minitans poenam, sed beneficijs omneis alliciens ad amorem, edens & bibens more cæterorum, uersans inter quoslibet, nec cibo uestitu ue differens à cæteris. Et

hu ius

latus ciuilitatem, qua prouocari debueratis ad meliora, uertitis in occasionem calumnie,
 dicentes: Ecce homo uorax, ac uini potor, amicus publicanorum & peccatorum. Sed
 nihil profecit hominum malicia aduersus sapientiæ diuinæ consilium: sic enim illustrata *Et iustificata*
 est dei iustitia apud omnes filios Euangelicæ sapientiæ deditos, posteaquam constitit, ni- *est sapientiæ*
 hil ommissum ad seruandum omnes homines: sed malos ac superbos aspernanteis dei mu-
 nus, suo merito reiectos ac damnatos esse: publicanos autē, meretrices, peccatores & eth-
 nicos iure admissos ad consortium salutis. Sic prædictum erat fore, & sic factum est: sic
 erat æquum fieri, & factum est. Qui se iactabant pios ac iustos, propter incredulitatem
 suam repudiati sunt ab Euangelicæ salutis munere. Contrā qui per credulitatem ac syn-
 cerum affectum irruerunt ad dominum, quamlibet profani, quamlibet abominabiles,
 quilibet inquinati peccatis, admissi sunt in consortium regni cœlorū. Et ecce consequutū *Rogabat autē*
 est quiddā, in quo res ipsa poneret ob oculos, quod dominus uerbis docuerat: de iustis re- *illum quidam*
 pellendis, & peccatoribus recipiendis. Pharisei præ cæteris cognitione legis, & sanctita-
 tis opinione turgabant. Ex his quidam rogauit dominum, ut apud se sumeret conuiuium.
 Nec dedignatus est id facere Iesus, qui nulli sui negabat copiā. Cum autem ingressus do-
 mum eius, iam accumberet, ecce mulier quædam, quæ in ea ciuitate erat nota peccatrix,
 simulatq; cognouit, quod clementissimus Iesus, qui nullum repellebat ab sese, qui malis
 omnium omnibus promptissime mederetur, illic adesset, sibi tota displicēs, sed ingenti fi-
 ducia de Iesu benignitate concepta irrupit in ædeis pharisei: ardor animi pudorem om-
 nem excusserat, quum non esset ignara, quanto fastu soleat pharisaicū genus auersari pec-
 catores, quum ipsi intus grauioribus maderent uitij. Attulit autem secum delitias suas,
 pristina uitæ, quam oderat, monumenta: omnia quibus ante male placuerat sibi ac mun-
 do, in Christū, cuius amore flagrabat, effusura. Attulit autem delicatū uasculum unguen-
 tum, quod ob leuorem, qui obstat quo minus apprehendi queat, alabastrum appellat.
 Erat autem unguentum eximium, magnoq; emptum. Olim autem qui uoluptatibus car-
 nis seruiebant, unguentis impendio delectabantur, præsertim in conuiuijs. Vide autem
 sanctam huius peccatricis improbitatem, non solum ausa est inuocata domū ingredi pha-
 risei, uerum etiam ingessit sese, ut erat ornata, cōuiuio. Quoniam autem lecti triclinij pro-
 cubant, quo minus coram sese prouolueret ad pedes Iesu, stetit à tergo, & quod licuit,
 cepit lachrymis rigare pedes illius, salubriter defœdans oculos, quos olim ad turpitu-
 dinem solita est stibio depingere: lachrymarum imbre lotos pedes, non aliquo linteo, sed
 capitis sui capillis extergebat, quos antehac consueuerat ad carnis uoluptatem ungere,
 tingere, comere, auro intertexere. Nec his contentus mirus peccatricis amor, lotis & ex-
 teris Iesu pedibus defigebat oscula: omnia quondam inhonestæ uoluptatis instrumenta
 uertens in obsequium illius qui solus est amādos. Habes imaginem peccatoris, per impro-
 bitatem ardoris & pertinaciam fidei irrumpentis in regnū cœlorū. Nunc ediuerso acci-
 petypum Iudæi, qui per arrogantiam & incredulitatem se reddit indignum oblata dei be-
 nignitate. Phariseus, qui Iesum ad conuiuium uocauerat, conspiciat hæc, quum fauere
 debuerit mulieri tanto affectu ingerenti, tanta modestia derijcienti sese, tot indicij testantū
 ut prioris pœnitudinē, quum amare debuerit Iesu mansuetudinem, nullum hominem
 abire repellentis: prouocatur ad utriusq; calumniā. Sic enim cogitabat intra sese: Hic si esset
 propheta, qualis habetur, nimirum non ignoraret, quæ & qualis esset mulier, quæ tangit
 eum. Est enim publica peccatrix, notæq; impudicitia. Quod si sciret, non sineret se polluti
 corporis contactu contaminari. Existimabat enim phariseus sanctos homines pollui, si
 peccatore uel colloquiū habuissent. Hic erat fastus falsæ iustitiæ, qua sibi placebant lu-
 daei displicētes. Iesus autē ut certiore argumento declararet se esse prophetā, ad tacitū
 pharisei cogitationē respondit: Simon, inquit, habeo quod tibi dicam. Tum ille, ma-
 gister dic. Iesus itaq; iam attento, ne proderet impiā illius cogitationem conuiuijs cæteris
 (nam uiris Euangelicis etiam ciuilitas debet esse curæ) proposuit huiusmodi parabolam.
 Duo quidam debebant eidem fœneratori, quorum alter debebat denarios quingētos, al-
 ter quinquaginta. Quum autē neuter esset soluendo, condonauit utriq; in solidum quod
 debebat. Vter igitur horum uehemētius amare debet creditorem tam liberalem? Simoni
 condum intelligens quorsum tenderet hæc parabola, simpliciter respondit: Mea sententia
 uehemētius amare debet is, cui plus condonatum est. Tum Iesus aperiēs, quid hoc enigma

proposuisset, ait Simoni: Recte iudicasti, sed interim inique iudiciū applicastuum. Moxq̄ uertit sese ad mulierem, ac loquutus est Simoni: Vides ne hanc mulierem, quam tu peccatricem uocas? Vides ne lachrymis oppletam, sparsis capillis, prodigam unguenti sui, prodigam osculorum suorum, prostratam, toto corporis habitu præ se ferentem poenitentis imaginem? Hæc argumenta sunt immensi cuiusdam amoris in me. Quo uehementius odit seipsam, hoc impēsius me diligit. Peccatrix uenit, sed sanata est ubi contigit medicū. Contemnis hanc ut peccatricem, ac tibi places ut iustus, sed huius peccatricis pietas longe uincit tuam iustitiam. Veni in domum tuam inuitatus ac rogatus conuiua, nec aquam dedisti pedibus meis, quod est uulgaris tamen humanitatis officiū: hæc autem lachrymis suis rigauit pedes meos, & capillis suis exterlit. Osculum mihi non dedisti, quod ex more dat etiam uulgaris amicus amico: hæc ex quo ingressa est, præ impotenti affectu non desijt osculari pedes meos. Ne uulgari quidem oleo unxisti caput meum, quod officiū uulgo præstatur conuiuiis quibuslibet: hæc pedes meos, id est abiectissimā mei partem precioso unguento perunxit. Noli perpendere quantū peccarit, sed considera quantū amet. Charitas enim operit multitudinem peccatorum. Nam illud affirmo tibi, quod illi remissa sunt multa peccata, non quia multum ieiunauit, non quia multum precata est, nō quia multas constitutiones pharisaicas obseruauit, sed quoniam dilexit multum, quoniam toto pectore confisa est mihi. Quo grauius peccauit, hoc sibi magis displicet, ac me cuius gratuita clementia liberata est à peccatis, uehementius amat. Ita feliciter illi cessit peccatorum magnitudo. Porro cui minus remittitur, minus diligit. Vos uobis iusti uideamini ob legis obseruationem, neque multum habere, quod uobis ignoscat deus, & ideo frigidius amatis condonantem. Hæc loquutus pharisæo dominus, ad mulierem ait: Remittuntur tibi peccata. Nihil illa precata fuerat, nihil confessa uerbis, sed euidentius confessa est factis, efficacius precata est lachrymis. Hæc est Christo gratissima confessio. Huiusmodi precibus facillime commouetur ad misericordiam. Felices lachrymæ, felix unguenti dispendium, felicia oscula, quæ uocem hanc extorquent à Iesu: Remittuntur tibi peccata. Non enim alia condonat, alia reseruat, sed semel condonat omnia, nihil omnino uitæ prioris imputans ex animo poenitenti. At nunc mihi uide pharisaicam sanctimoniam. Vera pietas perinde gratulatur commodis alienis ac suis. At pharisæi, qui simul accumbebant in conuiuio, Iesu clementiam inuidentes peccatrici, cœperūt tacitis apud se cogitationibus obmurmurare, dicentes: Quis est hic, qui tantum sibi sumit, ut autoritate sua etiam remittat peccata, quod nemo prophetarum, aut patriarcharum hæcenus usurpauit sibi? Ne sacerdotes quidem aliud sibi uindicant, quàm orare pro peccatis populi. Iesus autem cognitis illorum cogitationibus, quo magis confirmaret animum mulieris, ac pro mœstata tam domum remitteret, ait illi: Fiducia erga me tua te saluam fecit, uade in pace. Pharisei sibi persuaferant, holocaustis, ac lotionibus condonari peccata. Et habebāt quidem illa figuram rerum spiritualium. Verum dominus Iesus ostendit illis, per fidem Euangelicam semel omnia peccata condonari resipiscētib. Atq̄ in his quæ narrauimus adumbrata est imago quædam utriusque populi, Iudæorum ac gentium, quorum alter inuitauit ad se Christum, multis seculis clamitans: Veni domine, noli tardare. Verum ubi uenit, nec ipsi receperunt illum sicut oportuit, freti persuasione falsa sanctimonie ex legis obseruatione concepta, & alijs salutem oblatā amplecti uolentibus obstreperunt. Dum enim conantur suam stabilire iustitiam ex oblatione rerum corporalium, iustitiæ dei, quæ per fidem gratis datur, non fuere subiecti. At gentium populus, ad quem non uenerat Iesus, quum esset præter idololatriam omni uitiorum generi deditus, nec ullam haberet fiduciam ex operibus legis, quam nesciebat: ubi cognouit de Iesu, uelut irrupit ad eum, ac fidei simplicitate promeruit remissionem omnium flagitiorum, ac dei donum quod Iudæi uel spreuerunt, uel frigide amplexi sunt, studijs ardētissimis exosculatus est. Quamquam omnibus in genere propositū est exemplum poenitentiæ in hac muliere, quencunq̄ sui pigere cœperit, ne se conuertat ad Moysen, aut pharisæos, nec ad philosophos, tantum properet ad Iesum. Nullus eo clementior, nullus ad ignoscēdum propensior. In hunc effundat quod prius prodigere solitus est in impias uoluptates. Huius obsequio consecret omnia membra, quæ prius seruiebāt foedis cupiditatibus. Contactus illius auferet omnia peccata. Si non licet contingere caput, apprehendat pedes. Nulla pars Iesu tam humilis est

et quin sanet à peccatis. Sanata est à profluuiò sanguinis, quæ simbriâ modo uestis con-
 uerat. Sibi patitur imputari, quicquid officij fuerit impensum proximis, etiam infimis.
 Agnoscet beneficium quod membris ipsius impensum fuerit. Ne consideret igitur pec-
 cator, quantum admiserit, ne subducatur rationem benefactorum suorum, quasi cum Iesu
 peria facturus, quemadmodum faciebant pharisæi: tantum ex animo sibi displiceat, de Ie-
 su toto pectore cõfidat. Incipiat odisse quod male amarat, incipiat amare quod impie ne-
 glexerat. Fides impetrabit à clementissimo domino, quod merita sperare non poterant.
 Atq; hic interim optime Theophile mihi considera triplicem in hoc conuiuio personam, pec-
 catricis, pharisæi, & iudicis. Iudex solus est uere purus ab omni uitiorum inquinamento;
 imò fons ipse puritatis omnis. Peccatrix nihil aliud quàm lachrymat, rigat, extergit, oscu-
 latur, ungit. Agnoscis officia charitatis in proximū. Phariseus Iudaica iustitia tumidus,
 calumniatur seruatoris benignitatem, fastidit peccatricem, atq; etiam inuidet, ipse grauio-
 ribus malis obnoxius. Talis est ferè iustitię persuasio, quæ nascitur ex uestitu, ex ciborum
 delectu, ex discretionem dierum, ex lotionibus corporis & uasorum, ex prolixis precibus,
 et similibus rebus, quæ speciem pietatis habent apud homines, quum in his non sit sita
 pietas Euangelica. Huiusmodi rebus qui confidunt, & sibi stulte placere solent, & proxi-
 mos fastidire, & inuidere, & Iesu gratuitam bonitatem calumniari. Quid enim, si mulier
 illa contigisset pharisæum, quo fastu reiecisset, quibus lauacris semet ab eius contagio ex-
 pisset? Sic aspernantur peccatricem miserabilem, qui ipsi liuore, fastu, & calumniandi mor-
 bo laborant, hoc insanabiliores, quod sibi non uidentur agroti. Nam plerumq; fit ut ab
 insignibus & apertis uitijis citius resipiscant homines, quàm ab eiusmodi quæ se tegunt spe-
 cie sanctimonie. Adulterij, temulentum, luxu perditum, idololatram, militem citius con-
 uertit ad bonam mentem, quàm pharisæum, inuidum, sibi placentem, obrectatorē, dissu-
 mulatorem. Iam qualis est conuiuator, tales sunt & conuiuæ pharisæi. Quis est, inquiunt,
 Iesus, qui peccata remittit? At iudex, qui solus nouerat omnium corda, qui solus sibi pote-
 rat sanctimoniam supercilium sumere, pharisæi superbiam ciuilitate corrigit, peccatri-
 ci patrociniatur, confitentem absoluit & consolatur. Pastoris igitur euangelici fuerit, exem-
 plum pharisæi fugere, & in recipiendis peccatoribus Iesu mansuetudinem imitari.

CAPUT VIII

Inta autem erat Iesu benignitas erga peccatores, quantumlibet humiles, ut
 non solum unam hanc admiserit ad contactum pedum, uerumetiam aliquot
 secum circumduceret unam cum apostolis suis, ac se, suosq; harum liberalitate
 ac ministerio subleuari pateretur. Etenim quum Iesus, per omnia comitanti-
 bus duodecim discipulis, quo latius spargeretur sementis Euangelicæ doctrinæ, subinde
 iterum mutaret, perambulans per singulas ciuitates ac uicos, ne quid deesset rerum necessa-
 riarum assidue uagis, & uni negotio intentis, comitabantur Iesum & mulieres aliquot,
 quæ uel liberauerat à spiritibus immundis, uel à morbis sanarat. Inter has erat Maria, cui *Simulq; mulie-
res aliquot*
 cognomen Magdalene, e qua dominus profligarat demonia septem: præterea Ioana uxor
 Chana, qui erat procurator Herodis, ex aulica facta Christi discipula, & Susanna aliaq;
 complures, quæ memores accepti beneficii, qua poterant iunabant rem Euangelicam, Iesu
 & discipulis ministrantes de facultatibus suis. Christus enim pauperes delegerat apo-
 stolos pauper ipse, nec poterat ubiq; paratus esse commeatus subinde sedem mutantibus,
 & aliunde alio proficiscentibus. Conueniebat autem illi tempori, ut per humiles, tenues,
 & idiotas Euangelicæ philosophiæ primordia iacerentur. Caterum Paulus, cuius ego
 socior fui, maluit laborare manibus, quàm ex alieno uiuere. Multo magis quibus res
 suppet domi, & idonei sunt euangelio prædicando, debent gratis quod habent impartiri
 ministrantibus. Et tamē æquum esse docuit, ut qui seminarent cibum animi spiritualem, ab his,
 quibus laborarent, subsidio rerum corporalium, quoties opus esset subleuarentur. Sed ut
 hanc liberalitatem Christus doceret, esse oportere non extortam, sed ultroneam, admisit
 quidem in comitatum suum mulieres aliquot, sed ultro sequentes. Caterum nec accersiu-
 it nec à quoq; aliquid petisse legitur, quo magis pudefaceret illorum impudentiam, qui
 quum non laborent Euangelio, tamen Euangelij nomine extorquent ab inuitis, non solū
 quod satis est ad necessitatem, uerumetiam quod superat ad luxum. Nusquā autem deficiet
 honorū spontanea liberalitas eum, qui syncero animo totus est in Euangelico negotio. Ie-
 sus

sus autē ut quoslibet admisit ad iuuandam rem Euangelicā, ita nec matrē, nec fratres suos
 admittere solebat ad impediendū Euangelij successum. Quodā autem die quum affluēte
 multitudine domo egressus sese contulisset ad lacū, atq; ibi sedēs in littore doceret popu-
 lum, tanta uis hominum ex uicinis undiq; ciuitatibus concurrebat ad audiendum eū,
 ut condensantibus se turbis coactus sit ingredi nauim, atq; hinc uelut ē cathedra docebat
 promiscuam multitudinem, multa illi loquēs per inuolucra similitudinum, quo magis ex-
 citaret in illis discendi studium, & altius insideret animo quod ænigmate fuisset infixum.
 Primum itaque similitudinem proposuit, quæ moneret omnes; ut auidis animis accipe-
 rent sermonem Euangelicum, nec satis haberent audisse, nisi quod didicissent, conferrent
 ad usum pietatis. Egressus est, inquit, seminator quidam, ut faceret sementem suam. Ac-
 dum ille nusquam non iacit semen suum, cupiens prouentum uberrimum, non æque feli-
 ci solo excepta sunt semina; nam aliud iactum cecidit iuxta uiam publicam, id partim con-
 culcatum est pedibus uiatorum, & contritum est: reliquum, quoniam non opertum erat
 terra, uolucres cœli comederunt. Rursus aliud incidit in solum petricosum, & exceptum
 tenui superficie terræ, quæ tegebat petram, enatum quidem est, sed quoniam non suberat
 terra quæ suppedicaret humorem ad iustam maturitatem, mox exortum ad solis ardo-
 rem exaruit, & in prima statim herba periit. Rursus aliud incidit in spinas, & enatū qui-
 dem est, sed simul exorta spinæ quoniam & celerius proueniunt, & densius atque altius
 sese spargunt, factum est ut suffocaretur herba boni seminis, ne liceret in auram liberio-
 rem emergere. Nec omnia tamen infelicitate cadebant. Erat quod incideret in terram bo-
 nam, & enatum reddidit fructum centuplum. Hæc loquutus dominus, quoniam scie-
 bat non ab omnibus intelligi quod dixerat, uolens tamen eos in posterum meminisse pa-
 rabolæ quæ pertineret ad salutem omnium, clamabat dicens: Qui habet aures, idoneas ad
 audiendū Euangelicam sapientiam, audiat hæc quæ dixi. Non enim poscunt crassum aut
 oscitantem auditorem. Ad uestrum unumquēq; pertinent. Sunt qui similes statuis habēt
 aures, sed non audiunt, aurij ad pharisaicas, constitutiunculas, surdi ad doctrinam ueræ
 pietatis. Discipuli autem, qui erant proximi Iesu, rogabant ut explicaret ænigma parabo-
 læ, quibus ait: Vobis tanquam domesticis amicis datum est nosse mysterium regni dei.
 Habent aulæ regum arcana sua quæ cælantur plebeis, & ab aulæ consortio alienis. Habet
 & Euangelij regnum sua secreta, non temere cuius proferenda, sed ita proponēda, ut ab
 ijs tantum cernantur, qui sunt aulæ domestici: cæteris inuoluta parabolis, ut qui indigni
 sunt, uidentes non uideant, & audientes non intelligant. Est autem hic parabolæ sensus ar-
 canus. Seminator est filius hominis; solum, est cor hominis; semen, est sermo Euangelicus.
 Non est semen terrenum, sed cœleste, nec ab homine profectum, sed à deo, & ideo uoca-
 tus sermo dei. Hoc semen nusquam non spargit filius hominis: sed Satanæ malicia & ho-
 minū uitio fit, ut in paucis feliciter proueniat. Semen enim quod cecidit iuxta uiam, eos
 signat, qui leuiter & oscitanter audiunt sermonem dei, ac mox priusquam insidat animis
 illorū, uenit diabolus, & immixtis dispersis cogitationibus tollit ex animis illorū quod au-
 dierant, uidelicet inuidens illorum saluti, & impijs suggestionibus obfistens ne salutem
 assequantur. Quemadmodum enim filius hominis nihil non agit ut peccatores adducat
 ad salutem: ita ille nihil intentatum relinquit, ut quoscūq; potest pertrahat in exitium. Hic
 igitur post iactum semen sermonis euangelici, subito aduolans sublegit priusquam inhe-
 rescant animo, ut nihil iam referat audisse. Porro semen exceptum in terra petricosa notat
 eos, qui sermonem auditū cum gaudio excipiūt, & recondunt in animū suum, sic ut uelut
 enata herba spem aliquā pietatis de se præbeāt rebus quibusdam extrarijs. Verum quo-
 niam quod audierūt non penitus defixū est, ac ueluti radices egit in intimos affectus eorū,
 ad tempus obtemperant sermoni diuino, uerum ad exortam malorum procellam desi-
 ciūt, deferentes bene coepta. Facile est enim rebus prosperis seruare doctrinam euangeli-
 cam, cæterū nisi penitus imbiberis affectū ueræ pietatis, ubi res aduersæ robur illud de-
 derāt Euangelici pectoris, tum euanescit illa tēporaria sanctimonie species. Iam semē quod
 incidit in spinas, notat istos, qui postq̃ acceperūt semē sermonis euangelici, nullū inde fru-
 ctum referunt ueræ pietatis, propterea q̃ affectus ille uitæ melioris, sollicitudinibus hui-
 mūdij, diuitijs ac uoluptatibus uitę presentis suffocat & obruit. Porro semē iactū in ter-
 bonā, notat eos q̃ corde sincero, attēto, ac uacuo accipiūt sermonē salutiferū, & accep-
 recondunt

recondunt memoriae, ac penitus in intimos demittunt affectus, sic ut nullo malorum incursum possint dimoueri à semel coepto studio pietatis. Hanc itaque parabolam Iesus dignatus est suis discipulis priuatim explanare: partim, ut ipsi discerent in ceteris ite parabolis sensum reconditiorem pia curiositate inquirere: partim ut quod tum priuatim audiebant, post, suo tempore palam omnibus predicarent. Siquidem intelligentia sacrae doctrinae lumen est, hoc qui impartit, non ideo impartit ut seruetur absconditum, sed ut multis prae luceat. Nemo, inquit, accendit lucernam, & accensam operit uase, aut sub lectum reponit, sed im-
 ponit candelabro, ut qui domum intrant uideant lumen. Nihil enim nunc priuatim, aut
 parabolis inuolutum traditur uobis, quod post non sit manifestandum toti mundo: neque
 quicquam est nunc tam obscurum & abstrusum ab intelligentia rudium, quod progressu
 temporis non sit per uos eruendum, & in omnium noticiam proferendum. Vobis igitur
 uidendum est etiam atque etiam, ut quod auditis, magna sollicitudine infigatis animis ue-
 stris, ne quid excidat aut pereat. Qui autem accipit intelligentiam mystici sermonis, ac ue-
 luti thesaurum diligenter reponit in animo, dignum se declarat cui plura committantur,
 quandoquidem quod datur haud indiligenter seruat. Siquidem habenti dabitur, qui uero
 sua negligentia perdidit quod habebat, ei non solum nihil addetur, uerum etiam hoc ipsum
 quod habere uidebatur, auferetur ab eo, quoniam negligenter habebat thesaurum euan-
 gelicum, quo quanto ditior es, tanto magis cupis ditescere. Atque his de rebus multas al-
 las parabolas dominus Iesus proposuit populo, quas omnes seorsum exposuit discipu-
 lis suis. Vt autem declararet dominus, quam preciosa res sit euangelica doctrina, quantaque
 cura & sollicitudine tradenda simul & accipienda, accidit die quodam ut Iesu docente po-
 pulus, uenirent mater & fratres ipsius, cupientes illum conuenire de rebus aliquibus fa-
 miliariis, nec patebat aditus obstante densitate multitudinis: itaque per alios nunciatum
 est matri ac fratres stare pro foribus, qui cuperent ipsum conuenire. Iesus autem ut
 doceret sermonem Euangelicum rem esse preciosiorem quam ut oporteret ob ullos affectus
 humanos, aut curam rerum domesticarum interrumpi, respondit his qui nuntiabant: Ma-
 tris, & fratres mei sunt hi, qui audiunt sermonem dei, & faciunt: docens non agnoscen-
 dam cognationem carnis quoties animorum salutem consulitur. Quin & illud dominus uo-
 luit rebus ipsis suis docere, in omnibus tumultibus, quibus hic mundus cooriturus sit ad
 ueniens profectum euangelicum, non oportere, nec despondere animum, nec suis quenkum-
 que uisum credere, sed ab ipsius auxilio pendere, nec huius opem in ullis periculis defuturam,
 si modo nos non deficiat fiducia, si precibus ex animo fuis illius praesidium imploremus.
 Euenit igitur die quodam ut Iesus, quum toto die docuisset populum, ingressus nauim cum
 discipulis suberet transmittere in alterum littus, iam appetente nocte. Porro inter nauigan-
 dum obdormiit Iesus, atque interim exorta uenti procella sic commouit lacum, ut undis in-
 nauim inuentibus discipuli periclitarentur. Timētes igitur adeunt Iesum, & excitant di-
 centes: Praceptor, tu dormis, & nos perimus. At ille surgens increpauit uentum, & aquae
 motum, iussitque coquiescere. Et agnouerunt elementa dominum suum. Mox ad iussum eius
 conuersa est tranquillitas magna. Quo facto, uersus ad discipulos, obiurgans eos, quod
 ipso praesente tam anxie trepidassent, quum toties audissent nihil illis obfuturum, si modo
 fidu- erga se certam ac perpetuam obtinerent, dixit: Vbi nam est illa uestra fiducia? Ni-
 mirum illius defectus excitauit hos tumultus. Porro qui uehebantur nauim, uidētes ad in-
 ceptum nocem subito conquiesuisse totam tempestatē, ac perspicientes in eo nescio quid
 hominis inausum, correpti sunt timore, simul & admiratione, dicētes: Quis nā est iste? Quā-
 doquidem non solum spiritibus, praecipit ut exeant, uerum etiam inanimis ac surdis elementis, mari
 ac uentis imperat, & obediunt iussis illius. Quoties igitur continget & nos periclitari, quo-
 ties in uestris animis obdormierit Iesus, uellicemus eum pijs uotis, experget faciamus eum assu-
 pto somno, & ilico tempestas uerteretur in tranquillitatem. Malus uentus est ambitio: per-
 uicax turbo est iracundia & odium: horribiles undae sunt malae cupiditates, subuersu-
 re symbola mentis nostrae, sed excitandus dominus, ut his motibus imperet & cessabit tempe-
 sta. Reddita igitur tranquillitate, enauigarunt in terram Gerazenorum, quae est e regione Ga-
 laz pars Arabiae inferioris. Cum autem egressus esset in terram, occurrit illi uir quidam, mul-
 tum tempore obnoxius fauissimo daemoni, adeo ut nec uestiri posset, nec domi uincul-
 lulis contineri: sed uagabatur in monumentis mortuorum, ac frequenter insiliebat in
 praterun-

Nemo uero cū
lucernam

Venerunt autē
ad illum

Factum est autē
tem in una die
rum

Et nauigauerunt
ad re-

prætereuntes. Is quum ad strepitum appellentiū hospitum procurrisset, suo bono uidit Iesum. Iesus enim misertus hominis, imperabat impio spiritui ut exiret ab homine. Porro qui tenebatur à demonio procidit ad genua Iesu. Attraxerat enim illum uis quedā occultæ diuinæ uirtutis. Spiritus autē impurus uociferabatur per os miseri: Quid mihi tecū est Iesu fili dei altissimi? Obsecro te ne me torqueas. Urgebat enim illum iussio domini, ut relinqueret hominē, quem diu uexauerat. Frequenter corripiebat illum, ac miseris modis discruciabat tanta sæuitiā, ut disruptis compedibus, catenis, & uinculis omnibus, à demonio ageretur per loca deserta. Inuitus itaq; spiritus ille relinquebat suā ueterem possessionem: quin & illud metuebat, iam adesse diē quo forent æternis supplicijs addicēdi, malorum omnium, quibus hic affligunt homines, pœnas daturi. Has preces nō extorserat malefactorū pœnitentia, sed supplicij metus. Iesus autē, quo notior esset omnib. miraculimagnitudo, interrogabat impium spiritū, quod esset ipsi nomē. Ille respōdit: Legio: nimirum militari uocabulo significans, nō ab uno dæmonio teneri hominē, sed innumera dæmonum multitudine. Nullum enim magnū peccatum est sine magna uitiorum caterua. Sed nullus est animi morbus tam saeuus, nulla tanta criminū multitudo, quin cedat ad iussū domini Iesu. Id iam metuentes omnes, orant ut si uitari nō possit, quin ejicerentur, saltē ne iuberētur abire in abyssum tartari, quem locū sciunt sibi destinātū in extremo die. Pascebat autem haud procul ab eo loco grex numerosus porcorū in monte quodā, qui lacui imminebat, ut uel hinc intelligamus eam regionem fuisse ethnicā & impietati deditam. Si quidem Iudæi non uescebātur carne suilla. Dæmones autē rogabant, ut permissu domini liceret immigrare in porcos illos. Tanta erat nocendi libido impijs spiritibus. Iesus autē, quo miraculum esset euidētius ac formidabilius, permisit quod rogabāt. Mox dæmonia relicto homine demigrarunt in porcos. Et ilico totus grex impetu delatus est per præceps in lacum, atq; ibi suffocatus interiit. Id ubi conspexere subulci, territi fugiunt in ciuitates & uicos, ac renunciant quod factum est. Illi uix credentes quod narrabāt pastores, egressi sunt ut uiderent rei tam incredibilis argumenta. Vident autem perisse gregem paulo ante numerosissimum. Et reperiūt hominē qui prius tenebatur à dæmonijs, & ob insignem sæuitiam notus erat omnibus, iam placidum ac sanę mentis, uestitum, sedentem ad pedes Iesu. Erat enim subito factus ex hospite dæmonum discipulus Iesu, & qui prius ab impijs spiritibus agebatur ad omne facinus, nunc placido mitiq; spiritu clemētissimi domini formatur ad omne studium pietatis. Porro qui adfuerant, quiq; oculis suis uiderant hominē prius dæmoniacum, & audierant legionem esse dæmonum, mox sanatum, narrabāt ceteris quid accidisset. Itaq; corripuit omneis timor quidā, quum glorificare potius oporteret deum, & amplecti potentiam eius, qui misero deploratissimo restituit sanīratem. Cupiūt igitur abire Iesum, metuentes illius potentiā, sed ignorantes bonitatē, ac magis mouentur iactura porcorum, quàm hominis restituti salute. Non audent tamen ejicere, sed rogant publicis precibus Geraseni, ut decederet ē finibus ipsorum. Tantus timor omneis occurrat. Iesus autem, ne proijceret sanctum canibus, reuersus est ad nauim. Cæterum is qui liberatus erat à dæmonijs, orabat Iesum ut liceret eise in illius comitatu, cui salutem debebat. Iesus autem id non permisit: sed redi, inquit, in domum tuam, ut te narrante, teq; conspecto, certo cognoscant omnes, qualis ante fueris, & qualis iam sis dei beneficio. Merencusant hospitem tuī, saltem tu testis esto apud illos, quàm sibi inuiderint me ejicientes. Paruit homo iussis domini, ac profectus in Decapolim, perq; omnes ciuitates prædicabat apud omneis, quantum beneficiorum accepisset ab Iesu. Erat hoc aliquod rudimentum Euangelicæ prædicationis apud homines crassos & impios, ac porcis illis, in quos demigrarunt dæmonia, simillimos. Nec inanis fuit omnino dæmoniaci prædicatio, credere multi, & admirati sunt. Hac nimirum imagine docuit nos dominus Iesus, nullis quamlibet impijs non esse offerendam Euangelij gratiam, inuitis tamen & aspernantibus non esse obtrudendam, sed rursus ita discedendum ab illis, ut scintillam aliquam relinqueremus ueræ pietatis, olim fortassis per occasionem emicaturam. Reuectus est itaq; Iesus unde uenerat, uidelicet in Galilæam, ubi iam celebris erat, & admirandus omnibus. Redentem igitur excepit ingens hominum multitudo, quæ magnis desiderijs expectarat Iesum reditū à Gerazenis: & ecce rursus occasio quæ declararet quàm Iesus esset expositus omnibus ad subueniendum, diuitibus simul ac pauperibus, bonis ac malis, quantoq; minushaberen

Factum est autem cum redisset

haberent fiducia, qui apud Iudæos uidebantur esse religionis proceres, quàm hi, qui in plebe habebantur contemptissimi. Adijt enim Iesum quidam ex proceribus synagoga, nomine Iairus, cui filia erat domi puella, annos nata plus minus duodecim, ea iam agebat animam. Accidit igitur ad pedes Iesu, rogans dignaretur adire domum suam, ac subuenire filiae morienti. Sic uocari solet medicus: ueni, experire quid possis. Quanto plenior fiducia Centurionis, qui negauit esse opus praesentia corporis, sed simplici dicto Iesum sanare posse, quem uellet. Morem gessit Iairo Iesus, properans ad ædeis illius. Ecce autem inter eundem, condensantibus undiq; sese turbis (tanta erat uidendi audiendiq; sitis omnibus) comprimebatur Iesus. In conferam turbam ingesserat se mulier quædam, quæ iam annis duodecim laborarat fædo & abominabili morbo, profluuiò sanguinis, & amore sanitatis omnem substantiam suam erogarat in medicos, semper meliora pollicentes: sed nihil opis attulerant, nisi quod morbo addiderant aliud malum, paupertatem. Ibi prudens mulier destituta auxilio hominum, confugit ad opem diuinam, mira cõcepta fiducia de Iesu, si quicquam possit illius contingere, fore ut sanaretur. Pudor autem obstitit, quo minus prodiret illi in conspectum, ac morbum pudendum aperiret, sed ueluti suffurari cupiens ab eo salutis beneficium, adrepit à tergo, & attigit extremam oram uestis illius, quæ in cõpressu multitudinis huc & huc trahebatur. Nec mora, protinus sensit abisse morbum, ac cessit profluuiũ sanguinis. Iesus autem nequaquam inuidens mulierculæ salutem, sed archisynagogo ceterisq; Iudæis uolens exhibere formam absolutæ fiduciæ, dixit: Quis me tetigit? Quum ceteri qui aderant uicini, negarent se tetigisse eum: Petrus ceteriq; discipuli, qui Iesu proxime hrebant, dicebant: Preceptor, undiq; premitte & afflicta hominum confertissima frequentia, & perinde quasi unus aut alter adsit, rogas quis te contigerit? Iesus autem subindicans se non de uulgarì contactu loqui, de quo sentiebant discipuli, respondit: Aliquis non uulgarì more me tetigit, sibi conscius est, quisquis ille fuit. Nam ipse quoque ad contactum sensi uirtutem à me profectam ad eum, qui me tetigit. Quum nemo responderet, & Iesus circumferret oculos, quasi quæritans quis esset, qui beneficium hoc suffurari uellet: mulier intelligens non latere Iesum, quod furtim fecerat, multo cum tremore prodijt in conspectũ Iesu, & accidēs ad pedes eius, professã est coram uniuerso populo, quam ob causam contigisset eum, & quemadmodum ilico sanata sit à morbo, quò duodecim annos laborauerat, frustra sudantibus medicis. Hanc confessionem extorsit clementissimus dominus, nō ut mulierculam traderet, sed ut ostenderet Iudæis, quantum possit certa fiducia. Iesus autem consolans mulierem trepidam, & obiurgationem expectantem, ait: Filia, fiducia tua tibi promeruit salutem. Vade in pace, sitq; tibi hoc meum beneficium perpetuum. Hoc dicto tetigit pharisæos & scribas, qui plus spei reponebant in suis operibus, quàm in bonitate dei. Nondum finierat hæc uerba dominus Iesus, dum accurrunt quidam ex ædibus Archisynagogi, qui dixit illi: Noli molestus esse domino, frustra uenturo, filia tua iam mortua est. Qui hoc nuntiabat, nihilo magnificentius sentiebat de Iesu, q̃ de medico quopiam eximio, qui possit agrotanti succurrere, mortuã excitare non possit. Ad hunc nuncium quum Iesus uideret exanimatum Iairum, consolatus est eum, dicens: Ne metue, tantum confide, & salua erit puella. Vbi uentum est ad domum archisynagogi, Iesus non est passus e turba quenquam ingredi secum, præter Petrũ, Iacobum, Ioãnem, cumq; his patrẽ & matrem puellæ. Ingressus reperit domum plenã luctus. Flebant enim omnes amici & cognati defunctam, quod officium etiã ambitione solet exhiberi diuinis uita defunctis. Adhibent enim qui lamententur, qui canant lugubria, qui planctu testentur dolorem. Hanc pompã omnem cohibuit Iesus, dicens: nolite flere. Non enim est mortua puella, sed dormit. At illi deridebant eum, scientes certo puellã esse mortuam. Iesus aut cum paucis ingressus in conclaue, ubi iacebat exanime cadauer puellæ, uelut citaturus dormientẽ: arripit manũ eius, ac uoce clariore dixit illi: Puella surge. Quid cõsequutum est? Nemo facilius expergiscitur ad uocẽ excitantis, quàm illa reuixit ad uocem appellantis. Non enim solũ redijt anima in domicilium unde fuerat egressa, uerũ etiam ut lacris uegera q̃ surrexit & ambulabat. Iesus autem, quo certius esset uitæ restitutæ documẽtum, iussit illi dari cibum. Quo uiso, uehementer obstupere parentes puellæ. Iesus aut edixit illis, ne cui dicerent quod accidisset, quasi cupiens hoc miraculũ paucis esse cognitum: siue quo nos doceret, non esse uenandã ab hominibus benefactorum gloriã:

*Et mulier quæ
erat obnoxia
profluuiò*

sive ut hac figura significaret, in leuioribus erratis sufficere secretam correctionem. Puel/ la enim mortua, designat hominem per imbecillitatem collapsum in culpam. Mors ad/ huc erat recens, cadaver nondum prodierat in publicum. Itaq; exclusa turba, res paucis testibus peracta est. Felices autem quos comprehendere dignatur Iesus:

CAPVT IX

Et misit illos
ut pradicarent



Tq; haecenus quidem Iesus per se gessit Euangelij negocium, duodecim apo/ stolos interim uarijs modis formans atq; instituens, uelut post acceptum spi/ ritum sanctum in pradicandi munus successuros. Eoq; factorum ac sermo/ rum suorum perpetuos testes esse uoluit. Verum ut interim ipsi quoq; speci/ men aliquod sui darent in tanti muneris functionem, & uiuo adhuc domino sui periculum facerent: conuocauit eos omnes in unum, ne quid in pradicacione discorda/ rent. Ne uero pradicatio humilium & idiotarum omnino careret autoritate, addidit illis uirtutem ac potestatem ejiciendi omne daemone/ rum genus, & omne morborum genus sa/ nandi. Congruebat enim, ut qui regnum dei pradicarent, haberent ius in impios damo/ nes, hostes dei, & qui pradicarent eam doctrinam, qua sanaret omnes morbos animo/ rum, uirtutem haberent sanandi morbos corporum: simulq; decebat, ut ad Euangelij pro/ fessionem homines beneficijs potius, q; terroribus allicerentur. Ad meum, inquit, exem/ plum libenter & gratis uestra potestate subuenite morbis & calamitatibus omnium: ne/ synceritatē Euangelicae pradicacionis aliqua quaestus suspicione uitietis. Praescripsit au/ tem, quid oporteret illos docere. Nec enim mandauit illis, ut docerent legis ceremonias, mox abolendas: non humanas constitutiunculas, cuiusmodi docere solent scribae & pha/ risaei, circumeuntes mare & aridam, ut facerent unicū profelytum: sed ut docerent adesse regnum dei, quod iam non in rebus corporalibus situm esset, sed in spiritu & uirtute. Hec satis erat tum pradicare rudibus, ad praeparandum animos hominum doctrine sublimio/ ri. Ne uero remoraretur illos ab Euangelij negotio sollicitudo rerum ad uitam corporis necessariorum, ait illis: Ne quid impedimentorum tuleritis uobiscum in uiam, neq; bacu/ lum ad defensionem, neq; peram reponendo commeatui, neq; zonam reponendis num/ mis, neq; binas tunicas: certi nihil horum uobis usquam defuturum, si synceris animis iuxta meum iussu curaueritis euangelij profectum. Nusquam enim non erunt, quorum ultronea benignitas suppeditet, quod in diem uiuentibus, & paulo contentis satis sit. Nec est quod de hospitio sitis solliciti. Vbicunq; cognoueritis esse dignos regno dei, ad illos di/ uertite, ne subinde aliunde alio demigrantes, delicias quaesisse uideamini. Sed contentis his quae illic repereritis, tādū manete apud illos, donec euangelij profectus hortabitur uos, ut alio proficiscamini. Quod sicubi euenerit, ut nemo uos recipiat, agnoscite dignitatem ue/ stri muneris, neq; conemini inuitis obtrudere quod ab omnibus oportet expeti: continuo relinquitte ciuitatem illam, adeo nihil ab illis accipientes, qui reiiciunt uestram pradi/ cationem, ut etiā puluerem, qui forte pedibus uestris haesit, excutiat in illos, testificantes quod gratis illis annunciauieritis regnum dei, & quod ipsi sese reddiderint indignos tanto munere gratis oblato. His alijsq; multis sermonibus, ubi Iesus instruxit suos, abierunt apo/ stoli bini, & peragrantes uicos, ubiq; pradicabant adesse regnum dei: atq; ubicunq; repe/ rerunt demoniacos, aut aegrotos, aut alio corporis uitio obnoxios, sanabant in nomine Ie/ su. Hoc erat primum rudimentum Apostolicae pradicacionis. His rebus adeo celebris fa/ cta est fama Iesu, ut rumor omnium quae gerebat, permanarit ad Herodem tetrarcham.

Et audiuit He/ rodes Tetrar/ cha Quum enim Iesum ignoraret, & audiret esse quendam, qui iussu propelleret daemones, fugaret morbos, restitueret mancos & contractos, mundaret leprosos, excitaret mortuo/ os, erat ancipitis perplexiq; animi, quisnam esset hic subito exortus. Quidam aut iactabant Iesum esse Ioannem, quem Herodes paulo ante occiderat, qui reuixisset, & ideo iam ueluti semideus factus, tantis miraculis polleret. Alij dicebant eum esse Heliam, quem raptum igneo curru, Iudaei reditum expectabant iuxta uaticiniū Malachiae. Rursus alijs suspi/ cabantur alium quempiam e priscis prophetis, quorum apud Iudaeos erat sacrosancta me/ moria. Herodes aut sibi metuens si Ioannes reuixisset, quem occiderat, & incredibile du/ cens, ut homo semel extinctus reuiuisceret, dicebat: Ioannē ego decollaui, quo sublato, pu/ tauī neminem superesse, qui magnum aliquid auderet. Quis autem est iste, de quo etiā lon/ ge maiora audio, quam unquam gessit Ioannes? Proinde quarebat occasionem uiden/ di eum

dicum, non ut melior fieret, sed ut suae satisfaceret curiositati: aut, si uideretur, idem huic faceret, quod fecerat Ioanni. Iesus autem quum hæc non ignoraret, non fecit illi sui copiam. Non enim in hoc uenerat, ut miraculis suis pasceret oculos impiorum principum, sed ut simplices ad salutem adduceret: nec placebat decollatio, qui sibi destinarat sublime crucis uexillum. Post hæc reuersi sunt duodecim ad Iesum, magna cum alacritate narrantes, quomodo successisset Euangelij prædicatio, quantūq; miraculorum ædidissent & ipsi in nomine ipsius. Iesus autem reuocauit illos ad modestiam, ne quid successu talium rerum insolescerent. Nam miracula geri uirtute dei, non hominum: nonnūquam autem ædi per homines, nō destinatos æternæ uitæ: solam autem animi pietatem hominem reddere beatum, siue miraculorum uirtus adsit pro temporis ratione, siue nō adsit. Iesus igitur ut ipso facto doceret illos, quo pacto deberent cibo sermonis Euangelici, quem ab ipso didicissent, pascere multitudinem, secessit cum illis in locum desertum, quo paulisper requiescerent ab itineris labore. Nam tantus erat illic confluxus hominū, ut non uacaret illis uel cibum capere. Abduxit igitur eos in desertum uicinū ciuitati Galileæ Bethsaidæ, quæ cōmunis erat patria Petri, Andreæ & Philippi. Hic nimirum secessus nō datus est ad ineptas uoluptates aut somnum, sed ad tranquillitatem orandi & gratias agendi deo. Talem enim oportet esse relaxationem uirorum apostolicorum. Cæterum ubi rumore sparsum esset quò se subduxisset Iesus, innumerabilis hominum multitudo undiq; conglomerans sese secuta est illum in desertū. Iesus aut uidens illorum auaritiam, prodijt è latebris, in quas secesserat, & adeo non repulit eos, ut ultro etiam iret obuiam: & illud interim docēs discipulos suos, à secessu breui statim redeundum ad Euangelicam functionē. Iesus autem progressus, ubi uidit infinitam uim uirorum, mulierum, ac puerorum uarijs ex locis pedibus tanto itinere peruenisse in desertum, uelut oueis huc & illuc palantes, pastore destitutas, tantus misericordia, primum animos illorum pauit, multa loquens illis de regno dei, tū eos qui morbis alijsq; corporis malis tenebantur, sanabat. Hæc dum aguntur, coepit inclinare dies. Apostoli uero considerantes turbam esse immensam, appetere uesperam, locum esse procul semotum ab oppidis & uicis, nullum esse comitum: submonent Iesum, dicentes: Dimitte turbas in tempore, ut in oppidula, uillasq; proximas abeuntes, parent sibi cibum. Nam hic locus desertus est. Iesus autem, ut ostenderet non defuturum cibum his, qui toto pectore uacarent Euangelicæ doctrinæ, simulq; hoc agens, ut euident esset miraculum, quod decreuerat ædere, respondit discipulis: Nō est necesse, ut hac gratia diuertāt in oppida & uillas, quin potius uos ipsi date illis cibum: subindicans & hoc esse nonnumquam apostolici muneris, de suis facultatibus, quamuis exiguis, subleuare necessitatē sui gregis. Nec deerat animus apostolis, sed dolēt deesse facultatem. Itaq; respondent: Nō est nobis quicquam ciborum, præter quinq; panes, & duos pisces. Hoc commeatus uix nobis paucis suffecturum est in coenam, nili forte uis ut nos eamus in proximos uicos, empari cibos tantæ multitudini suffecturos. Atqui ad eam rem opus esset multis denarijs, quum apud nos pecuniæ sit quàm minimum. Erant enim fermè quinq; uiroꝝ milia. Ad hæc Iesus: Facite ut discumbant omnes per sodalitia, sic, ut quinquageni simul accūbant. Sic enim solent, qui multis exhibent conuiuium, singulis mensis certum adhibere numerum, ut sciant promi ac ministri, quantum debeant apparare. Apostoli tamen si nihil uiderent apparatus, tamen ad iussu domini iubent populū per sodalitia discumbere, uelut iā apponendis epulis. Simili simplicitate obtēperat & populus. Iesus itaq; nouus cōuiuator, accepit quinq; panes ac duos pisces, & subrectis in cœlum oculis, uerbis bene ominantibus primū cōsecrauit cibum, deinde fregit, mox distribuit discipulis, ut apponerent turbe. Repleti sunt oēs usq; ad satietatem: & adeo nihil defuit, ut expletis omnibus, collecti sint per discipulos duodecim cophini fragmentorum. In his quoq; latet doctrinæ secretioris sermo. Habent apostoli cōmeatum, sed Iesu. Is ut uilis est ac plebeius, ita pusillus est. Multiplex enim est Mosi doctrina, uaria & opipara est philosophorum eruditio: at simplex & breuis est sermo Euangelicus, sed qui sufficiat reficiendis animabus omnī gentium, si quemadmodū oportet, & tradatur & accipiatur. Apostolicis uiris creditus est sermo, quo saginantur animæ, sed hunc non apponunt populo, nisi prius à Christo consecratum ac fractum. Tum enim demum uerus est fructus Euangelicæ prædicationis, si doctor quod habet sibi creditum donum eruditionis, non arroget sibi: nec ueluti de suo te-

Et assumptis illis

meæ promat, sed Christo reddat cōsecrandū, Alioquin inanis erit opera docentis, nisi ille sermonē bene dixerit, nisi fregerit, nisi distribuendū tradiderit suis manibus. Efficax enim est, quicquid ab illis manibus proficiscit. Ille est qui pascit, qui reficit, qui satiat. Episcopi nihil aliud sunt, quā ministri, ac dispensatores liberalitatis alienæ. Populus interim per sodalitia discumbit humi nihil hāsilians, nihil murmurans: significans in cōtū ecclesiasticō oportere adesse modestiam, ac simplicem animi fiduciam, & abesse discordiam ac tumultum omnem. Quin & illud mihi considera mysterij: Dominus Iesus primum docuit ac sanauit, deinde pavit. Est autē & sermo diuinus animæ cibus, sed huius aliqua portio non negatur etiam impijs & catechumenis. Est enim medicina mentium, & refectio imbecillium. Idem enim agit salutaris doctrina in animis peccatorum, quod Iesus uerbo, contactuq; suo faciebat in morbis corporum. Sed est panis mysticus, qui non datur nisi iam doctis ac sanatis. Hic nimirum est cōlestis ille panis corporis dominici, qui non datur his qui nondum recepti sunt per baptismum in corpus ecclesiæ, nec his, quorum animus adhuc tenetur aliquo graui crimine, ueluti morbo capitali. Nec solidus ille cibus sapiētiæ reconditoris, quem Paulus non promebat nisi inter perfectos, proferendus est quibuslibet. Porro quoniam dominus sic temperarat omnia dicta factaq; ut nunc promeret indicia diuinæ uirtutis, nunc ostenderet ueritatem humanæ naturæ, uariabant hominum de illo opiniones. Quoniam autē oportebat apud eos, per quos statuerat mundum innouare, cōcordem & consentientē esse de ipso professionem: quā solus erat orans cū discipulis suis, percontatus est illos, quid de se sentiret populus, aut quē esse dicerent. Discipuli respondent: Alij suspicantur te esse Ioannē baptistam, qui reuixerit; alij uero Eliam, quem Iudæi putant rediturum antequam ueniat Messias: Alij porro credunt uirum quempiam e priscis illis prophetis reuocatum in uitam. Tum Iesus: Vulgus suo more uacillat, nec sibi constat. Vos autē qui me propius ac domesticē nostis, quem me esse dicitis? Ibi Petrus ceteris ardentior, omniū nomine respondit: Nos te scimus esse Messiam, quē deus unxit omnibus dotibus cōlestibus. Iesus autem approbat quidem illorum rectam professionem, sed interminatur, ne cui quod sentirent, dicerent: Nondum enim uenisse tempus eius mysterij palam omnibus aperiēdi, prius esse peragendū mortis sacrificium, perq; multas contumelias ad eius nominis gloriam esse perueniendum. Oportet enim, inquit, filium hominis multa perpeti, & reprobari à senioribus & scribis & principibus sacerdotū, deniq; occidī etiam, ac mox tertio die resurgere. Cauendū igitur, ne uel huius nominis gloria nūc prædicata, ob corporis afflictionē ac mortem, fidem nō inueniat, ac mortē meam impediāt. Quum autē Petrum ad mentionem mortis inhorrescentē, & ad diuersa cōsilia cohortantem compescuisset, cōpit & suos discipulos ad imitationē suę mortis adhortari, dicēs: Sic uisum est patri, hac uia perueniendum ad gloriam. Qui uult esse meus discipulus, si cupit esse particeps felicitatis, debet imitator esse mortis. Nō satis est me cōsecrari pedibus, factis sequatur oportet, alioquin non agnoscam discipulum. Quisquis enim accesserit ad Euangelij prædicationē se totum abneget, & omnibus huius uitæ curis semel renunciet oportet, opibus, uoluptatibus, honoribus, cognatis affectibus, denique uitæ ipsi, tollatq; crucem suam quotidie, semper animum habens paratum ad omnia, quæ me uidetis perpeti. Præcedam magister, sequatur qui uolet esse discipulus. Nec est quod metuatis uobis exitium. Sic perire, seruari est. Quisquis enim mea causa uitæ iacturam fecerit, is uitam suam in tuto collocauit. Contra, qui resiliens ab Euangelico negotio, uoluerit seruare uitam corporis, is perdet animæ suę uitam, quæ uera denique uita ducenda est. Huius seruandæ gratia rerum omnium iacturā accipere prudentis est. Quid enim profuerit homini si lucrifecerit quicquid hic mundus habuerit expectandum, quum sui ipsius iacturam faciat? Homine pereunte, pereunt & illa quæ parauerat. Totus autem perit, qui perdidit uitam æternam. Ne pudeat discipulū ea perpeti, quæ ego passurus sum. Ne pudeat apud omnes meā profiteri doctrinam. Etenim quē mei meorumq; sermonū puduerit apud homines, offensum ignominia crucis, huius uicissim pudebit filiū hominis, cum deposita carnis infirmitate, denuo ueniet, proferēs uniuerso mundo maiestatem suam, patris, & sanctorum angelorum. Et ne dubitetis olim futurum, quod dico: illud uobis affirmo pro certo sunt hic inter uos astantes quidā, qui nō exibunt ex hac uita, nisi prius uiderint aliqua ex parte maiestatem regni dei: quod nunc latet, olim patefiet omnibus. Ut autē præstaret Iesus quod

quod erat pollicitus, die ab hoc sermone ferme octauo, selegit è duodecim tres, Petrum, Iacobum, & Ioannem, & cōscēdit ex more montem, ut illic oraret. Atq; inter precandum subito mutata est facies eius in aliam speciem, maiestatis & gloriæ plenam, ac uestimenta eius niueo candore relucebant. Conspiciebantur autem simul & duo uiri, simili maiestatem colloquentes cum eo, quorum alter Moses, alter Helias. Lex enim typis adumbrarat Iesum, prophetiæ designarant. Horū cum Iesu colloquium, quid aliud est q̃ ueteris ac noui testamenti consensus? Colloquebantur autē de mortis genere, quam iuxta prophetiam ab ipsis olim proditam, dominus completurus esset Hierosolymæ, quo rursus gloriæ suæ uitas, mentione mortis temperaretur. Hæc autē non planè perspiciebant apostoli, quod oculos haberent somno grauatos. Cæterum experrecti planè uiderunt maiestatem domini, simulq; duos uiros illi assistentes. Qui cum inciperent ab Iesu discedere, Petrus metuens ne pariter discederet totum illud iucundum spectaculum, dixit ad Iesum: Præceptor, non est hinc usquam abeundum. Valeat Hierosolyma, quæ tibi mortem minatur. Quin potius faciamus in hoc monte tria tabernacula, unum tibi, unum Mosi, & unum Helias. Hæc Petrus, uelut ebrius dulcedine uisionis loquebatur, nesciens quid diceret. Quærebatur enim triumphum ante uictoriā, & brabeum ante certamen. Hæc loquente Petro, oborta est subito nubes & obumbravit discipulos, non iam sustinentes in corpore mortalitatis gloriæ spectaculum. Dum autē Moses & Helias ingrediuntur in nubē, euanescentes ab oculis discipulorū (æquum enim erat, ut apparente luce ueritatis Euangelicæ, cederent umbræ & obscura figurarū ænigmata) uox patris sonuit de nube, dicens: Hactenus Iudei suspexerunt Mosē & Heliam: qui uaticinati sunt de filio meo: magni fuerunt illi, sed serui mei. Hic autē est ille filius meus, unice carus animo meo, ipsum igitur audite. Hæc uoce sonante repertus est Iesus solus, ne suspicarentur in aliū q̃ in ipsum eius uocis testimonium pertinere. Porro tres illi discipuli, ita ut iussi fuerant à domino, siluerunt: neq; cuiquā narrauerunt arcanū eius speculaculi, donec resurrexisset à mortuis. Noluī enim dominus ante mortē suā prædicari diuinā maiestatem suā: siue ne qua res impediret illud sacrificiū, quo restituendum erat genus humanū: siue ne frustra prædicaretur, quod nullus esset crediturus. Simul autē ipsa re nos docuit, si quid in nobis magnificū fuerit, celandum potius esse quam iactandum: & si quam habemus à deo donatā uirtutem, eā factis esse de clamandā potius, quam prædicatione. Postero die descendit Iesus de monte cum tribus discipulis. Reperit autē ingentem hominū multitudinē circa reliquos apostolos, quos ascensus in montem reliquerat. Populus autem ut uidit redeuntem Iesum, occurrit illi. Desiderauerant enim illum. Et acciderat recens, cuius gratia requirerēt illius præsentiam. Clamabat enim quidam è turba, dicens: Magister, obsecro te, moueat te calamitas filij mei. Nam mihi unicus est. Tenetur autem à sæuissimo dæmone, qui subinde corripit eū, ac miseris uexat modis, magno cum clamore, elidens eum in terram, ac discerpens spumantem interim. Quoties autem corripuit eum, uix ab eo discedit, nisi toto corpore dilanato. Rogauī discipulos tuos, ut eijcerent spiritum. Conati sunt, nec potuerunt. Iesus autem intelligens hoc accidisse propter incredulitatem patris, qui filio orabat salutem, obsequij infirmam adhuc fiduciā discipulorū, exclamauit, dicens. O natio diffidens, minimeq; simplici animi, q̃ diu uersaber apud uos & ista patiar? Nondū hoc efficio, ut mihi fidatis? Adeo uobis obstat huius corporis imbecillitas? Et uersus ad hominē, simulq; stipulatus ab eo fiduciā firmiorem: Adduc, inquit, huc filium tuum. Vt autē adductus est ad Iesum, rursus corripuit illum dæmon, elidens puerum in terram, moxq; Iesus restituit eum sanum, ac reddidit illum patri sanum, quem adduxerat insanabilem. Quo miserabilius fuerat uisus spectaculum, hoc magis admirati sunt omnes præsentiam uirtutis diuinæ. Quum autem huiusmodi factis indies inclaresceret fama Iesu, discipulorum animos tentabat quædam humana gloria, quod talem haberent dominum, in cuius nomīne patrarent & ipsi miranda. Iesus autem ab hoc affectu reuocat eos ad contemplationem humilitatis, qua post erant offendendi. Vos, inquit, delectat miraculorum gloria: sed magis refert, ut hos sermones, à quibus abhorret animus uester, infigatis cordibus uestris. Hoc enim oportet maxime meminisse, quod oportebat omnes imitari. De gloria ego uidero. Futurum est enim quod iam dixi, & iterum dico, ut filius hominis, cuius gloria uos nūc delectat, mox capiat & tradat in manus hominū, & affligatur multis modis, ac morte demū afficiatur.

Et assumpsit
Petrū & Ioā
nē & Iacobū

Factum est au
tē sequenti die

Omniūq;
mirantibus

*Intravit autē
cogitatio*

tur. Hic sermo tametsi iam semel atq; iterum auditus, non insiderat animis discipulorum. Non enim poterant meminisse, quod non libebat audire. Abhorrebant à mentione mortis, intenti gloriæ Iesu, non intelligentes, interim domini gloriā per crucis ignominiam potissimum illustrādam esse. Audiebant autem de morte, sed tanquam per somnium, nequaquam sentientes, quid hoc sibi uellet, quod dicebatur: nec ausi tamen sunt illum interrogare, quid sibi uellet hic sermo, memores Petrum ingerentem sese audisse: Vade post me satana, non sapiis ea quæ dei sunt, sed quæ sunt hominum. Post hæc Iesus ibat Capernaum, discipulos uero carnales adhuc, quoniam uiderant miraculorum gloriā, quoniam audierant promissam maiestatem regni dei, quoniam ipsi quoque prodigiosa fecerāt in nomine Iesu, subiit humana quædam cogitatio, quæ tandem eo erupit, ut hac de re inter eundum inuicem commentarentur, quis esset primas habiturus in regno dei. Somnabant enim tale quiddam fore in regno cœlorum, quale uiderant in aulis principum, aut in ædibus diuitum: ubi qui elatior est ac ferocior, is maior est. Iesus autem tametsi non ignoraret, quid inter sese disputassent, tamen ingressus domum interrogauit eos: quid hoc esset rei, de quo inter eundum disputassent. Obtescentibus illis præ pudore, Iesus ut ostenderet, se non latere cogitationes & clancularios sermones ipsorum, apprehendit puerum quendam ac statuit illum iuxta se, & conuocatis duodecim, ait: Vos disputatis de magnitudine. Apud me maximi sunt, qui minimi sunt. Quid hoc puero simplicius, quid humilior? Tales oportet uos fieri, si uelitis esse primates in regno Euangelico. Nescit ambitionē, nescit dominatum, nescit tyrannidē regnum fidei & charitatis. Quisquis exceperit puerum hunc in nomine meo, me recipit. Quisquis autem me recipit, recipit eum, qui me misit. Si ego dominatum in uos exercui, disputate & uos de primatu: sin omnium potius cōmodis inseruiui, fugiens omnem huius mundi gloriā, scitote illum magnatem fore inter uos omnes, qui cōtemptu gloriæ, qui modestia, qui seruiendi omnibus studio, minimus fuerit omnium. Quoniam autem audierant etiam paruulos esse recipiendos in nomine Iesu, uenit in mentem Ioanni, quod quendam exclusissent ab Euangelij consortio. Dubitat igitur, quemadmodum omnes essent admittendi ad cōtubernium salutis Euangelicæ, an itidem omnes essent admittendi ad functionem prædicationis Euangelicæ, & peractionem miraculorum. Suberat autem & hic tacitus quidam affectus inuidentiæ. Solis duodecim domini Iesus donarat potestatem eijciendi dæmonia, ac sanādi morbos. Hanc dignitatem non putabant alijs cōmunicandam. Ait itaq; Ioannes: Præceptor, quum abs te missi, perageremus munus Euangelicū, uidimus quendam eijcientē in tuo nomine dæmonia, quum tamen non sit de numero duodecim, ac ne sequatur quidem te. Hunc tanquam alienum à nostro cōtubernio, prohibuimus ne faceret. Iesus autem, qui nusquam se patitur à spiritibus impijs prædicari, docet homines qualescunq; non prohibendos ab Euangelico negotio: etiam si parum sincero id animo faciant, modo faciant, inquit, in Iesu nomine quod faciunt, & idem faciāt quod uos. Quisquis enim non aduersatur nobis, hoc ipso pro nobis facit, quod non facit contra nos. Rei nouæ, ac modis omnibus diuulgandæ prodest omnis fauor. Miraculū non est eius qui facit, sed eius qui uirtutem suam ædit per ministrum hominem. Quisquis igitur miraculum ædit inuocato meo nomine illustrat gloriā meā, sibiq; ius adimit in posterum male loquendi de me, cuius nomen expertus sit tam efficax. Accidit autem, ut quum instaret tempus, quo Iesus relictis terris recipiendus erat in cœlum, dominus ingressus esset iter, ipso uultu præ se ferens, quod iret Hierosolymā, uelut occursurus ad mortis occasionem. Præmisit itaq; nuncios ex apostolis aliquot, ut in ciuitate quadam Samaritanorum, qua erat iter, pararent sibi hospitium. Vt autem uenerunt, ciues occluserant eis portas ciuitatis, eo quod ex ipso habitu, uultuq; coniecarent, quod peterent Hierosolymā. Samaritani uero, quoniam adorabant in monte, oderant & abominabantur omnes qui religionis causa peterent Hierosolymam. Iacobus autem & Ioannes, qui missi fuerant, ubi uiderunt inhumanitatem ciuium, qui mœnibus etiam excluderent, commoti dixerūt domino: Domine uis ut iubeamus ignem ex cœlo descendere, quæadmodum fecit Helias, qui consumat istos? Iesus autem ut ostenderet, quantam oporteat esse mansuetudinem euangelici doctoris, increpatione cohercuit illorum iracundiam, dicens: Nolite uobis Helix factum in exemplum uocare. Ille spiritu ductus, eius temporis perdidit impios. Vos autem nondum intelligitis, cuius spiritus uos esse oporteat. Mansuetior est Euangelicus

*Factum est autem
dum compleretur dies*

gelicus ille spiritus. Erit olim uindictæ tempus, interim filius hominis uenit, non ut perdat animas, sed ut seruet. Qui nunc excludunt, fortassis in posterum recipient. Seruandi sunt igitur, ut sint qui possint resipiscere. Et eo oppido relicto diuerterunt in aliud oppidulum. Hoc sermone Iesus exemit ex animis illorum omnem uindictæ cupiditatē: docuitq; lenitatem erga eos qui primum excluderent doctrinam Euangelicā, quod hos satis esset ad tempus relinquere, donec per occasionem conuerterentur ad mentem meliorem. Rursus accidit inter eundem, ut quidam ultro diceret Iesu: Sequar te, quocumq; ieris. Iesus autem uolens ostendere, non esse admittendos ad consortium Euangelicæ functionis, qui non adferrent animos ei negotio pares: satius enim esse, non suscipere negotium, q̃ a suscepto deferre, dixit illi: Vulpes habent suas latebras in terra, ac cœli uolucres habent suos nidos in arboribus, filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suum. Non est igitur idoneus sectator huius, qui quicq; habet in hoc mundo, quo semet oblectet, aut in quo cōquiescat. Omnibus renunciet oportet, qui me sequi uolet. Rursus ubi conspexit alterum quendam, dixit illi: Sequere me. Ille autem respondit: Domine, permitte mihi, ut prius sepektam patrem meum. Iesus autem subindicans, omnibus officijs carnalibus præponendam esse negociū salutis, ait illi: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autē uade, & annuncia regnū dei. Hac imagine dominus illorū excusationē exclusit, qui prætextu pietatis humanæ differunt curam ac studium salutis æternæ. His deteriores sunt qui causatione rerum domesticarum prorogant, & recraſtinant salutis negotium, quod ad primam statim occasionem peragendum est. Occurrit enim alius, qui iussus sequi respondit: Sequar te domine, tantum illud permitte mihi, ut dicam uale domesticis meis. Tum Iesus: Quisquis semel admouerit manum aratro, ac deinde respexerit, non est aptus regno dei. Summum & arduum est hoc negotium, quod qui semel aggressus sit, eum oportet perpetuo studio progredi ad perfectiora, nec deflectere animū ad curas sordidas rerum fluxarum.

CAPVT X

POST hæc autem designauit dominus Iesus e numero discipulorum & alios septuaginta, quæadmodum antea selegerat duodecim apostolos: quos mittebat binos in omnem ciuitatem, in quam ipse decreuisset uenire, quo sua prædicatione præpararent animos in aduentum domini: & hos instruxit ad munus Euangelicæ prædicationis, quemadmodū prius instruxerat duodecim.

Reddidit autē causam, quare auxisset numerū prædicatorum, Messis, inquit, copiosa, operarii uero pauci. Rogate igitur dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam. Latè spargitur Euangelij rumor, & plures accendunt auiditate doctrinæ cœlestis. Parati sunt animi, tantū defunt qui colligant homines ultro properantes ad regnū cœlorū. Ite igitur, meis unius præsidij freti. Fremēt potētes ac malia aduersus doctrinā uestrā, his uos nudos & inermes obijcio. Nō enim mitto uos, ut quenq; lædatis, sed ut simplices, & innoxij studeatis omnibus prodesse. Ne querite igitur humana præsidia, quibus uos aduersus improborū uolētiā armetis: ac ne de uictu quidē sitis solliciti. Expediti ite ad negotium Euangelicum, neq; sacculum, neq; peram, neq; calciamenta uobiscum portantes. Nuscq; uobis deerit quod naturæ necessitati satis sit. Ac ne de tectō quidem sitis solliciti, erunt qui uos excipient, tantum præstare uos puros, & incorruptos ministros Euangelicæ prædicationis. In quamcunq; domum introieritis, primum precemini pacē toti familiæ. Quod si obfuerit filius pacis, hoc est, homo mitis, auidusq; mansuetæ doctrinæ, proderit illi uestra præcatio, & amplectetur hospitem bene ominantem: sin minus, ne poeniteat bene precatos fuisse. Nō enim uobis peribit merces oblatis officiij. Nec est quod a quoquam suppli-
Messis autem multa
 cærogetis hospitium, aut impudenter cuiquam uos ingeratis. Res enim tanta nec est ob-
 iudenda inuidis, nec ulli tamen non offerenda. Qui uero libenter ac prompte uos receperit, apud illum manete, non affectantes uitæ delicias, sed pro necessitate corporis edentes ac bibentes quæ apud illos fuerint. Aequum est enim, ut qui laborat in Euangelico negotio, uiuat ex eorum liberalitate, quibus laborat, si non aliunde suppetat unde uiuat. Illud item cauendum, ne ex alijs ædibus in alias demigretis, quasi fastidito priori hospitio, lautius & instructius queratis. Sit uobis satis quodcunq; primum obtigerit. Quod si contingeret uos ingredi ciuitates, si uos exceperint ciues, edite & bibite sine delectu, nullocq; fastidio, quicquid uobis apponitur. Quocq; gratiores sitis hospites, maioreq; cum fide prædicetis

dicetis regnum dei, sanate agrotos eius ciuitatis, restituite debiles & infirmos, liberate daemones: atque hæc omnia gratis ac prompte facite, neminem reiicientes, neque pauperem, neque diuitem. Ac tum dicite illis: Videtis argumenta uirtutis diuinæ: præparate animos uestros ad innocentiae studium. Iam enim aduentat ad uos regnum Dei: Pelluntur morbi corporum, mox profligabuntur & animorum morbi, peccata. Quod si quam ciuitatem fueritis ingressi, in qua nemo sit qui nos recipiat, nolite illic supplices ambire hospitium, sed prodite in plateas eorum, atque ibi publice, palamque dicite: Gratis obtulimus uobis nuncium aeternæ salutis: quoniam autem spernitis officium nostrum, nihil uolumus à uobis beneficij. Ecce etiam puluerem, qui adhæsit pedibus nostris, extergimus in uos, testimonium à nobis oblati, & à uobis spretei felicissimi nuncij, qui nolentibus ingeri non debet. Illud tamē scitote, quod siue receperitis, siue nō receperitis in proximo est uobis regnū Dei: Si receperitis, ueniet uestro bono: sin minus, ueniet uestro malo. Hæc uindicta uos eritis contenti, sicubi spreuerint uos. Veniet illis ultio suo tempore. Nam illud affirmo uobis, quod in illo die supremi iudicij, mitius agetur cum Sodomis quàm cum illa ciuitate, quæ tantam Dei benignitatem gratis oblatam spreuerit. Omnes mirantur seueram dei uindictam in Sodomos, sed hoc illos subleuat, quod non fuerint tot modis prouocati ad resipiscentiam. Et Iudæi sibi placentes execrantur illorum memoriā, quos ira dei horrendo exemplo funditus sustulit: sed horribilior uindicta manet ipsos, si tot beneficijs, tot miraculis prouocati, neglexerint ac spreuerint dei bonitatē. Væ tibi Chorozain, uæ tibi Bethsaida, ciuitates Israeliticæ. Nam si in gentium urbibus, Tyro & Sidone, quas uos abominamini, prodita fuissent miracula, quæ prodita sunt in uobis, iam olim resipuissent, & in cilicio ac cinere sedentes, agerēt suorum peccatorum poenitentiam, quæ uos interim erectis aduersus deū ceruicibus, uobis ipsis placeatis. Et tibi uæ Capernaū, quæ nūc opibus tumens, delicijs affluens, usque ad cœlum uideris exaltata, in illo die deicietis usque ad inferos. Quamquæ estis humiles legati, tamen quoniam meo nomine uenietis, & inestimabile dei donum annuntiabitis, non erit leuis cōdemnatio spernentium. Qui uos audit, me audit, qui per uos loquitur: cōtrā qui uos spernit, me spernit. Porro qui me spernit, spernit eū qui me misit. Nec enim ex me quicquā loquor, quod nō acceperim à patre, neque uos quicquam loquimini, quod ex me non didiceritis. Itaque ut mea doctrina patris est, nō mea: ita uestra prædicatio mea erit, non uestra. His sermonibus instructos dominus Iesus emisit septuaginta discipulos, factoros sui periculum in Euangelij prædicatione. Cum autem res melius successisset, reuersi sunt cum gaudio, dicentes: Domine non solū morbi pelluntur, uerum etiam daemones subiiciuntur nobis in tuo nomine. Iesus autē quo muniret suorum animos aduersus morbum inanīs gloriæ, qui sanctus etiam solet obrepere, proponit illis exemplum Luciferi, qui ob superbiam à tanta felicitate subito deiectus esset. Videbā, inquit, Satanam fulguris ritu de cœlo cadentē. Insignis erat illius dignitas in cœlis, & tamē ob animi tumorem subito deiectus est à summis ad ima: Quanto magis uobis cauenda superbia, qui mortale corpus circumfertis, omnibus obnoxij periculis: Magna est potestas quam tradidi uobis, sed eam tradidi, non ut inde insolesceretis uos, sed ut per miracula cōciliaretur fides Euangelio. Non repeto quod dedi, modo ne uos abutamini. Ecce enim do uobis potestatem, qua conculcetis serpentes & scorpiones, aut si quid aliud est, quo potest nocere inimicus satanas. Nihil horum nocebit uobis. Veruntamen de hoc nō expedit uobis gloriari, quod spiritus subiiciantur uobis: fient ista etiam per reprobos: sed de hoc gaudete, quod nomina uestra scripta sunt in cœlis. Nam eō uos subuehet uestra modestia, ueracitasque simplicitas, unde corruit per arrogantiā Lucifer, si perstiteritis in eo quod coepistis. Hæc loquutus dominus, mox coepit exultare spiritu sancto, ac de successu Euangelij patri gratias agere, nos interim instituens exēplo suo, ut si quid feliciter cesserit nobis conantibus exultemus nō humano affectu, sed gaudio spirituali: non nobis arrogantes ullā gloriæ portionem, sed gaudentes illustrari gloriam dei, gaudentes de profectu proximi. Gratias, inquit, ago tibi domine pater & conditor cœli ac terra, quod hæc tam sublimia cœli ueris eos, qui iuxta mundū sapientes habentur ac prudentes, ac reuelaris ea pusillis, humilibus, idiotis, ac iuxta mundi iudiciū imprudentibus. Sic profectio factū est pater, quia sic placuit aeterno tuo cōsilio, ut reiectis elatis, per humilitatē eueheres homines ad uerā sublimitatē. Nulla est autoritas, quā mihi nō tradiderit pater, ne quid timeatis mundū, scientes

Reuersi sunt,
autem septuaginta.

In ipsa hora.

tes uos habere potestem dominum. Summus enim cōsensus est, & omnium rerum societas inter patrem & me. Imò nemo planè nouit filium, quis sit, & quantus, nisi pater qui genuit: neq; quisq; nouit, quis sit, & quantus sit pater, nisi filius ex eo natus, & si cui uoluerit filius aperire. Non aperit autem, nisi modestis, mansuetis & credulis. Post hæc conuersus ad discipulos suos, gratulatur illis eam felicitatem, quæ negata esset summis etiam uiris. Beati, inquit, oculi, qui uident quæ uos uidetis. Illud enim pro certo confirmo uobis, q̃ multi prophetæ & reges uoluerunt uidere quæ uos humiles uidetis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Agnoscite felicitatē uestram, sed fugite insolentiam. Sumite sanctam superbiam aduersus omnia, quæ mundus hic ut sublimia miratur, quum exigua sint ac sordida præ his, quæ uobis donantur. Quodam autem die quum Iesus discutans cum Iudæis, imposuisset silentium Sadducæis, qui tentandi gratia quæstionem proposuerant de uxore septem uiris nupta, quis eam esset omnium habiturus in resurrectione: accessit ad eum quidam scriba, legis peritus, uelut ex intima legis cognitione quæstionem propositurus. Magister, inquit, quod est præcipuum dei præceptum, quo seruando possim assequi uitam æternam? Iesus respondit: Quod ex me quæris, hoc alij debebant ex te discere. Siquidem tu legis scientiam profiteris. In ea quid scriptum est? Aut quomodo tu legis, quod ibi scriptum est? Ille respondit: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis uiribus tuis, & ex tota mente tua, quia satis diligere non potest. Post hunc aut diliges proximum tuum sicut teipsum. Iesus autem responsum approbans, ait: Tenes quid sit optimum, nihil superest, nisi ut prestes quod intelligis. Id si feceris, uiues: nec enim cognitio legis dat uitā, sed observatio. Hoc domini responso tactus phariseus, quod uerba legis teneret, quum id quod esset in lege præcipuum non obseruaret, quoniam tumebat inani gloria, noluit agnoscere uitium suum, sed perinde quasi iam prestuisset abunde præceptum de diligendo deo, quæstionē mouet de proximo: Quis, inquit, est meus proximus? quasi deum diligeret, qui in proximum immitis ac maleficus esset. Iudæi uero proximi nomen fermè interpretabantur de suæ gentis hominibus, existimantes sibi fas esse odisse externos, nec in hos quicquam conferre beneficij. Iesus itaq; sciens animum hominis, respondet huiusmodi similitudine, rem totam mystica quadam imagine depingens ac ponens ob oculos, docensq; dei præceptum de diligendo proximo non esse circumscribendum arcis finibus cognationis ac gentis, sed latius ad omnes homines esse proferendum, quū sæpenumero fiat, ut qui genere proximus est, alienior sit affectu, q̃ hostis. Homo quidā, inquit, proficiscens ab Hierosolymis Hiericho incidit in latrones, qui non cōtenti spoliasse uestibus miserum, inflicis etiam multis uulneribus reliquerunt eum in uia semiuiuum, illic periturū, si nemo succurrisset, atq; eo facto abierunt ipsi. Accidit autem ut sacerdos quidam per eandem uiam faceret iter. Is quum ob religionis professionem potissimum præstare debuerit dei præceptum, tamen Iudæus Iudæum, & Hierosolymita Hierosolymitam, spoliatum, saucium, semiuiuum uidit, nulloq; misericordiae affectu tactus præterijt. Post hæc accidit, ut eadem transiret Leuita quidam, à quo merito quis expectasset obseruationem præcepti diuini, quod deditus templo frequenter sacris operaretur. Et is quoq; uiso saucio præterijt, neq; quicq; opis attulit fratri, ac populo suo. Post hos accidit, ut Samaritanus quidam illac iter faciens, conspiceret spoliatum ac semiuiuum, & admirans quid esset, accessit propius, & intellecta hominis calamitate, misericordia motus est erga Iudæum, quum ipse esset Samaritanus. Porro Iudæi uehementer abominantur Samaritanos. Nec solum misertus est, sed neglecto itineris dispendio, adiit hominem, uinum & oleum infudit uulneribus, deinde obligauit. Nec hoc officio contentus, imposuit illum in iumentum suum ac deportauit in diuersorium, atque ibi diligentius etiam illius curam egit. Quoniam autem urgebat itineris necessitas, deprompsit duos denarios, deditq; hospiti meritorio, ut tantisper haberet curam uulnerum, donec ipse peracto itinere redisset, dicens: Habes precium, de meo cura hunc: quod si quid impenderis ultra summā hanc, tibi nihil peribit, mihi imputa quum rediero, & quicquid impenderis, resoluam. Hæc loquutus dominus, dixit legis perito: Quis horū trium tibi uidetur fuisse proximus ei, qui inciderat in latrones? Tum legis peritus: Is, inquit, qui miserus subuenit misero. Subiecit Iesus: Et hic recte respondisti, fac ut uita respondeat orationi, & Samaritano malis esse similior, q̃ sacerdoti aut Leuitæ. Hac parabola dominus Iesus taxauit Iudæorū arrogantiam, qui sibi uidebantur abunde diligere deum quod illius templum

*Et ecce quidā
legis peritus*

*Homo quidā
descendebat
Hierosolymis*

templum adirent, quod immolarent uictimas, quod illius praecepta & cumferrent in sin-
brijs uestium, quod deum ac dominū semper haberent in ore, quū deus nihil moretur isti-
usmodi cultum, sed occulto syncerae puraeque mentis affectu magis delectetur. Ceterum
erga proximum nullo charitatis affectu tangebantur, sibi proprie uiuentes, & inuidentes
etiam quibus oportebat opitulari. Quod si quid officij praestabant, non praestabant nisi
sui generis hominibus, quum oporteat omnem hominē esse proximum homini, si quan-
do res poscat subsidium. Sacerdos & leuita genere proximus erat uulnerato: sed Samari-
tanus genere hostis, charitate proximus erat. Iudaica religio gentem discernit: Euangelica
pietas nescit huiusmodi discrimina, gestiens omnibus benefacere, nullo personae delectu.
Quādammodum ipse dominus uenit seruandis omnibus, aliquādo Iudaeis probri gratia di-
ctus Samaritanus, sed non offendit uniuersas orbis nationes ignominia uocabuli, quum
rem nominis experiantur salutarem. Samaritanus enim Syris custodem sonat. Erat nimi-
rum uerus pastor, qui nihil ē suis perire patiebatur, quamuis morbidum, quamuis contra-
ctum aut erraticum, sed omnes optabat fieri participes salutis aeternae, quod quidem in
ipso fuit. Vniuersum genus humanum, malicia satanae spoliatum innocentiae uestibus, lau-
datum omni uitiorum genere, abiectum, destitutum, semiuiuum, ac desperationi proxi-
mū, descendens ē cōelo uisere dignatus est: quoque facilius opitulari posset, assumpta homi-
nis natura proxime accessit ad hominē, uidens ac uisus, audiens & auditus, cōtrectans &
cōtrectatus: ac misertus nostrae calamitatis, nostra peccata sustulit in corpore suo, de suo
dependit quod nos commerueramus: ac nostri curam egit, qui nullum peccatorem, quā-
uis humilem aut abiectum auersatus est. Quum interim sacerdos fastuosus pretereat mo-
rientem, quum leuita negligat deploratum, pergens qua coeperat, ne quid dispendij capi-
at in rebus huius mundi, dum proximo subuenit. Habet autem hic Samaritanus hospites
suos, quibus ipse proficiscens in cōelum, faucium curandum committit, promisso in cōclis
praemio, si quid ex abundantia charitatis supra quā praeceptū erat, impenderint sanan-
do misero. Hi nimirum sunt apostoli, & apostolorum successores, per quos etiā hodie cur-
rat genus humanum, & à latronum uiolentia colligit in ecclesiae diuersorium, ubi sanan-
tur peccatorum uulnera. Quum igitur iuxta doctrinam Euangelicam amandus sit etiā ini-
micus, quum iuxta scribae professionem amandus sit etiā Samaritanus Iudaeo, si benefece-
rit: tamen Iudaei qui memoriter tenebant: diliges deū tuum supra omnia: diliges proximū
tuum aequae ac teipsum: in uno Christo uiolabant utrumque praeceptum, & deū afficientes
cōtumelia, cuius uerbis diffidebant, cuius miracula calumniabantur fieri uirtute Beelze-
bub (pater enim deus erat in filio deo) & proximū benemerentem oderant, ei machinan-
tes exitiū, qui salutē gratis adferebat omnibus. Vtrumque autem praeceptum impleuit, qui
in Christo & deum diligit supra omnia, & hominem optime meritum ut seipsum. Diligi-
tur autē in mēbris suis, in quibus & offenditur, & afficitur ignominia, & occiditur. Hac pa-
rabola quum Iesus docuisset, quantopere essent amandi, qui doctrinae Euangelicae ua-
cantes, nihil aliud agunt, quā ut à Iesu discant salutiferam doctrinam, quam omnibus
impartiant: quique relictis officijs corporalibus, toti uacant hijs, quae sunt animi: casus ex-
titit, per quem hoc quoque documentum animis nostris infigeretur. Sic enim efficacius for-
mantur crassorum & rudium animi. Quum enim Iesus à ceteris rebus ociosus obambu-
laret, cū discipulis, qui relictis rerū terrenarū curis, uni euāgelio uocabāt, euenit ut ingrede-
retur oppidulum quoddam. Illic mulier quēdam nomine Martha excepit eum hospitio.
Huic erat soror nomine Maria. Par erat utriusque pietas in dominum, sed diuersa uitae ratio,
diuersa pietatis functio, quemadmodum in uno corpore sunt usus membrorum uarij, &
in corpore Iesu, quod est ecclesia, uaria sunt dona spiritus. Nam Maria feriatā à negocijs
domesticis, assidebat ad pedes domini Iesu, audiens sermones illius, quibus adeo rapieba-
tur, ut oblita ceterorum non posset auelli. Contra Martha sollicita de apparatu conuiuij,
sursum ac deorsum cursitabat, tumultuabatur satagēs, ne quid omnium deesset quae ad sua-
uiter excipiendū dominū eiusque discipulos pertinebant. Eadem charitas erga dominum
habebat utramque, sed Mariam non patiebatur ab illius diuelli pedibus, Marthā sursum ac
deorsum circumagebat, nec patiebatur adherere domino. Sic eadem pietas duas sorores
in Iesu diligendo concordēs, ad res diuersas agebat. Martha uero cum aegre sufficeret or-
mnibus obeundis, quae pertinebant ad apparatus, & uideret sororem feriatam, assiden-
tem ad

*Et mulier quē-
dam Martha
nomine*

terrad pedes Iesu, non expostulat cum sorore quā sciebat auelli non posse, sed Iesum sub iaculat, qui illam suis sermonibus à necessaria functione remoraretur. Domine, inquit, non est tibi curæ, quod soror mea patitur me solam ministrare? Iube igitur ut me adiuet, alioqui scio non auelletur abs te, nisi tu iusseris. Tanta est dulcedo sermonum tuorum, sed interim apparandum est conuiuium, nec una par sum omnibus obeundis. Ibi dominus utriusque foeminae delectatus affectu, Marthæ sedulitatem non improbat, nec obiurgat obmurmurantem sorori, sed Mariam subleuat: Martha Martha, inquiens, tu quidem solitudine torqueris apparandi conuiuij, actumultuaris distraherisq; circa multa. Ceterum unum est præcipue necessarium, quod semper agendum erat, si liceret. Peragito tu functionem tuam, qualis qualis erit apparatus, Maria delegit partē longē potiore, quæ oblita eorum quæ sunt corporis, tota est in his quæ sunt animi. Non est autem æquum, ut auellatur ab optimis quæ delegit, ac protrudatur ad inferiora ministeria. Grata est mihi tua pietas, quæ mihi meisq; pro tempore parat conuiuium, sed suauius reficior ab his, qui sermones meos irasciunt in uiscera animarum suarum, ut salui fiant. Hic est enim cibus, qui me unice pascit: hic est potus, qui me unice reficit. Qui curat ea quæ sunt corporis, in uarias curas distrahitur, & horum officiorum tunc erit finis, quum apparente immortalitate cessabunt necessitates, quibus nunc humanae naturæ discruciatür imbecillitas. Ceterum compendium facit, qui curis huiusmodi proiectis totus rapitur ad cœlestia, semet in unū colligens, sed quod est unum omnibus ceteris præstātius, cuius felicitas nō eripietur, sed augebitur, quum abolebitur quod imperfectum est, & aperietur quod perfectum est. Nec interim ut ociosis obmurmurandū est, qui requieti à corporalibus ministerijs, ideo uacant doctrinæ cœlesti, inhærentes uestigijs meis, diu discētes quod doceant, ac penitus transmittentes in affectus animi quod alijs præscribant, quo pluribus prodesse queant ad comparandā salutem æternā. Nec interim tamen carituri sunt sua mercede, qui quod tu facis, pio studio pro tempore subueniunt corporali necessitati tractantiū rem Euangelicā, qui pascunt famelicos, qui uestiunt nudos, qui uisunt ægrotos, qui adeunt uinctos, qui te cōiuuant uagos & hospitij egentes. Erunt & illi consortes Euangelici præmij, sed quem admodum in corpore plus agit oculus ociosus quàm manus assidue uarijs ministerijs seruiciorum qui toti uacant his, quæ proxime pertinent ad æternā salutem, tamen si uideantur à corporalibus officijs feriat, plus tamen agunt, quia rem præcipue necessariā agunt. Nec decet alteros alteris obmurmurare, quādo pro suo quisq; dono, quod accepit à deo, tibi seruit in membris meis.

CAPVT XI

IAc imagine quum dominus Iesus docuisset, magnam rem agere, qui toti uacarent doctrinæ cœlesti, quam nemo synceriter potest tractare, nisi semet excutiat ab omnib. huius mūdi cupiditatibus & curis: supererat, ut & orandi formulā præscriberet. Est enim precatio ueluti purissima uictima religionis Euangelicæ, ad quam Iesus frequenter secessit, suosq; discipulos consuefecit. Estq; precatio secretus ille congressus, qua mens humana discussis omnibus curis, & phantasmatis rerum terrenarum, ueluti subuectā in cœlum, cum deo miscet colloquium. Orabāt autem & frequenter & prolixè pharisæi, sed tristes & in publico. Orabant & discipuli Iohannis. Orabant & Samaritani in monte suo. Habebat & ethnicorum religio suas preces. Quoniam autem nec idem orandi ritus erat omnibus, nec eadē petebantur: cupiunt apostoli sibi formam à Christo præscribi, quam sequi debeant. Itaq; quum Iesus ex more suo secessisset cum discipulis orandi gratia, peracta precatione, quidam e numero discipulorum dixit illi: Domine, quoniam tui sumus discipuli, par est ut ex tuo præscripto faciamus omnia. Docet igitur & orandi formam, sicut Iohannes, quum uiueret, docuit discipulos. Iesus autem quum multis uerbis docuisset suos, Christianorū precationem nec opere prolixam esse, nec ad ostentationē paratam, nec de rebus quibuslibet, præscripi huiusmodi formā, quæ tamen communis est omnium, tamen peculiarius cōuenit uiris Euangelicis, quibus uelut exemptis ab hoc mundo, omnis labor in hoc est, ut inter bonos illustretur gloria dei, & in dies magis ac magis uigeat regnū illius, deiecto satanæ regno. Et quæadmodum in cœlis, unde præcipitatus est Lucifer cum suis coniuratis, nulla est ad uerū diuinā uoluntatem rebellio, ita inter dei filios, successuros in locum angelorū eorum, omnia fiant ex uolūtate patris cœlestis, ut ille pascat suos pane cœlestis doctrinæ gratiaq;

*Pater noster**Et ait ad illos**Omnis enim
qui petit*

gratiamque, qui uogetet ac saginet animas in uitam eternam, & si quid per humanam infirmitatem commissum fuerit aduersus illius uoluntatem, ueluti propitius pater clementer condonet filiis suis, quemadmodum ipsi inter sese uicissim ignoscunt, si quid alter in alterum admiserit. Et quoniam quam diu uersantur in hoc mortali corpore, ut proficere possunt ad meliora, ita prolabi possunt ad deteriora, praesertim huc modis omnibus sollicitante tyranno satana, ut patris praesidio tuti sint aduersus huius machinamenta, utque aut non incendant in tentationem; aut si inciderint, eo protegente, qui potentior est, uictiores discedant. Haec est autem forma precandi: Pater noster coelestis, nos in terris constituti, quos tua bonitas dignata est uocabulo filiorum, oramus te, ut per nostram doctrinam ac uitam tuam potentia, tua sapientia, tua bonitas magis ac magis innotescat hominibus, & intelligant omnem gloriam tuo deberi nomini, unde proficiscitur quicquid est praeclarum, siue in coelis, siue in terris, quod quamuis humiles ipsi possimus in te gloriari. Haecienus toto orbe regnauit satanas per peccatum, cui seruierunt homines illecti cupiditatibus impijs: tu fac, ut sub latis peccatis & effuso tuo in eos spiritu, tuae uoluntati pareant omnes: utque te quotidie nobis largiente coelestem alimoniam tuae gratiae, semper proficiamus in melius, donec perueniamus ad perfectionem Euangelicae pietatis. Porro quoniam homines sumus, si quid per errorem aut infirmitatem deliquerimus in te pater, ne desinas tuis esse propitius, sed pro tua clementia condona: quandoquidem nos inuicem condonamus, si quid eadem infirmitate frater admiserit in fratrem, quo pax constet inter nos, & pacem habeamus tecum. Quoniam autem nouimus maliciam, & uires illius mali tyranni, unde tua paterna bonitas nos redemit, ne sinas nos rursus ab illo uinci, sed si patetis ad probationem patientiae nos affligi: uel per illum, uel per illius satellites, homines impios, tuo praesidio uincamus, & illius assultus nobis cedat in bonum. Caeterum quo magis excitaret suos ad instantiam orandi, & impetrandi fiduciam adderet, adiecit huiusmodi parabolam. Quam exorabilis, inquit, sit Deus, natura beneficus erga filios suos, ex uobis ipsis coniecturam facite. Si quis uestrum egeat necessarijs, & habeat amicum, audebit illum etiam medio noctis adire, ac pulsatis foribus dicere: Amice da mihi commodato tres panes, quoniam amicus quidam meus de uia ueniens, subito oppressit me uespertinus hospes, nec habeo domi, quod illi apponam edendum. Ac fortassis amicus ille non statim largietur quod petis, sed grauans aperire fores, respondebit intus: Noli mihi molestus esse nocturnus postulator, iam ostium meum clausum est, ac pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi quod petis. Quod si is, qui panibus eget, non statim ad hanc excusationem abierit, sed perseveranter pulsauerit fores amici, illud affirmo uobis, etiam si non moueat illum respectus amicitiae, tamen uictus improbitate precantis, surget ac dabit illi, non solum tres panes, sed quotquot opus fuerit. Si tantum homini ualet improbitas orandi apud hominem, quanto magis ualebit apud deum, qui delectatur huiusmodi improbitate, non offenditur. Et si quando differt dare quod petitur, non parcitas est in causa, aut difficultas, sed in hoc accendit desiderium nostrum, ut uberius donet, quod petimus, & nos charius habeamus, quod improbis precibus impetratum est. Quod igitur amicus egens faceret apud amicum hominem, hoc multo magis unusquisque uestrum audeat facere erga benignum patrem deum, cui grata est talis importunitas, & qui dando exhauriri non potest. Ab hoc igitur uotis petite, si quid opus est, & dabitur uobis. Quaerite si quid ignoratis, & inuenietis afflatu spiritus paterni, quod humano ingenio percipi non poterat: pulsate precibus addendo eleemosynas in proximos, & aperietur uobis. Haec est improbitas, qua ueluti uincitur & expugnatur deus. Apud hominem nonnunquam incassum funduntur preces, uel quia non potest praestare, quod rogatur, uel quia non uult. Verum apud deum, quisquis petit accipit, quisquis querit inuenit, quisquis pulsat huic aperitur. Nouit autem pater uester, quae conducant ad salutem aeternam, haec libenter donat rogatus. Qui si per errorem rogaretur noxia, pro beneficio duceret negare, quod male peteretur: sed pro optatis daret salutaria. Efficit hoc pietas parentum carnalium erga filios, ut negare non possint ipsi, quos genuerunt, si rem petant ad corporis salutem pertinentem. Coniecturam ex uobis ipsis facite: Quis enim est ex uobis, qui si ex patre suo petat panem, existimet filio datum pro pane lapidem: aut si petat piscem, putet eum pro pisce porrecturum serpentem: aut si petat ouum, existimet illum pro ouo daturum putamine tectum scorpionem? Quod si tantum

tantū ualet naturę pietas apud homines alioqui malos, ut in filios utilia petētes benigni
 sint: quāto magis pater uester qui pater est spiritū, qui natura bonus est, impartiet uobis
 de coelo spiritum suum bonum, omnia bona largiturum, si petieritis ab ipso: Habet &
 Satanas spiritum suum, quem inspirat suis, ad omnia mala sollicitatorem: habet mundus
 suum spiritum ad amorem rerum fluxarum illectantem: cum hoc spiritu nullum est con-
 sortium spiritui patris cōlestis. Alter exeat oportet, ut alter immigret in pectus. Et ecce
 casus, qui poneret ob oculos, quid malus spiritus ageret in animis Iudæorū, spiritui san-
 cto reluctantium. Adductus est ad Iesum quidam obnoxius malo dæmonio, id erat non
 simplex, sed simul & mutum & cæcū, ut Iesum nec posset aspicere, nec appellare. Iesus
 autem ultro misertus calamitosi, iussit exire dæmonium, & exiit. Et ecce aderant Iudæi
 quidam, quorū animos periculosius possidebat Satanæ spiritus, quā impūrus ille dæ-
 mon corpus hominis possederat: quorum alij calumniabantur, a dæmonio factum mira-
 culum, dicentes: quod hæc faceret non uirtute diuina, sed præsidio Beelzebub princi-
 pis dæmoniorum. Rursus alij post tot cōspecta miracula diffidentes adhuc, postulabant
 ab eo signum aliquod insigne de coelo, quo planē constaret illum habere cum deo com-
 mercium, qui in coelis habitat, & nō cum spiritibus immundis, quorum præstigiæ nasci
 solent e terra. Hoc autē dicebant tentantes dominum, nihilo magis illi credituri, etiam si
 quod postulabatur, fecisset: sed siue fecisset, siue non fecisset, habebant paratā calumni-
 am. Iesus autem ut uidit impias illorum cogitationes, ad impiam calumniam respondit
 hunc in modum: Qui consistit uestra calumniā? Videmus enim nullum regnum posse
 consistere, si intestinis dissidijs secū pugnet. Quod si sit, necesse est, ut desoletur, & pu-
 blica ruina domus supra domū concidat. Quod si uerum est id quod cogitatis, me præ-
 sidio Beelzebub principis dæmoniorum eicere noxios dæmones, qui nimirum illius
 sodales sunt & satellites, cōsequitur, malos spiritus inter sese discordes pugnare, & alios
 ab alijs profligari. Iam si Satanas pugnat aduersus Satanam, quomodo cōsistet regnum
 illius? Videtis eici dæmones, & fatemini noxios esse, quos eicio: unde igitur cōiunctis
 hæc fieri præsidio Beelzebub potius: quā det? An Beelzebub solet hominū salutē
 consulere, & suos satellites, per quos exercet tyrannidem suā, e possessionibus suis exi-
 gere? Et tamen hoc si fiat, arguit mox perituum Satanæ regnum, & instare regnum dei.
 Simplici uerbo eicio, gratis eicio, nihil adhibeo magicorum carminum aut præstigio-
 rum. Factum improbare non potestis, quia boni operis gloriā mauultis Beelzebub
 ascribere quā deo? Quod si hoc uobis persuadet odium mei, me præsidio Beelzebub
 eicere dæmonia, isti iuuenes filij uestri, quos uidistis idem faciētes, cuius præsidio pro-
 fligant dæmonia? Simples sunt, idiotæ sunt, nesciunt maliciofas artes magorum, &
 tamen isti in meo nomine eiciunt. Sola fiducia erga deum faciunt, quod faciūt. Et ideo
 his iudicibus condemnabitur uestra incredulitas. Horum simplicitas credidit, quum ue-
 stra prudentia pugnet aduersus gloriā dei. Itaq; quā absurdum sit dicere, quod malus
 dæmon exigat malum dæmonem, nec alterius præsidio uestri filij eiciant dæmonia, q̃
 tuus ego eicio, constat me malos dæmones eicere uirtute boni dei. Huius enim spi-
 ritus potentior est omnibus spiritibus impijs. Nec huic quicquā omnino cum illis con-
 uenit, siquidem hic amat salutem humani generis, illi quærunt perniciem. Quod si pa-
 ram est, me uirtute dei peragere quæ uidetis, dubium non est, quin peruenerit in uos re-
 gnum dei, quod Ioannes instare prædicabat. Huic igitur æquum est uosmet adiungere,
 & a Satanæ regno mox interiuro, abducere. Non potestis utriusq; regni consortes esse.
 Inconciliabile bellum est Satanæ cum deo. Res nullis conditionibus componetur. Aut
 uincet, aut ui expelletur. Non ueniet in deditionem, nō præscriptis legibus recipietur.
 Hic genus impune regnauit. Sed adest uis illius tyrannide potentior. Potentior enim est
 dei digītus ad seruandum genus humanum, quā uniuersæ Beelzebub copię ad
 perndum. Itaq; futurum est hic, quod inter duos duces solet accidere, utrosq; poten-
 tes, utrosq; feroces, & quibus omnis fiducia in armis sita est. Itaq; quum potens armatus
 subodit arcem suā, in tranquillo sunt ea quæ possidet. Quod si quis illo potentior ado-
 rat eum, & armis armatum uicerit, nullum inibit cum eo consortium, sed domū ipso
 profligato occupabit. Arma, quibus confidebat, eripiet, opes eius & omnem supellec-
 tem diripiet, ac suis militibus distribuet. Nunc uestrum est dispicere, ab utro stare mali-

Et erat Iesus
 eiciens dæmo-
 nium

Cum immundus spiritus

tis, à deo potentiore, an à satana mox expellendo. Si cum satana pax est, cum deo similitas est. Si cum deo pax est, nihil conuenit cum satana. In alterutris castris pugnandum est. Non fert hoc tempus ociosos. Qui non est in parte mea, aduersarius est mihi, & hoc ipso lædit, quia cum fauere debeat, non fauet: & qui non colligit mecū, dispergit. Quoniam autē Iudæi sibi sumebant opinionem iustitiæ, & hac fiducia uel negligebant Euangelicam doctrinā, uel auersabantur etiam, proposuit ænigma, quo significaret grauius dammandos eos, qui aliquouſq; progressi ad iustitiā, relaberentur ad pristina flagitia, quā qui nunquā cognita luce ueritatis euangelicę perseverassent in caligine uitiorum suorum. Populus enim Iudaicus per legē segregatus est ab idololatriſ gentibus, sed subinde relapsus ad priora crimina, tandem huc deuenit impietatis, ut quicquid maiores peccassent occidēdis prophetis, cōspirando aduersus Moſen, id septuplo sceleratius renouarent in filiū dei, & in huius discipulos. Quanquā hæc parabola, & ad unumquemque hominē pertinet, qui semel baptismo ablutus à peccatis pristinis, semel Euangelico sermone liberatus à spiritu malo huius mundi, negligenter habet donum dei, nec curat semper ad perfectiora progredi. Huic ad pristinam uitā reuoluto, ad nihil aliud proderit baptisumus ac cognitio sacrę doctrinæ, nisi ut grauiorē damnationem sibi accersat in die iudicij, uidelicet ad pristinos errores ingratitude etiam, ac maliciā adiungens. Porro sic habet parabola. Quū immundus spiritus exierit ab homine, uirtute dei depulsus, quoniā illi pertinax uoluntas est nocendi, obābulat per loca sterilia aridaq; quærēs requiem. Eam quū nusquā inueniret, dicit apud se: Reuertar in domū meā unde exiui. Ad hanc igitur rediens, reperit eam scopis quidem mundatā, sed uacuam. Hoc ubi uidet, abit & adiungit sibi septem alios spiritus, sceleratiores quā esset ipse, cumq; tali sodalitiū commigrat in domum, purgatam quidem, sed incustoditam, nullisq; uirtutum euangelicarū præſidijs armatā. Nam ornāmēta ceremoniarū præbent quidem speciem pietatis, sed quoniā, si nihil accedat, inania quædam rerum simulachra sunt, non arcē impiorū spirituū assaultum, sed occasio sunt maioris impietatis. Itidem accidit homini,

Et factū est autē

qui purgatus ab uno dæmone, sit septem peioribus obnoxius. Quum hæc aliq; multa loqueretur Iesus promiscuę multitudini, mulier quæ dā admirans sermones tam sapientes & efficaces, sustulit uocem ē media turba, & dixit: Beatus uenter illius mulieris, quæ te portauit, & beata ubera nutricis, quæ suxisti. Aduersus synagogā calumniatricem ædita uox est huius mulieris, quæ typum habet ecclesię. Iesus itaq; non reuuit, sed perficit illius prædicationem, dicens: Sanē beati sunt qui audiunt sermonem dei, & seruant illum in animo suo, ne effluat, ut aliquando producat fructum æternę salutis. Id multo felicius est, quā gessisse corpus corpore, aut lacte nutrisse. Vna tantū potuit gestare, aut

Turbis autem cōcurrentibus

lactare. Cæterum hæc beatitudo potest omnium esse cōmunis. Quum autem ad has uoces densior etiam hominum multitudo concurreret, cœpit Iesus respondere his, qui signum poposcerant ē cœlo, quasi quæ hæcenus gessisset Iesus, humilia essent, nihilq; dignum haberent magno propheta: hæc præſtari plebeis, cæterum ipsis phariſeis, utpote doctis ac sublimibus uiris, aliquod peculiare prodigium ostendendum ē cœlo. Id autem dicebant nequaquam animo simplici, sed tentantes eum, ut si non ostenderet, causarentur cætera facta præſidio Beelzebub: si ostenderet, tum aliud quiddam in eo reperirent, quod calumniarentur. Ait itaq;: Hæc natio mala est, minimeq; simplex. Tot miraculis conspectis ostentū quærīt, non cui credat, sed quod calumniatur: nō impetrabit autem quod fraudulenter petit, sed accipiet ostentum, quod meretur: non dabitur quod calumniatur, sed dabitur quo coarguetur. Dabitur enim ostentum Ionæ prophetę. Ad prædicationem Ionæ Niniuitę pœnitentiā scelerum suorū egerunt, quū apud illos nullum ædidisset miraculū. Hæc natio nullis miraculis, nullis beneficijs potest ad pœnitentiā emolliri, & tamen adest, qui maior sit Iona propheta, quē isti mirantur, quod exceptus ē ceto, uixerit in eius uentre tribus diebus ac tribus noctib. deinde pro mortuo habitus, subito uiuus apparuerit. Huic simile, sed prodigiosius erit, quod filius hominis sepult⁹ erit in corde terrę tribus diebus, sed præter omniū malorum expectationē tertio die uiuum reddet terra, quē mortuū acceperat. Itaq; in supremo iudicio hæc natio, quæ præ se contemnit oēs, quæ sibi religionis arcem tenere uidetur, condemnabitur à multis nationibus, quæ uidebātur à religione alienissimæ. Regina Sabæorū consurget in iudicio cum

uiris

uiris huius nationis, & cōdemnabit illos, quod mulier, & à legis doctrina aliena, tamen ab extremis finibus orbis longo itinere uenerit Hierosolymā, ut audiret sapientiā Solomonis. Et tamen in hoc loco quiddā est Solomone maius. Et quod adest cōtemnī. Viri Niniuitæ legis expertes, & idolorū cultores contendunt cum hac natione in iudicio, & condemnabunt eam, quod ipsi poenitentia scelerum suorū egerint ad prædicationē hominibus ignoti & exteri, nullis miraculis, nullis beneficijs sese cōmendantis. Et ecce hic præfens est quiddā ipso Iona maius: nec tamen cōmouentur ad resipiscentiā. Quanquā *Nemo lucet* *nam* autem cōplures essent apud Iudæos, quibus euangelij lux magis etiā excæcaret animos ipsorum, tamen non oporteret posthac supprimi ueritatē, cuius cognitio plurimos esset adductura ad salutem æternam. Nec enim incredulorū obstinata malicia bonis obesse debet. Itaq; proferenda ueritas in publicum est, in malorū atrociorē perniciem, in bonorum salutem. Nullus, inquit, accendit lucernam, & abdit eam in loco abstruso, aut tegit eam imposito modio, sed imponit candelabro, ut luceat domum ingredi uolentibus. Quod est domus sine lucerna, quod est corpus sine oculis, hoc est animus absq; cognitione ueritatis, quæ per fidem simplicem contingit. Si oculus tuus fuerit simplex, ac nullis huius mundi cupiditatibus uitiatus, accipiet lumen æternæ ueritatis, ac totū corpus tuum fruetur hoc lumine, nec ubi impingat. Sin oculus corporis fuerit uitiatus, totū corpus erit obnoxium tenebris. Siquidem ex fide iudiciū est, ac decreta uiuēdi. Hic fons est bonorum omnium, qui si fuerit uitiatus, cætera uitientur oportet. Vide igitur ut hic oculus, quo cernitur ueritas, in te purus sit ac syncerus, ne hoc ipsum membrū, quod solum est luminis capax, totiq; præluceat corpori, tenebris sit obnoxium. Hoc enim uitiato, quod est caput & radix omnium bonorū operū, etiā illa quæ bona uidentur, bona nō sunt. Cōtra, quæ pharisæis mala uidentur, mala non erunt, si fons, unde proficiunt, fuerit syncerus. Quod lucerna est oculo purgato, hoc sermo diuinus est animo, à prauis cupiditatibus per fidei simplicitatē purgato. Quicquid ex fide nō proficitur, peccatū est. Quod si oculus interim corporis tui fuerit syncerus, illustratus lucerna ueritatis Euangelicæ, membrum omnibus suū lumen impartiet, ut nulla in parte corporis sit aliquid tenebrarū, uidelicet omnibus prospiciente oculo. Itaq; quicquid fecerit manus, quicquid pes, quicquid cætera membra, non erit obnoxium tenebris, sed totū corpus erit lucidū, ueluti tota domus lucida est, omnibus prælucente fulgore lucernæ. Consequutū est autē, per quod hoc quod docuit dominus, uelut explanaretur. Siquidē pharisæi, cum haberent oculum *Et quum lo* *queretur* uitiatū, & iustitiā constituentes in ceremonijs corporalibus, negligenter ea quæ nō cernuntur, nisi puris oculis, quibus præluceat lucerna ueritatis Euangelicæ, ibi putabāt esse lumen, ubi erāt tenebræ: & tum maxime impingebāt, quū sibi uiderentur pulchre ingredi: & illic iudicabant esse graue crimen, ubi nullū erat: ubi uero grauis erat culpa, nullam esse putabant. Habebāt enim oculos superstitione legis, ignorantia, fastu, liuore, auaritia, hypocrisi, cæterisq; malis uitiatos. Quidā igitur pharisæus rogauit Iesum, ut pranderet apud se. Non recusauit Iesus, nulli se nō præbēs, ut omneis ad se pertraheret. Quum autem dominus accubuisset illotus, idq; præter morem pharisæorū, cœpit pharisæus tacita secū cogitatione mirari, quid esset causæ, quur nō lauisset dominus, prius quàm accumberet. Et ilico ex re, quæ neq; bonū facit hominē neq; malū, nascitur id, quod uere perpetuo malum est. Habent autē propriū illud ac genuinū ceremoniæ pharisæicæ, quæ rebus corporalibus cōstant, ut gignant obrectationes, suspensiones malas, puerfa iudicia, dissidium, odiū, & rixas. Iesus igitur intelligens, hanc esse præcipuā pestem Euangelicæ pietatis, acriter coarguit pharisæicā superstitionem, dicens: Moses olim præscripsit aliquos ritus purificationis, qui tamen typū & imaginem haberent purgandæ mentis. Nam huc pertinet quicquid lex illa figuris suis adumbrauit. Nunc uero postquam effulcente ueritate, par est umbras illas uetustæ legis paulatim euanescere, uos pharisæi, qui perfectā legis scientiā profiterimini, solū eam legis partem amplectimini, quæ minimum habet momenti ad uerā pietatem. Nec in hoc solū peccatis, quod carnē legis amplectamini, neglecto spiritu legis, uerum etiam carnalibus ceremonijs additis ac uestris constitutiunculis, sanctiores haberi uultis, q̃ præcepta dei. Vera puritas in animi sita est innocentia. Vos autē corpus subinde lauatis, lauatis calices, & catinos, res extraneas, & nihil ad uerā pietatem facientes. Atq; interim interior ac potior uestri pars illota, sca-

tet sordibus deo abominādis, rapina & iniquitate. Creditis uos inquinari, si biberitis ex
 illoto calice, aut ederitis ex catino non loto, & puri uobis uideamini, si calix simul & cati-
 nus, & quod in illis est, rapina & fraude paratū sit: O stulti peruersiq; iudicij. Nōne qui
 condidit corpus, idem condidit animū: Itaq; si puritas usq; adeo cordi est, oportebat to-
 tum hominē purum facere. Verū par erat priorem esse curā eius partis, quæ potior est.
 Sed interim uobis ipsis blandimini, quasi abunde puris, si corpus & uasa subinde laue-
 tis aqua, & animū fraudibus, rapinis, odio, liuore, ambitioe, cæterisq; pestibus inquina-
 tum, purgetis eleemosyna, quam cum ad ostentationem faciatis, tamen arbitramini suf-
 ficere ad summam animi mundiciem. Sed uæ uobis pharisæis, qui sub prætextu religio-
 nis agitis uestrum negotium, decimantes etiā holerum uilissima, mentā & rutam, quasi
 soli sacerdotes ac leuitę curæ sint deo. Atq; interim contra mentem dei fraudulenter agi-
 tis cum proximo, nec subleuatis egentem, sed inuidetis felicioribus, opprimitis imbecil-
 les. O uere præposterum iudicium. Hæc quæ lex præscripsit ad tempus seruanda iuxta
 carnem, oportuit quidem non omittere, sed illa quæ maxime uult fieri deus, quæ perpe-
 tuo bona sunt & ipsi grata, in primis erant præstanda. Quæ ad uestrum cōmodum perti-
 nent, superstitiose etiam curatis: quæ ad proximū subleuandum, negligitis. Væ uobis
 pharisæis, qui quū foris præ uobis geratis imaginem sanctimoniz, tamen intus tume-
 sis ambitione, captantes honoratiores sellas in synagogis, & audire gaudetis magnifi-
 cos illos titulos, Rabbi, Rabboni, ab his qui salutant in publico: nihil aliud agentes, nisi
 ut hominum oculis placeatis: pro nihilo ducentes, quod animi sordibus displicetis ocu-
 lis dei. Proinde uæ uobis cum uestra hypocrisi, qui similes estis monumentis defuncto-
 rum, quæ foris nitent opere albario, titulis, uarijsq; picturis, quum intus sint omni spur-
 citie referta. At interim quod apparet, blanditur oculis hominum prætereuntū: quod
 autem occulunt, fallit. Sed homines falli possunt, deus introspectit intimos cordis sinus.
 Quum hæc aliq; magna seueritate diceret dominus in fucatam pharisæorum sanctimo-
 niam: quidam ē legisperitis studens cohibere libertatem Iesu, dixit illi: Dum ista dicis
 in pharisæos, nos quoq; afficis contumelia. Non tolerat liberū sermonem sibi male con-
 sciis animus, & exemplum libertatis in alios, mēuit ne in se recidat. At Iesus æterna ue-
 ritas, quæ nescit assentari, quum sola sit inculpabilis, nec in aliud tamen obiurgat, nisi ut
 medeatur malis, respondit legisperito: Si quæ dico, in uos quoq; cōpetūt, uti fateris: erit
 igitur & uobis legisperitis uæ, qui non cōtenti exigere legis obseruatūculas omneis ab
 idiotis, uerum etiā præter legis autoritatē de uestro multa adijcitis: & onus addētes one-
 ri, sarcinā importabilem imponitis humeris simpliciū, & ipsi interim uobis indulgetis,
 adeo nō attingentes ea, quibus grauatis alios, ut nec illa præcipua seruetis, sine quibus
 cætera nihil profunt. Væ uobis, qui ad ostentationē uestre integritatis extruitis monu-
 menta prophetarū, quum illorū cōplureis maiores uestri interfecerint. Itaq; fit, ut hoc
 ipso, quo studetis dissimulare maliciā uestrā, prodatis. Dum enim ornatis monumenta
 prophetarū, fatemini fuisse detestabiles, qui illos occiderunt, quorū memoria sacrosan-
 cta est apud uos posteros. Porro quū ipsi in huius ætatis prophetas, illis longe superio-
 res, deteriora moliamini, q̃ patrarint in prophetas antiquos maiores uestri, nōne de-
 claratis, quod quæstu, ambitione, liuore & odio excæcati, scientes approbetis impia fa-
 cta maiorū, quæ non solū imitamini, uerum etiā superare studetis. Toties uos reuocauit
 ad resipiscentiā dei bonitas, ac semper in eos impie sæuistis, qui uobis ueritatem ingere-
 bant, nō ob aliud inuisam, nisi quod aduersaretur uestris prauis cupiditatibus. Proinde
 dei sapientia, quæ ineffabili consilio temperat omnia, prius q̃ puniat huius gentis perni-
 nacem maliciā, statuit nihil intentatū relinquere, quo possint ad meliora cōuerti. Cæte-
 rum ubi iam declarata fuerit omnibus simul & immensa dei bonitas, & illorum inuicta
 peruersitas, tanto dabunt atrociores pœnas, quanto diutius tolerati sunt, quanto ma-
 ioribus beneficijs prouocati sunt ad pœnitentiam. Sic igitur apud se loquuta est sapien-
 tia dei: Quid amplius faciam isti nationi intractabili? Misi Moſen, misi ueteres prophe-
 tas complureis, misi Ioannem baptistam. Aduersus Moſen coniuratum est: prophetas
 uel occiderūt, uel afflixerunt: ne Ioannē quidem plus q̃ prophetā, audierūt: nec illi fuit
 impune, bene monuisse. Venit filius hominis, & illi machinantur exitiū. Mittā ad eos
 postremos omniū prophetas, qui legē spiritualiter interpretentur: mittā apostolos, qui
 miraculis

miraculis polleant, qui de omnibus gratis benemereantur, qui salutē omnibus offerant minimo negotio parandā, uidelicet fide. Ac ne hos quidē audiēt, sed persequentur, affligent, eijciēt, & quosdam etiā occident. Adeo uincet illorū malicia dei bonitatē. Tandem cum eō creuerit illorū malicia, ut omniū ætatum scelera superarint, nō solū æquarint, tum irruet in eos ultio diuina, & requiratur ab eis sanguis omniū prophetarū, qui effusus est ab orbe condito: nimirū à sanguine Abel, qui primus omnium occisus est ab inuido fratre, usque ad sanguinē Zacharię sacerdotis, filij Ioiadę, qui multitudinē reuocās ad saniora consilia, lapidatus est per tumultū populi inter ædem & altare. Atq; ille moriens, & suā testificans innocentia, & illorum impietatē, dixit: Videat dominus & requirat. Nunc huius ultionis tempus instat. Vnā natio ueluti pro omnibus maiorū facinoribus poenas dabit, quæ quicquid fuit in omnibus maliciæ, supergressa est. Futurum est haud dubie, quod diuina sapientia futurū esse prædixit. Huius ætatis Iudæi, quoniā superant omniū ueterum rebellionē, perversitatem, crudelitatem, tam atrociter punientur, quasi quicquid diuersis seculis impie designarunt maiores, id soli peregissent. Etiam atq; etiā uæ uobis legisperitis, qui quū profiteamini legis cognitionem, quæ spiritualis est, & iudicaueritis uobis clauem scientiæ, quæ debebat aperire aditū in regnum cœlorum, tamen non solum ipsi non introistis, uerū alios introire uolentes exclusistis. Dum enim legem perperā interpretamini, oppugnatis id, quod est totius legis caput. Ad huiusmodi sermones, subamaros quidem ob libertatē ueritatis, sed salutiferos, si uoluissent recipere pharmacū, uehementer offensi sunt simul & pharisæi & legisperiti: sed quoniā taciti secum agnoscebant esse uerissimā, quæ dicebantur, dissimulant quidē apud populum, sed tamen interim obseruāt omnia Iesu dicta, uenantes si quid proficisceretur ab ore eius, unde possent illi calumniā struere, ne priuato quodā odio, sed studio religionis ac pietatis uiderentur illū persequi. Habet enim & hoc hypocrisis pharisæica, ut nihil tam impiū moliatur, cui non prætexat pietatis fucum.

CAP. XII

Quoniam autem dominus Iesus nouerat insanabilem esse maliciā pharisæorum, scribarum, ac legis peritorum, uoluit palam illorum hypocrisim traduce re, ne quis incautus eorum simulatione falli posset, iam tum multis turbis circumstantibus, adeo ut se inuicem conculcarent, cœpit dicere discipulis suis: Cauete uobis à fermento pharisæorū, quod est hypocrisis. Tales esse studete, quales haberi uultis. Nihil posthac fucatum diu latere poterit. Veniet tempus, quod in apertum proferet & uestram innocentiam, & illorum maliciā. Nihil autem sic nunc opertum est, quod mox non sit retegendum: neque quicquam tam abscondum, quod post non sit uenturum in noticiam hominum. Quare curate, ut omnis uita uestra fuco careat, neque quicquā dicatis, faciatis ue, aut cogitetis etiam soli, quod nolitis ab omnibus sciri. Quoniam quicquid nūc clanculum in tenebris dixeritis, olim narrabitur clara luce: & quicquid nunc in aurem dixeritis in cubiculis, olim prædicabitur in tectis. Offendet ueritas homines impios, fucatos imagine pietatis, sed nullius mali metus abducat uos à synce ra prædicatione ueritatis euangelicæ. Extremum malorum est, ut occidant, sed corpus duntaxat. Ego uero illud dico uobis amicis meis, ne meo fretos præsidio quicquam timeat istorū crudelitas, qui ut omnia moliti sint, corpus possunt occidere, quo factio, non habent præterea quo lædant. At nō moritur, qui mea causa occiditur. Quod si metum adhibere placet in consilium, æquum est, ut leuior metus cedat maiori, & ille potius timeatur, qui totum hominem nutu potest perdere. Hunc si uultis uobis ostendi, deus est, qui solus habet potestatem, ubi corpus occiderit, etiam animam mittere in gehennam. Ne quid terreat hominum impiorum crudelitas, qui leuiter possunt lædere: imò ne lædere quidem, nec hoc ipsum possunt nisi permissu dei. Quod si terrore hominum degeneraueritis à sinceritate prædicationis Euangelicæ, uitantes leuia ac temporaria mala, incidetis in æterna mala. Clauus igitur clauum pellat, & dei timor exigat timorem hominum. Nolite metuere, ne pereatis ante diem. Omnino moriendum est omnibus: nec refert quā diu uixeris, sed quā bene. Et feliciter hinc exit, quisquis ob nomen meum mortem appetit. Nec id fiet ante tempus à patre præfixum uobis, ut nihilo diutius uiuuri sitis, etiam si maxime uos discrucia ret metus mortis. Et hoc erit curæ patri uestro, ut suo quisque tempore moriatur. Quanquam ista uidentur casu fortuitoq; geri, tamen

Nōne quinq;
passeres asse
uencunt

Tom. 7

B 3

nihil

nihil accidet vobis, nisi permissu patris, cui uestra omnia curæ sunt. Quid passerulus
 lius, aut cōtemptius? Nonne quinq; licet emere dupondio? Et tamen horū cura est deo,
 neq; quicquā perit etiam uilissimorū animantiū incio patre. Vos autē quos ex omnibus
 paucissimos delegit ad illustrandā sui nominis gloriā, adeo nō negligit, ut oēs etiam ca-
 pitis uestri pilos habeat numeratos. Aduersus huius uoluntatē pugnare impiū sit. Nihil
 autē uolet ille, nisi quod optimū fore nouerit. Itaq; de uita sollicitudinē omnē in illū con-
 ſicite. Cui cure sunt passeruli, nō negliget uos, tātō passerulis omnibus meliores. Itaq;
 nolite metu malorū quę possunt homines hominibus inferre, desciscere à professiōe no-
 minis mei, memores, per has tēporarias afflictiones iter esse ad felicitatem æternā. Nec
 enim erit socius gaudiū, qui recusatit esse socius doloris: nec erit cōsors gloriæ, qui nunc
 recusat particeps esse ignominia. *Deo autem nobis* Quanquā hæc ignominia apud homines, uera gloria
 est apud deū. Nam illud affirmo uobis: Quisquis professus hic fuerit nomen meū coram
 hominibus, quod apud mundū erit inuisum & execrabile, profitebor & ego illū, quum
 proferetur filiū dei maiestas corā angelis dei. Contra qui me non agnouerit hic apud ho-
 mines, nec à nobis agnoscentur corā angelis dei. *Et omnis qui dicit uerbum* Scio huius corporis infirmitatē multis
 futurā offendiculo: sed culpa, quæ uel ab humano proficiscitur errore, uel ab imbecillita-
 te naturæ, quamuis atrox fuerit, tamen facile cōdonabitur. Proinde quod me uocā da-
 maritanū, uini potorem, amicū publicanorū, & Iesum fabri filiū, facile remittetur si res-
 piciant. Est enim conuiciū, cui locū dedit huius corporis imbecillitas. Caterū qui conui-
 cium dixerit in spiritū sanctum, per quē deus operatur hæc miracula, quoniā destinata
 malicia sciens ac uolens repugnat gloriæ dei, non inueniet ueniā nec in hoc seculo, nec
 in futuro. Quemadmodum angelis impijs non est relictus reditus ad poenitentia: quo-
 niam nulla infirmitate, sed obstinata malicia restiterunt deo, nec resipiscunt unquā, nec
 ueniæ spem habent: Eodem in statu fuerint homines, peruersitatē illorum imitantes. Me
 uident hominē, dormientem, esurientē, uidebunt & morientē: ignosci potest, si quid in
 me dicunt, quod in hominem potest cōpetere. Caterum quod inuidia corrupti tribuūt
 ea facta spiritui Beelzebub, quę sciunt esse uirtutis diuinæ, & deū fraudantes sua gloria,
 & in impios demones transferentes quod dei est: hæc nimirū est diabolica malicia, quæ
 ideo non impetrabit ueniā à deo, quanquam ad miserendum propensissimo, quia ne-
 scit poenitere. Multis igitur modis obstrepetur uestre prædicationi. Quidam enim aut
 simpliciter errantes persequentur uos, aut errori mixta malicia. Quidam aduersus ani-
 mi conscientia ueritatem perspectam & cognitam oppugnabunt, nō ob aliud, nisi quod
 aduersetur prauis ipsorum affectibus. Per hos spiritus Satanæ malus rebellabit spiritui
 dei bono: ac per suos satellites omni machinarum genere uos impetet. Quamuis autem
 estis idiotæ, tenues, & humiles, non est quod metuatis mundi tumultum aduersus uos.
 Sufficit spiritus dei benignus ac simplex aduersus omnem uel fraudem, uel uiolentiam
 huius mundi. Quum igitur pertrahimini in synagogas illorum, delati de magnis crimi-
 nibus, quum pertrahimini ad magistratus & principes, nolite facere, quod uulgus reo-
 rum solet, qui solliciti sunt, quid respondeant, aut quid loquantur, quo possint elabi
 causa. Dabit is hoc publicæ potestati, ut uocati compareatis. Caterū non est quod uereā
 mini conspectū illorū, aut solliciti sitis, ut meditata oratione uos ipsos defendatis. Sem-
 per erit in promptu ueritatis simplex oratio. Hanc quoties erit opus, uobis suppediabit
 spiritus sanctus. *Ait autē qui-
 dam de turba* Qualis est uita uestra, talis erit & oratio. Nihil autem efficacius simplici
 ueritate. Quemadmodum autem terror iudiciorū nonnullos transuersos abducit à syn-
 ceritate professionis euangelicæ, ita multos pecuniæ studium corrumpit. Vt igitur &
 hunc affectum penitus eximeret dominus ex animis discipulorū, uelut humilem & in-
 dignum aggressis cœleste negocium, oblatū est argumentū, per quod ita fieret. Quum
 enim esset frequentissima turba circa Iesum, neque quisquam antehac rem tam humi-
 lem ausus fuisset ab illo petere, quidam dixit illi: Magister, frater meus occupat hæredi-
 tatem communem, ac tergiuersans, prorogat partitionem, hic mihi succurrat tua auctori-
 tas. Dic illi ut mecum diuidat hæreditatem. Iesus autē uelut indignans, quod à negotio
 cœlesti ad carnales ac sordidas curas interPELLARETUR, simul interim docens suos, non o-
 portare implicari negocijs profanis ac sordidis eum qui gerit munus apostolicū, respon-
 dit: Homo, qua fronte me interpellas aduersus fratrem tuum de diuidenda hæreditate?

Quis

Quis me constituit iudicem inter uos dissidentes de re leui, ac mox peritura? Aut quis me uobis dedit diuiforē hæreditatum? An mundus hic non habet iudices, qui lites tam humiles dirimant? Mihi non est delegatū, ut hic aut ille ditescat hæreditate, sed ut omnes perueniant ad hæreditatē uitæ immortalis. Deinde uersus ad discipulos, ac ceteros qui aderant cœpit eos exemplo interpellatoris dehortari à studio diuitiarū: non quod per se malè sint, sed quod in his præcipuum uitæ præsidium ponere, & harum studio reuocari ab his, quæ pertinent ad æternam felicitatem, stulticia sit. Etiam atq; etiam cauete, inquit, ab omni consilio aua ritia: frequenter enim sub prætextu necessitatis ac prouidentia obrepit iriste uitium, quod semel admissum abducit hominem in omne dedecus. Ac uix uitari poterit, nisi leuiter & contemptim possideamus etiam ea quæ nostro iure possidemus. Cæterum qui sic fidunt diuitijs suis, ut in his ingens aliquod humanæ felicitatis præsidium collocent, uehementer fallunt seipfos. Non enim abundantia facit ad felicitatem, sed potius ad solitudinem, & contemptum eorum quæ uel sola quærenda sunt. Siquidem naturæ necessitas exiguo placatur. Id quo crasso populo altius infingeret, adiecit dominus similitudinē, ad quam suum quisque affectum exigeret, atque examinaret. Erat, inquit, homo locuples, cuius agri fructus uberrimos attulerant, ut sunt anni prouentus impares. Ille uero nihil interim cogitans de subleuanda proximorum egestate, sed perinde quasi quod narium esset, uni natum esset, de recondendo sollicitus est, non de erogando. Dixit enim apud se: Quid faciam? Annona ubertas maior est, quàm ut horrea mea sufficiant recondendis ijs, quæ prouenerunt. Si charitatem adhibuisset in consilium, quum sic æstualet animo, dixisset illi: Circumspice quàm multis desit, quod tibi superest. Agnosce cui debes etiam istam anni tui felicitatem. Sortem indulsit deus, unde colligas usuram operum cœlestium. Permuta fluxa bona perennibus, terrena cœlestibus, humana diuinis. Ita lucro fuerit tua liberalitas. Sed quoniam stulticiā & incogitantiam maluit adhibere in consilium, huius impulsu dixit apud se: Demoliar horrea mea uetera, & extruam maiora, & in his recōdam uniuersum huius anni prouentū, ceteraq; bona mea, ne quid pereat. Constabilis autem, & in tuto collocatis omnibus, securus omnium, dicam animæ meæ: Anima habes repositam magnam rerū copiam, quæ sufficiat in multos annos: requiesce, ede, bibe, & oblecta te. Hoc diutine felicitatis somnium quum diues ille uersaret in animo suo, subito uenit ad illum uox dei, dicentis: Stulte, quum ipsa uita tibi sit incerta, quur recōdis in multos annos: quū his quæ reponis frui nō possis, nisi in hac uita, quæ nulli uel ad unum diem certa est? Quid tibi promittis annos plurimos? Hac ipsa nocte repetent abs te animā tuam. Et ista quæ parasti, cuius erunt? Certe tua nō erunt. Hæredi relinquo oportet, aut si quis alius occupet. Cæterum spirituales opes, quas erogandis diuitijs licebat comparare, etiam mortuum fuissent comitata. Habes exemplum ac statum hominis, qui sibi recondit opes huius mūdi, ac sibi tantum diues est, nec est diues erga deum, qui cupit in suis membris refocillari per eos, quibus res superest. Ac felicius diuites sunt, qui sic pauperes sunt. Hæc promiscuæ multitudini loquutus dominus, mox cōuersus ad discipulos suos, quos oportebat non solum abesse ab omni auaritia, uerū etiam uacare omni solitudine huius uitæ, ne qua res illorum animos remoraretur ab Euangelico negotio: ideo, inquit, iam antehac dixi uobis, & repetens iterum iterumq; monebo, nolite solliciti esse de uita uestri corporis, anxij ne desit cibus aut potus: neq; rursus de corporis incommodo, ne desit illi uestis. Pater uester cœlestis, qui uobis dedit quod præstātius est, etiā illud addet, quod est uilius. Anima potior est cibo, quanquam sine cibo interim non durat in domicilio corporis, & corpus preciosius est uestimēto. An putatis diuitem iuxta ac benignum patrem passurum, ut quum largitus sit uitam, desit cibus quo uita prorogetur? aut qui dedit corpus, commissurum ut corpori desit, quo tegatur? Si dei prouidentia non cessat in animantibus brutis ac uilibus, an cessabit in uobis, quos ad rem tantam delegit? Considerate coruos: neq; serunt, neq; metunt, nec penuariū habēt, nec horreum, & tamen deus etiam illis prospicit de pabulo, nihil eorum negligens quæ condidit. Quanto magis uobis prospiciet pater, quos tanto coruis habet chariores: Quid quod non solū diffidētiæ est, anxie distorqueri cura rerum huiusmodi, uerum etiam stulticiæ? Stultum enim est solitudine nihil profutura discrucari. Nemo solitudine sua uitam suam reddere potest uno die longiorem. Quid quod ne corporis quidē modus, aut figura uobis in manu est: Deus dat illi

formam quam uult, dat illi modum quē uult, sic dat illi & uitam, quā diu dukt. Quis autem uestrum solitudine sua possit ad sui corporis staturam adijcere cubitū unum? Aut quis solitudine sua possit unum capitis pilum ex albo nigrum, aut ex nigro album reddere? Si igitur in his, quę minimi momenti sunt, nihil profuerit uestra sollicitudo, quorū attinet esse sollicitos de uita? Iam ne sitis anxij de uestitu, considerate mihi lilia, quę in pratis nulla hominum cura proueniunt, quomodo nullo curante surgunt ad iustam magnitudinem. Non laborant, neq; nent, neq; texunt, & tamen prouidentia patris adeo non sinis deesse uestem, ut nec opulentissimus ille Solomon, quum maxime ostētaret strepitum suę fortunę, sic uestitus fuerit, ut unum quoduis ex lilijs pratenribus, ad breue tempus duraturū. Quod si deus tanta prouidentia uestit herbam etiam uulgo nascentem, & mox perituram: & quę hodie uiret in agro, cras arefacta conijcitur in clibanum: quanto magis non sinet uos esse nudos, o parum fidentes? nec enim aliunde nascitur ista sollicitudo, nisi ex diffidentia erga patrem & potentissimum & liberalissimum & prouidentissimum. Si is pascit, si uestit, si gubernat uniuersa quę condidit, abijcite uos quoq; solitudinem de rebus infimis, cibo, potu, & uestitu. Istarum rerum nec uos dericiat penuria, nec efferrat exuberantia. Neq; supini pendeatis à cœlo, obseruantes omnia tempestatum præsagia, pallescentes quoties altra minitantur annonę penuriam. De his enim rebus etiam in longinquum inquirere gentium est, qui mundo dediti nesciunt deum: uos autē qui nostis, quā benignum habeatis patrem in cœlis, quid inani solitudine torquetis animos uestros? Scit enim pater uester, quod his quę pertinent ad corporis alendi tegendiq; necessitatem indigetis. Nec tam durus est, ut uos suum agentes negocium, sinat harum rerum inopia perire. Quin potius prima sit uobis cura promouendi regni dei, cuius uos delegi præcones ac ministros. Huius iusticiam ante omnia quærite, non sitam in ceremonijs Iudaicis, sed in his rebus, quas ante docui uos: & toto animo hoc agite, quod est omnium maximum. Cætera leuiora deus ipse uobis adijciet omnia, neq; quicquam patietur desiderari. Ne qua res uos terreat pusille grex, pauci estis, humiles estis, idiotæ estis, nullis opibus, nulla potentia, nullis armis, nullis copijs instructi estis aduersum mundum hunc impium & omni genere machinarum in uos cooriturū. Non est tamen quod formidetis. Sic complaceat patri uestro, reiectis potentibus, doctis, & elatis: uobis iuxta mundum abiectissimis dare regnum hoc, quod arcanis opibus animorū, quod cœlestibus præsidijs inuictum est. Quare delecti ad tantam dignitatem regni cœlestis, contemnite ista humiliat destinati bonis perēnibus, negligite mox peritura. Quod si terrenę possessiones remorantur uos à rebus tanto melioribus, uēdite quę possidetis, & pecuniam inde collectam erogate in subleuandam pauperū inopiam. Non possunt diuitiæ magis in tuto collocari: non possunt maiore certioreq; cum fœnore deponi. Qui dat eleemosynā, deo fœnerat, qui nō potest fallere: & ut diues est ac benignus, pro uilibus reddet preciosissima, pro terrenis cœlestia, pro fluxis ac mox auferendis æterna. His igitur opibus studete ditescere. Parate uobis sacculos, qui non uetescunt: reponite uobis thesaurum in cœlis, qui nunquam deficiet, qui uobis tutus sit, & à furibus, & à tineis. Siquidem hoc uidemus usu uenire, ut ubi quisq; thesaurū habet, ibi habeat & cor. Quod enim quis uehementer amat, eius non potest obliuisci. Veluti diues, qui domi conditas habet aut defossas opes, etiam si foris agat, tamē animus domi est, sollicitus ne fur compilet, ne quis casus prodat aut uitiet thesaurū: rursus, qui amant, semper in eo quod amant, habent intentū animū. At oportet uestrum cor semper esse in cœlis. Atq; illic semper erit, si in terris nihil habueritis, quod uel miremini, uel ametis, sed uniuersum thesaurū uestrum reconditū habueritis in cœlo. Tempus breue est. Toto studio hoc agendum, ut quā plurimum bonorum operum recondatis in cœlo. Instat dies, quo quisq; pro semine rerum temporalium messurus est messē æternam. Is dies, quoniam uobis incertus est, oportet in eum semper esse paratos & accinctos. Eritis autem, si nullis mundanarū rerum impedimentis remorabimini, si nullam occasionem benefaciendi prætermiseritis. In hunc igitur diem sint lumbi uestri semper præcincti, sint lucernę ardentes in manibus uestris, & similes sitis prudentibus ac fidelibus famulis, qui quoniam incertum habent, quando dominus sit rediturus à nuptijs, perpetuo stant ac cincti cum tædis, ut simulatq; reuersus pulsauerit, cōfestim aperiāt ei. Non erit ingrata domino hæc famulorū sedulitas: sed beati fuerint, si dominus subito ueniens offenderit illos uigilantes

Et uos nolite
querere quid

Nolite timere
pusillus grex

vigilantes. Nam illud affirmo uobis, quod dominus pro officio, quod tamen debebant, amplissimam mercedē reponet. Siquidē ipse uicissim præcinget se, & iubebit illos discumbere, ac præteriens obseruansq; quid quisq; postulet ministrabit illis. Nec refert, quare noctis uenerit (id enim incertum esse uoluit) sed quacuncq; noctis uigilia uenerit, siue in secunda, siue in tertia, uel intempesta nocte, beati futuri sunt serui, si dominus offenderit eos paratos. Nō est igitur unquam cessandum in hac uita. Sed ita uiuendū, quasi dies ille hodie esset uenturus. Obrepet enim improuisus. Proinde semper curandū, ne opprimat imparatos. Siquidem ubi semel ille uenerit, iam seruum fuerit sarcire superiorē somnolentiam. Nullus est paterfamiliās tam socors, qui passurus sit à fure nocturno perfodi domū suam, si nosset quo tempore fur uenturus esset. Quod si ille uigilat, ne spoliatur bonis terrenis, quanto magis uobis est uigilandum, ne perdatis felicitatem æternam. Sicut fur nocturnus obrepet eo tempore, quo dormitur altissime, minimeq; expectatur suffossor, ita si filius hominis subito ueniet eo tempore, quo minime uenturū suspicabimini. Proinde quoniam uobis id tempus ignotum est, certum tamen est illud adfuturum, sitis perpetuo parati, instructi bonis operibus, ab omnibus mundanarū rerum impedimentis expediti. Hos sermones quum audisset Petrus, ait domino: Domine, parabolā istam utrum uis ad nos proprie pertinere, an ad omnes pertinet? Dominus autē ita temperat responsum, ut non neget aliqua ex parte pertinere ad omnes qui cupiunt æternam salutem, sed præcipue significet ad eos attinere, quibus credita est dispensatio sermonis Euāgelici. Adiecit autem & aliam parabolam, quo magis accēderet suos ad perpetuā instantiam officij sui, proponens & premiū functis officio, & pœnam ei, qui cessaret in officio. Inter homines, inquit, rarum est inuenire fidelem ac prudentem dispensatorem rei familiaris, qui peregre agens de domino, curet illius familiam, cui præfectus est, non ut tyrannidē in eam exerceat, sed ut ex opibus domini, cuiq; suū dimēsum, quantū opus est, & quādo opus est depromat. Beatus erit ille seruus, quē subito reuersus dominus offenderit in officio, Siquidē expertus fidelem ac diligentiam in dimensis, præficiet eum omnibus bonis suis, ac ueluti rerū omnium consortem habere dignabitur. Contrā si seruus ille nec bonæ fidei fuerit, nec prudens, sed elatus absentia domini, ac delegata præfectura, dixerit suo cū animo: Dominus meus iam in longum profert redditum, & fortasse nunquam rediturus est, interim morem geram animo meo: cœperitque sœuire in conseruos & ancillas, non solum non pascens eos ex tritico domini communis, uerum etiam pulsans illos ac uerberans, ac tyrannidem quandam usurpans, ipse interim edat, & bibat, comessetur, inebrietur, heri bona sœdis uoluptatibus luxurq; prodigens: Quid futurum arbitramini tali dispensatori? Nimirum redibit dominus die quo non expectabatur, & hora qua nesciebatur, ac famulum illum secure quidlibet facientē, diuidet & amputabit à familia sua, nec dignabitur eum domus suæ contubernio, sed annumerabit illum reliquis infidelibus, luiturū pœnas, qui noluerit esse memor officij. Nulla re magis sibi reconciliare potest animū domini sui dispensator Euangelicus, quam ut absentis domini benignitatē representet in proximū: nec se putet esse dominum, sed meminerit esse conseruum. Quo uero perfectior fuerit cognitio ueritatis Euangelicæ, hoc grauior erit condēnatio, si quod didicit esse rectum, sequi negligat. Leuius enim puniuntur gentes, quibus nec per legem, nec per Euangelium annūciata ueritas est, quam Iudæi, quos lex erudit ad aliquē profectum pietatis. Et rursum inter hos acrius punientur pharisæi, & legis periti, q̄ idiotæ. Sed omnium grauissimas pœnas dabunt, quos cognita ueritas Euangelica, quos tot miracula, quos exemplū meum non prouocarit ad studiū ueræ pietatis. Ego nihil calauī uos. Quicquid pater cœlestis uos per me scire uoluit, cōmunicauit uobis. Cauete igitur exemplū serui negligentis. Etenim seruus ille, quē dominus præ cate ris habuit eximium, cui cōcredidit dispensationē rerum suarum, cui cōmunicauit arcana consilij sui, cui filius est abiens peregre, nisi fecerit quod iussus est, seseq; prepararit ad exequenda, quæ sciebat ex animo uelle dominū, uapulabit plagis multis. Qui uero fuerit de grege seruorū, cui dominus non indicarit animi sui uoluntatē, si quid cōmiserit animaduersione dignū, plagis uapulabit paucis. Non est igitur quod Euāgelici sermonis dispensatio uobis cōmissa, reddat uos insolentiores, sed potius sollicitiores. Onus suscipit uerius q̄ honorē, qui functionem suscepit ecclesiasticam. Gratuitū est quod conceditur, & in hoc conceditur, ut proferatur in utilitatem comunem totius familiæ. Quemadmodū heri

rationem

rationem exactiorem exigunt ab eo, cui plus cōmiserunt: sic ab eo, cui copiosius cognitio-
nis & autoritatis munus datū est à deo, plus requireretur, q̃ à cæteris: & cuius fidei latior ac
maior functio delegata est, quo pluribus prodesse debuit, hoc plus exigeretur ab eo. Quo
doctiores, hoc doce libentius: quo ditiores, hoc libentius subleua pauperes: quo poten-
tiores, hoc plures autoritas tua pertrahat ad euangelium. Alienum est quod habes, do-
minus uult erogari, quod credidit. Sitio salutem hominum, & huius gratia ueni in mun-
dum, ac meo desyderio iam omnis mora longa est. Non est diluta, nec humana doctrina,
quam è coelis attuli. Merus ignis est, aut purgaturus hominem aut uulturus. Et ideo uer-
ni, ut hic ignis accendatur in terris. Quid enim aliud desidero? Semel accensus, late cor-
ripiet uniuersum mundum incendio. Sed non exiliet hic ignis, nisi percussus fuerit in cruce
hic silex corporis mei. Superest adhuc ille baptismus quē mihi præscripsit pater, ut tin-
gar proprio sanguine, ut mea morte pœnas luam pro peccatis totius mundi. Tum demū
emicabit inter homines illa scintilla charitatis Euangelicæ, quum uiderint innoxium ultro
pro noxijs sustinuisse mortē ignominiosam. Hæc enim est scintilla perfectæ charitatis. Et
ab hoc baptismo non solum nō abhorreo, sed amore salutis humanæ uehementer angor,
ut quā primum perficiatur. Abhorret natura corporis, sed desiderat animi charitas. Ve-
rum hic ignis accensus, excitabit magnos in mundo tumultus. Vehementēs enim erit ignis
& cœlestis, discutiens & excutiens omnes affectus humanos. An creditis quod uenerim
allaturus pacem in terras, quam mundus hic amat, cui tum tranquillitas est, quum satis fa-
cium est animi cupiditatibus, quum mali cum malis consentiunt? Non profectio; non ue-
ni conglutinator tales concordias, sed immixturus dissidia. Non omnes obedient Euan-
gelio, & Euangelij causa contemnenda sunt omnia. Itaq; fiet ut in eadem domo, in qua pri-
us erat mala pax, nascatur salutare dissidium. Siquidem quinq; natura cōiunctissimæ, mea
causa diuidētur inter sese, tres aduersus duos, ac rursus duo aduersus tres. Quid enim con-
iunctius, quā patri filius? Et tamen pater Euangelij causa similitatem exercebit cum fi-
lio. Et filius Euangelij gratia patrem contemnet. Similiter mater dissidium habebit cum
filia, sed apud filiam plus ualebit charitas Euangelica, quā affectus parentū. Socrus item
bellum suscipiet cum nuru sua, sed apud alteram præponderabit amor salutis æternæ, assi-
nitati carnis. Vehementius enim urgent uincula spiritus, quā naturæ. Post hæc Iesus
cōuersus ad turbas, dixit: Quis igitur uos nō præparatis animos uestros regno dei, quod
in proximo est? An non sentitis imminere tot indicij rerū? quid hic estis parū boni conie-
ctores, quū in rebus tanto leuioris momenti tam sagaciter cōiectetis? Quum enim conspe-
xeritis nubem emergentē ab occasu, statim prædicitis futurū imbrem: & euenit quod præ-
dicitis: ac rursus quum senseritis austrum flantem, statim prædicitis fore æstum, nec fallit
uos uestra diuinatio. Parum refert autem, utrum pluat, an non pluat: sed plurimum refert,
ut per Euangelicam fidem salutem assequamini perennem. O hypocritæ, ut omnia uestra
fucata sunt. Qualis est uestra sanctimonia, talis est & prudentia. In his quæ sunt huius uitæ
sapitis: in his quæ sunt æternitatis, nihil uidetis. Obseruatis faciem cœli & terræ, & hinc
colligitis præfagia rerum futurarum. Qui sit autem ut hoc tempus, quod omnibus uel sa-
lutem adfert æternam, si fuerit acceptatum: uel exitium æternum, si fuerit neglectum, ex
tot proditiis indicij non animaduertatis instare? Scitis quid propheta promiserint, uide-
tis & auditis tam multa quæ dicuntur & geruntur inter uos, uidetis innouari mundum,
& nondum ex uobis ipsis cōiectatis, adesse tēpus promissum? Hoc solum erat omnibus
studijs agendum, nec oportet rem ullam uobis esse tanti, cuius gratia dispendium faciatis
Euangelici profectus. Si res est, & impedit, uende: si quis læsit, condona potius quā per-
sequaris ius tuū. Quod si res eò processerit, ut eat ad iudices, uel inter eundū da operam
ut libereris ab aduersario tuo. Præstat uel iniquis conditionibus finire litē inter uos, quā
incertum euentum iudiciorum experiri, ubi non semper superior est causa, quæ melior est.
Alioqui cōmittis te ipsum periculo, ne iudex tradat te damnatorum exactori, & exactor
conijciat te in carcerē. Quod si fiat, illud affirmo tibi, nō exhibis inde, donec resoluas quod
petitur usq; ad extremum quadrantem. Negociosa res est litigare, nec uacat his immorari
tricijs, qui properat ad metam Euangelicæ perfectionis. Primum igitur expende, quanto
plus lucri sit in condonanda iniuria, quā in persequenda: in deferenda re, quā in uindi-
canda. Primum lucrifeceris amicitiam, quæ suscepta lite periclitatur; deinde temporis com-
pendium

Dicebat autē
ad turbas

Cum autem
uadis

pendium facis, quod erat tibi non parum multū in lite perituum. Ad hæc animi tranquillitatem lucraris, quam lites adimere solent. Postremo uitas, quicquid malorū adferre potest infelix litium exitus.

CAP. XIII



Dum hæc aliæq; multa promiscuæ multitudinī loquitur Iesus, præmijs inuitans ad officium pietatis, supplicijs territans, nullumq; non mouens lapidem, ut animos auditorum accenderet ad melioris uitæ studium, commodū aduenire quidam, qui rem nouā & horrendā auditu nunciaret de Galilæis quibusdā facinorosis in quos Pilatus præses nouo exēplo animaduertat, sic ut sanguinē hominū nocentium misceret cum sanguine pecudum, quas immolabant ritu Iudaico. Quoniam autem erat enorme, quod illi perpetrarant, ad terrorem omnium horrēdo supplicio puniti sunt. Solet autem uulgus hominū execrari sic damnatos, sibiq; plaudere, quod tale nihil patrarit, quum saepe plausor ille sceleratius sit malus, quā illi, quorū manifestum scelus publico supplicio fuit expiatum. Iesus itaq; uolens huius exempli terrorem, quem illi non putabant ad quenquam pertinere, nisi ad eos, qui eadem facinora patrassent, ad omnes peruenire, respondit illis. An creditis quod isti Galilæi soli scelerati fuerint inter omnes Galilæos, quod in hos solos defauit seueritas iudicis? Non satis est uos non admittite, quod ad miserū illi, ab omnibus peccatis resipiscendū est. Quod nisi feceritis, quanq; interim dei lenitas tolerat uos, ut conuertamini, tandem oēs simili dei uindicta peribitis. Et ne spem impunitatis uobis faciat ultio dilata, nisi mature resipueritis, subito ueniēs opprimit uos, quemadmodum nuper illi decem & octo ruina turris oppressi sunt in Siloa. Vt suffragia uisionē hominum, dei uindicta uitari nullo modo potest. Ad omnes uos pertinet patrum exemplum. An creditis, quod quū istos opprimeret ruina turris, non fuerint Hierosolymis multi, his etiā sceleratiores? Sed hos dei clementia differt in spem poenitentiae. Quorundam crimina manifesta sunt, quorundam latent: & suis quisq; malis blanditur, sed nemo bonus est inter uos, nec erit cuiquam impunira sua malicia. Quin illud affirmo uobis, nisi resipueritis à pristinis malis, omnes similiter opprimit ultio diuina. Vide igitur, ne lenitate dei abutamini ad licentius peccandū, memores, hoc grauiorem uenturam ultionem, quo serius uenerit. Prouocat deus multis modis ad poenitentiam, nunc blandiē, nunc territans. Tandem ubi uidet obstinatam hominum maliciā nullis rationibus emendari, semel totum hominem funditus perdit, ut alijs exemplum sit utile, qui sibi bonus esse noluit. Hanc sententiā quo Iesus altius infingeret animis crasse multitudinis, adiecit similitudinē ad rem accommodatam. Quidam, inquit, habebat arborem ficum plantatam in uinea sua: Qui plantauerat, suo tempore uenit ad illam, quærens fructum iam primum ex foliorum prouentu promissum, neq; quicquam inuenit præter folia. Accito itaq; uineæ colono, ait: Ecce iam tertius præterijt annus, quod uenio ad hanc ficum, quærens ex ea fructum, nec inuenio, Itaq; succide illam. Ad quid etiā terrā occupat, umbra efficiens uitæ, & succū ad se trahens, quo poterant aliæ arbores frugiferae? Colonus autem respondit domino suo: Domine passus es illam triennio, sine adhuc & hoc anno donec expectas extremā curam. Nam fieri potest, ut soli uitio sterilis sit. Fodiam igitur circū illam, & iijciam stercora: Hoc fomēto excitata si produxerit fructum, seruaueris arborem: sin autem uideris eam esse deploratæ sterilitatis, uenies ad id quod supremum est, & succides eam, ne saltē officiat uineæ tuæ. Hac parabola dominus in genere quidem cōmonuit omnes, ne deum prouocantem ad poenitentiam negligerent. Sed peculiariter notauit gentem Iudeorū, quæ toties prouocata ad meliora per patriarchas, per Moysen ac legem, per prophetas, per Ioannem, deniq; per tot miracula, per Euangelicam prædicationē, tamen quia persistit in obstinata malicia, funditus excindendā à Romanis. Et ecce mox exemplum fieri facit, ut quod parabola typus deliniarat, res ipsa subijceret oculis. Ceremoniarum legalium obseruatio ueluti folia erāt synagogæ, quæ uidebātur ceu polliceri dulcissimum ac deo gratissimū fructum ueræ pietatis & charitatis erga proximū, quū non solum nihil huiusmodi produxerit, uerum etiā amarus fructus adiderit inuidiæ, odi, obtreccionis, blasphemiarum, homicidij. Iesus enim quū ex more suo doceret sabbatis, aderat ibi in synagoga mulier quædā, cui decē & octo annis res fuerat cū morbo immedicabili miseroq;. Erat enim adeo cōtracto corpore, ut non posset erigere caput, nec aspicere sursum. Ecce mater, dum exerendi fructus boni, nisi ficus omnino sterilis fuisset. Mulier hæc imaginē gerebat gentium

Erat autē docens in synagoga

gentiū, & eorum qui palam impij & scelerati calamitatē suam præ se ferebant, toti defixi rebus terrenis, de rebus æternis ac cœlestibus ne cogitantes quidē. Contrā Iudæus erectus stabat in uinea domini, quæ est synagoga, uerbis legis ac ceremonijs corporalib. seu frondibus ornatus: qui nihil aliud nouit, q̃ inuidere & calūniari. Dominus aut̃ primū clementissimis illis oculis suis intuitus est mulierē. In hoc ipsum mox sequutura salutis omen est. Nec hoc cōtentus, ultro uocauit ad se. Felix quencunq; accersierit ad se Iesus, & felix qui audit uocantem. Venit mulier, plena bonæ spei. Morbus diutinus erat & immedicabilis, sed nulla est tanta impietas, aut iniquitas, quæ per Euangelicam fidem non aboleatur. Videamus igitur fructū bonæ arboris, quem in synagoga desiderabat Iesus. Mulier, inquit, liberata es ab ægritudine tua. Non dedignatur eam sui sacri corporis contactu. Imposuit illi manus, ac protinus erecta est, & agnoscens cœleste beneficium glorificat deum: ita subito mutata gentium ecclesia relictis simulacris, relicto studio pecuniæ, relictis foedissimis cupiditatibus, quibus diu sic fuerat alligata, ut nec aspirare posset ad cognitionē reſti cœlestium, cœpit laudare clemētiā diuinā, cuius gratuito beneficio semel liberata esset ab uniuersis uitijis suis, quibus obnoxia misere seruierat satanæ. Iam ex aduerso mibi considera malæ arboris malum fructum. Quum id uidisset Archisynagogus, uidelicet ficus illa sterilis, ac folijs tantum legis sese uenditans oculis hominū, indignans quod Iesus sabbato sanasset mulierem, ueluti rem magnā docturus, uertit se ad concionē. Nunc audi uocem uere pharisæicam, & ex hac totam illorum doctrinam aestima. Homo pius, timens ne populus exemplo Iesu prolaberetur in impietatē, consulit illius saluti, dicens magna cum autoritate: Sex dies sunt, in quibus fas est opus facere. Prōinde si quis sanari cupit, ueniat illis diebus. Sabbatum autē uiolare nefas est. Hanc tam stolidam uocem non tulit clementissimus dominus, qui sabbatum nō in hoc condiderat, ut à iuuando proximo cessaretur, sed à malefactis esset perpetua quies, quam illa sabbatorum ocia figurabant. Quoniam autem hæc uox archisynagogi ex omnium pharisæorum, scribarum ac legis peritorum sententia proferebatur, per unum respondit omnibus: Hypocritæ, inquit, qui neglecta uel legis, corticē duntaxat urgetis, ac speciem iusticiæ præ uobis geritis, quum procul abſitis à uera pietate, uidete, quā hic sitis iniqui iudices: Quis uesterū est, cui sabbati religio obſistat, quo minus à præsepe soluat bouem suum, aut asinū, ad aquaturus illum? Si iudicatis non uiolari sabbatū ob beneficium, quod muto iumento impenditur: mibi ueluti facinus atrox impingitis, quod hanc Abrahæ filiam germanam, uidelicet parentē sinceritatē fidei referentem, sanarim sabbato: Vobis tanti est priuatum cōmodum, ut non sit religio soluere lorum asino, ne sit pereat sabbato: & indignamini, quod hanc uestre gentis mulierem, quam satanas decem & octo annis habuit adstrictam, soluerim sabbato: Si opus interdicitur sabbato, uter plus operis facit, qui soluit asinum & ducit ad aquam: an ego qui solo uerbo, & contactu sanauit totam mulierem? Siccine mitiores estis in bouem, aut asinum, quā in sororem aut fratrem? Et sic legem obseruatis, ut eius superstitione negligatis id quod totius legis est caput: Hic sermo Iesu quoniam perspicuam habebat ueritatem, & ad sensum etiam communē humanæ naturæ consentaneam, pudorem incussit obrectatoribus illis. Dolebant enim aliquid sue gloriæ decedere apud multitudinem, apud quam eatenus sese uenditarant. Iesus autem indicare uolens omnem illam inanem pharisæorum ostentationem, quæ magnificam habebat sanctimonix speciem, breui euanituram: contrā, uim Euangelicam ex humillimis inijs profecturam in tantam amplitudinem, ut totum orbem ad se pertrahat, idq; per mortem, per apostolos humiles & idiotas, proposuit duas parabolas eiusdem sententiæ. Videtis, inquit, regnum synagogæ pugnare cum regno dei. Euincet tamen id quod potentius est. Itaque uelut afflatus nouo spiritu dominus quo redderet attentiores multitudinem dixit: Cui rei dicam esse simile regnum dei, aut cui comparabo illud, ut ex re nulli uestrum non notissima intelligatis quale sit? Quinque iam omnes expectarent magnificam aliquam similitudinē, de sole, aut fulmine sumptam, maluit à contēptissimo legumine ducere parabolā. Simile est, inquit, grano sinapis, quod quā diu est integrum, ut minutissimum est, ita uilissimū est, nec colore, nec odore, blandiens oculis, & si quid habet uigoris, intus habet. Hoc homo quidā prudens nactus non contempsit, sed seuit in horto suo. Enatum est autē illud contēptissimū semen, & excreuit in arborem ingentem, adeo ut in ramis eius etiam aues nidularentur, pro uno grano multa

multa milia producentis. Sic regnum dei, quā maxime uidebitur extinctum, tum sese latissime proferet. Rursus autem cui rei simile dicam regnū dei? Simile est exiguae massulae fermenti, quod prudens mulier abdidit in farinae conspersae tribus mensuris, atque ibi reliquit ueluti sepultum, donec paulatim fermenti uis afficeret totā illam quamuis multā farinam: sic humilis doctrina Euangelij quondā occupabit uniuersas orbis nationes. Hæc loquutus Iesus properabat eō, ubi granū erat infodiendum terræ, ubi fermentū abdendum in farina. Facebat enim iter Hierosolymam, ubi sciebat sese occidendum. Sed inter eundē per singulas ciuitates ac uicos docebat omneis, ne quid tēporis periret ab Euangelio. Quoniam autē sublimia quædam docuerat de uendendis facultatibus, de uiuendo ex tempore, cor uorum ac liliorum ritu, de non contendendo cum aduersario, quidam adiens eum dixit: Domine, an pauci sunt, qui salutem consequuntur? Nam ista quæ doces, haud ita multos reor amplexuros. Rursus autem parabola de grano sinapis, & fermento uidetur diuersum polliceri, nempe uim regni dei peruenturam ad multos. Iesus autem ostendere uolens, famam quidem & cognitionem Euangelicæ doctrinæ, ad hæc & miraculorū gestionem peruenturam ad plurimos, ceterū neminem fore saluum, qui non depositis omnibus huius mundi cupiditatibus sequatur humilem Christum, dixit: Contēdite intrare per angustam portam. Id non cōtingit oscitantibus. Conandum est, angustus est ingressus, sed diutius latitudinem regni celorum. Non capit hæc porta onustos diuitijs, cumulos hono-ribus, distentos luxu, graueis auaritia, turgidos & elatos fastu. Qui tales sunt, eligūt uiam latam, spaciosam, & prima specie blandā, sed ducentem ad mortem. Nunc igitur contēdite intrare, dum patet aditus: excutite sarcinas omneis, ut uos capiat angustus ingressus. Nam illud affirmo uobis: Erunt complures olim qui cupient intrare, nec licebit, uidelicet occluso iam aditu. Quū enim intrauerit paterfamiliās, & clauferit ostiū, quod nunc patet omnibus adnitentibus: tum sero resipiscetes agnoscetis errorē uestrū, & inuidentes his qui sunt ingressi, incipietis obsidere ostiū, ac pulsare fores dicentes: Domine aperi nobis. Tunc ille, qui prius non est auditus inuitās ad ingressum, uicissim nō audiet uos, sed respōdebit hunc in modum: Audio nomen domini, sed ego uos non agnosco famulos, querite eum cui seruiistis. Tunc uos incipietis dicere: Qui sit domine, ut nūc nō agnoscas nos? Apud nos natus es, edimus ac bibimus tecū, & in plateis nostris docuisti. Et sumus tui discipuli, atque etiam in tuo nomīne sanauimus egrotos, & demonia eiecimus. Hic respondebit paterfamiliās: Ista quæ cōmemoratis non efficiunt mihi germanos discipulos. Qui meis uestigijs ingressus fuerit, hūc ego pro meo agnoscam. Vos cuiates sitis nescio. Discedite à me, nihil uobis proderit, nouisse legē, audisse me, nihil gentis cognatio, aut cōsuetudinis familiaritas, nihil ædita in nomīne meo miracula. Quisquis inuidet, aut odit fratrem, quisquis suæ gloriæ consulit cum iniuriā gloriæ dei, quisquis pecuniā antepōnit charitati proximi, hic quacūq; de gentē uenit, meus non est. Abite igitur, recepturi uobis dignū præmium ab eo, quem coluistis. Famuli mei quoniam mecū, & mea causa passi sunt, mecum æterni conuiuij iucunditate fruuntur. Vos qui seculi uoluptates præposuistis æternæ felicitati, illuc abite, ubi erit fletus & stridor dentiū. Augebit enim calamitatē uestram aliorū cōspecta felicitas, quos hic fueratis persequuti. Videbitis em̄ progenitores uestros Abraham, Isaac & Iacob, ac prophetas omneis, quos uestri maiores uel afflixerunt, uel occiderunt, accubentes in regno dei, ac uos ab his prognatos expelli foras, neque quicquā uobis prodesse generis & cognationis prerogatiuam: nihil profuisse legis obseruationē, nihil audisse nos, nihil ædidisse miracula. Per fidē intrandū erat ad hanc felicitatē. Accedet & aliud quod acrius etiā uret animos uestros. Vobis repullis, qui credebatis uos solos recipiēdos uenire ex omni totius orbi natione, ex omnib. mundi plagis, promiscue nulloque delectū, quibus nihil fuit cognationis cū Abraham, Isaac & Iacob, nulla noticiā legis, nulla mecū familiaritas, & subito per fidē adoptati in filios Abraham, accumbent in regno dei. Ita res præter expectationē uestram in diuersum uertetur. Qui uidebantur proximi salutis, procul a salute reijcientur. Et qui uestro iudicio habebantur alienissimi à deo, idololatæ, ceti-ones, publicani, milites, meretrices, primum honorem habebunt in regno dei. Quoniam autem hæc inuisa Iudæorum auribus, passim magna cum libertate docebat Iesus, pharisæi quidam, ut infecto metu obturarent os Euangelicum, adierunt Iesum, dicentes illi: Consule uitæ tuæ, & relinque Galilæā. Nam Herodes huius prouinciæ rex tibi male

Quia non ca-
pit prophetā

uult, & uenatur occasionem occidēdi te. Quod nī caueris nihilo mīstus trahabīt te, quā tractauit Ioannem. Iesus autem declarans sibi nihil esse periculū a quoquam homīne, nī uellet ipse, nec se moriturum, nī eo tempore quo decretum esset, nec alio genere mortis, nec alio loco, quā constitutum esset, ait illis: Ite & dicite uulpi illi, qui uersutia humana credit se aliquid posse aduersus consiliū dei: Ecce non est humanum quod gero, nec licet desinere ante tēpus a deo p̄scriptum. Nihil Herodi iuris in hoc negocio. Quēadmodū enim illius autoritas nemini potest p̄stare, ut hāc agat: ita neminem potest impedire, ne quod agit, peragat. Quir autem impediāt, si bona sunt quā facio: Eijcio dāmonia, & propello morbos. Hāc gratis operor, non dīu facturū. Breue tēpus est, quod multi cuperent esse longius, sed ita mihi patriq; meo decretum, ut ad salutem hominū hāc agam hodie & cras, & tertio die summam manum meis factis impono. Non oportet igitur hoc exiguo tempore ab officio delegato cessare, sed tanto maiore conatu, quod delegatum est agere, quo spatium est breuius. Non igitur mihi fugiendus est Herodes, sed petēda est Hierosolyma, ubi mori decretum est, ut palām fiat omnibus ciuitatis illius impietas, quā se nomine religionis iactat. Siquidem illa est uetus illa prophetarum interfec̄trix. Neq; conuenit ut propheta quisquam pereat extra Hierosolymam. Atq; interim misericors dominus, qui p̄ sua bonitate cupiebat omneis saluos fieri, p̄uidens imminere insanabili ciuitati suū premium excidium, deplorat illam, quā toties sp̄reta dei bonitate, ad meliora uocātis, meruit extremam ultionem: O Hierosolyma, Hierosolyma, illa uetus interfec̄trix prophetarum, ac lapidatrix eorum qui mittuntur ad te, quoties conatus sum congregare filios tuos mihiq; adiungere, non secus atq; gallina congregat pullos suos sub alas suas ne pereant. Tua uero pertinaciā uicit meam bonitatem. Et quasi deuota exitio, sic omnia respuis, per quā possis sanari. Proinde quando tu nullum impietatis modum facis, imminet tibi saua calamitas. Relinquetur enim uobis domus uestra deserta, sic ut uix ullum uestigiū super futurum sit istius urbis, quā nunc se iactat ut religionis caput. Trāferetur a uobis omnis gloria, ac demigrabit ad gentes. Ipsi feretis sententiā aduersus uos. Occidetis quidem me, sed illud affirmo, non prius uidebitis me, quā dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini. Hāc erit uestra professio, quam ueritas a uobis extorquebit: sed tamē mox reuersa ad ingenium progenitorū uestrorū, occidetis quem p̄dicastis.

CAP. XIIII



Cc̄idit autem post, ut inuitatus ad conuiuiū a quodam inter pharisaeos primario, adiret domum illius, ac cibum caperet apud eum. Erat autē dies sabbati. Accumbebant uero simul & alij multi pharisaei, qui more suo obseruabant Iesum, si quid diceret faceretue, quod in eo calumniaretur. Et ecce parata calumniae occasio. Aderat enim illic homo quidā hydropici obnoxius, malo ferē immedicabili, colore lurido, corpore turgido. Sed huic misero profuit uenisse in cōspectū Iesu. Infelix em̄ peccator qui se subducit ab eius cōspectu, qui cupit omneis fieri saluos. Iesus autē non ignarus, quid apud se cogitaret pharisaei, ac legis periti, rogabat eos: an sabbato fas esset cōferre sanitatem homini perituro. Illi quū obticuissent, Iesus accessit hydropicū ad se, & contactu suo sanauit eum, ac iussit abire. Illico mutatus est hominis color, subsedit corporis tumor. Hoc factum quū esset admirabile, tamen pharisaeos offēdebat uiolata sabbati religio. Iesus autē ostendens, illorū religionem esse p̄posteram, quā in salute hominis offēderetur, in asino seruato nō offēderetur: respōdit illorū tacitis cogitationibus, ac dixit: Si cuiusquam uestrum asinus, aut bos decidisset in puteū die sabbati, utrum expectaret donec p̄terisset sabbatum: an potius nihil moratus, statim eodem die extraheret iumentum suum ne periret: Si tantum apud uos ualet bouis, aut asinus, ut non putetis uiolari sabbatum: quir offēditur animus uester, quod hunc hominem, cui p̄sens erat periculū ab aquis intercutibus, seruauerim die sabbati: Si opus expenditur, plus est operis in extrahendo iumento, quā in hoc homine seruando. Vidi, coniūgi, & dimisi. Si personam aestimatis, potior esse uobis debet unius hominis salus, quā plurimorum bouum aut asinorum. Ad hunc sermonem obticuere pharisaei, quorum animi erant corrupti deprauatq; ut quū non haberent quod dilucidā ueritati responderent, tamen approbare non possent quod a Iesu fieri uidebant. Quod si quid ipsi eiusmodi facere potuissent, omnibus tubis ebuccinassent gloriā suam. Caterū quoniam dominus Iesus omnium factorum suorum gloriā uolebat esse penes patrem deum, pharisaeorum suā

catam

etiam sanctimoniam ubiq; detegebat, qui nimium diu inposituissent simplici populo. Ver-
 tabantur enim gloriam suam apud homines, & ideo inuidebant gloriæ dei. Atq; hic erat
 verus hydrops animi, nascens ex corrupto iudicio mētis, uelut ex hepate uitiato. Collocan-
 tes enim gloriam in his rebus, in quibus non erat gloriandum, tumebant foris inani fastu,
 intus intestinis omnibus misere corruptis ac putrefactis. Proinde dominus, qui contactu
 sanarat hydropicū, cupit & horum morbo, salutiferi sermonis mederi pharmaco. Quic-
 quidenim agebant pharisæi, ad fastum & inanem ostentationē agebant. Obambulabant
 in phylacterijs, orabant in triuijs, dabant eleemosynam præcinente tuba, ieiunabant arte
 obscurata facie, in foro uenabatur magnificas salutationes, in cōuiuijs captabant honora-
 tiores accubitus. Tanta erat sitis stultissimæ gloriæ, tantus erat tumor, sed intus nihil erat
 syncerum. At facile sanatus est ille, qui aqua intercute laborabat, quia morbum agnosce-
 bat, & sanari desiderabat. Morbus animi sanari non potest, si non agnoscas. Iesus itaque
 taxare uoluit fastum illorum, quos princeps ille pharisæorum non ad hospitalitatem, sed
 ad ostentationem inuitarat, quod uocati ad conuiuia, ambirent locum honoratiorē, sibi
 placentes, si sella contigisset honestior: tristes, si locus cessisset in honoratior. Quales uide-
 mus adhuc esse ferme solennes Rabinorum pompas, quoties à synagoga proceditur ad
 conuiuium. In synagoga sedent in sublimi, ceteros uelut ex alto despectantes: citius cubi-
 to deturbaturi proximum, quàm cuiquam cessuri locum suum. Utator ingrediētibus uis-
 am facit subinde repetito honorifico titulo: offenduntur, si quis non assurgat prætereunti-
 bus, si quis caput non aperiat, si quis ausit considerare, priusq; ingrediens ille cōfederit. His
 interim ineptis ceremonijs teritur tempus, ut non uacet aliquid discere. Nec enim illi Ra-
 bini in hoc ueniunt, ut discant, aut doceant, sed ut apud populum uenientur gloriam. Ma-
 gna pompa ueniunt, sed maiore egrediuntur. Diceret ludos agi solennes, aut diuitis funus
 incedere. Hic rursus de loco certamen. Nemo nō grauem iniuriam factam existimat, si læ-
 uum claudat latus ei, qui uidetur inferior. Rursus in cōuiuiō mira de loco cōtentio. Quid
 multis? Hydrops est quicquid agunt, inanis gloriæ uenatus est, quum interim apud po-
 pulum pro dijs haberi uelint. Iesus igitur cupiens huiusmodi morbo laborantes docere,
 non esse ueram gloriam quæ ambitur, sed quæ quum promerearis, uitatur, proposuit hu-
 iusmodi parabolā, ciuilitate ita tangens uniuscuiusq; conscientia, ut neminem tamen pro-
 deret. Quū fueris, inquit, inuitatus ad nuptiale conuiuium, caue ne ipse primum occupes
 locum ne forte posteaq; tu accubueris, superueniat alius te honoratior, iamq; ueniens is,
 qui & te & illum inuitauit, iubeat te surgere, ac locum cedere honoratiori. Tum pro capta
 gloria lucrifacies ignominiam, & cogeris cum rubore tenere locū extremum. Quin po-
 tius quum uocatus fueris ad honorabile cōuiuiū, sume tibi locum accubitus postremum,
 ut quum uenerit cōuiuator, dicat tibi: Amice ascende ad locum honoratiorem. Tunc tua
 modestia cedit tibi in gloriā apud conuiuas reliquos. Modestiam tuam agnoscent ex eo,
 quod tibi postremum locum delegeris, dignitatē agnoscēt ex conuiuatore. Sic est in homi-
 nis uita: Quo quisq; maior est, hoc se magis debet deijcere, donec ueniat ille, qui uera per-
 petuaq; gloria subuehit humiles iuxta mūdum, & elatos ac sublimes deijcit. Sic in regno
 dei populus receptus est usq; ad apostolicæ dignitatis fastigium, sacerdotes, pharisæi, scri-
 bæ & legis periti reiecti sunt. Gentes agnoscentes humilitatem suam, erecti sunt ad æternæ
 gloriæ consortium. Iudæi, qui soli regnare uolebant in hoc conuiuiō, nunc aut nullum
 habent locū, aut habēt postremū. Atq; hæc quidē parabola pertinebat ad superbos phari-
 sæos. Adiecit dominus alteram, quæ peculiariter pertinebat ad pharisæorum principem.
 Diuites enim dum uolunt hospitales uideri, non uocant quos reficiant, sed eos à quibus
 uisum inuitentur, aut unde gloriam aucupentur sibi. Atq; hæc quidem non est hospitali-
 tas, sed ambitio, uel avaritia, uel utrunq;. Liberalitas enim est, quæ libenter cuius præstat
 beneficium sine spe reddituræ gratiæ. Parabola sic habet: Si uis bene collocare conuiuium
 tuum, si quando est tibi animus exhibere prandium aut cœnam, noli uocare amicos tuos,
 quia tua liberalitate non egeant, aut qui bene de te meriti sint, ne uel referre gratiā, uel capta
 re beneficium uidearis, uel pudore uocare, ne uidearis ingratus: neq; fratres tuos aut uici-
 nos, ne beneficium cognationi datum uideatur, non affectui: neq; uicinos diuites, ne tibi
 preceat exhibiti conuiuij gratia. Peribit autem, si illi te uicissim inuitent, & conuiuium aut
 æquale, aut lautius etiam exhibeatur. Sic enim pensato beneficio, nihil debebunt gratias

sed si cupis bene collocare conuiuium, unde tibi redeat amplissima merces, non ab hominibus sed à deo, uoca pauperes, debiles, cecos, & claudos. In his refocillandis deum refice. Dices: in his opera & impensa perierit. Non enim habent quod rependant, & semper egent. Hoc ipso beatus eris, quia non habent quod referant. Sed habent opulentissimum patronum, qui sibi patietur imputari, quod in illos collatum fuerit. Is restituet pro temporarijs aeterna. Noli praepropere poscere mercedem. Bonae fidei est cui credis. Restituet enim haud dubie, si non in hac uita, quando hic quoque restituet, certe in resurrectione iustorum. Hæc autem domini parabola, non solum pertinebat ad pauperes conuiuii reficiendos, sed ad subleuandam omnem proximi necessitatē, siue docendus est, siue monendus, siue consolandus, siue alio quocunque charitatis officio promouendus ad salutem. Hæc autem deo sunt præstanda, non homini. Hæc quum dixisset Iesus de conuiuii nuptiali, deque resurrectione iustorum: quidam e conuiuiis ueluti per somnū tactus desiderio celestis illius conuiuii, dixit: Beatus cui continget edere panem in regno dei: ueluti subindicans paucos fore, quibus cessura sit ea felicitas, quasi non quilibet ad illud conuiuium sint admittendi, sed duntaxat Iudæi, aut Iudæorum primores. Iesus autem, proposita parabola, docuit primo quidem loco uocatos Iudæos, ne queri possent sese spreto esse: sed dum ipsi dediti rebus mundanis uocati recusant uenire, pluris habentes peritura bona, quam uitam eternam, uocandas esse omnes promiscue nationes, ut impleretur ecclesiæ coetus. Parabola erat huiusmodi. Homo quidam prædiues constituerat exhibere coenam magnificam. Ad eam uocarat compluris. Quumque iam instaret coenæ tempus, misit seruum suum, qui nunciaret omnibus inuitatis iam instare coenæ tempus, properarent. Inuitat olim per prophetas, denunciaturus rursus per Ioannem, ac filium hominis. Venite, inquit, iam enim parata sunt omnia. Hic cum frueretur expectata diu coena, coeperunt simul omnes excusare, alius alio prætextu. Primus enim intentus augendæ rei domesticæ, ac prius habens lucrum terrenæ possessionis, quam æternæ felicitatis, respondit urgenti famulo: Prædium mercatus sum in agro, & necesse est eò proficisci, ut inuisam quod emi. Rogo te, habeat me dominus tuus excusatum. Itum est ad alterum. Ille simili morbo laborans, respondit: Iuga bouum emi quinque. Eundem igitur, ut ea probem, an feliciter emerim. Rogo te, effice ut dominus tuus habeat me excusatum: liberet enim uenire, si liceret. Itum est ad tertium. Et is excusauit, dicens: Vxorem duxi, & scis quàm sit res operosa, quot curas secum trahat, & idcirco si maxime uelim, non licet nunc uenire. His atque alijs prætextibus quum sese excusassent omnes, seruus reuersus renunciauit domino suo. Ibi dominus indignans, quod ultro uocati ad tam honorabile tamque felix conuiuium, ob res friuolas excusarent omnes, quo magis ureretur in posterum, simulatque intellexissent, & quantam rem spreuissent, & qui nunc in sprete felicitatis societatem successissent, dixit seruo inuitatori: Abi celeriter in omnes plateas & uicos huius ciuitatis, & quoscunque habueris obuios, debiles, cecos, & claudos, adducito ad conuiuium meum. Illos honoris gratia primos uocaui, non habent quod querantur. Illorum fastidium non perdet conuiuium meum. Erunt qui fruuntur, etiam si illi contemnant oblatum honorem. Efficiam, ut qui sibi uidentur magni, cæcis, debilibus, claudis, & omnium abiectionis hominibus inuideant. Rediit seruus, & peractis quæ mandarat paterfamilias, ait illi: Domine adduxi quoslibet, etiam e medijs uis, & tamen adhuc aliqua pars tui conuiuii uocabitur. Nam apparasti copiosissimum, & innumerabilium conuiuiarum capax. Dominus autem cupiens, apparatus conuiuium quàm plurimis esse usui, dixit seruo: Abi rursus, abi uel extra ciuitatem in uias ac sepes, & undecunque collige mendicos, hospites uel ignotissimos: qui si grauentur uenire, uel improbitate compelle ut ueniant ad me, & tandem impleatur domus mea. Illud autem affirmo uobis, quod nemo uirorum illorum, quibus id honoris habitum est, ut primi uocarentur, & fastidierunt, gustabit coenam meam. Fortasse poenitebit illos olim, quum uiderint lautitias, ac splendorem conuiuii, & inuidebunt his, quibus ipsorum fastidium locum fecit. Sed frustra tum cupient ingredi, qui cum liceret, excusati sunt. Hæc loquutus Iesus in conuiuii pharisæorum, perrexit ire Hierosolimam. Comitabatur autem illum ingens hominum multitudo. Sequebantur multi pedibus, qui uitæ exemplo sequi non potuissent. Ibat enim ad crucem, ad quam oportet esse paratum, quisquis uultius esse discipulus. Conuersus igitur ad sequentes se, dixit: Non omnis qui me sequitur pedibus corporis, uere meus est discipulus. Nemo se mihi iungat, nisi paratus ad eadem, ad quæ

Et conuersus
dixit ad illos

ad quæ ego propero. Omnibus humanis affectibus renunciet oportet, qui uolet perpetuus meus esse discipulus. Etenim si quis uenit ad me, nec adhuc odit patrem & matrem suam, uxorem, filios, fratres & sorores, quin insuper & suam ipsius uitam, non potest meus esse discipulus. Et qui grauatur baiulare crucem suam, atque ita sequi me, non potest meus esse discipulus. Alioqui si quis ad me ueniat, obnoxius humanis affectibus diuitiarum, honorum, uoluptatum, parentum, cognatorum, affinium, cupiditati uitæ, formidini mortis, ad abiectam occasionem resiliet ab instituto. Proinde priusquam aggrediare negocium nequam, quam delicatum, animum præpara ad omnia dura, quæ sint perpetienda. Alioqui tolerabilis est non aggressum esse, quam ab eo quod cœperis, deficere. Saltem hic ea prouidentia præstanda est, quàm homines præstant in rebus multo leuioribus. Quis enim est ex uobis tam improvidus, ut in animo habens ædificare turrim, statim ac temere aggrediatur quod cogitat? Non enim solum cogitat, habere turrim, sed antequam iaciat fundamentum, sedens per ocium supputat apud se, quantis impendijs sit opus futurum ad turrim absoluentem. Quod si deprehenderit rem familiarem angustiorē esse, quàm ut sumptum necessarium ferre possit, abstinere: ne si semel iacio fundamento, postea destiterit, eo quod perficere non possit, omnes qui prætereuntes conspexerint opus cœptum & intermissum incipiant ei illudere, dicentes: Hic homo cœpit ædificare, quod non potuit consummare. Itaque si tantum habet momenti pudor apud homines, ut nemo ausit ædificium incipere, nisi consultis facultatibus domesticis: quanto magis oportet expendere robur animi uestri, priusquam profiteamini uos fore sectatores meos: à quo si semel cœperitis resilire, grauis sit ignominia apud angelos dei. Non est delicata res sequi me. Nec satis est magnifice dicere, nisi robur adsit par negotio. Quis autem rex tam incogitans est, ut si paret expeditionem aduersus alium regem, non antea quàm quicquam moliat, per ocium sedens expendat vires regni sui, an expediat occurrere hosti ueniēti aduersum se cum uiginti milibus hominum, cum manu decem milium. Quod si comperit sibi vires esse impares ad conflictum, prius quàm ille propius admoueat exercitum, mittit ad illum oratores, qui tractent de conditionibus pacis. Nam id sane tolerabilius est, quàm experiri Martis aleam imparibus præsidijs. Honestius est enim ante prælium commissum agere de rebus componendis, quàm post cladem acceptam, inhonestioribus etiam legibus accipere pacem. Quod si homines in rebus huiusmodi subducere norunt, quid præstare possint priusquam incipiant: quanto magis oportet idem facere in hoc negotio, quo non est aliud maius aut fortius. Quisquis igitur est ex uobis qui sequitur me, nec affectu renunciauit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Oportet autem ingenuum esse discipulum, aut nullum. Nihil enim abiectius eo, qui à suscepta professione perfectionis Euangelicæ, uictus cupiditatibus carnis resiliit. Oportet autem discipulum meum esse similem sali. Sal si uigore habeat, ualet feruandis & condiendis omnibus cibis. Quod si semel sal esse desierit, & uis illa natua euaneuerit, ita ut ipsi sal tale sit opus, nulla ratione potest effici, ut ad ullum ualeat usum. Nec enim condire potest aliquid, nec ab alio sale condiri. Ceteræ res, etiam si corrumpantur, tamen aliquem de se præbent usum. Veluti uinum ubi uapuerit, uertitur in acetum. Sal uero magis quidē rei, sed unius natus, si factus fuerit insipidus, nulli hominum usui accommodus est, adeo ut ne in sterquilinum quidē sit utilis, quod coniicitur etiam ea, quæ sunt corruptissimæ. Adfert enim sterilitatē admixtus letamini, & adeo nullam adfert usquam utilitatem tibi dāt etiam, quicquid attigerit. Hoc sermone dominus Iesus admonuit quorundā temeritatem, qui uolebant uideri discipuli Christi, quum non ignoraret etiā eos, quos ex omnibus paucos se legerat, ad crucis horrorem defecturos esse. Sed ut hic sermo infingeretur animis eorum, in posterum intelligendus, adiecit: Audiat hæc, cui sunt aures talium rerum capax. Non enim quorūlibet aures huiusmodi dicta ferre possunt.

CAP.

XV.



Vm autē conflueret ad Iesum uniuersa populi multitudo, nec ille quenquam submoueret aut fastidiret, ausi sunt etiam propius ad illum accedere publicani quidam, & peccatores: quod genus hominum pharisæi uehementer abominari solent, ad ostentationem sanctimonie, quum certissimum sanctimonie signum sit, non fastidire peccatorem, sed adniti modis omnibus ut resipiscat, & resipiscēti gratulari. Itaque pharisæi, qui quum essent intus pleni fastu, liuore, odio, avaritia, superbia, tamen sibi iusti uidebantur: uidentes quod Iesus non grauare sui copiam faceret publicanis

Tom. 7.

C 3.

publicanis

publicanis, cæterisque ob palam admissa infamibus: quod genus sunt lenones & meretrices, murmurant aduersus illius clementiam, dicentes: Hic qui nouam quandam sanctimoniam proficitur, tamen non uitat malorum consortia, sed notos etiam peccatores admittit ad colloquium: & adeo non fugit congressum, ut cibum etiam cum illis capiat, non cogitans quod malorum contubernio contaminentur boni. Iesus autem ut hunc fastum inclementem penitus eximeret ex animis suorum, tres parabolas proposuit, diuersis argumentis eodem adhortantes: nimirum ad summam clementiam erga peccatorem resipiscetem: qui non solum repellendus non est, quum redit ad mentem meliorem, uerum etiam modis omnibus inuitandus est, ut resipiscat. Prima parabola sic habet: Quam, inquit, deus non auersetur peccatorem resipiscentem, ex suo quisque animo coniectare potest. Est ne uestrum quisquam, cui sint oues centum? Nimirum sua cuique res chara est, nec cupit aliquid inde perire. Quid faciat autem si e centum ouibus contingat unam aberrare? An non unius damno tantopere commouebitur, ut relictis nonagintanovem in deserto, sollicitus cursitet ad illam quæ periit, neque conquiescat, donec inuenerit? Quid autem si contingat inuenire perditam ouiculam? Nimirum gaudens imponet eam humeris suis, & gregi iunget, latior de una recepta, cui timuerat, quam de incolumitate totius gregis, cui non metuebat. Tanta est autem gaudij magnitudo, ut sese non contineat, quin & apud alios effundat. Nam domum ueniens, perinde quasi insigni lucro auctus, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Gratulemini mihi, meoque gaudio uelut amici gaudeatis, quando quidem decet inter amicos esse communia omnia: quoniam inueni ouem quæ mihi perierat. Si hic est affectus boni pastoris erga gregem suum, quo affectu putatis esse deum erga genus hominum, quod condidit, quod alit, quod in sui nominis gloriam æternæ felicitati destinauit? An ille spreurus est peccatorem, quem à grege seduxit Satanas? An potius, ut est misericors, & amans eorum quæ condidit, nihil non facurus est, ut perditum asserat? multoque cum gaudio recipiat poenitentem, quem doluerat perisse? Illud affirmo uobis, quod quæadmodum pastor ille ob unicam ouiculam receptam gaudet cum amicis & uicinis suis, ita magis gaudium erit omnibus angelis in celo de uno peccatore resipiscente, quam de nonaginta nouem iustis, quibus non est opus poenitentia. Hæc imago peculiariter quidem designabat dominum Iesum, qui solus est ille pastor summe bonus, qui collapsum genus humanum patri reconciliauit: de suo dependens, quod nos commeruimus, nostraque peccata baiulans in corpore suo. Quanquam autem nullam reperit nationem quæ non esset multis peccatis obnoxia, tamen Iudæi ad cæteras gentes collati, uidebantur habere speciem iusticiæ, quod deum unum colerent, quod legem à deo traditam obseruarent. Et erant inter Iudæos, qui præceptorum legalium tenaciores, sibi uidebantur non egere poenitentia. Sed horum iusticia minus attulit gaudij pio pastori, quam gentes à maximis ac manifestis criminibus resipiscentes, ab idololatrijs, ab adulterijs, ab libidinibus prodigiosis. Et inter Iudæos magis illustrauit dei misericordiam Paulus, ex persequutore factus apostolus, quam si Christum tacitus cum suo Iudaismo miscuisset: quod à multis tum factum est. Pertinet autem parabola generaliter ad apostolos, & apostolorum successores episcopos. Nam hos oportet Christi principis affectum erga gregem ipsius representare, si tamen mercenarii pastores non sunt. Fit enim frequenter, ut qui ab enormibus ac manifestis peccatis conuertuntur ad ueram pietatem, studio pietatis longe præcurrant eos, qui nunquam in eiusmodi flagitia prolapsi fuerunt. Hos non fastidiet Evangelicus pastor, sed omnia tentabit, donec ad ecclesiæ caulas reduxerit. Resipiscentes multo publicoque gaudio recipiet. Obmurmurent pharisæi, qui fucata iusticia freti, non intelligunt quanto gratior sit deo misericordia, quam sacrificium. Qui uere iusti sunt, qui amici boni pastoris, maiore gaudio gratulabuntur receptæ oui, quam multis in sua frigida iusticia confidentibus. Non enim imputant pristinos errores, quos semel gratis condonauit & oblitus est deus, sed applaudunt ad nouæ uitæ studium recurrenti. Redire non poterat, nisi pastor humeris suis reuexisset, atque ideo sanctorum chorus applaudit bonitati diuinæ, non inuidens alteri, quod in se quisque expertus est: & omnium commune ducens, quod unicuique membro contigerit, seu boni, seu mali. Aequum autem est, esse totius ecclesiæ communem læticiam, quum moeror & sollicitudo fuerit omnium communis. Hæc igitur erat prima parabola, qua dominus taxat pharisaicam & arrogantem iusticiam, quæ peccatores tantum oderat, ac uitabat: quum ueræ pietatis sit omnium procurare salutem, peccantes summa cum mansuetudine reuocare ad meliora, resipiscentes summo cum affectu charitatis reci-

per. Hæc clementia si Christus, qui solus peccatū non nouit, usus est; quanto magis de-
 cet hominem, & ipsum peccatis obnoxium, idem facere erga proximum suum. Altera
 parabola sic habet: Quæ inquit, est inter uos mulier, cui si ex decem drachmis una perie-
 rit, negligat damnum unius nummi, quum nouem sint incolumes? Quid igitur faciet?
 Nimirum accendit lucernam, euerret totam domum, scrutabitur omnes angulos, nihil
 non mouebit loco: breuiter, non faciet quærendi finem, donec inueniat drachmā per-
 ditam. Quod si contingat inuenire, tantum est de una recepta gaudium, ut sibi non tem-
 peret, quin & apud amicas suas ac uicinas effundat, quibus conuocatis dicet: Gratule-
 mini mihi quod inuenerim drachmā, quæ mihi perierat. Non iactat nouem drachmas,
 quæ non perierant: de una recepta gloriatur, & hac unā sibi uidetur locupletior, quā
 nouem illis. Si mulier sic est affecta erga nummos suos, ut doleat quicquam perire, & ut
 uehementer gaudeat, receptum esse quicquid perijt, quamuis pusillum: quanto magis
 deus nihil uolet perire ex hominibus, pro quibus seruandis seipsum impendit, quos ad
 imaginem suam condidit. Tertiā parabolam adiecit, quæ quanquam & ipsa genera-
 liter pertinet ad omnem peccatorem, post ingentia flagitia resipiscētē, tamen pro tem-
 poris illius quo dicta est ratione, peculiarius notat gentes, ad euangelij gratiā receptas:
 & Iudæos, qui sibi iusti uidebantur, illorū inuidentes felicitati. Parabola sic habet: Ho-
 mo quidam, inquit, habuit duos filios, ex his qui minor erat natu, adolescentiā ac stulti-
 tiam in consilium adhibens, adiit patrem, & ait illi: Pater da mihi portionē facultatum,
 quæ redit ad me: experiar enim meo more, quid ex hoc lucri facere possim. Pater indul-
 gens, partitus est inter duos filios substantiam, & unicuique data est sua portio cum facul-
 tate utendi ut uellet, non tamen sine spe profectus. Ac maior quidem haud longe seiun-
 ctus est à domo paterna. Minor uero intra dies paucos diuenditis omnibus, contracta
 præsentē pecunia, peregre profectus est in regionē longinquā. Quid faceret adolescens
 & sui iuris, & semotus à patre, & uiuens peregre? Diuortiū facit cum benignissimo pa-
 tre deo, qui se facit aduenam mundi. Non est ista locorum seiunctio, sed affectiū. Cor-
 rumpunt mores bonos, colloquia praua. Iudaicus populus legem acceperat, cuius du-
 ctu sciret quid esset sequendum, quid fugiendum. Habuit & gentiū populus dotes suas,
 uim ingenij, cognitionem rerum conditarum, ex quibus licuisset cognoscere condito-
 rem, sicut & cognouerunt. Quin & de ratione recte uiuendi libros absolutos ædiderūt,
 sed immemores, quod has ipsas opes deberent patris benignitati: quas ille non in hoc
 indulsit, ut stulte abuterentur, uerum ut ex his parentem beneficū colerent, suoque cul-
 tu ad largiorem munificentiam prouocarent. Quantum autem aberrarant à deo, qui li-
 gna, lapides, qui canes, boues, simias, serpentes, cepas, & porrum colebant, pro dijs: qui
 in eas turpitudines prolapsi sunt, à quibus bruta quoque animantia semouet naturæ schi-
 sus. Infelix autem libertas, quam patris præsentia non moderatur. Quid enim accidit iu-
 ueni, emancipato? Inter peregrinos prodegit omnem substantiā, non ipsius qui nihil ha-
 bebat suum, sed patris. Prodegit autem per luxum, alēa, scortis, conuiujs. Luxus enim
 est, quicquid extra necessitatem carnis cupiditatibus impenditur. Hæc nimirum corrū-
 puit ac uitiānt, quamuis præclaras naturæ dotes. Vbi uero profudisset uniuersam sub-
 stantiā suā, per omnia morē gerens animo suo, orta est fames ingens in ea regione, in
 qua iuuenis peregrinabatur. Nihil enim habet hic mundus, quod explere possit animū
 hominis, præter summū illud bonū, quod non est nisi in domo patris. Quid faceret ado-
 lescens peregrinus inter ignotos, nudus & fame periclitans? Cui graue fuerat obtempe-
 rare iussis clementissimi patris, coactus est sese dare in seruitutem cui peregrino & bar-
 bato. Quū recusant homines accipere suaue iugum domini, coguntur ferre durissimum
 iugum Satanae. Vis autē audire, quā sit misera seruitus, seruire cupiditatibus munda-
 nis? Cuius ille misit illum in uillam suā, ut illic pasceret porcos suos. A quāta dignitate,
 in quantā cōtumeliā sua stultitia deuenerat miser adolescens. Ex ditissimæ domus hæ-
 redes factus est seruus & subulcus. Nec interim crudelis ille dominus dabat quod ede-
 ret. Quid multis? Tanta erat fames ueritatis & gratiæ diuinæ, quæ sola explet animum
 hominis, ut cuperet implere uentrem quibuslibet uel filiquis, quibus saginantur porci.
 Neque quisquā erat, qui uel hoc pabulū illi daret, ut iam infelicior esset ipsis porcis, quib.
 seruebat uerius, quā imperabat. Iam illa ipsa naturæ bona destituerāt iuuenē. Perierat arbi-

trij qualiscunq; libertas, & tamen corruptissimus animi stomachus aliquid cibi flagitabat. Omnis inanis mundi uoluptas ad breue tempus deliniens nec satians, nec saginans animum, porcorum siliquæ sunt. His delectantur dæmones, ac sibi addictos inescant uerius, quam satiant. Nec harum semper est parata copia: aut si est, multo felle dolorum uitata est. Iam igitur erat uentum ad extremam calamitatem: sed felix calamitas, quæ compellit ad resipiscentiam. Siquidem hic primus ad salutem gradus, reminisci unde decideris, & agnoscere quò degeneraris. Atq; hic erat patris attractus. Aberat ille quidem à patre, sed pater nusquam non adest. Antea iuuenis mente captus erat, dementatus huius mundi præstigijs: fugiēs ea quæ sola fuerant expetenda: expetens ea, quæ sola fuerant fugienda. Sed bene habet, quum peccator afflatu tacito benigni patris redit ad cor. Iuuenis igitur tandem reuersus ad se, sic sibi loquutus est: Vnde quò ueni miser? Ex patria in exiliū, ex opulenta domo in regionē famis, à libertate in seruitutē, ab amantissimo patre ad crudelissimū dominū, à dignitate filij familias ad foedissimā cōditionem, à consortio fratris & famulorū ad porcos. Quam multi sunt mercenarij in domo patris mei, quibus ex patris benignitate suppetit larga panis copia. Et ego filius familias fame hic pereō. Mercenarij sunt pleriq; ludæi, qui præcepta legis utcunq; seruant, non ex affectu pietatis, sed ob metum aut præmium rerum temporalium. Et tamen est aliquid apud patrem familias tam opulentum pariter & largum uel conductitium agere, nec diuelli à domo felici. Fiet enim ex mercenario filius, si filij sumpserit affectum. Sancta autem inuidia est, quæ iuuenem prouocat ad spem ueniam. Posteaquam enim deplorauit suam infelicitatem, in qua totus iacebat, incipit erigere se, dicēs: Surgam, & ibo ad patrem meum. Qua tandem fiducia? An habes quo te purges illi? Vtus es illo indulgentissimo, flagitasti tuam portionem. Non negauit. Vtrò reliquisti amantem ac propitiū, prodegisti turpiter substantiam paternā non in hoc traditā. Calamitatem istam nulli potes imputare, nisi tibi ipsi. In defensione facti mei nullum est præsidium, una spes est: quoniā noui patrem esse uere patrem, natura clementem & exorabilem, fortasse aliquid pristinae charitatis residet in illius pectore, etiam si ego totū filium exui. Non eleuabo, nō negabo culpam admissam. Plus apud illum ualebit simplex cōfessio, & animus sibi uere displicēs, quàm accurata purgatio. Quo simplicius odero meipsum, hoc facilius redaccendam illius in me charitatem: postremo in summa rerum desperatione, cui me potius committam, quàm patri: Solus ille potest restituere collapsum: & si quisquā uolet, ille uolet. Nō expectabo ut meum crimen, ut meā calamitatem ex alijs cognoscat, qui ultro prouocet ad uindictam: placabilius erit, si rem ut est, ipse narraro. Statuat ille quicquid uolet. Pater est, illius sum: & in illum peccatū est, quicquid peccatum est. Dicā illi: Pater peccaui supra modum, & corā angelis dei, & coram te, nec posthac me dignū iudico, qui dicar filius tuus. Mihi satis erit, si misertus mei, habeas me eo loco quo habes unūquemlibet mercenarijs tuis, liceat modo hærere in aliqua parte familiae tuæ. Nulla sanè accommodatior oratio ad prouocandā optimi patris misericordiā. Quo simplicius confitetur admissum, quod nec cælarī, nec excusari poterat, quo uehementius sibi displicet, quo magis sese dericit, quo magis declarat sibi nullā esse spem, nisi in una patris clementia: hoc magis illius animū in leges pertrahit suas. Atq; hanc orationis formā non ars suggessit iuueni, sed conscientia sibi quidem tota displicens, sed tamen non omnino pessime sentiens de bonitate patris. Hac igitur cōcepta fiducia, surgit iuuenis. Hic est, ut dixi, primus ad salutem gradus, erigi. Relegit totū iter lachrymans ac gemens, qui ferox & amens à patre discesserat. Habes imaginē hominis ab extremis malis resipiscentis. Nunc mihi diuinæ clementiæ simulachrū intueri. Nondum iuuenis peruenerat ad ades paternas, quū procul etiā illum pater aduenientē prospiceret, ut est oculata pietas. Prior uidit, qui tene rius amabat. Vidit autē miserabili specie redeuntem, qui ferox & insolens profugerat. Videbat pannosum, macie confectum, squalidum, gementem & lachrymantem. Hæc ipsa rerum species statim cōmouit paternum pectus, & iustam iram flexit ad misericordiam. Procurrit obuiam uenienti, & non expectatis filij precibus, pietate natua uictus, irruit in collum filij, & osculatus est eum. Hæc tametsi essent argumēta propensi ad ignoscendum animi, tamen sibi etiamnum iratus iuuenis ait: Pater peccaui supra modum, & coram angelis dei, & corā te: & tamen audeo uenire in conspectū tuum, quū indignus sim qui

In qui posthac nominer filius tuus, quandoquidē à me omnia pietatis iura rupta sunt. Hic mihi in homine, qui ex instinctu naturæ sic afficitur erga filium, dei bonitatem intellige, qui multo clementior est erga peccantem hominem, si modo uere & ex animo resipiscat, sibiq; displiceat, quàm quisquam pater esse possit erga filium, quem tenerri-
 me diligit. Nondum omnia dixit filius quæ fuerat meditatus, singultu sermonem inter-
 rumpente. Plus autem loquebantur lachrymæ, quàm oratio. Quid aut̃ intererea pater? Num intonat sæuis uerbis? Num minitat uerbera? Num abdicationē? Num exprobrat suam in illum benignitatē? Num fugam? Num ingluuiem, aliāq; uitæ dedecora? Nihil horum meminit, tantū est gaudium de recepto filio. Iuuenis abdicat sese, pater restituit: filius seipsum damnat, pater absoluit. Filius abiicit sese ad indignitatē mercenariorum, pater pristinam dignitatem restituit. Versus enim ad famulos, ait: Cito depromite huic stolam pristinam, & induite illum, & addite annulum in manum eius, & induite calcia-
 menta pedibus eius. Quin & e pascuis adducite uitulum illum insignem & saginatum, & occidite. Apparemus conuiuū & gaudeamus, quoniā hic filius meus mortuus fue-
 rat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Tantū ualeat apud deum animus uere resipiscens, Nullum exigitur supplicium, tantum resipuisse satis est amanti patri. Qui se reddiderat indignum oculis paternis, hunc procul etiam aduentantem conspexit pater. Qui com-
 meruerat perpetuo excludi ab ædibus paternis, ut quas turpiter ingratus ultro relinque-
 rat, huic redeunti processit obuiam pater ipse; qui neminem habet domi suæ clemen-
 tiores se. Qui sese turpibus dominis dederat in seruitutem, hunc pater amplexu suo di-
 gnatus est. Flagra commerito datur osculum, charitatis & pacis argumentum. Felix au-
 tem ille peccator, quem dominus suo amplexu suoq; dignatur osculo. Culpam cōfesso,
 & filij nomen ob conscientiam admissorum recusanti, proferuntur omnia pristinae di-
 gnitatis insignia: Perierat quicquid erat uestiū, quæ decerent filium: profertur illi prima
 stola prioris innocentiae, quā amiserat. Perierat omnis dignitas filij familias spontanea
 seruitute, restituitur anulus. Et ne quid desit ornatus, uestiuntur & pedes. Nihil horū spe-
 rare ausus est iuuenis: & quo minus sperat, hoc plus impetrat. Ac ne quis eum minoris
 faceret in domo ob erratum adolescentiæ, pater uitulo mactato, totam familiam ad com-
 munem lætitiā inuitat, & iustas gaudij causas reddit. Qualis qualis erat, inquit, filius
 erat. Is mortuus fuerat, & reuixit. Peccatum enim animæ mors est. Et ad mortem prope-
 rat, quisquis autorem uitæ deserit. Deserit autem, quisquis amat ea, quæ sunt huius mun-
 di: procul enim absunt eius uoluptates à disciplina dei. Reuiuiscit autem, qui resipiscit.
 Perierat irreuerabiliter, quod ad ipsum attinebat, sed inuētus est. Discedere à familia
 patris, perire est: extra hanc enim nulla est salus. Nec est reditus, nisi pater semet in me-
 moriam ingerat filio ad extrema deductio. Suggestio patris est beneficiū: sed quod sug-
 gestionem salutarem non negligit filius, hoc illi pro merito imputatur: confessio crimi-
 nis pro satisfactiōe est: perierat suapte stulticia, sed inuentus est charitate paterna. Quo-
 niam aut̃ toto peccatore resipuit, quoniam totus sibi displicuit, non solum pristinae digni-
 tati restituit eum paterna clementia, sed conuiuū etiam addidit, quo magis cōmenda-
 ret filium suum omnium suorum affectibus. Qualem autem se præbuit pater hic parabo-
 licus in recipiendo filio, tales se præbere debent pastores & episcopi erga peccatorem
 resipiscentem. Verum ab hac imagine multū absunt superciliosi pharisæi, qui suis blan-
 dientes uitijs, nihil aliud quàm sæuiunt in lapsus alienos. Et ecce dum cōmuni gaudio
 gratulationeq; perstrepat tota domus patris, hoc est, omnis ecclesia uere sanctorum, so-
 lus frater pharisaicus inuidet. Dum enim hæc geruntur, filius natu maior domi nō erat,
 sed uersabatur in agro legis Mosaicæ, sudans gestandis oneribus præceptorum, & ex-
 arans opera legis grauiā, quū frater interim minor acceperit mitissimū patris iugum.
 Quam autem cœpisset esse uicinus ædibus paternis, audiuit nouum strepitum præ gau-
 dio concinentium ac ducentium choreas. Affixus enim insipidæ literæ legis, non noue-
 rat quantum habeat gaudiorum Euangelicus spiritus. Hæc dum negligit iudæus, nihil
 aliud quàm in agro legis fodiens ac basulans: interim magno cum gaudio receptus est
 gentium populus in domum patris: nihil aliud sitientis, quàm salutem suorum omni-
 um. Demiratus autem affectator uetustæ legis, quid esset nouæ rei, quæ ue causa in soli-
 torum gaudiorum, non dignatus est ingredi, futurus & ipse particeps cōmunis lætitiæ,
 quod

quod quidē uehementer optabat pater. Non enim sic receptę sunt gentes, ut exclusi sint Israelitę: sed nūc quoq; stant pro foribus indignantes, quod ob gentes ad salutem euangelicam receptas sibi gratuletur ecclesia. Euocauit igitur unum ē seruis patris, ac percontatus est: quid nam esset nouę lętitię, is respondit: Frater tuus uenit, quo recepto gauisus pater, occidit uitulum illum insignem, quē diu saginarat, propterea quod illum, quem perisse crediderat, incolumem ac saluum receperit. Hic mihi considera uere Iudaicum animum, qui fratri recepto gratulari debuerat, qui patris optimi clementiā prędicare, maluit inuidere fratri, & indignari patri. Mansit itaq; foris murmurans & indignabundus. Id ubi rescituit amantissimus pater, qui cupiebat domus suę lętitiam omnibus esse cōmunem, progressus est ad illum, ac cępit blande rogare illum, ut omisso stomacho iungeret se cōmuni conuiuio, seq; paterni gaudiј consortem pręberet. Nec tanta patris optimi comitate mirefcit maior ille filius, sed arrogāter ex postulat cum patre, & impie fratrem accusat. Ecce, inquit, tot annos seruiō tibi, nec unquam pręteritui pręceptum tuum, & tamen nulla est habita ratio diutini obsequij mei. Nunquā enim mihi uel hędum ullum dedisti, unde possem epulari cum amicis meis. Ceterū posteaq; iste filius tuus, qui tuam substantiam deuorauit cum scortis, redit domū, maclasti illi uitulū illum insignem & obesum. An nō uideris tibi uidere filium hunc maiorem indignantem ingredi, & hęc murmurantem aduersus patrem, quū legis pharisęos obtreclantes Christo, quod cum publicanis & peccatoribus cibum capiat: Iudęos indignantes aduersus Gręcos, quod admitterentur ad ministeriū apostolorū: destomachantes quod gentes ab idololatria uenientes, absq; legis onere per solam fidem admittantur ad gratiā euangelicam, baptismo donentur & spiritu sancto confirmentur: inuidentes quod ipsis abstinentibus a conuiuio, gentium ecclesia cum inenarrabili gaudio spiritus, comedit uitulum illum eximiū, quē pater pro salute totius orbis maclari iussit? Quanquā & hunc murmuratorem placare conatur parentis optimi benignitas. Fili, inquit, nihil tibi dedit, quod in fratrem utor clementia. Nam tu semper mecū es, & omnia mea tua sunt. Non enim perinde uoluptati est nunquā interrupta felicitas: sed quemadmodū morbus pręcedens commendat nobis redditam corporis sanitatem, ita calamitas pręcedens auxit nobis lętitiam de filio recepto. Debes autem & tu gratulari fratri, nec abesse ab huius conuiuij lętitia: quia frater hic tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Itaq; putato non tibi redisse eundem, sed pro male frugi probum esse renatum. Non decet meminisse qualis fuerit, sed gaudere quod talis sit, qualem optamus. His tribus parabolis Dominus Iesus adhortatus est suos ad clementiam, & facilitatem in recipiendis peccatoribus. Nusquam enim magis illustrari gloriam dei, quam quū qui insigniter fuit improbus, subito mutatus afflatu spiritus fit alius, ex idololatra, seruus Iesu Christi: ex raptore, subleuator pauperum: ex libidinoso, pudicus: ex ambicioso, modestus: ex uindictę, tolerans ac lenis. Porro nati minor hoc reperit animū patris propensorem ad ignoscendum, quod gentes, quę deum non nouerant, errore deliquerunt uerius, quā destituta malicia. Solet enim adolescentię comes esse rerum imperitia & incogitantia. Es idcirco huic ætati libentius ignoscimus. Porro Iudęus qui sibi uidebatur esse iustus, sibi placens ex obseruatione legis, grauius peccat inuidendo fratri, quā ille peccauerat aberrando.

CAP. XVI



Tque hęc quę hactenus dicta sunt, peculiariter tangebāt pharisęos, indignātes quod dominus Iesus uelut immemor suę dignitatis, publicanos & peccatores admitteret ad uitę consuetudinem. Mox uersus ad discipulos suos inuitat eos ad uberiores clementiam, ut non solum non obmurmurent bonitati diuine, uerum etiam ipsi hanc modis omnibus imitentur: per omnem occasionem benefacere studentes proximo suo, subleuantes eum subsidio rerum corporaliū, consolantes, exhortantes, docentes, admonentes, condonantes admittentes: docens non perituram nobis benignitatem nostram, sed in futuram uitā reponi, quicquid hic impenditur proximo: hanc sententiam huiusmodi parabola proposuit: Homo quidam erat diues, qui rerum suarum dispensationem crediderat œconomo suo: delatus est apud dominum, quod profusior, quā par esset, dissiparet bona ipsius. Dominus igitur accitō œconomo, dixit illi: Quare isthuc rumoris audio de te? Redde rationem

nem

nem dispensationis tuæ, posthac enim nolim te rerū mearum oeconomicū. Oeconomicus
 autem ut intellexit breui futurum ut amoueretur à dispensandi munere, callide sibi pro-
 spexit in breui. Alijs sunt opes, alijs eruditio, alijs rerum usus, alijs aliæ dotes. Quod autē
 habet quisque quo possit prodesse proximo, substantia diuitis domini est, quam oportet
 largiter in proximum erogare. Nullus enim est dominus earum quas habet dotium,
 sed dispensator duntaxat. Cito auferitur hæc dispensatio, quoniam hic omnis uita bre-
 uis est, & post hanc uitam non est benemerendi facultas. Dissipat autem facultates do-
 mini, quisquis suis affectibus impendit quod habet, nec inde proximum subleuat. Oe-
 conomicus igitur mox amouendus à dispensatione sua, suo cum animo cōsultat, dicens:
 Quid facturum sum, quandoquidem dominus auferat à me dispensandi facultatem? Nec
 est unde uiuam. Nihil enim mihi collegi dum licuit. Superest ut aut ad stipem diurnam
 fodiam in agro, aut publicitus mendicem. Ad fodiendum uires defunt, mendicare pu-
 det. Sed commodum uenit in mentem, unde mihi subito prospiciam. Parabo mihi ami-
 cos ex facultatibus domini mei. Hi submotum ex officio dispensandi, memores meæ
 erga se benignitatis, recipient me in domos suas. Conuocatis itaq; singulis debitoribus
 domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? Is respondit: Centum batos
 olei. Tum oeconomicus: Accipe cautionē tuam, ac cito sedens, pro centū scribe quinquaginta.
 Dominus prædiues est, uolo ut dimidium lucrifacias opera mea. eo peractio, dixit
 alteri: Tu uero quantum debes? Qui respondit: Centū coros tritici. Tum oeconomicus:
 Accipe codicillos tuos, & scribe octoginta. Viginti coros non sentiet abductos domi-
 nus, tibi uero pauperi erunt usui. Ad eundem modum egit cum cæteris debitoribus. Ea
 fraus si cōperta fuisset illi diuiti, nō fuisset impune oeconomico: sed tamen dominus Iesus
 ad exemplū beneficentiæ laudauit apud discipulos suos oeconomici illius fraudulentum,
 sed tamen prudens consiliū: & ad huius imitationē adhortatus est suos, taxans nostram
 fœcundiam, quod homines huic mundo seruientes, in prospiciendo sibi de uictu corporis
 his prouidentiores sint & attentiores quàm hi, qui abdicato mundo seclātur ea quæ sunt
 æterna, in prospiciendo sibi in uitā cœlestem. Turpe est autē illos in suo genere sapere,
 ac providere, quum agatur de rebus leuibus ac mox perituris: quū nos celsamus officijs
 in proximum confereendis, nobis parare præsidia uitæ immortalis: quū ob incertū huius
 uitæ terminum expectare debeat quisq; futurum, ut audiat à domino, quod audiit oeco-
 nomicus ille: Posthac nō poteris dispensare. Tempus aut hoc quoniā & incertū est cuiq;
 & alioqui nulli non breue, properandum est, ut erogatis in pauperes terrenis facultati-
 bus, paremus nobis uiaticū in uitam æternam. Sic enim futurū, ut benefactorū quæ ges-
 serunt alij, nos quoq; reddamur participes, qui illos opibus nostris iuuerimus. Etenim
 qui facultatibus suis adiuuat euangelij negociū agentē, hic uicissim in regno cœlorum
 Euangelistæ benefactis subleuabitur. Ait itaq; dominus: Et uobis in tempore consulite
 ad exemplum illius prudentis oeconomici. Conciliate uobis bonos amicos ex re mala, ut
 quum iussu domini cogemini decedere ab isto domicilio corporis, illi recipiant uos in
 æterna tabernacula. Felix permutatio est, quū caduca permutantur æternis. Quid autem
 uilius est, aut à uirtute longius abest, quàm opes huius mundi? Vix unquam sine fraude
 parantur: nec alia est tuendū augendiq; ratio, quàm parandi. Onerosa possessio est, nec
 ea tuta interim, nec omnino diuturna. Non enim sequuntur herum suum hinc emigran-
 tem. Sed his tamen emere licet, quod æternū est, quodq; in futura uita sit usui. Ita fiet ut
 quod reconditum iniustum facit hominem, ac multis curis obnoxium, id erogatum fiat
 instrumentum euangelicæ iustitiæ, dum & subleuatur necessarijs qui seruit euangelio,
 & merces ad largientem multo cum fœnore redit. Qui dispensat opes hominis, ita de-
 mus fidelis dispensator inuenitur, si quam parcissime dispenset, quod creditum est. At
 contra deus, qui diues est in omneis, cupit largissime erogari, quod dispensandum tra-
 didit: & pro infideli habet, quisquis ueluti proprium tenuerit, quod dominus uoluit esse
 cōmune, quoties exigit proximi necessitas. Proinde qui in dispensanda re uilissima se-
 rus se gesserit, q̃ ex sententia liberalissimi domini, nonne uidebitur indignus cui domi-
 nus credat rerum sublimiorum dispensationem? Quicquid habemus, domini est: diui-
 tæ corporales, & quicquid gignit hic mundus, dei benignitas est. Doctrina euangelica,
 reliquæq; dotes spiritus, dei dona sunt: non in hoc data, ut his soli fruamur, sed ut in
 utilitatem

utilitatem proximi dispensemus. Verū hoc interest, quod ea quæ pertinet ad refocillandum corpus (quoniā extra nos sunt) nec propria sunt neq; perpetua, mūdi opes sunt potius q̃ nostræ. Deinde quoniā speciem habent felicitatis iuxta mundum, quum reuera uehementer officiāt ueræ hominis felicitati: nec hoc sunt, quod dicuntur. Dicuntur enim bona, quum uere sint ea, quæ reddunt hominem infelicem. Igitur opes animi ueræ sunt ac nostræ: nō quod has deo non debeamus, sed quod possessorē suū non deserant etiam in uita futura, si quis nunc ut oportet utatur. Vt autem in republica nemo prouehitur ad consulatū, nisi prius in ædilitate aut prætura, alijs uel minoribus magistratibus specimen suæ integritatis dederit: & in familia non creditur dispensatio rerum preciosarum, nisi qui prius fidelē se declararit in rebus uilioribus: ita dominus docet non esse credendam dispensationem opum euangelicarum, quæ uere propriæ sunt diuitiæ, ei qui pecuniam rem ut omnium uilissimam, ita & alienā parū fideliter dispensarit. Quisquis enim non potest contemnere diuitias terrenas, insincere dispensabit animi diuitias. Hæc dñs inculcans animis suorum discipulorū, aiebat: Qui fidelis est in minimo, hunc consentaneum est in re magna fore fidelem: Rursum qui in pusillo iniustus est, is & in magno erit iniustus: etenim cuius animum uilissimæ rei cura sollicitare potest ad peccandum, hic multo facilius occasione maiore pertrahetur ad peccandum. Quod si in mammona iniquo, hoc est, falsis, & ut ferè fit, fraude partis diuitijs, non præbueritis uos domino fideles, qui eas dedit dispēandas: ueras animi diuitias quis credet uobis: Et si in re aliena, quæ nulli perpetua esse potest, parum fideles fuistis, quis cōmittet uobis, quod perpetuo uestrum erat futurum? Leuius lædit, qui mala fide tractat diuitias huius mūdi, quàm opes euangelicas. Totum hominē postulat regnum dei. Animum postulat ab omnium mundanarum rerum amore liberū. Nec est quod quisquā tentet miscere mundum cum euangelio, quod est regnum cœlorum. Etenim si nemo potest esse seruus communis duobus dominis, quod uix inter ullos homines sic conueniat, ut unus seruus utrique satisfacere possit suo obsequio, sed alterutro contempto, cogatur uni adhærere: quanto minus uos potestis deo seruire & mammonæ, dominis tam discordibus, ut inter illos nihil conueniat. Seruit autem Mammonæ qui magnam felicitatis partem collocat in diuitijs, eaq; causa magno studio laborat, ut quàm plurimum possideat, ut quod partum est, tueatur, & augeat. Hic gestit accrescente re, discruciat urepta. Deo seruit, qui uel reiectis istius mundi bonis, uel neglectum possidendo summo studio curat ea, quæ faciāt ad æternā salutem. Hos sermones omneis tametsi dicebantur his, qui se credebant esse posse Christi discipulos, onustos sollicitudine diuitiarū, tamen audiebant & pharisæi quorū animi uelut utres antiqui nō capiebant hoc euangelicæ doctrinæ mustum. Erant enim auari non solum pecuniarū, uerum etiā gloriæ. Erant elati, feroces ac uindictæ. Proinde deridebāt doctrinam domini Iesu prouocantem ad beneficentiā, ad neglectum uindictæ, gloriæ, uitæ deniq;. Habet autem ac semper habebit hic mundus suos pharisæos, qui suis freni præsidijs derideant doctrinā modestiæ, clementiæ, mansuetudinis, ac liberalitatis. Abhorret ab hoc musto cœlesti palatū assuetum uapæ mundanæ prudentiæ. Vtinā & horum sannas dignetur retundere dominus Iesus, qui pharisæos irrisores se uere redarguit, dicens: Vos, inquit, tumetis inanibus bonorum simulacris, uenditantes uos apud homines, qui æstimāt hominem ex opulentia, ex uestitu, ex obseruatione ceremoniarum, ex quibus uobis conciliatis, etiam sanctimonie laudem, quū reuera nec diuites sitis, nec sancti, nec felices, nec magni. Deus enim ex ipsis animi bonis æstimat hominem, qui solus intuetur corda uestra. Atq; is demum diues est, qui apud deum diues est: is iustus est, qui apud deū iustus est: is magnus est, qui sibi paruus, dei iudicio magnus est. Nam ferè fit, ut quod hominibus uidetur sublime quiddam ac suspiciendum, apud deū habeatur abominandum. Vos adhuc mordicus tenetis corticem legis, & in umbris gloriāmini: quum nunc aperiendus sit nucleus, ut umbras dispellat exorta lux euangelicæ ueritatis. Desuescendum est à uapæ Mosaicæ legis, & hauriendum mustū firmioris doctrinæ. Legis figuris suum fuit tempus, expectabatur quod promittebant prophetarū oracula: cessant figure, posteaq; apparuit ueritas: nec expectatur iam prophetica pollicitatio, postea q̃ exhibetur id quod illi promiserant. Ab umbris oportet ad ueritatē proficere. In fide promissorum proficiendum est ad amorem rei iam exhibitæ. Ioannes confirmatus

*Audiebant
autē hæc om-
nia pharisæi*

luit, dirimens legem cum suis figuris, & prophetas cum suis promissis ab Euāgelio, quod re ipsa exhibet, & quod lex umbris suis designarat, & quod propheta deo afflati uenturum prädixerant. Prädicauit Ioannes adesse regnū dei. Hoc nimirum est quod lex adumbravit, hoc est quod prophetae praeinuerunt. Videtis autem rem ipsam cōgruere cum Ioannis prädicatione. Ab huius enim tempore nunciatur omnibus regnum dei, & multi laetantur nimis arripiunt felix nuncium. Bibunt mustum nouum, hauriunt doctrinā coelestem: contemnunt terrena, & dītescunt bonis coelestibus. Abijciunt pecuniā, sed adunt miracula: non habent arma, sed propellunt morbos. Non gerunt magistratus, sed eijciunt dāmonia. Non sunt opulenti, potentes, & gloriosi iuxta mundum: sed modestia, mansuetudine, tolerantia, beneficentia, ceterisque bonis animi uere sunt & diuites, & potentes, & gloriosi apud deum. Ad hanc felicitatem nulli praecluditur aditus. Quod si uos pharisaei non dignamini intrare, occupabunt alij: intrabunt gentes, intrabunt quaelibet orbis nationes. Excludi non possunt, posteaquam semel apertum est ostium, irrumpunt ui, si non admittuntur. Videtis accurrentes publicanos, milites, peccatores, meretrices, Hi speretis omnibus quae possident, contemptis omnibus huius mundi uoluptatibus, freti promissis Euāgelicis, toto pectore student ueris animi bonis: ac uobis, qui primi debebatis ingredi, & alios conantes inducere, foris stantibus, ardore fidei, promptitudine animi, uelimus nolui, irrumpunt. Amat enim huiusmodi uiolentiam regnum dei. Nec est quod clamitent legem amatores, abrogari legem, antiquari prophetas: imō haec est legis nō abolitio, sed ab solutio. Nec enim mater plorat sibi perisse filiū, qui ex puero factus est uir. Stultissimum autem sit, amplecti pictam hominis imaginem, quum liceat amplecti hominē ipsum, qui pictus erat: & appellare promissorem, quum tenere liceat, id quod promissum est. Conferenda res cum imagine, quae si congruunt, agnosce quod adumbratum est, & amplectere quod exhibitū est. Si rerum euentus congruit cum promissis prophetarū, libera fidem illarum, & amplectere, quod praestatur. Porro si iam multa uides euenisse, quae legis umbris designata fuerant, lex enim spiritalis est, si in plerisque rerum exitus respondet ad prophetarum uetusta uaticinia, crede simili fide praestanda & olim omnia, quaecunque lex & prophetae futura dixerunt. Quod erat in lege carnale & crassum id cedit perfectioribus: quod autem spirituale est, id nō solum nō antiquatur, uerum etiam perficitur. Lex enim permittit a marito, dato repudij libello, dimittere uxorem, & aliam domū ducere. At iuxta legem Euāgelicam, quisquis repudiata uxore duxerit alteram, committit adulterium. Et qui repudiata duxerit, adulterium committit. Neuter enim suam habet uxorem, neutra suum maritum. Et naturae sensus & Euāgelica synceritas flagitat amicitiam perpetuam, & in diuissimā copulam, non solum in matrimonio, uerum etiam in omni amicitia. Nec est quod quisquam causetur, Euāgelicam doctrinam pugnare cum praescriptis Mosi. Mos enim ob duritiam uestrā nō est ausus exigere, quod optabat magis, quā sperabat: & clementius indulgit diuortium, ne si negatum fuisset, odium uestrum erumperet in atrociora scelera. Perficit igitur non abrogat, qui exigit quod est perfectius. Quemadmodum pater haud quaquam secum pugnat, qui pridem indulgentior in filium tenerioris aetatis, postea ab adulto plus exigit, quā exiebat antea. Illud autem affirmo uobis, citius praeterit coelum ac terra, quibus nihil est durabilius, quā unus apiculus legis pereat, quin perficiatur quod praedictum est, tantum abest ut uenerim aboliturus legem. Quoniam autem dominus Iesus paulo ante proposita dispensatoris callidi parabola, cohortatus est ad beneficentiam erga egenos, ut post hanc uitam reciperent nos in aeterna tabernacula: quoniam iam uersis rerum omnium uicibus, illi bonis omnibus abundabunt, contra diuites autem omnibus cruciabuntur: uelut exemplum huius rei depingit, quo tenacius adhærent uicibus hominum. Erat, inquit, homo quidam praediues, cui nihil deesse uidebatur, & absolutam huius mundi felicitatem: magni nominis apud homines, apud deum obsecutus & ignotus. Is uestiebatur purpura & holosericis, non minus molliter quā splendide. Sine quid deesset ad oblectamentum corporis, comessabatur quotidie magnifice, simul & ambitioni seruiens, & luxui, & uoluptati. Erat simul huic multum dissimilis mēdicus quidam, obscurus & ignotus apud homines, sed clarus & nobilis apud deum. Habebat enim nomen ex re, dictus Lazarus, quod omnibus mundi praesidijs destitutus, dei solius auxilio niteretur. Huic nec domus erat, nec uestis, nec cibus, ac ne corporis quidem pro-

Et omnes in illud uim faciunt

Homo quidā erat diues

spera uoletudo. Erat enim ulceribus plenus, qualis legitur fuisse Iob. Iacebat autem ad ianuam diuitis, expectans ut aliquid mitteretur de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, quo placaret latrantem fame stomachum. Non admissus est ulcerosus, ne funesto spectaculo contristaret oculos unde quaque lauti conuiuij. Audis fastum opulentiae, sed in tanto luxu ac profusione, tanta erat erga pereuntem proximum parsimonia, ut ne mica quidem darentur roganti, quum canes illic panibus essent saturati: quin & canes exprobrabant inhumanitatem delicianti diuiti. Veniebant enim & lingebant ulcera Lazari. Quis non iudicasset diuitem illum absolutum exemplar felicitatis, & hunc Lazarum exemplar infelicitatis extremæ? Sed nequaquam ex his quæ contingunt in hac uita, æstimanda est hominis felicitas. Subito rerum uices inuersæ sunt. Mors enim omnibus imminens, ut diuitibus finis est omnium uoluptatum, ita afflictis terminus est omnium dolorum. Euenit enim ut moreretur mendicus, et qui neglectus erat ab hominibus quum uiueret, mortuus ab angelis dei deportatus est in sinum Abraham. Hoc honore dignatus est eum deus, quæ diues non dignabatur lecto suo. Eodem autem tempore mortuus est & diues ille. Mors enim omnium communis, sola docet hoc diuites, quod homines sunt, quæadmodum ceteri. Ac Lazaro nec honor sepulchrae habitus est. Diues autem magnifica funeris pompa elatus est. Quum autem uterque iam esset apud inferos, diues quum esset in grauibus tormentis, nec ibi minus dure tractaretur rerum suauium inopia, & omnium malarum copia, quam in uita seipsum tractaret molliter: sublati tandem oculis cospexit Abraham eminus, agnouit & Lazarum illum ante spectum, in sinu illius summa quiete solatioque fruente in mollissimo complexu sanctissimi patris. Agnouit enim ille filium suum, quem diues hominem agnoscere noluit. Augebat cruciatum, alienæ felicitatis conspectus. Hic diues frustra blandus factus ac mendicus, miserabili uoce clamabat: Pater Abraham miserere mei, ac mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, quo uel una guttula refrigeret linguam meam, adeo discrucior in hac flamma. Ad quem Abraham: Fili refrigeria quod nunc sero petis, quum in uiuis esses proximo refocillando tibi parare debueras, sed tum rebus presentibus delinquitus, ne micis quidem mensæ tuæ dignaberis subleuare Lazarum pereuntem. Agnosce rerum uices iuste commutatas. Id agnoscas oportet, si meminisse uoles, quod tu quum uiueres, tua bona receperis, Lazarus contra suis malis defunctus sit in uita. Nunc inuersis rebus, hic post afflictiones patienter toleratas refocillatur: tu uero post delicias quibus te male oblectasti, merito cruciaris. Auerfabaris ulcerosum, ipse delibutus unguento: nunc est in amplexibus meis, totus nitidus. Non dignaberis illum lecto tuo, ego dignor illum sinu meo. Tu nec cibo nec potu refocillasti egentem, nunc reficitur æterna quiete, quæ nec famis, nec sitis molestiam nouit. Et qua fronte nunc petis ab hoc refrigerium, qui pridem nullum abs te refrigerium impetrauit? Si tu nudum uestisses, si esurientem pauisses, si sitienti dedisses potum, si iacentem pro foribus collegisses in domum tuam, si curasses ulcerosum, nunc ille uicissim impetraret tibi solatium, ac relaxationem tuorum cruciatuum, ac te uicissim reciperet in hoc cõtubernium. Miser ubi nunc est tua byssus & purpura, ubi unguenta, ubi cõtuiuia, ubi choreæ, ubi tot ambitiosæ uoluptates? Viuus ad omne uinum fastidiebas, tantæ erant palati tui delitiæ, nec interim aquam impartiebas sitienti: nunc nec aquæ guttam impetrare potes ad refocillandum incendiū linguæ tuæ. Pro superbis ædibus habes Tartarum: pro delitijs cruciatum æternum: pro iocis & cantionibus perennem eiulatum. Et hoc deploratio est uestra calamitas, quod ingens hiatus nos dirimit: ut si qui uelint hinc istuc ire uobisque opitulari, non liceat: neque si quis isthinc huc conetur ascendere possit, potestque incommutabili dei iudicio sua quibusque sedes designata est. In uita tempus erat tuis officijs subleuare proximum, & uicissim ab eo subleuari. Nunc serum est hic uelle, quod fieri non potest. In delicijs solus esse uoluisti cum tui similibus, quos nunc habes pone socios, Lazarum ac Lazari similes non passus es uenire in tuum consortium. Nunc paria referuntur. Hæc ubi loquutus esset Abraham, diues exclusus spe subleuandi sui, cupit saltem fratribus, quos habebat superstites, consulere, ne si similiter acta uita uenirent in eundem locum, tali consortio cresceret etiam misero mali sensus. Sed nunc frustra supplex est, qui supplicem proximum repulit. Si chaos, inquit, obstat, quo minus mihi subueniri queat: saltem illud te rogo pater, ut Lazarum mittas in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres superstites, ut illos admoneat, ne, si meis uestigijs ingrediantur, ueniant in huius

huius calamitatis consortium. Quin potius opibus suis egentium necessitatem subleuet: nec ad carnis uoluptatem, sed ad animi pietatem utantur diuitijs suis: nec ament, quæ ad tempus delectant in uita, sed quæ pariant æternam requiem. Ita diues, quem experta caritas sero iam & supplicem fecit & doctorem. Sed à morte nec precibus est locus, nec monendi facultas est. Nihil enim mortuis rei cum uiuis. Abrahā itaq; respondit: Nihil necesse est hac gratia Lazarū auocari à quiete sua. Fratres tui si uolent esse frugi, habēt Moysen & prophetas, audiant illos. Loquuntur em̄ omnibus in suis libris. Tum diues improbus deprecator, sed serus: Nec Moysen, inquit, nec prophetas audient pater Abrahā, sed si quis ex mortuis redierit ad eos, qui certa renunciet, quàm dira patiantur hic, qui illic uitam meo exemplo transigunt, quod ferè faciunt diuites omnes, resipiscēt, seseq; component ad meliorem frugem. Ad hæc Abrahā. Isti sunt prætextus eorum, qui nuncq; uolunt quod male amant relinquere. Maior est apud illos Mosi & prophetarū autoritas, q̄ esset Lazari mendici. quod si illos non audiunt, nec audituri sint, si quis surrexerit ex mortuis. Causabuntur esse phantasmata, aut dæmonium. Hoc sermone dominus tacite notauit incredulitatem gentis Iudaicæ, quæ quoniā non uere credidit Mosi ac prophetis, hodie quoq; Christo è sepulchro reddito, & ad dextram patris cōsidenti reclamatione: utiq; credidura quod factum est, si Mosi & prophetis credidissent, prædicētib; hoc ita futurum. Hac parabola dominus Iesus consolatus est suos discipulos, qui propter amorem regni cœlestis multas afflictiones perpassuri erant in hoc mundo: ac pharisæos, scribas, legisperitos, sacerdotes, primores, diuites, elatos, feroces, ac sibi uiuentes territat, ut uel metu supplicij uitam impiam corrigerent, alioqui futurū, ut illic uicissim riderentur, qui hic Iesum ad meliora uocantem irridebant.

CAPVT XVII

SIC autem erat à patre cœlesti definitum, & sic expediebat ad salutem humani generis, ut humani corporis imbecillitate, quod assumpserat dominus offenderentur superbi pharisæi, ut humilem ac mansuetum affligerent, atq; occiderent: nihilo nitiore futuri in illius discipulos, sui præceptoris uestigijs ingredientes. Vt aut̄ incredulorum improbitas affligit bonos, ita bonorum tolerantia malis est occasio maioris exitij. Sed tamen horum malicia deus abutitur in bonum totius mundi. Ait itaque Iesus ad discipulos suos, inter quos erat Iudas, autor offendiculi futurus, ac Iesum iuxta mundū pusillum & humilem in mortem traditurus. Sed huius impietas salutē maturauit orbī, & huius exitium exemplū salutare fuit omnibus. Fieri non potest, inquit, quin eueniāt offendicula, sed tamen hoc non excusat eum, cuius culpa uenerit offendiculum. Magis enim expediret illi, ut alligato circa collum saxo ingenti, quod in mola substernitur, præceps detur in profundū maris, quàm ut offendiculo sit unum ex istis pusillis iuxta mundum. Habent enim ultorē deum, qui se putat in illis ledi. Leuius autem est malum, hic supplicij quamuis acerbum perpeti, q̄ offensis pusillis, quos deus amat, æternos cruciatus accersere. Cauete igitur uos, uestrum non est uitare, quo minus exoriantur offendicula, uestrum tamen est cauere, ne uestro uitio nascant̄. Sic autem effugietis, ne uobis imputari possit offendiculum, si nō solum nulli uestra culpa præbueritis occasionem offendiculi, uerum etiam ab alijs oblatum, aut tollatis uestra mansuetudine, aut patientia uestra toleretis, nō regeratis. Non enim ab impijs modo uobis oborient̄ tumultus, uerum etiā inter uos, quoniā homines estis nonnunq; orientur offensæ, quibus oportet mederi fraterna monitione, quæ non prodiit peccantē, si sanabilis est, & ueniam habet paratam resipiscēti. Si itaq; fors euenierit, ut aliquid admiserit in te frater tuus, noli dissimulare culpam, ne impunitas inuitet licentiam, sed age fidum medicum, secreta obiurgatione ostende illi morbum suum ut pudore corrigatur. Facilius audiet amicum monitionem, q̄ turbulentum accusatorem, quem habiturus est pro hoste. Sic enim est ferè hominis ingenium, ut libentius acquiescat consilijs, q̄ succumbat iniuriæ. Non potest non uideri officium, cum quis secreto monet. Qui palam defert, & ad poenam uocat, nō uidetur uelle mederi malo fratris, sed traducere. Quod si frater tuus abs te monitus resipuerit, & culpam agnouerit, sit parata ueniā, quæ correctum placide comiterq; recipiat: & adeo ne cogites de uindicando, ut pudori quoq; illius, quātum potes, consulas. Quod si per humanam infirmitatem relapsus fuerit in culpam, etiam si septies eodem die peccauerit in te, ac septies in die resipuerit, teq; placare studēs dixerit: peccaui, poenitet, ignosce, cōdona illi

Et dixerunt
Apostoli

ex animo culpam. Hæc ignoscendi facilitas melius tuebitur inter uos pacē & concordiam, quam mutua offensarū retaliatio. His dictis quoniā apostoli intelligebant fontē omnium Euangelicarum uirtutum esse fidem, quā adeo diligenter dominus exigebat in ædendis miraculis, quam toties comprobauit in multis etiam alienigenis, quæ nihil nō impetraret, & per quam ipsi quoque morbos depulerant, dæmonia eiecerant: nec ignorabant fidei defectu factum, quod quendam muto obnoxium dæmoni non quiuerint liberare. Quamquam nec cæteris Euangelicis præceptis erit idoneus, nisi certam animo fiduciam conceperit aliquis, quando enim negliget huius mundi uoluptates, quando suas opes effundet in pauperes, quando condonabit iniuriā fratri, quando de male meritis bene merebitur: quando carceres & uirgas & mortem toleranter accipiet, cui persuasum non sit, amplissimum esse præmium paratum in cœlis: Hoc, inquam, quoniā intelligebant apostoli, dicunt domino: Domine quando nihil habemus boni nisi ex te, rogamus, ut adaugeas nobis fidem. Dominus autē sciens suos apostolos adhuc esse crassos, & imperfectos, & incrementum fidei potissimū in hoc petere, ut magis polleant miraculis: cōfirmat quidem robur, ac uim fidei, si adsit sincera: sed indicat eam cū summa modestia oportere esse cōiunctam, nec proferendā ad inanem ostentationē, sed quoties urget salus proximi, aut gloria dei. Ait autē per similitudinem: Si habueritis fidem sicut granū sinapis, quod minutum est atq; humile, nec exerit uim suam, nisi contritū aut commansum: dicetis huic arbori scy camīno, quæ radicibus late actis, uidet nulla ui loco auelli posse, eradicator, & transplantator in mare: & obediet uobis. Porro per granum sinapis dominus seipsum indicauit, qui quum se præberet humillimum omnium, tamen occultam diuinæ naturæ uim intus occultabat, quæ tum demum sese prodidit, posteaquam in cruce comminutum est granum, in morte sepultum est. Huius grani uis operabatur in discipulis, unde non oportebat ipsos sibi quicquam usurpare: quippe qui non essent autores eorum quæ gererent, sed tantum ministri, daturi pœnas, si quod ipsis mandatum esset, cessassent peragere: cæterum omnem laudem transscripturi deo, si quid per ipsos præclare aut magnifice gestum fuerit. Hoc documentū Iesus parabola addita infixit animis suorum. Quis uestrū est tam cōmodus dominus, qui si seruum habeat agricolam aut bubulcum, reuerso ab agro protinus dicat: transi, accumbe: ac non potius ita loquatur: para quod cœnem, ac præcinge te, & ministra mihi donec edero ac bibero, post hæc tu sumes cibum ac potum: Et tamen seruus ille bona fide suo functus est officio in agro. Num ideo dominus habet illi gratiam, quod fecerit imperata: Non opinor, sed pœnam exacturus erat, nisi fecisset. Quamobrem: Non ob aliud, nisi quod serui sunt, & omnem operam debent hero suo, cuius sunt etiam ipsi. Laudem autem omnium quæ fiunt, sibi usurpat dominus, qui ea facit, quicquid facit per eos, qui sine ipso nihil omnino boni possunt facere. Sic & uos, ne uobis arrogetis gloriam benefactorum, tantum fidelem operam præstate. Et quum omnia feceritis, quæ præcepta sunt uobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Hæc enim modestia conseruabit in uobis thesaurum fidei. Cætera relinquitē domino uestro. Nemo sibi uindictæ honorē, nemo domini iudicium anticipet. Nouit ille tempus, nec quenquam fraudabit suo præmio. Vos interim nihil aliud uos esse memineritis, q̃ seruos operæ debitores. Accidit autem ut quum Dominus peteret Hierosolymā, iter faceret per Samariam & Galilæam. Gaudet enim frequenter per occasionem attingere Samariam & Galilæam, ut Hierosolymitis exprobraret suam incredulitatem, qui Samaritanos peius abominarentur quàm ethnicos, & Galilæos pro semipaganis haberent. Quum autem ingrederetur uiculum quendā, occurrerunt illi decem uiri leprosi. Credas significatos homines hæreticos, intus malis affectibus totos deprauatos, foris uariiegata cute, ueluti falsa ueris permiscente doctrina insincera. Contagiosum & abominandū genus, & idcirco procul arcentur ab hominum cōmercio. Nullū tamen est mali genus, quod non sanet Iesus, modo ueniatur in illius conspectū, modo prodatur illi morbus, & adsit fiducia. Agnouerunt morbū suum, & ideo non accedūt propius, sed procul stantes, uoce sublata acclamāt domino: Iesu præceptor miserere nostri. Audiūt clamorē Iesus fiduciæ testē, & aduertit oculos. Felix clamor, qui facit attentū dominū: felix intuitus, qui prouocat misericordiam. Iesus autem nihil aliud respondit, quàm ut abirent, & ostenderent se sacerdotibus: nam penes hos erat autoritas discernendi leprosum à mundo. Parent illi, & abeunt, pleni

pleni bona fiducia. Atque inter eundem subito mundati sunt. Erat par omnibus fiducia, sed dispar erat gratitudo. Solum enim Samaritanus ubi sensit se plane liberatum à morbo, non clam habuit diuinam erga se beneficentiam, sed illico reuersus est ad Iesum, clara uoce clarificans deum, ac prostratus in faciem suam accidit ad pedes Iesu adorans eum, & gratias agens. Iesus autem non ignarus beneficium ad omnes decem peruenisse, sed taxare uolens illorum ingratitudinem, qui tantum dei beneficium suffurari studuerint, ait: Nonne decem mundati sunt? & nouem ubi sunt? Non enim nouit dominus ingratos: & indignos ostendit accepto beneficio, qui non agunt gratias benemerito. Non patitur enim deus calari sua beneficia. Quum obticesceret Samaritanus, non solum gratus, uerum etiam modestus, qui uenerat suo fungitur officio, non accusaturus alios: Iesus conuersus ad circumstantes, ait: Ex decem nullus repertus est, qui rediret & glorificaret deum, præter hunc unum alienigenam. Atqui magis hoc decuit alios facere, qui quum Iudæi sint, iactant se dei cultores. Et tamen ipsa re Samaritanus hic uicit illorum religionem. Hæc loquutus dominus, appellauit Samaritanum humi prostratum: Surge, inquit, & abi, certus hoc meum beneficium tibi fore perpetuum, quod tua fiducia tibi impetrauit. Quoniam autem Iesus frequenter habebat in ore regnum dei, Pharisei, qui nondum intelligebant regnum Evangelicum esse regnum spirituale, sed aliud quoddam regnum somniabant, in quo gens Iudaica cæteris nationibus imperaret: adibant eum, & interrogabant, quando uenturum esset regnum dei. Iesus autem quoties de supremo die fiebat mentio, ambigue respondere solitus ait: Regnum dei non ueniet more regni mundi, ut obseruari possit uel tempus, uel locus. Non enim est regnum corporum, sed animorum: neque constat uisibilibus prædijs, sed inuisibilibus. Proinde non dicetur uobis: Ecce hic, aut ecce illic. Quid enim opus est obseruare locum, quum regnum dei sit intra uos? Quare expectatis foris, quod habetis intus ac uobiscum circumfertur, si uultis? Quare expectatis uenturum, quod iam adest? Vbi quæ est animus superior opibus, uoluptatibus, honoribus huius mundi: uite denique contemptor, ubicunque est animus fide robustus, charitate flagrans, afflatus spiritu cœlesti, ibi est regnum dei. Superest, ut quod adest amplectamini, ne quum subito uenerit ille dies, qui perficiet ac proferet regnum hoc, offendat uos imparatos. Hoc quum nec discipuli satis intelligerent, qui somniabant & ipsi breui proferendum esse regnum Israeliticum, conuersus ad illos, ita temperauit sermonem, ut illos ad diem supremum semper redderet paratos: & temporis inquisitionem adimeret: sed armaret potius ad tempestatem imminentem crucis. Veniet, inquit, omnino tempus, quum desiderabitis uel uno die frui conspectu filij hominis, quæ nunc plerique contemnunt præsentem, nec dabitur quod optatis. Nec deerunt tamen, qui blandientes hominum cupiditati, conabuntur illum ostendere uenientem, dicentes: Ecce hic, ecce illic: uos autem nolite fidem habere talibus prophetis. Si dixerint: Ecce hic, apud nos, nolite ire. Si dixerint: ecce illic est procul, nolite sectari. Ea credite, quæ per sanctos prophetas prædicta uidetis impleri. Hoc unum deus noluit hominibus patefacere, & ideo tempus præsciri noluit: quia sic expedit hominum salutem, quos uult in omne tempus esse paratos. Proinde quemadmodum fulgur erumpens subito promicat ab una parte cœli usque ad aduersam, prius quam uenturum sentiat: ita magna quidem cum gloria, sed inexpectatus ueniet filius hominis in die, quem ipse solus nouit, uobis autem incognitum esse uult. Sed non ante proferet maiestatem suam, quam expleuerit dispensatio ueræ humilitatis. Prius enim ostendenda est uia ad claritatem regni cœlestis, prius aperienda est ostium regni cœlorum, ut liceat ingredi. Alioqui parum feliciter ueniret regnum dei, qui se non huic præparauerunt. Ergo prius quam se proferat maiestas, quam affectatis est tempus, oportet filium hominis multa pati, ac damnari à natione hac: ut quemadmodum flamma post fumum emicat, ita post ignominiam clarius sese proferat dei gloria. Porro ne quem opprimat ille dies, facile remedium est, si se quisque sic apparet, quasi iam imminet ille dies: sed homines mundo dediti, sibi promittent dilationem, aut etiam diem illum omnino non uenturum, & hac spe securi uacabunt cupiditatibus suis. Itaque idem accidet in diebus filij hominis, quod accidit olim in diebus Noë: Ducebant uxores dabantque nuptum, quasi diluuium quod differebatur omnino uenturum non esset. Sed malum oppressit improbos. Solum Noe cum paucis seruatus est per arcam. Cæteri omnes interierunt. Similis erat rerum facies temporibus Lot, quoniam ultio diuina differebatur, existi-

*Interrogatus
autem à phariseis*

mabant impune fore quicquid peccassent, itaque securi edebant, emebant & uendebant, plantabant & edificabāt. Sed & hos nimium securos inopinātes oppressit uindicta. Nam eodem die, quo Lot reliquit Sodomos, depluit ignis ac sulphur e cœlo, ac subito perdidit omnes. Eadem erit facies rerum in orbe, cum subito maiestatem suam proferet filius hominis. Is dies ubi ingruerit, abijciatur omnis cura rerum mundanarum. Tantū sibi quisque in præsenti periculo, quā licet, consulat. Itaque quem dies ille repererit in lecto, super lectili domi relicta, ne descendat ut auferat quod habet ibi rerum, tantum de sua salute cogitet. Idem si quem dies ille offenderit in agro, ne fugiat domum, præsentiū enim periculum erit, ut ullam moram patiat. Vnusquisque ut repertus fuerit, ita celeri fuga uitā consulat. Mementote quid acciderit uxori Lot, respexit tantū, & periit, adeo nihil morę patitur mali celeritas. Ille tutior erit, qui ad fugam fuerit expeditior. Tum autem ea querere, quibus solemus in posterum uitę cōsulere, ueluti uestes, pecunias, domum, aut eiuſmodi, uitā erit perdere. Sed qui omnibus impedimentis abiectis, neglexerit subsidia, is uitam lucrifecerit. Non enim tum erit spaciū cogitandi de uita corporis, cum animę uita uertetur in periculo. Nec res, nec locus, nec uitę genus in eo discrimine seruabit hominē, sed affectus ad exitum paratus. E duobus enim coniunctissimis subito unus assumetur ad uitam, alter relinquetur exitio. Illud affirmo uobis, ea nocte qua ueniet filius hominis, erunt duo in eodem lecto, quos subito diuidet pręmiū diuersitas: alter enim assumetur ad æternam felicitatem, alter relinquetur æterno exitio. Erunt duo molentes in eodem pistino, quorum alter assumetur, alter relinquetur. Duo laborabunt in eodem agro, unus assumetur, alter relinquetur. Hęc quum discipuli non intelligentes, tanquam per somnium audirent, dicunt Iesu: Vbi domine? Adhuc carnem somniant, & regni locum scire querunt. Iesus autem per ænigma significare uolens, sanctos ubicunque reperti fuerint non disiungendos a domino, respondit: Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & congregabuntur. Nō refert ubi sitis, modo mecum sitis, qui pascam animos uestros me ipso, qui sum æternę felicitatis pabulum.

CAPVT XVIII



QUONIAM autem imminente supremo mundi fine, grauissima persecutio cooriretur aduersus pios, adeo, ut si fieri possit, etiam electi sint seducendi, quanquam nunquam non sequit malorum in bonos improbitas, dominus Iesus docet suos, ut in malis non aliunde petant auxilium quā a deo: nec ullam interim uindictam molientes, nec iniuriam iniuria repellentes. Quod si deus non statim liberat ab afflictione, non tamen ideo desistendum a precatione. Audiet enim ille haud dubie preces suorum, quum erit tempestiuum, ac dilatio cedit in bonū piorū, tantoq; grauius oppriment impī, quo magis sibi persuaserāt, se impune facere, quod faciebant. Hoc pręceptum dominus tali parabola infixit animis suorum. Erat, inquit, iudex quidam in ciuitate quadam, impius & impudens, qui nec deū timebat, nec hominem ullum reuerbatur. Impietas faciebat ut non timeret deum, potentia, ut non reueretur hominem. Erat autem in eadem ciuitate uidua quędam, quę quum opprimeretur ab aduersario suo, adiit primum illum iudicem, penes quem erat summa potestas, et interpellauit illius auxilium aduersus aduersarij uiolentiam. In bona, inquit, causa opprimor opibus & gratia aduersarij mei. Vidua sum ac destituta: Tu uindica ius meum aduersus aduersarij mei uiolentiam. Ad hunc modum cum frequenter interPELLARETUR a uidua, tamen diu dissimulauit, nec uoluit opitulari uiduę, quum in hoc detur magna potestas quibusdam, ut aduersus opulentos ac factiosos subleuent orphanos, pupillos, uiduas ac tenues. Tandem quum illa nō faceret finem appellandi, iudex cœpit ita apud se cogitare. Quamquam nec deum timeo, nec hominem reuereor, tamen quoniam hęc uidua mihi molesta est sua improbitate, subleuabo illam a uiolentia aduersarij, non quod illi bene uelim, sed ne tandem redeat, ac toties spreta, conuijs suis notam aliquam inurat famę meę, qui quum summi iudicis locum teneam in hac ciuitate, tamen oppressę uiduę pertinaciter defuerim. Narrata parabola subiecit dominus: Auditis quid dicat iudex impius & improbus: uictus improbitate pręcū succurrit uiduę: & deus qui iustissimus est ac misericors erga suos electos, interpellatus illorum nocturnis diurnisq; precibus & clamoribus, obsurdescet, nec liberabit illos a uiolentia opprimentium, sed lento leniq; animo patietur illos affligi impune. Imò illud affirmo uobis, nō patietur, sed aut cōuertet malorū animos, ut mutata

mutata uoluntate defināt affligere, aut adimet nocendi potestatem, aut sup̄ electos semel ab omnibus malis ereptos, transferet in requiem æternam. Certe quum uenerit ille dies supremus, iam nec satanas nec huius instrumenta, homines mali quicquam poterunt aduersus illos, quos deus selegit consortes regni sui. Quum enim ad summum increuerit malorum impietas, tum filius hominis subito ueniet, & omnino citius opinione malorum. Sed quum ueniet filius hominis, an reperturus est fidem in terris? Tanta enim erit malorum & multitudo & improbitas, ut apud paucissimos sit superstes futura fides. Sed tamē apud quoscunq; reperta fuerit illa cōstans in deum fiducia, liberabuntur ultore deo. Atq; hac quidem parabola territabat illos, qui palam impij pios affligebāt. Cæterū erat quoddam pharisaicum genus iustorum, fidentium operibus suis, & ex eis sibi iusticiæ laudem arrogantium, cum apud deum nemo sit uere iustus: neq; solum sibi stulte placebāt, uerum etiam alios præ se despiciebant, tanq; peccatores, quum illorum modestia deo gratiores sit, quam horum opera: aduersus huiusmodi pharisaicos iustos, & ad consolationem peccatorum ex animo sibi displicentium, dominus proposuit huiusmodi parabolam. Accidit ut duo quidam ascenderent in templum orandi grātia, quorum unus erat phariseus, alter publicanus. Phariseus stās uicinus propitiatorio, uelut dignus qui cum deo cominus colloqueretur, sic orabat apud se: Deus gratias ago tibi, quod non sum similis cæteris hominibus, qui raptio uiuunt, qui fraude rem augent, qui adulterio cospurcant alienos thoros; aut denique qui infame munus gerentes, in gratiam principum expilant populum dei; qualis hic est publicanus. Non indulgeo luxui, quemadmodum uulgi facit, sed ieiuno bis in sabbato, & intantum non fraudo quenquam, ut omnium bonorum meorum decimam partem erogem in pauperes. Hæc erat tumidi pharisei precatio, qui tamen si uera commemorabat, ac deo gratias agebat, tamen hoc ipso displicebat oculis dei, quod sibi placebat: adulator sibi, contumeliosus in proximum. Contra publicanus totus sibi displicens ob peccatorum conscientiam, procul absistebat à sacris, adeo pudens pœnitens quæ suis, ut nec oculos auderet in cœlum attollere, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Phariseus tantum gratias agebat, existimans sibi nihil deesse ad perfectam pietatem, nec confitetur errata sua, quum inter ipsas preces grauissimè peccaret, sua iactans ac pœnitentem despiciens: sui laudator arrogans, & proximi temerarius accusator. Contra publicanus nihil commemorat benefactorum suorum. Tantum sua mala agnoscens, tundit pectus sibi consciū, & implorat domini clementiam. Vultis scire exitum diuersæ precationis? Publicanus ille, qui peccator uenerat in templum, ab ipso domum in oculis dei iustior illo phariseo, qui sibi uidebatur iustissimus. Quisquis enim semet extollit apud sese, deijcietur in oculis dei. Et quisquis se deiecerit apud sese, sublimis erit in oculis dei. Ecce autem altera occasio, qua nobis modestiam cum simplicitate coniunctam commendaret dominus. Matres afferebant ad Iesum infantes suos ut tangeret & benediceret, existimantes futurum, ut hoc pacto tutiores essent à calibus ac morbis, quibus illa ætas solet esse obnoxia. Id uidentes discipuli, increpabant eas, quod domino satis alioquin, ut ipsis uidebatur, occupato rebus huiusmodi leuioribus facerent negotium. Iesus aut̄ tametsi nō ignoraret hæc ab suis officiosa quadā sedulitate geri, tamen ut nobis exprimeret exemplū simplicitatis, modestiæ & innocentie, simulq; pastores doceret nō oportere quenq;, quamuis humilē aut imbecillem, despiciere, cōuocauit discipulos & ad se, dixitq;: Sinite pueros uenire ad me, nec obsistite quo minus adducant, taliū est enim regnū dei. Proferatur exemplū omnibus ut intelligant quò sit proficiendū. Nesciūt factū, nesciunt factum, nesciunt referire, nesciūt regerere cōuiciū, nesciūt auaritiā, nesciūt ambitionem, mera est innocentia, mera simplicitas. Illud affirmo uobis, regnum celi non recipit, nisi ad hanc imaginem transformatos. Proinde nisi quis accesserit ad doctrinam Euangelicam ea simplicitate, qua sunt hi pueri, non intrabit in regnum dei. Rursum accessit ad Iesum quidam e magnatibus, uelut explanaturus ipsa re, quid sibi uellet, quod dixerat Iesus de pueris. Ait autem: Magister bone, quid faciam ut uitam assequar æternam? Iesus autem uolens indicare, boni cognomen in neminem competere, nisi in solum deū, qui suapte natura bonus est, respondit illi: Quur me uocas bonum? Nemo bonus nisi solus Deus: non quod dominus non agnosceret cognomen boni, quatenus erat Deus; sed quod diues ille boni uocabulum tribueret Iesu tanquam homini, fortassis

Dixit autem
et ad quos.

Afferebant
autē ad illū

Et interrogauit eum

& sibi arrogaturus, si incidisset occasio. Non recte igitur bonum appellabat, quem nō cre-
debat esse deum. Ideo uero recusauit dominus id temporis honorem huius tituli, quod in-
telligeret percontatorem non omnino carere fastu, qui sibi uideretur multis bonis operi-
bus abundare. Vt autem hominis morbum proferret Iesus, ait: Nosti praecepta legis Mo-
saicae, nimirū hae: Nō occides, non cōmittes adulterium, non facies furtum, nō dices fal-
sum testimonium, honora patrem tuum & matrem tuam. Ad hae ille, ueluti perfectae iu-
sticiae laudem reportaturus, ait: Hae omnia seruauī ab adolescentia mea. Hae oratio non
multum aberat ab illa pharisaica, sed plurimum aberat à simplicitate puerorū. Proditum
igitur est unum uitium, sed suberat & aliud, quod illum reddebat inidoneum regno dei,
id quoq; ut proferret Iesus, ait: adhuc unum tibi deest. Quod si uoles ingredi regnū Euan-
gelicum, abi, uende quicquid possides, & erogando pauperibus, reponito tibi thesaurum
in cōclis. Eo facto liber & expeditus ueni & sequere me. His auditis, percontator ille mo-
rore affectus est: erat enim magnopere diues. Nondum ad pueri formam redactus erat,
cuius animum occuparat amor diuitiarum. Iesus autem uidens illum abire moestum, qui
sic ambiebat felicitatem regni cōlestis, ut tamen opes huius mundi non posset contem-
nere, uersus ad discipulos, uelut admirabundus, ait: Quam difficile qui diuitijs onusti
sunt, per angustam portam intrabunt in regnum dei. Facilius est enim camelum transire
per foramen acus, quam diuitem ingredi regnum dei. Hoc sermone conturbati discipu-
li dicebant: Si nemo diues ingreditur, quis igitur potest saluus fieri? Paucos enim inue-
nire est, quin diuitias aut habeant, aut appetant. Iesus autem perturbationem suorum rur-
sus consolatus est, dicens: Quod apud homines impossibile est, apud deum possibile est.
Non est humanarum uirium contemnere diuitias, eaq; commoda, quae diuitias conse-
quuntur. Sed hanc animi sublimitatem impartit deus ijs, qui se per credulitatem simpli-
cem praebeant aptos doctoribus illius. Diues autē apud deum esse desijt, quisquis posuit amo-
rem pecuniae, & sic habet ut libēter sit relictorus, quoties id postularit ratio salutis aeternae.
Ex hoc sermone bonam spem concipiunt apostoli, quorū pleriq; reliquerant id, quicquid
erat quod antea possidebāt. Horum igitur nomine loquitur Petrus: Ecce nos reliquimus
omnia, & sequuti sumus te, praestitimus, quod ab illo diuite exigebas. Quanquam autem
perquam exiguum erat, quod Petrus & Andreas reliquerāt, relictori maiora si habuissent
dominus collaudat illorum promptitudinem, & ne poeniteat relictorum ostendit ingens
esse lucrum, ob regnū dei fecisse diuitiarū iacturam. Siquidē pro rebus caducis ac uilibus
contēptis, & hic animus locupletat bonis cōlestibus, & in futuro seculo rependitur aet-
erna felicitas. Ait autē hunc in modū dominus: Hoc pro certo cōfirmo uobis, nō solum uo-
bis cedit in magnū lucrum reliquisse possessiunculas uestras mea causa, uerum etiam qui
cunq; ob regnum Dei reliquerit uel domum, uel parētes, uel fratres, uel uxorem, uel libe-
ros, & in hac uita longe plura ac meliora relictiis accepturus est, & praeterea in futuro se-
culo uitam accipiet aeternam. His dictis quum erexisset animos discipulorum suorum, as-
sumpsit secum duodecim apostolos, quos nihil oportebat ignorare eorum, quae gereban-
tur pro salute generis humani. Atque his rursus apertius etiā coepit inculcare de morte,
quam Hierosolymae sciens ac uolēs esset appetiturus, iuxta uaticinia prophetarum. Scie-
bat enim eos uehemēter perturbandos morte domini sui, eoq; crebrius sermonem hunc
inculcat, ut tandem inhæreat animo, ac paulatim assuescāt ferre, à cuius mentione pror-
sus abhorrebant illorum aures. Atque hae quidem non incredulitas erat, sed uehemens
quidam amor erga praeceptorem. Seorsum igitur illis indicauit instare tempus mortis.
Ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam, ac perficientur omnia quae scripta sunt per pro-
phetas de filio hominis. Tradendus est enim gentibus, & ab illis illudetur, & flagellabi-
tur, & conspuetur. Postquam autem flagellauerint eum, & omne probri genus in eum
adiderint, occident denique, sed ille tertio die resurget. Verum hic sermo quoniam ingra-
tus erat, non descendebat in animos apostolorum: ut difficile credimus, quae nolimus esse
uera. Nondum autē percipere poterant mysterium crucis, unde nouo dei consilio salus e-
rat orbi proditura. Non libebat credere morte uiolenta periturum hominem tam cha-
rum: nec poterant credere occidendum ab impijs hominibus, qui tam admirandis fa-
ctis polleret, qui toties à manibus impetentium elapsus esset: deniq; nō dubitabant quin
facilius esset illi futurū efficere, ne moretetur, quam ut à morte reuiuisceret. Et satius esse
ducebant

Assumpsit au-
tem Iesus

ducebant, omnino non mori, quàm post mortem uitæ restitui. Quanquam autem de domini sui fide dubitare non poterant, tamen ita blandiebantur suis affectibus, & interpretabantur in his Iesu sermonibus subesse tropum aliquem, cuiusmodi dominus peculiariter uti consuevit, fallens his nonnunquam non modo populum, uerum etiam ipsos apostolos: ueluti quum iuberet cauere à fermento pharisæorum; quum responderet sibi esse alium cibum, quem esuriret; quum doceret camelum citius transiturum per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum; quum significans suam doctrinam esse penitus traiiciendam in viscera animæ, negaret ulli fore uitam, nisi qui edisset carnem ipsius ac sanguinem bibisset; quum promitteret se templum à Iudæis solutum, in triduo instauraturum. Huiusmodi suspicionibus blandiebantur affectui suo, & sermonem quidem audiebant, sed tanquam in somnis, uim autem sermonis penitus non intelligebant; & hoc pro temporis ratione, permittente domino, ut paulatim assuescerent ei, quod erat futurum amarissimum, nec ante tempus à præceptore suo diffugerent, cuius colloquio multis de rebus adhuc erant erudiendi. Nōdum perspicere poterant arcana consilij diuini, quoniam oculos mentis habebant multa adhuc caligine cęcutientes. Sed magis etiam caligabant cæteri, qui minus erant domino familiares. Fons autem salutis est cognitio Iesu. Cognoscere enim est uidere. Lumen est fides, tenebræ sunt terrenæ cupiditates. Et ecce casus qui nobis ponat ob oculos, quomodo possimus cernere Iesum; & in uno cæco forma proponitur, quo pacto possit à multis tolli cæcitas animi. Vnus occurrebat corporeis oculis captus: sed quia multi sectabantur Iesum, qui multo minus uidebant animo, posteaquam & duodecim adhuc habebant oculos sic obductos ignorantia tenebris, ut manifestum domini sermonem non intelligerent. Accidit igitur ut quum Iesus iter faciens Hierosolymam, non procul esset ab Hiericho, cæcus quidam sederet iuxta uiam publicam mendicans. Is quum ex strepitu uocum ac pedum deprehenderet magnam uim hominum prætereuntem, interrogabat, quid hoc esset rei: (ut est hoc genus eo curiosius, quod oculis careat:) responsum est ei, quod Iesus Nazarenus transiret. Ille protinus ex his quæ de Iesu audierat, concepta fiducia, clamabat dicēs: Iesu fili Dauid, miserere mei. Addidit blandimentum improbitati, id est satis ex more mendicorum. Porro turba quæ præcedebat Iesum, increpabat cæcū, iubens eum obticescere, suspicans eum uulgarem eleemosynam petere, ac metuens, ne homo sordidus ac mendicus publicus, molestus esset domino. Cæcus autē, quo magis obstrepebat turba, tanto uehementius clamabat, eadem iterans: Iesu fili Dauid miserere mei. Quoniam non licebat uidere Iesum, tanto magis intendebat uocem, nescius quantum abesset quem appellabat. Iesus autem qui semel atque iterum uociferantem dissimulabat, ut euidentior redderet hominis fiduciam, tandem restitit, iussitque cæcum adduci ad se, ut omnium oculos ad miraculi considerationem prouocaret. Quum autem uenisset ad Iesum, dominus interrogauit illum: Quid uis ut faciam tibi? Non ignorabat quid optaret cæcus, sed malī confessionem exprimebat, ut euidentius esset miraculum. Solent enim fingere quidam cæcitatem, quo plus accipiant: & fortassis erant complures in turba, qui nihil aliud sperare auderent quā stipem. Solet enim & dominus, tametsi iuxta mundum pauper, ex his quæ donabatur ab amicis, aliquid elargiri pauperibus. Cæcus autem magna cum fiducia dixit: Domine fac ut uisum recipiam. Tribus uerbis petit, quod ab homine præstari nō poterat, nihil addubitans, quin ilico posset, tanquā potentissimus, uellet tanquā clementissimus. Iesus autē illius expedite respondens fiduciæ, uerbo reddidit oculos, dicens: Recipito uisum. Fides tua te saluum fecit. Fide conspexerat Iesum, prius quā oculis corporis cerneret. Hæc nimirū est, quæ nihil non impetrat à clementissimo domino: hæc est quæ in medijs uitiorū tenebris, tamen procul cōpellat Iesum, ut misereatur. Obstrepit clamanti malorū conscientia, sed hoc acrius intendit uocē ardor fidei. Huiusmodi mendicosamat dominus Iesus, & ideo differt nonnunquā quod petitur, ut plura promereatur qui mendicat. In tenebris altissimis uersant qui pro deo colunt lapides ac ligna: quibus pecunia, quibus uenter deus est: qui seruiūt ambitioni, qui libidini, qui furialibus bellis tumultuantur. Hi si nondum possunt accedere ad Iesum, quia uidere non possunt, saltem ad strepitum toto orbe Iesu gloriam prædicantium interrogent: Quid est hoc rei? Vbi cognouerint præterire Iesum, ne sinant elabi præsentem occasionem, sed miserabili clamore fatigent aureis illius: & si malorum præteritorum conscientia suadeat silentium, tanto instantius

instātius fidentis animi clamor pulset aureis. Nō est cuiquam surdus Iesus, qui petit cum fiducia, uerbo dare potest quod petitur. Transiit quidem, sed non prateribit longius si uocem intenderis. Felix autem mendicus, posteaq̃ ad ipsius uocem restitit Iesus. Quid miri, si ad uocem interpellantis resistit, qui ad ouem perditam tanto itinere uenire dignatus est? Felicior autē cæcus, postq̃ adducitur ad Iesum. Iam enim saluti proximus est. Nec diu cæcus esse potest, quisquis accesserit ad fontem omnis lucis. Non aspernatur mendicum dominus ille fons omnis gloriæ, & homo peccator fastidit proximum suum. Vbi coram ueneris, ubi à te ipso recesseris, non est opus proluxa oratione, tantum dic quid uelis, sed dic cum fiducia non de tuis meritis, sed de illius uirtute ac parī bonitate concepta, ac protinus redibit uisus unā cum salute. Mox em̃ ut dixerat Iesus: Aspice: uidit, & ex mēdico factus est Iesu sectator, ac prædicator diuinæ bonitatis. Quin & populus, conspecto tam in signi miraculo, tribuit laudem deo.

CAPVT XIX

A T Q V E hic cæcus, cui dominus lucem reddidit, non inepte designat populum gentium. Siquidem Iudæis aliquid lucis præstabat lex. Gentes in altissimis ignorantie tenebris uersabantur, adeo ut apud hos pleriq̃ non crederēt omnino deum esse, alij crederēt innumerabiles esse, sed hominibus ipsis sceleratiores. Rursus alij putabant deo nullam esse curā rerum humanarū. Nec defuerunt, qui solem & lunā, qui boues, canes, simias, deniq̃ qui porrum & cepe pro dijs haberent. Inter hos erant, qui nescirent certa connubia, sed ritu pecudum uterentur promiscua Venere. Erant apud quos pium esset, occidisse senes parētes. Erant apud quos fas erat uesci carnibus humanis. Erant apud quos religio esset, charissimos filios mactare dæmonio. Quid hac cæcitate deploratius? Et tamen hic cæcus omniū uirtutum egenus, sensit prætereuntem Iesum, quem Iudæorum natio ad se uenientem repulit, intendit uocē fidei: fili Dauid miserere mei. Coegit resistere Iesum. Meruit interrogari. Confessus est cæcitatem suam, ostendit uotum suum: Domine, ut uideam. Accepit quod simpliciter petebat. Ex cultore portentorum factus est cultor Iesu: ex mancipio dæmonum ac uitiorum omnium, factus est discipulus & assecla Iesu: ex mēdico publico ac miseræ stipsis flagitatore, factus est præco uirtutis diuinæ. Frequenter autē Iudæis ingeritur exemplum huiusmodi, quo uel resipiscant ab incredulitate, uel palam faciant in posterum se merito reiectos fuisse, qui sanari nollent. Et hic quidem typus exhibitus est ad ingressum ciuitatis Hiericho. Sed mox in ipsa ciuitate sese præbuit exemplum euidentius. Quē enim ingressus dominus iret per mediam ciuitatem undiq̃ stipatus densissima turba promiscuæ multitudinis, erat uir quidam, ex re nomen habens Zacchæus, ardens studio iusticiæ, quum esset publicanorum princeps, & idem prædiues, quum neq̃ uitæ genus, neque fortunæ indulgentia satis cōgrueret huius animo. Tenebatur autem ingenti desiderio uidendi Iesum, ut eum de facie quoq̃ nosse posset, de quo rumor tam admiranda sparserat. Credebat & amabat quod audierat, & ideo iuxta uotum Simeonis ac patriarcharum, sancta cupiditate gestiebat & oculos explere felici spectaculo, maiora quoq̃ conaturus, nī modestia obstasset: & ob hoc ipsum dignior, cui Iesu maior fieret copia. Diu tenuerat & Herodē desiderium uidendi Iesum. Vidit & aspernatus est. Nam frustra uidet Iesum, qui uicissim à Iesu non uidetur. Zacchæum uiderat Iesus antequam ab ipso uideretur. Herodes uidere cupiebat, qui miraculo quopiam ædito delectaret curiosos regis oculos. Zacchæus ideo uidere cupiebat, ut sciret quis esset: nimirum unicus ille filius dei totius salutis author omnibus ipsi fidentibus. Non magnum est uidere Iesum iuxta carnem his oculis, quibus eum quotidie cernebant pharisæi, & deridebant. Sed discipulorum oculi beati prædicantur, qui uidere meruerunt, quod multis terræ principibus negatum esset. Beatus pronuntiatur Simón Bariona, qui uiderat, quis esset Iesus, quum sic pronūciaret: Tu es ille Christus filius dei uiuū. Non uiderant quis esset Iudæi, qui dicebant: Nonne hic est filius fabri? Sed pio desiderio Zacchæi obstabat pudor, quo minus ad Iesum perrūperet, obstabat undiq̃ circumfusa hominū multitudo. Obstabat humilitas corporis. Erat enim statura pusilla. Humiles sunt, qui rebus sordidis ac fluxis incumbunt. Nam humile est, quicquid habet hic mundus, si conferatur ad maiestatem Euangelicam. His non est conspicuus Iesus, nī si sese subducatur in altum. Iesus sublimis non conspicietur nisi ab humilibus. Iesus humiliter ac populari turbæ mixtus non cernitur, nisi ab his qui fastigium rerum humanarum calcarint.

calcarint pedibus. Et ideo ut à pusillis omnibus undiq; gentium conspici posset, ipse post
 conscendit sublime lignum crucis. Zacchæus itaq; pusillus, non solum corporis statura,
 sed animi quoque modestia: quo sublimis uideret humilem Iesum, præcurrens occupa-
 uit locum, quâ Iesus erat transiturus. Suggestum præbebat arbor dicta sycomorus, quod
 ficos gignat sui generis, unde & ficus Aegyptia dicitur, sed folijs mori arborem referēs.
 Iudæorum turba medium cingebant Iesum. Præcesserat lex, præcesserant prophetae, hinc
 atq; hinc claudebat latus illa ætas. Sequitur & hodie Iudæorum natio, discit quæ fecerit,
 quæq; docuerit Iesus: nec adhuc cernere potest, quis sit ille Iesus, unde oporteat sperare
 salutem. Zacchæus præcurrens occupat hanc felicitatem, nimirum gentium rypum gerens,
 Quid est in causa? Quia adhuc humi manet Iudæus, & hærens carni legis. Non conspici-
 t aut Iesus, nisi ab his, qui ab humili litera legis erigunt sese ad sensum sublimiorē spiritus.
 Ex hoc suggesto licet uidere quis sit & ubi sit Iesus. Alioq; si turbæ maneas admixtus, hoc
 est, si nihil eximium sapias, frequenter audias illam fallacem uocem: Ecce hic est, ecce illic
 est Christus. Pharisei clamant: Ecce hic est Christus. Sadducei clamant: Ecce hic est. E-
 bionitæ clamant: Ecce hic est. Alius ostendit aliquem e pharisaico genere, nigro pallio, &
 dicit: Aspice, hic est Christus. Alius rursus indicat alium candido pallio, & dicit: Ecce
 hic est Christus. Alius diuersos indicans colores & formas uestium, clamat: Hic est Chri-
 stus. Alius demonstrat uescientem piscibus, & dicit: Hic est Christus. Alius spadonem o-
 stendit, & dicit: Hic est Christus: O Iudaicū & incredulum genus. Vis uidere Iesum: Con-
 scende arborem, sume tibi oculos Zacchæi. Non ille cupit uidere uestem Iesu, sed faciem
 cupit agnoscere. Hæc uelata est in sacris literis. Amoue uelum, erige intellectū ad ea quæ
 sunt interna, & uidebis Iesum. Videbis unde nobis uera proficiscatur fides. Incedit ere-
 ctus ac sublimis phariseus, sibi placens, sibi iusticiæ laudem, sibi legis cognitionem uindictam
 cans. Et dum sibi uidetur abunde magnus ac uicinus Christo, non dignatur arboris uti
 præsidio. Zacchæus autē humilis in oculis suis, & arborem conscendit, & uidet quod o-
 portet. Fortassis & hæc ficus erat illi similis, quam execratus est dominus, eo quod foliorum
 uirore promitteret fructum efuriēti, quum non haberet: & iam tempus erat, ut post legis
 figuras, post prophetarum oracula, profferret fructū Euangelicæ pietatis. Hæc erat illa fi-
 cus, quam dominus iusserat excidi funditus, nisi admoto latamine defuisset esse sterilis, &
 propemodū sterilis erat, nisi illam conscendisset Zacchæus. Stirps illa Iudaicæ ficus pro-
 ducebat grossos insipidos & immaturos: uerum ut conscendit arborem Zacchæus, ut in-
 situs est populus gentium, iam cœpit proferre fructum, qualem amat dominus Iesus. A
 Iudæis expectatus erat multis seculis, tandem uenit ad illos: admixtus illis ambulauit, nec
 agnitus est. Gentium populus tantum audierat famam Iesu, & accensus amore cogno-
 scendi, quem Iudæi suspenderunt in ligno, præcucurrit ardore fidei: & agnita sua iniu-
 sticia, humilis contempsit literam legis: contempsit ceremonias & figuras, quas & ho-
 die Iudæi pro ueris amplectuntur, ac per fidem Euangelicam spiritualibus oculis cernit
 prætereuntem in Apostolis, & agnoscit Iesum: & ultro meretur habere hospitem, quem
 Iudæorum incredulitas expulerat. Interea sedet in arbore pusillus ille Zacchæus, obuijs
 oculis expectans aduentantem Iesum: nondum edoctus, quo signo possit eum agnoscere,
 nisi quod sperabat id, quod uehementer optabat. At ubi uentum est ad sycomorum, for-
 tassis Zacchæus multis Iudæorum erat risui, diues ac publicanus sublimis in arbore spe-
 ctator unius hominis. Non enim cupiebat cognoscere quenq;, nisi solum Iesum. Iesus au-
 tem delectatus hominis insigni cupiditate, quam ipso facto, quam uultu atque oculis præ-
 seferbat: quanquam & ante uiderat illum, tamen ut & Iudæis ostenderet exemplū prom-
 ptæ credulitatis, sublati in altum oculis, uidit Zacchæum. Iam mihi salutem aliquam in-
 signem expecta, quoties obtutu suo quempiam dignatur Iesus. Habent enim illius oculi
 salutare fascino. Ille uidere tantū ambierat, sed frustra uidet Iesum, quem ille non dignatur
 oculis suis. Submoue te ab humilib. ac sordidis rebus, & suspiciet in te Iesus. Habet quid
 dam boni omnis aspectus, sed maioris est felicitatis audire uocem. Quum enim Zacchæ-
 us nihil aliud quam intueretur Iesum, dominus ultro dixit illi, ipso etiā nomine ut notum
 compellans: Zacchæe festinanter descende, quoniam hodie oportet me domi tuæ mane-
 re. Accipimus dominum frequenter rogatum iuisse ad conuiuium, nunquam autem ac-
 cepimus ultro non inuitatum ingessisse sese. Atque id uulgo parum habetur ciuile. Sed in-
 trospecteras

trospexerat dominus affectum hominis, cui tanti erat uidisse Iesum praetereuntem. Plura tentaturus erat, nisi propria indignitatis conscientia obsterisset. Cogitabat apud se: Felices, quibus contigit adhærere tali, quibus coram intueri uultum, quibus audire cominus uocem hominis. Iudæorum hæc est felicitas. Ego publicanus sum. Mihi abunde magnum est uidisse praetereuntem. Nulla uox inuitantis prodierat, sed hic animus erat urbanissimus inuitator, sic amat inuitari dominus Iesus. Plus impetrat, qui quod tacite secum optat, propter conscientiam imbecillitatis suæ non audet petere, quam qui ueluti deuincturus officio Iesum, uocat illum ad se. Nunquam enim propius accessit ad Iesum Petrus, quam quum diceret: Exiā me domine, quia homo peccator sum. Efficax inuitator erat & ille, qui dicebat: Domine nō sum dignus ut intres sub tectum meū. Iam in illis ædibus erat Iesus, cum sanaretur puer eius. Illic enim Iesus est, ubicunque salus est. Sitebat Iesus salutem gentium, & ideo iubet, ut festinanter descendat Zacchæus. Iam enim uenerat tempus, ut salus demigratura à Iudæis transiret ad ecclesiam gentium. illic enim oportet manere Iesum usque ad consummationem seculorum: quia non licuit manere apud Iudæos. E sublimi speculatus fuerat Iesum per fidem, descendit ad officia pietatis: non enim satis est contemplari Iesum, quoties eget hospitio: eget autem, quoties eget proximus. Quid interea Zacchæus? Nihil omnino respondet. Ingens enim affectus uocem adimere solet, sed nihil contatus obtemperat. Festinanter descendit. Non enim conuenit contari, quoties nos uocat Iesus. Iudæi uocabantur, & excusant, Zacchæus gestiens & gaudens excepit Iesum in ædes suas. O miseram synagogam, quæ perdidit hospitem Iesum. O felicem Ecclesiæ domum, quæ sua promptitudine prouocauit ad se totius felicitatis autorem Iesum. Vides initium Ecclesiæ collectæ e gentibus. Nunc considera Iudaici liuoris imaginem. Turba quum uideret Iesum tam propensum erga publicanum, ut ultrò semet in ædes illius inuitaret, murmurabat quod ad hominem peccatorem diuertisset. O contaminatam & inuisam deo iusticiam, quæ mauult fastidire, quam sanari: mauult inuidere proximo, quam communicare. Ad hominem, inquiunt, peccatorem: quasi non primum omnium peccatum sit inuidere proximo, & quasi bonus esse possit, qui fratri salutem inuideat. Quid stas extra fores ecclesiæ inuide Iudææ? Licet & tibi ingredi. Quod si recusas, tamen apud Zacchæum decretum est Iesu manere. Gloriantur gentes tali hospite, quem non expectant. Et hoc gratius est, quia non solum præter meritum, uerum etiam præter expectationem euenit. Vt nunc obmurmuratum est Iesu propter Zacchæum, ita post obmurmuratum est Petro ob Cornelium centurionem: Quare introisti ad uiros præputium habentes? Sed quid interea? Zacchæus contempto murmure populi Iudaici stat ante Iesum, ambiens etiam in discipulorum ascisci numerum, ostendens quousque iam profecisset. Ait enim ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus: & si quem defraudaui, reddo quadruplum. Audis pharisæi non commemorat Zacchæus uictimas, non delectus ciborum, non ieiunia, non dies festos, non sabbatismos, non lotiones, non uestem iactat aut genus, sed opera charitatis adducit. In his peccator uincit iustos, ac de sua sanctimonia gloriantes publicanus antecellit. Siquidem pharisæus ille prædicator suorum benefactorum, decimas duntaxat bonorum suorum dabat pauperibus. Hic dabat dimidium, nec dabat e præda, sed si quid fraude partum erat, restituebat fœnore quadrupli. Deinde de iuste quæsitis largiebatur dimidium egenis. O uices rerum mire inuersas. Quod intus erat in pharisæis, id erat plenum rapina ac dolo: & Zacchæum habemus iustum & liberalem, hominem non solum diuitem, uerum etiam publicanum, atque adeo huius generis principem, quo magis etiam erat abominabilis apud Iudæos. Sed nihil moratur titulos dominus, mentem intuetur, & ex factis æstimat: ex his autem factis, quæ ex fide & charitate proficiuntur. Neque uero iactanter hæc de se prædicabat Zacchæus, quemadmodum ille pharisæus suæ iusticiæ buccinator apud deum & publicani derisor. Zacchæus non præfert suam iusticiam alienæ iusticiæ, sed ut homo peccator ac publicanus simpliciter aperit sibi fuisse studium iustitiæ, etiam antequam uideret Iesum, ex quo discere cupit, recte fecerit, nec ne: & quid præterea foret addendum ad adipiscendam uitam æternam. Sic enim expediebat, ut hæc Zacchæi uox audiretur ab inuidis Iudæis, & à Christo ipsidem audientibus probaretur. Non enim poterat illis efficacius exprobrare suam fraudulentiam, auaritiam, rapacitatem: qui non solum ipsi nihil largiebantur egenti proximo, uer-

mo, uerum etiam prætextu pietatis, parentes fraudabāt à filiis debito subsidio. Iesus itaq; uersus ad murmurantes Iudæos, ait: Illud affirmo uobis, quod hodie salus contigit huic familiæ, eo quod ipsa quoq; pertineat ad parciem Abraham, quo generis autore uos gloriamini. Quisquis enim fide ac synceritate uitæ, pietateq; refert Abraham, is filius est Abrahamæ, confors benedictionis, olim Abrahamæ promissæ. Non obstat huic genus ab Abrahamæ stirpe diuersum, non uitæ genus antehac in peccatis actum, quisquis à priore uita resipiscens, amplectitur doctrinam Euangelicam: quisquis Abrahamæ uestigijs ingressus sequitur ueram iustitiam, filius est & hæres Abrahamæ. Nec enim huiusmodi fastidiet filius hominis, qui in hoc ipsum uenit in mundum, ut quæreret quod aberrarat: seruaret quod perierat. Hi peccatores Deo gratiores sunt, quam qui falsa persuasionē iusticiæ tument. Hoc sermone Iesus declarabat, posthac non esse gloriandum in obseruatione legis, sed quicquid dotis obtigisset cœlesti munificentia, id totum eò conferendum, ut quam plurimos homines pertrahamus ad salutem. Nam hoc lucro potissimum delectatur Deus, qui in hoc miserat filium suū, ut uniuersas orbis nationes gratis condonatis peccatis adiungeret sibi. Erant autem & inter discipulos qui putabant, mox ut uenisset Hierosolymam, cui iam cœperat esse uicinus, appariturum regnum cœlorum, de quo toties meminerat, imaginantes regnum aliquod mūdano simile, quum Christus sentiret de regno spiritus Euangelici, per quem opprimitur tyrannis peccatorum. Id autem regnum non constat copijs, armis, aut ui, sed fiducia erga deum, sed beneficentia in proximum, sed clementia, sed sincera ac liberali dispensatione sermonis Euangelici. Porro maiestatem huius regni, quæ pios decorabit immortalī gloria, impios æternis supplicijs addiceret, non statim esse proferendam, sed suo tempore nobis incognito prodendam. Interim illud omnibus modis agendum, ut quam quisq; dotem habet, primum meminerit, esse pecuniam domini, cui debemus omnia, & in huius lucrum erogandum bona fide quod accepimus: non quod ille ullius rei sit indigus, sed quod pro sua erga genus humanū charitate, si fiat omnium salutē: magnoq; sese lucro auctum existimet, si homo per hominē resipiscat à uitijs, & ad Euangelicæ pietatis studium cōuertatur: ut habeat quod in utroq; remuneretur, & eò qui uiuat beneficio, & eò qui adiutus est. Nec enim est quod hinc nobis uindictæ laudis aut gratiæ. Serui sumus omnes, operam debemus domino. Sors tota illius est, cuius sumus & ipsi, tantum hoc pro sua cuique uirili enitendum est, ut augeat rem domini, de præmio relinquat arbitrium domino, qui suo tempore promptam uoluntatem nostram, ac fidelem conatum largissime remunerabitur. Parabola sic habet: Homo quidam nobilis ac præpotens, profectus est in regionem longinquā, ut assereret sibi regnum, quod alius per tyrannidem occuparat, eoque peracto domum sese reciperet. Sed is prius quam ingressus esset iter, conuocauit seruos quos habebat decem, ac tradidit illis minas decem, sic, ut inter omnes esset æqua sortis partitio, simulq; mandauit illis: Hanc, inquit, pecuniam uobis trado, non ut prodigatis aut seruetis ociosam apud uos, sed ut negotiatione crescat, uidelicet ut reuersus, reperiam rem domi auctam. Hunc ad modum rebus domi ordinatis, profectus est. Ciues autem eius ciuitatis cui præerat, oderant eum. Itaq; profecto illo, cœperunt agitare de rebus nouandis, hoc molientes, ut dum alterum regnū asserit, ab eo quod possidebat, excluderetur. Miserunt itaq; legatos ad illū iam profecturū, qui referrent illi, ciues esse huius animi, ut posthac nollent illū habere regem, ne rediret unde profectus esset. Accidit autē ut ille uindicto regno, cuius gratia profectus fuerat, rediret: ac protinus iussit uocari seruos suos, quibus tradiderat sortem decem minarum, ut subditi rationibus, sciret quantum quisq; fecisset lucri. Prodiit primus, qui postulatus rationem, ait: domine, mina tua creuit ad decem minas. Cuius industriā ac fidē collaudans dominus, respondit: Euge serue bone, quoniam quā res meæ essent angustiores, in exigua pecunia declarasti te fidelem, & amantem erga dominū tuum, nunc rebus meis auctis, æquum est, ut particeps sis amplioris fortunæ. Sume præfecturam decem ciuitatum. Post hunc uenit alter seruus, qui postulatus rationē, ait: Domine, mina tua quam mihi pro sorte dedisti, peperit tibi quinque minas. Et huius industriā, tametsi inferiorē, collaudauit dominus. Pro modo, inquit, industriæ tuæ esto & tu præfectus quinque ciuitatum. Quum ad hunc modum cæteri quoq; reddita ratione, pro suo quisque modulo donati essent dignitate, tandem uenit seruus unus omnium ignauissimus, pessimēq; fidelis, qui domino exigenti ratio-

Hec illis audientibus

nem, respondit: Domine, en referam tibi minam quam mihi credideras. Eam haecientis habui repositam in sudario, quo tibi sicut erat, esset incolumis. Adeo non profudi, ut nec attigerim. Hoc malui quam uenire in periculum, ne si male cessisset negotiatio, tecum mihi res esset. Metuebam enim te, non ignarus quam sis homo austerus & lucri auidus, adeo, ut non solum nihil dones de tuo, uerum etiam inde tollas, ubi nihil posuisti: & inde messem colligas, ubi non feceris sementem. Dominus autem non tantum offensus ignauia serui, uerum etiam quod culpam suam referret in mores domini, commotus, ait: Serue piger, mala fidei, & insuper insimulator domini tui, in tuum ipsius caput protulisti sententiam. Noveras, ut ais, quod homo sim austerus, & lucri auidus, inde tollens ubi nihil deposui, inde metens ubi nihil seminavi: atqui hoc ipsum te debebat ad industriam excitare, ut meam pecuniam traderes mensariis. Venissem enim haud dubie, & eam simul cum usuris exegissem abs te, quod tibi in hoc credideram, ut per te cresceret. Ad hanc heri uocem quam obmutuisset seruus inutilis, dominus dixit ceteris seruis astantibus: Auferte ab illo minam, & date illi, qui habet decem minas. Hoc admirantes serui, dixerunt: Domine, quid opus est huic addere? Satis beatus est. Habet enim decem minas. Tum dominus: Vestra nihil refert quid habeat, sic mihi uisum est, & sic aequum est in hac ratione, ut quisque industria fidelis auxerit rem domini, huic mea benignitas adiciat aliquid, ut magis etiam abundet. Contra, qui per ignauiam nihil lucri sibi parauit, huius egestati adeo non subueniet mea liberalitas, ut hoc ipsum etiam quod habet, sit auferendum. Mea fors erat, mihi debebatur lucrum, uestrum erat praestare debitam operam. Nunc & sortem uobis largior, & lucrum. Haec enim enigmata dominus Iesus docuit discipulos suos, ut in negotio praedicationis euangelicae se quisque quam maxime fidelem ac industrium praeberet, praemium autem expectarent in altero aduentu domini, quum iam apparebit potens ac sublimis, regno ecclesiae iam uindicto ac tradito patri. Primum enim deus tantum in Iudaea notus, unius tantum ciuitatis regulus esse uidebatur, quum diabolus impune regnaret in alieno, per diuersas orbis nationes. Cupientes autem sibi uindicare per Euangelij praedicationem, quod sibi Satanas per tyrannidem occuparat, reliquit Iudaeorum terram, ac profectus est in caelum: sed prius diligenter instructis discipulis ad munus Euangelicae negotiationis, quibus credidit Euangelici sermonis dispensationem, ueluti sortem quandam, unde lucrum ingens per illos accresceret domino talium lucrorum audivissimo: Attraherent ad regnum Euangelicum quoscunque possent, publicanos, meretrices, milites, Graecos, Romanos, Scythas, Gallos, Gothos, Sarmatas. Hoc autem agerent usque ad reditum domini, qui rediturus est in fine huius mundi, distributurus cuique pro suis factis aeterna praemia. Non uenturus est autem nisi prius subiecerit orbem imperio Euangelico, & in unam ecclesiam coeant omnes totius orbis nationes. Verum dum haec molitur per suos discipulos, Iudaei, apud quos solos Deus haecenus regnare uidebatur, propter cognitionem legis ac religionis auctoritatem, ciues illius ex quibus, & apud quos natus fuerat, quum in primis illum amare debuerint, & in uindicando regno adesse modis omnibus, non solum nullam opem addiderunt, uerum etiam obstiterunt clamantes apud praetorem: Non habemus regem nisi Caesarem. Idem fecerunt & post, denunciantes apostolis casis, ne posthac de nomine Iesu facerent mentionem. Moesen uolebant regem, Christum nolebant: oderant enim illum, quod aduersaretur ipsorum prauis cupiditatibus. Videmus autem & hodie, quomodo natio Iudaeorum se subdixerit a regno Euangelico, quamque pertinacibus odijs conspirarit aduersus eum, cui data est a patre omnis potestas in caelo & in terra. Nolumus, inquiunt, hunc regnare super nos: & dum nolunt seruire Christo, seruiunt omnibus huius mundi tyrannis: seruiunt Satanae tyranno saeuissimo: quumque passim toto terrarum orbe uideant Christianos gaudere libertate spiritus, ipsi mordicus etiam nunc tenent literam insipidam, cui seruiunt uelut ascripti glebae. Sed his frustra reclamantibus uindicatur & confirmatur ecclesiae regnum, in quo parando constabiliendoque qui fidelem nauarint operam, pro modo fructus quem attulerunt in uinea domini, gloria & honore coronabunt in regno coelesti. Iudaei autem pertinaciter incredulis quid erit praemij? Et hoc explicuit dominus in reliqua parte parabolae. Posteaque enim sumpsisset supplicium de seruo mala fidei, adiecit: Quia & uos illos meos, genere ciues, animo hostes, qui seditiosa legatione missa, deprecati sunt me regem: adducite huc, ut occidatur in conspectu meo, mihique dent poenas rebellionis. **Hac est**

est mors æterna, quæ manet omnes, qui non obediunt Euangelio filij dei. Tunc enim merito experientur implacabilem, qui mansuetum & clementem pertinaciter contempserunt. Hæc loquutus dominus, pergebat ire Hierosolymam, ubi peracturus erat illud exitum sacrificium pro salute generis humani, & è specula crucis uelut auarus & ambitiosus rex, omnia pertracturus ad se. Quando enim ubique multi fuerunt, & futuri sunt, qui clament factis ipsis: Nolumus hunc regem super nos, tamen nulla est natio tam procul remota à Iudæis, unde non plurimos pertrahat ad se. Rursus igitur factio inculcat, quod prius designarat in Zaccheo, quod mox prolixiore parabola explicuit. Procurat interim illud dominus, quod & ante sepe procurauit, ut liqueat omnibus, sese sponte uolentē, ac scientem pati, quicquid passurus erat, alioqui posse quicquid uellet. Quoniam autem decreuerat per summam ignominiam ac deiectionē asserere sibi summā apud homines gloriam, & discipuli nondum ad plenum capaces huius mysterij, nescio quid magnificū ac præclarum iuxta mundum expectabant à domino, uoluit ante mortem ad tempus illorum blandiri, uel illudere potius affectibus, & irridere huius mundi gloriā: ostendens quod sit inanis, & infida, quum tantos applausus, tam honorificas acclamationes, tantū populi studium mox sequuta sit crux. Quum itaque Iesus peruenisset ad montem qui dicitur Oliueti, uicinus duobus oppidulis in eius montis latere sitis, unde iam in prospectu esset Hierosolyma, emisit duos de discipulis suis cum mandatis: Ite, inquit, in oppidum quod uidetis è regione. In cuius ingressu reperietis pullum asinæ alligatum pro foribus, rudem adhuc sessori, & cui nullus hominum insederit, soluite illum & adducite mihi. Quod si quis obstiterit, interrogans quare soluistis pullum? hunc in modum illi respondebitis: Dominus hoc opus habet. Abiere discipuli, reppererunt pullum alligatum. Soluere parant. Interim aderant qui rogarent uelut obfistentes: Quare soluistis pullum? Illi ut erant iussi, responderunt: Dominus opus habet illo. Audito nomine domini, passi sunt abduci pullum. Adduxerunt igitur ad Iesum. Vbi uero conspexere dominum uelle conscendere, quod tamen nunquam antea fuerat solitus, ne in nudo tergo sederet incommodius, discipuli instrauerunt sua pallia iumento. Iam autem insidente Iesu, & eunte, quidam etiā in uia strauerunt sua uestimenta, uel honoris gratia, uel ne pullus rudis & incalceatus ad lapides offenderet ungulas. Quum autem iam uentum esset ad pedem montis, ac recta tenderetur Hierosolymam, mirus quidam affectus corripuit animos omnium, quorum alij comitati fuerant Iesum, alij è Hierosolymis processerant obuiam. Nam certatim uiam, qua incedebat dominus, ramis arborum undique decerptis consternebant, magnoque gaudio, clarisque uocibus coeperunt laudare Deum super omnibus beneficijs ac miraculis, quæ uiderant & audierant gesta per Iesum. Resonabant undique uoces gratulantium, uelut triumphatori domino, & acclamationum: Osanna in excelsis. Benedictus qui uenit in nomine domini, pax in cælo, & gloria in excelsis. Hæc erat uox promiscuæ multitudinis, præcipue iuuenum, qui uelut afflatu quodam numinis, contempta phariseorum inuidia, reddidere palam testimonium domino Iesu. Erant autem in ea multitudine pharisei quidam, quos male habebat hæc acclamationis, nescio quid præ se ferens homine maius. Ex his erant qui monerent Iesum, ut ipse sua autoritate cohiberet acclamationes impias, ex immodico quodam erga præceptorem studio proficiscentes, & ob id ingratas etiā ipsi domino, qui tam eximias laudes non agnosceret. Magister, inquiunt, increpa discipulos tuos. Iesus autem piam simplicis turbæ professionem non compressit, sed Phariseorum cecitatem oblique taxauit, qui non uere uidebantur ea, quæ magnifice gerebat dominus, tribuere Beelzebub principi dæmoniorum. Respondit autem: Qua fronte compefcam gloriam merito canentes Deo, & quod à Prophetis olim dictum est, nunc pijs uocibus occinētes? Illud affirmo uobis, adeo deus non uult hanc laudem suam filieri, ut si homines conticescerent, ipsi lapides clamaturi sint. Et lapides duriores sunt, qui tot beneficijs, tot miraculis prouocati, non possunt ad prædicandam Dei gloriam permoueri. Hæc itaque triumphali pompa, & huiusmodi stipatu dominus Iesus ibat Hierosolymam. Tantulum enim illi libuit gustare de huius mundi gloria, antequam subiret crucem: & hanc professionē extorsit ab ea gente, à qua mox erat crudelissime perimendus, ut Iudæi sua ipsorum uoce condemnarentur, quod suum Messiam ac seruatorem adegissent in crucem. Subest autem in hac rerum gestarum historia non paucum mysterij. Asina stabat, stabat & pullus asinæ filius. Asina iam assueuerat sessori, legis

iugum ferre solita, nimirum Iudæorum natio. Pullus asinæ filius, quoniam salus à Iudæis cepit exordium: gentium populus adhuc rudis erat, nec legis iugo pressus, nec per Euangelicam obedientiam Iesum sessorem tergo uehens. Vtrunq; iumentum erat alligatum, quoniam & synagoga carni legis seruiebat, non aspirans ad libertatem spiritus, & gentes philosophorum decretis, ac dæmonum cultui erant obnoxia. Habebant tum cōmunes dominos, eosque non paucos. Siquidem in Iudæorum simul ac gentiū populis plerique seruiebant auaritiæ, libidini, ambitioni, inuidiæ, ceterisque fœdis & inclementibus dominis. Hos iussu domini soluunt Apostoli duo, Petrus doctor circumcisionis, & Paulus doctor gentium, dum per fidem Euangelicam & baptismum condonant utrisque omnia peccata uitæ pristinae, ut soluti post hac mereantur habere sessorem Iesum. Dedit enim hanc potestatem discipulis suis, non solum inter Iudæos, uerumetiam inter gentes, ut quicquid soluerent in terris, idem solutum esset in cœlis. Quid autem mirum, si priores illi domini non possunt impedire solutionem, quando qui soluant, illius domini iussu soluant, cuius uoluntati nemo resistit? Illi talibus iumentis opus est, talium dorsis gaudet insidere, qui simpliciter obediunt, qui suaue iugum Euangelicæ doctrinae libenter accipiunt, qui non ferociunt aduersus sessorem, qui placido incessu corporibus suis portant & glorificant dominum Iesum, donec peruenerint in ciuitatem sanctam & in templum domini, non in illam interfectricem Prophetarum, sed coelestem illam, quæ nescit rebellionem. Mundi principes amant feroces caballos, ac bello natos & edoctos. Dominus Iesus tales amat asinos, qui mites mitem uehant dominum, nec sessorem tergo excutiant. Hanc uectionem ridet elati principes huius mundi, ridet superciliosi philosophi, ridet tumidi Pharisei, sibi que uidentur felices, quod tergo uehant impitissimum sessorem diabolum, quod tot dominis inclementissimis seruiant, quum uni domino seruire felicitas sit. Nihil his pusillis ac simplicibus felicius, posteaquam semel soluti sunt à seruitute, posteaquam semel tergo receperunt dominum Iesum. Iuxta mundum asinini generis uidentur idiotæ, simplices, nescij fraudis, sed habent rectorem dominum, qui non sinit illos aberrare, qui non solum dignatur insidere dorsis illorum, uerumetiam inhabitare pectora, quæ suo spiritu moderatur. Erant nuda iumenta prius, sed Apostoli suis pallijs conuestiunt, sua doctrina, sanctæque uitæ exemplis ea preparantes consensuro Iesu, qui quod semel fecit iuxta carnem, nunquam non facit iuxta spiritualem sensum. Via erat aspera, sed hæc quoque discipuli substratis uestibus communiunt, ostendentes facilem esse uiam pietatis, si quis per sanctorum exempla ingrediens, subdat se domino Iesu. Itur per ramos palmarum, per frondes arborum uiuentes, per semper florentem ac uiurentem memoriam martyrum, uirginum, & confessorum. Quanta enim uis exemplorum offert sese undique uiam pietatis ingressis? Huiusmodi magnam copiam suppeditant ipsi Iudæorum libri gentibus quoque. Aggratulantur huic pullo, quicumque Christum agnoscunt dominum. Nec hodie desunt Pharisei, nec unquam defuturi sunt, quos urat Christi gloria. Mallent enim acclamari sibi: Osanna in excelsis: Benedictus qui uenit in nomine domini: quum non ueniât in nomine domini, sed in nomine suo. Sed Iudæis hodie tacentibus Christi gloriam, cui inuident, lapides clamitant iam facti filij Abrahæ. Hierosolymitæ clamant: Tolle, tolle, crucifige. Hyberni, Scoti, Britanni, Galli, Sarmatæ, Germani clamant: Benedictus qui uenit in nomine domini. Qui dum suæ gloriæ student, obscurare conantur gloriam Christi, qui priuati commodi causa premunt ac deprauant synceritatem scripturæ sacrae, dum suam magnitudinem prædicari uolunt ab hominibus, & Christi gloriam sileri: hi nimirum Phariseos illos agunt, obturare conantes ora filiorum Hebræorum, quos deus afflauerat ad decantandam gloriam sui nominis, ac filij sui, quem mundo dederat seruatorem. Habet & illud salubrem aliquam significationem, quod ex monte descensus est, deinde iter per planiciem, mox rursus ascensus in montem Sion: nam in hoc extructum erat templum domini. Nisi mons haberet oleum unde fidei lumen aleretur, non esset descensus à fiducia legis, qua tument Iudæi: à fiducia philosophiæ, qua sibi placet gentes. Nam initium profectus ex fide est. Oportet autem accedere ad domum buccæ, nam id Syris sonat Bethphage. Hæc enim est bucca, non quæ tumet fastu, sed paratur confessioem admissorum. Nec procùl abesse oportet à Bethania, quæ dicitur domus obedientiæ. Non omnes autem obediunt Euangelio. Sed hinc tamen est salutis initium.

A descen

A descensu iter est per planiciem, undiq; constratam ramis bonorum exemplorum, donec rursus ascendatur in montem Sion, quæ specula dicitur. Nimirum hoc est illud uirtutis fastigiū, unde uelut è sublimi specula despiciuntur omnia, quæ mundus hic ostentat ueluti sublimia. Iamq; animus cœlo uicinus, cōtemplatur ea quæ sunt æterna, quæq; exuperant omnem sensum humanum. Porro quum iam eò progressus esset dominus Iesus, ut propius in prospectu esset Hierosolyma, uidens ciuitatem illam ædificijs magnificam ac splendidam, uiris, opibus, ac religionis opinione florētem, superbam rebus præsentibus, ignorantia uenturæ calamitatis securā: misericordia motus, illachrimauit: ac uerbis abruptis, uelut præ dolore singultuēs, deplorauit illius exitium, dicens in hanc sententiā: Si tū quoq; cognouisses, quemadmodū ego cognoui hunc tuum diem, quo tibi pax offertur, ac remissio pristinorum criminum, studerēs amplecti quod offertur. Nimirum hic tuus dies est, quo prouocaris ad resipiscentiā, & inuitat te dei bonitas ad pœnitentiā, inuitat autem extremo gradu benignitatis, ad quē nihil potest adiungi. Toties abs te sprete dei clementia, nouo quodā modo dignatur te inuisere, ut saltem hac ratione mitescas. Veniet alius dies, non tuus, sed Romanorū, & ultionis diuinæ, quo pœnas dabis omnium scelerum tuorum, quæ cumulare q̄ deplorare maluisti. Nunc autem nec diem tuum agnoscis, nec illorum non tuum prospicis, quoniam uterq; absconsus est ab oculis tuis, quos habes præsentis felicitatis temulentia cæcutientes. Nec recordaris præteritorum malorum quæ commisit: nec prospicis futura, quæ tibi imminēt: nec agnoscis præsentem dei erga te bonitatem, quam quoniā pertinacissime spernis, o ciuitas immedicabilis, & interfectrix eorum, qui tibi salutis nuncium adferunt: uenient alienigenæ aduersum te, qui tibi adferent exitium. Auerfaberis Messiam tuum, & Cæsarem tibi regem asciscēs. Senties igitur tuos reges, longe alio apparatu ad te ueniētes, q̄ nunc ad te uenit rex tuus, salutifer ac placidus. Non recipis qui uenit daturus salutem, & recipere cogeris qui uenient daturi perniciem. Venient enim Romani principes, pro regibus hostes, quos anteposueras tuo regi, cum amatis cōpijs: ac primum circumsepient te uallo, ne qua pateat effugium: deinde uiris ac machinis undique cingent te, ac prement obsidione arcuissimā: denique totam istam struaturam tuam unā cū templo solo equabunt. Nec hoc contenti, filios tuos, quibus tu nunc superbis, ac uicissim addis animos tuo splendore, internitione concident: totamq; istam tuam gloriam sic funditus tollent, ut nec lapidem relicturi sint lapidi coharētem, ne quod uestigium tuū maneat, aut ne qua spes sit instaurandi tui. Erunt hæc quidem miseranda, sed tuo merito accident: eo quod toties prouocata, olim per prophetas diuersos, nunc etiam per Ioannem, ac Messiam tuum, obstinate spernas Dei misericordiam. Senties igitur tempus uindictæ, quæ tempus uisitationis nosse nolueris. Poteras & ipsa amplecti salutem oblatam. Nunc saltem tuo exitio salutiferum exemplum præbebis alijs, ne simili modo spernant dei bonitatem ad meliōra prouocantem. Hæc loquutus Iesus, uenit Hierosolymam, & ingressus est templum, unde eiecit uendentes & ementes, dicens: In scripturis dicit Deus: Domus hæc mea non negotiationi dicata est, sed precationi: uos autem uertistis illam in speluncam latronum, spoliāntes hospites, & insidijs impijs uestrum lucrum aliorum damno procurantes. Hoc factō dominus Iesus declarauit, quantam perniciem adferant ecclesiæ, qui sub prætextu pietatis student fœdo quæstui, qui sub titulo religionis suum agunt negocium, non pascētes gregem, sed deglubētes, & insyncera doctrina perimentes animas, quas sincera debebant uiuificare. His peractis dominus uelut in suo regno uersans, quotidie docebat in templo, palam contempra phariseorum insanabilis malicia. His rebus iritati, qui inter sacerdotes primas tenebant, scribæ ac primores populi captabant occasionem perdendi seruatorem. Non deerat mala mens, sed nō affulgebat spes perficiendi quod uolebant. Audierant acclamationes populi, uidebant & in templo totam multitudinem suspensam pendere ab ore illius: tanta erat diuini sermonis & uis & gratia. Fastidiebatur istorum frigida doctrina, uelut uapa, de lotionibus, de corbona, de decimanda menta & ruta, semel gustato musto uigoris Euangelici. Hinc metuebant autoritatem suā, metuebant quæstui suo, metuebant regno suo. Quod autem id temporis iuxta historiam accidit, id frequenter euenit iuxta tropologiam, quoties hi qui religionis arcem tenent, qui que sacræ doctrinæ professione conspicui sunt, conspirant cum profanis principibus aduersus Iesum, tum imminet ingens exitium populo. Id fit quoties auctori-

tas sacerdotum ac sacrae doctrinae professorum, adulatur huius mundi monarchis, & illorum affectibus subseruiunt autoritate sua, quorum potentiam oportebat salubribus ac liberis monitis cohibere: ac uicissim monarche suis opibus, Episcoporum ac theologorum prauas cupiditates, hoc est auaritiam, ambitionem, tyrannidem fulciunt ac muniunt: quantum neutri alteros amant, tamen impia collusione in perniciem Euangelicae ueritatis tradunt operas mutuas. Horum scelerata coniuratio maius exitium adfert orbi, quam tum adferebat pontificum, scribarum, pharisaeorum ac primorum conspiratio.

CAPVT XX



QUAE RITVR igitur occasio, ut tametsi cupiditas occidendi esset impia, tamen apud homines studio iustitiae facere uideretur. Accidit itaque, ut die quodam quum Iesus doceret populum in templo, & inculcaret illis letum & optatum nuncium aeternae salutis: conuenerent illi coniurati sacerdotum primores, una cum scribis ac pharisaeis & populi primatibus, ut uel autoritate cohiberetur Iesum a sacra doctrina. Non poterant illius admiranda facta damnare, quae tam multa teste populo gesserat. Non poterant refellere doctrinam, quae cum lege cumque diuina uoluntate consentiebat. Hinc igitur meditantur calumniam, quod hanc docendi populum autoritatem sibi sumpsisset, quum ab ipsis oportuerit accipere: uidelicet illud agentes, ut uel gloriam deo debitam in se transferrent, uel Christo statuerent calumniam motae seditionis, qui sine publica principum autoritate conuocaret ac detineret populum. Simul igitur adeunt Iesum in templum, dicentes. Si uis ut nos quoque credamus tibi, dic nobis, quam autoritate facias ista quae facis. Baptizas, praedicas, sanas in sabbatis, doces in templo, colligis discipulos, auocas ac detines populum. Nobis ignotus es, nulla potestate publica praeditus es. Quis igitur dedit tibi istam autoritatem? Iesus autem intelligens hanc percontationem ab impia cogitatione proficisci, nimirum ut calumniarentur, non ut discerent: non conatus est eos docere, sed retudit illorum maliciam, ueluti clauum clauo pellens. Ioannem enim baptistam plurimi fecerant, & ad huius baptismum confluxerant. Et is collegerat discipulos, & is turbis praedicabat in desertis & circa Iordanem, instare regnum dei: libere damnabat uitia quorumlibet, & inuitabat ad poenitentiam. Nec huic tributa fuerat autoritas a sacerdotibus, pharisaeis, aut primoribus populi, sed e deserto ueluti nouus homo prodierat, afflatus ac missus a deo, iuxta uaticinium Esaiam. Caeterum huc tendebat insidiosa procerum interrogatio, ut si Christus respondisset eam autoritatem sibi a deo traditam, accusarent eum blasphemiae, quod homo sibi uindicaret familiare colloquium aut commercium cum deo. A pontificibus, pharisaeis & scribis non acceperat. Supererat iuxta collectionem illorum, seditiosam esse potestatem, & ex instinctu Satanam, quam sibi sumeret. Contendebant enim omnem potestatem diuinam ad ipsos deuolutam esse, neque quicquam pergeri, quod non ex ipsorum autoritate gereretur. Et interim odio caci, non cogitabant quod Ioannem nulla hominum autoritate similia facientem suspexissent, adeo ut Messiam esse contenderent, nisi quod Ioannes non adebatur miracula. Atqui hoc nomine minus debebant obstrepere Christo. Ac ne illud quidem illis ueniebat in mentem, quod iam olim Deus tradidisset hanc potestatem, loquens per prophetas suos. Prophetarum autoritatem recipiebant, & rem a Prophetis praedictam rejiciebant. Itaque dominus maliciosam illorum prudentiam, & stultam fraudulentiam uolens illudere, respondit hunc in modum: Priusquam ad interrogationem uestram respondeam, sciscitabor & ego a uobis quiddam, quod uobis poteritis expedire. Id ubi expedieritis, respondebo & uestrae percontationi. Dicit mihi: Baptismus Ioannis utrum erat e coelo, an ex hominibus? Et cuius autoritate baptizabat, coelitus accepta, an a uobis? Sensit ilico cornutam interrogationem impia Iudeorum conscientia. Si uera respondere uoluissent, simplex ac parata erat ueritatis oratio: sed sentiunt sese eadem arte peti, qua petebant. Initur itaque consilium dolosum. Nihil enim operosius simulatione, & fraus fraudem, dolus dolum trahit. Conferunt igitur inter se: Quid ad hoc problema respondebimus? Si dixerimus Ioannis autoritatem e coelo profectam fuisse, ilico retorquebit in caput nostrum, & dicet: Quare igitur non habuistis illi fidem de me testificantem? Confessus est se minorem, & indignum qui gestaret calciamenta mea. Confessus est se terrenum terrena, & humilem humilia loqui, me de coelis profectum maiorem esse omnibus. Quomodo recipitis illius autoritatem uelut a deo profectam

etiam, & meam auctoritatē, de qua testificatus est ille, palam calumniāmini: Quod si dixerimus, Ioannem nihil egisse auctoritate Dei, sed tantum humano spiritu, populus uniuersus adoriatur nos lapidibus, quod cuncti persuasum habeant, Ioannem fuisse prophetam, & afflatu numinis gessisse, quicquid gessit. Non erat illis curā, ut uerum responderent, sed ut quod ipsis esset commodum. Sic respondent falsi doctores, non quod docet scriptura, sed interpretantes, quod ad ipsorum facit affectus. Si respondissent uerum, periclitabatur apud populum illorum auctoritas: sin falsum, metuebant uitę suę. Formidabant homines, qui Dei timorem abiecerant. Itaque respondent se nescire. Hęc una rima supererat, qua elaberentur, sed elapsi simul ā quęstione liberant dominum. Ait enim: Quia uos tergiversamini, nolentes respondere quod scitis, nec ego dico uobis, qua auctoritate faciam hęc, quę uidetis: quanquam nec hoc ignoratis, quod percontamini. Sacerdotibus autem, Phariseis, scribis, & populi primoribus ad eum modum confutatis, subiecit dominus parabolā, quę poneret ob oculos immedicabilē illorū maliciam exitio dignā, qui tot modis ā deo prouocati ad resipiscentiā, semper in deterius profecissent, cōtempta lege, cęsis & occisis prophetis, occisuri post hos & extremum malorum remedium filium Dei, & hunc rursus in Apostolis & martyribus frequenter afflicuri. Parabola sic habet: Homo, inquit, quidam plantauit uineam, quam unice charam habuit, nihil non faciens, ut aliquando fructum ex ea perciperet. Sepsit enim eam diligenter, extruxit in ea turrim ad custodiam, effodit lacum, addidit torcular. Sic rebus omnibus bene instructam, locauit colonis, ut eam colerent, & fructum colligerent. Quo facto, peregre profectus est, diuq; foris commoratus. Nimirum hęc est uinea domini Sabaoth, quam dominus transtulit ex Aegypto, plantauit in terra promissionis, sepsit legis ambitu, protexit sua custodia, ornauit templo, addidit sacerdotes, iudices, duces, doctores: nihil omisit quod ad curam illius pertineret. Ac bene curata uinea, colonorū uitio, posteaquam erat diu expectata, ut produceret uuas, tandem produxit labruscas. Dominus interim, qui nusquam non adest, tamen illis procul abesse uidebatur, quod ageret in cœlis. Quum igitur tempestiuum esset, ut aliquando fructum tali Dei benignitate dignum adferret populus Israeliticus, misit uineę conditor seruum suum prophetam quempiam ad colonos, hoc est, ad principes ad sacerdotes & scribas, qui rerum habenas moderabantur, ut redderent fructum enatum. Coloni, qui sibi coluerant uineam, non domino, seruum pulsatum ac uerberibus affectum, repulerunt ac remiserunt inanem. In quem enim prophetarum non saeuitum est? Tanta autem erat domini lenitas, ut nec tanta prouocatus cōtumelia sauiret in colonos: sed misit alterum seruum, qui tentaret, an posset illos ad officium reuocare. At illi nihilo mitius tractarunt hunc, quam priorem tractauerant. Nam uerberibus afflictum & contumelijs affectum, remiserūt illum inanem domino, inanem expectato fructu, sed onustum iniuriā. Quorum enim irent nisi ad dominū, qui dicit: Mihi uindicta, & ego rependam. Ne sic quidē irritata domini lenitas prosilisset ad ultionem, sed misit tertium seruum. Et hunc coloni uulneribus etiā inflicis, remiserunt inanem domino. Siquidem domini bonitas, quę illos inuitabat ad pœnitentiā, magis irritauit illorum maliciā. Quanquam autem omnis contumelia, qua afflixerant seruos missos, merito pertinebat ad dominum qui miserat, iamque iure plecti debebant, qui toties prouocati, semper ad scelera maiora profecerant: tamen ex insigni lenitate sua distulit adhuc ultionem, malens extremum experiri remedium, quā sauire in colonos. Cogitauit autem apud sese: Quid faciam ut impios colonos reducam ad mentem meliorem, quorum culpa iam olim mihi perit fructus uineę meę? Misi tot seruos, nihil profectum est. Quod unum superest id faciam. Mittam filium meum unicum ac dilectum. Qui seruos meos contempserunt, fortassis hunc ubi uiderint, si non amabunt, certe reuerentur, me ipsum in illo uenerantes. Quia natura mali sunt, solent aliquoties uel pudore cohiberi ā maleficio. Placuit hoc consilium clementissimo domino, filij sui periculo uenari salutem colonorum, uidelicet auidoseruandī, ad uindictam lentissimo. Iuit filius obediens patri. Hunc ubi conspexere coloni, non solum reueriti non sunt, sed impijs animis ad extremę dementię consilia sese cōuerterunt, dicētes apud sese: Hacenus seruos reiecimus. Hic est filius & hæres, ulturus aliquando patris contumeliā. Occidamus eum, & nobis uindicabimus hæreditatē huius uineę, contempto fortiter domino. Placuit inter coniuratos impium consilium, ac filium

eiecūm ē uinea interfecerunt. Hoc sermone dominus Iesus quum prodidisset sacerdotibus, scribis & primoribus suam ipsorum conscientiam, qui tum moliebantur, quod paulo post perpetrarunt, educentes Iesum, & extra ciuitatem crucifigentes: uersus ad illos, in interrogauit eos, Hæc quæ sic habeant, quid faciet dominus uineæ talibus colonis? Illis rursus respondere tergierantibus, adiecit dominus: Veniet ipse dominus, ac male perdet colonos illos, qui nulla lenitate uinci poterant: atq; illis pro suo merito extinctis, uineam suam locabit alijs. Hoc dicto significabat dominus, sublata funditus Iudæorum religiōe, per apostolos Euangelij fructū transferendū in gentes. Id abominantes Pharisei, responderunt: Absit. Intelligebant enim totam hanc parabolam in ipsos dictam: & quum non abominarentur tam impiū cōsiliū, tamen detestantur impij cōsiliij iustam uindictam. Iesus ut ostenderet & hoc, quod illi negabant euenturum, fuisse prædictum à prophetis, intuitus est eos, & ueluti compellans illorum conscientiam, ait: Si non creditis meæ parabolæ, quid est igitur quod legitis in psalmis: Lapis ille, quē reiecerunt ædificantes, factus est caput anguli? Quisquis inciderit in eum lapidem, conquassabitur: rursus in quem ille inciderit, eum cōminuet. Se lapidem à deo coelestem significat Christus, quem Iudæi reprobarunt, ædificantes synagogam absq; Christo: sed deus hūc fecit lapidem angularem, connectentem & continentem utrunq; parietem, duosq; populos per fidem Euāgelicam absq; legis ceremonijs in unam ecclesiā copulantem. Atq; hic lapis tutissimum est præsidium aduersus omneis insultus mundi ac Satanæ ijs, qui credentes illi inhærent & inniuntur. Cæterum solidus est & inuictus rebellantibus. Nulla est em̄ tanta potestas huius mundi, quin cōquassetur, si in hunc lapidem impegerit: impingit aut, qui repugnat ac reijcit. Porro cōminuetur etiam, in quem inciderit ille. Incidit autem in eos, quos diu toleratos, uindicta dei tandem opprimit inopinantes. Idem enim lapis salus est innitentibus, exitium aduersantibus. Hæ parabolæ domini sic exacerbarūt animos primariorum sacerdotum ac scribarum, ut inibi statim uoluerint illi manus iniicere, sed ab impio facinore cohibuit illos populī metus, apud quem uidebant Iesum adhuc plurimū fieri. Etenim homines sibi male conscij, senserant parabolam dictam in se competere: quæ ideo dicta est, ut ex eius intellectu reuocarentur à nefarijs consilijs: nunc hoc ipso fiunt ad malefaciendum irritiores, quo debuerant à malicia deterreri. Proinde metu plebis exclusi à palām patrando facinore, quod iam in animo patrarant, posteaquam decreuerant: per cuniculos aggrediuntur efficere, hoc etiam sceleratiores, quod fraudem addunt maliciæ: quemadmodum sceleratior est qui ueneno occidit, quā qui gladio. Audi nunc Theophile dolos & artes impiorum sacerdotum, qui ideo Iesum uolunt extinctum, hoc est, ideo ueritatem Euangelicam uolunt oppressam, quia per eam aufertur cultura uineæ, cuius dominatū sibi perpetuum, atq; hæreditariū promiserant. Dissimulant iram, & obseruant omnē occidendi occasionem. Submittunt uero quosdam, qui sese iustos simularent (nihil autem simulata iusticia capitalius) ut ex illius sermonibus uenarentur aliquid, quo deferri posset apud Cæsares præfectos ac præsidē Pilatum, qui tum in Iudæa nomine Cæsaris rerum summa potiebatur, ut inuidia facti transferretur in hos, quorum sententia fuisset occisus, ipsi uelut innoxij temperasse uiderent à sanguine. Sed quo magis humana uersutia conantur dissimulare, hoc magis ac magis traducunt suam insignem maliciam. Adoriuntur igitur Iesum illi personati satellites pontificum, his uerbis: Magister, perspecta est nobis tua integritas, libere loqueris, & recte doces omnia: nec est apud te respectus personarum, ut in gratiam ullius quālibet potentis mentiri uelis, sed unum deum semper habes præ oculis, quod illi gratum est, simpliciter ac libere doces. Dic igitur nobis, quid sentias tu, de quo multis est controuersia: utrum fas est nobis, dare tributum Cæsari, an non. Iesus aut̄ intelligens fraudulentæ blanditiæ, & insidiosa interrogatio quorsum tenderet: nimirū huc, ut si quod sperabant fore, respōdisset, non esse fas ut populus deo sacer seruiret ac censum penderet impio & idololatræ principi: quam opinionem Pharisei probabant, etiā si profiteri non auderent: rursus subornarent, qui deferrent eum apud Pilatum Cæsaris præsidem læsæ maiestatis: sic Euangelica prudentia fraudulentiam illorum elusit, ut & illis adimeret captatam ansam lædendi, & admoneret quid ipsos oporteret facere, quod sine dubio nemo nō sine certo salutis suæ periculo foret omissurus. Nec enim in hoc uenerat Christus, ut doceret quantum Cæsaribus, aut Cæsari præfectis pendere deberet, sed quid ex spiritali

censu

tēsu deberetur deo, qui dominus est omnium. Quid me tentatis, inquit. Ostendite mihi denarium. Nō enim agnoscit Cæsaris imaginē, qui nihil habet in terris. Exhibito nummo, rogauit quæ nā esset imago, & cuius haberet inscriptio. Nec ista nouit, qui uere Christianus est. Aiunt qui nouerant, nimirum mundo dediti: Cæsaris. Subiicit Iesus: Reddite igitur Cæsari, si quid ad Cæsaris ius pertinet. Neq; enim hoc mea refert, quid exigant huius mundi principes. Cæterum illud magis ad rem pertinet, ut reddatis deo, quod illi debetis. Agnoscite illius imaginem expressam in animis uestris, agnoscite titulum illius, & inscriptionem. Totus animus illi debetur, nec aliq; seruire debet, quā ei, qui condidit & corpus & animam. Quir autem Dei gerens imaginem datur diabolus. Mirati sunt subdoli captatores tam cautum responsum. Habet enim & Euangelica simplicitas suam prudentiam, nec tamen agnoscunt diuinam in eo sapientiam, sed dolent nihil esse, quod in eius sermone possent reprehendere. His submotis accedunt Sadducæi, qui falso nomine iusticiæ sese uenditabant: quemadmodum Pharisei dicebantur ab eminentia, qua sibi uidebantur longe præcellere cæteris. Habet autem illud Sadducæorum secta peculiare, quod non credunt esse resurrectionem corporum, nec aliquid hominis extare post mortem, nec ullos esse angelos. Hi domino proponunt huiusmodi quæstionem: Magister, Moses huiusmodi legem tradidit nobis, si quis uxore ducta, decesserit absque liberis, ut defuncti frater ducat mulierem uiduam, & succedens in locum fratris, suscitet ex eadem posteritatem fratri suo. Euenit igitur ut fuerint fratres septem, quorum primus duxit uxorem, ac decessit absq; liberis. Huic natus proximus accepit uxore relictam, ac decessit & ipse, nō susceptis ex ea liberis. Huic successit in coniugium tertius frater, secundum ætatis ordinem, qui & ipse decessit absque liberis. Atque ut breuiter dicam, simili modo ducta est mulier ab omnibus usque ad septimum, nec quenquam illorum fecit patrem. Tandem mortua est & mulier. Proinde in resurrectione quis ē septē fratribus sibi uindicabit eam uxorem? Nupsit enim mulier omnibus, nec tamen potest esse cōmunis omnium. Ex hac absurditate Sadducæi putabant posse refelli phariseorum opinionem, qui contendebant animas superesse corporibus, & corpora quoq; mortuorum aliquando reuictura. Quoniam autem horū interrogatio plus habebat stulticiæ, quā maliciæ, Iesus non dedignatus est eos docere, dicens: Erratis, inquit, imaginantes talem esse rerū statum in futura uita, qualem in hac uidetis. Filij huius seculi in quo uicissitudo morientium ac nascentium est, necessario querunt uxores filijs suis, ac filias maritis elocant, nec etiam alia ratione propagari potest genus humanum. Proinde matrimonium inter eos, non est felicitatis, sed necessitatis. Cæterum quibus contingit ea felicitas, ut digni habeantur resurrectione iustorum, & illo seculo, quod mortalitatem nescit, nec uxores accersent filijs suis, nec filias suas nuptū dant uiris. Quid enim erit opus nuptijs & coitu, posteaquā nemo iam moritur? Iam enim desiderunt esse carnales, & huius corporis incōmodis obnoxij, sed recepto iam immortal corpore, nō aliter uicturi sunt q̃ uiuunt angeli, inter quos, ideo non sunt nuptiæ, quia non est moriendi necessitas. Hic qui mortales ex mortalibus nascuntur, usu matrimonij prospiciunt posteritati. Cæterum illi, iam uirtute spiritus renati factiq; filij dei uiuentis in æternum, nō desiderabunt matrimoniū, quia nescient mortē, utpote iam per resurrectionem restituti ad uitam immortalem. Quoniam autem in hoc propositum erat hoc problema Sadducæis, ut irriderent resurrectionem mortuorum, quia non credebāt animas à morte corporis esse superstites: dignatus est dominus & hac de re docere rudes illorum animos ex autoritate scripturæ, quam ipsi non improbabant quidem, sed parum attente legēbant. Porro mortuos, inquit, posse resurgere, nec animas simul interire cum corporibus, ipse etiam docet Moses, cuius autoritatem quum in cæteris agnoscat, hic non debetis retere. Siquidem ille literis prodidit, sibi deum hunc in modum loquutum fuisse de rubo, quum citra dispendium uiderat flagratem: Ego sum deus patris tui, deus Abraham, deus Isaac, deus Iacob. Iam Abraham, Isaac, & Iacob sepulti erant: quod si iuxta uestram sententiam totus & irrecuperabiliter perit qui moritur, quomodo Deus se uocat deum illorum qui non sunt? Quū enim deus sit ipse uiuens, imō uita ipsa: non conuenit ut se uocet deum eorum, qui iam morte prorsus interierunt. Sed nō interierunt, quorum potior pars superest, uidelicet ea pars, qua uiuimus. In cæteris animantib. mors interitus est: siquidem & corpus collabitur à uita destitutum, & anima quæ in illis nihil aliud est, q̃ harmonia

Sed erunt filij dei

qualitatum corporis, soluta temperatura, evanescit. In hominibus mors nihil aliud est, quàm diuulsio animæ à corpore, sic, ut melior nostri pars maneat incorrupta, solum corpus ad tempus non intereat, sed corrumpatur. Id autem in resurrectione restitui uirtute diuina, mirum uobis uideri non debet, quum quotidie uideatis ex arido grano seminis in terram abiecti, atque inibi putrefacti, etiam scilicet nouam ac uiuam arborem, quæ latebat in exiguo mortuoque granulo iam sepulto. Proinde qui mortui sunt, uobis quidem mortui sunt, qui eos non potestis reuocare in uitam: Deo autem uiuunt omnes, etiam qui mortui sunt, cui in manu est, ubi uolet, diuulsas animas suis quasque corporibus restituere. Quum ad hæc obtriscerent Sadducæi, scribæ quidam approbarunt Iesu sermonem, quod hæc de re inter Phariseos & scribas conueniret aduersus sectam Sadducæorum. Sed ut rectior erat hac in parte Phariseorum & scribarum opinio, quàm Sadducæorum, ita sceleratior erat animus. Minus enim est ibi maliciæ, ubi plus est ruditatis. Postquam ergo frustra tentatus esset à diuersis Iudæorum sectis (nam & phariseis responderat de maximo præcepto legis) neque cuiquam quod tentarat successisset, nullus ausus est eum amplius quæstionibus laceffere. Iesus igitur ultro prouocauit illos simul collectos quæstione, non insidiosam, sed quæ ad illorum salutem pertinebat. Rogauit cuius filium scriptura pronunciat fore Messiam. Illi non ignari prædictum, quod esset stirpe Dauid nasciturus esset, incontinenter responderunt: Dauid. Ad hæc Iesus: Atqui Dauid afflatus cœlesti spiritu, sic de Messia loquitur in psalmis: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Qui conuenit ut dominum appellet eum, quem agnoscit filium? Filius enim minor est patre: ac magis conuenit, ut filius patrem honoris gratia dominum appellet, quàm contra. Hanc quæstionem nemo poterat dissoluere, & id temporis satis erat Iesu, per ænigma significasse diuinam naturam, iuxta quam maior erat omnibus patriarchis, nimirum æqualis deo patri: quanquam & secundum humanam naturam præcellebat omnes. Et Dauid memoriâ habebant sacrosancam, eum quem Dauid agnoscebat & filium & dominum, aspernabatur, non ex ignoratione legis, sed ex iudicio prauis affectibus excæcato. Horum autem maliciâ, quoniam erat deplorata, nullisq; remedijs sanabilis, restabat ut admoneret simplex & rudis populi turba, ne horum suæ & artibus circumueniretur: quod quum essent omni religione uacui, tamen summam simulabant pietatem, non alio spectantes, quàm ad gloriam & quæstum suum, & hac de causa modis omnibus obstrepentes gloriæ dei, ac proximorum saluti. Nulli sunt enim hostes capitaliores ueræ pietatis, quàm qui simulatione sanctimoniam sibi conciliant autoritatem, & hac freti, simplicem populum auocant à uera pietate. Hoc histrionum genus duplici potissimum morbo laborat: ambitione, quæ uergit ad tyrannidem: & inexplibili auaritia. Hos Iesus depinxit suis discipulis, idque toto populo audiente, ut uitarentur, qui corrigi non possent: & desinerent fallere, qui nolebant resipiscere. Non erat hoc alienæ famæ obrectare, sed simplicium saluti consulere. Nunc audi mi Theophile, quibus coloribus eos depingit dominus, ut cognitos uites. Caute uobis, inquit, à scribis, cuiusmodi iam sæpe uidetis dolo me adorantes. Profitentur scientiam legis, & aduersus mentem legis pertinacissime repugnât. Habent deum in ore, sed aduersantur gloriæ dei. Profitentur se curare rem populi, quum sui commodi gratia simulent omnia quæ faciunt. Fugitant consortia peccatorum, & si forte in illorum congressum inciderint, expiant se lotionibus, sed ipsi intus totum madent tetrioribus uitijs, inanis gloriæ siti, fastu, liuore: sed in primis auaritia, quæ est idolorum cultus. Quoniam autem intelligunt populum uisibilibus rebus potissimum commoueri, talium rerum præstigijs captant autoritatem apud simplices. Vendidant sese nouitate uestis, gaudentes obambulare conspicui magnificis stolis ad terram usque demissis, & uultibus ad grauitatem compositis: crebro uersantur in foro & hominum cœtibus, ut illic adorentur & salutentur Rabbini. In synagogis item & consessibus ambiunt primi honoris sellas, & in conuiujs appetunt in accubitu locum honoratiorem, ut magni uideantur apud homines, quum apud Deum sint execrabiles. Inanes tantum & stulti uideri poterant, si præter popularem auram & salutationum fumos nihil ambirent. Nihil est illis rapacius. Non exercent usuram, non sunt telonæ, sed artes habent illorum arte sceleratiores. Simpliciores uenant ad prædam, captant uiduas beatas, & maritorum præsidio destitutas. Sexus est idoneus fraudi, et pius uidet adesse destitutus. His itaque facile imponitur simulatione

trione sanctimoniarum. Plurimum grauitatis præ se ferunt in uultu, honorantur ab omnibus, iustus ipse undique clamat sanctimoniam. Addunt prolixas preces, idque in publico. Factum est hoc & à Ioanne, & à ueteribus prophetis, sed in occulto. Isti non orant, sed uerborum. Quid igitur mirum, si tot fucis falluntur uiduæ? Ad has posteaquam irreperunt, adorant earum domos: quas que tueri debebant, expilant: & quod erat erogandum in usus pauperum, in suum quaestum conuertunt. Tales id temporis erant scribæ & pharisæi qui sine fine repugnabant Euangelio. Quanquam & hodie sunt, & semper futuri sunt scribæ, qui dum suis student commodis, & populi commodis aduersantur, & Iesu gloriæ resistunt: idque falso prætextu religionis, cunctis, titulis, prolixis precationibus uenantes opinionem sanctimoniarum apud uulgum, qui nondum intelligit, quibus in rebus sita sit uera religio. Quid autem aduersus hos facient Christi discipuli, qui lædere nesciunt, utpote simplicitate columbina præditi: nimirum hæc adhibebunt & serpentis astutiã. Si moniti non respiciunt, uitandi sunt insanabiles: & admonendi simplices, ut ab illorum insidijs caueant. Manet illos sua poena. Quum enim uentum erit ad tribunal illius iudicis, qui non iudicat ex his, quæ uidentur oculis corporeis, sed ex occultis affectibus animorum, tum grauioribus poenis addicentur, quæ qui palam ac simpliciter flagitiosi sunt, hoc minus noxi, quod morbum suum præ se ferunt.

CAPVT XXI

QUO magis autem dominus Iesus hoc infligeret animis populi, homines apud deum non aestimari ex rebus uisibilibus, sed ex animi sinceritate: simulque taxaret scribarum, pharisæorum, & sacerdotum auaritiã, qui hoc persuadebant populo, præsertim autem mulierculis uiduis, sed beatis, summam esse sanctimoniam, si quàm plurimum ex opibus suis conferrent in corporum, præteritis interim pauperibus, nonnunquam & liberis ac parentibus suis: quum se in templo, sustulit oculos ad eum locum, qui dicitur gazophylacium, in quo donata conseruabantur. Eam pecuniam sacerdotes adeo uolebant haberi sacram, ut quum lex in iudicio iussisset honorari parentes, illi docerent deferendum potius patrem, quàm non auri corbonam, quum tamen ea pecunia uitio sacerdotum iam magna ex parte uerteretur in luxum ipsorum. Quum autem multi diuites multa misissent in gazophylacium, & his uelut pijs à sacerdotibus ac pharisæis applauderetur: accessit & uidua quædam paupercula, quæ misit duos æreos nummulos, qui cõficiunt quadrantem. Huic quum populus hominum applauderet, Iesus tamen huius mulieris pietatem uoluit esse notam populo. Aitenim: Hæc uidua hominũ iudicio uidetur minimum misisse in gazophylacium. Sed dei iudicio plus misit, quàm illi diuites, qui copiosissime miserunt. Siquidem illi ex liberalibus sunt, quod ipsis domi superest. Hæc autem studio pietatis ex sua penuriã deus, totamque substantiam, quam domi habebat, misit in gazophylacium. Apud deum enim, qui non spectat rei modum, sed animum, hæc benignius contulit, quàm illi. Ita Iesus ubique per omnem occasionem auocauit suos à fiducia rerum uisibilium, quibus Iudei premium tribuebant, ad studium Euangelicæ pietatis, quæ in animi sinceris affectibus consistit. Iudæi uero præcipuam gloriam habebant in templo Hierosolymitano, quod preciosissime constructum, magnificis que donarijs locupletatum, magna religione uisuebatur, non solum ab omnibus Iudæis, uerumetiam ab alienigenis. Iam autem uenerat tempus, quum cessaret illius templi religio cum suis uictimis, ac deo pararetur templum animi, spiritui sancto cõsecratum, in quo illi quotidie immolarentur uictimæ gratissimæ: non pecunia, sed uotorum & gratulationũ. Purus enim animus cuiuslibet etiã pauperis sancti magis magnificentius templum est deo, quæ sumptuosissimum illud templum tot annis exstructum. Pudicitia, modestia, charitas, ornamenta sunt longe preciosiora in oculis dei, quæ gemmae, ebur, cedrus, aurum, argentum, gemmæ, quibus superbiebant sacerdotes & pharisæi. Quum igitur quidam ostenderent Iesu templi mirabilem structuram, quod lapideis eximijs magnaque arte politis & sculptis substructum esset, quodque splendidis donatum, respondit: Parate Deo templum spirituale, quod nec uetustas exedat, nec tempestas deiciat, nec ignis exurat, nec ulla uis hominum demoliatur. Nam hæc omnia nunc miramini, tanquam deo digna, futurum est ut funditus diruatur, adeo ut nec lapideus reliquus lapidi adhærens, qui non destruat. Hoc audiētes discipuli, ac uel ex hoc cogitantes imminere regnum cœlorum, quod existimabant magna quadam rerum mu-

tatione

tatione futurū, auidi cognoscere tempus, quādo hāc essent uentura, dicunt domino: Praeceptor, ista quā narras de templo demoliendo, de subuertendis Hierosolymis, quo tempore fient, aut quo signo poterimus cognoscere, iam adesse tempus illud: Iesus autem uolens suos semper esse paratos ad omnes malorum incursum, ambiguis sermonibus suspendit illorum animos, commiscens multa de afflictionibus, quas essent perpeffuri ob praedicationem Euangelij: de subuersione ac miserabili clade urbis Hierosolymae: de fine mundi, cuius tempus uoluit omnibus esse incognitum, ut semper sint parati. Discipuli de regno cogitabāt, dominus autē hoc eos scire mauult, quod magis ad illos pertinet, & a quorum commemoratione abhorrebat imbecillium animus. Malebant enim audire iucunda, quā salutaria. Regnum illud aliquando uenturum est, & suo tempore uenturum, eius rei curam magis expedit deo committere. Nostrum est interim sic nos gerere, ne regno uideamur indigni. Nec enim peruenitur ad regni gloriam, nisi per uarias afflictiones. Aduersus has oportet armatos esse animos nostros. Ait itaq; Iesus: Omnino uenturus sum, ac proditurus maiestatem Euangelici regni. Sed uidete ne seducamini, alium Christum pro me amplectentes. Venient em ante tēpus illud, quo uenturus sum, multi qui sibi uindicabunt nomē meum, ac de se praedicabunt: Ego sum Christus. Tempus instat. Nolite talium uerbis commoueri, & si quo uocabunt uos, nolite sequi. Porro quum audieritis omnia commisceri seditionibus ac bellis, multi uaticinabuntur instare finem mundi. Vos autem huiusmodi terroribus nolite terreri, quasi iam instet dies supremus. Euenient quidem ista, sed non protinus ab illis finis mundi. Siquidem hāc nihil aliud erunt, quā praeludia quaedam illius extremae calamitatis, quā malos perdet, bonos examinabit purgabitque. Ut corporis interituri signa sunt ualidi morbi, ex uitiosa temperatura qualitatū exortita mundi finē praedicunt horrendi tumultus, quos homines ipsi sibi consciscunt, prauis cupiditatibus inducti. Horum peruersitate cōcutietur ipsa rerum natura, ueluti maliciam hominum detestata, & in scelerum uindictam insurgens. Magnis tumultibus insurget gens aduersus gentem, regnum aduersus regnum. Porro quum nihil sit calamitosius bello, tamen hanc pestem sibi cōciliant, & accersunt homines ambitiōe, stultitia, auaritia, odijs, similibusq; uitiosis affectibus. Addet & ipsa natura graues terremotus pluribus in locis, uelut indignante mundo, quod homines tam impios ferre cogatur. Accedent & pestilentiae, suo contagio plurimos absumptura, uelut ipso aere armato in uindictam malorum, qui in hoc datus est, ut salutaris aura uitam conferat & alat omnibus. Accedet ex prouentus inopia fames, ueluti terra negante suam alimoniam filiis tam impijs aduersus Deum, cui muta quoque famulantur elementa. Nouis & insolitis tumultibus cōmouebitur mare, solitum et ipsum seruire usibus hominū. Quin & coelum ipsum prodigia dabit, iram dei testātia, sole subito uerso in tenebras, luna in sanguinem, cometis noua specie sese proferentibus, alijsq; prodigijs nouis & admirandis. Verum ut corpus hominis, non statim emoritur morbis ingentibus cōcussus, sed tamen morbi subinde recurrentes, declarant nō procul abesse mortis diem: Ita quū huiusmodi malis frequenter cōcutietur mundus, significationē dabunt mundi iam senescentis, & ad ruinam tendentis. Sed antequam hāc publica calamitas orbem corripiat, antecedit insignis hominum peruersitas, quā dei bonitatem ad iram prouocabit. Vobis enim nomen meum, per quod salui fieri poterunt, praedicantibus, iniicient manus, & omni genere malorū persequentur: petra bent in cōciliabula sua, ueluti nocentes ac maleficos. Coniiciēt in carcerē, reos peragent apud regum ac praesidū tribunalia, non ob ullum uestrū maleficium, sed ob ingens beneficium, uidelicet ob professionem nominis mei, quod modis omnibus conabuntur abolere, quum per illud gratis liceat assequi salutem aeternam. Hoc autem accidet uobis, ut uestra probata sit constantia, & illorum intelligatur merito damnata malitia. Vos autem meo praesidio, uestraque innocentia freti, non est quod metuatis illorum tribunalia, nec quod sollicitē meditemini apud uos, quomodo sitis acturi causam homines idiotae apti confessum magnatum aut principes. Nec est quod rhetorem, patronum, aut iureconsultum aduocatū adhibeatis. Ego per meum spiritum uobis adero patronus & aduocatus inuictus, qui uobis suppeditabit & linguam & sapientiam, cui nec resistere poterunt, nec contradicere omnes aduersarij uestri, quantumuis crudeles aut disertī mundana sapientia. Atq; hāc patiemini, non solum ab ignotis & alienis, uerum etiā ab his, qui uobis propin-

propinqua cognatione arctiusque necessitudinis uinculis iuncti sunt. Pater persequetur filium, fratres affligent fratrem, cognatus deferet cognatum, amicus in ius uocabit amicum. Erunt autem ex uobis quos odio mei sunt interfecuri. Tam atrox odium totus mundus concipiet in uos ob mei nominis professionem. Proinde quicquid in uos audebit, hoc in meam contumeliā factum accipiat. Quare non est quod uos de uindicta cogitetis. Ego laedar, ego occidar in uobis. Meū erit & uobis consulere, & illorum ulcisci maliciā. Quamuis autem defauiert in uos persecutionū humanarum procella, nō est quod metuatis, uidelicet me protectore. Non enim committā, ut uel pilus capitis uestri pereat: tantum abest, ut sim uobis defuturus. Ne respicite ad humana praesidia, copias, arma, machinas: sola tolerantia uestra defendetis uitam uestrā. Non potest perire, qui ob mei nominis professionē occiditur. Non peribitis ante diem. Nec enim tantū permittam humanā uioletitiae. Ille uero uere seruauerit animam suam, qui mea causa constanter mortem oppetierit. Civitas autem haec opulenta, qua nunc superbiunt Iudaei, & in qua sibi regnare uidentur, funditus subruetur à gentibus. Quum igitur uideritis Hierosolymam cingi obsidione, tunc intelligite imminere uastationem illius: neque quicquā superesse, nisi ut sibi quisque quantum potest celeri fuga consulat. Solet enim sibi quisque in bellis blandiri spe uictoriae, cauete ne quem haec spes fallat: sed qui tum temporis fuerit in Iudaeae confinijs, subducatur sese in loca montana & inuia. Et qui in mediterraneo Iudaeae habitauerint, demigrent alio. Quos uero calamitas haec deprehenderit in exteris regionibus, ne recipiant sese in Iudaeā. Habeant omnia pro derelictis, tantum uitae suae quisque consulat. Non enim haec fient tumultibus fortuitis hominum, sed ultio diuina iam diu prouocata pertinaci malicia hominum, per alienas nationes poenam sumet de hac natione, iam olim rebellante aduersus deum. Haec ita uentura praedixerunt olim prophetae, praecipue Daniel. Necesse est autem uenire, quicquid praedixit euenturum scriptura, quae non fallit, quippe diuini spiritus afflatu scripta. Nec ideo tamen incidet haec calamitas, quia sic fore praedixerint prophetae: sed ideo praedictum est, quod deus praeuiderit hominum peruiacem impietatem, qua diuinam ultionem in se prouocarent. Erit autem ingens malorum procella, quoniam praecessit diutina pertinaxque malicia gentis huius, quae tot modis prouocata ad resipiscētiā, semper in deterius progressa est. Inuoluet autem haec tempestas, & noxios, & innoxios. Minus autem infelices erunt, quos illa procella malorum ingruēs offenderit accinctos ad fugam. Vae autem grauidis, ac mamma lactantibus, quoniam onusta sarcina, quam depovere nec uolent nec poterunt, non erunt expeditae ad fugiendum. Nec erit nisi in fuga spes incolumitatis. Nec enim erit uulgaris afflictio, sed atrox ultio dei corripiet regionē hanc omnem, & populum hunc tot seculis rebellem. Subuersis enim urbibus, aut trucidabuntur, aut captiui ducentur dispergendi per omnes gentium nationes: ut uersis rerum uicibus, seruiant gentibus, quas hactenus ut abominabiles execrati sunt: hoc ipsum illorum humanitati debituri, quod ullae super sunt reliquiae gentis impiae. Quin & Hierosolyma haec, & opibus & religionis opinione superba, cum suo templo, cuius structuram sibi promittunt aeternam fore, conculcabitur à gentibus, donec expleta fuerint tempora, quibus Deus passurus est Iudaeorum nationē premi & affligi à gentibus incircuncisis, donec diutinis malis correcti Iudaei, tandem resipiscant, & in societatem Euangelicae professionis coeant cum gentibus. Nam id futurum est, antequam ueniet supremus dies mundi. Huius autem aduentum signa multa portentent, antequam ueniat. Erit enim ille dies horribilis, praesertim his, qui meum tempus placidum, & ultrò beneficijs inuitans ad mentem meliorem, spernunt. Proinde rerum elementa uelut exhorrescent ad huius aduentum. Sol ille fons luminis, solitus exhilarare rerum mundi faciem, subita caligine uultum obducet. Nephelae quidem erit suum lumē mutuum, quod uobis impartiat. Stellae sanguine rubentes, de caelo descendunt in terras. Item uehemens animorum anxietas ac rerum desperatio corripiet omnes gentes, intumescēte mari, tristisque fragore resonantibus fluctibus. Haec & huiusmodi portenta, quae se proferent undique ex omni parte mundi, declarabunt ingruere terribilem ultionem dei: eoque mortales extabescant, & exanimabuntur metu & expectatione eorum, quae mox superuenient uniuerso orbi. Concutietur enim tota rerum natura: neque terra solum & mare commutabuntur, uerum etiam illa solidissima mundi corpora, quae hactenus ab elementorum mutatione fuerunt immunia, solitaque tantum agere

Cum autem uideritis

in ea, quæ subiecta sunt, non autem uicissim ab illis affici, commouebuntur. Qui nunc aspernati sunt filium hominis placidum, mitem ac beneficium, tunc uidebunt eum, sed suo malo uidebunt, sublimem uenientem in nube cum ingenti potestate, summaque gloria. Porro quum hæc coeperint fieri, subrigite oculos, & attollite capita uestra ad coelestem illam ciuitatem Hierusalem: quoniam in propinquo erit regnum dei, in quo nulla iam erit malorum afflictio, sed perpetua tranquillitas, & æterna felicitas. Hæc erunt certissima signa iam instantis supremi diei. Et adiecit dominus similitudinem. Exemplum ab arboribus capite, quæ signis certis præmonent homines sequuturi fructus. Videtis enim ficum & reliquas arbores, quum protrudunt gemmas ac frondes, & ex uobis ipsis intelligitis instare æstatem, & incipitis sperare fructus. Ita & uos quum uideritis hæc præludia mundi transformandi, concipite certam spem iam iam proferendum regnum dei: nec amplius fore malis ius affligendi bonos: sed impij pœnis æternis afficientur, pii gaudijs fruuntur perennibus. Si uideritis euenire, quicquid hæcenus prædictum est uobis à prophetis & à me, credite haud dubie & hæc uentura, quæ nunc prædixi uobis. Illud affirmo uobis, non præterierit hæc hominum ætas, priusquàm hæc omnia eueniant. Nihil cœlo ac terra stabilius: sed cœlum ac terra citius euanescent, quàm mea uerba transferint inania. Proinde certi uenturum hoc tempus formidabile, præparate uos in aduentum illius, ne uos opprimat oscitantes. Id facietis, si caueritis ne corda uestra grauentur luxu ac temulentia, reliquisque solitudinibus uitæ præsentis: quin potius ita uiuite, quasi mox sit uenturus ille dies, nihil amantes in hoc mundo, sed totis animis intenti ad coelestia. Sic fiet, ut dies ille uos non opprimat inexpectatus. Cæteris enim, qui sic uiuunt, quasi tempus hoc nunquam sit uenturum, sic ueniet ille dies, quasi laqueus furtim ab insidiante positus: & inuoluet omnes, qui non habent animos & oculos sublatos in cœlum, sed habitant super faciem terræ, ubi non habemus stabilem sedem, sed ad illam æternam properamus. Atque illi quidem aliud agentes se secaptos sentient, priusquam laqueum præuiderint. Idem ne uobis usu ueniat, fugite somnolentiam: nolite indormire uoluptatibus & curis huius mundi, sed studijs rerum coelestium perpetuo uigilate, continenter deprecantes, ut uos deus dignetur habere in numero eorum, qui poterunt effugere hæc tanta rerum pericula, & subsistere ante iudicem inuitabilem filium hominis, qui ut nunc omnes magna lenitate prouocat ad poenitentiam, ita tum magna seueritate iudicabit uiuos & mortuos. Nemo suis fidat præsidijs, nemo feret hoc iudiciũ, nisi præmunitus fauore diuino. Sed is non aderit, nisi qui interim summo studio conantur sese præbere dignos eo fauore. Tunc enim implorare clementiam illius, seruum fuerit his, qui nunc abutuntur illius lenitate. Quum autem instaret tempus mortis, dominus Iesus exemplo suo docuit discipulos, tum maxime inuigilandum pijs studijs, quum imminet dies uite supremus. Nam quod orbi est dies ille supremus, de quo iam multa prædixerat, hoc unicuique est suus obitus dies. Proinde dominus interdum docebat populum in templo, non cessans benefacere his, à quibus se nouerat occidendum: noctu uero demigrabat in montem Oliueti, quo magis uacaret precationi, qua continenter patrem pro salute mundi interpellabat, minimũ temporis somno impartiens. Populus autem diluculo uentitabat ad illum in templo, ut audiret eum docentem. CAPUT XXII



Vo magis populus pendebat ab ore domini, hoc magis ac magis incitabatur sacerdotes, scribe & pharisæi coniurati cum primoribus populi ad occidendum Iesum. Iam autem & tempus appetebat, quo decretum erat & conueniebat immolari uictimam illam pro salute totius humani generis. Delectus enim erat ad hoc consilium dies apud Iudæos longe omnium religiosissimus, quem illi uocant Azymorum, quod nefas esset Iudæis per eius festi dies uestigiis panibus fermentatis: atque idem dicitur phase, siue pascha, quod Syris sonat transitum, ab agno anniculo, cuius cruore summi postes ædium illinebantur, ut eas præteriret angelus domini extinctor omnium, qui hoc signum non haberent in foribus. Hic dies erat minime commodus sacerdotibus et scribis, qui maluerant mortem illius obscuram esse, ac uulgari nocentis supplicio simillimam. Iesus autem uoluit suam mortem esse celebrem & solennem, ac per omnia ueteris testamenti figuris ac prophetarum oraculis congruere. Hic enim erat agnus ille nescius omnis maculae, cuius carne ueri Israelitæ per orbem uniuersum quotidie reficiuntur: cuius sacrosancto sanguine emundati, subditi sumus ab exitio, liberati à tyrannid peccati

Exod. 12

peccati: & quotidie longius recedentes ab Aegypto, properamus ad coelestem illam terram, omni genere felicitatis exuberantem, abstinentes interim à panibus fermentatis, ac uersantes in simplicitate ac synceritate spiritus Euangelici. Hic igitur dies ad iterum illud sacrificium delectus est deo, quum non placeret pharisæis. Mortuus est enim non ex arbitrio ludæorum, sed ex patris suoq; arbitrio, quādo uoluit, ubi uoluit, & quomodo uoluit. Nihil enim hic temere casu ue gestum est. Nihil haecenus potuerat Phariseorum malicia, subinde mortem domino machinantium: quia tamen si non deerat praua uoluntas, nō est tamen data diuinitus perficiēdi quod destinarant facultas. Sic tamen interim illi cōferunt ac miscent sua consilia, quasi suis præsidijs possent efficere quod uolebāt. Gestiebat enim multis modis iritata Phariseorum ac sacerdotum malicia, inijcere manus in dominum, & ad mortem pertrahere. Sed obstabat populi metus, quem uidebant æditis miraculis ac beneficijs illi conciliatum pendere ab ore ipsius. Vnde periculum erat, ne si coram multitudinem tentassent illi manus inijcere, coorto tumultu per uim eriperetur ex ipsorum manibus, atq; ita conatus in uanum cederet, etiam in posterum sibi prospiciente, qui semel fuisset elapsus. Immemores interim erant, quod toties è manibus uesanae multitudinis euasisset incolumis. Offendebat eos & dies parum ad rem gerendam idoneus, ob celebritatem & frequentiam populi: sed præter spem aliunde præbita occasio, cum impia ipsorum uoluntate coniuncta, excussit scrupulum diei festi. Sathanas enim, qui prius per se Iesum tentauerat, nunc eundem per suos ministros & organa persequens, occupat cor Iudæ Iscariotæ, qui fuit unus è duodecim illis selectis, quos Apostolos nominat. Hunc sola pecunie cupiditas, quam cōtrectarat, huc uesaniae perpulit, ut ultrò adiret primarios sacerdotes ac magistratus (habebant enim & sacerdotes armatam manum, sed non in hoc datam) tractans cum illis de prodendo in manus ipsorū Iesu. Nouerat enim hoc illos agitare. Nullus autem minister ad prodendum Iesum magis idoneus, quàm qui illi familiarissimus est timo ac professione, mentis affectu hostis. Iudas nō male sentiebat de domino, nec ab eo fuerat offensus, ut causam haberet, quur illi male uellet, sed avaritiæ pestis habebat animum illius. Gauisi sunt sacerdotes oblatum histrionem, qui huius fabulae primas ageret partes. Placuit Iudæ consilium, conuenit de precio, quod ille sanè mediocre postulauit, ne res non responderet prophetiæ. Illi polliciti sunt pecuniam, hic operam. Interea querebat occasionem, qua quod illi uolebant, traderet illis Iesum semotum à turba, ne quid à fautoribus oriretur tumultus. Nouerat autem ille omneis domini secessus. Iam uero aderat ille dies azymorum Iudæis sacerrimus, in quo iuxta legis præscriptum oportebat occidi agnum, quem Iudæi à transitu, ut dixi, uocant phasē. Verum autem phasē erat dominus Iesus agnus ille purissimus, iuxta patris æternum consilium immolandus pro salute mundi. Iesus igitur quo penitus infingeret animis suorum mortis suæ memoriā, doceretq; se præscire ac uolentem hæc omnia perpeti: uoluit in extrema cœna, quam cum illis erat acturus, mysticis signis hoc apud eos repræsentare, quod postridie peracturus esset in cruce, non ignarus quā essent sua morte perturbandi. Occupat igitur tempus, dum adhuc illo rum animi monitorū essent capaces. Hoc negociū dat duobus apostolis præcipue dilectis, Petro & Ioanni. Ite, inquit, & parate nobis agnū paschalem, ut simul comedamus. Audis eorum exordium, & finem synagogæ. Quoniā dominus non habebat proprium aut certum domicilium, quum esset conditor ac dominus uniuersorū: rogant discipuli, ubi nam subiret adornari cœnā paschalem. Erant autē usq; adeo hospites ac peregrini discipuli in diuitate, ut uix domū aliquam certò cognitam haberent. Tales enim oportet esse ueros Christi discipulos in hoc mundo. Iesus autem ut ostēderet sibi nihil eorum ignotum esse, quæ mox essent futura, dixit illis: Ecce quum ingressi fueritis ciuitatē, occurret uobis qui ostendat uobis hydriam aqua plenā. Hunc sequimini usq; ad domū quam fuerit ingressus. Ibi uertis patrifamilias: Præceptor iussit, ut suis uerbis tibi diceremus: Vbi est cœnaculū, ubi paschalem agnū comedam cum discipulis meis: Agnosceat præceptoris titulum, sicut domini uocabulum agnouerat, uobis soluentibus asinæ pullū. Is nihil cunctatus, ostendit uobis cœnaculum ingens iam futuro conuiuio constratū, ibi mihi parate pascha. Illud iterum considera mi Theophile. Ignotus hospes est, qui præbet cœnaculum: & aqua baptismi dux est ad hanc domum, in qua Christus celebrat pascha. Per baptismū enim & sacram doctrinam ingressus est in ecclesiam: purgat aqua uiua sermonis Euangelici, purgat

& aqua sacramenti. Paterfamilias non habet nomen, quoniam ubiq; Christi est ecclesia: primum ex obscuris initijs exorta, sed indies latius sese diffundens in uniuersum mundū. Quoniam autem principium omnis salutis est fides: credunt domino, & obtemperāt discipuli. Abeunt in ciuitatem, reperiunt baiulum hydriæ, sequuntur præcuntem. Referūt patrifamilias, quæ iussi fuerant. Ille commonstrat cœnaculum ingens. Amplū enim sit oportet, quod omniū orbis nationum sit capax. Nam Iudeorum synagoga angusta est. Et procul à terrenis submoti debēt esse, qui uolunt uesci cibo cœlesti. Hic igitur discipuli cœnam parant, nimirum pastorum fungētes officio. Quum autem iam esset cœnandi tempus uenit eò Iesus, & accubuit cum duodecim selectis discipulis, quod cæteri nondum essent capaces tam retrusi mysterij, quod post per apostolos suos cōmunicari uoluit, his qui iam essent Euangelij sacramentis initiati. Quum igitur accumbentibus cibis ac potus esset appositus, dominus quo penitus infigeret animis suorum, se nulla necessitate, sed amore redimendi genus humanum passurum crucis supplicium, ait illis: Ingenti desiderio desiderauim, ut hunc agnum paschalem uobiscum comederem ante mortem meam: cuius tempus adesse gaudeo, quia sitio salutem hominum. Hoc enim affirmo uobis, post hac non comedam uobiscum hoc pascha iuxta legis præscriptum, sed aliud perfectius pascha iuxta spiritum perficietur in regno dei. Hic agnus qui quotannis maciatur sollemniter à Iudæis, typum habuit mortis meæ. Nunc adest ueritas, & cessabit umbra: post hac spirituale & effica phasē mihi celebrabitis, cuius esus uos reddet immortales. Vbi uero singuli gustassēt de carnibus agni, Iesus accepto poculo gratias egit patri, & libato porrectoq; calice dixit discipulis suis: Capite & diuidite hoc inter uos. Illud affirmo uobis, post hac nō bibam de fructu uitis iuxta carnis necessitatem, sed mox aderit regnum Dei. Hæc omnia quæ lex habuit carnalia, spiritualiter exhibebuntur. Hactenus figurarum legis est finis. Sub hæc dominus Iesus mystico symbolo suis consecraturus nouum testamentū, accepit panē, & gratijs actis patri, fregit manib. suis, deditq; discipulis, dicens: Hoc est corpus meū, quod pro uobis in mortem traditur. Mors mea non iterabitur, Sufficit enim unica uictima pro peccatis omniū seculorum. Sed uos uobis huius meæ erga uos charitatis memoriā frequenter renouabitis, faciētes inter uos, quod nunc à me uideris fieri. Erit enim hoc sacrosanctū signum fœderis inter nos initi. Peracta uero cœna, sumpsit & poculum, ac porrigens illis dixit: Hoc est nouum testamentum, non uītuli aut hirci, sed meo sanguine consecratum, qui pro uobis seruandis effunditur. Habetis summum argumentum ac pignus meæ erga uos charitatis. Deberet autem amor esse mutuus: sed tamen est hic uobiscū in mensa, qui me proditurus est his, qui me quærunt ad mortem. Nec ista fiunt fortuito, sic definitū est consilio diuino, sic prædictum est à prophetis, ut hoc ordine filius hominis redimeret genus humanum. Seruit ille quidem publicæ saluti. Sed quoniam hoc animo impio facit, cedit in exitium ipsius, quod alijs adferet salutem. Non illum dei decretum pertrahit ad impium facinus, sed sua praua cupiditate eò ducitur. Ea uox Iesu uehementer perturbauit omnium animos, ac cœperūt inter sese querere, quis nam esset ille, de quo Iesus esset loquutus. Nemo sibi male cōsciū erat, præter unū Iudam Iscariotem: nemo tamē ausus est sibi fidere. Non prodidit tamen Iesus proditorem suum, sed frequēter illius cōscientiā pupugit, ut resipisceret. Et sciebat futurum, ut ille nihilominus in sua demētia perseueraret: nos interim docens, ut erga peccatores summa lenitate utamur, quibus certū esse non potest, an aliquādo redituri sint ad sese. Quoniam autem dominus in cœna meminerat de regno dei, rursus incidit inter discipulos adhuc infirmos, & carnem ex parte sapientes contētio, quis à morte domini primatum haberet in regno dei. Nam in porrigēdo panē & poculo uisus est omneis æquasse, dicens: Diuidite inter uos. Iesus autē quanq; & alias reuocarat illos ab hoc affectu, nunc moriturus repetit & inculcat, dicens: Nolite tale quippiam imaginari in regno cœlorum, quale uidetis in regnis mundanis. Longe aliud regni genus est, quod beneficijs constat, non uis: spiritualibus præsidijs obtinetur ac defenditur, nō uolentia: persuasione dilatatur, non necessitate. Siquidem principes huius mundi dominatum exercent in eos, in quos habent magistratum: non enim persuadent ut ament honesta, sed metu suppliciorū deterrent à maleficijs, & honorē à suis exigunt, etiam si non promereantur: imò quo propius accedūt ad tyrannidē, hoc plus honoris exigūt à suis, & interim magnificis titulis honorantur à populo. Vocantur principes, patres patriæ, seruatores, cōsules

les, quod potestate sua premant inferiores. Tale quidē est regnum gentiū: inter uos autē, quos formo instituoq; ad regnū Euangelicum, longe diuersa erit ratio. Quo quisq; maior erit inter uos, hoc minus sibi uindictabit uolentē potestatis aut gloriā. Nec enim huc spectabit, ut suis dotibus quas accepit à deo, premat inferiores, sed prosit ac subleuet: nec sibi uindictabit laudem, sed deo totam transcribet: nō quod nō sit in hoc regno futurus ordo, sed is qui delectus est ad primatum, ut alijs dux sit ad pietatem, adeo seruiet omnium commodis, ut uideatur esse minister potius, quā princeps. Fauorem non ambiat, sed promeretur animus ad benefaciendū omnibus promptissimus: auctoritatem tuebitur uita integritas, non supercilium aut fastus. Ne pigeat autem uos inter uos eam pręstare modestiam, quam ego uobis pręstiti, qui meo iure poteram mihi dominatum uindicare. Nam illud cogitate, uter maior uideatur, qui ministrat, an qui accumbit? Nōne qui accumbit? Non quod reuera maior sit, quisquis accūbit: imō qui conuiuio accipit alios, hoc ipsō maior est, quod bene meretur de multis. Et tamen ciuilitatis gratia ceteris, quos uocauit, accumbentibus, ille obambulat, sollicitus ne quid cui desit in cōuiuio, & unius sollicitudo omnium uoluptati prospicit. Nōne ego me talē gessi inter uos? Nōne sic uersatus sum inter uos, quasi minister essem omniū uestrum, de meo ministrans, & unus pro omnibus sollicitus? Quanto magis oportet uos abesse ab omni tyrannide & ambitione, qui conditio ne pares estis, qui de meo ministratis, qui communem habetis dominū. Accepistis sacrosanctum illud symbolum Euangelicę concordię: ut quia charitate uos complexus sum, ea uos inuicem complectamini. Non potest autem constare concordia, ubi regnat ambitio. Interim promerendus est honor, non uindictandus. Principes enim huius mundi, ut recte administrarent munus suum: tamen quoniam honorem exigunt à suis, nihil habituri sunt apud deum pręmij. Vos autem de pręmio securi, tantum de officio cogitate. Meum erit de dignitate prospicere. Si fueritis imitatores humilitatis meę, eritis & glorię consortes: si fueritis afflictionum socij, eritis & immortalitatis. Et hactenus mecum permansistis in afflictionibus meis, quibus pater cęlestis uoluit exploratam ac spectatam esse meam obedientiā. Non uos humilitas, non paupertas, non labores uita, non obrectationes hominum, non pharisęorū insidię, non potentiū minę distraxerunt à meo contubernio, quum alij defecerint, alij nō sint ausi profiteri sese meos discipulos. Quod si perstiteritis istoc animo, nec uos piguerit interim imitari meā humilitatem, quo magis prositis omnibus, ego uicissim efficiā, ut olim sitis participes glorię regni mei. Pater enim hanc uoluit esse uiam ad regnum cęleste. Eam uobis aperui hactenus, & aperiam morte mea. Per humilitatē ille me prouehet ad regni gloriā: per afflictiones temporarias ad æterna gaudia. Quem admodum autem mihi regnū est paratum à patre, quod hic interim iuxta uoluntatem ipsius minister agō, non dominum: & ego prouectus ad regni dignitatem, uobis mea uestigia sectantibus parabo regni consortiū, ut qui hic non quęstis honorem, sed gessistis uos ut omnium ministros, sedulo dispensantes doctrinam Euangelicā, in regno meo non iam uelut ministri, sed uelut honorabiles filij dei accumbatis ad mensam meam: & qui nunc mea causa pro contemptissimis habemini inter Iudęos, tunc uelut primores sedeat is super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Tunc enim apparebit illorum humilitas, qui nunc uidentur rerum apicem tenere, & uestra sublimitas, qui nunc uidemini reiectamenta mundi. Hęc figurate loquutus est dominus Iesus, sermonē suum ad rudiratem suorum discipulorum attemperans, quam ideo diu passus est in illis residere partim, ut in nobis efficacius eximeret humanos affectus, quibus tum discipuli erant obnoxij: partim, ut nos alienam imbecillitatē magna lenitate toleremus, donec proficiant ad perfectiora. Restabat, ut animos suorum aduersus imminētem tempestatem armaret, ac sui fiduciam eximeret. Nullos enim citius deijcit afflictionum procella, quā qui suis fidunt uiribus. Sed qui suis, hoc est, humanis pręsidijs diffisi, toti pendent à pręsidio cęlesti, hi demum firmi sunt aduersus omnes huius mundi tumultus. Itaque sermonem uertit ad Petrum, ut per hunc institueret & castigaret omnes. Sciebat enim hunc esse ceteris promptioris animi, sibiq; plurimum fidere, pio quidem affectu, sed humano. Nondum enim acceperat illum totius uirtutis largitorem spiritum sanctum. Ait igitur: Simon, Si-

Simon ecce
Satanas

mon, ecce satanas expetiuit uos studio, ut uentilet uos cribretq; ueluti triticum, dissipatur si possit. Et facturus erat si uestre imbecillitati fuissetis relictū. Sed ego deprecatus sum

patrem pro te Petre, ut quamuis uacillatura sit fides tua, non deficiat tamen. Hoc exemplum in te placuit ædere, qui tibi plurimum fidis, quo tu post lapsum reuersus ad te, tuo exemplo confirmes fratres tuos eadem imbecillitate lapsos, ut intelligant omnes, neminem suis uiribus parem esse posse aduersus satanæ maliciam, nisi meo præsidio fulciatur. His auditis, Petrus adhuc suis fidens uiribus, respondet: Domine, quam defectionem, aut quam conuersionem mihi narras? Imò senties me constātem & inuictum in fide. Et quem admodum hactenus non deserui te, ita nec posthac unquam sum deserturus, adeo ut paratus sim tecum extremum adire periculum capitis, siue eundem sit in carcerem, siue etiam in mortem. Hanc uocem à pio quidem ac simplici profectam animo, sed nōdum sibi satis noto, dominus ilico repressit huiusmodi responso: Quid ais Petre? Tu mecū in carcerem & in mortem ibis? Imò aliud prædico tibi: Futurum est enim, ut ter me abneges, & abiures te nosse me hac nocte, priusquam gallus cantet bis. Tāta erit afflictionis procella, Postea quā illis exemerat sui fiduciā, rursus inculcat, quod sæpe docuerat, ne se commeatu præmunirent aduersus necessitatem: aut humanis præsidijs armarent aduersus malorum uiolentiam, quod oporteat cœlestis Euāgelij ministrum esse liberum à sordidis huius uitæ curis, nec alijs armis instructum esse aduersus omnes impiorum assultus, q̃ gladio spiritus, qui est sermo diuinus. Quum mitterem, inquit, uos experiundi gratia ad prædicandū inter Iudæos instare regnum dei, adeo nullo commeatu instructos, ut nec loculos haberetis reponendæ pecuniæ, neq; perā recondendo cibo, neq; calciamentis tuendis pedibus: Num qua res defuit uobis? Respondent, Nihil. Tum Iesus, ut prorsus reuelleret ex animo illorum omnem uindictæ cupiditatem, fallit eos ad tempus obscuritate sermonis, sed in hoc patitur errare, quo certius & efficacius eximat omnem affectum ulciscendi. Sciebat enim illos accendendos ad defendendi studiū, quum uiderent tanto tumultu dominum suum, quē uehementissime, sed tamen humano affectu diligebāt, ab armatis satellitibus inuadi. Quem nisi castigasset euidenter, existimassemus nobis licere aduersus impiorum uiolentiam armis nos defendere, ac uim uir repellere. Nunc quū Petrus reprehensus sit, quod aduersus impios & sceleratos pro innocentissimo domino strinxerit ferrum, quæ poterit esse posthac causa, ut homo Christianus iniuriam iniuria repellar? Ait autem dominus: Ad primam Euāgelij prædicationem iuistis expediti, nullōque commeatu instructi, sed tamen meo præsidio nihil uobis defuit: id satis erat uobis, quū nulla grauis immineret procella, posthac ad duriora parādus est animus. Etenim quo seuior erit persecutionis procella, eo oportet uos à terrenis impedimentis expeditiores esse. Nunc bellum ingens imminet, & gladio opus est. Quare si quis fortè loculum habet, aut peram, tollat, ut emat gladium. Quod si hæc defunt quæ possunt abijci, & quibus caruistis absq; incommodo, uendat tunicam suam & emat gladium. Ad hoc bellum oportet ualde expeditum uenire, nec alia re instructum, quā gladio. Res ad extrema ueniet. Non enim solum mihi iniiciēt manus uiolentas, uerum etiam oportet perfici, quod de me futurum prædixit olim Esaias: Et cum iniquis deputatus est. Si graue est occidī, quāto grauius inter facinorosos infami supplicio affici? Et hoc quoq; manet filium hominis. Iam enim instat tempus, ut quicquid de me prædictum est à prophetis, perficiatur. Hunc sermonem quum non intelligerent apostoli, suspicarenturq; dominum admonuisse, ut gladium haberent paratum ad depellendam uim imminentem, simpliciter responderūt: Domine, ecce adsunt iam duo gladij: existimantes omnino opus esse gladijs, sed illud tantum uerentes duos gladios non suffecuros ad eam pugnam. Ostendebant affectum pugnandi pro domino, quem sciebāt de suo posse supplere, si quid deesset ipsorum præsidijs, quemadmodum ante quinque panes & duos pisces auxerat, ut sufficerent multis hominum milibus. In hoc tam crasso affectu Iesus id temporis reliquit discipulos suos, ut (quemadmodum dixi) illorum infirmitas nos erudiret ad perfectam tolerantiam. Respondit itaq; Satis est. Hoc illi sic dictum accipiebant, quasi duobus gladijs, quos tum habebāt paratos, possit sustineri prima pugna, quū Christus sentiret de spiritali pugna aduersus mundum & Satanam: in qua uictoria contingit ex animo ab omnibus terrenis cupiditatibus expedito, soloq; gladio doctrinæ cœlestis armato. Ea constat ueteris ac noui testamenti scriptura irrefragabili, ut duos possis intelligere gladios, sed ab eodem spiritu porrectos. Quoniam uero milites inituri pugnam, solent aduersus instantem cum hoste conflictum reficere corpora, & excitare animos: dominus

Et egressus
ibat

minus uolens ostendere suis, quid illos maxime roboraret aduersus tales congressus imminentes, egressus est Hierosolymam, atq; ex more suo concessit in montem Oliueti, comitantibus eum discipulis suis. Quum autem peruentum esset ad secessum in quo solitus est orare, dixit illis: Quo subsistere possitis aduersus tempestatem imminentem, uigilate & orate, ne si uos oppresserit oscitantes & ociosos, illaqueet uos incautos, & superet. Hæc loquutus dominus, subtraxit sese ab illis ferme ad iactum lapidis, solus oraturus pro omnibus, quemadmodum unus pro omnibus passurus erat. Verum ut illius mors non pro fuir ociosis, ita nec precatio ualere debet, nisi his, qui pro se quoq; student orare. Vtq; nos doceret animum esse submittendum, quoties cum deo loqui paramus, flexis in terram genibus orabat patrem, dicens: Pater, si sic est uoluntas tua, transfer hoc poculum à me. Sento naturam, quam assumpsi, abhorrentem à morte, sed uincat hic hominū salus: idq; fiat, quod tua uoluntas immutabilis decreuit, non quod huius corporis suadet imbecillitas. Nouerat dominus quid uellet pater, & cupiebat ipse bibere poculum mortis pro salute mundi, sed in se transtulit affectum sui corporis, ac suis precandi formam præscribere studuit. Siquidem hæc precatio pulchre congrueret martyri sub tempus carnificinæ: Fiat tua uoluntas, non mea, siue me uiuere uis, siue mori. Hanc autem naturæ nostræ trepidationem Christus in se suscepit, ut à suis eximeret. Cæterū ut nos doceret, tum coelitus nobis adfore auxilium à domino, postquam nos totos diuinæ uoluntati tradiderimus, siue ad uitam, siue ad mortem, apparuit illi de cœlis angelus corroborans eum. Vt nobis perturbatus est ob mortem imminentem, ita nobis corroboratus est per angelum. Post hæc corripuit illum uehemens quidam angor, qui ferè solet accidere iam mortem animo conuenientibus. Solet autem hic affectus esse nonnunquam ipsa morte grauior. Nec hunc cruciatum Iesus nostra causa dedignatus est accipere, qui crucem nostra causa non recusauit: nos interim docens, ad quæ præsidia confugiendum sit, quoties horror ille nostram imbecillitatem ceperit. Prostratus enim in terram, uehementius orabat. Hinc nimirū pēdet tota spes uictoriæ nostræ. Porro ut nos essemus in supplicijs firmiores, tātus angor corripuit Christum, ut toto corpore guttæ sanguineæ defluerent in terram. Vt autē sese erexit à deprecatione, rediit ad discipulos suos, & reperit illos dormientes præ mœstitudine. Non erat illa crapula, sed imbecillitas naturæ, grauis animi mœror somnū adduxerat: sed cum hac infirmitate pugnandum est uigore spiritus, qui uelit in tali conflictu uictor euadere. Obiurgat itaq; Iesus suos, & excitat rursus ad orandū: Quur, inquit, nūc in tanto periculo dormitis? Surgite & orate, ne uos oscitantes obruat ingruens tempestas, iam enim instat tempus. Nondum finierat hunc sermonem dominus Iesus, iam apparuit turba sceleratorum militum, quos sacerdotes & pharisæi sceleratiores miserāt ad capiendū Iesum. Iudas autem ille modo Christi sectator & conuiuia, nūc dux impiæ manus, antecedebat illos ex intervallo, sed prius illis dato symbolo (solet hoc in bellis fieri) ut cui dedisset osculū, hunc scirent esse Iesum. Vbi uero propius adisset Iesum, iam osculum ex more porrecturus, dominus pro sua mansuetudine nec proditoris recusauit osculum, sed rursus illius pugit conscientiam, ut uel tanta domini lenitate motus resipisceret: Iudas, inquit, osculo filium hominis prodis? Intelligebat Iudas se non latere, nouerat innocentiam domini, toties inaudita mansuetudine prouocabatur ad mutanda consilia: uel lapis emolliri poterat, nisi totum illius pectus iam Satanæ auitiæ morbo occupasset. Ac Iudæ quidem impietas, ipsi quidem unī exitium attulit. Cæterum qui nunc simili dolo ueritatem Euangelicam produnt principibus huius mundi, grauiorem perniciem adferūt, & maiore supplicio digni sunt, quàm Iudas infelix, sero facti pœnitēs, de se exegit. Post datum osculum accurrit turba militum, ut manus inijcerent in Iesum, qui non in aliud uolebant Iesum agnoscere, nisi ut caperent. Felices autem illi, qui ideo cognoscere student sermonē Euangelicū, ut Iesum imitentur. Porro cæteri discipuli, conspicientes uim parari domino, amore suppeditante audaciam, aiunt domino: Domine an uis ut feriamus gladio? Méminerant quod de gladio emēdo dixerat, sed quoniam in eo perpetuam mansuetudinem uiderant, dubitabant an passurus esset eos uti gladijs. Cæterum Petrus, qui cæteris uehementius amabat, quicq; præ cæteris fortia pollicitus fuerat, non expectato domini responso, gladio petijt quendam è ministris primarij sacerdotis, qui primus tentabat manū inijcere Iesu, uidelicet domini sui sœuitiam referens, sed moderante iesum domini mansuetudine,

tantum dextrā illius auriculam amputauit. Felices sunt, quibus amputatur auricula, quæ hæcenus auscultauit impijs sacerdotibus ac legi carnali: & restituta à Christo, iam auscultat ijs, quæ faciunt ad salutem æternam. Infame uulnus erat magis, quàm periculosum, sed tamen insanabile, quod charilago semel defecta non coeat rursus. Iesus autem, cui nullum uulnus sanabile non est, obiurgato discipulo, quod contra mansuetudinem Euangelicam, sed ueteris adhuc legis mèmor, gladio pugnare cœpisset, restituit Malcho suam auriculam, sic ut nullum uulneris uestigium appareret. Minimum enim peccabāt milites & serui, quorum stultitia, sacerdotum, pharisæorum & scribarum maliciæ seruiebat. In hos potius sæuiendum erat, nisi sic uisum esset deo, uictoriam Euangelicam in tolerantia sitam esse. Iesus autem ut declararet sese uolentem omnia pati, conuersus ad eos, quos impij sacerdotes & scribæ miserant, ait illis: Quid accidit quod nunc armati gladijs ac fustibus egressi noctu ciuitatem huc accurratis, ueluti latronem uiolentum, ac repugnātem expugnaturi? Quum quotidie fuerim apud uos in templo, expositus omnibus inermis, nemo manus iniecit in me: Certe eadem erat uobis tum uoluntas, quæ nunc est, sed obstitit uobis eius uoluntas, cui nemo potest resistere. Nondum enim uenerat tempus, quo pati decreueram, sed hoc est tempus uestrum, tempus nocturnum, & hæc est potestas tenebrarum à deo permessa. His dictis, dominus Iesus nihil reluctans præbuit se uinciendum. Illi comprehensum adduxerunt in domum Caiphæ, qui tum erat sacerdotū princeps, totius Iudaici populi pessima pars. In huius atrium conuenerat concilium sacerdotum, scribarum, pharisæorū, primorū populi, reliquaq; multitudo, quæ uel metu, uel affectu, uel errore horum maliciæ seruiebat. Interim discipuli metu perculsi, alius alio diffugerant. Petrus autem parum feliciter tentata pugna, nondū tamen deposita tota spe salutis, è longinquo sequebatur Iesum. Ausus est etiam per tenebras ingredi pontificis atrium, ac famulorum turbæ misceri ignotus. Quum autem in medio atrij essent accensi carbonēs ob frigus nocturnum, inter confidentes ministros assidebat admixtus Petrus, cumq; illis sese calefaciebat ad prunas. Quem cum uidisset ancilla quædam, ita sedentem, ut facies esset obnoxia lumini, fixius intuita agnouit eum: utq; se declararet domini sui similem, statim exclamauit, cæteris audiētibus: & hic erat cum illo, qui captus est. Non hoc actum est fortuito, sed ita placuit diuinæ dispensationi, quo magis retunderetur Petri fiducia, qui prius tam magnifice pollicitus domino, se uel in mortem cum illo iturum, nunc ad mulierculæ uocem abnegarit dominū. Petrus enim territus hac uoce mulieris, abiecte respōdit: Mulier non noui illum: Sic primum elapsus est Petrus, sed mox recurrit periculum. Quidam enim è famulis rursus noscitare cœpit, & ait illi: Et tu de numero illorum es, quorum ducem cepimus. Rursus Petrus ad hanc uocem exanimatus ait: Homo, non sum: adiurans se non nosse Iesum. Rursus elapsus est periurio. Nec interim uenit in mentē quid prædixisset illi dominus, & quid illi promississet ipse. Interea Iesus examinabatur ab impio cōcilio, & ala pa cadebatur contra morem iudiciorū: eminus spectante Petro, quem exitū res esset habitura. Sed post horæ fermē spacium, alius quidam è famulis, cognatus eius, cui præciderat auriculam, intuitus Petrū agnouit illum, & ait: Profecto & hic erat cum Iesu in horto. Negante Petro, adiecit: Verum esse quod dico, uel ipsius lingua declarat. Est enim Galilæus. Ibi Petrus totus expauesactus, cœpit abiurare ac deuouere seipsum, si uel intelligeret, de quo Iesu, aut de quo horto, aut de quibus Galilæis loqueretur. Adeo sibi exciderat ille futurus ecclesiæ princeps Petrus. Interea dū negat, dū abiurat, dū execratur, dū se deuouet Petrus, cātauit gallus iterū: quod signū illi dederat dominus, ac ne sic quidē redit ad sese. Nec erat futurus errandi finis, nisi dominus per medios impios uertisset oculos ad Petrum, & intuitus illum fuisset. Petrus tactus aspectu domini sui, recordatus est sermonis, quem paulo ante dixerat dominus: Prius quàm hac nocte canter gallus bis, ter me negabis. Subitōque tactus dolore uehementi, subduxit sese foras, & fleuit amare. Quod fecit Petrus, idem erant facturi discipuli cæteri, si similis incidisset necessitas: sed in uno Petro Iesus docere uoluit omnes, ne quis sibi fidat, ne quis se malorū admisceat cōsortio. Nox erat, refrixerat in eo charitas, ad impiorū ignē sese calefaciebat: sedebat admixtus impijs in domo Caiphæ pōtificis, ipse pontifex futurus, sed illi multū dissimilis. Illic quæ scelerata non perpetrātur: Illic per sacerdotes, pharisæos, scribas & seniores populi conspiratū est in necem Iesu. Illinc emittuntur in eum satellites, illic ligatur, cēditur, uelatur, illuditur, &

& accusatur. Illic peierat & execratur Petrus, atrox crimē, nisi excusaret infirmitas. Non enim peccabat destinata malicia, quemadmodum Iudas, sed animi consternatione. Non enim illuc uenerat, ut abnegaret, sed ut spectaret exitum iudicij, nondum satis firmus ad commoriēdum Christo. Nec dum enim uenerat tempus. Quotquot igitur prolapsi sunt in graue crimen, orent dominū Iesum, ut dignetur oculos suos flectere ad sese, et protinus agnoscent, unde quò reciderint. Subducant sese à scelerato consortio, & lachrymis mutatum animum testantibus culpam abluant. Interea nox illa tota trāfacta est ludibrijs in Iesum. Siquidem hi, qui ceperant Iesum, illudebant ei, conuicijs addentes uerbera. quoniā autem audierant, quod populus illum ueneraretur ut prophetam, obuelatis illius oculis, impeerunt a lapas in faciem eius, dicentes: Diuina, quis te percussit, multisq; alijs ludibrijs & conuicijs impia turba debacchabatur in omnis gloriæ fontem, ne quis nostrum indigne ferat, si propter Euangelicum sermonē contumelijs incessitur, si malis affligitur ab his qui profanorum pontificum, qui fucatorum pharisæorū, qui stultorum principum animo seruiunt. Vt uero diluxit, iam legitimi concilij formam exhibituri, frequentes conueniunt primores sacerdotū, scribæ, & principes populi, & accitum in concilium suum, Iesum percontantur, uenantes aliquid ex illius dictis, quod in eo criminentur. In iudicio crimen quæritur, ac destinata morte, circumspectiunt, quo titulo mortis causa possit interdi. Aiunt itaq;: Situ es ille Christus, quem iuxta prophetarū oracula expectamus, dic nobis. Iesus autem, sciens illos sciscitari non ut discerēt ueritatem, sed ut uenentur calumniā, respondit illis: Si dixero uobis qui sim, non credetis mihi, quod si uos perconter ex scripturarum testimonijs qualis sit promissus Messias, & an ea signa competāt in me, non respondebitis mihi ex animo, qui nec discere cupitis, quod uerum est, nec docere. Nec ideo absoluetis me, si declarauero meam innocentiam. Non enim hoc agitis interrogando, quod in legitimis iudicijs fieri consuevit, ut cognita ueritate, uel absoluatis innoxium, uel damnetis nocentem, sed ut quod facere decreuistis, iustitiæ titulo facere uideamini. Non dicam igitur, quod scientes scire non uultis, sed illud dicā, quod uerū esse cōperietis. Filius hominis, qui nunc ob infirmitatē carnis & humilitatem à uobis elatis non agnoscitur, posthac erit sublimis, assidēs dexter maiestati diuinæ. Hæc ideo dixit Iesus, ut quoniam humilem Christum, per quem seruari poterant, occidere quā amplecti maluerunt: scirēt sese conuersos iudicem & ultorem impietatis suæ, quem seruatore promissum & expectatum tot seculis, agnoscere noluerunt. Ea uox uisa est omnibus idonea ansa calumniādī, si modo profiteretur aperte sese filiū dei. Aiunt igitur: Tu ne igitur es ille filius Dei, de quo meminērūt prophetarū uaticinias? Iesus ad hæc ita respōsum temperat, ut neq; neget se esse quod erat, nec illis ansam calumniandi porrigat, nec de se præbeat arrogantiæ speciem. Siquidem dominus ubiq; maluit factis declarare naturam diuinam, quā uerbis profiteri. Inquit respondit: Vos dicitis esse me: modeste subindicans, totidem uerbis affirmari posse quod uelut dubium interrogabant, si quis tantum pronunciationem mutet. At illi iudicantes hanc esse satis idoneam causam, quorū illum accusarent de blasphemia, quo nullum crimen apud Iudæos capitalius, dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi audiuius ex ore eius manifestam blasphemiam. In hanc sententiam facile pedibus conclusum est ab omnibus, qui quocunque titulo decreuerant occidere Iesum.

CAP V T XXIII



Eperta ut ipsis uisum est, causa satis idonea, supererat ut inuidiā quoq; mortis abs se transferrent in alios. Visum est itaq; præfidi Pilato reum obtrudere, ut non à Iudæis, sed à gentibus occisus uideretur. Consurgit itaq; conciliū omne unā cum multitudine, quam ad impij facinoris societate pertraxerāt, & adducunt Iesum ad Pilatum Iudææ præsidem. Is enim illic nomine Cæsaris magistratū gerebat, quum ipse Iudæus non esset. Hic primū Iudæorum natio Messiam suum ad ipsos missum tradit gentibus, & ab sese ablegat. Gentes sibi commendatum amplectuntur & adorant. Iam præiudicio damnatus erat dominus in concilio Iudæorum, quod quosquam libet leuis prætextus sufficiebat, nimirum magna uesania mortem innoxios sitientes. Apud tribunal profani iudicis, quoniā plus erat æquitatis, opus erat subornatis testibus, qui multa & magna crimina intenderent ei, qui solus omnium uacabat omni crimine. Initium autem accusationis hoc erat: Hunc deprehēdimus subuertentem gentem

gentem nostram, eo quod uetuit tributa pendi Cæsari, sed prædicauit esse Messiam regem. Hæc duo crimina sibi uidebantur pulchre commenti, quæ maxime commouerent præsidem, eo quod utrunque pertineret ad læsam Cæsaris maiestatem: sic oppugnant ueritatem Euangelicam impudentissimi mendaciorum artifices. Quid enim his mendacijs impudentius? Iesus responderat ostenso nomismate: Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris: & deo quæ sunt dei. Regnum à Iudæis delatum etiam fugit. Messiam se esse factis ipsis declararat: proinde etiam si prædicasset sese Messiam, non oportebat obijcere criminis loco, nisi declarassent in eum non competere, quæ de Messia prophetae prædixerant. Victoriæ spes erat in multitudine coniurata, & in solitudine rei, denique in iudice, ut ipsi putabant, impio. Pilatus quanquam idololatra, tamē multo æquior Iudæorum sacerdotibus, prius crimen de non pendendo Cæsari tributo dissimulat, uel quia sensit esse commenticium, uel quia nouum non erat hoc disputari apud Iudæos, quum tota phariseorum secta sentiret, populum deo peculiarem non oportere pendere censum gentibus: de regno percontatur Iesum, in quo nullam regni speciem uidebat. Solus erat: cultus, facies, totusque corporis habitus modestiam, ac simplicitatem præ se ferebat. Itaque præses auditis accusatoribus, seorsum interrogauit Iesum, an rex esset Iudæorum. Iesus autem respondit: Tu dicis. Sic enim ubique temperauit dominus responsa sua, ut innocentiam probaret suam, nec daret operam tamen, ut elaberetur e iudicio, qui mori decreuerat. Rex erat Iudæorum, hoc negare non debuit, sed aliud regni genus erat, quod sibi patrique uindicabat. Iuxta diuinam naturam rex erat omnium, de qua nihil suspicabatur Pilatus. De regno Euangelico non intelligebat homo legis & prophetarum ignarus, nisi quod audierat, à Iudæis expectari Messiam, regem, nescio quem, cui rumori non multum tribuebat homo minime superstitiosus. Quanquam itaque non intelligebat Iesu responsum, tamen non ignarus maliciæ Iudaicæ, & ex ipso uultu collecta Iesu modestia, prodit ad pontifices Iudæorum, & conglomeratam multitudinem. Examinaui, inquit, hominem de criminibus obiectis, nihil in eo criminis inuento. At illi sibi conscijs, quod argumentis uincere non poterant, clamorem intendunt, crimina criminibus, mendacia mendacijs connectentes. Imò & seditiosus est, commouet populum sua doctrina per uniuersam Iudæam, exorsus à Galilæa ad hanc usque ciuitatem. Hoc nimirum est peculiare crimen Euangelicæ ueritatis, commouet populum et seditionem mouet, impijs aduersus inuisam ueritatem insurgentibus, Verum non hic tumultus imputandus est Euangelij præconibus, sed hominum insaniabili maliciæ, qui ueritatem salutiferam obrui malunt, quam morbum animi deponere. Nec enim aliter doctrina Euangelica turbat populum, quam pharmacum concutit corpus. Nisi enim fiat concussio, totum intereat necesse est. Hoc crimen quum leuiter moueret Pilatum: uidebat enim rem omnem geri à coniuratis primoribus, & quibusdā e populo horum maliciæ subseruientibus: studet & reum, & accusatores ad alterius cognitionem reijcere, ut si non possit Iesum liberare, ipse saltem à causa liberaretur: arripuit anam ex una uocula Galilææ, cuius regionis tetrarcha erat Herodes. Percontatus est igitur, an Iesus esset Galilæus. Responsum est esse, quod uulgo crederetur esse Nazarenus, nā illic nutritus fuerat & uersatus. Vt igitur intellexit Pilatus cognitionem de reo pertinere ad Herodē, reiecit eum ad Herodē, qui tum temporis forte erat Hierosolymis. Quanquam hæc quoque gesta sunt dispensatione consilij diuini, ut ab omnibus tribunalibus dominus Iesus referret testimonium innocentiae suæ, magisque traduceretur pontificum, scribarum & primorum malicia. Herodes ubi uidit adduci Iesum, gauisus est eo spectaculo. Iam enim ex multo tempore habebat hominem cupiditas quædam & libido uidendi Iesum, de quo tam multa audierat. Iamque sperabat fore, ut se quoque spectante miraculum aliquod æderet, qualia didicerat ab eo permulta gesta. Percontabatur itaque Iesum uarijs de rebus, cupiens aliquid ab illo prolicere, non ut redderetur melior, sed ut suæ curiositati morē gereret. Nec enim alia sciscitabatur à Iesu, quam quæ sciscitaturus erat à Mago quopiā. Iesus autē qui non in hoc uenerat, ut impij principis libidini seruiret, sed ut salutem omnium procuraret, nihil illi respondit: nos interim docēs, aliquādo non promendū sermonem Euangelicū, ubi cōstat indignos esse qui audiāt. Vrgēt interim pontifices & scribæ, & acriter accusant eum apud Herodē, misere metuētes, ne quā reus elaberetur. Herodes autem, tametsi rex esset impius, tamen nihil commotus est illorum criminationibus, nimirum intelligens ab inuidia proficisci quo d

quod agebatur. Sed satis habens contemnere à quo contemptus fuisset, ludibrij gratia Iesum indutum ueste alba (nam id regum erat ac Cæsarum) remisit ad Pilatum. Hanc ignominiam tulit dominus Iesus à crasso rege, & illius armato satellitio quo cingebatur, ne non haberent similes labra lactucas. Siquidem apud hoc hominū genus citius gloriam referret funambulus quispiam, aut præstigiator, quam ueritatis Euangelicæ syncerus prædicator. Aut enim delectari uolunt, aut ea discere, quæ faciunt ad ipsorū tyrannidem. Sed tamen interim Herodis ciuilitas damnabat pontificum & scribarū impietatem, & reum absoluebat, quem accusatum obmutescentem ad obiecta crimina nō damnarit. Gratum interimerat, quod Pilatus hoc honoris habuerit sibi, ut uidendi Iesu fecerit copiam. Itaque ex eodie coijt amicitia inter Herodem & Pilatum, quum antehac inter eos fuerit similtas. Impia uero pax est, quam conglutinat iniuria ueritatis Euangelicæ. Pilatus autem ubi uidet remitti reum, nec successisse quod conatus fuerat, ex iudice cœpit esse patronus Iesu. Conuocatisq; pontificibus, scribis, primoribus, & populo qui illos comitabatur, sic loquutus est ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, uelut auerrentem populū uestrum ab obedientia Cæsaris, ac legum uestrarum, & ego uobis præsentibus, uarijs interrogationibus sum ab eo conatus expiscari uerū, nec reperio illum ulli horum criminū obnoxium, de quibus accusatis eum. Idem accidit Herodī, qui me certius poterat his de rebus iudicare, reperitus legum uestrarum: nam hac de causa reieci cognitionem ad illius tribunal. Quod si comperisset eum nocentem, nō passus fuisset elabi. Nunc quoniam comperit nullam in eo culpam esse capitalem, leui poena contētus, illiuit tantum homini, nimirum absoluens à capitis periculo: proinde præstat imitari & nos Herodis æquitatem. Poena quapiā non capitali castigatum dimittam hominem. Hæc agebat præses, sperās fore, ut conspecto Iesu tot ludibrijs ac flagris affecto, mitesceret Iudæorum furor. Quum nec hac uia profecisset Pilatus, sed magis iritaretur Iudæorum insania, reperit aliud commentum absoluendi Iesum. Erat apud Iudæos solenne, ut præses ob festi diei religionem condonaret Iudæis aliquem in nocentibus, quem ipsi flagitassent. Itaque præses præueniens illorum flagitationem, proposuit illis: utrum ē duobus sibi uellent cōdonari diei festi gratia, Iesum, an Barrabam. Is enim erat insignis & facinoribus nobilis latro, qui seditione mota in ciuitate, mactarat quendam ē ciuibus, ob id coniectus erat in carcerem. In hunc præses quoniam scidat esse publicum ciuitatis odium, sperabat fore, ut citius paterentur dimitti Iesum de multis bene meritum, quam hominem publicæ tranquillitatis hostem. Sed tanta erat pontificum & his adhærentium insania, ut postularent sibi condonari Barrabam, Iesum autem in crucem tolli: quod mortis genus, ut erat grauissimum ob diutinū cruciatum, ita habebatur & ignominiosissimū. Adeo nihil crudelitatis omissum est à Iudæis. Sic tūsum est consilio diuino, ut Iesus omnis gloriæ fons & autor, ad hoc ueniret contemptus, ut seditionis homicidæ posthaberetur, ne nos desponderemus animum, si quando ob Christi nō minac doctrinam spernamur ab his qui diligūt hunc mundum. Pilatus ubi uidit nec hac uia quicquam profici, rursus aggressus est illos, tentans, si quo modo possit uerbis illorum animos mitigare, ac Iesum innocentem liberare. Illi rursus iritatiores facti, canunt illam illam cantionē: Crucifige, crucifige eum. Ac ne sic quidem Pilatus cessit illorum clamoribus, sed tertio conatus est illos compescere, dicens: Iudex sum, aduersus innocentem nullum habeo ius, non possum infligere mortem, in quo nō inuenio crimen morte dignum, quid autem admisit iste morte dignum? Exquisiui, nec ullum in eo crimen inuenio morte plectendum. Si quid est offensæ leuioris, dabitur hoc animis uestris, corripia illum ac dimittam. Sed aduersus hanc iudicis æquitatem illi pertinaciter instabant: non probatus, sed infans uociferationibus, flagitantes, ut dimisso Barraba, crucifigeretur Iesus. Quumq; tentatis omnibus, præses uideret magis ac magis inualefcere clamorē illorum, postulata aqua, ac testificatus innocentiam Iesu, damnataq; Iudæorum pertinaci malicia, pronunciat mortis sententiā aduersus Iesum, nō ex suo animo, sed ex Iudeorum arbitrio, qui uitæ ac salutis autorem efflagitabant ad necem: & Barrabam seditiosum homicidam condonauit illis, quem Iesu prætulerant. Iesum autem tradidit illis, ut exequerentur finem quæ uellent. Posteaquam omne ludibrij genus in eum exercuissent, ad saturandum odium suum, rursus indutum suis uestibus, quo magis agnosceretur à populo, educit ad supplicij locum, baiulantem crucē suam ex more. Inter eundum forte obuium habuerunt

Simonem

Simonem quendam Cyrenensem, uenientem ex uilla sua, huic uolenti nolenti imposuerunt domini crucem, ut Iesu praecedente baiularet post illum, non ut parcerent Iesu, sed ut celebrius absoluerent quod agebant. Verum diuino consilio typus interim procuratus est ecclesiae ex gentibus colligendae, quae Iesu crucem amplexa est, & illius uestigijs ingressa. Committabatur autem Iesum numerosa multitudo populi ac mulierum, quae sacerdotibus ac scribis gaudentibus plangebant, ac lamentabantur de morte innocentis: Nihil enim aliud poterant humiles & imbelles aduersus coniuratam magnam impietatem. Iesus autem qui suam mortem non lugubrem, sed gloriosam esse uoluit, nec eam deplorari uoluit, sed adorari, ut quae sponte pro salute totius mundi suscipiebatur: compescuit illarum indecoram lamentationem, quamquam ab affectu pio proficiscentem. Filiae, inquit, Hierusalem, nolite deslere me, sed uestram ipsorum ac filiorum uestrorum uicem deslete. Non enim est deslenda mors innocentis, sed illorum exitium deplorandum est, qui pro suis sceleribus & hic miseris cladibus afficiuntur, & in posterum poenis addicentur aeternis. Imminet enim huic regioni tam miseranda calamitas, ut homines appellaturi sint eas mulieres beatas, quae non genuerunt, & felices uteros qui nullum foetum adiderunt, feliciaque ubera quae nunquam lactauerunt. Grauius enim cruciatur materna pietas in malis liberorum, quam proprijs. Nunc exultant quasi re bene gesta, sed tunc quum uenerit ille dies ultionis diuinae, tanta formido malorum ingruentium corripiet animos illorum, ut montibus dicaturi sint: obruite nos, & collibus: operite nos. Etenim si in uiridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet? Hoc aenigmate dominus Iesus testabatur summam innocentiam suam, quod solus esset hominum nulla uitiorum aut cupiditatum carie uitiat, sed omni uirtutum genere totus florens ac perpetuo germinans. Quod si illorum malicia tale exemplum addidit in hominem undique inculpatum, quale exemplum ad conuenit in eos, qui prauis cupiditatibus undique corrupti, non potuerunt ad ullam bonam frugem adduci? Hac pompa Iesus princeps & rex noster ad suum triumphum processit. Ducebantur autem simul & alij duo, facinorosi, pariter cum eo damnati, sed non eadem causa. Procuratum est & hoc a Iudaeis, quo magis infamem redderent Iesum apud multitudinem, quod tali sodalicio esset adiunctus. Delectus est & locus nocentium supplicij infamis ac funestus, cui nomen ex re Golgotha, quod hominum illic occisorum cranij & ossibus albicaret. Hic igitur crucifixus est Iesus, inter duos latrones medius, ueluti socius criminis, qui socius esset supplicij. Sed quicquid Iudaeorum malicia potuit excogitare in ignominiam domini Iesu, id ille uertit in gloriam suam nostramque salutem. Etenim qui innocens sponte se derexit ad seruandos homines, hoc plus meretur gloriae & apud Deum & apud homines, quo semet ad maiorem ignominiam submisit. Sic uisum est diuinae sapientiae, quo uel tam insigni exemplo nostram frangeret superbiam, qui pro malefactis etiam laudem experimus ab hominibus. Iesus autem iam sublimis, & in eam speculam sublatus, unde esset omnia reuocaturus ad se, uolens summam tolerantiae perfectissimum exemplum addere, quum innocens, quum tot modis benemeritis, tot malis, tot ignominijs, tot ludibrijs esset affectus: quum in cruce quoque pendente, quae miserabiles facere solet etiam homicidas, amarulentis conuicijs incesserent, quae perferre grauius esset homini, quam perpeti mortem: adeo non ulciscitur, adeo non regerit conuicia, ut patrem oret pro his a quibus indigna patiebatur. Pater, inquit, ignosce illis. Nesciunt enim quid faciant. Haec nimirum erat illa sancta precatio nostri pontificis in ara crucis, agnum paschalem semel pro totius mundi salute immolantis. Nec fuit inefficax deprecatio. Multi enim ex his, qui per errorem adegerunt dominum ad crucem, cognita ueritate per apostolorum praedicationem, professi sunt nomen crucifixi. Quamquam & pharisaeorum malicia non caruit omnino errore, sed qui non liberet illos a crimine. Poterant enim errore carere, nisi prauae cupiditates, quibus seruebant, obstetissent. Sed erant inter hos quoque, qui hoc animo dominum persequiebantur, quo Paulus persequabatur ecclesiam Dei. Hic si consideres optime Theophile, summam illam Iesu innocentiam, summam in omnes beneficentiam, summas animi dotes, quibus erat incomparabilis: rursus ex aduerso contemplare odium, conuicia, probra, dolos, insidias, criminationes, ignominias, cruciatum, mortis genus, quo illum Iudaeorum impietas affecit: & audias eum in ipsa cruce in medijs conuicijs obsecrantem patrem, ne ulciscatur, sed ignoscat tanti sceleris autoribus: nonne uehementer impudens uidebitur, qui quum se Christi discipulum profiteatur, peccator in peccatorem

peccatorem uindictam molliatur, quamuis etiam grauissimus iniuria. Quatum autem degenerant ab hoc exemplo Christi, qui ob leue conuictum ferrum stringunt in uiscera proximi. Qui non concoquentes dictum aliquod contumacius in se iactum, totas urbes, tota regna funestis bellis concutiant, totasque nationes ad mutuam sanguinis effusionem cogunt. Nos uero ne dimoueamus oculos nostros ab hoc exemplo, & imitemur regem nostrum in cruce debellantem omnem potestatem tyranni satanae, deuincens uniuersam huius mundi potentiam, triumphantem de omnibus potestatibus, quae sese erigunt aduersus Euangelicam ueritatem, quam non oportet aliter uincere, aliter triumphare, quam sub uexillis sui principis: contemplemur pontificem nostrum, efficaci sacrificio expiantem peccata totius mundi nationum, & omnium seculorum poenam dependentem pro omnibus, modo nos sincera fide complectamur, quod ille gratis offert, nostram agnoscentes iniustitiam, & illius ineffabilem erga nos bonitatem exosculantes. Quod temet auertis peccator infelix Dominus clamat: Pater ignosce illis: & tu desperans tui, uel laqueum paras ut ludas, uel crimina criminibus exaggeras. Non est quod posthac metuas satanae potentiam. Vicit, & tibi uicit Christus. Inuitat e sublimi ligno, nationibus omnibus conspicuus: ipsa tria crucis cornua procul inuitant & Asiam & Europam & Africam ad aeternae salutis consortium. Pendebat autem nudus in cruce Iesus, ne quid haberet huius mundi qui coeleste peragebat sacrificium, ipsa re docens, quod oporteat episcopos Euangelicos affectus habere puros ab omnium rerum terrenarum cupiditate. Interea milites, qui crucifixerunt eum, quasi reuicturus non esset, missis sortibus partiti sunt inter sese uestes domini. Nam hoc erat ueluti praemium scelerati ministerij. Hoc sui spoliū Iesus uoluit esse apud milites. Apud nos qui nomen illius profitemur, nihil esse uoluit sui carnale, ut iam eum spiritu diligamus. Sic & hodie uictus illius apud nos sunt, quemadmodum nobis quotidie pendet in cruce. Si quidem omnia illius nostra sunt, sed iuxta spiritum. Ad hunc igitur modum pendentem Iesum ueluti uictum & omni spe destitutū, scommatis incessunt sacerdotes, scribae, pharisaei, & populi primores, una cum militibus, qui crucifixerant: exprobrantes ei, quod quum miraculis suis dictus esset subuenisse multis, nunc sibi non posset esse praesidio. Alios, inquit, seruauit, sit nunc sibi seruator, si modo hic est ille Christus, quem se iactauit esse: si modo hic est ille deo charus, & electus filius, quem se esse praedicauit. Haec iactabant in eum primores audiente populo, qui solebat admirari Christi miracula, quo animos illius alienaret ab eo. Quin & in totum autoritas illius abrogat, uelut ex ipsa re conuincens, eum nec esse Messiam, nec filium dei, quem esse se praedixit fuerat, si non descenderet e cruce. At non in descensu, sed in perseverantia sita erat illius salus. Ea plus ualuit apud Iesum, quam principum conuicia. Milites uero crassum hominum genus, & Iudaicae religionis uel ignari, uel contemptores, illudebant Iesu, quod dictus esset sibi uindicasse regnum in Iudaeos, prouocati nimirum exemplo principum Iudaicae gentis. Remouentes illi acetum, per ludibrium dicebant: Si tu es ille rex Iudaeorum, expedi poteriam tuam, & tripe te ab isto periculo. Iesus autem inter haec omnia praebuit absolutissimum mansuetudinis exemplum, obticescens ad omnia conuicia. Erat autem & titulus additus summe cruci, summaeque eius, literis Graecis, Latinis, & Hebraicis, quo magis ab omnibus nationibus legeretur: Hic est rex Iudaeorum. Id quoque ludibrij causa factum esse credebatur. Ne haec quidem cessarent. Alter e maleficis, qui pendebat ad latus Iesu, e cruce conuicia iaciebat in eum, dicens: Si tu es ille Christus mundi seruator, serua teipsum simul & nos. Caeterum alter latro, considerata tam admirabili Iesu mansuetudine, increpabat sceleris & supplicij socium, dicens: Tu si moriturus non ueris homines, certe deum metuere debes, qui morituro insultas, praesertim cum sis illi supplicij socius, uel hoc solum debebat te a conuicijs cohibere, etiam si tu es criminosus. Nunc alia est illius, alia nostra conditio. Nos pro malefactoris poenas damus, ille innoxius moritur. Bis autem inhumanum est, & morituro maledicere, & innocentem. Testimonium Iesu reddidit in cruce latro, ut undequaque testata esset illius innocentia. Tunc conuersus ad Iesum, dixit: Domine memento mei, dum ueneris in regnum tuum. Mirum est latronis, qui quum uideret pendentem ac morientem in cruce, moriturus & ipse, salutem a rege petit. Iesus autem qui mutus erat ac surdus ad omnia conuicia, non est surdus ac mutus cum fiducia postulanti. Illud, inquit, confirmo tibi, hodie mecum futurus es in paradiso: nimirum requiem ac refocillationem pollicens mox a peracto supplicio. Quam felix est semper adiungi Iesu, qui nusquam non seruat, si modo adsit euangelica fiducia. Iam erat hora diei

diei ferme sexta circiter meridiem. Ab hac hora qua maxime solet feruere sol, tenebrae subito obortae sunt per totam illam regionem Hierosolymitanam usque ad horam nonam. Sol enim detestans tantam hominum impietatem, obduxit faciem suam eo morituro, qui lux erat totius mundi: terra concussa est, saxa dissilierunt, nulla naturae parte non inhorrescente ad tam immane facinus. Quin & uelum templi, quod separabat sanctum sanctorum à reliqua templi parte, nullo mouente, dissectum est in duas partes, palam declarans iam cessaturas Iudaeorum umbras ac ceremonias, postea quod peractum esset hoc sacrificium, quod unum sufficebat ad mundationem omnium seculorum. Iesus autem ubi cum ingenti clamore dixisset, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum: efflauit animam, ut omnibus palam esset illum non defecisse quemadmodum alij solent, paulatim exhausto corporis uigore, sed mox à ualido clamore, ac uerbis articulate pronuntiatis, ueluti sponte deposuisse uitam. Animaduertit hoc Centurio, qui in hoc astabat cruci, ne quis uiuos tolletet è ligno. Ab hoc quoque tulit innocentiae testimonium Iesus. Glorificauit enim deum, qui tantam uirtutem in eo declarasset, & ait, Vere iustus erat hic homo: uidelicet Iudaeorum iniusticiam palam condemnans. Quisquis enim innocentem pronunciat qui condemnatus est, is nocentem facit qui damnauit. Reliqua multitudo tota eorum, qui ex more uenerant ad supplicij spectaculum (plures autem attraxerat Iesu uel studium uel odium) uisis his quae contigerant, reuertebantur, percutientes pectora sua: partim praedolore, quod homo tam innocens ac beneficus tam indigna passus esset, partim metu uindictae diuinae, quam sibi male conscij, ex ostentis conspectis suspicabantur imminere. Quem enim in uita uiderant humilem & aspernabilem, eum in morte uiderunt potentem, adeo ut omnia rerum elementa sese concuterent. Hic illud rursus animaduerte Theophile, semper in Gentibus plus inueniri bonae mentis, quam in Iudaeis, qui sibi praeter ceteris pietatis ac sanctimoniae laudem uindicabant. Centurio glorificat deum: Iudaei tantum metuunt uindictam, prodigijs territi, qui tot beneficijs uinci non poterant. Porro qui cognatione contingebant Iesum, aut qui familiares illi fuerant in uita, consistebant eminus, spectatores eorum quae gerebantur, praeter metu non audentes propius accedere. Inter hos erant & mulieres, quae studio ministrandi illi ac discipulis illius, sequute fuerant illum à Galilaea, testes ac spectatrices eorum quae gerebantur, quae iam omni spe destitutae, nihil aliud quam moerebant. Multis igitur argumentis cognita certa domini morte, ne quis causari posset aut hominem uerum non fuisse, aut non fuisse uere mortuum: ecce offertur per quem officium sepulturae dominicae peragatur, quam Iesus uoluit esse mundam & honorificam. Vita fuerat mitis & humilis, mors efficax, sepultura magnifica, resurrectio gloriosa. Commodum igitur id temporis offert sese quidam nomine Ioseph, oriundus è ciuitate Iudaeae Arimathia, uir bonus ac iustus, ex eorum numero qui expectabant regnum dei. Hic tametsi esset ex primoribus populi (erat enim nobilis Decurio) tamen nunquam consenserat consilijs ac factis sacerdotum, scribarum ac primatum populi, licet ob potentiam eorum qui Iesum oderant, non auderet profiteri studium animi sui. Nondum enim datum erat robur illud per spiritum sanctum, ut contemptis omnibus, Iesu nomen profiteri possent. Ceteris itaque discipulis metu territis, solus Ioseph una cum Nicodemo audet officium sepulturae sibi sumere: siue quia à morte crescit in bonos uiros studium, siue quia iudicabat inuidiam Iudaeorum iam esse morte saturatam. Proinde adit Pilatum, cui ob nobilitatem notus erat, & ab eo petit corpus Iesu. Pilatus non prius donauit, quam ex Centurione compertum haberet, iam esse mortuum. Accepit corpus, & de cruce depositum, deinde unguentis oblitum, inuoluit sindone, nihil interim sperans de resurrectione, de qua Iesus paucis modo discipulis suis significarat: sed ita, ut tum meminissent magis quam crederent. Quoniam autem Iesum existimabant uirum bonum fuisse, praeterque meritum occisum, memoriam illius uolebant magnifica sepultura honorare. Itaque reposuerunt cadauer in monumento, quod in horto uicino erat, excisum è solido lapide, nouum, in quo nullus adhuc sepultus fuerat. Haec quae id temporis casu geri uiderentur, tamè diuino consilio gesta sunt omnia, ne Iudaei causari possent, sepulchro perfosso, sublatum aut permutatum corpus. Dum haec aguntur, erat dies parasceues, quod eo die praepararent quae ad celebrandum sabbatum erant necessaria, ne qua re uiolare cogerentur ocium sabbati. Mulieres autem quae procul spectabant Iesum in cruce, sequuntur eundem ad sepulturam, ne nescirent ubi esset reconditum corpus Iesu, & quo

quo loco, quoue apparatu positū, ut agnoscerent reuersā. His rebus diligenter inspectis, domum redeunt, & apparāt aromata & unguenta, quo condiant corpus domini, tametsi iam utcunq; per Nicodemū fuerat oblitum myrrha. Sed mulierum pietas aliquid preciosius uolebat adiungere defuncto. Dominus autē ideo passus fuerat sibi infundi alabastrū unguenti preciosi, quod harum unguenta nō esset expectaturus quarum pia sedulitas tamen profuit ad confirmandā resurrectionis fidem. Dum enim quærunt unguendū mortuum, comperiunt uiuum. Post solis autē occasum usq; ad uesperā diei sequentis conquiescerant iuxta legis præsriptū, quod sabbato nefas erat operari. Rursus à solis occasu perficiunt quod cœperant in apparandis unguentis & aromatibus. Eodē tempore dominus suum sabbatū peragit, conquiescens in sepulchro, peracto iam opere salutis in die parasceues, ut intelligeremus per eundem esse restitutum genus humanū, per quem fuerat conditum. Mundi fabricā absoluit die sexto, septimo requieuit ab opere. Idem mundi redemptionē peragit die sexto, qui est parasceues, & in monumento requieuit ab opere iuxta corporis humanū, donec illucesceret dies octauus, quem Iudæi nesciunt, Christiani adorāt. Is est dies immortalitatis, quum iam nō sese uicissim excipient requies & lassitudo, opus & ocium, sed erit lætitia sempiterna: neq; nox diem, dies noctem uicissim excipiet: sed perpetua lux lucebit piorum oculis.

CAP V T XXIIII



Vod ab opere cessarūt mulierculæ, datum est sabbati religioni. Ceterum simul atq; licebat ad opus redire, statim ab occasu solis in opere pio, sed superuacuo uigilabat mulierū sedulitas. Nam eo die qui primus est à sabbato, hoc est, octauo à toto peracto sabbato, admodum diluculo properant ad monumentum, deferentes secum quæ parauerant aromata, nimirum ut hunc supremum honorem impenderent ei, quem uiuum dilexerant, quum tamen non sperarent resurrecturum. Os autem monumenti occlusum erat ingenti saxo, quod uix à multis uiris amoueri poterat. Additū erat signaculū: id curatū est à pharisæis & scribis, ne quis clam suffurari posset corpus exanime, & uanum spargere rumorē eum reuixisse, qui nusquam inueniretur. Additi sunt & custodes ex cohorte præsidis. Mulieres autē dum anxie circumspiciunt, quomodo posset amoueri saxū: subito uident sublatum, & aditum monumenti patere. Ausæ sunt ingredi, pietas addiderat audaciam sexui. Ingressæ non inueniūt corpus domini Iesu. Eares quum uehementer consterneret illarum animos, quod repēte amoto lapide spem bonam conceperant: rursus demirabātur, quomodo sepulchrum potuit esse uacuum, quod modo uiderant clausum & obsignatum: de repente astant eis duo angeli specie iuuenili, facie lata, blandaq; ueste fulguris in modum relucente. Hæc ipsa species angelorum resurrectionis triumphū præ se ferebat. Porro quum mulieres nouo spectaculo expauescæ, uultum & oculos deflecerent in terram, non audentes contrā tueri maiestatem uisionis humana natura sublimioris, illi placido blandoq; alloquio subleuant attonitārū animos: Quid, inquit, ò mulieres quæritis eum qui uiuit, in sepulchris mortuorum? Hic quidem conditus erat, quum esset mortuus. Nunc quoniam reuixit, non est in sepulchro, ubi quiescunt mortui, sed resurrexit & uiuus inter uiuos ambulat. Prædixerat se moriturum, prædixerat & tempus & genus mortis, sed idem prædixerat se tertio die reuicturum. Mortuum esse creditis quia uidistis, credite & reuixisse. Non enim hic fefellerit uos, qui in altero uera prædixit. An mœror & animi perturbatio uobis omnium, quæ prædixit ille, induxit obliuionem? Redeat uobis in memoriam, quā nīhil horum quæ gesta sunt non prædixerit uobis, quum adhuc esset in Galilæa. Prædixit enim sic esse definitum consilio patris, ut ad salutem humani generis, filius hominis traderetur in manus peccatorum, ut accuseretur, cederetur, ac ludibrijs omnibus exponeretur, deniq; in crucem sublatu occideretur, sed idem reuiuisceret tertio die à morte. Agnoscite tempus. Sub uesperam parasceues depositus est de cruce, & in monumento hoc conditus. Is primus à morte dies supputatur. Sabbatum totum conquieuit in sepulchro. Nunc tertij diei diluculum est, quem ille simul exoriens ab inferis toti mundo lætum ac faustum esse uoluit. His dictis euauerunt ab oculis angeli. Mulieres autem ex admonitu angelico reducunt in memoriam uerba domini Iesu, quibus & mortem & resurrectionē discipulis suis prædixerat: itaq; relicto monumento, properant ad undecim apostolos, ceterosq; discipulos, qui ob meum Iudæorum sparsim collecti latitabant, oblitū & ipsi ferē omnium quæ dixerat Iesus, ac propemodum

dum desperantes: eisq; nunciant quæ uidissent, quæq; audissent ab angelis. Prima mulier à serpente decepta, uirum pellexit ad culpam. Piae mulieres edocæ ab angelis, uiros inui-
rant ad credulitatem. Itaq; ne sexus ob transfusam in uiros mortem perpetuo male audi-
ret, unde mortis occasio primum prodierat, inde proficiscitur & uitæ redditæ latissimus
nuncius. Porro mulieres quæ hæc annunciabant apostolis, erant Maria Magdalene sor-
ror Lazari, Ioāna uxor Chusæ procuratoris Herodis: Maria Iacobi minoris mater, quæ
& soror dicta est Mariæ matris domini: aliæq; nonnullæ, quæ cum his solitæ sunt comita-
ri Iesum. Cæterum ob rem incredibilem quam nunciabant, sexus infirmior non inuenit
fidem apud apostolos, quos ideo dominus passus est esse tardiores ad credendū, ut pluri-
bus argumentis confirmaretur resurrectionis dominicæ fides. Itaq; quod illæ narrabant
de subito conspectis angelis, de repente sublato saxo ab ore sepulchri, uisum est apostolis
ac discipulis muliebri deliramentū, quod is sexus ob mentis imbecillitatem imaginatio,
ne uitiata credat se nonnunquā uidere, quod non uidet, & audire, quod non audit. Quan-
quam autē non crederent esse uerum, quod narrabāt mulieres, tamen eò profecit illarum
asseueratio, ut Petrus surgens procuraret ad monumentū, & immisso capite prospiciens,
nō reperit corpus, sed uidet lintheamina, quibus obuolutum fuerat corpus Iesu, seposita.
Ac ne sic quidē credidit reuixisse dominū, tam profunda cœperat illū obliuio eorū, quæ
dixerat Iesus: sed abiit à monumēto secum admirans, quid accidisset, dubitans num quis
corpus sustulisset è monumento, uariæq; cogitans, à quibus quōue consilio id factū fuis-
set, quod corpore sublato, uideret relicta lintheamina, ueluti per ociū detracta corpori, quæ
sine negotio non poterant auelli, eaq; non temere disiecta, sed cōmode in suum reposita
locum, semoto ab his sudario, quo tectum fuerat caput Iesu. Accidit autē eodē die, ut duo
ex discipulis, quibus per mulieres nunciatum erat de sepulchro uacuo, quāquam illarum
orationi non est habita fides, relicta Hierosolyma proficiscerentur in ciuitatē, cui nomen
Emaus. Abest autem ab Hierosolymis spacio stadiorum sexaginta. Atq; inter eundum ua-
rios miscent sermones, ita ut sit, præsertim ubi quid mœroris est in animo. Erāt enim mor-
te domini uehementer perturbati, iamq; propemodum animū desponderant, ac spem ab-
iecerant. Tota autem confabulatio erat de Iesu, deq; rebus omnibus quæ uiderant, quæq;
audierant superioribus diebus. Amauerāt enim illum, ut uirum insignem ac beneficū:
& quanquam magnifica illa spes de restituendo regno Israelitico propemodum excide-
rat animo, tamen iuuabat etiamnum defuncti memoriā mutua confabulatione refrica-
re. Confusis enim illorum animis, ueluti somnus quidam obrepserat, ut tanquā per som-
num amarent, cuius obliuisci non poterant. Tandem illis multa inter ipsos de Iesu com-
mentāribus, & ultro citroq; differētibus, ecce lupus, quod dici solet, in fabula. Iesus enim,
qui promiserat se futurū in medio ubicunq; duos comperisset de se colloquentes, etiam
iuxta corporis præsentiam tum exhibuit, quod iuxta spiritum nunquam facere desinit.
Tanquam uiator adiunxit se illis, & itineris socium præbuit, sed ignota specie, non quod
non haberet idem corpus, quod habuerat ante mortem, sed quod ita uolente Iesu impedi-
tus sit illorum obtutus, ne quem cernebant, agnoscerent. Felix sodalitiū, quoties duo
nihil aliud confabulantur, nihil aliud disquirunt, quā de Iesu. Felices, quibus se sociū
Iesus dignatur adiungere. Quemadmodum autem adesse gaudet de se confabulantibus
dominus Iesus, ita satanas adesse gaudet his, qui miscent confabulationes bonorum mœ-
rum corruptrices, de libidine, de fraude, de uindicta, de superbia, de quæstu, de infamia
proximi. Quoniam autem sic flagrabant amore Iesu, ut de promissis illius per humanam
infirmiātem dubitarent, dominus illudēs ad tempus illorum oculis, expiscatur quid sen-
tirent de ipso, non quod illum quicquam lateret, sed ut ad nostræ fidei confirmationem
mederetur illorū incredulitati. Ait itaq;: Qui nam sunt isti sermones, quos inter eundum
inter uos confertis, uultu interim tristitiam ac mœrorem animi significāte: Solet enim &
hoc lenire mœrorem, si contingat in cuius sinum quod dolet effundamus. Habet autē il-
lud humanus affectus, ut quod cuique ualde cordi est, putet nemini ignotū esse, & nemi-
ni non esse curæ. Ex hoc affectu respondet unus ē discipulis cui nomen Cleopas: Res om-
nibus est notissima, quicunq; uersantur Hierosolymis: ex ea ciuitate quum tu quoq; ue-
nias, quemadmodū & nos, qui fieri potest, ut tu solus ueluti nouus hospes hæc ignores hi-
sce diebus illic acta, quæ nullus hominū ignorat: Tum Iesus, quasi discere cupiens, quum
docurus

docturus uenisset, respondit: Quæ nam sunt ista? Illi simpliciter uelut hospiti, & rerum gestarum ignaro summam negotij exponunt: ingenue profitentes, quam nihil adhuc sentirēt de Iesu dignum ipsius dignitate, quamq; de resurrectione spem penè omnem abiecissent: De Iesu, inquit, Nazareno commentabamur, qui fuit uir eximius, ac propheta potens & dictis & factis: non solū apud Deum, cui erat charissimus, uerum etiā apud uniuersum populum, apud quem sibi miraculis doctrinaq; ac beneficijs suis summā comparauerat auctoritatem. Hunc primarij sacerdotes, populiq; nostri primores apud præsidem reum capitis peregerunt, & in crucem deniq; adegerunt. Nos autem mirificam quandam spem de illo conceperamus, quod is esset redempturus populum Israeliticū, persuasi hunc esse Messiam à prophetis olim promissum. Sed mors certa & ignominiosa nobis hanc spem ademit. Quin erat & spes nonnulla iniecta, futurum ut reuiuisceret post triduū, sed posteaquam damnatus est, crucifixus & sepultus, hic hodie dies illuxit tertius, ex quo hæc contigerunt, neq; quicquam affulget certioris spei, nisi quod mulieres quædam è sodalitie discipulorum illius, nos nouo & inaudito nuncio magis etiam attonitos reddiderunt, quæ ante solis exortum profectæ ad monumentum, negant se inuenisse corpus, addentes sibi apparuisse angelos, qui dicerent illum uiuere. Harum narrationi quum nemo fidem haberet, quidam è nostris abierunt ad monumentum, periculum facturi, num quid haberet uerit muliercularum narratio. Et de monumento compererunt ita rem habere, quemadmodum mulieres narrarant. Repererunt enim apertum ac uacuum, lintheamina reliquasq; cadaueris exuuias in monumento repositas. Cæterum ipsum nusquam inuenerunt. Quum hac narratione discipuli simpliciter declarassent quā uacillarent animo, quā exigua spe essent de promissis domini: tum Iesus nondum quidem patitur agnosci sese, sed ueluti doctior quispiam Iesu discipulus obiurgat illorum tarditatem, & castigat incredulitatem: O parum, inquit, dociles ad intelligendas scripturas, & corde difficili tardoq; ad credendum tot prophetarum oraculis, quæ de Iesu prodiderunt. Quir ista uobis nunc noua uidentur posteaquam gesta sunt, quum hæc omnia tot retro sæculis gerenda prædixerint prophetarum uaticinia? Quir non illorum prædicta, cum his quæ gesta sunt, confertis? Nonne docent hoc afflatu cœlesti prodita scripturæ, sic fuisse uisum consilio diuino, ut Christus hæc omnia pateretur, quæ passus est, & sic noua ratione per mortē repararet uitam, per crucem assereret regnum, per ignominiam intraret in suam gloriam? Habet hic mundus suam gloriam, nec ueram, nec perpetuam. Eam qui parant, parant inanibus stremis, titulis, opibus, munificentia, fastu, strepitu uitæ, nonnunquam & extorquēt ab inuitis. Christus autem gloriam suam, quam habuit ante mundum conditum, longe diuersis rationibus asseret sibi apud homines, quo cunctis mortalibus ostēdat, qua uia sit grassandum ad ueram, nec unquam intermorigandam gloriā. Hac de re quum tam multa docuerit Moses, quum tam multa prædixerint prophetae, uos adhuc adeo crassæ mentis estis, ut Messiam ducem expectetis curribus, equis, elephātis, ferratis copijs, balistis, catapul- tis, testudinibus, onagris, incēdijs, cæde, sanguine sibi regnum mundanum occupantem? An nondum sentitis scripturā esse spiritualement, ac Messia potentiam non constare prædictis, quibus huius mundi principes sibi regnum uel asserunt, uel dilatant, sed uirtute cœlesti? Quin potius excutitis scripturas, quæ iam de Christo multa prædixerunt, easq; confertis cum his, quæ Christus ipse de se prædixit discipulis suis, quæq; ut prædixerat euenerunt? Ita fiet ut nec in his quæ acciderunt, quicquā uideatur nouū, & de his quæ promisit in posterum, non sit quod diffidatis. Quū hac obiurgatiuncula dominus reddidisset eos attentiores, enarrauit illis scripturas omnes, quæ palam prædixerūt hoc futurum in Christo, quod iam euenerat: ostendens tantū esse uaticiniorum, figurarum & euentorum concinnum, ut eximia cuiusdam tarditatis sit, ea non animaduertere, aut insignis diffidentia non credere. Exorsus est autem sermonē suum à Mose & prophetis: post hæc ex omnibus diuinæ scripturæ uoluminib. aliquid decerpens, quod fidem astrueret ijs quæ acciderant, ac fidem præstrueret ijs, quæ post essent euentura. Atq; hæc omnia inter sese sic contulit, ut res esset dilucida. Felices illi, qui meruerunt cœlestem doctorem audire enarrantem ea, quæ prius per prophetas ipsius afflatos spiritu prodiderat. Nos quoniā omnia non possumus, quædā ex illa felici confabulatione decerpta referemus. Quæ utinam uel nunc audiant Iudæi, desinantq; Messiam alium expectare, sed hunc qui seruator ac redemptor uni-

cus datus est mundo, p̄is studijs amplectantur, & salui fiant: fiant liberi, si non à Cæsaria imperio, certe quod est felicius, à diaboli tyrannide: regnumq; consequatur cum suo duce, **A Mose** non huius mundi, quod caducum est, sed cœleste, quod finē nescit. Mosē, inquit, Iudæi tantum non ut deum quendā uenerantur, quod is populū Israeliticum eduxerit ex Aegypto, & in deserto legem prodiderit, cuius obseruatione salutem assequerentur, & peruenirent in terrā melle & lacte manantē. Atqui iste Mosēs quid aliud fuit q̄ umbra quædam uenturi Christi: Nec enim ille fuit filius dei, sed seruus: nec ille uere liberauit populū, quū post seruierint regi Babylonis. Nec ipse prorsus omni peccato caruit. Ac ne terrā quidē ad quam duxerat populū, ingressus est. Et si ingressus fuisset, nihil erat magni, quū in eadem terra etiā hodie habitent idololatæ. Hæc omnia iuxta carnem intellecta, nihil habēt magni. Sed Christus est uerus ille Mosēs, qui propria uirtute non Hebræos modo, uerum etiā uniuersas nationes sibi fidentes liberat à uindicta dei, liberat à tyrannide diaboli, liberat à tenebris errorum, liberat à turpi seruitute peccatorum, & sanguine suo purgatos educit in libertatem spiritus, perpetuus & dux & comes, donec per omnia huius uitæ discrimina perducatur in terram illam cœlestem, omni genere felicitatis exuberantem, qui legem tulit spiritualem & Euangelicam, quæ non ceremonijs ac pecudum uictimis corporalem iustitiā traderet, sed per fidem & charitatē, ueram ac perfectam conferret iustitiam. Atq; hunc exorturū Mosēs ipse prædixit. Sic enim ille loquitur in Deuteronomio: Prophetam de gente tua, & de fratrib. tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus deus tuus, ipsum audies. Ac mox dominus Mosi promissum confirmat, dicens: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam uerba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia, quæ præcepero illi. Habetis uaticinium Mosi, nunc conferte rem. Nullus exortus est post Mosē, qui ullo pacto æquauerit illum autoritate, præter solum Iesum Christum, qui Mosē sic retulit, ut modis omnibus superarit. Fuit autor noui testamenti, sed æterni. Id consecrauit non sanguine uituli, sed sanguine proprio. Fuit autor nouæ legis, sed quæ perfectam salutem adferat. Mosēs minister fuit, hic filius ē cœlo descendit, eaq; docuit, quæ uiderit apud patrem, perpetuam habens in se potestatem faciendi, quicquid uelit. Mosēs in montē cum Deo colloquutus est in nube, Christus processit à luce patris. Mosēs umbras rerum tradidit, Christus ueritatem. Mosēs sic intercessit pro peccatis populī, ut ipse pro suis quoq; commissis egeret intercessore: Christus immunis ab omni peccato, seculorum omnium peccata expiauit. Mosēs ieiunauit quadraginta diebus, fecit idem Christus, ut uel hoc indicio agnosceretis alterum Mosē. Mosēs ē monte tulit legem, Christus in monte docuit legis absolutionem, nouas illas & inauditas beatitudines pronuncians. Docuit frequenter & in templo: quod sitū est in montē Sion, uidelicet iuxta prophetiā **Esaie**, quæ dicit: De Sion exiit lex, et sermo domini de Hierusalem. Sed quum ferretur Mosæica lex, omnia terroribus complebatur ob retundendam populī duriciem: Christus uenit placidus, & amabilis potius quàm terribilis, ratione coarguens, beneficijs prouocans, mansuetudine alliciens, nulli non obuius atq; expositus ad salutem conferendam, tolerantia uincens. Et talem promiserant prophetarum oracula. Legistis enim quid scripserit **Esaie** 42: Dedi spiritum meum super eum, iudicium in gentibus proferet. Non clamabit neq; accipiet personam, nec audietur uox eius foris. Calamum quassatū non cōteret, & linum fumigans nō extinguet. In ueritate educet iudiciū: non erit tristis, neq; turbulentus, donec ponat in terrā iudicium, & legem eius insulæ expectabūt. Rursus idem alio quodam loco sic facit loquentem Messiam: Spiritus domini super me, eo quod unxit me, ad annuncian- dum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiā, & clausis apertionem, & prædicarem annum placabilem domino, & diem ultionis deo nostro, & consolarer omnes lugentes, & ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & dārem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Audistis qualem promiserit eum prophetia: nunc reputate cum animis uestris, an non talis aduenerit. Quem sexum, quam ætatem, quam conditionem ille submouit à sua beneficiā: non pueros, non mulieres, non publicanos, non peccatores, nō meretrices. Quod morbi genus abominatus est: non leprosos, non dæmoniacos, non obnoxios profluiō sanguinis, nō paralyticos. Quid mansuetius ea uoce, quam ex ipso audistis: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiā uos: iugum enim meum suaue, & onus meum

meum leuer: Discite à me quod mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus uestris: Quæ mater unq̃ sic amauit, sic tulit, sic fouit filios suos, ut ille discipulos: Ad hæc *Lex noua* Mos lex, nec erat data populis omnibus, nec seculis omnibus. Christi lex, ut est omnibus genibus prodita, ita nullis seculis mutabitur usq̃ ad finẽ mundi. Cõsiderate & hic q̃ sibi consentiant omnia: primũ quàm dilucide præcinuerit uobis Hieremias, cessaturã circum- *Hiere. 4* cisionẽ corporis una cum uictimis, sabbatĩsmis, obseruationibus dierũ, discriminibus esca- rum, ieiunijs, uotis, ceterisq̃ ceremonijs, ad tempus in hoc datis, ut crassis Iudæis essent fi- guræ rerum spiritualium: Nouate, inquit, uobis nouale, & nolite ferere super spinas, cir- cumcidimini domino, & auferte præputia cordium uestrorũ uiri Iuda & habitatores Hie- rusalem. Rursus alio quodam in loco dicit idẽ propheta: Ecce dies uenient dicit dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouũ, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus uestris. Mox adiicit manifestum discrimen inter legem illam asperã & im- portabilem, quæ merito fuit inscripta saxi, sua duritie duritiem cordis Iudaici repræsen- tantibus: & inter legem euangelicã, qua per fidem gratis offertur innocentia. Hoc, inquit, erit pactum, quod feriam cum domino Israel. Post dies illos, dicit dominus: Dabo legem meam in uisceribus eorũ, & in corde eorum scribam eã. Mox docet & legis umbras cessa- turas prodita ueritatis luce: & non docebit ultra uir proximũ suum, & uir fratrem suũ, di- cẽs: Cognosce dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo eorũ usq̃ ad maximũ, ait dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorũ non recordabor amplius. An non meministis Christum his consentaneo loquentem ac facientem, quum adhuc ui- ueret: Nõne palam uetustæ legis finem deuinciauit, quũ diceret: Lex & prophetæ usq̃ ad Ioannem Iudæi Hierosolymis adorabant. Sed quid dicebat mulieri Samaritanæ: Ve- niet tempus, & nunc adest, quum nec Hierosolymis, nec in hoc monte adorabũt patrem, sed in spiritu adorabunt eum. Nõne tacite legem abrogare cœpit, quum sabbatis sana- ret, frustra reclamãtibus pharisæis, quum discipulos sabbato uellentes spicas tueretur ad- uersus illorum calumniã, quum ipsẽ aduersus pharisæorum calumniã, quod non seiu- narent patrocina-retur: Sed multo magis quũ absq̃ ceremonijs leprosum sanaret, et quod lex uetat, de lepra damnatum à sacerdotibus contingeret: quum paralytico, quum pecca- tici, quæ irrupit in conuiuĩũ, cæterisq̃ nõnullis absq̃ legis remedio peccata condonauit: Lex enim iusserat holocaustomata offerri pro peccatis, certisq̃ uictimis ac muneribus ex- pãticipam admissam. At Christus nouator uetustæ legis pro holocausto supposuit cha- ritem. Dimissa sunt, inquit, ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Supposuit pro uictima fiduciam: Confide, inquit, fili, remittũtur tibi peccata tua. Quin & manifestius etiam quodam tempore discreuit uobis utriusq̃ legis discrimen: interdicens diuortium, quod Mosi lex concesserat: prohibens iurare, quod non prohibuerat lex prior: iubens etiam inimicos diligere, quum uetus lex permitteret & odisse & ulcisci inimicum. Nõ- ne semel totam autoritatẽ abrogauit sacerdotibus, scribis & pharisæis, qui crassam legem adhuc mordicus tenerent: Sinite, inquit, illos, cæci sunt duces cæcorum. An non & hoc prædixerant prophetæ, carnalia cessura spiritualibus: Nõ recordamini quid scripserit propheta Daniel: Vt consumetur, inquit, præuaricatio, & finem accipiat peccatũ, & de- leatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur uisio & prophetia, & un- gatur sanctus sanctorum. Quum auditis consummari prophetias, nimirũ intelligitis iam non oportere expectari quæ peracta sunt: quum auditis iustitiam sempiternam, intelli- gitis iustitiam legis temporariã abrogatam. Quum auditis ungendũ Messiam, qui sanctus est sanctorũ, solus sanctificans uniuersa, uidelicet intelligitis cessaturã corporalem unctio- nem, ac legale sacerdotiũ cum suis uictimis antiquandum. Iesus enim nunquã unctus fuit sacro illo unguento, quod lex religiose docuit conficere, mortẽ minitans his qui eam con- fessionem fuissent imitati, aut in profanos usus accommodassent. Nec enim quicquã ad rem sacerdotum facit unctio corporis, nisi quod signũ erat unctionis spiritualis, qua un- ctus est Christus. Quemadmodum modo retuli ex prophetia: Spiritus domini super me, eo quod unxerit me. Cui concinit psalmographus, de Messia loquens: Propterea unxit te deus, deus tuus oleo latitiæ, præ consortibus tuis. Quod propheta promisit, uidistis peractum, quum Iesus baptizaretur in Iordane. Spiritus enim uisibili specie descendit in illius uerticem, & uox patris audita est, qui filium unxerat oleo latitiæ, supra prophetas

ac patriarchas, imò supra mortales omnes qui uel fuerunt unquã, uel sunt, uel futuri sunt. Hæc unctio cœlestis ac spiritalis finẽ imposuit sacerdotio Moïsaico, quod mox Daniel dilucide subiicit: Et in dimidio, inquit, hebdomadis deficiet hostia & sacrificiũ. Nec aliud sibi uoluit deus, loquens per Esaïam, ueluti fastidians illorum corporales uictimas: Quo mihi multitudinem uictimarum uestrarum, dicit dominus: Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguiũ, & sanguinem uitulorum & agnorum, & hircorũ nolui. Iam Daniel nonne palam prædixit subuersionem urbis Hierosolymæ cum suo templo: Nonne idem suis discipulis uaticinatus est Christus, lachrymis obortis deplorãs ciuitatis ac gentis calamitatẽ: Iam enim pigebat deum, qui spiritus est, inhabitare templũ manibus hominum extructum: non delectabatur uictimis pecudum. Aliam ciuitatẽ desiderabat, cui uere competeret illud nomẽ Hierusalem: aliud templum ipso dignum, ab ipso conditum, ipsius spiritu consecratum: alias uictimas, aliam gẽtem animo circuncisam, in quam uere congrueret nomen Israelis. Nihil autem perpetuum, quod est uisibile corporeis oculis. Quæ non uidentur æterna sunt, & ob hoc digna deo, qui est ipsa æternitas. Sed tamẽ hæ rerum uisibilibus umbræ datæ sunt ad tempus rudi crassoq; populo, ut aliquãdo per hæc rudimenta proficerent ad ea quæ sunt animi. Caterum qui uetustæ legis fastidiebat & ciuitatem & templum & gentem & uictimas, qualia post optaret, satis euidenter declarat apud prophetas: An nõ legistis quod scripsit Esaïas de spiritali Hierosolyma? Post hæc, inquit, uocaberis ciuitas iusti, urbs fidelis. Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia. Auditis nouam structuram ciuitatis, quæ est ecclesia, e uiuis lapidibus constructa: cuius angularis lapis, & cuius fundamentum est ipse Christus. Lapidem hunc designauit prophetia psalmi mystici: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: & audistis ipsum Christum, huius scripturæ testimoniũ obijcientem pharisæis, qui conabatur rejicere lapidem quem deus elegerat. Huius meminit & alius propheta: Ponam in fundamentis Sion lapidem, lapidẽ probatum, angularem, preciosum, in fundamento fundatum. Et huic prophetiæ nonne concinebat oratio Christi, quum uiueret, quum proponeret parabolam de domo superstructa solidæ petra, quam nullus uentorum aut fluctuum impetus potuit loco conuellere, nimirum se fundamentum designans ecclesiæ: aduersus quem nec portæ inferi præualent, quemadmodũ aliquando Petro discipulo suo pollicebatur. Solomon ædificauit templum Hierosolymis iuxta præscriptum Moïsi. Sed quemadmodum ille rex pacificus gerebat imaginem Messia, qui perpetuam pacem sarsit inter deum & homines: ita templum illud opera constructum humana, figuram habebat templi, cuius opifex fuit ipse Christus: quemadmodum olim dominus loquutus est per Nathan ad Dauid, sicuti legistis in secundo Regum libro: Tu non ædificabis mihi domum ad habitadum, sed suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, ipse ædificabit domum nomini meo: & stabiliam thronum eius usq; in sempiternum. Porro hæc quæ dicta sunt à propheta, non conuenire in Solomonẽ: uel illud palam arguit, quod in throno Solomonis iam nunc sedent alienigenæ, ac breui tota gens Iudæorum in omnes nationes spargenda est. Domus illa, quam Hierosolymis extruxit Solomon erat operosa lanienis, fumis, lotionibus, ac suffitibus tumultuosa. Caterũ hæc domus quæ ædificauit Christus, inuisibili fide commendatur, quæ finem nescit, Sic enim eodem in loco loquitur propheta: Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usq; in æternum, ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter. Hæc promissa uanissima sunt, si de Solomone, seu Dauid iuxta literam accipiantur. Dauid enim regnum suum funestauit, adulterio iuncto homicidio, & Solomon usque ad idolorum cultum, fœminarum amoribus pertractus est. Considerate iam quomodo uerba Nathan consentiant cum uerbis Esaïæ: Vocaberis, inquit, ciuitas iusti, urbs fidelis. Nullus autem extitit hominum præter Christum, qui pure iustus dici potuerit: nõ solum immunis ab omni contagio peccati, uerum etiam talis, ut per hunc omnes iustificentur. Quid autem exigit Christus à suis, nisi fidem? Et ideo suam ecclesiam, quæ nescit opera legis, urbem fidelem dixit, totam ipsi uni inmitentem. Hanc cum auditis redimendam in iudicio, uideris sublatam legalium ceremoniarum fiduciam. Deus enim non iudicat ex operibus, sed ex fide: non ex cibo aut potu, non ex ueste aut ocio, sed ex animi pietate. Hoc est autem iudiciũ, quod qui crediderint Christo, per illius mortem qui pœnam dependit pro omnibus, redimentur à peccatis suis: &

& per illius iustitiā iustificabuntur, principis sui uestigijs ingredientes. Habetis ciuitatem ac templū spirituale, quod digitis ostēdi non potest, sicuti nec rex & opifex ipse, quemadmodū ipse docuit, quū uiueret. Cum dixerint: Ecce Christus hic, ecce illic, nolite credere. Iudæi gloriātur in monte Sion, qui templū sustinet: post hæc erit spiritalis Sion, sustollēs animos credentium à cupiditate rerum terrenarū, ad studium rerum cœlestiū, de quo uaticinatus est uobis Esaia dicēs: Et erit in nouissimis diebus præparatus mōs domus domini in uertice montiū, & eleuabitur super omnes colles. Et fluent ad eum omnes gentes, & erunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem domini, & ad domū dei Iacob, & docebit nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exhibet lex, & uerbum domini de Hierusalē. De hoc mōte spiritali frequēter meminit & Dauid: Qui confidunt in domino sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem. De hoc templo, quod nunc superbiunt Iudæi, mox demoliendo, prædixit & Christus: Relinquetur, inquit, domus uestra deserta. Atq; id futurum comminatus fuerat ante deus Solomoni: quemadmodum legitis libro Regum tertio: Et templum quod sanctificauit nomini meo projiciam à conspectu meo: eritq; Israel in prouerbium, & in fabulam cunctis populis: & domus hæc erit in exemplum. Omnis qui transierit per eam, stupebit, & sibilabit & dicet: quare fecit dominus sic terræ huic & domui huic: Et responderunt: Quia dereliquerunt dominum deum suum. Hæc est enim illa domus exasperatrix, cum qua toties apud prophetas rixatur deus, quæ usque adeo defecit à deo suo ut unicum filium eius in crucem suffixerit. Quin etiam pro populo carnali duræq; ceruicis, propheta pollicetur populum pacificum & obedientem usq; ad mortē. Sic enim loquitur Esaia: Et conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladiū, nec exercebuntur ultra ad prælium. Domus Iacob, uenite & ambulemus in lumine dei nostri. Nonne concinūt his quæ promisit Christus, se de lapidibus suscitaturum filios Abraham: cumq; se uocaret lumen mundi, quē qui sequeretur, nō ambularet in tenebris: cum in eos torqueret illud Esaia: Populus hic labijs me honorat, cor autē longe est à me. Nouum autem populum sibi promittit per Osee, populum non iactantem opera sua, sed agnoscentem dei misericordiā. Et erit in loco ubi dicitur eis: Non populus meus uos, dicitur eis, filij dei uiuentis. Ac rursus: Et miserebor eius, quæ fuit absq; misericordia gentium populum significās, qui cum antehac seruierit idolis, mox accepturus est doctrinam Euangelicam à Iudæis repudiātam, de quo prædixit & psalmographus: Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Nonne Christi oratio contentiebat cum hac prophetia, cum diceret: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere. Nimirū nouatum sacerdotium & regnum nouat omnia. Nouum autem sacerdotem promiserāt prophetaŕū oracula. Sic enim habet psalmus mysticus: Iurauit dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternū secundum ordinem Melchisedec. Melchisedec sacerdos & rex, sacerdos dei altissimi, non enim ex lege institutus: rex Salem, hoc est rex pacis, Christū denotabat, qui nec initium habet, nec finem est habiturus. Is non per sanguinē uitulorum aut hircorū, sed per proprium sanguinē ingreditur sancta sanctorum, intercessurus pro peccatis totius mundi. Hoc sacrificiū peregit in ara crucis, purissimā uictimam offerens semet ipsum deo patri. Nimirum hunc sacerdotem deus olim promiserat Heli morituro. Suscitabo, inquit, mihi sacerdotem fidelem, qui imitator meum & animum meum faciet, & edificabo ei domū fidelem, & ambulabit coram me. Christus meis cunctis diebus. Nimirum hoc est quod uobis promisit ipse Christus: Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Iam pro Ianiena sacerdotum legaliū, quod genus sacrificij successurum sit, non tacuit propheta. Dicit enim afflatus psalmista: Sanctifica deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua, inuoca me in die tribulationis, & eruam, & glorificabis me. Rursus ibidem: Sacrificium laudis honorificabit me. & illud iterum: ut ostendam illi salutare dei. Et alibi: Sacrificate sacrificiū iustitiæ, & sperate in domino. Triplex audistis sacrificiū. Precationū, siue uotorum, de quo docuit uos Christus: Quicquid petieritis patrē meum in nomine meo, dabit uobis. Laudis, quod satis constat illum solenniter peregisse, frequenter gratias agentē patri. Iustitiæ, quæ præstat innocentium uitæ, & erga egentem charitatis obsequia. Huius ipse uobis perfectū exemplar præbuit, animam suam impendens seruandis ouibus, solus repertus inter homines, in quo

*synagoga
repudiata*

dolus non esset. Docuit & hoc ex propheta: Ite, inquiēs, & discite quid sit misericordiam uobis, & non sacrificium. In templo igitur spirituali, sub sacerdote summo Christo, non iam exhibebitur uisceratio ē carnibus uitulorum, hircorum aut ouium, sed ex precioso corpore & sanguine Iesu Christi, quod semel immolauit, ut à Christis ipsius subinde sumi possit spiritualiter, grata commemoratione sibi quodammodo renouantibus mortem sui pontificis. Nimirum hæc est uictima, quæ mox toto in orbe offeretur à nouis sacerdotibus, quos unxit deus, de qua prædixit Malachias: Non est mihi uoluntas in uobis, dicit dominus exercituum: & munus non accipiam de manu uestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Hoc est quod, prædictum est & Heli sacerdoti, futurum ut quisquis ueniret in templum nouum, diceret: Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedā buccellam. Hoc est sacrificium, quod Christus in coena paschali tradidit discipulis suis, porrecto illis pane, quem dicebat esse corpus suū: & poculo, quod dicebat esse sanguinis sui, per quem consecrauit illis nouum testamentum, hoc est, foedus amicitiae nunquā intermorituræ. Hæc si non uidistis ipsi, certè à duodecim illis audire potuistis, per quos uoluit hoc quod gestum est ad omnes peruenire. Quemadmodum Christus ē cœlo profectus omnia carnalia uertit in spiritualia, ciuitatē, templum, sacerdotiū, uictimas, ita regnum quoque nouum esse uoluit: & ob id uocare solitus est regnum cœlorum, ne quid expectaretis tale, qualia uidetis in regno mūdi. Quanquā enim ille dominus erat omnium, etiam antequā descenderet in terras, tamen erat spirituale regnum, quod ut assereret patri factus est illi obediens usque ad mortē crucis. Sic enim ille deuicit aduersariū, sic liberauit populum suum, sic uindicauit, propagauit & constabiliuit regnum patri suo. Ac sane regis ducisque titulo propheta promissit Messiam, sed huius duplicē designant aduentum. Priorem, quem ipsi uidistis, humilem ac placidū. Venit enim sanaturus, nō uulturus. Veniet autem in fine mundi cum maiestate, cinctus multis angelorum milibus, iudicaturus uiuos ac mortuos. Nunc autē quoniā uenit humilis ac placidus, multi sunt offensis, adeo ut duodecim etiam illi, quos ex omnibus uelut fidissimos delegerat, territi metu diffugerint, quidam etiam ipsum abnegarit. Atqui si scripta prophetarum cum his quæ gesta uidistis, diligenter conferretis, non esset cur offenderemini, sed esset cur agnosceretis eum qui talis uenit, qualis promissus est: considerate quid dicat Zacharias: Ecce rex tuus ueniet tibi iustus, & saluator, ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Qui sic uenit, non uenit bellaturus, sed dissipaturus bella mundi, quæ geruntur sub uexillis satanæ, subiicit enim propheta: Et dispergam quadrigam ex Effraim, & equum de Hierusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari usque ad mare. Vidistis illum hac pompa ingredientem Hierosolymā, ut regna mundi derideret, ut uos prophetiæ commonefaceret. Iam illud animaduertite, an aliū illum promiserit Esaias: Quia, inquit, omnis uiolenta prædatio cum tumultu, & uestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerū eius, & uocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum eius sedebit, ut conseruet illud et corroboret in iudicio & iustitia. Quum auditis regnū & principatum humero impositū, nōne palam auditis regnū crucis quam Christus baiulauit debellaturus potestates aeris: Quum auditis principem pacis, nimirum intelligitis regni beneficijs allicientem, non uel metuque cogentem: quum auditis patrem futuri seculi, perspicitis dissimilem huius seculi principibus. Nec alium describit illum alio quodam loco: & percutiet terram uirga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitiae cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum agno, pardus cum hœdo accubabit, ceteraque quæ sequuntur, multū ab armis ac bellis principum distantia. Nunc audite, quid ipse de se prædicat in psalmo mystico: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Nonne palam expressit regnum euangelici sermonis: Nimirum hic est gladius, de quo meminit alter psalmus: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede & regna, propter ueritatem & mansuetudinem & iustitiam

iustitiam. Quis autem audiuit regem forma corporis feliciter rem gessisse, aut mansuetudine sibi parasse regnum? Sed hæc erat gratia diuini sermonis, qua uidistis Iesum hominū multitudinem ad se pellicere: hæc erat ueritas cui pharisæi toties frustra conati sunt relucere. Talis erat gladius, quem moriturus ut apostoli sibi pararet, admonuit, de quo prius dixerat, negans se uenisse in terras, ut mitteret pacem, sed gladium. Tales sunt & sagittæ potentis acutæ, quibus configit prauas hominum cupiditates, quibus occidit auarum, & excitat beneficum: quibus interficit idololatram, & excitat professorem Euangelicæ pietatis: quibus interimit ferocē ac uindictam, & suscitāt mansuetū ac mitem: quibus proster nit superbum, & erigit modestum. Vultis intelligere regni genus? Videte quales delegerit suæ ditionis ministros ac propagatores. Tenuēs, humiles, idiotas, nec opibus, nec armis, nec comœatu, nec ullis huius mundi præsidij instructos aduersus pharisæorum insidiosam maliciam, aduersus principum potētiam, aduersus philosophorum superbiam. Et per hos duces debellaturus est uniuersa mundi regna: non alia panoplia, quā galea salutis, quæ est recta intelligentia sacre scripturæ: scuto fidei, quo protegente deo, tuti erunt aduersus omnes impiorum assultus: lorica iustitiæ, ex omnibus uirtutibus Euangelicis contexta: baltheo castitatis, calceatu Euangelico, qui est animus purus ab omnibus terrenis affectibus. Sed super omnia gladio spiritus, qui est sermo diuinus. Sic uisum erat deo, ut per imbecillitatē filij ostenderet suam uirtutem, per stultitiam prædicationis declararet suam sapientiam, per ignominiam crucis illustraret suam gloriā. In his interim situm est regnum Euangelicum, donec in fine mundi proferet sese maiestas Christi, deposita humilitate, ac piorum felicitas, nullis afflictionibus inquinata. Et tamen hæc humilitas habet spirituale robur, efficax & idoneum ad deijciendas omnes substructiones, erigentes sese aduersus dei gloriā. An quicquam uidistis Christo lenius, humiliter, pauperius, mansuetius, popularius, & longius semotū ab omni regni specie? Et tamen quid regalius, quā uerbo eijcere spiritus impios: dicto sedare uentos ac fluctus: contactu sanare leprosos, simplici iussu pellere morborum omne genus? Quoties euasit per medium Iudæorum machinantium illi mortem? Capi se passus est, sed ad huius uocem conciderunt in terram armati satellites. Mortuus est in cruce, sed quid hac morte potentius? quæ concussit elementa mundi, quæ solem obscurauit, saxa discidit, monumenta aperuit, mortuos excitauit. Nihil illius natiuitate humiliter, sed tamen hic quoque statim emicabant argumenta dissimulatæ sublimitatis. Nascitur ex uirguncula, sed opificio spiritus diuini. Reclinatur in præsepi, sed angeli canunt: Gloria in excelsis Deo. Puer uagit in cunis, sed trepidat Herodes rex, adorant Magi. Hæc adhuc non ita multis nota, olim per uniuersum orbem prædicabuntur. Huiusmodi præsidij instruet & apostolos suos. Quod si scripturas attente legeritis, & cum his quæ uidistis & audistis contuleritis, non potestis dubitare quin ille sit Christus, qui promissus est, sacerdos, rex, & seruator totius orbis, post quem non sit expectandus alius. Reputate quæso cum animis uestris totam illius ætatem, quam partim spectastis oculis, partim ex cognatis ac familiaribus cognoscere potuistis. Nihil reperiatis quod non fuerit & figuris ueteris testamenti designatum, & à prophetis prædictum. Promissus erat ex stirpe David, eq̃ tribu Iuda, ex oppido Bethlehem. De loco natali uidetur obscure uaticinatus sit Micheas: Et tu Bethlehem Effrata, paruulus es in millibus Iudæ. Ex te egredietur qui mihi sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Hoc futurum antequam fieret intelligebant scribæ, qui sciscitanti Herodi inconstanter responderunt: Messiam in ciuitate Bethlehem nasciturum. Atq̃ hic constat Iesum per occasionem Cæsareæ descriptionis esse natum. Rem nobilitauit Herodis sequitiam. Solus autem illum uulgo non Bethlehemitam, sed Nazarenū habitum, & Galilæū, quod in Nazareth educatus sit, usque ad adultam ætatem, illicq̃ unā cum parentibus, diu uersatum, adeo ut & crucis titulus inscriptionem habuerit Iesu Nazarenī. Ne istud quidem inditum est prophetis qui subinde notāt eum nomine sancti, & sanctis sanctorum quod esset unice consecratus domino, non tantum iuxta legem communē primogenitis masculinis, secundum quam & ipse delatus est in templum à parētibus, ac domino consecratus, uerum etiam peculiari quadam prærogatiua supra mortales omneis. Videbat hunc Nazarenū Iacob oculis corporis cæcutiens, sed oculis fidei perspicax, quum benediceret Ioseph, qui Christi typū gerebat. Fiāt, inquit, in capite Ioseph, & in uertice Nazarei inter fratres

fratres suos. Quicquid enim lex Mosaica iuxta carnem prescribit de Nazareis consecrandis, hoc iuxta spirituales intelligentiam in Christo completum est. David autem deus sic loquitur in psalmis: De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Rursus ante hunc Esaias: Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini. Constat autem Mariam fuisse de tribu Iuda ac familia David: nec hoc clauit phariseos, qui rogati à Iesu, prius quam pateretur, cuius filius esset futurus Messias, incontanter responderunt: David. Propheta prædixit eum nasciturum de uirgine. Sic enim uaticinatus est Esaias: Propter hoc dabit dominus ipse uobis signum: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel. Prædixit idem testis Daniel, enarrans quid sibi uellet lapis abscissus de monte sine manibus, qui comminuit prodigiosam illam statuam, ex auro, argento, ære, ferro, lutoque conflata: moxque creuit in montem ingentem, qui spacio suo occupauit omnia regna mundi. Siquidem Christus citra uirilem operam natus de uirgine conteret omnia regna mundi, suaque doctrina totum terrarum orbem occupabit. Nimirum hoc præsentiebat afflatus Ezechiel, quum describeret templi portam orientalem, per quam ingressa est maiestas domini, de qua sic loquitur: Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & uir non transibit per eam: quoniam dominus deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi, Quum auditis templum dei, agnoscitis uerum Mariæ spiritu sancto consecratum. Quum auditis portam orientalem, nonne agnoscitis claustrum uirginis pudoris, quod nec uir ingrediens, nec filius dei ingrediens aut egrediens uiolauit: Hæc est autem porta orientalis, de qua processit lux illuminatura mundum uniuersum. Hoc mysterium tamen si nondum uulgatum est apud Iudeos, tamen ignotum non est his, qui cum Maria matre Iesu, cumque huius sponso Ioseph familiariter uixerunt. Is enim adhibitus est testis certissimus huius arcani, quod suo tempore per orbem uniuersum celebrabitur, uirginem absque ullo exemplo, ex afflatu diuini spiritus peperisse puerum, utriusque nature, diuinæ & humanæ participem. Quod si uobis inædibile uidetur deum ex homine nasci: considerate quid prædixerit propheta Baruch de filio, quem deus, misertus humani generis in hoc misit in terras, ut errantibus ac cæcutientibus ostenderet uiam salutis. Hic est, inquit, deus noster, & non æstimabitur alius ab eo. Hic adinuenit omnem uiam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus uersatus est. Daniel autem etiam natiuitatis tempus supputatum hebdomadibus indicat, si quis curiosius excutiat. Sed multo ante hunc patriarcha Iacob, iam morti uicinus, & afflatus fatidico spiritu, uaticinatus est hunc in modum: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Iam Iudeorum omnis regio Romanis Cæsaribus seruebat. Iudæa regem habebat Herodem alienigenam. Ea res satis arguebat iam uenturum Messiam, si quis scrutatus fuisset prophetias. Quod autem adiecit: & ipse erit expectatio gentium, quanquam olim erit dilucidius, tamen iam tum in ipsa natiuitate patuit. Mox enim à partu uirginis, accurrunt ductu stellæ tres Magi cum muneribus, nouum regem adoraturi. Nec hoc futurum tacuerat uox prophetarum, sic enim ait Esaias: Antequam sciat puer reprobare malum & eligere bonum, accipiet spolia Samariæ & Damasci aduersus regem Assyriorum. Dum enim puer adhuc tres Magos ad se pertrahit stellæ ductu, & ex idololatris facit adoratores regis regum, nonne accepit spolia Samariæ, quæ cultura simulacrorum infamis erat: Damascus enim olim Arabiæ deputabatur, antequam ex distinctione Syriarum transcriberetur in Syrophœnicen. Abundat autem oriens odoribus, unde ex suis opibus Magi deprompserunt thus & myrrham: deprompserunt & aurum, de quo nec prophetia tacuit. Sic enim loquitur Esaias: Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem domino annunciantes. Meminit & psalmi prophetia: & dabitur illi de auro Arabiæ. Rursus alibi: Reges Arabum & Sabæ dona adducent. Nam in illis regionibus plerumque rerum summa penes Magos, hoc est, sapientes esse solet. Porro nomine regis Assyriorum denotatus est rex impius Herodes, qui ad nuntiatum Messie exitum perturbatus est, & à Magis elusus. Sequuta est cædes infantum in finibus Bethlehemiticis, nec hoc tacuerat prophetia, sic enim cecinit Hieremias: Vox in excelso facta est lamentationis, luctus & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt. Sic enim expressit lamenta matrum deplorantium lanienam infantum suorum.

Porro

Porro locum obscure denotauit nomine Rachel, cuius sepulchrū haud procul abest à Bethlehem. Angeli admonitu subductus est in Aegyptū, rursus illinc reductus est eiusdem angeli admonitu, nōne prädixerat & hoc Osee prophetia? Ex Aegypto uocaui filium meū. Iam antequā auspicaretur prädicandi munus à patre delegatū, nōne prae-
 cursor Ioannes testificatus est illum mox aduenturū, & iam uenientē digito cōmonstra-
 uit populo Iudaeorum? An non id quoque futurum dilucide prädixerat Esaias? Vox cla-
 mantis in deserto, parate uiam domini, rectas facite in solitudine semitas dei nostri. Certe
 uidistis Ioannem in deserto prädicantem, audistis hoc uaticinium de se prädiciū agno-
 scentem. Ac ne de baptismo quidem tacuit prophetia. Iam quod prädicationem suam
 auspicatus est, non Hierosolymis, sed in Galilaea, nōne satis dilucide prädixit Esaias?
 Terra Zabulon, & terra Neptalim, iuxta uiam maris trans Iordanem Galilaeae gentiū, Esa. 9
 populus qui sedebat in tenebris, uidit lucem magnā, sedentibus in regione umbræ mor-
 tis, lux orta est eis. Constat autem Capernaum, ubi primum habitabat Iesus quū prae-
 dicare, esse in confinio Zabulon & Neptalim, ciuitatē littoralem. Nec dissimulatum est
 doctrinae genus, quo frequenter apud populum utebatur, parabolarum aenigmati in-
 uoluens sententiam. Sic enim habet psalmus Azaph: Aperiam in parabolis os meum,
 loquar propositiones ab initio. Porro fore qui doctrinae ipsius reclamarent, omnia tum
 dicta tum facta illius calumniantes, prädixit Esaias: Audite audientes & nolite intelli- Esa. 6
 gere: & uidete uisionē & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius ag-
 grauauit, & oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde
 suo intelligat, & cōuertatur & sanem eum. De his queritur & alibi: Domine quis credi-
 dit auditui nostro? Quin etiam de miraculis quae uidistis eum ædentem, nōne palam
 prädixerant oracula prophetarū? Nōne sic loquitur Esaias? Vere languores nostros Esa. 53
 ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Quod enim mali genus ille non profligauit
 & misit? Rursus idem apertius etiā ita prädicat: Dicite pusillanimes, & nolite timere. Esa. 34
 Ecce deus uester ultionē adducet retributionis, deus ipse ueniet, & saluabit uos. Tunc
 aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus clau-
 dus, & aperta erit lingua mutorum. An non uidistis oculis uestris hæc, & his etiam ma-
 iora patrantem Iesum? Audistis ipsum agnoscentem hanc prophetiam de se proditam,
 quā ab Ioanne misit discipuli percontarentur eum, utrū ipse esset expectatus ille Mes-
 sias, an alius esset expectandus, respondit: Euntes, inquit, renunciate Ioanni quae audi-
 distis & uidistis: Cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mor-
 tui resurgunt, pauperes euangelij læto nuncio exhilarantur. Quod autem his tantis be-
 neficijs magis essent exacerbandi synagogae principes, nōne pulchre depinxit Esaias
 sub parabola uinea: quae plurimis officijs prouocata, non respondit cultori suo. Expe- Esa. 4
 ctavi, inquit, ut faceret uuas, & fecit labruscas. Expectaui ut faceret iudiciū, & ecce ini-
 quitas: & iustitiam, & ecce clamor. An non respondet oraculo prophetico parabola,
 quam audistis ex ipso Iesu, de uinea septa turri, ac torculari lacuque instructa, quæ uitio co-
 lonorum non reddidit fructum domino suo? Idem notabat ficus illa, quæ nec sterco-
 ratione admota coepit esse frugifera. Nec aliud sibi uolebat parabola de semine proiec-
 tio in terram malam. Conquestus est idem & alijs in prophetis: Expandi tota die manus
 meas ad populum non credentem & contradicentem. Virtuti inuidebant potentes, ca- Esa. 6
 lumniantes ea miracula geri praesidio Beelzebub. Cæterum corporis imbecillitas, hu-
 militas conditionis, & afflictiones, quas perpessus est, offenderunt infirmos: tametsi non
 malos. Quum enim caperetur à Iudæis, diffugerunt etiam illi duodecim electi. Videte
 & istud siluerit propheta Zacharias: Percutiam, inquit, pastorem, & dispergentur Zach. 9
 oves gregis. Accinit huic psalmus octogesimus septimus. Longe fecisti notos meos à
 me posuerunt me abominationem sibi. Nōne Petrus cum detestatione abiurauit do-
 minum suum: cæteris idem facturis, si ingruisset simile periculum? Atque id fore prädixe-
 rat Christus priusquā fieret. Proditus est à Iuda, qui fuit unus è numero duodecim. Con-
 siderate, an non & illud prädixit psalmus fatidicus: Quoniam, inquit, si inimicus meus Psalm. 114
 maledixisset mihi, sustinuissē utique: & si is qui oderat me, super me magna loquutus fu-
 isset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu uero homo unanimes, dux meus, & notus me-
 us. Iam si didicistis, quod Christus Iudam ad se uenientem, ut osculo fallaci proderet do-

H minum

minum militibus, sic affatus sit: Amice ad quid uenisti? Osculo filium hominis prodis. Nonne pa^ulam exprobrauit illi propheta^u uaticinium? Ducem eum uocat, quod hic uideatur ap^ostolis quodammodo præfectus, quum huic esset mandata cura rerum gerendarum. Rursus alius psalmus dicit etiam dilucidius: Etenim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Huic uero prophetiæ uidete quàm congruant uerba Christi, quæ de proditore loquutus est discipulis in extrema cœna: Qui comedit, inquit, mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum.

Psal. 37 Rursus dicit alius psalmus: Amici & proximi mei aduersum me appropinquauerunt &
Psal. 54 steterunt. Item alius: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. An non est sermo oleo mollior? Aue rabbi: dictus cum osculo? An non iaculum erat toxico letali infectum: Ipse est, tenete eum? Ex ipsius apostolis audire potuistis, & si nondum audistis, licebit discere. Iudas stipulatus est à pontificibus & primoribus triginta argenteos, qua funesta pecunia mox emptus est ager ad sepulturam pauperum. Vtrumque prædixit propheta. De precio sic uaticinatus est e uatibus quidam: Et acceperunt triginta argenteos precium apreciati, quæ appreciauerunt ex filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli. His ita peractis, Iudas sero poenitens suspendit sese, minuens numerum duodecim electorum, ac locum faciens in alium apostolorum surrogando. Nec hoc tacitum est à prophetis. Sic enim habet psalmus mysticus: Fiat cõmoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & episcopatum eius accipiet alter. Impium autem illud concilium de occidendo Iesu celebratum in domo Caiaphæ summi pontificis per scribas, phariseos, primores, & his iuratos populares, uidete an non hoc etiam uaticinio psalmi proditum sit, qui dicit: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus dominum, & aduersus Christum eius: auditis gentes & scitis per cohortem Pilati crucifixum: auditis populos, & agnoscitis Iudæorum promiscuam multitudinem clamasse: Crucifige, crucifige. Auditis reges, & agnoscitis Pilatum Cæsaris nomine præfectum Iudææ, cuius sententia damnatus est Iesus. Auditis principes terræ, & intelligitis primores Iudaici populi, qui non intelligentes legem spiritualem, terrena quærebant: & dum ab his auelli nolunt, cœlorum regem occiderunt. Commiⁿnatur his & Esaias. Væ, inquit, animæ ipsorum, quia cogitauerunt cogitationem pessimam aduersus seipsos, dicentes: Alligemus iustum quia inutilis est nobis. Ductus est ueluti reus in iudicium. Dixit & hoc Esaias: Stat ad iudicandum dominus, & stat ad iudicandos populos. Dominus in iudiciu ueniet cum senioribus populi sui & principibus eius. Iudicatus est Iesus in domo Caiaphæ à primarijs sacerdotibus, scribis, phariseis, & populi primoribus. Rursus apud prætorium præsidis, populi clamore cõdemnatus est: Tolle, tolle, crucifige. Sed dum iudicatur dominus, ipsi iudicati sunt, prodita modis omnibus illorum detestabili iniquitate. In ipsos pronunciauit sententiam Pilatus: Ego immunis sum à sanguine iusti huius, uos uideritis. Ipsi aduersum se pronunciarunt, clamantes: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Deplorat has impias aduersus Christum machinationes & Hieremias: Vidisti, inquit, domine iniquitatem illorum aduersum me, iudica iudicium meum. Vidisti omnem furorem eorum, uniuersas cogitationes eorum aduersum me: audisti opprobrium eorum domine, omnes cogitationes aduersum me labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersum me tota die, sessionem & resurrectionem eorum uidi. Nonne hic plane depingit cõsultantes sacerdotes & primores, quomodo Iesum dolo occiderent, uenantes falsa testimonia, quibus innocentem opprimerent, obijcientes blasphemiam, præiudicio condemnantes eum, confidentes ueluti iudices, rursus surgentes, ut eum accusarent apud præsidem. Scelerata sessio, sceleratior resurrectio. Quod autem illorum odio non suffecerit quæuis mors, sed delicta sit omnium probrosissima simul & durissima, testatur Hieremias Christi personam gerens: Tu autem domine demonstraisti mihi & cognoui, tu ostendisti mihi studia eorum, & ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad uictimam, & non cognoui quia cogitauerunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra uiuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Siquidem hoc erat phariseorum consiliu, ut Iesu nomen accusati, damnati, inter notorios maleficos suspensum, aut prorsus aboleretur, aut inter execrabilia detestabiliaq; deputaretur. Iam illud in mentem ueniat

tenueniat, Christum hæc ante mortē prædixisse uobis, quod esset tradendus in manus
 gentium, quod reprobandus, quod illudendus, quod flagellandus, quod crucifigendus,
 & agnoscitis nihil horum temere, fortuito uel gestum. Apud Annam & Caiphā Iudæi
 per falsos testes intenderunt illi crimen blasphemiae, quo non aliud est atrocius. Desi-
 gnatum est hoc in Ioseph, quem fratres inuidia coniurati detulerunt de crimine pessis-
 mo. Apud iudices aut nihil, aut perpauca respondit, quū nihil esset in eo criminis, quia
 mori decreuerat pro salute mundi. Putate hoc fortuito gestum, nisi palam id prædixit
 Esaias: Oblatus est, quia ipse uoluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem
 ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Huic
 quam congruit psalmi uaticinium: Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut *Psalm. 37*
 mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, nec habens in ore
 suo redargutiones, quoniam in te domine speraui. Iam enim uenerat tempus, ut semet
 ad omnem ignominiam exponeret, absolutum exemplum tolerantiae suis æditurus: uin-
 ctus est, cæsus est alapis & colaphis, flagellatus est, cōsputus est. Ludibrij causa chlamy-
 dem purpuream indutus est, spinea corona coronatus: ab Herode spretus, ignominiae
 gratia remissus est in alba ueste, miserabili specie productus est ad populū, Barrabas illi
 prælatu est. Hæc quoniā uolens passus est pro salute mundi iuxta prophetarum uatici-
 nia, non debuit uobis gignere desperationē, sed potius addere spem. An nō hæc deplo-
 rat Hieremias, dicēs: Spiritus oris nostri, Christus dominus. Captus est in peccatis no- *Tren. 4*
 stris, cui diximus: In umbra tua uiuemus in gentibus. Audite rursus eundem lamentan-
 tem: Dabit, inquit, percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs. In concilio Iudæo-
 rum alapa cæsus est a seruo pontificis. A cohorte Pilati & alapis & colaphis & arundi-
 ne percussus est, nec repugnauit. Nunc audite psalmi uaticiniū: Supra dorsum, inquit,
 meum fabricauerunt peccatores, prolongauerūt iniquitatē suam. Concinit huic facer
 Esaias: Dominus, inquit, deus aperuit mihi. Ego autem non contradico, retrorsum non *Esai. 50*
 abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas uellentibus, faciem meam non
 averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Iam quum legitis eiusdem prophetae
 uaticinium in alio loco, nōne uidemini uidere Christum ipsum, flagellatum, conspu-
 tum, coronatū spinis, chlamyde amictum, exhibitū populo Iudæorū ludibrij gratia: Sic
 enim scribit: Non est ei species, neq; decor. Et uidimus eū, & nō erat aspectus, & deside- *Ibidem 59*
 ramus eum despectum, & nouissimū uirorum, uirum dolorum & scientem infirmita-
 tem. Et quasi absconditus uultus eius & despectus, unde nec reputauimus eum: uere lan-
 guores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eum quasi le-
 profum & percussū a deo, & humiliatum, ipse autem uulneratus est propter iniquita-
 tes nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eū, & liuore
 eius sanati sumus. Proinde de se loquitur in psalmo mystico: Ego autem sum uermis & *Psalm. 21*
 non homo, opprobrium hominū, & abiectio plebis. Nec de spinea corona siluerunt scri-
 ptura mystica. Siquidem primo Adæ dictum est: Maledicta terra in opere tuo. Quum
 exercueris eam, spinas & tribulos germinabit tibi. Quod terra erat Adæ priori, hoc Iu-
 daicus populus fuit Adæ secundo, tot modis culta, tot beneficijs lacescita, ut produce-
 ret fructum bonū, spinas produxit cultori suo. Christus autē erat sponsus ecclesiae, quem
 admodum audistis & Ioannem testificantem, filius autem synagogae parricidæ. Itaq; in
 mystico Epithalamio, pater euocat omnes ad hoc crudele spectaculum sponsi spinis co-
 ronati: Egredimini, inquit, filiae Sion, & uidete regem Solomonē in diademate, quō co- *Cant. 3*
 ronauit illū mater sua in die desponsationis illius, in die læticiae cordis eius. Nimirū ille
 sponsus erat uehemens amator, qui suo sanguine lauit sponsam suā, sibiq; uinculo indis-
 solubili iunxit. Atq; hic erat ille desponsationis dies, quē desiderio desiderauerat, sic ut
 amanti omnis mora longa uideretur. Quū præses nihil nō faceret, ut Iesum absolueret,
 principes Iudæorū unā cum populo parricidalibus & efferatis uocibus succlamabant:
 Tolle, tolle: crucifige, crucifige. Vide q̃ hoc non tacuerit Hieremias, sub persona Chri-
 sti loquens: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam *Hiere. 12*
 meam in manus inimicorum eius. Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylua, dedit
 contra me uocem. Quicquid autē in illum factum est per ignominiam, hoc ille uertet in
 suam gloriam. Herodes remisit illum ad Pilatū, amictum alba ueste, & gentium populus

H 2 amplectetur

amplectetur olim sacerdotem. Cohors militum induit eum chlamyde purpurea, addiderunt arundinem sceptri uice, imposuerunt coronam e spinis contextā. Pn agnoscent & adorabunt regem suum, etiam sic uincens ac triumphans. Colludunt Herodes ac Pilatus, Iesum inter sese ueluti spharam mittentes. Sed interim fiunt amici, qui prius odio mutuo dissidebant, sic quoque cōmendantes conciliatorem & pacificatorem omnium quæ in coelis, quæq; in terris, de quo uaticinatus est Iob: Dominus recōciliat corda principum terræ. Iam mihi rursus spectaculum illud cogitatione uobis renouate, quod nuper uidistis oculis, Iesum exeuntē ad supplicij locū, & humeris suis baiulantem crucem. Nōne significarat hoc futurū, quum frequenter apud discipulos ac multitudinem diceret: Qui non tollit crucem suam & sequitur me, nō est me dignus. Videlicet hoc erat sceptrum regis Iudæorum, hoc est, omnium consentientium: quod Esaías uidit olim in humeris eius, quū diceret: Et principatus eius super humerum eius. Huius typum exhibebat ante tot secula Isaac, fascem lignorū baiulans sibi mactando in holocaustum. Saluus est nobis Isaac, tantum aries mactatus est, hoc est corpus Iesu, quod solum mori poterat, sed mox reuicturum. Occisus est autem extra ciuitatem. Significarat hoc futurum ipse Christus parabola de colonis, qui filium eiectum e uinea, occiderunt. Sed multo ante significauit hoc Moses, qui ut in Levitico legitis, uitulum, qui immolabatur pro peccatis populi, iussit efferri extra castra, atq; ibi comburi. An nō extra Hierusalem, iuxta allegoriam exustus est Iesus, qui totus accensus inestimabili charitatis igne erga genus humanum, semet totum impendit: Quum uideretis Iesum pendentem in sublimi ligno, nōne uobis ueniebat in mentem serpens ille mysticus, quem olim Moses suspendit in stipite, saluti futurum omnibus mortis a serpentibus, si modo in eum intenderent oculos: Oculis hominis est fides. Hunc quisquis intenderit in Iesum crucifixum, ilico saluus erit. Prædixit autem Moses & illud futurum, ut Iudæi conspicientes Iesum pendentem in cruce, qui sua morte uitam dabat omnibus, non crederent tamen illi. Sic enim loquitur in Deuteronomio: Et erit uita tua pendens coram oculis tuis. Timebis nocte & die, & non credes uitæ tuæ. Vidistis pendentem inter duos latrones medium, & non agnoscitis prophetiam quæ dixit: Et cum iniquis deputatus est: Vidistis medio die noctem subito obortam ab hora sexta usque ad horam nonam. Christus ipse se prædixit esse lucem mundi, & significauit instare noctem, quum tollendus esset e mūdo. An non hoc dilucide prædixit Amos: Et erit in die illa, dicit dominus: Occidet sol meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Nec tacuit hac de re Zacharias, quum ait: Et erit in die illa, non erit lux sed frigus & gelu, & erit dies una quæ nota est domino. Non dies, neque nox, in tempore uesperis erit lux. Erat dies notus domino, quem Iudæi non agnouerunt. Dies non erat, quia sub meridiem nox oborta est: non erat nox, quoniam ab hora nona rediit lux. Frigus aut & gelu erat in animis discipulorum diffugientium ac desperantium, inter quos erat Petrus qui dominū etiam abiurauit, dum frigore correptus ad impiorū prunas calefcit. Conferte iam quæ facta sunt Christo in cruce pendente, si tienti porrectum est uinum myrrhatum, & acetū, quemadmodum & in crucem tollendo obtulerant uinum myrrhatum. An non istud perspicue prædixit psalmi uaticinium: Dederunt in escā meam fel, & in siti mea potauerūt me aceto. Audistis pharisaeos ac primores ueluti uictores insultantes pendenti, & inter cætera conuicia hoc quoq; obijcientes: Dixit se filiū dei, confusus est in domino, liberet eum nunc si uult eum. Videte quæ uaticinium psalmi non solum rem ipsam prædixerit, uerum etiam ipsa impiorū uerba retulerit: Ego autem, inquit, sum uermis & non homo, opprobrium hominū & abiectio plebis. Omnes uidentes me deriserunt me, loquuti sunt labijs & mouerunt caput. Sperauit in domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam uult eum. Vidistis agnū ab Esaia prædictum, obmutescens ad omnia probra, atq; etiam deprecantem pro mortis autoribus, dum clamaret: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Iam uidere an non & hoc prædixerit: Loquuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis. Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. Vidistis eum clauis affixum cruci, nudum pendere distento corpore. Audite nunc uaticinium dilucidum: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerūt omnia ossa mea. Vidistis milites inter se partiētes uestimenta crucifixi Iesu.

Sequitur

Sequitur & istud in uaticinio psalmi: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Reliquas uestes inter se partiti sunt: pro tunica inconsutili, quoniam dissui non potuit, sortibus est certatum. Audistis illum iam expiraturum ingenti uoce dixisse: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, declarantem psalmi uaticinium de morte sua fuisse loquutum. Vidistis duobus latronibus frangi crura, Iesu crura non fuisse fracta, ut hoc quoque signo declararet sese esse agnum paschalem uerum, cuius sanguis liberauit omnes qui credunt ab æterna morte, de quo præceptum est in Exodo: Os illius non confringetis. Potuistis & illud animaduertere, quod diuersis rationibus uicit præsidia mundi & satanæ. Simplicitate uicit astutiam, mansuetudine superauit ferociam, humilitate uicit gloriā, comitate uicit superbiam, ita infirmitate uicit potentiam satanæ. Quid enim imbecillius morienter? Et tamen hæc imbecillitas quantum habuit robur, uidistis. Conspectistis obscurari solem, concuti terrā, dissilire saxa, dehiscere monumenta, scindi uelut templi. Hæc nimirum declarabāt præcipuum illius robur, quo deuicit diabolus ac mundum, in morte fuisse expeditum: prædixerat & hoc psalmus mysticus, dicens: Dicite in nationibus, regnauit à ligno deus. Nec id tacuit Abacuc propheta: Splendor eius ut lux erit. Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes eius. Audistis cornua crucis, cuius infirmitas fefellit huius mundi principem. Absconderat enim illic dominus Iesus uirtutem celestem, ut diabolus opprimeret. Triumphabat mortem, ac satanam traduxit & or stentui fecit. Prædixerat hoc futurum & ipse priusquam moreretur: Quoniam exaltatus fueris à terra, omnia pertraham ad me. Significauit idem obscuriore quidem ænigmate Moses morti uicinus. Quum enim benediceret tribubus singulis, ac uentum esset ad Ioseph, qui typum gerebat Christi, ait: Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis, cornua illius, in ipsis uentilabit gentes usque ad terminos terræ. Sic uisum est diuinæ sapientiæ, ut Christus per cornua crucis subigat mundum uniuersum. Nec de sepultura tacuere propheta. Sic enim scribit Hieremias, Christi personam representans: Lapsa est in lacum uita mea, & posuerunt lapidem super me. Scitis enim illum sepultum in lapideo sepulchro, & ostium monumenti ingenti saxo fuisse occlusum, ne quis tolleret corpus defuncti. Die parasceues sub uesperam conditus est in sepulchro, sabbato illi requieuit: nimirum iam perfecto opere salutis humanæ. Considerate an non & hoc prædixerit propheta: A conspectu, inquit, iniquitatis ablati est iustus, & erit in pace locus eius. Usque ad mortem passus est se contractari ab impijs. A morte à nullo contractari uoluit, nisi ab amicis, nec ulli se posthac præbebat conspiciendum nisi amicis obscuram huius rei significationem dederat uetus prophetia patriarchæ Iacob, qui de Iuda, imò de Christo sic uaticinatur moriturus: Accubasti ut leo, quis suscitabit eum? Porro quemadmodum mori uoluit ac sepeliri, ita non fore ut in sepulchro cōputresceret, sed breuissimo tempore illic cōmoratus reuiuisceret: nonne palam à prophetis prædictum est? Nonne sic loquitur spiritus sanctus in psalmo decimoquinto: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Nulla aromata, nulla unguenta hoc præstant, ut nunquam putrescat corpus exanime, quum etiam aromata ipsa absumat ætas, quæ consumit & sepulchra, quamuis marmorea. Sed hoc præstat resurrectio, quæ confert immortalitatem. Cæterum totā huius rei figuram nonne representauit olim Ionas propheta? Illi imputata est tempestas, & ne perirent omnes, ille præceps datus est in mare, quo iactura unius placaretur tempestas omnibus exitium minitans. Christus pro salute omnium mortuus est, ut expiaret omnium peccata. Ionas absorptus est à ceto, e cuius uentre redditus est die tertio præter omnium expectationem. Christus conditus est in monumento unde promissit sese proditurum tertio die. Promissit enim Iudæis, petentibus signum e cœlo, signum Ionæ prophetae, sed ad illius exemplum emicaturum tertio die e latebris terræ. Quoties autem inculcauit hoc suis discipulis, se moriturum, ac tertio die reuicturum: Prædixerat hoc Osee propheta: Viuificabit, inquit, nos post duos dies, in tertio die suscitabit nos. Quoniam igitur uideritis hætenus omnia congruere, figuras legis, uaticinia prophetarum, prædictiones ipsius Christi, denique rerum euentus, quo pacto nunc ueluti dormitantes ac somniantes diffiditis, ac non potius ex præteritis colligitis futura? Prædixit se tradendum gentibus, alligandum, flagellandum

H ;

gellandum

Thren. 3

gellandum, illudendum, crucifigendum. Nihil horum non euenit. Vidistis & credidistis, sed idem prædixit se tertio die reuicturum, & aliquot dies sese ostensurum non mundo, sed discipulis. Quur igitur diffidistis his, quæ dicunt se ex angelis cognouisse quod resurrexisset? Adeone uos offendit mortui corporis infirmitas, ut nunc despondeatis animum, quasi interierint omnia illa magnifica promissa, de regno, de potestate cœli ac terræ tradenda filio, de ascensu in cœlum, ac reditu ad patrem, de consensu ad dextram patris, de propagatione euangelij per omnes orbis nationes, de glorioso aduentu sub finem mundi, de immortalitate sanctorum, de supplicijs impiorum? Imò ad harum rerum maiestatem mors aperuit aditum. Sicut uidistis illum morientem ac sepultum, ita uidebitis rediuntem, uidebitis ascendentem in cœlum. Accipietis spiritum cœlestem, uidebitis uirtutem cœlestem sese proferre in hominibus humilibus & idiotis: uidebitis per eosdem lucem euangelicam exiguo tempore radijs suis occupare totum orbem. Ac totus mundus adorabit Iesum illum hic spretum, consputum & irrisum, ut deo patri æqualem, regniq; consortem. Postremo genus hominum uniuersum uidebit illum in maiestate patris cinctum agminibus angelorum, iudicantem uiuos & mortuos. Is dies uoluit ut esset incertus omnibus. Interea nihil uoluit suis esse curæ nisi regnum Euangelicum. Hæc omnia prædicta sunt à prophetis, designata figuris Mosaicæ legis, magna ex parte præstita: nec oportet ad dubitare quin omnia suis temporibus sint exhibenda. Hic sermo domini Iesu non tantum feriens aures discipulorum uerumetiam in animos penetrans, sic illos occupauit, ut nec uia sentirent laborem, nec faciem loquentis agnoscerent: nec ueniret ipsis in mentem, ut apud sese cogitarent: Quis est iste, cui sic in promptu sunt scripturæ sacræ, doctrina tota ac uita Iesu, quicquid nos tam efficaci sermone suspendit & afficit? Hunc inter discipulos nunquam uidimus, & tamen nihil illud fugit. Amabant tantum tanquam per somnium, & Iesum ex ipso Iesu discere gaudebant. Nunquam enim discitur felicius, quam quum ille nos dignatur docere seipsum. His alijsq; fabulis itinere peractio, iam appropinquabant oppidulo, cui nomen Emaus. Iesus autem quo magis accenderet illorum desiderium, præse ferebat quasi nollet in Emaunte commorari, sed longius adhuc proficisci: nam illi ueluti desperantes reliquerant Hierosolimam, sedq; in patriam recipiebant, quum hi qui semel uere crediderunt Christo, non habeant hic manentem ciuitatem, sed perpetuo itinere properent ad illam cœlestem. Discipuli uero quoniam auelli non poterant à tam facundo comite, rogant, obsecrant, obtestantur: denique precibus improbis, & iniectis pallio manu, recusantem compellunt, ut eam noctem apud ipsos diuersarentur, iam dominum appellantes, non quod cognoscerent esse Iesum, sed quod ex admirabili confabulatione satis conicerent illum non esse uulgarem uiatorem. Dicebant autem: Domine præbuiisti nobis hæcenus iucundum & amicum uia comitem, præbe nobis & hospitem. Quur te committis iueneri longiori? Iam appetit uespera, & sol uergit ad occasum. Merito noctem oderunt, qui diligunt Iesum: nec tamen huius mundi noctem timere debent, qui comitem habent Iesum. Amat autem rogari ut id faciat, quod facit libenter: partim ut det promerentibus & dignis, partim ut nos doceat beneficium etiam ingerendum & obtrudendum egenti proximo. Quidam enim sic offerunt beneficium, quasi metuant ne non recuset cui defertur: & eo uultu dant, ut uideantur inuiti dare. Ingressus est itaq; oppidum, nec grauatus est illorum uti hospitio. Illi læti tanto hospite, quum exhibuissent quicquid gratis hospitibus soler exhiberi, apparauerunt & mensam, proq; sua tenuitate quod habebant, apposuerunt. Frugalis erat apparatus, sed ante omnia uultus accessere boni, animo syncerissimo respondentes. Posteaquam autem Iesus accubuisset cum illis, accepit panem, benedixit, fregitq; deinde porrigebat illis. Hunc morem quoniam sciebant esse Christo peculiarem, ut ante cibum ageret gratias patri, deinde suis manibus fractum partiretur in discipulos, duo discipuli uelut expergefacti coeperunt cogitare de Iesu. Mox sublato impedimento, quod hæcenus obstiterat quo minus agnoscerent eum, agnouerunt illum esse Iesum. Dumq; subitus quidam stupor corripit illorum animos, Iesus euauit ex illorum conspectu. Paulatim enim ac parce faciebat sui corporis copiam à morte, uel quod imbecillitas humana non ferret rediuiui corporis maiestatem, uel ut sensim assuescerent carere corporis conspectu, quod mox esset abducendum, quo iam amarēt illud iuxta spiritum. Porro non agnoscunt Iesum nisi in domo, quæ est ecclesia: non agnoscunt nisi ipso porrigente panem scrymonis

monis Evangelici. Is enim aperit oculos, quibus agnoscitur Iesus. In uia fregerat, ac porre-
xerat illum panem mystice, quum illis aperiret scripturas. Et quod illic fecerat iuxta spiritum,
post corporali signo renouauit. Sublato corpore Iesu, iam melius illum uidebant, quum
quum esset corpore praesens. Tenebantur oculi, quia non credebant. Nunc absentem uident
oculis fidei. Post abitum Iesu, ipsi inter sese non desinunt de Iesu confabulari, dicentes: Qui fa-
ctum est, ut tam sero agnosceremus dominum? Somnus quidam habebat animos nostros:
benedictio, fractus ac porrectus panis primum excussere somnum: sed nisi dormitassetus,
poteramus uel ex illius pariter colloquio conijcere ipsum esse Iesum, qui nobis de Iesu tam
multa tam mirabiliter differebat. Nonne quum nobis familiari colloquio per uiam expo-
neret scripturas, figurarum & prophetiarum aenigmata, sensimus admirabilem quandam ardor-
em animi, qualem non solet gignere in auditorum animis scribarum & pharisaeorum oratio?
Sed talis esse solet oratio domini Iesu, his qui simpliciter audiebant. Pungebat, afficiebat,
rapiebat, urebat, inflamabat, relinquebat scintillas & aculeos quosdam in animis audito-
rum. Quumque uterque alteri falsus esset se pariter affectum fuisse, nec iam dubitarent, quin
ille esset Iesus a morte rediuius, continuo reliquerunt Emauntem, tametsi iam uergente
die: magnaque celeritate redierunt Hierosolymam, ut tanti gaudij reliquos quoque discipu-
los redderent participes, mutuaque collatione fides omnium confirmaretur. Sic enim do-
minus cupit sua munera propagari inter homines, ut mutuis officiis & gliscat inter ipsos
charitas, & crescant merita, quae remuneretur deus. Lenti erant, quum relinquerent Hie-
rosolymam: quoniam Iesus confabulator & fallebat uiae radium, & eximebat hospitij de-
siderium. Sed auditas & renunciandi quae contigerant, & cognoscendi uicissim quid
alijs accidisset, redeuntium pedibus addidit alas. Vbi uentum est eo, offenderunt undecim
apostolos (iam enim Iudas decesserat numero duodecim) aderant autem cum his & alij
complures discipuli, qui non expectata narratione duorum ultrò gaudio gestientes indi-
cabant illis, quod post incertam spem, quam mulieres omnium primae fecerant de domini
resurrectione, compertum esset eum uere surrexisse. Nam apparuerat et Simoni Petro.
Huius oratio, quoniam inter apostolos primas tenebat, plus habebat fidei apud discipu-
los quam sermo muliebris. Hunc enim primum dominus Iesus consolari uoluit, & confirma-
re sua praesentia, quem sciebat praeter commune diffidentiae malum, etiam abiurati domi-
ni conscientia grauari. Hoc nuntio laeti duo discipuli uicissim & ipsi narrant, quemadmo-
dum proficiscentibus Emauntē adiunxerit sese ipsis quidam ignotus specie uiatoris, qui
per occasionem multa commemorasset de Iesu, repetens ex Mosi literis ac prophetarum,
quicquid de Iesu praedictum esset: simulque commemorans, quid euenisset, & euenturum esset in
posterum: nec prius agnouissent illum, quam ex peculiari consuetudine benedicendi, frangen-
di, & porrigendi panem. Dum huiusmodi sanctis colloquijs sese uicissim consolantur, &
exhilarant, quibusdam credentibus, quibusdam etiam nondum dubitantibus, ingressus est subito
dominus Iesus foribus clausis: nec uisus est aduenire, sed repente constitit in medio illorum.
Sic enim apparent angeli subito, cum uolunt, conspicui: rursus subito, quum libet, euane-
scentes. Quemadmodum autem boni spiritus quum apparent, ne quid conturberur imbecil-
litas humanae naturae, consueuerunt blando alloquio terrorem eximere: ita dominus quo-
niam & subitus, & profunda iam uespera sese conspicuum reddidit, blanda salutatione
compellat illos, dicens: Pax uobis, ego sum, nolite timere. Haec oratio quanquam merito debe-
bat omnem propulsare formidinem, tamen erat tanta quorundam discipulorum imbecilli-
tas, uti metu exanimati atque expauesciti, non crederent esse Iesum, sed existimarent sese ui-
dere spiritum. Viderant paulo ante mortuum ac sepultum: uidebant illum non ingressum
per ostium, sed subito apparuisse. Itaque non potuerunt sibi persuadere, corpus esse Iesu quod
uidebant, sed spiritum. Vulgus enim narrat huiusmodi fabulas, spiritus defunctorum non-
nunquam apparere quibus uolunt, ac speciem quidem quandam corporum exhibere mor-
taliu oculis, caeterum non habere solidum ac uerum corpus. In hac sententia erat Tho-
mas, qui negarat se fidem habiturum discipulis, narrantibus quod uidissent dominum, nisi
digitis immisiss in latus explorasset omnia uestigia clauorum & lanceae. Nec aliud sensisse ui-
dentur caeteri discipuli. Iesus igitur ut certam fidem faceret omnibus, se & uiuum esse, & ue-
rum gestare corpus: nec aliud corpus, quam quod ante gestauerat, ait illis: Quid adhuc uelut
spectrum expauescitis, quum me conspiciatis oculis & formam agnoscatís, quum audiatís

uocem uobis notam ac familiarem? Et tamen adhuc diffidentiae cogitationes oboriuntur animis uestris, quales solent uulgo uenire in mentem. Satisfacite omnib. sensibus uestris, contemplantur manus & pedes, habent manifesta uestigia clauorum: contrectate latus, habet lanceae uulnus. Palpate corpus, admoveate oculos, & desinite suspicari spiritum. Spiritus enim nec carnem habet, nec ossa, quemadmodum cōspicitis habere me. Quod ingressus sum foribus clausis, quod quum uolo cōspicior, quum uolo sum inconspiciuus: non est praestigium, sed dos corporis iam immortalis facti. Talia erunt & uestra corpora post resurrectionem. His uerbis quum Iesus exemisset illis pauorem, & animos addidisset, exhibuit eis inspiciendas manus ac pedes, aperuit latus ut contrectarēt manifesta uulnorum uestigia. Nam ea dominus seruare uoluit, ut his argumentis apud suos assereret corporis humani ueritatē: simulq; & olim in extremo die exprobraret Iudaeis suam incredulitatem iuxta prophetiam quē dicit: Videbunt in quem compunxerunt. Porro quum etiam tum essent, qui nondum planē crederent esse corpus idem quod uiderant mortuum, sed ebrietas quaedam laticiae teneret illorum animos, ut nec suis oculis, nec auribus, nec manibus satis fiderent (timemus enim nonnunquam credere, quod misere optamus esse uerum: metuentes, ne nos ipsos in falsum cōijciamus gaudium, quo mox simus spoliandi) Iesus non dedignatus omnibus argumentis illorum incredulitati mederi, ne quid in nobis refunderet diffidentiae, ait: habetis ne hic quippiam quod possit edī? Nullum enim certius argumentum hominis uiui, quā cibum capere. Et ideo dominus Iesus puellae reuocatae in uitam iussit dari cibum, similiter & Lazaro. Non quod esurituri simus resuscitati ad immortalitatem, sed ut discipulis suis pro tēpore probaret corporis humani ueritatē. Complures illic aderant discipuli, & tamen admodum exiguus erat cōmeatus. Itaq; quod habuerunt, ferunt, partem piscis assi, & fauum mellis. Iesus autem in conspectu omnium comedit ex his quae apposita sunt. Quumq; iam omnibus illorum sensibus fidem fecisset, se non esse phantasma, sed uerum ac uiuum hominē, eundem quem ante uiderant & uiuentem & morientem: redit ad scripturas sacras, quibus erat habenda fides, etiam si sensus hominis reclamarent. Mirari, inquit, non oportet quae uidetis esse facta. Nescit mentiri scriptura, coelestis afflatu spiritus prodita. Quicquid haecenus factū est, id praedictum ac praefiguratum erat in libris Moysi, in prophetis, in psalmis. Nam ego sum ille, quē Mosaicae legis figurae denotabant. Ego de quo tam multa promissere sancti prophetae. Ego cuius exortum, progressum & consummationē describunt psalmi mystici. Neq; minore fide praestabuntur & reliqua omnia quae in iisdem scripturis praedicta sunt, de reditu in coelum, de mittendo spiritu coelesti, qui uos, hoc corpusculo sublato, reddet firmiores: de Euangelio per uniuersum orbem spargendo, de supremo fine mundi huius. Haec sunt, quae uobis toties inculcaui, quum adhuc mortalis agerem inter mortales. Tum ea nō infederāt animis uestris, nunc non potestis addubitare, posteaquam uidetis mea dicta consentire cum arcanis scripturis, & rerum euentus cum utrisq;. Haecenus pro tempore indulsi imbecillitati carnis uestrae, & crassioribus argumentis ingessi uobis rei ueritatem. Posthac proficite ad spiritualem intelligentiā scripturarū. Ibi me posthac uidebitis, ibi me audietis. Quoniam autem mysticae literae non intelliguntur, nisi deus aperiat nobis mentem, Iesus aperuit illis oculos cordis, ut quod scriptum esset legerent, crederent & intelligerent. Non enim intelligit, nisi qui credit. Hoc, inquit, ordine uisum est patri restituere genus humanū, & quod ille decreuerat, ipsius afflatu proditum est diuinis libris. Idem à me praedictū est antequam fieret, nec aliter potuit euenire: quia decreta dei sunt immutabilia, & sacrae scripturae tam nesciunt mentiri, quā ipse spiritus, cuius afflatu proditae sunt. Per mortem & ignominiam crucis iter erat ad gloriam, resurgendum erat tertio die, ut sciretis uos habere dominū ac patronum uiuum posthac non moriturum. Is relatus in coelum, inde mittet uobis spiritum coelestem. Tunc oportebit in nomine Iesu Christi praedicare poenitentiam anteactae uitae, & sine Mosaicae legis obseruatione remissionem omnium peccatorum. Ea donabitur omnibus per solam fidem Euangelicam. Ego dependi poenam omnium nomine, tantum credant & gratis assequantur innocentiam. Haec autem oportebit praedicari, non solum Iudaeis, uerum etiam uniuersis mundi nationibus, sed ita ut ab Hierosolymis sumatis initium. In Iudaea natus sum, illic edidi miracula: Hierosolymis docui, ac mortem obij. Apud hos inuenietis animos iam multis modis ad fidem praeparatos. His redigetis in memoriam, quae

que uidistis & audistis, Meam doctrinam quam acceptā à patre uobis tradidi, transfundis in illos. Reclamabit mundus uestro testimonio, quēadmodum mihi perpetuo reclamabat. Sed ego, ut dixi, mittam uobis à patre spiritum, quē olim per prophetas missurum esse promisit, loquens per os Iohelis: Et erit post hac, effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri, & filij uestre. Quem optauit & sanctus Dauid, *Promissum patris mei* dicens: Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Is reddet uos fortes, & inuictos aduersus omnia mundi terculamenta. Idem addet eloquentiam, cui nemo poterit contradicere. Addet uirtutē ad agenda miracula, ut sit efficax uestrum de me testimonium. Vos interim conquiescite, simulq; congregati, sedete in hac ciuitate Hierosolyma, ecclesiæ nascituræ concordiam auspicantes: uosq; inuicem sanctis colloquijs exhortemini, deprecātes, & gratias agentes deo, donec è sublimi ueniat ille spiritus, qui uos instruet uirtute roboreq; cœlesti. Itaq; posteaquam Iesus uarijs argumentis confirmasset ueritatem resurrectionis suæ, adduxit discipulos suos in Bethaniā, iamq; abiturus in cœlum, sublatiis manibus benedixit illis: & in hoc patriarcharū ac Mosi referēs exemplum. Atq; interea dum bene precatur suis discipulis, sublatiis est à terra, & in omnium conspectu ferebatur in cœlum: Discipuli uero procubentes adorauerunt dominū, oculis illum, quoad licuit, prosequentes. Magis autem animis prosequuti sunt, posteaq; corpus oculis ademptum est. His ita gestis, reuersi sunt Hierosolymam, quēadmodum præceperat dominus. Reuersi sunt autem cum ingēti gaudio. Iam enim fides excusserat omnem morosem, & certa spes promissorum addebat alacritatem. Interea frequentes erant in templo, iam tunc Euangelicas uictimas immolantes, laudibus ferentes diuinā benignitatem erga genus humanum, & gratias agentes ei, qui tanta beneficia decreuisset per filium suum gratis largiri mortalibus.

Paraphraseos in Euangelium secundum Lucam, per
D. Erasmus Roterodamum, finis.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D. FERDI-

NANDO, AVSTRIÆ ARCHISTRATEGO, CAROLI

Cæsaris germano, Erasmus Roterodamus S. D.



NNO superiore paraphrasim in Euangelium Matthæi, magis ex autoritate R. D. Matthæi Cardinalis Sedunensis, quā ex animi mei iudicio susceperam, FERDINANDE principum integerrime: partim quod ipsa maiestas operis, religione quadam animum meum ab attrectatiōe submoueret: partim quod & alioqui plurimæ uariæq; difficultates imbecillitatem meam sibi probe consciam ab aggrediendo deterrent. Iamq; mihi uidebar in totum huius generis scriptiōe defunctus. Tamē nescio quo pacto rursus huc me peruenire, tum superioris audaciæ successus, tum summorum uirorum autoritas, quorum uoluntati non satisfacere, mihi uehementer sit inhumanum: iussis non parere nefas quidem erat. IOANNIS Euangelium ad eundem modum explicarē. Non me fugiebat quantum augustior esset huius argumenti maiestas, quod magna ex parte uersatur in abstrusis naturæ diuinæ mysterijs enarrandis, & huius admirabili cum nostra commercio. Quis enim hominum uel cogitatione consequi possit, quomodo pater deus sine initio, sine fine semper gignat filium deum: in quem generans sic se totum effundit, ut ipsi nihil recedat: à quo sic nascitur filius, ut ab eo qui producit nunquam recedat: rursus quomodo ab utroq; procedat spiritus sanctus, sic ut inter omnes sit eiUSDĒ naturæ perfectum consortium non confusa personarum proprietate? Quis ingenio complecti queat, quomodo summa illa & ineffabilis natura, hominem sibi copularit: ut idem qui semper fuerat ex deo uero deus uerus, homo uerus ex homine nasceretur. In huiusmodi rebus explicandis, in quibus nonnunq; uerbum mutasse, piaculū sit inexpressibile, ubi paraphraseos liberasti. Ad hæc uidebā mihi fore iter, per loca crebris ac uarijs difficultatibus impeditissima, salebris

salebris intersepta, saltibus ac lamis imperuia, eluuiionibus ac uoraginibus intercisa. Nullum enim est Euangelium, unde natae sint plures, aut operosiores de fide quaestiones: aut in quo uehementius sudatum sis ab eximjis ueterum ingenjs: denique in quo enarrando magis uariant interpretes, quod ego sanè non illorum tarditati uel imperitiæ, sed uel sermonis obscuritati, uel rerum difficultati tribuo. Accedebant & illæ peculiares huic negotio difficultates, quod totus fere sermo, quem Euangelista tribuit domino Iesu, sit *enigmati* inuolutus: quæ si explices paraphrasi, iam non coherent quæ respondentur ab his, qui quod dictum erat, non intellexerant. Sic enim multa dicuntur à domino, ut non prius intelligenda sciret, nec prius intelligi uellet, quàm rerum euentus quod dictum erat explanaret. Porro quum paraphrasti sit, quod astrictius est dictum, id explicare fusius, ne temporis quidem modus mihi seruari potuit. Etenim quum extremam cœnam dominus noctu legatur peregrisse cum discipulis, atq; inter cœnandum interim lauerit suorum pedes, tamen à cœna tam prolixum sermonem habet cum suis, ut mirum sit tempus tot uerbis suppetisse: præsertim quum ex aliorum Euangelistarum narratione constet & alia multa nocte eadem, tum dicta tum facta fuisse. Modus igitur temporis mihi seruari non potuit, cui illa omnia erant prolixius etiã explicanda. Postremo habet IOANNES suum quoddam dicendi genus, ita sermonem uelut ansulis ex sese cohaerentibus contexens, nonnunquam ex contrarijs, nonnunq; ex similibus, nonnunquam ex ijsdem subinde repetitis, ut paraphrasis has orationis delicias non possit reddere. Quod genus est: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. In his tribus mēbris, uerbum uerbo, deus deo succinitur: ac mox repetito principio circulū absoluit. Hoc erat in principio apud deum. Ac rursum, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil. Quod factum est, in ipso uita erat, & uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt. In his liquet, ut orationis quodq; membrū semper excipiat prius, sic ut prioris finis sit initium sequentis, ac tale quiddam hic agnoscas, quale Græcorum ἡγὼ solet affectare: quibus de rebus nonnihil dictum est nobis in argumētis. Hanc peculiarem sermonis gratiam intelligebam mihi frequenter in paraphasi perituram. Itaq; quum has hisq; consimiles difficultates multas perspicerem, tamē aggressus sum prouinciam, tot nimirum ac tantis uiris suo hortatu huc uocantibus, autoritate compellentibus: præsertim autem superioris obsequij uerius quàm audaciæ successu fretus. Nec enim haclenus modo successit, quod undiq; candidus lector pro hoc officio mihi gratias agit, uerum etiam quod CAROLVS Cæsarum, quos octingentis ab hinc annis habuit mundus, ut maximus, si ditionis amplitudinem species, ita & optimus, si quum alias illius uere Cæsareas uirtutes, tum præcipue religionis ac pietatis studium contemplere, laborem hunc meum, nam illi dicaram, non tantum uultu & oratione, sed literis etiam non minus honorifice q̃ amanter ad me scriptis sibi multo gratissimū fuisse testatus est. Proinde mihi conuenire uisum est, ut quoniam Matthæus Carolo consecratus esset, Ioannes Ferdinando, uelut alteri Carolo dedicaretur. Ac sanè bona quædam spēs blanditur animo meo, futurum pollicens, ut quemadmodum illud successit Caroli Cæsaris auspicijs, ita & hic conatus Ferdinandi succedat auspicijs. Sunt duo nomina huius æui felicissima, est fratrum patria huius ætatis auspicatissima. Nec dubitandum arbitror, quin sanctissimorum principum pia studia, diuini numinis fauor bene fortunet. Licet enim, opinor, bene ominari de his, in quibus adhuc adolescentibus egregius uirtutū prouentus, magnificæ spei, quæ de se prime ætatis uelut herba præbebat, respondet. Nam & pueritiæ tuæ noua quædam & admirabilis indoles, iam tum eiusmodi prudentiæ, moderationis, mansuetudinis, integritatis, religionis ac pietatis scintillas ostendebat, ut nemo non sibi polliceretur eximium quendam ad numeris omnibus absolutū principem. Iam uero publicam orbis de te spem quum hactenus non sefelleris, illud insuper efficis, ut uotis etiam omnium, non solum spei, iam factum natu grādiior, cumulatissime satisfactorus esse credaris. Libellum de principe Christiano qualis qualis est, iam pridem adolescens studiosis omnibus cōmendasti, postea q̃ tua laudatione dignatus es. Et hunc igitur proprie tuo nomini dicatum, iuuenis huius seculi florentissimus, multisq; nominib. orbi gratiosissimus, dignaberis cōmendare: nec id adeo, quod uel tibi gloriæ quippiam, uel mihi cōmodi nōnihil accedat, quum nec istius fortunæ splendor, nec istius ingenij modestia, laudē humanam uel desideret, uel affectet: nec hic animum quicquam

quisquam ambiat, præter Christi fauorem: sed ut his quibus hoc laboris defudatum est, defudatum est autem in cōmune omnibus, uberiores adferat fructum. Etenim quæ per se recta sunt, tum demum adferunt magnam utilitatem, si superato liuore fauorem publicum meruerint. Ad hanc rem plurimum adferet momenti, si declararis hoc munus meæ lucubrationis tibi non ingratum fuisse. Nec enim metus est, opinor, ne istos audiendos existimet tua prudentia, qui fortasse dicturi sunt, quum uiderint Euangelicam paraphrasim Ferdinando dicatam: quid profano principi, quid iuueni cum Euangelior meque, iuxta uetus Græcorum prouerbium, *βαρβαρὸν εὐαγγέλιον* cauillabuntur. Quali uero soli omnium principibus apta munera deferant, qui de uenatu, de alendis canibus, de habendis equis, de machinis bellicis, aut fortasse de lusu aleæ libellos barbarica quapiam lingua elucubratos offerunt. Ego contra sic existimo, philosophiam Euangelicam, quum omnibus & summatibus & infimatibus & medioximis sit in primis frugifera, nullis tamen magis esse necessariam, quàm potentissimis orbis monarchis. Nam quo maior est negotiorum moles quam sustinent, quo periculosior est rerum tempestas quam moderari debent, quo plures sunt illis occasiones quæ solent & recta ac bene nata beneque instituta ingenia corrumpere: hoc diligentius oportet eos Euangelicæ doctrinæ sanctissimis certissimisque præceptis instructos ac præmunitos esse, qui non nisi magno totius orbis malo peccant. Episcoporum peculiare munus est, ex Euangelicæ sapientiæ largissimo penu populum alere, unde & pastores appellantur. Fateor. Attamen Homerus non sine causa à uiris etiam apud Christianos laudatissimis laudatus est, quod regem appellet *ποιμένα λαῶν*, id est pastorem populorum. Quanto magis oportet hoc cognomē in Christianū principem competere? Princeps non docet Euangelium, sed præstat, docet autem etiam quisquis præstat. Cæterum quo pacto præstabit, si nesciat? Quo modo sciet, nisi diligenti crebraque lectione uersus, nisi magno studio penitus infigat animo? Quibus magis oportet esse persuasum, celsiorem esse regem huius mundi gubernatorem, quem nihil fugiat: cuius oculos nemo possit fallere, cuius potentia nemo possit resistere, qui pro suis quæque meritis sit iudicaturus: quum summis principibus, qui ob potētiam neminem metuunt: & facile si uelint, fallant: & si quid peccant, non modo non uocantur ad hominis tribunal, sed laudantur etiam ob flagitia. Quorum animis altius oportet esse infixum, post hanc uitam, quæ nec regibus uelut unius diei spacium certa est, nec ulli potest esse longa, superesse uitam nunquā finientem: in qua sine conditionis aut dignitatis ullo delectu, nisi quod grauior erit illorum causa, qui hic potētia cæteris antecelluerunt, ad incorrupti iudicis inuitabilem sententiam ita quisque mensurus est, ut hic sementem fecerit: neque quisquam elapsurus est, quin aut pro benefactis coronam, referat æternæ beatitudinis, aut pro malefactis, perennibus gehennæ supplicijs dedatur: quæ horum, quibus undique secundæ res, quibus hominū applausus, & præsentium rerum amor, & futurorum obliuionem suadēt: Quibus penitus impressum esse refert, à Christo denunciatur: Væ diuitibus ac potentibus, qui solatium habent in hoc seculo: quàm his, quibus omnium rerum copia, quæ solēt euiare mortalium animos, affatim adest: Quibus magis inculcatum esse par est, suum cuique creditum talentum in lucrum domini, rationem ab omnibus exacturi, sollicitè dispensandum esse, quàm his quibus ob potētiam à deo traditam in manu est, uel plurimum prodesse, uel plurimum nocere rebus mortalium: Quibus oportet certius esse persuasum, homines quamlibet magnos ac sublimes ex sese nihil posse: sed omnia quæ uere bona sunt omnibus à Christo proficisci, ab illo petendum, quicquid Christianis uotis optari potest: ad illum unum referendum omnium rerum bene gestarum gloriam: quàm his quibus ob ea bona, quæ Christus dedit esse spernenda, mundus applaudit ut felicibus, quos ob inania quædam bonorum simulacra, uulgus hominum tantum non ut deos adorat ac suspicit: Quibus magis oportet esse persuasum, ferociam esse deo inuisam: iniuriam non esse retaliandam iniuria: nihil esse pace melius, nihil mansuetudine clementiaque deo gratius: quàm his, quos tot res quoties ad tumultus, ad bella, ad uindictam sollicitant: Quorum mentibus conuenit imprimi impressum esse, nec uitæ cupiditate, nec mortis metu deflectendum ab honesto: nec in hac uita cuiquam pro benefactis sperandum esse præmium, quum in futuro seculo nulli sua merces sit defutura: quàm principum, quos tot illecebræ, tot rerum tumultus, tot occasiones identidem ad inhonesta sollicitant: Talis nimirum animus, unde pendet orbis

orbis publica uel felicitas, uel calamitas, grauibus ac solidis philosophiæ decretis munitus sit oportet, quo possit erectus & illabefactus aduersus omnes huius mundi machinas subsistere. Sed huiusmodi dogmata, quæ, ueluti saburra nauim, ita non sinunt animum fortunæ rerumq; fluctibus iactari, non aliunde, nec melius, nec certius, nec efficacius hauriuntur, quàm ex Euangelicis litteris. Quod si princeps profanus, quoniam in crassioribus negotijs plerunque uersatur, & ob publicam tranquillitatem tuendam, non semper ea potest obtinere, quæ perspicit esse rectissima: tamen hoc illi certe præstabit semel hausta penitus Euangelica philosophia, ut quantum potest semper ad ea, quæ Christi præceptis sunt proxima nitatur, & quàm minimum à scopo defleat. Id quum in omnibus optemus, qui res humanas in terris moderantur, tamen in te FERDINANDE magnopere speramus etiam, ut quem nouerimus à primis annis mire propensum ad Euangelicæ lectionis amorem: quippe qui non solitus sis hoc temporis quo sacrum peragit sacerdos, uel superstitiosis precatiunculis, uel friuolis alloquijs terere: quemadmodum plerique magnatum solent, sed aperto codice Euangelico reuerenter inspicere, quid doceret eius dei uel epistola, uel Euangelium. Nec dubitamus, quin isti pueritiæ tuæ specimini multum adiecerit ætatis accessio. Nec mediocris spes est, futurum ut tuum istud exemplum quàm plurimi mortalium passim æmulentur. Etenim ut uisiorum contagia facillime serpunt ad plurimos, à summatibus uiris profecta: ita uirtutis exemplum celerrime commendatur omnibus, si à claris autoribus fuerit exortum. Quanta fuerit olim Euangelicæ doctrinæ maiestas, uel ritus illi, quos ex antiquitate traditos etiamnum seruat ecclesia, docere nos poterunt. Codex habetur auro, ebore, gemmis pulchre ornatus: inter sacra religiose seruatur, non sine ueneratione ponitur aut sumitur. Petitur à sacerdote pronuntiandi facultas: sit sacer è thure, stacte, myrrha, & galbano suffitus: frontes & pectora signatur crucis imagine, submissis ceruicibus defertur gloria domino: assurgitur ab omnibus, astatur erecto corpore, nudatis capitibus, arreclis auribus, uenerabundis oculis. Ad Iesu nomen quoties incidit, curuantur genua: mox magna religione pectori admotus codex circumferitur, osculo singulorum adorandus, tandem inter sacra reuerenter reponitur. Hæ ceremoniæ, quid aliud nobis loquuntur, quid aliud monent, quàm nihil oportere Christianis antiquius esse, nihil charius, nihil uenerabilius, quàm coelestem illam philosophiam, quam omnibus Christus ipse tradidit: quam tot iam seculis totius orbis consensus comprobauit, quæ sola nos reddit aduersus hunc mundum, & huius mundi principem inuictos: Sed quem admodum optimo iure reprehenditur Iudæorum inanis ac præpostera religio, qui legis suæ codicem mira ueneratione prosequuntur: substernunt mundissima lintea, prociidunt, adorant, non contrectant nisi puris manibus, quum ea quæ præcipue lex docet, impie negligant: ita nobis curandum est, ne quàm sumus in ceremonijs religiosi cultores Euangelij, tam reperiatur in non obseruando profani. Quorsum enim attinet codex ebore, argento, auro, serico, gemmis exornatus, si nostra uita sordibus uitiorum, quæ execratur Euangelium, oblita sit: si animus noster nullis Euangelicis uirtutibus niteat? Quid prodest liber admotus pectori, si quod docet, procul abest à pectore: si quod damnat, regnat in pectore. Quid sibi uult suffitus odoratus, si nobis sordet illius doctrina, si nostra uita odor est letalis? Quid prodest submissa ad codicem ceruix, si nostræ cupiditates erectis ceruicibus pugnant aduersus eius præcepta? Quid confert assurrexisse, nudo uertice astitisse, si tota uita nostra talis est, ut palam Euangelicæ doctrinæ contemptum præ se ferat? Qua fronte codicem exosculatur Euangelicum, qui libidini, qui auaritiæ, qui ambitioni, qui gula, qui iracundiæ seruiens, conspuat Euangelicæ monita? Qua fronte dat osculum libro, nihil aliud docenti quàm pacem, quàm mansuetudinem, quàm charitatem: qui cōtempna Christi doctrina, totus liuore tabescit, odio madet, ira feruet, ulciscendi libidine feruit, rapitur, furit in proximum suum: qui dum suo morem gerit animo, furialibus bellis miscet orbem? Quo ore complectitur & adorat Euangelicum codicem, qui totis uitæ studijs hunc mundo fœderatus est, quem uelut hostem execratur Euangelica philosophia? Puris manibus ac religiose contrectamus Euangelicum codicem, & impuris animis despiciamus Euangelicæ præcepta? Quin hæc magis admoouemus pectori, hæc exosculamur animo, his ceruicem inflectimus? Quidam etiam Euangelij secundum Ioannem partem descriptam de collo suspensam circumferunt aduersus morbos, aut tristes alioqui casus remedium. Quin magis

magis Euangelij doctrinam animo circumferimus, aduersus omnes uitiorum morbos re medio futuram. Non improbo ceremonias, non exagito uulgi simplicis religionem. Sed tum demum ista fuerint nobis usui, si quod signis uisibilibus admonemur, re præstiterimus. Si uere Christiani sumus, hoc est, si legitimi Euangelicæ doctrinæ professores, totum hoc quod illic foris geritur, intus in animis nostris peragatur. Audio morem esse apud quosdam, ut princeps nudatū ensem manu tenens adstet Euangelicæ lectioni, cæteri manu capulo admota. Quo pacto autem gladio defendet Euangelium, cuius animus hostis est Euangelij: qui totus spirat mundum: cui nihil contemptius quàm nobile illud margaritū Euangelicum: cui nihil inuisius, quàm id quod solum Christus docuit expetendum. Qui populum expilat: qui tenues opprimit: qui bellis res humanas ac diuinas miscet: qui tot malis causam præbet: in cuius ambitionem tantum humani sanguinis funditur, ensem uibrat, quo defendat Euangelium Christi. Prius ipse se recõciliet Euangelio: prius Euangelico gladio prauas cupiditates rescet ab animo suo: tum si uidebitur, in hostes Euangelij minax stringat ferrum. Et hæc quidem Illustrissime Princeps, admonendi gratia dicta sunt, citra cuiusquam contumeliã. Rem tantum ostendimus; non notamus personas: & hoc libèrius hæc scribimus, quod in tuam integritatem ne leuis quidem horum malorū suspicio possit competere. Neminem secundū Episcopos magis decet Euangelica religio, quàm principes. Sed horum simplicitas sæpenumero fallitur religionis imagine. Siquidem persuasi non unquam ab his qui perfectæ religionis professione commendantur, existimant summam esse pietatem, si quotidie precum, quas horarias uocant, pensum absoluant: si nullus dies abeat absque sacro. Atque hæc quidem, ut in profano simul & iuvene principe, fa teor argumentum aliquod esse piæ mentis, ita permulta sunt, quæ propius ad Christiani principis officium attinent. Etenim si prospiciat, ne belli tempestas oriatur, ne publica libertas uioletur, ne populus tenuis ad famem adigatur, ne magistratus corrupti creentur, nea quidem sententiã, sacrum deo gratius obtulerit, quàm si sex annis recensuerit preculas illas. Et tamen hoc quoque laudo, si modo quod est præcipuū accesserit. Cæterū si princeps existimet nihil sibi deesse ad ueram pietatē, fretus obseruatione talium rerum, neglectis alijs, quæ propria sunt regis functionis, hæc nimirum uera pestis est religiōis, hæc est reipub. pernicies: & qui talia persuadent, nec principibus bene consulunt, nec populo. Pritum est adesse sacro, si quis modo purus accedat. At quo pacto purus accedam ad commemorationē illius ueri summique principis, qui pro salute suorum uitam impedit: si ob iram, si ob ambitionem, si ob socordiam meam tot hominū milia uel affliguntur, uel intereunt. Nec dicam interim, quod uix ullum tempus magis uacuum, minusque sollicitum est principibus, quàm quo uacant rei diuinæ. Quid autem magni est preces illas statis horis dictas esse principi, cui nullum tempus satis magnū curandis reipub. negocijs. Abunde multum precatus fuerit, si quotidie recenseat & ex animo recenseat illam sapientissimi iuuenis præstationē: Domine, da mihi sapientiam & intelligentiã, ut ingrediar & egrediar coram populo tuo. Aut huic simillimã, quam idē, nisi fallor, recitat in libro, cui titulus, Sapientia, Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecū sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptū sit apud te. Scit enim illa, & intelligit omnia, & deducet me in operib. meis sobrie, & custodiet me in sua potentia, & erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum iuste, & ero dignus sedium patris mei. Sensus autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis: & sic correctæ fuerint semitæ eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines. Atque hanc sapientiã, quam optat sapientissimus ille iuuenis, maxime reperire licet in literis Euangelicis, si quis ex animo, si quis pia curiositate rimetur. Alioqui qui factum est ut Christianorū mores, partim in uitam plusquam ethnicam reciderint, partim in Iudaismum quendam degenerarint, nisi ex Euangelicæ doctrinæ neglectu. Quanquam ut ingenue fatear, nullis seculis defuerunt, apud quos Euangelio suus constiterit honos, sed tamen his annis quadringentis uigor illius apud plerosque refrixerat. Quo magis omnibus studijs adnitendū, ut igniculum illum pro sua quisque uirili *ἀναστροφῇ*, quem æterna ueritas dominus noster Iesus misit in terram: nec aliud optat, quàm uehementer accendi, quàm latissime uagantē omnia corripere. In moribus seculi tam corruptis, in tātis opinionum dissidijs, quibus nunc miscetur omnia: quo potius confugiendum est, quàm, quod recte monet diuus Hilarius, ad purissimos

rissimos diuinæ scripturæ fontes, quorum purissima & illibatissima pars sunt Euangelia. Necq; uero debet monarchis hoc nomine suspectum esse Euangelium, quod, ut quidam iactant, seditiosos reddat eos, quos oportet principibus dicto audientes esse: imò principibus hoc præstat, ut pro tyrannis sint ueri principes, & populo præstat, ut bono principi libentius obtemperet, parum commodum mansuetius ferat. Deniq; non debet Euangelio uerti uicio, si quis re per se optima nō optime utatur. Pacis Euangelium dicitur, primum deo nos reconcilians: deinde nos inter nos mutua concordia copulans. Si quis in hunc lapidem impegerit, sibi imputet, non Euangelio. Nulla uis est hominum, nullum ingenium, nulla cōspiratio, quæ ueritatem Euangelicam possit opprimere, tum potissimum exrentem sese, quum maxime premitur. Sed hisce de rebus uereor ne iam plus satis dictum sit. Nunc quo maiore cum fructu legatur, de autoris consilio pauca loquutus, finem faciam. Cum uita doctrinaq; domini Iesu Christi, iam apostolorum prædicatione, ac cæterorum euangelistarum literis late per orbem esset diuulgata, Ioannes ille Iesu amore nobilis, postremus omnium hoc Euangelium scribendum suscepit: non tam ut Euangelicam texeret historiam, quàm ut quædam ab alijs euāgelistis prætermissa suppleret, quum non indigna cognitu uiderentur. Præcipuam autem causam fuisse putant, quorū scripserit hoc Euangelium, ut Christi diuinitatem assereret aduersus hæreses, iam tum uelut malam zizaniam in bona segete suppullulantem: sed præcipue Cerinthianorum & Ebionitarum, qui præter alios errores, docebant Christum nihil aliud fuisse quàm hominem: nec omnino fuisse prius quàm de Maria nasceretur. Expediebat autem in primis, ut orbis sciret & crederet Christum eundem & uerum deum, & uerum hominem fuisse. Quorum posterius primum ad amorem hominū in illum excitandum facit: libentius enim amamus nobis cognata: deinde stimulos ad imitandum acriores subiicit, Quis enim conetur æmulari, quod ab angelo per speciem modo, non etiam uere gestum esset? Porro quoniam ut sunt ardua quæ præcipit, ita summa sunt quæ promittit, oportebat non ignorari diuinam eiusdem naturam, ut confidamus illum haud dubie præsidio futurum suis, quos sic dilexit: nec frustraturum in promissis, qui quicquid uult, nutu possit efficere. Superiores autem euangelistæ de diuinitate domini Iesu penè nihil attigerant. Nam hanc opinor esse sapiētiam, quam Paulus loquebatur inter perfectos: inter cæteros nihil se scire profitens, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Fortè nondum ferebat tempus tam ineffabile mysterium uulgo litteris prodere, ne rideretur ab impijs, quod nec credere possent, nec intelligere. Quamq; & alioqui ueteres omnes quoties de rebus diuinis uerba faciunt, & parcissime & religiose loquuntur: copiosiores in his, quæ magis conducunt ad uitæ pietatem. Hæreticorum itaq; temeritate Apostolus compulsus est, apertius asserere Christo diuinam naturam: quemadmodum Arianorum audacia cōpuli sunt orthodoxi patres certiora quædam de rebus ijsdem definire, quum maluerint ab eiusmodi rebus definiendis abstinere, quæ & longe superant humani captum ingenij, nec nisi magno periculo definiunt. Atq; hæc pars merito beato Ioanni relicta est, Iesu *ἀγαπῶντες καὶ ὁμιλοῦντες*, quem ut ille qui fons est omnis sapientiæ præ cæteris magis dilexit, ita credendum est, quod plenius arcana quædam suis, ut ita loquar, delicijs inspirarit. Hunc igitur *χρῆμα* imbibamus omnes, ut & ipsi *ὁμιλοῦντες* fieri mereamur. Tantum illud lectorem admonitum esse uolo, me quidem in hoc opere probatissimos Eccl. sive doctores sequutū fuisse: uerum nec passim, nec in omnibus, quandoquidem & ipsi inter sese non raro dissentiunt: semper tamen bona fide profero, quod mihi germani sensus esse uidebatur, quum perspicerem ab autoribus uetustis contra hæreticorum opiniones dimicātibus, quædam uiolentius detorqueri. Nolim tamē ut quisquam huic paraphrasi plus tribuat, quàm tributurus erat commentario, si commentarium scripsissem, quanquam & paraphrasis commentarij genus est.

Allegorias, in quibus uideo ueterum quosdam ad superstitionē usque fuisse diligentes, parcius, nec ultra quàm satis esse iudicabam, attigi. Valeto Princeps ornissime, totisq; studijs Euangelij gloriæ faueto, sic Christus Opt.

Max. uicissim tuis uotis dexter aspiet. Basileæ,

An. M. D. XXIII. Non. Ianuarijs

DES· ERASMI ROTE·

RODAMI· PARAPHRASIS IN EVANGELIVM

Ioannis Apostoli.

CAP. I



A TVRA diuina quoniam in immensum superat imbecillita-
tem humani ingenij, quamlibet alioqui felicis ac perspicacis:
nec sensibus nostris, ut est, potest percipi: nec animo concipi,
nec imaginatione fingi, nec uerbis explicari: quāquam autem
in rebus conditis uestigia quēdam sublucent diuinæ potentie,
sapientie, ac bonitatis: fit quidem ut similitudines ductæ ab his
rebus, quas utcumq; sensibus ingenioq; complectimur: addu-
cant nos in tenuem aliquam, & umbraticā rerum incompre-
hensibilium cognitionem: ut eas ueluti per somnium, ac nebu-

lam utcumq; contemplerur: nulla tamen similitudo duci po-
test à rebus ullis conditis, siue spectes angelos, siue cœlorum machinam, siue hæc inferiora
corpora, nostris sensibus ita familiaria, ut tamen nec ipsa ad plenum à nobis comprehen-
di possint, quæ per omnia quadret ad rationem, ac naturam eorum; ad quorum cognitio-
nem præstandam illæ collationes adhibentur. Itaq; conuenit hominem huc omne studi-
um mētis intendere, ut amet dei bonitatem, potius quàm ut suspiciat, aut comprehendat
illius sublimitatem, quam ne Cherubin quidem, aut Seraphim, ad plenum assequuntur. Et
quanquā deus in omnibus operibus non potest nō esse mirabilis, tamen maluit nobis ob
bonitatem amabilis haberi, quàm ob celsitudinem stupendus. Cæterū plenior diuinæ na-
tura cognitio futuro seculo seruetur his, qui hic per innocentis uitæ pietatem purgarunt
cordis oculos. Nemo patrem, ut est, nouit, nisi filius: & si cui filius uoluerit reuelare. Itaq;
rationibus humanis scrutari diuinæ naturæ cognitionem, temeritas est: loqui de his, quæ
nullis uerbis explicari queunt, dementia est: definire, impietas est. Si quid hinc interim da-
tur contueri, simplici fide comprehenditur uerius, quàm humanæ sapientiæ præsidij. Et
satis est interim ad consequendā salutem æternam, ea de deo credere, quæ palam ipse de se
prodit in sacris literis, per selectos ad hoc uiros, spiritu suo afflato: quæq; post uersans
in terris, ipse discipulis suis aperuit: ac demum per spiritum sanctum ipsidem in hoc selectis
discipulis patefacere dignatus est. Hæc simplici fide tenere, Christiana philosophia est:
hæc puro corde uenerari uera religio est: per hæc tendere ad cœlestis uitæ meditationem,
pietas est: in his perseverare, uictoria est: per hæc uicisse, summa felicitatis est. Cæterum ho-
minem ultra hæc humanis rationibus de rebus diuinis uestigare, periculosa cuiusdam at-
que impia audacia est. Quamq; autem satis esse uidebatur, quod à cæteris euangelistis, &
sermone fideli prædicatum est, & literis proditum: qui natiuitatem Iesu Christi secundum
carnem, uitam ac mortem ordine describentes, asseruerunt illi ueram hominis naturam:
deinde recensendis illius sermonibus, cōmemorandis miraculis, ac resurrectione ex mor-
tuis, pro temporū illorum ratione, sic declararunt eiusdem naturam diuinam, silentes inte-
rim de natiuitate diuina, qua sine initio non enarrabili modo nascitur à patre, & à manife-
sto dei cognomine tēperantes: ut & pios ac dociles non lateret ueritas: nec infirmis ac ru-
dibus Iudæis daretur ansa resiliendi ab Euangelica doctrina: qui hoc ex maiorum traditio-
ne, & ex sacris etiam Mosi uoluminibus sibi penitus persuasum habebāt, dei uocabulum
implete tribui, præterq; uni deo, quem illi semper coluerant: nec gentibus, quæ deos innu-
meros colebāt, etiam ex hominibus deos factos, præberetur occasio persistendi in errore
superstitionis, si sensissent etiā in euangelicis literis, dei cognomē pluribus esse cōmune: quod
Iudæorū aures huius incapaces mysterij, prorsus incōmunicabile putantium, initio nullo
pacto laturæ fuerant: & gentium animus opinione multorū deorum imbutus, non protin-
us perdoceri poterat, tres esse personarū proprietate distinctos, quorū quisq; uere deus
esset, & tamē non nisi unus esset deus, ob eandem naturam diuinā tribus ex æquo cōmu-
nem. Sic autē uisum est deo, ut quo firmior esset Euangelica fides, paulatim pro tēporum
profectu, atq; hominum capacitate dispensaretur mortaliū generi. Sic Iudæorū natio mul-
tis seculis, deum patrē religiose coluit, filij ac spiritus sancti ignara. Et ipse dei filius, quum

Tom. 7

I 2

in terris

in terris mortale corpus circumferret, ac nobis testibus esurirēt, sitirēt, dormitunirēt, dolerēt, flerēt, irasceret, miseresceret, diu sustinuit à suis etiam discipulis nihil aliud haberi, q̃ homo. Quin & post resurrectionē quadam illos nescire uoluit. Ne per spiritū sanctū qui dem patefecit omnia, sed ea duntaxat, quæ faciebant ad persuasionē euangelicæ doctrine, & ad salutē humani generis. Quum enim natura rerū diuinarū summis etiam hominum, aut angelorū ingenijs sit in cōprehensibilis, & Euangelica professio ad omnes mortales ex æquo pertineat, de rebus diuinis tantum aperuit nobis per filium suū pater cōlestis, quantū satis esse uoluit ad consequendam salutē. Itaq; periculosa cuiusdam temeritatis est, quicq; affirmare de natura diuina, præter ea, quæ nobis uel Christus ipse uel spiritus sanctus aperuit. Sed quoniā his tēporibus, ut creuit Euangelici sermonis triticū in cordibus piorum, ita succreuit & impiorū zizania: quorū execranda temeritas eō prorupit, ut quidam non ueriti sint Iesu Christo adimere naturam humani corporis, pro homine spectrū inane, ac præstigium hominis subiicientes: quidam è diuerso, diuinam naturam eidem de traherent, mentientes tum demū cōpisse, quum nasceretur ex Maria uirgine: quod ex cæcati terrenis affectibus, nō assequerētur diuini consilij mysteriū, quomodo deus uerus, hominem uerū assumpserit, ut idem esset utrunq; neq; quicquā interim decederet incōmutabili naturæ diuinæ, & constaret integritas naturæ humanæ: nōnulla explanatius prodermus hoc Euangelio, quantū Christi spiritus nobis aperire dignatus est, quantumq; satis ipse iudicauit ad salutem consequendam, per fidem Euangelicam. Porro quæadmodum dicere cōperam, ut rerum nec intelligibilium cuiquam, nec explicabiliū aliquam cognitionem impartiamus, abutendū est uocabulis rerum nostro sensui familiarium, quum nihil usquam sit in omnibus rebus conditis, unde duci possit comparatio, quæ ad unguem quadret ad ueritatem naturæ diuinæ. Itaq; quemadmodū arcana litteræ summam illam mentem, qua nihil cogitari potest neq; maius neq; melius, Deum uocant: ita huius filium unicum sermonē illius appellant. Filius enim quum non sit idem qui pater, tamē similitudine patrem quasi refert, ut utrunq; in altero liceat intueri, patrem in filio, filium in patre. Sed gignentis ac geniti similitudo, quæ in humana generatione multis modis imperfecta est, in deo patre & huius filio perfectissima est. Nec est alia res quæ plenius & euidentius exprimat occultam mentis imaginē, quàm oratio nō mendax. Hæc enim uere speculū est animi, qui corporeis oculis cerni non potest. Quod si cui uolumus animi nostri uoluntatē esse cognitā, nulla re certius id fit, aut celerius, quàm oratione, quæ ex intimis mentis arcanis deprompta, per aures audientis, occulta quadam energia, animum loquentis transfert in animum auditoris. Nec est alia res inter mortales efficacior ad omnem animorum motum excitandum, quàm oratio. Quod si adsit autoritas, oratione compēdio præscribitur, quid fieri uelimus. Filius itaq; dicitur, quod ceteris omnibus par ei unde nascitur, sola personæ proprietate discernitur. Sermo dicitur, quod per hunc deus, qui in suapte natura nulla ratione cōprehendi potest, nobis uoluit innotescere: nec aliam ob causam uoluit innotescere, nisi ut ex ipsius cognitione felicitatem æternam assequeremur. Non est hæc temporaria natiuitas, nec sermo similis humano. Nihil corporeum est in deo, nihil tempore fluidum, aut loco circumscriptū: neq; quicq; omnino initio, progressui, senio, aut ulli mutationi obnoxium. Totus ac semper in se est: & qualis est ipse, talis ab eo semper nascitur filius, æternus ab æterno, omnipotens ab omnipotente, optimus ab optimo: deniq; deus à deo, nec posterior se gignente, nec inferior: æternæ mentis sermo æternus, quo sibi semper uelut arcana cogitatione loquitur pater, etiam ante conditum hunc mundum: nulli notus, nisi sibi uni & filio. Sibi nunquam non genuit filium: sibi nunquam non prompsit sermonem omnipotentem. Non egebat ille rebus conditis, cuius felicitati nihil potest accedere, sed ex sua natiua bonitate condidit uniuersam hanc mundi machinam, & in hac mētes angelicas, & humanum genus uelut ex angelis ac pecudibus medium, ut ex rebus mirifice cōditis, atq; etiam ex seipso potētiam, pietatem, ac bonitatem opificis colligeret. Quemadmodum autem si quis esset rex omnipotens, quicquid is fieri iuberet, id protinus factum esset: ita pater uere omnipotens per filium ac sermonē suum condidit uniuersa. Atq; hac ratione primum deprompsit sermonē suum, per quem nobis ueluti loquutus innotesceret: seseq; per admirationem pulcherrimæ machinæ cognitum, in affectus nostros insinuaret. Multum igitur aberrant à uero, qui dei sermonē sic putant esse posterior

rem eo

rem eo qui promit, quemadmodum apud nos mēs antiquior est proloquio: quidē dei ser-
monē, quo pater deus condidit uniuersa, numerant inter res conditas. Sed crassior est il-
lorum error, qui tum demum arbitrantur dei filium, ac sermonem esse coepisse, quum cor-
poreus ē uirgine Maria nasceretur. Quicquid creatum est, initium sumpsit in tēpore. Sed
filius dei bis natus est, semel à patre ante tēpora, uel potius sine tēpore: ex deo uero, uerus
deus: rursus tēpore ab æterno destinato, ex Maria uirgine, ex homine, uerus homo. Nam
hoc modo uisum est deo, nobis rursus depromere sermonem suum, ut crassius ac fami-
liarius nosci posset. Impius igitur est, qui contendit Iesum Christū nihil aliud fuisse quā
hominem, aut qui contendit eum inter cæteras creaturas fuisse conditum. Eundem filium
aliter genuit pater: eundem sermonem aliter deprompsit: semel in tēpore, sed semper ex
tra tēpus omne. Nam ante quā hęc uniuersitas rerum terrestrium ac cœlestium con-
deretur, iam cum patre æterno, sermo erat æternus, atq; hic sermo sic prodibat à patre, ut
nunquam à patre discederet. Sic erat indiuisa naturæ cum patre, ut iuxta personæ præ-
prietatem esset apud patrem: nec sic adhærebat patri, quemadmodum accidens adhæret
substantiæ, sed deus erat ex deo, deus erat in deo, deus erat apud deum, ob cōmunem utri-
usq; diuinitatis naturam. Duos per omnia pares nulla res discernebat, nisi proprietates gi-
gnētis & nascentis, proloquentis ac deprompti proloquij. Sicut erat filius unigenitus ab
unico patre, sic erat unicus sermo ab unico promente. Et quanquam hic sermo erat deus
omnipotens ex omnipotente, tamen personæ proprietate discretus, non naturæ dissimili-
tudine erat apud deum patrē: non in tēpore prolatus, sed ante omnia tēpora semper ita
proficiens à mēte paterna, ut tamen ab ea nunquā recedat. Neq; cōditus est à patre, sed
per hunc sibi cœternū sermonem suum pater cōdidit uniuersa, quæcūq; cōdita sunt, siue
uisibilia, siue inuisibilia: per eundē gubernat uniuersa, per eundē instaurauit uniuersa: nō
uelut instrumento utens, aut ministro, sed ut eiusdem naturæ, eiusdemq; uirtutis filio: ut
ex patre uelut autore summo prodirent omnia quæcūq; sunt, sed per filium, quem sibi
per omnia parem ab æterno genuerat, ac sine fine gignit. Nec solum in hoc Dei sermone
uis erat, nutu suo condendi rerum uisibilibus & inuisibilibus uniuersitatem, uerum etiā
am in eodem erat uita uigorq; omniū, quæ condita fuerant, ut per eundem unumquodq;
natio suo uigore ageret, seseque uisemel insita, perpetua propagatione tueretur. Nihil
enim est ociosum aut iners in tanta rerum multitudine. Sua cuique herbæ atque arbori
uis indita: suum cuiq; animanti ingenium est. Sed quemadmodum omnia quæ condidit,
sua prouidentia uel quadam insititia instruxit ad actum cuiq; peculiarem, & ad perpetua-
tem sui generis: ita non reliquit pulcherrimam huius mundi fabricam absq; lumine. Si qui-
dem ut esset fons uitæ omnibus, ita est & fons lucis, nimirum patre per æternam natiuita-
tem in eum transfundente naturæ diuinæ plenitudinem, adeo ut solus uitam restitueret eti-
am mortuis, & animorum quamlibet densam noctem luce sua dispellat. Quod igitur sol
est rebus corporeis, hoc sermo diuinus, qui est Christus Iesus, est mentibus mortalib; qui-
bus per peccatum in altissimas tenebras & mortem collapsis, ineffabili charitate succurre-
re studuit. Prius enim uiuebant homines in ignorantia, peccatorumq; tenebris uersantes,
mutas statuas pro Deo uiuo colentes, cæcis animorū cupiditatibus turpiter immersi, nec
habebant cordis oculos, quibus æterna ueritas cōspicitur. Insupererat deus animis homi-
num scintillulam aliquam ingenij perspicacis: sed hanc affectus corporales, & uitiorū te-
nebræ obcæcauerant. Ac prorsus tanta erat huius mundi caligo, ut nec humana philoso-
phia, nec Mosaiçæ legis religio, nec prophetarum facies, hanc discutere quiverint. Tan-
dem uenit sol ille noster æternus, cuius inuincibili luci, nulla caligo non cedit. Venit au-
tem ut uitam restitueret omnibus hominibus: non Iudæis tantum, sed uniuersis orbis na-
tionibus, & peccatorum absterfa caligine, redderet omnibus oculos, ut per fidei lumen
agnoscerent deum patrem solum colendum, ac diligendum, & huius unicum filium Ie-
sum Christum. Sol hic corporeus non lucet omnibus: habet enim suas uices: uerum hæc
lux sua genuina uel lucet etiā in crassissimis mundi tenebris, omnibus sese offerens, ut
reuiuifcant & uideant æternæ salutis uiam, quæ nulli non patet per fidem Euangelicam.
Et quanquam mundus excæcatus peccatorum sordibus, & cupiditatum turpium caligi-
ne nolit aspicere lumen hoc, tamen nullis huius mundi, quantumuis densis tenebris inquit,
nari potuit. Solus enim ille purus erat ab omni uitiorū inquinamēto: nec aliud erat, quā
lux

In principio erat uerbum

Hoc erat in principio

In ipso uita erat

Et uita erat lux

Et lux in tenebris lucet

Et tenebræ eā non comprehenderunt

*Erat homo
missus à deo*

Erat lux vera

*Illuminat oēm
hominem*

lux undiq; pura & illibata. Pugnant enim assidue huius mundi tenebræ aduersus lucem, quam odit, ut operum suorum proditricem, & multorum radios uel extinguunt, uel obscurant: sed aduersus hanc uiuam & æternam lucem nihil ualuerunt. Tumultuatum est auidæis, à philosophis ac potentibus: ab his qui sese rebus caducis totos dederunt, sed uincit lux ista: lucet adhuc in medijs mundi tenebris, semperq; lucebit, nulli non se communi cans, qui modo sese præbeat lucis capacem. Quid autem facias his, qui scientes ac uolentes lucem oblatam ab se depellunt: qui inuitati ad lucē, ultro claudunt oculos ne uideant? Certe nihil ab ipso factum non est, uti ne quisquam esset expers sui luminis. Non enim ingressit se subito mortalium oculis, ne magis etiam illos exocularer ob incredulitatem. Quis namq; rem tam admirandā credidisset, nisi paulatim multis modis præparasset hominum mentes ad credulitatem? Itaque non contentus hac admirabili mundi fabrica declarasse mortalibus, & omnipotentiam suam, sapientiamq; & bonitatem immensam, atque eximiam erga genus hominum charitatem: nec contentus tot prophetarum oraculis, tot uetustæ legis simulacris ac figuris, ueluti præludere aduentum suum: deniq; misit uirum omnibus prophetis excellentiorem, cui nomen erat Ioannes: qui tametsi primam sanctimoniam laudē meruit inter homines ad id ætatis usq; natos, atq; ob muneris plusq; prophetici dignitatem angelus dictus est, tamē nihil aliud erat quàm homo, plurimis quidem dei donis largiter instructus, sed quæ diuinæ liberalitatis essent, non naturæ semel impartitæ. Hic tamen in hoc delectus ac missus est à deo, ut iuxta prophetiam, quæ de ipso præcesserat, testimonium præberet de illo lumine diuino, quod humano corpore dissimulatum uersabatur in mundo: non quod qui deus esset, & paterna uoce prædicatus est, opus haberet hominis testimonio, sed ut omnibus modis sese insinuaret in credulitatem mortalium, Ioannem uoluit esse præcursores lucis, quemadmodum Lucifer solis exortum præuius nunciat mundo, suaq; prædicatione præpararet animos hominum ad excipiendum lucem iam iam uenturam. Quoniam autē peccata obstant, quo minus admittatur lumen coeleste, inuitauit Ioannes ad poenitentiam, clamans instare regnum celorum. Primus enim ad lucem gradus est, odisse tenebras suas. Erat autem hic Ioannes, ob eximiam uitæ sanctimoniam, tantę apud Iudeos autoritatis, ut à plerisq; Christus haberetur: quo magis uoluit huius testimonio pro tempore commendari Iudæis, ut sensim humano more irreperet in animos hominum. Alioqui solet qui minor est, maioris testimonio commendari. Promiserat autem Esaïas, Christo ueniente lucem quandam eximiam exorituram his, qui uersabantur in tenebris & umbra mortis. Itaq; priusquam Christus inclaruisset miraculis, multi suspicabantur Ioannem esse lucem illam à propheta promissam: uerum præcō tantum ueræ lucis erat Ioannes, non ipsa lux. Christus igitur pro temporis dispensatione abusus est errore Iudæorum, & autoritate Ioannis, ad animos omnium Euangelicæ fidei præparandos. Erat quidem Ioannes lux quædam, nimirum lucerna ardens, et lucens: ardens pietate, lucens uitæ sanctimoniam: sed non erat illa lux quæ toti mundo uitam adferret: uerū sermo dei, de quo nobis in præsentia sermo est, erat illa lux uera, semper manans à deo patre, fonte lucis omnis, unde lumē mutuatur, quicquid lucet in cœlis & in terris. Siue inter homines, siue inter angelos, si qua scintilla ingenij, si qua cognitio ueri, si quod fidei lumen, ab hoc fonte proficiscitur. Quemadmodum absq; sole cæcus est hic mundus, ita absq; hac luce caligant uniuersa. Mundus autem ubiq; regnante peccato, & abominandis erroribus, undiq; tenebricosus erat. Et in his tenebris subinde emicuerūt uiri sanctimonia præcellentes, ueluti stellulæ in densissima noctium caligine, ac ceu per nebulam, lucis nonnihil ostenderunt, sed Iudæis tantum, aut Iudææ finitimis: uerum hæc lux uera, lucem impartit non unī tantum nationi, sed omnibus hominibus prodeuntibus in huius mundi tenebras. Iudæi lucem hanc sibi proprie uindicare sunt conati, quod his proprie uideretur promissa, quod ex iisdem, & apud eosdem iuxta carnem exorta: sed illa uenerat, ut per Euangelicam fidem illucesceret cordibus omnium totius orbis nationum. Non excluditur Scythia, non Iudæus, non Hispanus, non Gothus, non Britannus: non reges, non serui. Quantum est in ipsa luce, uenit illustrandis omnibus. Quod si qui perseverant in tenebris suis, non lucis est culpa, sed eius, qui peruerse tenebras amat, lucem horret. Lucet autem omnibus, ne quis excusationē possit prætexere, quum uolens ac sciens suo uitio peccat: ueluti si quis impingat in meridiē, quod oculos nolit attollere. Semper hic sermo dei fuit

fuit in mundo: non quod qui immensus est, ullo locorum ambitu cōtineatur: sed sic erat in mundo, quemadmodum ingenium opificis est in opere: quemadmodum gubernator est in eo, quod moderatur. Lucebat & tum hæc lux in mundo, per ea quæ mirifice condita fuerant: uirtutem, sapientiam ac bonitatem diuinam utcunque patefaciens, atq; hac ratione tum etiam quodam modo loquebatur hominum generi. Sed plerique felicitatem suam in uisibilibus huius mundi rebus collocantes, quos ob id merito dominus Iesus mundum appellare consuevit, quum ipse doceret æterna, excæcati cupiditatibus terrenis, non agnouerunt conditorem suum. Tanta erat caligo mentium, ut opificem mundi, mundus nō agnosceret: sed serpentes, boues, hircos, porcum & cepe: imò quod his etiam uilius est, ligna ac lapides adorarent, eo contempto, unde quicquid erant aut habebant, acceperant. Assueti tenebris, abhorrebant à luce: ac peccatis occæcati, pro uita mortem amplectebantur. Quin ubi familiarius sese præberet mundo, humano corpore uersans, & conuiuens inter homines, non est agnitus ab his, qui mundo huic se totos deuouerant. Nec adeo mirum est, si Gentes idolorum cultores, & huius uitæ commodis omnia metientes, prophetarum ac legis rudes, non agnouerunt humana specie uiuentem. Illud magis mirandum, quod quum peculiariter ad suam gentem uenisset, cui tot prophetarum oraculis fuerat promissus Messias: cui tot figuris fuerat abumbratus: cui tot seculis fuerat expectatus: quæ uidit ædentem miracula, quæ docentem audiuit: tamen adeo non est receptus à suis, ut quibus seruandis peculiariter uenerat, efferatis animis exitium moliti sint, & mortem machinarentur innoxio, qui gratis uitam afferebat nocentibus. Videntes non uidebant, & audientes non audiebant, & intelligentes non intelligebant, qui peruerso studio legis cooriebantur in eum, quem lex promiserat. Horum igitur malicia factum est, ut lux quæ credentibus afferebat uitā æternam, his maioris cæcitatē esset occasio. Sed horum peruersitas non potuit officere saluti credentium. Imò Iudaicæ gentis cæcitas, aditum patefecit gentibus ad lucem Euangelicam. Qui hæcenus habebantur populus dei, qui ueri dei cultu, qui legis religione, qui patrum cognatione, qui diuini testamenti promissis soli gloriabantur, uenientem dei filium auersati sunt: ac proinde merito abdicatis Iudæis Euangelio rebellibus, Euangelii gratia ad gentes demigrauit, ut uersis rerum uicibus, qui ante falsa religionis imagine tuebant, palam declararent impietatem suam, reiicientes eius filium, quem pro deo colebant: & qui prius prorsus alieni à uera religione, pecudes, & ligna colebāt pro deo, pietatem Euangelicam per fidem amplecterentur. Quanquam hac occasione sic gentes admissæ sunt ad salutem Euangelicam, ut nec Iudæis, nec ullis omnino nationibus sit præclusus aditus, si modo deposita peruicacia se præbeant obediētes fidei, quæ prima ac sola ianua est ad salutem æternam. Quanquam autem ex gentibus pariter ac Iudæis plerique, qui mundum magis amabant quàm deum, auersati sunt lucem hanc, tamen non fuit ociosus illius aduentus. Primum prodita est illorum infelicitas, qui suapte culpa sese tantis bonis ultro delatis orbarunt. Neque cuiquam iam dubium esse poterat, quin iusto dei iudicio relinquerentur æterno exitio. Deinde factum est, ut è diuerso magis liqueret, quàm insignis esset diuini numinis benignitas, qui simplici promptaq; fide acciperent sermonem Euangelicum. Nam ideo dei filius ac deus ipse sese demisit ad humilitatem nostram, ut nos per fidem ad suam sublimitatem eueheret. Ideo suscepit in se nostre mortalitatis ignominiam, ut nos diuinæ gloriæ faceret consortes: ideo homo ex homine nasci uoluit corporeus, ut nos ex deo renasceremur spirituales: ideo descendit in terram, ut nos subueheret in cælum. Reiecti sunt ob incredulitatē superciliosi scribæ, & pharisæi: reiecti sunt elati reges ac potentes: reiecti sunt turgidi philosophi. Sed ad hanc tantā dignitatē admissi sunt humiles, tenues, obscuri, idiote, serui, barbari, peccatores, quos mundus habet pro nihilo: à quibus nihil exigitur præter syncerā fidem: non eruditio, non generis nobilitas, nō Mosaicæ legis religio: sed quicumq; cuiuscunq; nationis, cuiuscunq; cōditionis receperūt sermonem hunc, his uicissim hoc dignitatis cōtulit, ut per fidem ac baptismum insiti Christo, & illius nomen professi, fierent & ipsi filij dei, ut quod Christus esset per naturam, illi fierent adoptione. Quid autem hoc honore sublimius, ut qui prius erant filij diaboli, hæredes gehennæ: per solam fidem fierent filij dei, fratres Iesu Christi, cohæredes regni cœlestis? Iuxta carnē nascebamur omnes filij iræ,

In mundo
erat

Et mundus eū
non cognouit

In propria
uenit

Quotquot au
tem receperūt

ex primo nostræ gentis autore Adam: sed per sermonē dei eximimur ab infelici cognitione peccatoris, ac iuxta spiritū feliciter nascimur per Iesum Christum ex deo. Nam hos demum filios agnoscit Deus, non qui per corporeum semen, aut coitus libidinem nascuntur filij Abrahæ, sed qui per fidem nascuntur ex deo. Infeliciter nos genuerat primus ille generis autor Adam. Genuerat enim mortis ac gehennæ. Et qui iuxta carnem nascuntur, non eadem sorte nascuntur. Quidam enim regno nascuntur, quidam seruituti. Sed nouæ generationis autor Christus Iesus, omnes ad eandem dignitatem ex æquo regenerat, ut deposita seruitute peccati, abiecta humilitate mortalitatis, per fidem & gratiam fiant filij dei uiuentis. Nec mirum si homo transformatur quodammodo ad diuinæ naturæ consortium, cum sermo diuinus sese hac gratia demiserit, ut nostram carnem, hoc est, mortale corpus assumeret ex uirgine, duo quædam dissimillima coniungens in sese, Deum, & hominem. Quid humana carne fragilius, aut contemptius: Quid deo potentius aut sublimius? Ne mireris hæc potuisse coniungi. Deus est qui fecit: nec diffidas homines posse fieri filios dei, quum sic dilexerit nos, ut nostra causa uoluerit fieri filius hominis. Nec enim assumpsit corpus imaginarium. Quis enim amaret inane spectrū, aut fallax præstigium? Sed uere corpus hominis assumpsit, hoc est, totam naturam hominis assumpsit, nec eam partem fastidians, qua mortis sumus obnoxij, & quàm minimum differimus à brutorū genere. Nec assumpsit ad tempus, mox depositurus quod assumpserat: sed quo certam fidem faceret humanæ naturæ non per fucum assumptæ, diu uersatus est in terris, sitiit, esuriit, afflictus est, mortuus est, oculis conspectus est, auribus auditus est, manibus contrectatus est. Atque ut hæc dignitas humano generi esset perpetua, adhuc habitat in nobis, carnem humanam gestans diuinitas, atque in ea iam glorificata confidens ad dextram patris omnipotentis. Neque tamen cum in terris mortale corpus circumferret, carebat diuina maiestate. Nos enim qui familiariter cum eo uiuimus, utriusque rei testes sumus. Vidimus esurientem, sitientem, dormientem, flentem, afflictum, morientem. Audiuimus humana uoce loquentem: contrectauimus eum manibus nostris, atque omnibus argumentis uerum hominem comperimus. Sed iidem uidimus diuinam illius gloriam, planè dignam unigenito filio dei, quanta nec angelorum cuiquam, nec prophetarum ulli, nec patriarchis unquam exhibita est, sed qua deus pater unicum filium suum honestare uoluit. Hanc autem gloriā uidimus in ædendis miraculis, in promenda cœlesti doctrina, in uisione montis Thabor, quando transfiguratus est coram oculis nostris: quum etiam eadem uox paterna cœlitus delapsa, filium unice charum professa est: quemadmodum idem pater in baptismo uoce sua signoque columbæ filium illustrauit, ac rursus ante mortem rogatus a filio, ut se clarificaret ea gloria, quam habuisset ante mundum conditum, uoce cœlestis demissa filium agnouit: Et clarificauit, inquit, & clarificabo. Denique uidimus in resurrectione, cum iam rediuius nobis corpus palpabile quidem, sed nullis malis obnoxium exhiberet, cum nobis spectantibus eueheretur in cœlum. Nec his rebus tantū emicuit nobis illius gloria, uerum etiam mors ipsa diuinæ uirtutis habebat argumenta, cum uelum templi scinderetur, terra tremeret, saxa rumperentur, aperirentur monumēta, mortui reuiuiscerent, sol obteclus subitam noctem inueheret mundo: dum protinus à ualido clamore animā exhalaret, ueluti sponte, nō defectione uirum animam deponens. Hæc morte tam admirabili glorificauit patrem, adeo ut & latro supplicij socius, & Centurio, agnoscerent filium dei. Et quanquā in terris uersans cum nostræ salutis negocium ageret, maluit nobis modestiæ, mansuetudinis, & obedientiæ exemplum exhibere, quam suam ostentare magnitudinem, tamen omnis illius oratio, omnia facta, gestus etiam ipse ac uultus, declarabant illum esse plenum omnibus diuinis dotibus, plenū æternæ & itte fragabili ueritate. Nam tametsi deus alijs quoque sanctis hominibus largas gratiæ suæ ac ueritatis dotes impartiat, tamen in hunc uelut in unicum filium, totum cœlestium donorum fontem transfuderat, ut in uno esset, quod omnibus sufficeret. Ac talis nobis usque ad ascensionem cōspectus est. Nunc persequemur, quomodo primū innotuerit mundo, cum antea ne à fratribus quidem suis, aliud esse crederetur, quàm homo. Voluit enim paulatim innotescere, ne res tam noua fidem inter homines non inueniret, si repente fuisset exorta. Ac multa quidem præcesserant, quæ poterant animos mortaliū ad credulitatem aliquo

Qui non ex
sanguinibus

Et uerbum ca
ro factum est

Et habitauit
in nobis

Et uidimus
gloriā eius

Plenū gratia
& ueritate

Ioannes testi
monium per
hibet

aliquo modo præparare: prophetarū autoritas, legis umbræ, angelorū in nativitate con-
 cētus, pastorum pietas, stella index, magorum religio, turbatus ad noui regis exortum
 rex Herodes, cum tota Hierosolyma: Simeonis, & Annæ prophetiæ: deniq; quædam
 præter humanæ naturæ modū ab eo gesta, quæ mater & Ioseph apud se mirabātur quid
 sibi uellent: tamen quum adesset tempus, quo iam ab æterno destinatum erat palam ag-
 gredi negotium prædicandī regni cœlorum, uisum est, ut diximus, ad tempus & Ioan-
 nis testimonio commendari: non quod egeret hominis testimonio, sed quod sic expedi-
 ret, uel ad inuitandam Iudæorum credulitatem, quorum nemo non sentiebat magnifice-
 de Ioanne: uel ad impiorum incredulitatem coarguendam, quum nec illi de Christo tes-
 tificanti crederent, cui tantum alioqui tribuebant, ut eum suspicarentur esse Messīa ua-
 rum oraculis promissum, liberandæ genti Israeliticæ. Quum igitur Ioannes multos iam
 discipulos collegisset, plurimos quotidie baptizaret, summaq; autoritate floreret apud
 omnes, prædicās instare regnum dei: de Iesu uero malignior esset hominum opinio, pa-
 lam apud multitudinem inculcat, ac repetit, quod sapius de illo fuerat testificatus: ac iux-
 ta uaticinium Esaia, quod prædixerat illum fore uocem clamantis in deserto, parate ui-
 am domini: non iam priuatim apud discipulos suos, sed apud promiscuā multitudinem,
 quæ quotidie baptismi doctrinæq; gratia, frequens ad illum confluebat: & tum etiā de-
 finatis animis aderat, ut certū audiret, quid uir tantus sentiret de Iesu: clara uoce clama-
 bat, dicēs: Hic est ille de quo uobis antehac sæpe loquutus sum: cui uos me per errorem
 antepōitis, quum dicerem esse quendā, qui me ætate ac prædicationis tempore seque-
 retur, simulq; multitudinis opinione foret inferior, is nunc anteuertit: & qui posterior ui-
 debatur, prior esse cœpit: nec mirū, quum etiam tum me dotibus omnibus prior esset,
 quamuis hominū iudicio uideretur inferior. Hic est fons omnis ueritatis & gratiæ. Nos
 quos uos tantopere suspicitis, nihil aliud sumus q̃ riuuli. Siquidem hoc ipsum quod ha-
 beamus pro suo quisq; modulo, de huius plenitudine haustum est, unde promanat omni-
 bus, si quid ad æternā salutē pertinet. Quicquid uirtutis fuit in patriarchis, quicquid in
 prophetis, quicquid in Mose, ab huius fonte profectū est. Ego nihil aliud sum, q̃ præcur-
 sor uenientis. Hic uerus est præco simul & autor Euangelicæ gratiæ, quæ ueram & æter-
 nam salutem cōfert omnibus per fidem. Huic hoc ipsum debemus, quod prophetarum
 uocibus instituti sumus ad pietatem, quod legis præscripto prohibiti sumus à maleficijs,
 quod ueræ religionis uelut umbrā accepimus. Nunc per eundem offertur omnibus ube-
 rior gratia, quæ per fidem Euangelicā gratis condonat omnia peccata, ac mortem com-
 mentis, largitur uitam æternā. Nam Moses, cuius uobis est sacrosancta autoritas, nullo
 nomine cum hoc conferendus est. Ille legis delator erat duntaxat, non autor: & legem
 uel inefficacem, austerā, ac rigidam, quæ figuris & umbris præluderet ad Euangelij lu-
 cem post uenturam: peccata proderet magis, q̃ tolleret: & sanitati præpararet uerius, q̃
 sanitatem conferret, promissis inuitaret. Sed nūc pro seueritate legis gratia exhibita est
 per Iesum Christum: qui per fidem Euangelicam gratis condonat omnibus omnia pec-
 cata. Pro umbris exhibita est ueritatis lux, cuius ille non solum est præco, uerum etiam
 autor, ut cui pater deus tradiderit omnem potestatem. Atq; hæc sunt arcana dei patris,
 hæc sunt recondita diuinæ mentis cōsilia, quibus illi uisum est ex deo facere hominē, ex
 hominibus quodāmodo facere deos: summa miscere infimis, & infima ad summa sub-
 uerere. Hæc nulli ueterū ad plenū aperuit, quanq̃ illis aliquando per angelos, per som-
 nia, per uisiones quasdam suæ lucis scintillas aperuit. Nam deum, ut est, nemo mortali-
 ter, quamlibet magnus, uidit unquā, nisi per ænigmata. Et quanquā Mosi, patriarchis,
 & prophetis aliquam suorum arcanorū portionem quadantenus patefecit, tamen hanc
 gratiæ & ueritatis plenitudinē solus unigenitus filius accepit: qui sic ad nos descendit,
 factus homo, ut per diuinam naturam semper sit in sinu dei patris. Ille nobis quod alijs
 per partes, quod per inuolucra, & ueluti per somnum utcunq; significatum erat, crassius
 & explanatius absq; inuolucris enarrauit, quicquid pertinebat ad æternā salutem con-
 sequendam. Huiusmodi testimonio quum sæpe priuatim Ioannes ornasset Christum,
 tunc palam qualis esset, declarauit: integri famuli fungēs officio, qui nec domini sui glo-
 riam Iudæis deferentibus uoluerit usurpare, nec illum fraudare sua: quanquā non igno-
 rabat eam rem sibi, non solum autoritatis hæcenus possessæ iacturā, sed etiam grauem
 apud

De plenitudi-
 ne eius omnes
 accep.

Et gratiam
 pro gratia

Deū nemo ui-
 dit unquam

Ipse enarrauit

Et hoc est tes-
 timonium

apud Iudæos inuidiam allaturam, qui maluissent Ioanni hoc honoris deferre. Cuius etiam natiuitas fuerat apud Iudæos celebris, qui generis nobilitate (nam sacerdotis erat filius) commendabatur: qui nouitate uictus, qui pilis camelorum, qui solitudine, qui baptismo, qui discipulorum frequentia, plebis admirationem in se prouocarat: quum Christus ob humilitatem generis, ob uitam ac uestitū à populo nihil differentem, id temporis adhuc cōtemneretur. Quū igitur superbis pharisæis nō placeret humilis ille Christus, & ob hoc ipsum cœpissent subinuidere Ioanni, quod de Christo bene prædicaret: miserunt ex Hierosolymis uiros autoritate præditos, sacerdotes, & leuitas, ut præsentem multitudinem percontarentur eum, quisnā esset ipse, de quo uariabat multitudinis suspicio. Nam quidam dictitabant illum esse Christum, Iudaicę gentis liberatorem: alij suspicabantur Heliam esse, quem iuxta Malachię prophetiā existimabant rediisse, ut præcursor esset Messię uenturi. De Christo, ob generis ac uitę humilitatē per pauci bene sentiebant, etiā si quidam cœperant inuidere. Atq; hoc iam tum agebat Pharisæorū astutia, ut Christum ad suas cupiditates attemperarent. Id futurum arbitrabantur, si non fuisset approbatus, nisi ipsis autoribus. Quod si docuisset affectibus ac uitijs ipsorū repugnantia, reprolassent, & ademissent auctoritatem apud populum, cuius doctrinam sensissent suis commodis aduersam. Hęc est mundanę sapientię stulta prudentia. At Christus, cuius tota doctrina cœlestis est, noluit quicquam humanę auctoritatis admisceri suę doctrinę Euangelicę. Quidam etiam sperabant futurum, ut Ioannes, etiā si Christus non esset, tamen nomen tam honorificum ultro delatum agnosceret. Sciebant ipsi, addictissima glorię mancipia, pestem hanc etiam sanctissimis uiris insidiari. non ignorabant, quantus fuisset futurus orbis applausus, si Ioannes Messię nomen agnouisset, quod illi iam ultro bona pars Iudæorum tribuebat. Si agnouisset apud populum, habebant quod Christum ob humilitatem exosum excluderent: si non agnouisset, habebant paratam calumniam. Rogant igitur apud populum, ex auctoritate sacerdotum ac pharisæorum, dicentes: Tu quis es? Iam enim & illius auctoritate grauari cœperāt, ac subinuidere glorię. Ille non ignarus, quod hęc odio Christi percontarentur, nō statim aperuit suam de illo opinionē, sed falsam de se suspensionem, quę Christi glorię poterat apud plebem officere, reppulit: ac forti animo contempta falsi nominis gloria, confessus est se non esse Messiam, qui multis uidebatur esse: nec inficiatus est esse se id quod erat, paratus indicare, quis esset ille, cui nominis huius gloria debebatur: in quorum altero erat opinionis proprię iactura, in altero Pharisæici liuoris periculū. At uir integritatis incorruptę, utroq; cōtempso, palam falsus est, se non esse Messiam, prophetarum oraculis, & Mosi uoce promissum, haud quaquā negans iam adesse Messiam, sed non sum ego, inquit: significauit hoc cognominis alteri potiori deberi, qui tamen illorū opinione contēptior erat. Atq; hęc pharisæorum maliciōsa diligentia ad nihil aliud profecit, q̃ ad Euangelij fidem confirmandam. Hoc igitur gradu frustrati, pergunt sciscitari, si quod summū est, quodq; pleriq; tibi tribuunt, non es, quum præter auctoritatem scribarū & pharisæorum, usurpes nouam auctoritatem, & populum in admirationē tuī rapias, non sine iactura publicę sacerdotum & pharisæorum auctoritatis, certe debes esse quispiam Messię proximus. Legimus autem in Malachiā propheta, priusquam ueniat Messias, uenturum Heliam Thesbitem, qui restituet omnia. Num igitur ille Helias es tu? Ioannes negabat se Heliam esse: non quod non esset aliquo modo Helias, qui spiritu Helię præcursor erat Christi, sed quod non esset ille Helias Thesbites, igneo curru raptus in aera, quem in hoc seruari sensit propheta, ut præcursor sit secundi aduentus Iesu Christi. Legerant illi prophetiam, sed non intellexerant: nec erant digni, qui mysterium hoc discerent, quod animo maligno sciscitarentur. Quoniam autem sciebant Moſen promississe prophetam quendam exoriturum ē gente Iudaica, quem audiri iusserat: nec ignorabant quidam hunc prophetam fore Messiam ipsum, ad hęc nonnulli iactabant aliquē ē uetustis prophetis reuixisse, atque hunc esse Ioannem suspicabantur: rogabant, num esset ille propheta promissus à Moſe, aut aliquis denique ē numero prophetarum, qui rediuius sibi sumeret eam auctoritatem. Ille ingenue falsus est, se nihil esse tale, quale multi suspicabantur. Iam uero cum illos defecisset percontandi materia, consumptis hominum de Ioanne suspensionibus, urgent ut ipse de se profiteatur, quis nam sit: & ne diutius ter-

Vt responsum
demus his

giuerfetur

proferetur; urgent autoritate sacerdotum, quo uel metu potestatis fateretur quis esset. Videmus te, inquit, usurpare tibi quiddā supra pharisaeos, sacerdotes & scribas. Consumpsimus diuinationem nostrā, & tamen aliquid responsi referendum est his, qui nos huc miserunt. Si populus totus uarie de te suspicans fallitur, dic ipse quis sis: certe ipse tibi notus es. Quem tu te esse profiteris? Hic Ioannes, quoniā legis peritis loquebatur, ne sibi uideretur hoc ipsum quod erat, humana temeritate arrogare, ex ipsa Esaia propheta pharisaeis non ignota, simul docebat & se nihil aliud esse, quā Christi praecurso rem: & iam ipsum dominū adesse, quem oporteret purgatis cordibus suscipere: quē ipsi liuore, ambitione, & superbia excæcati, erant crucifixuri: Ego, inquit, nec sum Messias, nec Helias, nec ullus prophetarū reuocatus in hanc lucē: nec tamen hoc muneris mihi meapte autoritate sumpsi, cū ante plurimos annos autoritate dei destinatus fuerim huic prouinciā. Sum enim ille de quo scripsit Esaia, Vox clamātis in deserto, dirigite uiam dominī. Videtis desertū, auditis clamantis uocem. Quod superest, uos abieciis inunda nis cupiditatibus, praeparate uestros animos in illius aduentū, ut uobis salutifer adueniat. Moses uobis illū adumbrauit, propheta olim uenturū uaticinati sunt. Ego uobis iam aduentientem ostendo. Porro qui missi fuerant ad Ioannē, erant sectae pharisaicae. Nam hi tum temporis peritiā legis, opinione sanctimoniae, & autoritate praecellebāt cæteris. Nec multum aberant ab Euangelica doctrina, quippe qui crederent etiam immortalitatem animarum, & aliam uitam post hanc uitam superesse. Sed ambitio, auaritia, & inuidia corruerat illorum animos. Quanquam hominum liuor id temporis nōdum eō exarserat, ut palam Christo aduersarentur, sed mox ubi doctrinam illius sensissent aduersari gloriae, lucris ipsorum, & autoritati, prorsus in rabie acti, Messiam suum, quem populo promiserant ex prophetis, & cuius cognitione sese uenditarant, ad crucem adegerunt. Adeo pestifera res est etiam sacrarum literarū cognitio, nisi adsit animus liber ac uacius à terrenis cupiditatibus. Sed diuina prudentia sapientior humanis ingenijs nō, uir hominum impiorum malitia ad piorum salutem abuti. Hæc pharisaeorum tam inuidia, tamq̃ insidiosa pereoratio, nostrā credulitatē confirmauit. Iam igitur magis etiam iritati, & non solum Christo quē semper cōtempserant, sed etiā Ioanni quem hactenus uenerati fuerant inuidentes, ad calumniandum se uertunt: Quid igitur, inquit, sumis tibi in baptizandi populū, si neq̃ Christus es, quē uaticinia docent aboliturū peccata populi, nec Helias Messiae praecursor, nec eximius ille propheta, quē promisit Moses, nec alius quispiam è numero prophetarū? Vnde tibi sumis istam autoritatē aboleri peccati, quā nec habes diuinitus, nec ex sacerdotū decreto, quorum autoritatē obscuras nouis ritibus? Ad hanc calumniam Ioannes mansuete respondit, sed ita, ut libere, & suam humilitatem agnosceret, & Christi dignitatem profiteretur: Meus, inquit, baptis mus talis est, qualis est mea praedicatio. Nam quemadmodum praedicatio mea perfecta non est, sed tantum praeparat animos uestros Euangelicę philosophiæ: sic baptis mus meus, qui tantum aqua constat, non abluit sordes mentium, sed imagine quadam ueri baptis mi praeparat rudes, ut superioris uitæ poenitentia praeparati, capaces sint illius baptis mi, quo Messias per spiritum suum semel abluit omnes sordes omnium qui crediderint ipsius coelesti doctrinæ. Atque is iam non procul abest, sed nunc iam astat in hac populi multitudine, & tanquam unus è numero populi uersatur in medio uestrum. Et ob id a uobis uel despicitur, uel ignoratur, quod iuxta mundi aestimationem humilis est, & obscurus, nulla pompa earum rerum sese uenditans, ex quibus mundi cultores aesti mant hominem. Nondum illi uisum est exerere uirtutem ac magnitudinem suam, sed re ipsa longe alius est, quā uidetur. Ego qui populi iudicio uisus sum esse aliquid magis ad illius sublimitatem nihil sum. Is ipse est, de quo dixeram, quod me posterior hominum opinione, dignitate anteuertisset. Cuius dignitati adeo non sum æquandus, ut ipse me iudicem indignū, qui apud illum infimi mancipij fungar officio, uel corrigiam calcamentorum illius soluturus. Tam plenum, tamq̃ magnificum testimonium Ioannes protulit de Christo pharisaeis, sacerdotibus ac Leuitis, teste copiosa populi multitudine: idq̃ in loco celebri, nimirum in Bethabara, qui locus haud ita procul abest ab Hierosolymis trans Iordanem, propter aquæ paratam copiam, ac desertum proximum, baptis mae, & poenitentiae praconi accommodus, quò quotidie solita est magna uis homi

Ego uox claman-
tis

Hæc in Betha-
nia facta sunt

uis hominum ē diuersis Iudææ regionibus confluere baptis̃mi gratia. Nam illic & prædicabat Ioannes, & baptizabat. Atq; hæcenus ita testificatus est de Iesu, ut in turba stantem, nec nominaret, nec digito ostenderet, quo min⁹ concitaret in illum pharisæorum inuidiam, ac simplicium animos magis accenderet desiderio cognoscendi, de quo tam magnifice uir tantus prædicasset. Itaq; quū iam ē populo multi studiose quærerent, quis nam esset ille tantus, cuius dignitati in tantum cederet Ioannes, omnium iudicio summus uir habitus: Iesus postridie redit eodem, nec iam se continuit admixtus turbæ, sed seorsim ipsum adiit Ioannem; partim officij gratia, ut cognatū salutaret; partim ut suum baptistam agnosceret: sed multo maxime, ut illi præberet occasionē, clarius etiam apud populum testificandi de Christo, ne adhuc ignotus, hoc animo uideretur adire Ioannem, quo cæteri, nimirum baptizandus, aut docendus, aut confitendi peccata gratia. Nam quod ab eo baptizatus est, id humilitatis exemplo datum est. Cæterum, ne quis suspicaretur illi fuisse opus baptis̃mo, aut aliquid in eo fuisse maculæ, quod Iordanis abluerent unde, semotus à turba, Ioannem adiit. Is admonitus spiritu, quid esset agendum, conspiciatus Iesum uenientem ad se, uersus ad populum, digito demonstrat illis Iesum, ut iam de facie quoque notum mirari atque amare consuescerent, & illum potius quam se sequerentur, illius ambirent baptis̃ma potius quam suum. Nam animi puritas spiritu sancto pleni, in ipsis etiam Iesu oculis, ipsoq; uultu relucebat: ipso incessu, totoq; corporis habitu semet exerebat, quemadmodum ex aduerso, furiosus ac uicij obrutus animus proditur ipsa corporis imagine: Ecce, inquit, hic est ille, quem pleriq; uestrum uiderunt à me baptizari, quum illum non purificauit Iordanis, sed ipse potius Iordanis aquas sanctificauit. Est enim solus omnium ab omni peccatorum labe immunis. Hic enim est purissimus ille agnus, quē deus iuxta uaticiniū Esaia, sibi gratissimā uictimam destinauit, ad expianda peccata totius mundi, omnium uiciorum genere inquinati. Hic est, quem agnus ille Mosais adumbrabat, cuius innoxius cruor filios Israel ab angeli uindice gladio tutos reddidit: ipse adeo non obnoxius ulli peccato, ut unus idoneus sit uni uersa totius orbis peccata tollere: adeo charus deo, ut solus illius iram possit uertere in misericordiā: adeo mansuetus, & amās salutis humanæ, ut paratus sit pro peccatis omnium poenas dependere, & in se recipere mala nostra, ut nobis conferat sua bona. Hic est ille, de quo prius semel atq; iterū, ceu per ænigma dixi, esse quendā post me uenturū, qui dignitate ac uirtute præuertēs, me reliquisset à tergo: propterea quod quantū uideretur, natiuitate humana, ac tēpore prædicandi, deniq; & autoritate posterior: tamē diuinis dotibus me longe prior erat. At nec ipse prius quantus esset, aut quid esset, certo nouerā. Tantus enim est, ut ego quē uos suspicatis, nullo modo sim ad hūc cōferendus. Ille dominus est & autor totius salutis: ego nihil aliud sum, q̃ famulus illius, ac præcursor: nec baptis̃mus meus, nec prædicatio mea quicquā est aliud, q̃ præludij cœlestis doctrinæ, cœlestisq; uirtutis, quā ille uobis est allaturus. Nec in aliud iussu dei missus sum, nisi ut prædicarem poenitentiam superiorum delictorū, annunciarer instare regnum cœlorum: & aqua uos tingerem, ut ille ueniens, uestris animis iam rudimentis huiusmodi preparatis facilius innotesceret, posteaq; mihi quoq; certis indicij esset à patre demonstratus. Verfabatur humilis, nec ulla re insignis inter homines, uelut unus quispiā ē populo multitudinī admixtus: uenit ad baptis̃mū, ueluti peccatis obnoxius. Non igitur ex habitu corporis, nec humana coniectura certum quīuī cognoscere, quod is esset unicus filius dei, & agnus ille purissimus, per fidem aboliturus omnia peccata mundi: sed ex insigni simbolo cœlitus didici, hunc esse cui ego præcursor essem datus. Quod aut esset hoc signū, Ioannes palam aperuit apud multitudinē: Quū, inquit, ipse humilitatis exēplum mundo uolens exhibere, peccatorū turbæ mixtus, ueniret baptizandus, pater illum cœlesti signo honestauit. Nam ipse uidi spiritum sanctū columbæ specie descendentem in illius uerticem, ac manentem super eum. Ante id tempus non certo nouerā eum, cuius essem præcursor. Occultabat enim illius cœlestem sublimitatē corporis humilitas. Nondum enim uenerat tempus, quo palam uellet eum innotescere populo. Igitur quū scirem afflatu patris iam adesse Messiam, ne quid erroris esset in persona, aut ne quid ambiguitatis haberet humana coniectura: is, cuius iussu susceperam ministeriū uos baptizandi aqua, certo signo me docuit, cuius indicio cognoscere quis esset ille, qui uos efficaci baptis̃mo baptizaturus

*Ecce agnus
dei*

*Sed ut manife
stetur i israel*

*Et testimoniū
perhibuit Io
annes, quia ui
di spiritum*

baptizaturus esset, ac per spiritum sanctum, quo plenus est, cōferret gratis omnibus sibi fidentibus remissionem omnium peccatorum. Etenim prius quā ad me ueniret baptizandus Iesus, pater cōlestis sic me prae monuerat: Hoc indicio certo cognosces filium meum: Inter multos quos aqua tinxeris, super quem uideris specie columbae descendentem ac manentem spiritū sanctum, eum esse scito, cui potestas est baptizandi spiritu sancto. Nam homo tingit aqua, solus ille cōlesti uirtute, sublati peccatis cōfert iustitiam. Hoc signū quemadmodum promiserat pater, uidi in baptizato, & ideo mihi uidere datum est, ut meo praeconio uos quoque cognosceretis uestre salutis auctore. Proinde quem admodum & ante testificatus sum, ita & nunc palam testificor, hūc esse filium dei, unde uelut cōlesti fonte uobis petenda sunt omnia, quae pertinent ad iustitiam, ac aeternam felicitatem. Non enim patiar uos de me maiora suspicari, quā promereor: nec hunc ignorari, quē nouisse salus est. Huiusmodi testimonijs Ioannes frequenter Iesum adhuc ignotum populo cōmendabat, suamque autoritatem in illum uelut in maiorem transferebat, ut posthac se deserto, illius adhærerēt magisterio: illud interim agente diuina providentia, ut nobis in utroque pararetur salutare exemplum Euangelici doctoris. Si quidem Ioannes, nec tantae gloriae ultro se offerentis lenocinio corruptus est, ut alienam laudem sibi uindicaret: nec sacerdotum ac pharisaeorum inuidia deterritus, quorum ambitiosus liuor, & ambitio liuida non ferebat quenquam praeter se magnificari, tacuit Christi gloriam: nec spectauit quid sibi conduceret, sed quid expediret populo, docens nimirum Euangelij praeconem, non solum aduersus luxum & auaritiam, uerum etiam aduersus omnem ambitionem usque ad uitae contemptum animum confirmatum & infractum habere oportere. Porro Iesus Christus, dum uelut unus e plebe uenit ad baptismum: dum inter Ioannis discipulos se uelut discipulum gerit illius, quum esset omnium dominus: nos docuit per summam animi deiectionem ac modestiam perueniri ad ueram gloriam: neque quenquam esse magistrum idoneum, nisi qui bonum gesserit discipulum: neque quenquam oportere ad docendi munus prorumpere, nisi fuerit omnibus modis spectatus ac probatus, atque huc uelut diuinitus ascitus. Iam quo magis eluceat eximia Ioannis integritas, non sibi habuit populi studiū a se diuertisse in Christū: suos etiam discipulos, quos habebat peculiare, a se alienatos Christo studet tradere. Nam postridie quā hanc quae modo narrauius acta sunt apud populum, rursus stabat Ioannes, & aderant magistro discipuli duo. Iesus autem illinc haud procul inambulabat. Idque factum est, non sine mytica significatione rei. Nam legis Moisaicae typum gerebat Ioannes, Christus Euangelicae professionis erat auctor. Lex igitur quae iam ad summam lineam peruenerat, stabat, uelut non progressura longius, sed mox cessatura, & Christo uenienti cessura, suosque discipulos illi traditura, sed interim constanter testificans de Christo, ac synagogā uelut tradens uero sponso, ut illi sit ecclesia. Christus obambulat, uelut semper in maius progressurus, & undique cōlestis doctrinae discipulos colligens. Ioannes igitur stans, quum intuitus esset Iesum ambulante, nec ignarus illum sitire salutem humani generis, ac discipulos captare idoneos sublimi doctrinae, uersus ad duos discipulos, qui praecptori adstabant, ut eos Iesu meliori se magistro traderet, digito demonstrans ambulante: Ecce, inquit, ille est agnus dei, de quo iam toties testificatus sum, qui solus tollit omnia totius mundi peccata. Huic ego uos preparauī. Quisquis uerū & efficacem baptismum desiderat: quisquis amat ueram innocentiam: quisquis ueram ac perfectam salutem desiderat, huius magisterio se tradat oportet. Quoniam qui ueri cultores fuerāt legis Moisaicae, legis ipsius testimonio profecerunt ad Euangelicam perfectionem, hoc est, ex fide in fidem, quum pharisaei peruerso legis studio persequuti sint eum, quē lex illis commendarat. Porro Ioannis discipuli non responsant suo magistro, sed fidem habentes illius sermoni, relicto Ioanne Euangelij praecursore, sequuti sunt Iesum euangelicae salutis auctorem. Sequebantur autē taciti, flagrant amore sublimioris doctrinae, cuius spem ex Ioannis testimonio cōceperant, sed interpellare non audent eū, qui quū nulla intercesserat familiaritas. Iesus igitur intelligens quo animo sequeretur, ut declararet, quod esset obuius illis, qui synceris animis sitiunt Euangelicā doctrinam: non expectata interpellatione, ultro subleuat, & inuitat illorum uerecundiam: ac uersus ad illos, iamque conspiciatus eos sequentes se: non quod ignoraret quem sequerentur, aut quo animo sequerentur, sed ut

Altera die iterum stabat Ioannes

alijs illorum affectum Evangelio dignū ostenderet, compellat eos, rogatq; quid sibi uel lent, ut horum nota cupiditas, & aliorum animos accenderet. At illi ipso statim nomine professi, se teneri desiderio discendi: Rabbi inquit, quæ uox Syris sonat magistrū, ubi habitas: Nimirum magistrū appellantes, se discipulos illius profitentur: & dum domicilium illius ubi sit, percontantur, declarant se familiarius secretiora quædam uelle discere, quæ fortassis in publico dicturus non esset. Hic dominus Iesus delectatus illorum pio discendi ardore, non excusat instantem noctem: non iubet eos redire postriedie: nec signis indicat domum suam, si quādo per oportunitatem se uelint inuifere, sed comiter blandeq; ad domesticum colloquium inuitat eos: Venite, inquit, & uidete. Senserat enim illorum ardenti desiderio morā omnem molestam futurā esse. Illi læti tam optato responso, uenerūt, ac non solū uiderunt domiciliū ubi habitabat Iesus, sed eo die cōmorati sunt apud illum: sacroq; eius colloquio sic inflāmati sunt, ut non solum ipsi sibi gratularentur, sed alios etiam ad huius felicitatis cōsortium inuitarent. Porro quum adirent domicilium Iesu, erat hora diei ferme decima, iam sole uergente ad occasum. Nullum enim tempus, nullus locus non opportunus est discendis ihs, quæ spectant ad æternam salutem, semperq; debet esse parata doctoris Euangelij copia. Talem enim decet esse, qui se Christianæ philosophiæ, quæ sola supercilium nescit, magistrum profitetur. Horum autem qui Ioannis hortatu sequuti fuerant Iesum, alter erat Andreas frater natu maior Simonis Petri, cui licet natu minori, Iesus ob excellentem fidei ardorem postea pollicitus est clauēs regni cœlorum, & eidem ter amorem professio, commisit pascendas oues suas. Habet illud Euangelica pietas longe diuersum ab ingenio mundano, si quem egregium thesaurum nacta est, non celat, alijs inuidens. Nam multi non putant se possidere, quod habent cum multis commune, sed gestit suum bonum alijs esse commune. Andreas tanta felicitate gestiens, quod ex indicio Ioannis, sed multo magis ex domestico Iesu colloquio certum comperisset, illum esse agnum illum cœlestem, qui solus tolleretur peccatum mundi: illum esse filium dei, reconciliatorem unicum humani generis: illum esse Christum à prophetis promissum, & tot iam seculis expectatum, ut primum nactus est Simonem Petrum, fratrem suum, cuius præsentiam in hoc magnopere desiderabat, ut illi quem sciebat ingenti ardore expectasse Christi aduentum, tam certæ cognitionis felicitatem communicaret: Inuenimus, inquit, Messiam illum, quem redemptorem orbis prophetæ promiserant. Messias autem Syrorum lingua sonat Christum, hoc est, unctum, quod unctio regum sit, ac sacerdotum. Solus autem Christus unctus est à Deo: soli data est potestas omnis in cœlo & in terra: solus est ille sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec, qui sui corporis hostia, generi mortalium uniuerso reconciliauit Deum. Simon lætus tam optabili nuncio, nec audisse contentus, gestit & ipse uidere Iesum. Andreas iam domini Iesu comitatem ac benignitatem expertus, ilico adducit eum ad Iesum. Iesus autem intuitus Petrum, non solum faciem hominis contemplatus, in qua tamen relucebat pectoris synceritas, sed animum potius columbina simplicitate præditum & ob hanc aptum Euangelicæ gratiæ, delectatus sincero illius affectu, simul & patris nomen indicat, iam tum declarans sibi nihil occultum esse, simulq; piām animi simplicitatem collaudat ex paterni nominis argumento: & ex cōmutati nominis ænigmate, prædicat olim in eo futurā inuictæ fidei soliditatem. Nam Iona columbam sonat, aut gratiam: Simeon obedientem sonat. Siquidem ab obedientia Mosaicæ legis gradus est ad Euangelicā fidem. Iesus igitur intuitus eum, & præsentem illius simplicitatem amat, & futuram firmitatem uelut ænigmate subindicat dicē: Tu es ille Simon, filius Ioannæ, tuo simul & paterno nomini respondens. Sed ubi fidēs ista robur collegerit, ut aduersus omnia satanę tentamēta possit inconcussa cōsistere, uocaberis Cephas, quod Græce sonat Petrū, Latine saxum. Atq; hoc erat primū rudimentum ecclesiæ Christi: hoc erat Euangelicæ scholæ primordiū. Postero die uisum est Iesu proficisci in Galilæam, qua non alia Iudææ regio tum erat contemptior, quod ex ea nemo magni nominis unquā fuisset exortus, circa quam tamen primū exorturam Euangelij lucem Esaia uaticiniū prædixerat. Idq; sic uisum est diuino consilio, ut ab humilibus, indoctis, & rudibus uiris, & e sterili contemptaq; regione oriundis, suā auspicaretur ecclesiam. Nam & Petrus atq; Andreas, qui non uocati secuti sunt Christū, Galilæi erant.

Quod

Quod autem frater fratrem attraxerat ad Iesum, felix erat ecclesie nascentis auspiciū, quæ constat fraterna charitate, concordiaq; mutua. Iesus igitur abiturus in Galilæam, comitatus iam duobus Galilæis discipulis, quo ueniret aliquanto comitatio, asciscit & alios duos, eiusdem gentis ac nobilitatis. Reperit autem Iesus Philippū quendam ortum e ciuitate Galilææ Bethsaïda: ea est iuxta lacū Genezareth, patria Andreæ & Simonis, cui nomen additum est Petri. Iam & patriæ confortū, omen habet Euangelicæ concordia, & omnium gentium diuersitates in unam ecclesiā uelut in unam ciuitatem coituras. Videbatur forte obuius factus Philippus, sed res tota gerebatur diuina prouidentia, cui iam ab æterno decretum erat, quos uellet ecclesie primores esse. Itaque obuio Philippo dixit Iesus: Sequere me. Ille nihil cōtatus illico secutus est Iesum, de quo iam multa & Ioannis testimonio, & populari rumore cognouerat. Efficax erat sermo loquentis, & suapte sponte promptus erat audientis animus. Euenit autem, ut quemadmodum Andreas Simonem fratrem attraxerat, ita Philippus iam lætus magisterio Iesu, quum repperisset Nathanaelem, quē nouerat incredibili desiderio teneri Messiae uenturi, & ob hoc in legis ac Prophetarum oraculis diligentissime obseruare solitum, unde & quando esset uenturus, ut illi gaudiū quo totus gestiebat, cōmunicaret, dicat: Inuenimus uerū illum Messiam, de quo Moses scripsit, quod esset exoriturus propheta ex Israelitico genere, & de quo prophetarum uaticinia tam multa cecinerunt. Is est Iesus filius Ioseph Nazarenus. Nam id temporis Iesus ab omnibus adhuc credebatur filius Ioseph, & huius nomine notior erat quam Mariæ matris. Deinde Nazareus uulgo dicebatur, nō quod illic natus esset, quū Bethleem illius cunabulis sit consecrata, sed quod illic à puero cum parentibus uersatus sit, & educatus. Hoc ubi audiuit Nathanael, fauet quidem lætissimo nuntio, sed offenditur scrupulo, quē illi tacite mouebat prophetia, quæ palā promittit Christū exoriturū e Bethleem: cupiens ergo certius edoceri, dicit Philippo: Num à Nazareth potest aliquid boni exoriri, cuius non meminerunt prophetarū oracula: Hunc nodum quum ipse Philippus rudis adhuc, & præter simplicem fidem nihil habens explicare nō posset, inuitat eum ad fontem ipsum, non dubitans quin uiso & audito Iesu, statim sit crediturus: Si dubitas, inquit, mihi credere, ueni ipse, & uide. Iesus autem qui nondū miraculis editis inclauerat, ut cognitione rerū occultarum subindicaret diuinā uirtutem suam, conspicatus Nathanaelem uenientem ad se, prius quam esset per Philippum de illo admonitus, aut antequā esset ab illo appellatus, uersus ad suos, demonstrato Nathanaele: Ecce, inquit, uere Israelita, in quo dolus nō est. His uerbis Iesus simul & collaudauit Nathanaelis simplicem credulitatem, & syncerū cognoscendi studiū, cum hi qui falso se iactabant Israelitas, calumniandi studio soleant esse curiosi. Nathanael intelligēs Iesum his uerbis significare, se non latere colloquiū quod de ipso habuisset cum Philippo, & admirans, unde hoc ad illius conscientia permanasset, nam Iesum nihil adhuc aliud suspicabatur esse quā hominem: Vnde, inquit, me nosti? Iesus autem euidentius etiā declarans, se nō latere quantumuis occultas hominū cogitationes: Priusquā, inquit, Philippus te uocaret, quū esses sub ficu, iam uideram te. Colloquiū fuerat duorum, neq; quisquā erat arbiter, qui potuisset renūciare. Locus expressus est, & in mysterio obiter notata est ficus, primæ transgressionis conscia, unde discedāt oportet, qui uolunt Christū agnoscere. Ex his indicijs palam erat, & totius colloqui argumentum Iesu non ignotum fuisse: cuius tamen non refricat mentionem, ne uerecundo, & simpliciter percontanti, uideatur exprobrare incredulitatem. Hæc simulatq; audiuit Nathanael, cui persuasum erat, soli deo esse perspicua cordium secreta, & homine maius esse quod audiret, nihil iam offensus scrupulo de loci natalis uocabulo, plena fide testimoniū reddidit Christo: Rabi, inquit, tu es ille filius dei, per quē pater decreuit liberare populum suū: tu es ille rex Israel, Prophetarū uaticinijs olim promissus. Iesus tam promptā & alacrem uiri fidem, ac professionem tam Euangelicam libenter amplectens, confirmat etiam Nathanaelis de se opinionem, & apertius iam indicans diuinam naturam, ait: Ex hoc concepisti fidem, quod sim Messias ille promissus, & rex Israel, quia dixi te mihi uisum fuisse, tum quū esses cum Philippo sub ficu, atq; ideo magnifice de me sentis. Videbis olim euidentiora signa: ex his crescet tua de me opinio. Moxq; Iesus conuersus & ad reliquos discipulos, quorum nullus adhuc de ipso pro dignitate sentiebat, ait: Illud habetote pro certo, Videbitis aliquando cœlos

apertos, & angelos dei ascendentes ac descendentes super filiū hominis. Hoc ænigma te dominus Iesus, simplicem licet ac synceram suorum fidem, sed tamen rudem adhuc, & quæ procul abesset à perfecta cognitione sublimitatis Christi, excitabat ad expectationem maiorum miraculorum, & ex his cognitionem sublimiorem. Nam tametsi discipuli ueluti per somnum admirabantur quiddam in Christo maius homine, tamen nondum ad plenum credebant in eo plenitudinem esse diuinitatis. Nathanael professus est eadem, quæ post Petrus professus est, sed quia non eodem animo, idcirco nō audiuit eadem quæ ille audiuit: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo clauēs regni cœlorum: propterea quod in literis sacris, excellenti sanctimonia uiri filij dei uocantur, & alij quoque per afflatum diuini spiritus etiam futura prospiciunt nonnumquam, ut non usque adeo mirandum sit, si Christus ea nullo nuntio cognouit, quæ clam inter duos discipulos gesta sunt. Præterea quod ceu magnifico titulo uolens honorificare Iesum, appellauit illum regē Israel, significat eū adhuc de regno terreno somniasse. Terrenum autem est & humile quiddam, regnum habere in mundo; sed longe sublimius est, regem esse totius orbis, atque etiam angelorum. Id innuit, quum ait angelos ueluti sedulos ministros, obsequij studio, sursum ac deorsum commeaturos super filium hominis. Quanquam autem discipuli sermonem hunc Iesu, id temporis nondum intellexerant, tamen ceu semen recondidit in animos illorum, suo tempore progerminaturum. Post enim cognouimus angelos frequenter obsequijs agnouisse regem omnium, quum Gabriel illius conceptum nuntiaret, quum in natiuitate canerēt: Gloria in excelsis deo: quum subinde apparentes Ioseph, incolumitatem pueri procurarent. quum post temptationem satanæ ministrarent illi: dum in agone sudanti solatium exhibent: dum in resurrectione frequenter apparent. Rursum quum omnibus spectantibus sublatus est in cœlum, aderant angeli, promissi reditus sponsores. Sed id tum potissimum fiet, quum uenturus est in nubibus, cum maiestate patris, cum uniuerso angelorum exercitu, iudicaturus uiuos & mortuos, ac traditurus regnum deo & patri.

CAPUT SECVNDVM



Neque diu commoratus est in Galilæa, quin ædito miraculo inciperet declarare, non fuisse uanum Ioannis de se testimoniū. Erat quidem Iesus notior in Galilæa, quàm in cæteris Iudææ regionibus: sed tamen nihil adhuc præclari de illo sentiebant, cum fratrum etiam & cognatorum adhuc esset maligna de ipso opinio. Die igitur ab adita Galilæa tertio, celebrabantur nuptiæ in Cana, id est oppidū eius regionis. Ad has ob affinitatē uocata fuerat mater Iesu, atq; hac occasione uocatus est & Iesus ipse, unā cum quatuor discipulis, quos modo collegerat. Porro quū conuiuiū incaluisse, ac deficiente uino, pudore periclitaretur sponsus, quod parum liberaliter apparasset nuptias: simulq; metus esset, ne conuiuiū redderetur parum hilare, sollicitis hac de causa conuiuiis: mater Iesu Maria, muliebri quadam sollicitudine cupiens huic incōmodo mederi, quum iam ex multis argumentis, atq; etiā ex Ioannis testimonio, non ignoraret uirtutem filij sui, audet illum cōpellare, dicens: Fili, uinum non habent. Quod audet appellare, maternæ erat autoritatis: quod nihil præscribit quid fieri uellet, reuerentiæ est erga filium. Iesus autē iam aggressurus cœleste negocium Euangelij, cuius solum patrem autorem esse uolebat, non patitur ullam humanā auctoritatem admisceri. Non enim in hoc gerebat miracula, ut suorum cognatorum affectibus seruiret, sed ut apud incredulam nationem signis corporalibus spiritali doctrinæ fidem præstrueret. Durius itaq; matri respondet: non quod hanc talem nō unice diligeret, qui sic amabat uniuersum hominum genus, sed ut miraculorum auctoritatē ab humanis affectibus assereret, ac diuinæ uirtuti totam gloriam uindicaret. Hoc enim expediebat hominum saluti, quam sitiebat Iesus. Itaq; non abnegans matrē, sed ab huius negocij quod gerendum erat, auctoritate declarans alienā, respondit, Quid mihi tecum rei est mulier? Est mihi tempus præscriptū à patre, quando, & quibus modis agere debeā negotiū humanæ salutis, id nondum uenit. Hactenus tuæ uoluntati me præbui morigerum. Quod nunc restat, ex arbitrio patris gerendū est, non ex humano præscripto. Alibi mater fuit; posthac mihi nihil aliud eris q̃ mulier, quoties uersor in patris negotio. Huius gloriæ quoties erit seruiendum, nihil opus erit tua interpellatione. Vltro faciam, quod res ipsa

ipsa postulabit: habeo tempus à patre præscriptum. Sic & ante matrē admonuerat, adhuc puer, quod in templo disputantem interpellasset. Sic rursus admonuit, quum apud populum cōcionantem euocari iussisset. Maria uero mater Iesu, nec offensa duriorē responso filij, nec diffidens interim de illius bonitate pariter ac uirtute, nihil ipsi quidem respondit: cæterum accitis ministris clam in aurem dicit: Quicquid uos facere iusserit, facite: Nimirum illud procurabat matris pia sollicitudo, ne famulorū incredulitas, aut non paratum obsequium obstaret, quo minus conuiuiō subueniretur. Cæterum temporis ac rei gerendæ arbitriū filio relinquit tacita. Hæc nequaquam fortuito gerebantur, sed cōsulto Iesus differebat miraculum, quo magis omnibus innotesceret uini defectus, & necessitati, non ostentationi datū uideretur. Sic enim omnia sua miracula gessit doctus, ut non ad laudem humanam affectata, sed subleuandis hominum malis impensa uiderentur, ita temperato rerum ordine, ut maiore certioreq; fide geri non possent. Iam igitur expectantibus cōuiuis, & ob uini inopiam sollicitis, Iesus tempus adesse sentiens, quo suis innotesceret, ministris mandat, ut sex hydrias lapideas, quæ illic stabāt in eum usum, ut si quis iuxta Iudæorum consuetudinem, lotionē se purgare uellet, haberet parā tam aquæ copiam, quod ea regio siticulosa, nec ubiuis fontibus ac fluuijs irrigua sit, impleant aqua. Nimirum & hoc faciebat ad miraculi fidem, quod earū hydriarū solennis esset usus, nec alium liquorem unquam acceperant, præterq; aquæ. Quin & magnitudo uasorum faciebat ad miraculi fidem: nam singulæ capiebāt binos aut ternos cados, ut nec loco facile moueri possent. Paruere famuli, & ut iussi fuerant, impleuerunt hydrias aqua usq; ad summū. Id ubi factū esset, quo plures haberet miraculi testes, iussit ut haurirent ex hydrijs, & quod hausissent, offerrent Architriclino, qui cōuiuiō curando præfectus erat: & partim quia sobrius, nam cui cura mandata est apparatus, is cæteris bibentibus abstemius esse consueuit: partim saporū peritus, & palati iudiciō callidus, maiore fide pronuciare poterat de uino, q̃ cæteri cōuiues, quorū palata tam multo uino uideri poterant obsurduisse. Architriclīnus autē simulatq; gustasset uinum ex aqua factū, nec sciret unde esset haustū: suspicās errore ministrorū esse factū, quod tale uinū distulissent in extremum conuiuij, præter aliorū morem, uocat ad se sponsum, discere cupiens, quānam occasione is error accidisset. Cæteri, inquit, qui solenne conuiuiū exhibent, initio conuiuij optimū quodq; uinum apponunt: post ubi iam temulenti, minus dījudicāt palato, & hauriunt intemperantius, apponunt id quod deterius est. Tū contra uinum hoc, quo nullum adhuc appositum generosius est, seriasti usq; ad finem conuiuij. Atq; hac occasione rei gestę miraculū paulatim ad plures dimanauit, ac post re ex famulis perquisita, cognitum est non solum aquam uersam in uinum, sed etiā in uinum optimū. De hydrijs nulla erat suspicio, quin soli aquæ fuissent consecratæ. Ministri aquam aquæ addiderant usq; ad summum, idem ex eo quod infuderant haustū, obtulerant Architriclino sobrio. Sponsus agnoscit tale uinū apparatus non fuisse. Itum est ad hydrias, & cōpertum est eiusdē generositatis uino plenas esse. Ab hoc facto dominus Iesus auspicatus est in *Carna Galilææ* miraculorū gestionem, paulatim prolaturus mundo diuinæ suæ uirtutis argumenta. Nam primū hoc in re non perinde seria, & priuatim gestum est, ac propemodum matris ac cognatorum affectibus indultum est: qui hoc contemptius sentiebant de Iesu, quod essent illi sanguinis propinquitate coniuncti. Atq; hoc signum tum temporis non ita multis animaduersum est, sed post maiore cum fide res manauit ad plures. Interim tamen discipulorum fides qui aderant confirmata est de Iesu, qui maiora pollicitus, præstitit quod promiserat. Nec tamen hoc signū, quo ueluti prælusit ad cætera, fuit otiosum. Primū enim sua præsentia uoluit honestare nuptias, præsciens olim exoriturus, qui eas ut spurcas damnarent, quum res sit deo gratissima honorabile connubiū, & thorus immaculatus. Deinde ueluti typo quodam nobis adumbrauit Iesus, quod tum aggrediebatur. Iam enim tempus erat, ut pro insipida ac diluta legis Mosaicæ littera, bibemus generosum illud uinum Euangelici spiritus, Christo uidelicet, quod erat inefficax & inutile nobis, uertente in melius. Lex enim Iudæis absq; Christo, non solum insipida est, uerum etiam exitiabilis. Qui non crediderunt euangelio, adhuc bibunt aquam legis Mosaicæ: qui crediderunt Christo, spiritualis doctrinæ musto feliciter ad uitæ cœlestis amorem incallescunt, ac uegetantur. Nec id factum est prius quàm Christus sibi iunge-

Post hac de/
scendit Caper/
naum

ret ecclesiam sponsam suam. Aderat illic & mater Iesu, synagogæ typum gerens, cuius autoritas minuitur: admonet tamen de uino, sed ipsa non præstat. Genuit tamen nobis eum, qui mentes nostras sui spiritus mero lætificat. Rei mysterio astipulantur & ipsa locorum uocabula. Siquidem Cana Galilææ sonat possessionem transmigrationis. Iam enim collectum erat seminarium populi noui, qui à littera legis ad spiritum Euangelicum, à mundo ad cælum transmigraret. Hoc signo Iesus in obscuro oppido inter cognatos, uirtutis suæ declarationem auspicatus, descendit Capernaû. Ea ciuitas est in eadem Galilæa gentiû, iuxta lacû Genesareth, finitima Zabulon & Neptalim, propter opum affluentiam, luxu diffuens, & superbia tumens. Porro iuxta philosophiam Euangelicam, quod altum est apud mundum, hoc abiectum est apud deum. Descendunt unà mater eius, fratres, ac discipuli, atque ibi commorati sunt dies perpaucos, nec ullum miraculum est æditum. Verum hoc officij interim datum uidetur matris & cognatorum affectibus, quos iam circumferri diutius nolebat: nimirû aggressurus maiora: ne quæ gerebantur in gloriam patris cœlestis, hinc sibi quicquam uindicaret affectus humanus. Cognatis igitur Capernaum relictis, Iesus quærit tempus ac locum idoneum palam declarandæ uirtutis, ac autoritatis suæ, quam à patre cœlesti, nō ab hominibus acceperat. Etenim iam instabat celeberrimus ille dies Iudæorû, qui dicitur pascha, quod Hebræis transitum sonat. Hoc quotannis celebrabant ob ueteris historiæ memoriam, quod maiores eorû incolumes, transissent ex Aegypto, petitori terram à deo promissam. Porro quod illi typo celebrabant, hoc per Christum uere agebatur: nimirum ut homines per Euangelicam fidem relictis errorû tenebris, ac uitiorum caligine, transferrentur ad innocentiam, ad lucem, ad immortalitatem. Quum igitur id temporis ingens esset Hierosolymis hominum frequentia, qui ad diem festum ex cunctis Syriæ regionibus confluxerant: Iesus eò se contulit, iam ascendens ad patris negocium: qui Capernaum descendiderat, cognatis obsequens. Mox templum ingreditur, qui locus religionis causâ plurimis solet frequentari. Christus autem ueræ religionis erat magister. Quum autem esset ingressus templum religioni & cultui diuino dicatum, offendit illic nō templi, sed fori speciem. Reperit enim illic permultos, qui in loco sacro sordidum, atque iniquum etiam quæstum exercerent, & religionis occasionem uerterent in rapinam. Siquidem hospitibus, ut esset quod offerrent, magno uendebant oues, boues, columbas, aliâque huius generis, quæ iuxta Iudæorum consuetudinem solent offerri, siue donari sacerdotibus: sed interim pacti cum sacerdotibus & Leuitis, ut eadem animantia accepta ab his qui obtulerant, rursus ipsis uenditoribus reuenderent, sed minoris, ut iterum cum lucro possent alijs hospitibus uendere: ita fiebat, ut spoliatis hospitibus, turpe lucrum subinde ex eodem animante rediens, inter mercatores & Leuitas diuideretur. Quoq; paratior esset negotiatio, id quod in prophano mercatu fieri consuevit aderant & numularij, siue collybistæ, qui minutiore moneta mutarent maiorem, aut aurum argento, aut peregrinam pecuniam eius loci moneta uerterent: atque hinc quoq; quæstus erat sordidus, nec multum abhorrens ab usura. Iesus iam tum ipso facto docens, quanta pestis Ecclesiæ sit, turpe lucris studium, & quantum ab hoc morbo abesse oporteat eos, qui se religionis Euangelicæ procures profitentur: contexit sibi ueluti flagellum è funiculis, tanquam canes è domo dei profligaturus, magnaq; indignatione, simul & autoritate omnes illos exegit è templo, negotiatores unà cum suis mercibus exturbans. Neq; enim solum eiecit homines, sed oues etiam ac boues, ne quid talium sordium hæreret. Quin & collybistarum æs effudit in terram, ac mensas etiâ subuertit, docens hæc prorsus esse conculcanda religionis ueræ cultoribus. Cæterum his qui columbas uendebant, indignabundus dixit: Auferte ista hinc, & ne ex domo patris mei feceritis domum negotiationis. Discipuli uero quum uiderent Iesum alioqui placidum ac mitem, hic tanta seueritate profligantem qui templi religionem sordido quæstu profanabant, recordati sunt eius prophetiæ, quam habet psalmus sexagesimus octauus: Zelus domus tuæ comedit me. Porro Iudæi cum audissent, quod domum patris sui nominans, peculiari quadam ratione se declararet filium dei, uiderentq; palam, tanta cum autoritate sæuientē in eos, qui uidebantur rem sacerdotum ac religionis adiuuare, obstrepūt illi ac dicunt: Si deus pater tuus est, & si patris contumeliâ uindicas, æde miraculū aliquod, ut intelligamus re patriæ

patris autoritate hæc facere. Si ista facis autoritate tua, temeritas est: si diuina, quod signum profers, ut credamus tibi? Iesus autem sciens eos calumniaturos, etiam si quod miraculum ad ostentationem ædidiſſet, quum ille nullum unquam miraculum ædiderit, nisi ad subleuandam egentium necessitatē, ut quod esset diuinæ uirtutis argumentū, idem esset & humanæ necessitatis beneficiū: sub enigmate promisit eis signum, quod si tum palam fuisset eloquutus, non erant credituri, quando ne tum quidem crediderunt, quum esset exhibitum. Id erat signum mortis & resurrectionis. Idem erat signū Ionæ, quod post multis æditis miraculis & adhuc flagitātibus signum de cœlo, promisit. Nunc autem idem rudibus adhuc tectius etiam promittit. Sermonis occasionem, templum in quo uersabantur, præbebat, de quo Iudæi supra modum gloriabantur. Soluite, inquit, templū hoc, & in triduo excitabo illud. Hoc ænigmatis ne apostoli quidem tum intelligebāt. Sed cognita tandem resurrectione ex re compererunt sensum orationis. Iesus enim sentiebat de templo corporis sui, quod illi per suam malitiam morte essent soluturi, ipse uirtute diuina intra triduum resuscitaturus. Hoc Iudæis non solum absurde, uerum etiā impie dictum uidebatur. Nam iubere solui tēplum tantę religionis, impium erat: tam operosam fabricam intra triduum excitare, dictū absurdum uidebatur. Qualis autem erat illorū intellectus, talis fuit responsio: Quadraginta sex annis, inquit, iudatum est in hoc templo post Babylonicam captiuitatem instaurando, & tu triduo excitabis illud? Ad eam obiectionem non respondit dominus Iesus, sciens se nihil profecturum, si sermonis inuolucrum explicuisset, quando nec post tot æditis signis, tot prædicationibus instructi, discipuli potuerūt ferre mentionē mortis, nec credere mysterium resurrectionis. Hæsit tamē hoc dictum ceu semen quoddam in animis auditorum, sed in alijs alium fructum protulit. Siquidem Iudei memores, hunc sermonem ueluti capitale crimen obiecerunt illi apud sacerdotes impios. Discipuli quod assequi non poterant, tamen recondentes in pectore, quid sibi uellet admirabant, donec peracta resurrectione spiritus sanctus doceret illos, Christū templi uocabulo suum ipsius corpus significasse. Id erat multo sacratius templo, quod religiose uenerabantur Iudæi, ut in quo inhabitaret plenitudo diuinitatis. Et tamē saxeum illud templum uiolare sacrilegium erat: at sacratissimū illud templum sanctissimi corporis nihil ueriti sunt impie demoliri. Sed idem Solomon, qui sibi ex uirgine Maria condiderat templum hoc, ab illis solutū restituit intra triduum, iuxta prophetarum uaticinia. Tum itaq; discipuli cōferentes scripturas cum sermone Iesu, intellexerunt hoc esse maximū signum, quo Iudæis declararet suam diuinitatem. Quanquam enim legimus aliquot homines reuixisse, nemo tamen præter unum dominum Iesum excitauit seipsum ad uitam. Solus enim in se potestatem habebat deponendi animam suam, & eandem resumendi, quum uellet. Atq; his quidem initijs Iesus excitauit totius Iudaicę gentis in se expectationem instante die festo. Ceterum quum per aliquot dies paschæ Hierosolymis commoratus, & signis & doctrina iecisset aliqua semina fidei Euangelicę, multi fidem habuerunt dictis illius, credentes eum esse filium dei, quem se esse prædicabat, magis commoti miraculis quæ perpetrabat, quàm uerbis. Nam Iudæi non tam ratione commouentur, quàm uisis prodigijs. Cæterum Iesus iam tum formam & imaginem nobis ostendens Euangelici doctoris, cuius prudentiæ est non statim omnia mysteria doctrinæ sublimis rudium animis cōmittere, cuius mansuetudinis est, infirmos adhuc & imperfectos tolerare, donec proficiāt ad sublimiora, quoniam sciebat fidem illorum adhuc esse rudem & ancipitem, & animos illorum nōdum esse capaces mysteriorum Euangelicę philosophiæ, ne subito uersis populi studijs, tumultus aliquis nasceretur, non sese credebatur promiscuę multitudini. Complures enim erant, quos urebat hæc autoritas, præsertim qui Iesu doctrinam & gloriam suo quæstui & autoritati offectum arbitrabantur. Nondum eruperat pharisæorum & scribarū liuor in manifestam calumniam, sed tamen inuidiam ac maleuolentiam in corde premebant, captantes occasionem lædendi. Eoq; quia nondum prodesse poterat Iesus, ne præberet malis occasionem maioris mali, subduxit sese ab illis, eo quod ipse nosset omnium tacitas cogitationes: nec opus haberet, ut quisquam apud eum testificaretur de homine. Ipse enim quem nihil fugebat, ex sese sciebat quid lateret in recessu cordium uniuscuiusq;. Nec interim suę salutis consulebat Iesus, qui sponte in hoc uenerat, ut pro salute mundi mortē oppeteret, sed illorum maliciæ peccandi materiam subtrahebat.

Quum autem
esset Hierosolymis



INTER multos autem qui ex conspectu Iesu miraculis, nonnullam de eo opinionem conceperant, erat quidam nomine Nicodemus, sectæ Pharisaica, ex eorum ordine, qui apud Iudæos primores habebantur. Hic non ignorans esse permultos sui ordinis ac sectæ, qui Iesu subinviderent & insidiarentur, adiit Iesum, sed nocte, re declarans quod imbecillus ac uacillans adhuc esset in amore erga Iesum, quem hactenus admirabatur, ut tamen nollet eius causa suæ gloriæ facturâ apud homines facere, nec eius gratia in sui ordinis inuidiam pertrahî. Metus autem erat potius, quam impietas: & pudor humanus uerius, quam perversitas. Atque hic pudor in quorundam animis tantam uim habet, ut qui rem & uitam possunt cõtemnere, affectum hunc, generosis ingenijs potissimum insitum, non possint uincere. Pudebat enim eum qui inter Iudaicæ gentis principes dignitate præminebat, humilis Iesu discipulum uideri: timebat ne cui primus confessus in synagoga tribuebatur, eijceretur e synagoga. Iesus autem mansuetissimus doctor, qui calamus contractum non comminuit, nec lignum fumigans extinguit, non repulit timidum atque intempestiuum saluatorem, sed cõmiser accipit imbecillum quidem, sed malitiæ expertem, & ob hoc dignum qui paulatim ad sublimiora prouehatur: statimque quantum ex eius miraculis cõspectis profecerit aperiens, hac præfatione captat beneuolentiâ Iesu: Rabbi, inquit, iam illud perspectum habemus doctrinam istâ tuam non esse talē qualis est pharisaeorū. Res enim ipsa loquitur, ipsam docendi autoritatē non ab homine traditam, sed à deo. Nullus enim posset hæc ædere miracula, quæ tu profers, nisi deum habuerit sibi præsentem & opitulantē. Hanc opinionē de Iesu Nicodemus ut magnificā ac præclaram proposuit, quā longe esset infra illius dignitatem. Nihil enim aliud eum esse suspicabatur, quā prophetā aliquē, cui deus faueret, & adesset in ædendis miraculis, quasi suapte uirtute non ea patraret. Iesus autem nec hominis imperfectā de se opinionē refellit, nec statim se iactat quātus sit, sed blanda comitate docilem paulatim prouehit ad Euangelicæ doctrinæ penitiora mysteria. Iudæi qui tantum adhuc aquā Mosaicæ legis biberant, qui præter Ioannis baptismū nihil nouerant, nec adhuc gustarant uinū Euangelicæ doctrinæ, nec dum per spiritum & ignē baptizati fuerant, præter carnem nihil sapiebant, & ob id ad Euangelicam philosophiā quæ tota spiritalis est, admodum rudes. Proinde dominus non exprobrauit illi suam ruditatem, non animū utrūque claudicantē, & mundo deoque sese partientē: nondum protulit illud quod post a prouectionibus discipulis exigit: Quē mei puduerit apud homines, huius & me pudebit apud patrem meum: sed obscuris dictis elicit hominis ruditatē, ut paulatim erudiat, & ab effectu carnali transferat ad intelligentiā spiritualem. Illud, inquit, habeto pro in dubitato Nicodeme, nisi quis denuo uelut in nouum hominē renascatur, non potest uidere regnum dei. Adeo noua est hæc doctrina, quam cupis ex me discere. Id quum dictu absurdum uideretur Nicodemo, crasse quidē, sed simpliciter respondens, ait: Qui fieri potest, ut homo iam ætatis prouectæ, quēadmodū ego sum, nascatur denuo? Num quā fieri potest, ut rursus introeat in uterum maternū, & inde nascens denuo prodeat? Ne hoc quidem tam crasso responsō offensensus Iesus, grauā interpretari, quid sit nasci denuo siue ē supernis: Verissimū est, inquit, Nicodeme quod dixi: Renascendū est ei qui uelit esse capax Euangelicæ doctrinæ: sed aliud natiuitatis genus est de qua loquimur. Non enim est carnalis, sed spiritalis: nec cõstat propagatione corporū, sed transformatione animarū. Nec hac natiuitate rursus efficimur filij hominū, sed filij dei. Itaque pro certo habe quod modo dixi: nisi quis denuo natus fuerit per aquā & spiritum sanctū, & ex carnali fiat spiritalis, non poterit ingredi regnū dei, quod prorsus spirituale est. Simile nascitur de simili. Quod ē carne nascitur, nihil aliud est quā caro: cæterum quod ē spiritu natum est, spiritus est. Quantum autem interest inter carnem & spiritum, inter corpus & deum, tanto præstantior est hæc de qua loquor generatio, ea quæ corpus propagat ē corpore. Qui iuxta carnem nati, nihil aliud quā carnem sapiunt, nihil esse credunt, nisi quod sensibus percipiunt. Atqui ea quæ nec uidentur, præstantissima sunt, uimque maximam habent, quā caro sit infirma & impotens. Quare quum alia sit nascendi ratio, non est quod mireris, homini secundum carnem nato, ut esset filius hominis, eidem secundū spiritum inuisibiliter esse renascendū, ut possit esse filius dei, qui spiritus est: & aptus regno cœlorum, quod spirituale est, non carnale. Quod si nondum animo

animo consequeris, sume tibi imaginem ab his rebus, quæ cum spiritualibus nonnullam habent congruentiam, et tamen corporeis sensibus percipiuntur. Deus simplicissimus est spiritus, proculq; semotus ab omnibus sensibus corporeis: sed hic aer quo uegetamur, & cuius tantam uim & utilitatem sentimus, quoniã ad nostra corpora collatus, subtilior est, spiritus dicitur. Atq; hic spiritus non cohibetur hominum arbitrio, sed impetu suo fertur quò uisum est, per omnia sese diffundens, mirificã uim inferens rebus corporalibus: nonnunquam uitam adferens, nonnunquam mortem, nunc tranquillus ac tacitus, nunc rursus uidentior: interim ab Oriente spirãs, interim ab Occidẽte, interim ab alijs atq; alijs mundi partibus: & effectũ se prodit: ac uocem illius audis, quum nullum corpus uideas, nec sit quod manibus possis apprehendere: sentis præsentiẽ, nec uides uenientem, nec uides quò se propiciat abiens. Tale quiddam habet hæc spiritualis natiuitas. Arcanis afflatibus mentes hominum à dei spiritu rapiuntur ac transformantur. Vis & effectus ineffabilis sentitur, nec tamen oculis cernitur id, quod agitur. Et qui sic renati sunt, nõ iam aguntur humanam aliq; spiritu, sed spiritu dei, qui uiuificat ac moderatur oĩa. Nicodemus adhuc crassus, non repugnans quidẽ Iesu, sed sermonis intelligentiã non assequens, & planius etiam exponi cupiens quæ audierat, dicit Iesu: Qua ratiõe possunt ista fieri, ut homo corporeus, renascatur in spiritu, & ex deo nascatur diuinus? Iesus ostẽdens ea quæ cœlestis doctrinæ sunt non percipi rationibus humanis, sed fide potius comprehendendi, & ad hæc indociles esse mundi philosophos, humana sapientiã turgidos, & phariseos, qui literam legis magno supercilio profitebantur, quum spiritũ legis ignorarent: sed hanc esse sapientiã, quam pater cœlestis cœlaret prudentes huius seculi, & aperiret his qui iuxta mundum humiles essent & idiotæ, respõdit Nicodemo: Tu haberes magister in Israel, & profiteris te doctorem populi, & hæc quæ potissimum oportebat scire, ignoras? Quantũ igitur abest populus à spirituali doctrina, si tu tantus populi doctor hæc non assequeris? Sed interim credidisse profuerit, quod intellectu non potes assequi. Fides præstabit, ut hæc sentias, etiam si non uideas. Etenim si aeris huius naturã & impetum cum sentias, non potes ingenio consequi, quomodo consequeris hæc longe sublimiora, & ab omni sensu corporis semotiora? Siquidem diuina cum sint, longe superant humanas mentes, nisi & ipsæ diuino spiritu afflentur. Mihi uero tuto credas, qui hæc quæ cœlestia sunt, nõ solum afflatu sentiã, aut audiam, quemadmodum prophetae senserunt, quorũ de numero tu me esse credis, sed comperta certaq; loquimur, et quod uidimus in cœlo, hoc uobis testificamur in terris. Sed uos qui nondum estis renati per spiritum, hæc spiritualia non creditis. Creditis homini, de his quæ corporeis oculis uidit testimoniũ ferenti, & non creditis ei, qui cœlestis ipse cœlestia uidit oculis spiritualibus. Vt certius sunt cœlestia quàm terrestria, ita certius cernuntur ab eo, qui cœlestes habet oculos. Hæc autẽ dicebat dominus Iesus sub inuolucro, significãs sibi diuinam esse naturã, quantũ corpus mortale circumferret: atq; hoc testimoniũ quod ipsi tribuerat Nicodemus ueluti magnificum, quod à deo missus esset, iuxta sensum illius, qui proloquutus est, longe esse infra ipsius dignitatẽ. Siquidem Nicodemus nihil adhuc altius sentiebat de Iesu, nisi quod sic esset missus à deo, quemadmodum cæteri prophetae leguntur à deo missi, & quemadmodum Ioannes missus erat à deo: sed longe sublimius filius missus erat à deo, qui semper fuisset apud patrẽ antequàm mitteretur, & iam tũ esset apud patrẽ iuxta diuinam naturam, qua non recedit unquàm à patre. Quoniam autẽ ad huius mysterij sublimitatem, quomodo in eodem diuina natura coniuncta esset cum humana, ut idem in terris ageret homo mortalis, & idem apud patrẽ esset deus immortalis, quæ hæcenus dixerat de renascendo per aquam & spiritũ, crassiora uideri poterant, subiicit dominus Iesus: Si mihi terrena quædam adhuc uobis prædicanti, ob carnalem animi sensum non creditis, quomodo credituri sitis, si prædicauero uobis ea quæ planè cœlestia sunt, quæ tamen ipse & uidi, & certius cognoui, quàm quæ uos oculis corporeis uidetis? Quis autem hominum, aut angelorum tantus fuit, ut ascenderet in cœlum, cœlestia contemplaturus, & ipsam diuinam naturam, ut est, coram aspecturus? Nemo prorsus ascendit in hoc cœlum, nisi filius hominis, qui è cœlis descendit in terras, qui idem iam nunc uersatur in cœlis, nunquam à diuinitatis contemplatione seclusus, licet interim humilis & obscurus uideatur in terris. Sed ita uisum est diuino consilio, dei gloriã per summam ignominiam, & humilitatem declarare mundo, ut homines relicta falsa gloria, eadem uia pro-

*Spiritus ubi
uult spirat*

*Amen amen
dico tibi*

perent

*Et sicut Mo/
ses exaltavit*

perent ad ueram atq; æternam gloriam. Quod si quis roget: Quæ necessitas compulit dei filium descendere de cœlis, & in terris humilem & abiectum uersari? nihil aliud in causa fuit, q̃ summa charitas dei patris erga genus hominum, cui seruando filium suum unigenitum tradidit in mortē, & mortē iuxta mundi existimationē probrosam. Vnum impendere uoluit omnī saluti. Nec hoc subitum aut nouū tibi Nicodeme uideatur. Hoc ipsum est quod futurum adumbravit Moyses, quum pereunte populo serpentū incurſu, serpentem æneum suspendit in stipite, ut quicumq; flexissent huc oculos suos, incolumes essent à morſu letali. Quemadmodum igitur æneus ille serpens speciem quidē habens uenenatæ bestię, sed adeo ueneno carens, ut alios etiam ueneno tactos liberaret, suspensus est in deserto, quo conspicuus esset omnibus ad salutem; ita oportet exaltari filium hominis, ut omnes qui huc per fidē sustulerint oculos, à letifero peccati ueneno liberentur: ut non solum Israelitæ, sed omnino quisquis hominum sincero pectore fiducia in illo collocet, non pereat peccato obnoxius, quod mortem adfert æternam; sed per mortem unius innocentis, uitam obtineat æternam. Huiusmodi quibusdam ænigmatis dominus Iesus assumpti hominis & orbis per crucem redimendi mysterium aperuit, nondum licet earum rerum capaci: simul interim aperiens, quantum interesset inter eos, qui legem carnaliter legerent præter historiam nihil animaduertentes: & eos qui spiritus afflatu, de quo fuerat mentio, sensum arcanū sub scripturę tectorio latentē perciperent. Sed tamē hæc fidei semina, tum dominus Iesus iniecit in animū Nicodemī, ut post intelligeret hoc nō fortuito, sed diuino consilio gestū esse, atq; ita bonum semen exceptū in terram bonam, fidei fructum produceret suo tempore, nō solum in eius pectore, qui hæc audiuit, uerum etiā in omnī animis, ad quos per Nicodemū referentē hæc erant permanatura. Quis enim crediturus erat, tantam fuisse dei charitatē erga mundū deo rebellem, & tot flagitijs obnoxīū, ut non solum nō ulcisceretur admissa scelera, sed filium etiā unicū ē cœlis dimitteret in terras, atq; hunc in mortem, & mortē crucis probrosissimā traderet, ut quisquis hominū, siue Iudæus, siue Græcus, siue barbarus in hunc crederet, non periret, sed per fidem Euangelicā uitam consequeretur æternā? Quanquā enim olim pater per filium iudicaturus est uniuersum mundum in aduentu postremo, tamen hoc tempore, quod clementiæ datū est, non misit deus filium suum ut condemnet mundū pro suis sceleribus, sed ut sua morte mundo per fidem conferat salutem gratuitam: & nequis sponte periens haberet quod prætexeret suæ malitiæ, facilis aditus datus est omnib; ad salutem. Non enim exigitur pro prioribus admissis satis factio, non legis obseruatio, non circumcisio, tantum qui credit illi, tutus est à cōdemnatione, nimirum illud amplexus, per quod salus æterna datur omnibus, quantalibet peccatorum sarcina grauatis, si modo post Euangelicam professionem abſtineat à uitæ prioris flagitijs, & iuxta doctrinam eius, cuius nomen professus est, proficere nitatur ad perfectam pietatē. Porro quisquis non credit Euangelio, tantam dei erga se charitatē contemnens, & salutem gratis oblatā ab sese repellens, nihil opus habet, ut à quoquā iudicetur, quum ipse palam condēnet seipsum, & æternæ pœnæ reddat obnoxīū, hoc à se repellens, per quod licebat assequi uitam æternam. Deus per unigenitum filium suum salutem omnibus obtulit, idq; per fidem, ut illum salutis autorem agnoscamus ac ueneremur, et in illo totius felicitatis nostræ fiduciam collocemus. Hoc qui recusat, & dei tam obuiam bonitatem aspernat, & filium quem pater honorificari uoluit, contumelia afficit, & mortem illius pro nobis obitam, pro nihilo ducit, re nimirum ipsa declarat sese dignū æterno supplicio. Quis enim non intelligit, illum merito & suapte culpa perire, qui uolens ac sciens amplectit id, per quod perit: & auersatur id, per quod salus poterat restitui? Error & peccata tenebrę sunt animorū, & peccata mortem gignunt æternam. Filius dei lux est mundi. Lux enim est ueritas. Huic credere salus est. Itaq; quū benignitate dei lux uenerit in mundum, ignorantia ueri & innumeris uitijs caligantem, ut cognita ueritate resipisceret ac seruarietur, homines magis amarūt suas tenebras, quā lucem cœlitus missam. Si perit agrotus, qui medicum celat morbum ne sanetur, nonne ipse de se pronuntiat, quod suo uitio perit? Sic homines mūdo dediti, lucem oblatam auersabantur, quod mala essent ipsorum opera. Ut enim is qui rem dedecorosam patrat, noctē amat, ac solem fugit, ne prodantur ipsius facta: ita qui sibi male conscī sunt, oderunt lucem Euangelicæ ueritatis, per quam produntur ea quæ turpia sunt, ut emendentur. Neq; enim sanari potest, qui morbū amat suum

*Sic enim de
us dilexit
mundum*

*Hoc est an
tem iudicium*

Post hac ne-
nis Iesus & di-
scipuli eius

sponso suam felicitatem, neque praecepit illi sponsam suam, sed gratulatur ei, cui fauet ex animo, & astat illi tacitus, magnoque animi gaudio audit sponsi uocem cum sponsa colloquens: ita ego cui nihil erat optatius, quam ut ille tantus agnosceretur esse, quantus est, & ego desinerem maior uideri, quam essem, gaudio perfundor, intelligens rem bene succedere. Illum qui hactenus longe minor habitus est, quam est, oportet crescere: me qui maior habitus sum, quam eram, decet minui. Sic expedit hominum saluti, & meam opinionem obscurari, & illius gloriam indies augescere, & a me desciscere discipulos, & ad illum demigrare; ad cuius potentiam mea diluta est & inefficax, tantoque inferior baptismus, quanto est ignis aqua potestior. Aequum est terrena cedere celestibus, humana diuinis, imperfecta perfectis. Qui e terra profectus est terrenus est, ac terrena humiliaque loquitur. Quid enim aliud potest homo, quam humana loqui? Ceterum is, qui e coelo profectus est, superat omnes, etiam quamlibet magnos homines. Nos tenuem aurulam celestium rerum hausimus, & ut possumus testificamur. Ceterum ille, quod in coelis uidit & audiuit apud patrem, certissima fide apud homines testificatur. Ac me tanto inferiorem mirantur homines, illius testimonium uix quisquam recipit: meum, qui famulus sum, de illo testimonium requirunt, & illi us de patre testimonium rejciunt. Et tamen si quis mihi diffidit, diffidit homini: si quis non credit illi, qui filius est unicus, id quod pater sua uoce testatus est, facit deum mendacem. Iudei patrem adorant, & filium ab illo missum afficiunt contumelia: sed omnis in filium contumelia, recidit in patrem. Quisquis igitur accipit testimonium filii, is credens filio, certo confirmat deum esse ueracem, qui loquitur in filio. Filius enim qui missus est a patre, non loquitur humana, sed uerba dei. Locutus est deus & per prophetas, & unicuique pro suo modulo spiritum suum impartijt: sed huic unico filio suo non dedit deus spiritum suum ad certum modum, sed totam plenitudinem sui spiritus effudit in eum, adeo ut nihil habeat pater, quod huic desit: & quicquid huic detraxerit hominum incredulitas, id pater sibi detractum putet. Pater enim filium unicum unice amat, ac rerum omnium summam tradidit illi in manum, non se spolians sua potentia, sed huic eandem quam habet uirtutem comunicans. Quicquid autem conferre uoluit humano generi deus, hoc per filium largiri uoluit. Offert autem omnibus rem non mediocrem. Offert enim uitam aeternam, sed per eum, qui solus est fons uitae aeternae. Sed huius tam eximij muneris se reddit incapax, qui recusat accipere. Recusat autem, qui non credit, filium posse largiri quod pollicetur, simulque mendacem patrem insinuat, qui per filium uana polliceatur. Magna est igitur merces credulitatis, & atrox damnum incredulitatis. Etenim quisquis fiduciam suam ponit in filio, iam habet filium: quisquis habet filium, habet uitam eternam. Contra, qui diffidit filio, quoniam ipse sibi uelut oculos occludit, ne lucem aspiciat, non uidebit uitam, quoniam haec lux uitae est hominum, sed ipse permanens in peccatis suis, manet obnoxius ultioni diuinae, hoc est aeternae mortis.

CAP. IIII



ATQUE huiusmodi dictis Ioannes discipulorum suorum immodicum erga se studium, & malignam de Iesu opinionem castigauit, tacite prouocans eos, ut se neglecto iam illum sequerentur, unde omnibus petenda essent omnia. Ut igitur cognouit Iesus, quem nihil omnino fugiebat, sibi quoque contigisse, quod inter homines solet euenire, ut gloriam comitetur inuidia, iamque hoc male habere phariseos, quod plures alliceret discipulos, & plures ad illius baptismum confluerent, quam ad Ioannis, tamen si Iesus ipse non baptizabat, iam tum ostendens praedarius esse munus euangelizandi, quam baptizandi, sed discipuli eius: & hoc magis urebantur, quod tantum sibi sumerent huius discipuli, quantum uix ferebant in Ioanne, cui tribuebant plurimum: partim ne magis exacerbaret illorum inuidiam, si illis ueluti contemptis, illic diutius fuisset comoratus: partim ut iam tum praeluderet futurum, ut Euangelij gratia, a Iudeis repulsa, ad profanos populos deferretur, relinquit Iudaeam, iactis illic Euangelicae doctrinae rudimentis, & reuertitur parat in Galilaeam, unde uenerat. Sed interim erat illi eundem per Samariam, quam olim profanae gentes, expulsis Israelitis, occupant, inducitur in eam conuenis hinc atque hinc contractis. Hi tandem multis afflictionibus eruditi diuinitus, aliqua ex parte Iudeorum religionem amplexi sunt: deum unum colere coeperunt, licet ritu diuerso, & ad Iacob Abraham nepotem genus suum referunt, quod his habitauerit olim apud Chaldaeos. Solius Moysi libros recipiebant, prophetas non admittebant. Nomen autem genti

Qui autem
accipit eius
testimonium

Qui credit
in filium habet
uitam

genti inditum à monte Samor. In hos igitur atrox ac publicum odium erat gentis Iudaeae, ob memoriam per uim occupatae regionis, & incolarum sedibus suis eiectionum, rursusque in plerisque diuersos. Sic enim receperant Moysi legem, ut ueteris superstitionis supersent multa uestigia. Cū igitur uenisset ad Samariae ciuitatē, quae dicta est Sichem, ac deesset cibis, nam discipuli tantū inhiantes domino, de cōmeatu non prospexerant, ipse quidem Iesus non ingressus mediam ciuitatem, ne Iudaeis probabilem calumniandi causam praeberet, quod Israelitis neglectis, sese trāsferret ad gentes profanas & impias, quēadmodum post grauis conuicij loco Samaritanum, & demoniacū appellabant: discipulos passus est abire in ciuitatem emendorum cibariū gratia. Ipse solus ibi cōmoratus est, partim ut reditum suorum opperiretur, partim ne deesset occasione miraculī. Nouerat enim quid esset euenturum. Erat autem illic praedium quod dederat Iacob Ioseph filio suo. Locus erat sacer ac celebris apud Samaritanos ob ueteris historiae memoriam, quod illic Leui & Simeon magna strage incolarū ulti fuissent cōtumeliam Dināe cōstupratę. Erat inibi fons quoque, uel ob hoc celebris apud eam gentem, quod Iacob, quo, ut dixi, generis autore gloriantur Samaritani, eū fodisset. Iesus igitur ē longinquo fessus itinere, quod pedes, nō equis aut uehiculis confecerat, nobis iam tum exemplū praebens, qualē oporteat esse Euangelij praeconē: sedebat illic, ut se dabat locus, fonti imminens, ac ueluti ex aura fontis refocillationē captans. Erat autē hora ferme sexta iuxta Iudaeorum supputationē, cum iam sol uergens ad meridiē, aestu suo laboris molestiam cōduplicat. Atque his indicijis Iesus declarabat se uerum hominem esse, iisdem affectionibus obnoxius, quibus obnoxia sunt corpora ceterorum hominum. Interim ingressa est mulier quaedam Samaritana, ut ex eo puteo cui assidebat Iesus, hauriret aquā. Cui Iesus ut statim colloquij praeberet argumentū, & ex hoc ipso quod agebat mulier, uenaret illam ad salutē, dicit illi: Mulier da mihi bibere. Cōmodum autē interim abierant apostoli, quod Iesus illi quaedam arcana dicturus esset, quae apud alios dixisse, petulantiae uideri poterat. Qua quidem in re dominus Iesus ciuilitatis & mansuetudinis exemplum exhibuit Euangelicis doctoribus, qui peccatricem, & non uni prostituta pudicitiae mulierem adeo nō dedignatur alloquio suo, ut etiam pudori impudicae solitudine consuluerit. Mulier ē cultu linguaque deprehendens Iesum esse Iudaeum, nec ignara quantopere Iudaei soleant abhorre a cōmercio Samaritanorum, adeo ut occurſu quoque et colloquio se putent cōtamirari, adminata quod & ultro compelleret, & potum ab ipsa peteret, respondit: Qui sit, ut tu Iudaeus quum sis, quemadmodum ē sermone cultusque cōiunctio, praeter Iudaeorū morem, à me muliere Samaritana poscas potum, cum soleatis uos Iudaei à commercio Samaritanorum abhorre, nefas esse ducentes, si quid habeatis consuetudinis nobiscum? Iesus autē qui non tam sitiebat aquam illam, tam esuere iuxta carnis naturam sitiebat, quā animarum salutem, sensim pellicit mulierculam ad cognitionē Euangelicae gratiae, respondens hunc in modum per aenigma, quo magis accenderet in illa discendi studium: Si nosseſ quod eximium sit donum quod nunc uobis offert deus, & si nosseſ eum qui nunc aquae potum abs te petit, tu potius petisses ab eo, & iudicasset tibi longe potioſorem aquam ista, uidelicet aquam uiuam. Hoc quū esset dictum de spiritu quem hausturi erant credentes Euangelio, mirum non est, si muliercula Samaritana non intellexit, quū Nicodemus & Iudaeus & Rabbīnus non potuerit assequi, quod aliquanto clari⁹ dixerat Iesus de renascendo ē supernis. Quin ille crassius etiam respondit, quod haec mulier: Nunquid, inquit, potest homo iterum in uentrem matris introire, cum sit senex, & nasci denuo? Haec autem quum magnificū quiddam concepisset ex eo quod dixerat Iesus: Si scires donum dei, & si nosseſ quis esset, & daret aquam uiuam: non indigne tulit contemni puteum Iacob, de quo religiose sentiebat, non irrisit magnificam orationem & hospitii, & ignoti, & Iudaei: sed discere cupiens, quid esset hoc, quod ceu nouum ac praclarum ostentabat, honoris gratia, dominū eum appellat, ut iam nō humili de illo concepta opinione. Atque interim hoc mulierculae Samaritanae exemplū dispensatione diuini consilij procuratum est ad coarguendā ac traducendam Iudaeorum peruersitatem, qui in tantum non praebant se dociles domino Iesu, ut beneficia quoque illius, & salutarem doctrinam impie calumniarentur, quum haec muliercula ciuilitate ac mansuete responderit ad omnia, doceri gestiens, adeo ut in aestu commorans, & oblita eius rei, cuius gratia uenerat, penderet ab ore ignoti hominis & alienigenae, de quo nihil adhuc praclari audierat.

rat. Domine, inquit, tu mihi polliceris aquam hac præstantiorem. Atqui ne uas quidem habes quo haurias aquam, & puteus profundus est. Vnde igitur suppetit tibi aquæ uiuæ copia, quam promittis? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, quem & uos ueneramini? Is nobis ceu præclarum munus dedit hunc puteum, & adeo non cōtempnit hanc aquā, ut ipse ex ea bibere sit solitus, & tota familia eius unā cum pecoribus. Iesus uidens docilem esse mulierē, quæ non magum suspicata est aut incātatorem, sed magnū aliquem uirum, quem cum Iacob, de quo magnificē sentiebat, conferendum putaret: non dedignatur illam paulatim allicere ad maiorem sui admirationem, ostendens aquam esse spiritua-
lē, de qua loquebat, quæ nō reficeret pecora, sed animas: Qui biberit, inquit, ex hac aqua, quam uobis dedit patriarcha Iacob, ad breue modo tempus sitim corporis sedat, mox recursuram. Cæterū ut intelligas, quanto magnificentius sit hoc donum dei, de quo loquutus sum, dono Iacob, quantoq; præstantior aqua, quā ego polliceor, ista aqua quæ scatet e terræ uenis: Si quis biberit ex hac aqua, quam illi, si desideret, daturus sum, nō sitiet in æternum: nec unquā postea siti periclitabitur, nec subinde aliunde petenda erit aqua, sed semel hausta permanebit in eo qui bibit, & in eo gignet fontem perpetuo scatentē usq; ad uitam æternam. Hæc per ænigma dicebat Iesus, sciens mulierem nondum capacem mysterij de fide, per quam datur spiritus, qui semel acceptus, nunquam deficit, sed usq; proficit, donec prouehat hominem ad uitam æternam. Tanta erat aut mulieris simplicitas, ut quum Iudæi soleant huiusmodi parabolas sinistre interpretari, illa non intelligens quid esset dictum, tamen credens & amans diceret: Domine, imparti quæso mihi istam aquam, ne subinde recurrente siti cogar hunc adire puteum, & haurire. Hæc quanq; erat crassa responsio, tamen animum arguebat ad credulitatem pronum. Proinde quoniam iam non humilem opinionem cōceperat de Iesu, maioribus suæ diuinitatis argumentis prouocat, ut magnificentius etiam de ipso sentiat. Iesus igitur ueluti non cōmunicaturus rem tantam, nisi marito præsentē, iubet ut uirum suum accersat, atq; illo comitata mox ad se redeat. Hoc audito mulier existimans sese apud hominem tantum loqui, muliebri pudore cupiēs dissimulare turpitudinem suam: Domine, inquit, uirum nō habeo: inficians matrimonium, sed dissimulans stuprum. Hic Iesus & suam declarans diuinitatem, & mulieris uitam comiter arguens: Recte, inquit, dixisti tibi non esse uirum. Etenim quum quinq; uiros habueris ad libidinē, nullum tamen habuisti legitimū: atq; hic ipse quem nunc habes, non est uir tuus legitimus. Nihil igitur hic mentita es. Mulier ubi sensit uitæ suæ domestica probra non latere Iesum, hospitē & Iudæum, qui, quod narrabat, ex hominum narratione scire non poterat: non resilit ab illo pudefacta: non irritata regerit contumeliā, sed magis etiam in illius admirationem inflāmur: quū si quid tale Iesus dixisset pharisæis, clamaturi fuerint: Magus est, & dæmonium habet. Quid aut hæc pia peccatrix Samaritana? Domine, inquit, ut uideo, propheta es tu. Huc profecit mulieris credulitas: primum Iudæum duntaxat appellat: miratur nō perinde tenacem religionis Iudaicæ, quod præter aliorum morem à Samaritana postulare potum. Mox dominum appellat. Nunc prophetici tituli honorem tribuit, quod ex sese nosset aliorum arcana. Moxq; omisso de rebus humilioribus sermone, cupiēs e propheta sublimiora quædam discere, proponit quæstionem ueluti in-
explicabilē de ratione adorandi deum, quod hic longe diuersum sentirent Iudæi & Samaritani. Quum enim utraq; gens deum eundem adoraret, tamen Iudæi cōtendebant deum nusquam adorandum, nisi Hierosolymis in templo, quasi deus alibi non audiret uota precantium. Contra Samaritani simili, sed diuersa superstitione, negabant deum usquam adorandum, nisi in monte Garizim, quod is locus à Mose decretus esset, ubi patriarchæ benedicerent populo seruanti præcepta dei. Quum autem utraq; gens suis ritibus detecta, alterius religionem contemneret, mulier uelut e propheta, talium rerum non ignaro, cupit discere utrius nationis sanctior esset cultus, quasi sequutura quod melius cognouisset. Ait itaque: Maiores nostri in hoc monte soliti sunt adorare, nec alibi fas esse putant deum colere, quum uos Iudæi contra ducatis abominandum in excelsis ac lucis immolare: nec alibi fas esse adorare deum, quā Hierosolymis in templo, quo gloriantur illi, quasi deus aedificio manibus factio cōcludatur. Hæc mulieris interrogatio quoniam ad ueram pietatem discendam pertinebat, Iesus aperit illi, prodito per Euangelicam doctrinam uero & spiritali dei cultu, prorsus abolendam gentium superstitionem deorum ac dæmonum

num religionem: abolendum & Samaritanorū cultum, qui nec de Deo sentiret, ut oportet, sed seu præcipuum quendam dæmonem crederent, & huius cultui dæmonum cultum admiscerent, gentium impiam superstitionē dei cultui uelut ignem aquæ confundentes, & ad illorum exemplum in lucis ac montibus sacra peragentes: & Iudæorum religionē, quæ pro temporis ratione fuerat hæcenus crassa & carnalis, atq; umbras modo quædam ueræ pietatis habebat uerius q̃ pietatem ipsam, in melius profecturam: & posthac deum plenius cognitum per filium & spiritum sanctum, non solum in Iudæa, sed toto terrarum orbe colendum: idq; in sacrationibus templis, quàm erat illud Hierosolymitanum, uidelicet in puris hominum animis, quos ipse deus sibi suo spiritu consecrasset: nec iam ni dore pecudum deliniendum, sed sanctis precibus, sed pijs uotis, sed castis affectibus. Verum hoc Euangelicæ pietatis mysteriū aperturus, præfatur fidem, sine qua nullus est idoneus auditor Euangelicæ doctrinæ, nec idoneus cultor Euangelicæ religionis. Fides enim sola purificat corda, redditq; idonea, quibus credantur philosophiæ cœlestis arcana: Mulier, inquit, fidem habe mihi, si uere prophetam existimas, iam adesse tempus, quando & Samaritanorū impurus cultus abolebitur, & Iudæorum carnalis religio trāsferetur in melius: neq; posthac adorabitis patrem in hoc monte, qui non solum huius montis deus est, sed totius orbis, neq; Hierosolymis: sed ubicunq; erit p̃sorum hominū congregatio, ibi futura est Hierosolyma. Nos interim uobis in hoc præstamus, quod deum per legem cognitum adoramus, quem confitemur omnium rerum ac gentiū dominum: nec illius qui solus adorandus est, cultum aliorum deorum cultu cōtaminamus. Vos adoratis quod nescitis, existimantes deum nō esse deum nisi Iudæorū ac uestrum: & talem ut dæmonū admittat consortiū, cui soli debentur diuini honores. Hæc Iudæos docuit lex, & unius dei cultui templū i p̃sius iussu cōstructū est Hierosolymis, quod templi spiritualis haberet imaginem. Instituti sunt sacerdotes: ad hæc sacrorum ritus, uelut umbris quibusdam designantes Euangelicam pietatem. Hoc igitur uobis præstamus Iudæi, quod melius quàm uos de deo sentimus: quod illius cultum nullo profano deorum cultu contaminamus: quod in loco ab ipso deo præscripto, quod ritibus ab eo traditis illum colimus. Quanquam hæc interim religio, tametsi perfecta non est, tamen ad perfectam pietatem gradus est. Et idcirco salutis inītiū a Iudæis profectū est, qui per prophetas tenent promissa uenturi Messias: qui per legem tenent figuras & umbras Euangelicæ pietatis. Nunc tempus est, ut falsa religio gentium cedat, & carnalis cultus cedat spirituali, & umbræ legis cedant Euangelicæ luci. Iam enim, inquam, instat tempus, imò iam adest, quando ueri adoratores patrem adorabunt, non in templis, non pecudibus, non rebus corporeis, sed spiritu: nō umbris, sed ueritate. Deus enim quum spiritus sit, non delectatur puritate corporali, nec templorum parietibus, nec pecudum uiciniis, sed spirituales adoratores amat, à quibus adoretur iuxta spiritum ac ueritatem. Hæcenus enim satis umbris ac figuris Mosaicę legis datum. Posthac ubicunq; mens erit, per fidem Euangelicam à uitijs pura, ibi templum erit deo dignum: ubicunque uota cœlestia, preces puræ, cogitationes sanctę, ibi uicimæ, qui bus litatur deo. Hoc Iesu sermone tantum profecit simplex et patiens mulieris credulitas, ut quem prius Iudæum, mox dominum, deinde prophetam appellarat, nunc ipsum Messiam esse suspiceretur. Nam & Samaritani ex Mosi promissis prophetā illum eximium expectabant è Iudæis exoriturum. Itaq; respondet hunc in modum: Scio Messiam uenturum, quem expectant Iudæi, de quo iam apud Iudæos rumor est. Is igitur ubi uenerit, explicabit nobis hæc omnia, quæ de nouo dei cultu dixisti, neq; quicquā nos patietur ignorare. Iesus uidens mulieris docilem credulitatem, & ardens cognoscendæ ueritatis studium, quale non repperat in suis Iudæis, dignatur illi aperire quis esset: Expectas, inquit, Messiam uenturum, hunc scito uenisse, iamq; uides illum: nam ego sum, qui loquor tibi. Simulq; his dictis aderant discipuli redeuntes ex oppido: & prius quàm accederent conspicati illum cum muliercula Samaritana colloquutum, mirabantur tantam illius humanitatem. Nemo tamen ausus est illū interrogare, quid rei peteret à muliercula, aut qua gratia cum illa colloquutus esset. Porro mulier stupefacta sermone domini Iesu, nihil quidem respondit, sed relicta apud puteū hydria: iam enim aquæ sitis exciderat, gustata aqua quam promiserat Christus, properat in ciuitatem: & ex Samaritana peccatrice subito facta est apostola: narrat palam omnibus, ut plurimum conscientia suam fidem confirmaret.

*Mulier cre/
de mihi*

Venite, inquit, & uidete hominē admirandum, & occultarum rerū consciū: qui quum hospes sit, & nunquam mihi uisus, tamen narrauit mihi secreta omnia quæ fecerim: fieri potest, ut is sit Messias. Nolite fidere dictis meis, ipsi potius facite periculum, & me nō uam esse comperietis. Hunc rumorem dum spargit inter ciues Sichar, interea discipuli fa spicantes Iesum iam fame cruciari, inuitant ut cibum caperet, quem emerāt. Iesus autem ubiq; captās occasionem, homines à corporalium rerum cura ad spiritualium studium uehendi: quemadmodum mulierem ex mentione aquæ pellegerat ad cognitionem Euangelicæ fidei, ita discipulos adhuc rudes ex occasione cibi prouocat ad studium Euangelizandi: & tum forte non sitiebat aquam putet: & si sitiebat, magis sitiebat hominum salutem; & tamen ex affectu mulieris quæ uenerat aquam haustum, captata est sacri sermonis occasio. Ita tamen si tunc esuriret secundum carnis naturam, tamen maior quædam fames habebat illum seruandī generis humani, cuius gratia uenerat e cœlo. Discipulis igitur ad corporis refectiōē inuitantibus: Mihi, inquit, alius est cibus quē edam, quiq; mihi magis est cordi, q̄ iste quem uos adfertis. Hoc dictum quid sibi uellet, admirantes discipuli, nec audentes tamen interrogare pro reuerentia præceptoris, ne quid offenderetur, inter se loquebantur. Quid hoc sibi uult? An interim dum nos abfuimus, alius quispiam attulit ei cibum? Iesus autem quo magis infigeret in animos eorū quod prius obscure dixerat, dicit apertius: Me, inquit, leuissime mouet iste cibus corporum: est alius cibus qui mihi præd pue curæ est: nimirum ut perficiam id, cuius gratia me huc misit pater cœlestis: hæc est mea fames, hæc est mea sitis, ut obeam quod ille mandauit. Tempus urget, & hominum pronæ mentes ad Euangelicam fidem flagitāt operam prædicatorum. Si uos, qui rei corporū studetis, nostis instare metendi tempus, postq̄ à semente facta quatuor menses præterierint: quanto magis oportet nos nō negligere spiritualis nostræ messis tempus. Quem admodum autem ipsa seges iam flauescens falcem & messorum operam quasi flagitat: ita si sustuleritis oculos uestros, & obseruaueritis humanarum mentium segetem, etiam apud Samaritanos & ethnicos properantium ad Euangelicam doctrinam, intelligetis regiones undique uelut albescere ad messem euangelicam, & operam ac studium nostrum flagitare. Quod si fructus spes facile prouocat messorē ad operam, quanto magis oportet nos alacres esse ad hanc messem patri colligendam, quæ & messori præmiū in cœlis amplissimum parabit, & deo colliget, non triticum in horrea, sed animas hominum in uitam æternam. Atque ita futurum est, ut pariter gaudeat, & qui sementem fecit, & qui metit. Nam uobis usu uenit, quod uulgato prouerbio dici solet: Aliū esse qui serit, aliū qui metit. Plus est sudoris in semente, q̄ in messe. Proscindenda tellus, rastros sarcu loq; cominuendæ glebæ, lætamine stercorendus ager, iaciendum semen, occidendum ac tuendum, reuellenda zizania. Cæterū ubi iam seges maturuit, nō magno negotio demetit. Paratus autem ipse fructus lenit laboris tædium. Cæterum hic secus accidit, quā in messe corporali. Nam illic quoties iuxta uulgi prouerbiū, ad aliū deuenit fructus messis, quā ad eum qui sementem fecerat, gaudet quidem messor, sed discruciatu seminator. Hic contrā fit. Nam simul gaudet & qui sementem fecit, & qui messem colligit, neuter enim caret fructu suo. Ego uos misi ad metendum segetē, in qua uos non laborastis. Prophete suis laboribus subegerunt arua, & mundum adhuc intractabilē sua doctrina præpararunt Euangelio: uos nūc in eorum laborem succeditis, & rem paratam aggredimini, mundo iam ultro se præbente cœlesti doctrinā, & mortalibus in regnum cœlorū uel per uim irrumperere conantibus. Dum huiusmodi sermonibus dominus Iesus cohortatur suos discipulos ad negotium Euangelicum, res ipsa declarat esse uerū, quod dixerat de messe iam albescente. Nam in ciuitate multi Samaritani crediderant uenisse Messiam, quum mulier illa nihil aliud esset testificata de Iesu, nisi quod aperuisset sibi occulta uita dedecora. Cæterū nec ipsum loquentē audierant, nec ullum uiderant ex eo miraculū. Tam prona erat etiam eorum credulitas, qui uidebant à prophetarum promissis alieni. Procurrunt igitur multitudine Samaritanorum e ciuitate, ut oculis cernerent de quo tanto affectu prædicauerat muliercula. Nec minuit opinionem præsentia: nec offenduntur humili cultu, raroq; & tenuiū ac idiotarum discipulorū comitatu, quum Iudæi tot uisis miraculis, tot sermonibus auditis, tot beneficijs affecti, uel calumniarentur illum, uel conuictijs incescerent, uel saxis eijcerent. Deniq; Samaritani ad mulierculæ testimonium obuiam procurrunt non suæ gentis

ἄλλοι μὲν
ἀπεργάζοντο,
ἄλλοι δὲ ἄμυνον.
Cyrill. recensetur & inter
Græcorū pro
uerbia

gentis hominī, quem nondum loquentē audierāt, a quo nihil præclari gestum uiderant: & precibus inuitant, ut urbis suæ hospitio dignaretur uti. Quid autem clementissimus Iesus? Nouerat Iudæorum inuidiam, nouerat odium in Samaritanos: & nondum aderat tempus, ut illis ob inuincibilem incredulitatem repulsis, Euangelij prædicatio demergeret ad gentes. Proinde sic temperauit negotiū, ut nec probabili quapiam specie præberet suis occasionem querendi se spretos ab eo, sibiq; antepositos Samaritanos, quum prophetia promiserit Messiam ipsis uenturum esse: nec Samaritanorum piā credulitatem omnino destitueret. Nā quod per Samariā fecerat iter, necessitatis erat: quod ab ipsis rogatus comoratus est illic biduū duntaxat, humanitatis erat, quam nemo iure poterat calūniari. Iamq; audito Iesu, multo plures illic crediderunt: & eorum credulitas cōfirmata est, qui ex mulierculæ uerbis præclarā opinionem cōceperant de Iesu. Iamq; plenum & uero ludo dignum testimonium ferunt de Iesu dicentes mulieri: Tu parcius de illo prædicaras, q̄ res habet. Nos enim iam nō tuis uerbis adducti credimus hunc esse Messiam, sed ipsi ex eius sermonibus admirandis certū habemus, quod hic est uere Messias ille Iudæis expectatus, qui salutem adferet nō Iudaicæ genti tantum, sed toti mundo. Hoc tam alacri, tãq; pleno testimonio Samaritani & suam declararūt credulitatem, & Iudæorū impiā incredulitatem coarguerunt. Iesus igit, ne Iudæis daret odij maioris & inuidentiæ materiā, nullum miraculū adidit apud Samaritanos: nec nisi obiter ac rogatus ad eos diuertit: nec nisi biduum illorum hospitio est usus, sed mox institutum iter peragit, ac proficiscitur in Galilæam. Porro quum hic haberet obuiam patriam suam, non tamen eò deflexit: non quod eam contemneret, sed quod ob contemptum & incredulitatem suorum, quibus secundum carnem erat notus, & cognatus, non speraret aliquem Euangelij fructum, & prædicatio crimen incredulitatis conduplicasset. Nunc enim leuiore culpa diffidebant doctrinæ Iesu. Rogatus autem dominus, quare nō se conferret ad suos, ostensurus quantus esset, usurpauit illud tritum uulgi sermone prouerbiū: Prophetam nusq; esse cōtemptum, nisi in sua patria, & inter cognatos suos. Sic enim est affectus hominū, ut familiaritas contemptum pariat, & plerq; res illis non ob aliud in precio sint, q̄ quod e longinquo uenerint. Cæterum quum in Galilæa iam ob Ioannis testimonium ac miraculum, quod illic nuper adiderat, rumor satis honestus de illo sparsus esset, quum eò uenisset, exceperunt eum Galilæi: præsertim quod Hierosolymis uidissent eum efficiētem ementes & uenden- tem templo, cæteraq; quæ illic tum teste populo magna cum autoritate gesserat. Nam & hi Galilæi tum conuenerant Hierosolymam ad diem festum. Nimirum hæc omnia condemnant incredulitatem pharisæorum, & Euangelicā gratiam ad gentes demigraturam præbunt. Samaritani ad prædicationē mulierculæ credunt, alienigenā ad hospitium per- ueniunt, Messiam mundiq; liberatorem profitentur, quum nullo miraculo eos fuisset dignatus Iesus. Galilæi crassa & legis imperita natio, apud quam nullus unquam extiterat propheta, uisis miraculis credere cœperunt. Hierosolymitani, sacerdotes, pharisæi, & scribæ, qui uidebantur & religionis apicem tenere, & legis peritia præcellebant, tum facta tum dicta Iesu peruicaciter calumniabantur. Itaq; quo quisq; sibi uidebatur esse iustior ac religio- sior, hoc longius aberat ab Euangelica pietate: & quo quisq; uidebatur iuxta iudicium huius mundi longius abesse a prophetarum ac legis cognitione, quæ Christum promittebat: quoq; magis alienus a religione, hoc erat ad Christum, quem lex promiserat, propensior, ac doctrinæ Euangelicæ capacior. Itaq; Iesus Galilæam ingressus, recipit se in Canā Galilææ, ubi ante dies aliquot uerterat aquam in uinum. Id miraculum initio paucis cogni- tum, post populari rumore diuulgatum, non nihil bonæ opinionis conciliauerat Iesu: sed tamen quæ non responderet ipsius dignitati. Per pauci enim credebant illum esse Messiam, pleriq; prophetam esse suspicabantur. Canam igitur repetebat Iesus, non ut ex mira- culo illic ædito laudem aucuparetur, sed ut ex ea semente, quā occulte fecerat, nunc mes- sem aliquam meteret. Hoc enim erat quod ille sitiebat, hominū fidem Euangelio dignam. Et hic rursus exortum est argumentum Iudæis suam incredulitatem exprobandi. Erat enim id temporis in Galilæa regulus quidam profanum aliquem Cæsaris nomine magi- stratum gerens, nec Iudæus, nec Samaritanus, sed ethnicus, & ab omni religione Iudeo- rum alienus. Huic erat filius unice charus, qui periculose agrotabat in ciuitate Caperna- um. Is cum audisset, quod Iesus relicta Iudæa se reciperet in Galilæam, ipse profectus e ci- uitate

uitate Capernaum, domi relicto filio, uenit ad eum, precibus ab eo contendens, ut unâ secum proficisceretur Capernaum, ac sanaret filium ipsius. Maior enim erat morbi uis, quâ ut ad Iesum ægrotus deferri potuerit. Iam enim coeperat agere animam, quum abiret regulus. Porro Iesus indicans adhuc imperfectam esse reguli fidem, qui nondum crederet filium sanari posse, nisi Iesus eò se cõtulisset, quasi medicum accerferet, aut quasi non posset & mortuo uitam restituere: sed magis arguens quorundam Iudæorum incredulitatem, qui nec miraculis uisus crederent, ait regulo: Illorū, inquit, fiducia mihi gratissima est, qui nudo sermoni nullis miraculis confirmato credunt. Vos mihi nō creditis, nisi uideritis signa & prodigia. Regulus ut erat totus intentus periculo filij morientis, nihil ad hunc sermonem domini Iesu respondet, quod existimaret huiusmodi colloquio tempus eximī, quum morbus posceret præsens remediū. Urget igitur, ut properet uenire Capernaum, priusquâ moreretur filius, quasi frustra uenturus, si post exhalatā semel animam uenisset: quum nihilo difficilius esset Iesu, animā semel elapsam reuocare, quâ exire parantem in corpore retinere. Iesus itaque non obiurgata fide reguli, re ipsa ostendit se longe plus posse, quâ ille se posse confideret. Nihil, inquit, opus est, ut hac gratia me conferam Capernaum, ab ita filius tuus, quem morientem reliquisti, uiuit ac ualet. Hoc dicto nonnihil confirmata est reguli fides. Nam is fretus sermone Iesu, domum properat. Quum autē eò proficisceretur, occurrerūt illi serui, rem lætam nunciaturi patri de filio, quod modo morti proximus subito reualuisset, ne iam sollicitaret Iesum, cuius opera nihil esset opus. Suspiciabantur enim puerum casu quopiam conualuisse, ignari quid actum esset inter regulum & Iesum. Hic uero diffidentia reguli, mixta fiducia, fidem asseruit miraculo. Regulus enim certum scire cupiens, casūne, an uirtute Iesu reualuisset filius, sciscitatus est à famulis, qua nam hora filius cœpisset habere melius. Tum illi: Heri, inquit, hora septima subito reliquit eum febris, & ilico ualuit filius. Agnouit pater hanc fuisse horā, qua sibi dixisset Iesus: Abi domum, filius tuus uiuit. Iamque certum habebat, nō casu, sed uirtute Iesu reuixisse puerum. Nec fructu suo caruit hoc miraculū, quanquā in hominem ethnicum collocatū. Non solum enim ipse regulus credidit Christum esse Messiam, uerum etiā illius persuasionem & exemplo credidit uniuersa familia, quam frequentē ac numerosam fuisse oportuit, utpote hominis opulenti, & magistratu fungentis, quum Iesus apud suos populares & cognatos multis æditis miraculis uix paucos Euangelio lucrifecerit. Hoc denuo secundum signum fecit Iesus, quū redisset à Iudæa in Galilæā, ut prius miraculū quod ediderat in Cana, rursum altero maiore cōfirmaret, & hominis profani exemplo suos ad fidem prouocaret: iam tum ceu præludens per occasionem, & Iudæos ob suam incredulitatē repellendos, & gentes per fidem ad Euangelij gratiam recipiendos.

CAPVT V



His rerum initijs iactis apud Samaritanos & Galilæos, Iesus rursum se cōfert Hierosolymam, idque sub diem festum pentecostes, nimirum ob populi frequentiam pluribus declaraturus suam autoritatem, & pharisæis falsa sanctorum moniæ scientiæque persuasionem turgentibus exprobraturus suam incredulitatem, qui tanto interuallō à Samaritanis & ethnicis superarentur. Erat autem Hierosolymis piscina, siue lacus quidam, quæ Græcis dicitur probatica, nimirum à peccatis, quod illic sacerdotes hostias immolandas abluere soleant: & ab eodem argumento Hebræis dicitur Bethesda, quasi dicas domū pecualē. Lacus hic habet imminentes sibi quinque porticus. Is his decumbebat magna uis hominū, uarijs corporū morbis laborantium: præterea cæcorum, claudorum, mancorū uis ingens, qui motum aquæ expectaret. Nam statim temporibus angelus domini descendebat in piscinam, simulque mouebatur aqua. Porro post aquam ab angelo motam, qui primus descendisset in piscinam, is liberabatur à morbo, seu corporis uitio, quocunque teneretur. Atque hæc iam tum erat imago baptismi, quo sordes morbiq; animarum, quamlibet capitales, semel abluuntur, quoties ad elementum aquæ, baptizantis opera, & diuina uis coelitus accesserit. Nec dubium est, quin hac occasione tum temporis ingens hominum frequentia in eo loco uersaretur, uel eorum qui ad spectaculum conuenerant: uel eorum, qui curam agebant ægrotorum in quinque porticibus decumbentium. Ex his omnibus Iesus, quo miraculum esset insignius, unum elegit omnium maxime deploratum, ut qui morbo periculoso, penesque immediabili, deinde uetustissimo teneretur: postremo qui maxime desideraret alienum subgidium

dum : & adeo tenuis erat ægrotus, ut neminem parare posset, à quo tempestiue deferretur in aquam. Nec ex ea turba sanabatur quisquam, præter unum, cui contigisset primum in aquam descendere. Huius calamitas ad miraculi magnitudinem erat profectura, & eiusdem fides conducebat ad exemplum. Siquidem triginta iam annos rem habebat cum paralyti, ut nos doceret, nullum esse morbum animi tam capitalem, tamque inueteratum, quem non facile tollat baptismus, & fides in Iesum. Hunc igitur omnibus deploratum paralyticum cum misericordissimus ille Iesus conspicatus esset, solutis morbo membris iacentem, & cognouisset malum hoc esse deploratius, quod iam triginta totos annos detinuerat miserum, misericordia tactus, dixit illi : Vis ne saluus fieri : uidelicet fidem hominis ac tolerantiam circumstantibus uolens ostendere, præterea uim morbi omnibus conspicuam facere, simulque subindicans neminem ab animi uitijis sanari posse, nisi morbum suum oderit, & salutis desiderio teneatur. Neque enim dubium erat, quin ille cuperet sanitatem, qui tot annis obfederat piscinam pertinaci spe salutis, nec toties frustratus spem abiecerat. Paralyticus itaque non respondebat ad id quod rogarat Iesus, & tamen aliquid bonæ spei ex illius tam alacri interrogatione concipiens, ostendit sibi non deesse uoluntatem, nec se diffidere ob morbi magnitudinem ac uetustatem, quin delatus in piscinam, posset sanari, sed ait sibi deesse hominis baiuli opem, per quem mature deportaretur in piscinam, simul atque moueret aqua. nam ubi sensissent alij moueri piscinam, pro se quæque properare, ut primum ingressus salutis beneficium solus auferret : ipsum uero morbo tardum, ac baiulo destitutum, frustra iam prorepere in lacum, quum alius prior descendisset. Hæc autem paralytici uerba eo tendebant, ut uerecunde rogaret Iesum, uti ipse qui ualidus erat, ac ut uidebatur ex compellatione misericors, quum tempus esset, sese deferret in piscinam. Id quidem non audebat palam ab eo petere, tamen exposita necessitate subindicabat, quid obstarat ad salutem. Nec enim nouerat ægrotus Iesum. Iesus autem delectatus hominis tolerantia, qui quod plerique calamitosi solent, non uociferaretur, non deuoueret seipsum, non exeret diem in qua natus esset, nec offensus interrogatione Iesu, an uellet sanus fieri, clamaret sese ab eo haberi ludibrio : simulque commotus dominus tam pertinaci spe salutis ad piscinam : denique uolens ostendere, & eos qui motu piscinæ sanabantur, sua uirtute sanari : sibi in promptu esse, solo nutu omnes & corporum & animorum morbos posse tollere, dixit illi : Surge tolle grabbatum tuum et ambula. Simulque cum dicto sanatus est homo, ut non solum liber esset à morbo alioqui languidus & imbecillis, quemadmodum solent qui medicorum arte sanantur, sed ut absque hominis adminiculo subrigeret sese in pedes, lectulum suum in humeris sustolleret, atque ita robustus lecti sui baiulus ambularet, ac diuturni morbi monumentum cunctis uidentibus domum referret. Erat autem sabbatum cum hæc faceret paralyticus, atque inde calumniæ seminarium pharisæis : qui quæ legis erant carnalia, & non nisi ad tempus data, superstitiose tuebantur, neglectis istis, quæ erant præcipua, ac perpetuo duratura. Sabbatorum ocium uiolasse, nefarium erat apud illos : proximum fraudasse sabbato, nullius erat momenti. Sabbato sustulisse grabbatum, impium uideri uolebant : inuidere misero sanitatem, culpa non erat. Nouerant paralyticum, sciebant multis annis decubuisse : constabat eum iam esse ualidum, nec ulla morbi uestigia præ se ferentem. Ex tanto miraculo & glorificare deum debuerant : & sanato gratulari, nisi uere impij fuissent erga deum, & inuidi erga proximum. Adoriuntur igitur eum, qui sustulerat grabbatum, & obiurgant peruerse religiosi : Sabbati dies est, inquit, cui debetur oratium. Non est fas tibi tollere grabbatum tuum. Ille non dissimulans beneficium acceptum, & Iesu autoritate criminis inuidiam à se depellens, significans eum qui rem tantam uerbo præstare potuerit, homine simul & sabbato maiorem uideri, respondit calumniantibus Iudeis : Is qui me simplici uerbo sanum fecit, iussit ut grabbato sublato ambulare. Hoc autem dicto, cum iam ob miraculum credere debuerint, non solum inuidebant sanato, uerum etiam restituta sanitatis autori moliunt insidias : Quis est, inquit, iste homo, qui dixit tibi, tolle grabbatum tuum & ambula : Volebant enim uiolati sabbati crimen in eum impingere, quod & alias non semel fecerunt. Cæterum is, qui sanatus fuerat, non nouerat de nomine Iesum, de facie tantum nosse poterat : sed tum quidem demonstrare non poterat, quod Iesus loquutus paralytico, statim subduxit sese à turba : partim ne sua præsentia magis irritaret ludæorum inuidiam, partim ut ipso absente, miraculum maiore cum fide cognosceretur

ex eo, qui sanitatis beneficium senferat. Porro iam cognito cōpertoq; miraculo, Iesus autorem quocq; cognitum esse uolens, cum obuium habuisset eum, cui tribuerat beneficium sanitatis, ait illi: Ecce sanitatem es consequutus, depulso morbo corporis, qui tibi natus erat ex animi morbo, utrumq; sustuli malum. Tu caue posthac ne recidens in pristina peccata, grauius aliquod malum tibi accerfas. Itaq; postea quā cognouerat is, cui contigerat sanitas, eundem esse, qui prius iusserat tolli grabatum, & qui nunc testatus se esse sanitatis autorem admoneret, ne peccatis iteratis recideret in morbum aliquem grauiorem, eiq; nomen esse Iesum: abiit ad Iudæos calumniatores, & indicauit Iesum esse, cui deberet suam sanitatem, existimans illud multorum interesse, ut omnibus notus esset, qui uerbo posset sic mederi morbo deplorato. Atq; hic quoq; se prodit Iudæorū exitio digna peruersitas. Etenim cū Samaritani Iesum ad mulierculæ testimoniū honorifice exceperant: cum Galilæi, inter Iudæos ob ignobilitatem & legis imperitiā uulgo male audientes, Christo credidissent: cum regulus ethnicus ob unicum miraculum, tum tota familia Iesum mundi seruatorem esset professus: Hierosolymitæ, & urbis nobilitate, & templi religione tumentes, & exacta legis peritiā sese uenditantes, Iesu struunt calumniam adeo destituta malitiā, ut quū sanitatis beneficium euidentius esset, q̄ ut negari posset, esset et sanctius, q̄ ut reprehendi posset (quid enim sanctius, quā homini calamitoso gratis dare salutem corporis?) illud impingāt Christo, quod neglectio sabbati iussisset tolli grabatum: quasi homo conditus esset ob sabbatum, ac non potius sabbatum hominis causa repositum: aut quasi non oporteat legis ceremonias ubiq; cedere præceptis, & officijs sanctioribus. Quanta autem cecitas, indignari Iesu, quod hominem miserandum sanasset sabbato, cum ipsi qui sibi uidebantur legis tenacissimi, non uererentur asino in puteum delapso succurrere die sabbati? In homine subleuato calumniantur offensum deum, sine cuius auxilio non poterat homo sanari, in asino subleuato non existimant uiolari sabbati religionem. Hæc est præpostera religio Iudæorum, speciem religionis amplectentium, & ob id ueræ religionis caput subuertētium, mordicus tenentium legis umbras, & eum cuius gratia lex erat scripta, obstinatis animis persequentium. Non enim solum calumniabantur Iesum, uerumetiam persequēbātur, non ob aliud, nisi quod rem sanctam, ac piā fecisset in sabbato. Iesus autem ut ostenderet se sabbati dominum esse, nō seruū: autorem non subditum, simulq; declararet Iudæorum calumniam, quam impingebant filio, ex patris autoritate facienti quæ faciebat, ad ipsum patrem recidere, his uerbis retundere conatus est Iudæorum calumniam: Pater, inquit, meus cœlestis, cuius uos uideri uultis religiosi cultores, quicq; uobis sabbati fuit autor, quum orbe sex diebus condito, septimo requieuisset ab opere, non ita se obligauit ocio, quin quoties uisum est, posset quæ uelit operari. Nam cum illius sabbatum adhuc dureret, non cessat tamen ab opere, quo gubernat omnia quæ condidit, quo subinde res alias ex alijs generat, quo collapsa restituit. Quem admodum igitur ille ob religionem sabbati, quo dicitur ab opificio mundi conquieuisse, non desinit quotidie benefacere mortalibus ac rebus creatis omnibus: ita ego qui filius illius sum, ab eo & potestatem, & exemplum habens operandi quæ faciūt ad generis humani salutem, nō impediō religionē sabbati, quo minus ea perficiā, quæ pater mandauit. Quod si me damnatis ob sabbatum uiolatum, eadem opera damnatis & patrē meum, qui mihi & exemplum est, & autor hæc agendi, Quod si illum absoluitis, & glorificatis ob salutem homini deplorato restitutam, cur mihi sabbati uiolati crimen impingitis, ac non potius agnoscitis uirtutem, sabbati religione maiorem? Ego uitam misero restitui, uos mihi ob tantum beneficium mortem machinamini. His tam sacris Iesu sermonibus tantum abest ut Iudæorum furor factus sit mitior, ut magis etiam exacerbati, tumultuarentur aduersus illum, captantes occidendi occasionē: propterea quod iam nō solum uiolaret sabbatum, sed & deum sibi ueluti propriū patrem usurpabat, semet illi æquans in operibus & autoritate faciendi quæ uellet. Dominus autē Iesus intellecta malicia illorū, pergit illos, clarius exposita potestate, quam à deo patre accepisset, detertere ab impia crudelitate: sic sermonem suum temperans, ut nunc sublimia quædam loqueretur, diuinam naturam insinuans, quam habebat cum patre cōmunem; nunc humiliora quædam admiscēs, quæ naturam humanam testarentur: ut si illos non pelliceret ad amorem hominis affinitas, certe diuinæ uirtutis sublimitas cohiberet ab impia temeritate. Sic autē uindicta sibi cōsortium potest

*Pater meus
usq; modo op
ratur*

*Propterea et
go magis quæ
rebant*

potestatis cum patre, ut illi tamen cedat auctoritatem. Locutus est autem hunc in modum: Miramini quod operandi societatem mihi uindicauit cum patre. Illud etiam atque etiam affirmo uobis, filius qui totus à patre pendet, non potest quicquid ex se facere, cum ex se non sit, sed quod uiderit patrem facientem, idem & ipse facit. Est quidem uoluntas ac potestas eadem, sed penes patrem est auctoritas, unde proficitur in filium quicquid est, aut potest filius. Quicquid igitur fecerit pater, hæc eadem pariter operatur & filius, ob æqualitatem communicatæ per natiuitatem potestatis. Inter homines sæpe degenerant à parentibus filij, nec eadem semper est patris ac filij uoluntas, nec eadē facultas. Secus hic res habet: Pater enim unice diligit filium, suique simillimum genuit, paremque potestatem operandi transfudit in illū, omniaque demonstrat filio faciendā, quæ facit ipse. Exemplar ab illo proficitur, ceterum operatio communis est utriusque. Cōdidit ille mundum, & idem mundum etiam sabbatis moderatur. Cōdidit hominem, idem etiā sabbatis seruat hominem. Quisquis igitur calumniatur opera filij, patrem afficit contumelia. Hæc quæ uideris me facientem sabbatis, autore patre, ac patre præscribente, facio. Quod si mirandum uidetur, atque humanis uiribus maius, dicto restituere sanitatem paralytico: pater, ad cuius præscriptum filius facit omnia quæ facit, declarabit quod suo filio his etiam maiora demonstrauit opera, quo magis etiam miremini. Nam longe potentius est excitare mortuos ad uitam, quàm ægro restituere sanitatem. Et hanc quoque potestatem pater tradidit filio. Tradidit autem perpetuam ac propriam, ut quemadmodum pater solo nutu suscitaret mortuos, & ad uitam reuocaret, sic & filius eadem potestate, quos uult ad uitam reuocet. Quicquid enim agit pater, per filium agit: quicquid agit filius, ex uoluntate patris agit. Eadem autem est patris, filijque uoluntas, quæadmodum est eadem & potestas. Summa præcipuaque dei auctoritas est, iudicare mundum: rex enim est, ac dominus uniuersorum. Et tamen hanc quoque totā potestatem impartiuit filio, cui tradidit omne ius iudicandi, quicquid in cælo est, quicquid in terra, quicquid subter terram. Quæadmodum pater omnia condidit per filium, omnia moderatur per filium, omnia restituit per filium: ita nihil iudicat, nisi per filium, ut uterque alterū illustret ac doceat. Pater innotescit per filium, per quē operatur: filius uicissim patris maiestatem declarat, unde habet quicquid operatur, ut utroque per alterum cognito, omnes honorificent filium, quæadmodum honorificat patrem. Par est enim esse consortiū honoris, inter quos est consortiū potestatis, ac uoluntatis. Nolite putare, quod patrem habeatis uobis pro patre, si sitis à filio alieni. Quisquis honorat patrem in filio operantem, idem honorat & filium ex patre operantem: quisquis autem non honorat filium patri charissimum ac simillimum, idem nec patrem honorat, qui in hoc misit filium, ut per illum honorificetur. Nullum enim inter illos commune non est, siue quid est honoris, siue quid est ignominie. Qui filio diffidit, diffidit & patri à quo missus est in mundum, & cuius uoluntate ac præscripto facit, quicquid facit, ac per quem mundo pater loquitur. Quemadmodum non mediocre premium erit credenti, ita non leuis erit poena diffidenti. Illud enim pro certo dico uobis, quisquis audit sermonem meum, & credit ei qui me misit, et per me loquitur, iam habet uitam æternam. Quisquis enim iustificatus est à peccatis, & per iusticiam uisit deo, deum uidet, & uitam æternam habet: nec huic metuenda erit damnatio mortis æternæ, quæ manet in incredulos, imò quæ iam habet incredulos: sed ablatus à pristinis flagitijs, per fidem migrat à morte ad uitam. Plus est animam peccato mortuam reuocare ad uitam, quàm corpus exanimam uitæ restituere. Sed utriusque rei potestatem pater dedit filio. Hoc habetis pro certissimo, quod instat tempus, imò iam adest, quo mortui quoque audituri sunt uocem filij dei: & qui audierint, uiuent. Excitati enim uelut à somno prodibunt ex sepulchris, ac mirantibus uobis declarabunt sese uere uiuere. Sic reuiuiscunt & animæ mortuæ, si uocem audierint filij dei. Non audit autem, qui diffidens audit. Olim reuiuiscunt & omniū corpora de terra ad uocem filij dei: nunc in paucis ad uitam reuocandis à dīto specimine futuræ resurrectionis, id quod maius est agitur, ut ad eiusdem uocem reuiuiscant animæ. Vt nihil est uita preciosius: ita nihil est diuinius, quàm dare uitam aut reddere. Non est quod diffidat quisque potestati filij, si fidit potestati patris. Nemini dubium est, quin deus fons sit omnis uitæ, unde fuit omnibus ut uiuant, siue in cælis, siue in terris. Sed quemadmodum pater habet uitam in semetipso, ut eam quibus uelit impartiat, aut restituat: ita dedit & filio, ut in se totius uitæ fontem habeat, simulque tradidit illi ius iudicandi uiuos & mortuos. Huius enim

Nec enim pater iudicat quemquam

Qui non honorificat filium

Amen amen dico uobis, quia uenit hora

enim sententia ineuitabili, qui paruerint ipsius doctrinæ, transferentur in uitam eternam; contra, qui parere noluerint, addicentur æternis supplicijs. Tantam potestatem esse traditam hominī, nolite mirari, quum idem sit filius dei. Hoc traditum est illi, quod semper habuit cum patre commune. Interim date operam, ut per credulitatem digni sitis uita. Si quidem uenturum est tempus, ut omnes qui mortui sunt & sepulti, audiant omnipotentem uocem filij dei, atq; ilico reuiuiscant corpora: & qui mortui fuerunt, & humo conditi prodibunt e latebris terræ, sortituri credulitatis, aut incredulitatis diuersa præmia. Nam qui hic bona fecerunt, tum reuiuiscant ad uitæ immortalis hæreditatem: rursum, qui mala patrarunt, reuiuiscant ad æterna mortis supplicia. Fons autem malorum omnium est incredulitas, quæ admodum fons bonorum omnium est fides. Nec est quod quisq; calumniatur filij iudicium uelut iniquum. Si patris iudicium iniquum esse non potest, nec filij iudicium, quod idem est cum patris iudicio, potest iniquum esse. Nec enim aliud iudicat filius, q̃ quod præscripsit pater. Qui metuit patris iudiciū, metuere debet & filij iudicium. Non ego possum à meipso facere quicquam. Sicut à patre audio, ita iudico, eoq; iustum est iudicium meum: quia non est mihi alia uoluntas, quàm quæ est patris, ut aliquo pacto corrupta uoluntas corruptum pariat iudicium. Apud homines leuis est fides illi, qui testimonium fert de seipso: & arrogans habetur, qui sua ipsius uoce sibi magna uindicat. Quod si solus ego mihi testis sum, sit apud uos uanum testimonium meum. Sed est qui de me testimonium perhibuit, cui uos plurimum tribuitis in cæteris, hic parū uobis constantes, non creditis, cum sciam uerum esse illius testimonium, quia non ex sese protulit, sed ex afflatu patris. Non potestis tergiuersari, leue pondus habere apud uos Ioannis testimonium. Ipsi uiros graues ad illum misistis, tanquam à certissimo autore per certos homines cogniturum ipse esset Messias. Ille non uindicauit sibi falsam laudem, quam illi uolebatis tribuere, sed ueritatem professus est: palam testificans se non esse, qui putabatur, sed me esse Messiam, qui tolleret peccata mundi, & uitam daret mundo. Huius certe testimonium, cui tantum tribuebatis, ut eum crederetis esse Messiam, apud uos pondus habere deberet, præsertim quum à me non sit procuratum, sed à uobis ipsis expressum. Ego quod ad me pertinet, non opus habeo commendari hominis testimonio, sed Ioannis de me testimonium uobis ingero: non ut ego pluri apud uos fiam, qui nihil moror humanam gloriam, sed ut uos, apud quos tanta est Ioannis autoritas, credentes ei, de quo ille testificatus est, uitetis incredulitatis condemnationem, & per credulitatem assequamini salutem. Magnus quidem erat Ioannes, sed lux illa promissa mundo non erat, tantū erat lucerna, de nostro igni ardens, de nostro lumine lucens: Vos autem cum illius indicio debueritis properare ad lucem ueram, quæ semper illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, maluistis ad breue tempus in illius luce gloriari, quàm ueram amplecti lucem: quæ gloriā largitur perennem, nec unquam obscuratur, occidit ue. Præluxit ille soli mox cessurus, & uero lumine emicante obscurandus. Voluistis illum esse Messiam, qui se negabat dignum qui solueret corrigiam calciamentorū Messia. Cur ergo testimonium illius apud uos nunc leue est, quod de me tulit, quum alioqui tam magnifice de illo senseritis? Non pendeo à Ioannis testimonio: sed tamen optarem apud uos habere pondus, ne pereatis ob incredulitatem. Et tamen si illius testimonio diffiditis, ego ex meipso certius habeo testimonium: nimirum patris mei, qui maior est Ioanne, cuius testimonium refelli non potest. Nullum est certius testimoniū ipsis factis. Ea si uidetis esse digna Deo, si uidetis à me fieri, satis de me testificantur me nihil ex meipso facere, sed ex eo, qui me salutis uestre causa misit in mundum. Non est igitur quod excusetis incredulitatem uestram, meamque fidem eleuetis, quod ipse duntaxat sim testis, quod magna de me prædicem. Habetis Ioannis apud uos grauissimum testimonium, quanquam ille magis eget meo testimonio, ne falso uideatur testificatus. Habetis operum meorum testimonium, ut iam non necesse sit dictis cuiusq; credere, quum ipsa facta conspiciatis. Quod si ne hoc quidem incredulitati uestre satis est, audistis apud Iordanem patris uocem e sublimi testificatē de me. Pater autem cum spiritus sit, nec uocem habet quæ possit auribus humanis percipi: nec speciē, quæ cerni possit oculis corporeis. Nam Moysi non talis apparuit & auditus est, qualis est suapte natura, quemadmodum uos existimatis. Sic enim soli filio uisus est atque auditus, & tamen aliqua uoce, aliqua specie, se uestris sensibus insinuauit. Locutus est prophetis, per prophetas

Non possum
ego à meipso
facere quicquam

Si ego testimonium
fero de meipso
perhibeo

Et qui misit
me pater

tas locutus est uobis: Ioanni loquutus est, per Ioannem uobis: mihi uero ut est suapte natura, loquutus est, per me loquitur uobis. Quod si non tergiuersamini Ioannis testimonium palam fuisse redditum, cur illi non creditis? Si putatis Mosi & Prophetis uere locutum ac uisum deum: cur his quæ per illos locutus est, non creditis? Certe creditis scripturas esse profectas à deo: quumq; in his scrutandis diligenter uersimini, atq; in his uitæ spem ac felicitatem collocetis; tamen quemadmodum Ioanni, cui in cæteris plurimum tribuistis, de me testificanti fidem habere nolulistis, ita scripturis in eo quod est omnium caput, non creditis. Promittunt enim illæ uitam, sed per me. Testificatur illic pater de me, ac promittit semissurum filium, per quem salus sit danda mortalibus. Sed quemadmodum audistis Ioannem, nec creditis: audistis uocem patris, nec creditis: ita nec legis ac prophetarum testimonium hæret animis uestris: cum libros semper habeatis in manibus, cum uerba semper in ore, tamen eum, quæ illæ literæ promittunt, rejicitis: ei quem pater iuxta prophetarum promissa misit, non creditis: cumq; non sit aditus ad uitam, nisi per me, tot testimonijs cõprobarum, tamen omnibus cõtemptis, non uultis uenire ad me, ut minimo negotio uitam habeatis. Nam credidisse filio, quæ misit pater, salutis est ianua. Non est quod testimonio Ioannis aut prophetarum uener apud uos humanam gloriam, sed uestrum exitium doleo, qui uobis ipsis incredulitate uestra uitam inuidetis æternam, simulq; adimo uobis omnem excusationem, si non credideritis. Tot testimonia protuli, quibus uos alijs in rebus plurimam tribuistis autoritatē, in me solo, cuius gratia scripta dictaq; sunt omnia, non recipitis. Dei cultum & amorē præ uobis fertis: prophetas per quos ille locutus est, ueneramini: & tamen à deo promissum, & operibus se declarantē quis sit, aspernamini. Hoc nimirum est argumentum quod deum ficta religione colitis: nec uere diligitis deum, quem lex iubet ex tota anima, totisq; uiribus diligi, quum illius filium contemnatis. Incredulitas ergo uestra non est ex inopia testium, sed ex inopia ueræ charitatis in deum. Amatis gloriam humanam, amatis pecuniam, amatis uoluptates, & ad hæc abutimini ficta religionis specie. Filium autem dei persequimini, quod ea doceat, quæ pugnant cū istis uestris prauis cupiditatibus, quanquam cum patris uoluntate consentiunt. Hæc arguunt uos non ex animo diligere patrem. Etenim qui diligit, credit & obtemperat: & qui patrē diligit, non potest odisse illi charissimū filium: & qui legantem amat, non potest aspernari legatū: præsertim cum ego nec gloriam, nec regnum, nec opes ambiam apud homines: tantum ambio gloriam patris, & in hoc ambio, ut uos seruemini. Videtis opera digna deo, & tamē hominum gloriam non mihi uindico, sed patri, cuius sunt opera per me gesta. Quum igitur uideri uelit religiose colere patrē, tamē me, qui illius nomine ueni, nec aliud ago, q̃ ille præscripsit, non recipitis. Et quā est is peruerse increduli mihi, qui patris nomine ueniens, gratis uitam ac salutem offero: tam eritis stulte creduli, si quis suo nomine ueniens, sibi dei gloriam arrogans, futurū non dei negotium agens, uobis adferat ea, quæ pertrahant in mortem æternam. Si uobis deus charus est, cur illius gloriam quærenti obstrepitis? Si uitam æternam amatis, cur autorem uitæ repellitis? Si impius est qui sibi uindicat dei gloriam, quorū recipitis, qui dei gloriam falso arrogat sibi? Quid igitur superest, nisi ut fateamini fictam esse uestram pietatem erga deum? Verbis, cultu, ceremonijs deum colitis, re uera odistis. In ore est, templum domini, templum domini, templum domini: in corde est pecunia. In ore sunt lex & prophetæ: in corde est ambitio laudis humanæ. In ore sunt uerba legis: Dilige deum tuum ex toto corde tuo, & proximū tuum sicut te ipsum: in corde est liuor & odium & homicidiū. Vera laus est, meruisse laudem apud deum: Vera pietas est, omnem gloriam deo transscribere. Quomodo igitur potestis credere mihi, nihil aliud prædicanti, quā gloriam dei, quum uos contempta uera gloria, quæ à deo proficiscitur, ueneramini falsam gloriam apud homines, inuicem uobis adulantes, & deo suam gloriam inuidentes: captantes falsam religionis speciem apud homines, contempta sincera conscientia, quā intuetur deus? Venantes sordidū huius mūdi lucrum, perditis uitam æternam. Mirum igitur non est si habetis deum iratum, cui tam pertinaciter obstititis. Nolite putare, quod ego cupiēs ulcisci contemptū meī, uos delaturus sim apud patrē. Nihil opus est me delatore: Moses ipse uos deferet, cuius autoritatē apud uos sacrosanctā fingitis, & in quo summā fidē collocatis, habentes pro oraculo quicquid ille scripserit. Sed quēadmodū fictæ Ioannē uenerabamini, cuius de me testimonio non creditis: quēadmodū fictæ ueneramini prophetas

Claritatē ab
hominibus nō
accipio

Ego ueni in
nomine patris
mei

prophetarum oracula, nunc eum persequentes quem illi promiserant: quēadmodum fīcīe deum colitis, cuius opera nō agnoscitis, cuius filium odistis: ita Moſen fīcīe colitis, cuius autoritas uobis leuis eſt in eo, in quo maxime debebat ualere. Siquidē ille de me ſcripſit. Etenim quū maiores ueſtri offenſi terribili uoce dei, & igni pernicioſo, deprecarentur ne poſthac dei uocem audirent, aut ignem formidabilem experirentur: deus approbauit poſtulationem ueſtram, ac Moſi promiſit ſe ſuſcitaturū de fratribus ueſtris eximium prophetam, ipſi ſimilem, cuius uocē placidam ac mitem, nec territantē minis, ſed ad ſalutem inuitantem oporteret audire. Cēterum huius dictis nō obtemperātī, poenā cōminatus eſt deus, dicens: Qui autē non audierit uerba eius, quā loquetur in nomine meo, ego ultor exiſtam. Rurſum, Qui prophetā audierit in ſuo nomine uenientem, & ea loquentem, quā deus illi non mandauit, eum iubet interfici. Nemo igitur alius uos magis accuſabit apud deum, q̄ Moſes amicus ueſter, cuius ſcripta cōtemnitis. Ille me promiſit placidū, mitem, & omnia quā deus uoluerit loquentem. Talis adſum, & repellitis. Ille iubet interfici qui ſuo nomine uenerit, & ſuo ſpiritu loquatur. Talem odio mei cōplectimini, ut magis congruentem ueſtris deprauatis cupiditatibus. Non ſolum igitur eſtis contumaces in me, uerum etiam in Moſen ipſum: cuius promiſſis diffiditis. Etenim ſi fidem haberetis Moſi, nimirum & mihi crederetis, quem ille promiſit, & cuius dictis credi iuſſit. Non igitur mirandum eſt, ſi meis dictis nō creditis, quem palam ut humilem cōtemnitis, quum nec Moſi ſcriptis fidem habeatis, cuius autoritatem tantam uideri uultis apud uos, & de quo tam magnifice ſentitis. Huiusmodi dictis dominus Ieſus, lux & ueritas, coarguit ac prodidit fīctam Iudæorum religionem, qua nihil eſſe poteſt aduerſus Euangelicā pietati: ut qui nec tot tantisq; de ipſo testimonijs cōmouerentur, nec benefactis ac benignis uerbis allicerentur, nec minis terrentur, nec æternæ uitæ deſiderio prouocarentur ad fidem, nec gehennæ metu reſipiſcerent ab incredulitate, certe palam eſſet omnibus eos ſuo merito perire. Atq; hæc ſi loquutus fuiſſet dominus apud Samaritas, aut ethnicos, præſertim miraculis ſermoni fidem conciliantibus, conuerſi fuiſſent ad poenitentiam. At Hieroſolymitæ, ſcribæ, phariſæi, & ſacerdotes, nihil ad hæc reſpondent, quæ reſelli non poterant: perſiſtunt tamen in parricidalibus ſuis cogitationibus, & æternæ uitæ beneficium offerenti, mortis ſtruunt conſilia.

CAPVT VI

LESVS igitur ad tempus cedens illorum ueſaniæ, à ſimulatæ religionis opinione, & imperita legis peritiā tumidis ſe ſubducens, reddit ſe ſimplicioribus, denuo proficiſcens in Galilæam: nō iam rurſus in Cana, ſed in eam quæ eſt ultra lacum, quæ ob ciuitatem Tiberiadem, à Tiberio Cæſare cōditam, lacui imminentem, dicitur Tiberiadis. Atq; huc proficiſcentem ſequuta eſt ingens hominum multitudo: partim allec̄ta cupiditate miraculorū, quia uiderant eum in ſolita uirtute tollentē morbos hominū: partim ut ab eo ſanarentur, qui morbis immedicabilibus tenebantur: partim illius inhiantes doctrinæ. Quum autē uideret tantum ardorem promiſcuæ multitudinis, ut obliti cōmeatus ſeſe procul in loca deſerta ſequerentur, iam miraculo ſuos diſcipulos præparans, quibus uolebat id quod facturus erat, maxime compertum & infixū eſſe, nam adhuc rudes erant: in montē ſubducit ſeſe unā cum diſcipulis, ipſa re docens, eum qui populi paſtorem profiteatur, quanq̄ ut proſit ſuis, ſeſe plerunque miſcet etiam infimis, tamen nonnunquam oportere mentem ad ſublimiora quædam erigere, quoties ſacro ſtudio aut precatione prouocandus eſt animus ad rerum cœleſtiū cōtemplationem. Turba manet in humiliori loco, ſolī diſcipulī comitātur Ieſum, quod Epiſcopos oporteat à ſordidis temporalium rerum curis uacuos eſſe: atq; ea quæ populus rudis miratur, uelut è ſublimi deſpicere. Itaq; ſemotus aliquantulū à turba, conſedit in monte Ieſus, cū diſcipulis ſuis: ſed ita ut turba eſſet in proſpectu. Non enim oportet Epiſcopos à Chriſto recedere, etiā ſi populus hæreat in humilioribus. Et in monte ſedendum, hoc eſt in ſtudijs cœleſtibus cōquieſcendum: in humilioribus, quæ ex charitatis affectu pro tempore tractantur, ambulandum potius q̄ ſedendum. Nec ſic oblectandus eſt animus cōtemplatione ſublimium, ut multitudinis cura nobis excidat. Nam Epiſcopum ſeceſſus in hoc ipſum adhibendus eſt, ut alacriores & inſtinctiores redeant ad populi commodis conſulendum. Nec enim conuenit eos, qui Chriſti uices gerunt, ad liberiores compotationes, ad Venerem, aleam, uenatum, aut ſimiles uoluptates ſecedere: ſed in hoc, ut in ocio

animum

animum negocijs crassioribus fatigatum, purioribus uotis, continuis precibus, sacris studiis, sanctis colloquijs ad Euangelij munus instaurent. Porro quum hæc geruntur in Galilæa, proximè instabat paschæ dies, Iudæis cum primis religiosus. Atq; magis iam conueniebat illum uersari Hierosolymis, si religionis opinionem sibi uoluisset conciliare. Verum ut imagine quadam rerum significaret, fore ut ob incredulitatem Hierosolymitis aduersus deum rebellibus, sua domus relinqueretur deserta; deinde prodita iam Evangelica pietate, cessaturum omnem carnalem illorum cultum, atq; ibi demum purè celebratū iri paschæ, ubicūq; relictis mundanis affectibus, ad cœlestium rerum amorem transferretur animus: maluit esse apud Galilæos in desertis, q̃ Hierosolymis in templo. Quum ergo Iesus apertis in populum oculis, uidisset supra modum numerosam esse multitudinem, sic præparat animos discipulorum suorum ad certam miraculi fidem, ut primum uelit eis notam & animaduersam esse cibariorum penuriam, ac multitudinem, quæ subiecta erat oculis, esse innumerabilem: & panes quos ipsi suis manibus porrigerent Iesu, ac populo distribuerent, esse per paucos. Postremum cophinos quos ijdem e conuiuij reliquijs colligeret, esse multos ac plenos, ne quid uel non intelligerent, uel non animaduerteteret, uel post non meminissent. Nouerat enim suorū rudes adhuc, & obliuiosos animos. Ait itaq; Philippo, tentans illius animū, & paulatim ad miraculi futuri fidem formans: Vnde, inquit, mercamur panes, ut sit isti tam numerosæ multitudinī quod edant? Hæc percontatus est dominus Iesus: non quod ipse nesciret, quantum esset panum aut obsonij: sed partim ut quem admodum modo dictum est, apostolos attentos redderet ad miraculi considerationē: partim ut omnes discerent, quā nō solliciti fuerint discipuli Iesum sequentes de comiteatu, quamq; plebeio uiliq; cibo contenti essent. Philippus autē nondū expectans miraculum, tamen si uiderat illum in nuptijs aquam uertentem in uinū, quum expenderet, q̃ exiguum esset ipsis pecuniæ subsidiū: ad hæc q̃ ingens esset hominū multitudo, respōdit: Domine, quid quæris de panibus emendis? Etiam si ducentis denarijs etiamus panes, uix suffecerint non dicam ad saturandos istos, qui iam longa inedia famelici sunt, sed ut uel patululum gustantes singuli famis periculum effugiant. Hæc ubi dixisset Philippus, Andreas frater Simonis Petri, aliquanto prudentior, iam utcūq; ad spem miraculi animū attrexeat, sed nondum plena fiducia. Viderat enim aquam uersam in uinum, nec omnino diffidebat & panes posse crescere, sed ad moderatam portionem, sic ut ex paucioribus minus, ex pluribus plus accresceret: quum Iesus ad panes creandos nulla opus haberet materia, qui uel ex nihilo quod uult, & quum uult, creat Ait igitur Andreas: Est hic puer quidam, qui habet quinque panes ordeaceos ac pisces duos: sed quid tantulum ad tantam multitudinē iam famelicam? Iesus autem ubi uidit illis non ignotam ciborum inopiā, & animaduersam immanem multitudinē, animos illorum erigere uolens ad expectationē miraculi, mādauit Apostolis, curarent ut populus discumberet in gramine: nā erat illic graminis magna copia. Discipuli uero iam non responsant, quid opus est discubitu, quū nihil sit quod apponatur: nam hoc quod habemus, uix nobis suffecerit: sed simpliciter obedientes Iesu iussis digerunt populum in certos ordines, ac uelut ad conuiuiū iubent discubere. Quin & populi simplex erat fiducia, parentis apostolorū uocibus, quum nullum uiderent apparatus. Erant autem qui discubuerunt ferme quinque milia. Iesus itaq; quinque panes ordeaceos acceptos, postquā ex suo more gratias egisset patri, fregit, tradiditq; discipulis, ut distribuerent populo: iam tum illos fingens ac formans, ut imagine corporali consuescerent pastoris agere: & sermonis euāgelici dispensatores, animos gregis Christiani cibo spiritali pascere. Nam ille panis est, qui de cœlo descendit, & uitam æternā impartit auidē uescentibus. Hunc tradunt quidem ac dispensant Episcopi populo, sed non aliunde quā e Christi manibus acceptū: nec nisi gratijs ac lis patri cœlesti, cui conuenit acceptum ferri, quicquid ad salutem humani generis pertinet, & ad quem uelut ad autorē dominus Iesus omnia referebat, quæcūq; gessit in terris admiranda: nos interim admonens, ut si quid in nobis fuerit egregiæ uirtutis, ne latidem uindicemus nobis, sed omnem gloriā transferamus in deum: unde proficiscitur, quicquid uere laudem mereatur. Iam quod fecerat de quinque panibus, idem fecit de duobus piscibus, distribuens discipulis, ac inter distribuentis manus, ipsius arbitratu crescebat obsonium, quantum sciebat omnibus saturandis sufficere, etiam usq; ad largam redundantiam, quo certior esset miraculi fides. Porro cum iam

esset expleta cibo multitudo, Iesus alio quoque argumento procurans certitudinem facti, ne quis praestigium aut imaginationem esse cauſaretur, dixit discipulis suis: Colligite reliquias conuiuij, ne quid pereat. Tantum autem reliquiarum compertum est superſuisse saturis omnibus, ut ex his impleti sint cophini duodecim. In tantam copiam Iesu benignitas auxerat exilem commeatum quinque panum ac duorum piscium, obiter nos docens, non oportere parcam esse in pauperes beneficentiam, sed multo magis eum, qui pascendi gregis dominici curam suscepit, largiter oportere suppeditare ex diuite penuſcripturae diuinae, quicquid ad erudiendos, admonendos, consolandos, animandos pertinet qui huiusmodi indigent cibo. Porro qui saturati fuerant, quum non ignorarent non repertos fuisse nisi quinque panes, eosque hordeaceos, & duos pisces, iamque uiderent tantum cophinorum superesse, coeperunt magnifice praedicare de Iesu, dicentes: Hic est uere propheta ille, iam diu expectatus, qui uenturus erat in mundum. Hoc est plebis ingenium, citius sentit uentris, quam mentis beneficium. Viderant maiora miracula, nec tamen unquam tam magnificum elogium illi tribuerunt. Saturitas hanc uocem extorquere potuit. Iamque ut erant rudes adhuc & crassi, Messiam in hoc expectantes, ut regnum mundanum sibi uindicaret: consularunt inter sese ut Iesum raperent, sibique regem constituerent, ubertatem rerum, annonae copiam, opes, libertatem, ceteraque huius mundi commoda sibi pollicentes, si talis rex contigisset. Iesus autem, qui longe aliud regnum ambiebat, quique in hoc uenerat, ut nos doceret, opes, uoluptates, & gloriam mundi contemnere: non ignarus quid agerent, rursus subduxit sese in montem, unde pasturus eos descenderat. Subduxit autem sese solus clanculum, sic ut non sentiretur aufugisse. Ad regnum uocantibus furtim subduxit sese, ad crucem rapientibus ultro occurrit: euident exemplar exhibens his, qui uices ipsius essent gesturi. Non enim potest sincere dispensare sermonem Euangelicum, quisquis amat regnum & gloriam apud homines: quae adeo non sunt affectanda pastoribus, ut etiam si ultro deferantur, fugere oporteat. Non enim conuenit regno caelorum cum regno mundi: non ut autem factum est seru proſectio magis quam luci cum tenebris. Discipuli uero cum diu expectassent in monte dominum, iamque uespera appeteret, ne in locis desertis nox occuparet, descendunt ad lacum, ut traicerent in ciuitatem Capernaum, nam ibi domicilium habebat Iesus: sperantes fore, ut uel inter nauigandum occurreret alia naui, uel in ciuitate eum offenderent. Quum autem adornarent nauigationem, iam erant tenebrae, nec interim uenit ad suos, diu multumque expectatus Iesus: non ignarus quanto sui desiderio cruciarentur discipuli: sed absentia sua magis accendere uoluit suorum desiderium: simulque docere quantum periculi sit nobis, quanta tenebrae, quanta tempestas immineat huius mundi, quoties a Iesu se iungimur. Atque interim maiori miraculo parabatur argumentum. Lacus erat ingens, sic ut ab illis mare diceretur, cui nox horrorem addidit: & ne simplex esset periculum, uenti uehementes, & iidem aduersi, magno tumultu concitabant lacum, & tamen desiderio magistri sui audent nauigare discipuli. Quum igitur procul abessent a littore, iam remigio emensi stadia ferme uiginti quinque aut triginta, propeque in summa desperatione uersarentur, aderat inexpectatus dominus Iesus. Vident enim per tenebras pedibus ambulanti super undas lacus, perinde quasi solidam terram calcaret: ut se non terrae solum, sed omnium elementorum dominum declararet. Habet autem etiam in tenebris oculos Euangelica charitas: & ibi nox non est, ubi adest Iesus: nec tempestas illis exitialis est, ubi in propinquo est is, qui serenat omnia. Quum autem iam factus esset uicinus naui dominus, pauefacti sunt discipuli, suspirantes, quoniam per tenebras non certum perspiciebant, nocturnum esse spectrum, qualia nauigantibus noctu multa conspici credit uulgus. Iesus autem ut uoce iam nota ac familiariter metum omnem illis adimeret, loquutus est illis: Ego sum, nolite timere: significans nullam, quamlibet atrocem mundi tempestatem formidandam esse his, quibus adest dominus Iesus. Adest autem omnibus suis usque ad finem seculi, qui simplici, firmaque fiducia pendunt ab ipso. Discipuli uero receptis animis ad magistri uocem, cupiebant illum in nauim recipere, non nihil & illi metuentes, ut erat illorum imbecillis ac uacillans fiducia. Ceterum ut dominus Iesus demonstraret suis uirtute diuina geri totum quod gerebatur: nec eam tempestatem casu fuisse sedatam, nauis quae paulo ante hinc atque hinc procul aberat a littore, subito appulerat terrae, quam petebant. His argumentis miraculum hoc diligenter inspicimus est animis discipulorum, quorum credulitas omnibus modis erat formanda, confirmandaque

daq. Caterum ne turbam quidem omnino latuit hoc prodigij. Nam postridie quàm hæc gesta sunt, turba quæ remanserat in ulteriore ripa lacus, quum uidisset quod illic nulla esset nauicula, præter unam, qua transmiserant Apostoli: quos quum uidissent soluentes à litore, certum habebant cum illis non fuisse nauim ingressum Iesum, sed solos discipulos abisse: mirabantur quò nam ille se subduxisset, quod ne mane quidem usquam apparet, diu multumq; desideratus à populo, quem pridie paucrat. Suspicientes autem illum non diutius abfuturum à suis discipulis, qui præcesserant, decreuerunt & ipsi traicere, si forte illum in ulteriore ripa possent inuenire. Iam autem aderāt illic naues aliquot, quæ uenerant: non à Capernaum, sed à Tiberiade: quæ ciuitas & ipsa littoralis, haud procul aberat ab eo loco, ubi pasti fuerant quinq; panibus hordeaceis, & affatim saturati gratias egerant Deo, qui talem prophetam misisset populo suo. Quum igitur hæ naues adessent ad turbam traiciendam, nec Iesus multum quæsitus, usquam inueniretur, conscensis nauigij traiecerunt Capernaum: ibi quæsituri Iesum, quod illic haberet domicilium, & quod scirent apostolos eò traiecisse. Hic ubi repertus esset Iesus, uiderentq; illum traiecisse lacum, quum scirent nullam fuisse nauem, qua potuerit traicere, demirantes quo pacto transisset lacum, rogant eum: Magister, quando huc uenisti? cupientes ex ipso tempore colligere, quomodo transisset. Suspicebantur enim & hic rem miraculo peractam, quemadmodum pridie paucrat immensam multitudinem. Iam autem ardor ille superioris diei refrixerat, quo conabantur illum uel inuitum ad regnum rapere. Iesus autem ne uideretur ostentare uirtutem suam, ad ea nihil respondet, ut miraculum maiore cum fide discerent ex discipulis, & ex compertis argumētis. Caterum affectum multitudinis, non solum inconstantem, sed etiam crassum minimeq; dignum Euangelica doctrina, corrigit obiurgatione seuera: quod quū maiora uidissent miracula, diuinā uirtutē arguētia, tamen magis illos commoueret saturitas unius conuiuij, quàm æternæ salutis desiderium: plurisq; facerent corporis pabulum, quo rei paulo post peritura, subinde & ad tempus succumitur, ac non multo magis esurirent illum cibum, sine quo perit in æternū anima. Dein de quod de se tam crasse sentirent, ut existimarent ipsum in hoc ædere miracula, quo mundanum regnum pro merito reciperet à tumultuaria multitudine, qui non in aliud pro temporis ratione miraculis aliquot specimen præbuit diuinæ uirtutis suæ, q̃ ut per hæc quæ sensibus corporeis perspiciebantur, fidem conciliaret suæ doctrinæ, quæ ea pollicebatur, quæ sensibus corporeis percipi nō poterāt: & hac ratione rudes adhuc & imbecilles, gradibus quibusdam ad sublimiora subueheret. Quemadmodū fidus præceptor optaret, si fieri posset, discipulum ilico capacem esse totius artis: tamen interim fingit ac format ingenium rude quibusdā elemētis, donec ad exactam artis cognitionē prouexerit, ut iam rudimentis illis non sit opus. Et quanquā qui docet, non sine tēdio sumit operā in tradēdis elementis, tamē hoc tēdium spe profectus deuorat, modis omnibus adnitens, ut quàm minimum temporis in crassioribus illis conteratur. Iesus itaq; ut hic quoq; suam declararet diuinitatem, quod non ignoraret illorū cogitationes, quum uideret turbam ad se rursus confluere, similibus miraculis inhiantem, quæ uentrē explerent potius, quàm mentem erudirent: ex occasione cibi semel præbiti, docet qui cibus illis porissimum sit expetendus. Loquutus est autem in hanc sententiā: Profecto uerum est, inquit, hoc quod dicam. Appellatis me magistrum, non quod auidi fitis meæ doctrinæ, quæ tota spiritalis est, sed quod humana leuiacq; commoda uenemini: quæ uobis pluris sunt, quàm ea quæ sunt longe potiora. Et nunc auidis studijs me quæritis, nō perinde ob signa, quæ uos ad sublimiora prouocare debuerant, sed hesternæ saturitas uos magis commouet, quàm admiratio diuinæ uirtutis: ac rem magnam existimatis, si quis uobis corporalem cibum gratis suppeditet. Non magnum est corpus hoc, & alioqui periturum pascere: nec deerit cibus inhiantibus Euangelicæ doctrinæ. Quin omnem curā conuertite ad eum cibum parandum, qui sumptus non perit concoctione, nec corporis uitam ad tempus breue prorogat: quemadmodum cibus panum mox recurrente fame, sed permanet in homine, spiritali pabulo uegetans animam, tribuens illi uitam æternam. Hunc panem tam eximiū dabit uobis filius hominis, si uiderit uos huius appetentes ac famelicos. Siquidem hunc hominis filium, deus uolens humano generi largiri salutem æternam, in hoc peculiariter consignauit, ius illi tribuens, & miraculis illi concedians autoritatem, ut spiritualem cibum impartiat omnibus

audis æternæ uitæ. Non enim in hoc uenit in mundum, ut uel sibi paret honorem huius sæculi, uel alios huiusmodi commodis beet: sed illud magis agit negotium, ut homines à sordidis curis euehat ad curam rerum cœlestium. Hęc rudis turba quum non intelligeret, ac ne animaduerneret quidem tota intenta uentris negotio, respondit hunc in modum: Quoniam admones nos, ut operemur cibum quendam qui maneat in nobis adferens uitam æternam, quid igitur faciemus, ut operemur ea, quæ deo digna sunt, & uitam promereamur æternam, quorum gratia te dicis uenisse in mūdum? Iesus nihil offensus tam crasso respōso, pergit eos paulatim euocare ad perfectiora: Si quæritis, inquit, quod sit opus, quo demereamini deum, qui spiritus est, & spiritalibus delectatur: non est immolatio uictimarū, non obseruatio sabbati, non lotiones, non ciborū delectus, non uestitus religio, non cætera quę corporalibus constant ceremonijs: sed hoc est opus, quod à uobis flagitat deus, ut credatis filio suo, quem ille misit, & per quem uobis loquitur, ne planè ingratum, uel indignis potius, uitam æternā uobis largiri uideatur. Ad hæc turba, quæ sibi ex obseruatione legis Mosaicæ, mirificam quandam religionē uindicabat, iam non crasse solum, sed & ingrate, atq; impie respondit: Si tibi, inquit, uindicas peculiarem auctoritatem supra maiores nostros, quorum auctoritatem hæcenus sequuti sumus, præbe specimen ac documentū auctoritatis à deo traditæ: ut eo cōspecio, credamus non uerbis tuis, sed factis. Neq; enim æquū est, ut sine prodigio credamus tibi, uerbis auctoritatē istam arrogāti. Neq; patribus nostris temere credidissimus, nisi signo cœlitus ædito nobis auctoritatis diuinæ fecissent fidē. Sub duce Mose, maiores nostri comederūt manna in deserto. Hic nimirū erat panis dei, & panis cœlestis, qui non putrescebat: quemadmodū scriptum est in psalmis: Panem cœli dedit eis ad uescendū. Hoc igitur ostento tanto cōmotus populus, obtemperauit Mosi: Tu si quid potes simile, aut etiam maius, credemus & tibi. Nec hæc tã crassa, tam ingrata, tam impia populi respōsio, Iesu mansuetudinē defatigauit, ab alliciēdis ad cognitionē rerum spiritaliū. Primū ostentum efflagitant, quasi prius nullū uidissent miraculum: nec quoduis miraculum recipiunt, sed ceu præeuntes illi præscribunt, cuius generis signū sibi uelint ædi: deniq; ex tam multis, quæ priscis Hebræis exhibita legūtur, illud potissimū eligunt, quod ad pastum facit, usq; adeo de uentre solliciti sunt. Iesus igitur dissimulans plebis ruditatē, sic paulatim ad sensum rerū spiritaliū adducit: Si Mosi, inquit, ideo grauis est apud uos auctoritas, quod manna uobis de cœlo dederit, atq; eum cibum ut cœlestem suspiciatis, quod de cœlo uenerit, deo potius hæc debetur gratia, unde manna fluxit, & cui debetur omnium miraculorū gloria. Neq; enim Moses hoc ex se præstare poterat, qui nihil aliud erat, quàm dei minister. Nec ille panis, tametsi cœli panis dictus est psalmo grapho, uere panis erat cœlestis. Neq; enim de cœlo uenerat, sed ex aere depluebat: quædam modū aues in aere uiuentes, cœli dicūtur: sed panis uere cœlestis imaginē duntaxat habebat. Quemadmodū autem carnali populo deus per Mosē famulū suū terrenū, panem dabat corporalem: ita nunc pater meus spiritali populo per filium suū cœlestem largitur uobis panem illum uere profectum de cœlis: nec corpora modo satiat ad tempus, sed eis qui sumperint, donat animorum immortalitatem. Panis ille corporeus erat, & corporibus duntaxat ad tempus uitam proferebat: nec hoc quicquid erat beneficii, profuit, nisi unico populo. Verum hic panis de quo loquor, nec est corporeus, nec ex aere depluit, sed ab ipso deo proficiscitur: & tam efficax est, ut det uitam, nec corporalem, sed animarum: nec uni populo, sed toti mundo. Quod si uos mouet autor, pro Mose, quo gloriamini, deum habetis, huius muneris autorē: pro famulo dei, filium habetis dei. Si munus spectatis, tantum interest, quantum inter corpus & animam, quantum inter uitam hanc breui desituram, & uitam in cœlis perennem. His auditis, Iudæi ne sic quidem eriguntur ad amorem rerum cœlestium, sed adhuc uentris negociū somniantes. Domine, inquit, semper da nobis panem hunc. Saturitatem amabant, potius quàm salutem: & saturatorem requirebant, potius quàm seruatorem. Iesus igitur ut excuteret illis somnium cibi corporalis, apertius eis explicat, se non loqui de pane qui dentibus manditur, et per gulam in stomachum traiectus, corporis famem ad tempus sedat: sed de pane cœlesti, qui est sermo diuinus, aitq;: Ego sum panis ille, uitæ largitor æternæ. Qui hunc esuriens ad me uenerit, eumq; in animæ uiscera per fidem traiecerit, non esuriet rursus, recurrente post saturitatem famis molestia, sed permanebit in eo qui sumpsit usq; in uitam æternā: & sermo meus

fontem

fontem habet aquæ spiritualis, quæ per fidē hauritur animo, non corpore. Itaq; qui credit in me, non solū non esuriet, uerū ne sitiet quidem in æternū. Nō oris hiatu sumitur hic panis, sed animi credulitate. Hæc ideo loquutus sum uobis, ut intelligatis uos uestra culpa perituros, si perstiteritis in incredulitate uestra. Panis hic nulli negatur à patre, & uobis omnium primis oblatus est, sed magis uos tãgit panis interituri sollicitudo. Vidistis me maiora præstantem, q̃ si uos manna pauissem, & feliciora polliceor, & tamen non creditis. Nec tamē ociose miserit pater hunc panē in mundum, etiā si uos per incredulitatē eum fastidieritis. Nō deerunt quibus hic panis uitam æternā sit allaturus, etiam si tota Iudæorū natio filium reiecerit: ob hoc ipsum & in deum impia, quod filiū quem ille ad totius orbis salutem misit, aspernetur. Pater enim meus non solum Iudæorū, sed & omnium gentium deus est. Ex me nihil habeo: quicquid autē mihi dederit, cuiuscūq; gentis sit, hoc ad me per fidem ueniet, etiā si sit à lege Mosaica alienū. Quisquis autem ad me uenerit, eū non eijciā foras: atq; utinā omnes ueniant. Vult enim pater, quantū in ipso est, omnes homines per fidem fieri saluos. Et in hoc ipsum descēdi de cœlo, non ut faciā quod ipse uolo, uelut dissensuens à patre, sed quod uult: pater, qui misit me, à cuius uoluntate mea uoluntas nō potest dissidere, quū sit eadem uoluntas. Hæc est autē uoluntas patris qui misit me, ut quicquid ille mihi per fidē tradiderit, nihil ex eo depereat, me seruante: ne quod pater tradidit ad uitam, mundus rapiat ad mortē. Quod etiam si corpus humanæ naturæ lege moritur, superest tamē melior hominis pars uiuēs anima: atq; ut rursū totus homo uiuat per me, uult & illud pater, ut corpus quoq; defunctū uitæ reddam in nouissimo die. Hæc est enim uoluntas patris mei, qui misit me, ut per filium uitam æternā largiatur omnibus: idq; nō per legem Mosaicā, sed per fidem Euangelicā. Nihil agit pater, nisi per filiū. Proinde qui non agnoscit filium, is nec patrem agnoscit: & qui resistit filio, resistit et patri. Pater est inuisibilis, sed uidetur in filio. Quisquis igitur uidet filiū, & agnoscit eum, & illius dictis credit, non patietur illum perire filius: sed etiā si mortuus fuerit corpore, ex uoluntate patris resuscitabit eum in nouissimo die, ut iam totus & anima & corpore uiuat unā cum filio, cui credidit. Hæc potestatem pater dedit filio, ut mortuis etiā uitam restituat. Hæc quum dixisset Iesus, populus qui hæcenus cibi spe ferebat utcūq; sermonē, nunc postea quā uidet ademptam spem pastus corporalis, uertuntur ad calumniā: & quē saturi uolebant regē facere, nunc ut humilem contemnunt, atq; ut arrogantē criminātur, non adhuc quidem palam, sed inter ipsos murmurātes, præsertim de hoc dicto, quod omnium maxime debebant amplecti: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descēdi. Inhiabāt enim cibo corporis, atq; hoc dicto sibi uidebātur delusi, quū res longe præstātior offerretur, q̃ illi expectatāt. Offendebat autē eos imbecillitas humani corporis, quod tantū cernebāt oculis corporeis, quum ex factis dictisq; diuinā uirtutem perspicere potuissent, si habuissent oculos fidei: Nōne, inquiunt, hic est filius Ioseph fabri, cuius nos etiā de facie cognouimus patrem et matrem, homines humiles & tenues? Porro quū nuper sit hic apud nos natus in terris, homo ex hominibus, quemadmodū nos, qua fronte dicit se descendisse e cœlis? Aut quē alium patrē nobis memorat? Hæc illis inter sese mustitantibus, Iesus subinde declarans, se non latere cogitationes hominū, superiorem sermonē explanat, pariter et confirmat, dicens: Non est quod inter uos murmuretis de his, quæ uobis locutus sum. Ideo sermo meus non hæret animis uestris, quoniā obstat incredulitas. Videntes, non uidetis: & audientes, non auditis: & præsentēs estis absentes. Quisquis autē ad me uenerit, uitam æternam assequetur: sed fide uenitur ad me. Ea nō cōtingit temere, sed patris afflatu: qui quē admodū per filiū attrahit ad se mentes hominū, ita secretis inspirationibus fidei trahit ad filiū, ut per utrūq; ueniat ad utrūq;. Nō impartit ille tantū munus, nisi uolentibus & audientibus. Quisquis autē promeruerit sua prompta uoluntate, pioq; studio, ut attrahatur à patre, per me uitam æternā consequetur. Nam ego mortuū etiam ad uitā, ut dixi, reuocabo, quū uenerit ille supremus dies, quo cōsummabitur piorū felicitas, & impiorum exitium. Rem magnā accipit, qui mihi credit, sed hoc ipsum debet patri, sine quo nemo potest credere, Nec tamen interim excusantur à crimine, qui nō credunt, eò quod non fuerūt attrahēdi. Pater enim quod in ipso est, cupit omnes attrahere. Qui nō attrahitur, ipse in uitio est, quia se subducit attrahere uolenti. Humana discitur humano studio: hæc philosophia cœlestis nō percipitur, nisi arcanus patris afflatus reddat illi cor docile. Nimirū hoc est quod

Sed dixi uobis, quia uidistis me

Omne quod dat mihi pater

Ut omnis qui uidet filium

Nemo potest uenire ad me

olim etiam fore prædictum est à prophetis: Et erunt omnes à deo docti. Sed indociles reddunt multos huius mudi cupiditates: quæ dum demergunt in hæc terrena, non sinunt animi erigi ad cœlestia, Donum est dei, sed uester est conatus. Frustra quis audit corporeis auribus sermones meos, nisi prius intus audiat secretam patris uocem, quæ mentem afflat insensibili gratia fidei. Proinde quicunque se præbent idoneos huic afflatui, hos sic attrahit pater, & is demum uenit ad me, qui sic fuerit attractus. Deus enim spiritus est, nec auditur, nec uidetur, nisi spiritualibus. Et sic uidisse, sic audisse salus est. Filium multi uidebunt, & audient suo malo. Quanquã uos gloriamini, Moysi et prophetis conspectum & auditum deum. Deum ut est, nemo mortalium uidit, aut audiit, Hoc soli filio datum est, qui solus à deo profectus est, apud quem semper fuit antequã ueniret in hunc mundum. Excute igitur ex animis uestris sordidas curas huius uitæ corporalis, adnitentes ut uitam æternam spiritualium bonorum auiditate consequamini. Excidat uobis panis ille, quo satiatur corpora: appetite panem cœlestem, qui uitam largitur æternam. Is fide sumitur, & fides à deo patre est impetranda. Illud habete pro indubitato: Quisquis fiduciam habet in me, is iam habet uitam æternam, quum fontem habeat immortalitatis. Ego sum ille panis, qui uitam præstat, non corporalem, ac temporariam, sed animæ & æternam. Me quum habeatis præsentem, tamen manna desideratis, ceu rem mirificam. Atqui manna, quod ad dies aliquot ederunt uestri maiores in deserto, quanquã è cœlo deflueret, ut uos putatis, nihil tamen aliud illis præstitit, quam panis triticeus præstat, aut hordeaceus. Ad breue tempus famem corporis pepulit, mox recursuram, ac denuo cibum flagitaturam, non autem præstitit eis immortalitatem. Nam maiores uestri quamlibet felices, quotquot illo manna uescebantur, mortui sunt. Hic panis uere descendit è cœlo, ac cœlestem à deo uim habet efficiendi, ut si quis eo uescatur, totum uiuat in æternum, nec unquam morti sit obnoxius. Non est igitur necesse, ut ullum manna flagitetis è cœlo, quum panem habeatis uere cœlestem, præsentem ac paratum uobis, qui uitam æternam largitur, si modo per fidem uelitis sumere. Nam ipse ego sum panis ille uitæ immortalis largitor, qui solus de cœlo descendit, quem uos, offensi corporis huius infirmitate, nihil aliud esse putatis, quam Ioseph & Mariæ filium. Sum enim sermo dei patris, cui qui crediderit, uitam habebit immortalem. Si quis hunc panem cœlestem traiecerit in animæ suæ uiscera, uegetabitur, & adolescet in uitam æternam. Quod si nondum assequimini spiritualia, quippe carnales, dicam etiã aliquid crassius, & affine carni. Panis uitalis est & hæc caro, quam uidetis, quam impendam ac tradam in mortem pro redimenda totius mundi uita. Credite, sumite, & uiuite. Hoc sermone dominus Iesus per ænigmata quædam subaperuit illis mysteria diuinitatis suæ, per quam semper fuit apud patrem deum, & mortis suæ, qua mundum erat liberaturus à mortis tyrannide: postremo mystici corporis, cui nisi quis per fidem insitus fuerit, & inhæserit sicut palmes inhæret uiti, non habebit in se uitam. Nec ignorabat, horum sermonum id temporis nondum esse capaces Iudæos, sed tamen hæc mysteriorum semina condita in animis bonorum, futurum sciebat ut olim enascerentur, & fructum copiosum afferrent. Quum igitur hæc illis absurda discernerentur, nec auderent appellare dominum, orta est inter ipsos opinionum dissensio, alijs aliter atque aliter interpretantibus quod dicebatur. Etenim quemadmodum Nicodemus non capiebat sermonem Iesu de cœlesti renascentia, nec Samaritana mulier intelligebat ænigma Iesu de aqua saliente in uitam æternam: ita crassior populus disceptabat, qui fieri posset, ut homo daret carnem suam alijs edendam, sic ut ea sufficeret omnibus ad uitam æternam. Inuitarat enim omnes ad edendum panem cœlestem, ac denique dixit carnem suam esse panem. Quomodo uescemur, inquiunt, hominis uiui carnes? Rursum Iesus non ignarus, qua de re disceptarent, nondum ostendit, qua ratione possit sumi caro uice panis, sed quod illi iudicabant absurdum, & fieri non posse, hoc nunc confirmat esse necessarium. Illud, inquit, habetote pro certo, nisi me totum sumpseritis, hoc est, nisi pro pane comederitis carnem filij hominis, & pro uino biberitis sanguinem eius, non habebitis uitam in uobis. Contrà, quisquis edit carnem meam, ac bibit sanguinem meum, habet ex esu, potuque uitam æternam. Nec solum uiuet anima felix hoc cibo potuque, uerum etiã resuscitato corpore, totus homo mecum uita æterna fruatur. Quemadmodum enim cibus humanus traiectus in stomachum, ac per membra digestus, transit in substantiam corporis, ut iam idem sit cibus, & homo uescens eo: ita uice uersa, qui me comederit, spiritualiter in me transformabitur

*Amen dico
uobis*

*Panem quem
ego dabo*

mabatur. Porro quum ipse sim autor ac princeps resurrectionis, non patiar mea membra diuelli à me. Sed quisquis mihi per hunc cibum ac potum insitus fuerit, eum resuscitabo in nouissimo die, ut quoniam totus mihi credidit, totus etiam mecum uiuat in æternum. Hoc non præstat cibus corporalis, neque manna, quo uos gloriamini, sed hoc præstat esus corporis mei, & potio sanguinis mei. Proinde caro mea uere est cibus, qui præstat immortalitatem, & sanguis meus uere est potus, qui confert uitam æternam, non corpori tantum, sed toti homini. Quemadmodum uita corporis, quod alitur cibo quotidiano, ut ne deficiat ante diem, omnibus corporis membris communis est, propter indiuiduam inter se partium omnium societatem: quod quum sint diuersa corporis membra, unum tamē corpus sit, quoniam eadem uegetantur anima: Ita qui carnem meam edit, & sanguinem meum bibit, sic mihi copulatur & cohæret, ut nec ego ab illo, nec ille à me diuelli possit. Nam ego sum in illo per spiritum meum, per quem illi uitam impartio: & ille in me est, uelut membrum in corpore, aut palme in uite societate indissolubili. Pater qui misit me, principalis fons est omnis uitæ. Huic quisquis iungitur, uitæ sit particeps. Quemadmodum igitur pater est in me, & mihi uitam impartit, ac uitam alijs tribuendi potestatem: ita qui me comedit, mihi quoque mystico esu potuque sic iungitur, ut mecum unum fiat, huic & ipse uitam impartiam non ad breue tempus duraturam, sed æternam. Quicquid terrenum est, idem & temporarium est, & parum efficax. Manna quod sub duce Mose uobis è cœlo fluxit, quoniam corporis erat cibus, non potuit maioribus uestris æternam præstare uitam. Quum enim illo uescerentur omnes, tamen mortui sunt, neque quisquam è tanto numero superest: plerique etiam secundum animam mortui sunt, quod multis modis Deum prouocarint ad iram. Verum hic panis, qui uere de cœlo descendit, cœlestem habet uim, ac uescienti dat uitam æternam. Huiusmodi sermonibus dominus Iesus erudiebat rudem & crassam multitudinem, ab amore rerum uisibilium & corporalium subuehere cupiens illos ad studium rerum cœlestium & æternarum. Loquutus est autem hæc in synagoga, frequenteque plebis conuentu, doctoris personam gerens. Quanquam tantum aberat ut crassus populus horum mysteriorum cœlestium capax esset, ut discipuli quoque complures offensi, pararint à suo magistro descescere, murmurantes inter sese: Durus est hic sermo de comedenda carne uiui hominis, & bibendo sanguine. Cuius aures ferant huiusmodi doctrinam? Iesus intelligens, quid inter se murrarent, mederi conatur illorum offendiculo, prædicens maiora conspecturos oculis suis, quam nunc audiant ipsum de se prædicantem: & sermonem quem dixerat de carnis suæ esu, deque sanguinis potu, nequaquam absurdum esse nec abominandum, sed blandum ac salutiferum, si non iuxta crassam illorum intelligentiam, sed iuxta spiritualē sensum acciperetur. Conuersus igitur ad discipulos, quos ob consuetudinem actam cum Iesu, uisusque miracula, conueniebat ultra uulgus hominum sapere, hunc in modum obiurgauit illorum tarditatem: An hic sermo uestras aures offendit, quod dixerim me panem esse profectum è cœlo, qui uitam daret mundo? Vtrum est difficilius iuxta crassum humani sensus intellectum, descendisse è cœlo, an ascendere in cœlum? Quid ergo si uideritis olim hunc filium hominis, quem uidetis humano corpore indutum, ascendere in cœlum, ubi prius erat antequam descenderet, priusquam hoc haberet corpus mortale? Hoc datum est sensibus uestris, non ut semper sapiatis carnem, sed à carne proficiatis ad spiritum. Spiritus descendit de cœlo, & corpus humanum assumpsit: caro iam spiritualis facta, subducetur in cœlum, ne semper ametis carnem, sed per carnem instituti proficiatis ad cœlestia. Nam caro per se nihil prodest, spiritus est qui donat uitam. Quid est enim corporis humani moles, si non adsit spiritus? Ita sermo meus, secundum carnem intellectus, non conferet uitam, nisi uelut cœlestem spiritualiter intelligatis. Carnem & sanguinem meum appello doctrinam meam, quam si per credulitatem auide sumpseritis, ac in uiscera mentis traieceritis, uegetabit animos uestros, uosque mecum unum efficiet, sic ut meo spiritu uiuatis in æternum: quemadmodum eiusdem corporis membra, quam diu cohærent, communi spiritu uiuunt. Atque huius societatis uobis mysticum symbolum relicturus sum carnem meam, & sanguinem meum, quod ne ipsum quidem sumpsisse profuerit, nisi secundum spiritum sumpseritis. Proinde nolite sermonem meum auersari, si carnales adhuc nondum ut oportet intelligitis, sed potius date operam, ut intelligatis. Nam uerba quæ loquutus sum uobis, non sunt carnalia, quemadmodum uos interpretamini, sed spiritus sunt & uita: quia spiritualiter intellecta, uitam conferunt

animæ. Hæc qui recte sumit, is edit carnem meam, & bibit meum sanguinẽ, & uitam æternam mihi copulatus, lucrificat. Qui uero respuit, perseverat in morte ob delicta uitæ pristinæ, & ob incredulitatẽ, mortis damnationẽ sibi conduplicat. Respuit autẽ panem hunc oblatum, qui sermonibus meis non credit. Scio quibusdã hæc frustra dici, nõ ignarus esse quosdam inter uos, qui fidem non habent dictis meis, & uitam oblatam auerfantes, sibi perniciem asciscunt. Hæc ideo loquutus est dominus Iesus, quem nihil fugiebat, etiã antequã hæc uerba faceret, qui nam ex discipulis essent credituri. Quin & illud sciebat, inter duodecim discipulos, quibus apostolici cognominis honorem indulsit, quosq; sibi peculiariter ueluti certissimos amicos delegit, unũ fore qui se Iudæis proderet ad necem. Hos igitur notans Iesus, quod quum eundem cum cæteris sermonẽ audirent, & unus e duodecim ex eodem pane comesurus esset cum cæteris, ex eodem poculo bibiturus, tamen non consequerentur uitam, quod panem cœlestem non spiritualiter, sed carnaliter sumerent, adiecit: Propterea paulo ante dixi uobis, neminem posse uenire ad me, nisi fuerit ei datum cœlitus à patre meo. Nihil est hanc audisse uocem, nihil est hoc corpus uidisse & contigisse, nisi pater cœlestis dederit oculos fidei, quibus salubriter conspicio: nisi dederit aures mētis cœlestes, quibus cum fructu audior. Hæc uerba Iesu plena salutiferæ doctrinæ non descenderunt in animos eorum, quibus mens erat terrenis cupiditatibus occupata, quicq; præter crassam Mosaicæ legis religionem nihil cœleste capiebant. Itaq; post hunc sermonem complures, non solum e populo, uerum etiã ex Iesu discipulis, qui hætenus illum secuti fuerant, defecerunt à magistro: & unde proficere debuerant, si recte accepissent, facti sunt deteriores, adeo ut etiã à consuetudine conuictuq; Iesu se subduceret, ipso facto

Nunq̃d & uos uultis abire ueluti damnantes illius doctrinam. Iesus autem, iam tum formã exhibens Euangelicis doctoribus, nec abiectione laborat ut remaneat, ne, quod cæteri solent, uideatur egere comitatu illorum: nec conuertiatur abeuntibus, ne suam gloriã quæfisse uideatur magis quàm illorũ salutem: nec prorsus tamen alienat à se, qui fortassis post erant sese ad mentem meliorem conuersuri: sed illis discedentibus, ut ostenderet eos suo uicio offensos abire, nec sermonem prorsus suo fructu cariturum, etiã si qui per incredulitatem se redderent indignos cœlesti dono, conuersus ad duodecim, quos ascieuerat sibi peculiare testes ac præcones omnium quæ gerebat, sic elicit illorum professionẽ, ut nec hos blanditijs retineret, ueluti suum agēs negociũ, potius quàm illorum, nec minis aut iurgijs territaret, ne coacti magis quàm persuasi, Iesum sequi uiderentur. Nullus enim ad fidem Euangelicã compellendus est, & Iesus mauult aperte deficientem, quàm fictum & fucatum comitem. Discedentibus itaq; cæteris, dicit Iesus illis duodecim: Num & uos uultis abire? Liberum est, nisi intelligitis uestra referre ut permaneatis. Equidem cupio munus hoc cœleste omnibus contingere per me, sed nec auerfantibus dandum est, quia nõ promerentur, nec quisquã accipere potest, nisi fuerit appetēs. Vt autẽ appetat aliquis, & hoc patris donum est. Hic Simon Petrus, simplicis & ardentis fidei semper in Iesum, totius Ecclesiæ personã gerens, cæterorum quoq; nomine magna alacritate respondit: Absit domine ut te deseramus: alioqui quum simus auidi salutis æternæ, quumq; nõ ignoremus, quàm frigida sint ea quæ docet pharisæi, quumq; audierimus Ioannem de te testificantem, ad quem alium abibimus? Solus enim loqueris quæ uitam conferunt æternã. Non abiges nos semel admissos, qui nullum non recipis: neq; nos cupimus mutare dominum, mutaturi in peius, quencunq; delegerimus. Nos enim nõ solũ tuis dictis freti credimus, uerum etiã ex ipsis factis cognitũ habemus & compertũ, te esse Christum illum filium Dei, à quo solo speranda sit omnib. æterna salus. Hanc tam magnificam Petri de se prædicationem nec admiratus est Iesus, ne laudibus hominum capi uideretur: nec respuit, ne quod uerũ erat abnegaret, sed omnes adhortans, ut in ea professione perseverarent, quam Simon omnium ædidisset nomine, subindicauit unũ ex illis paucis futurũ, qui non solum abiret à se, quemadmodũ cæteri discipuli fecerant, uerum etiã pacius cum aduersarijs, proderet magistrum suum in mortem. Id autem recte significare maluit, ut nec Iudam proderet, ne cui merito putaretur ultus dominum, hoc conuicio prouocatus: & eodem sermone redderet omnes sollicitos, ne sua culpa in tam impiũ facinus prolaberetur. Quid, inquit, miramini iã aliquot à me discipulorum abiisse? Nonne ego uos ut eximios ex omnibus delegi? Et tamen e tam paucis & singulariter delectis unus diabolus est, delaturus eum, cuius corpus ederet & sanguinẽ biberit

biberit iuxta carnem, non iuxta spiritum, cuius audierit sermonem, cuius miracula conspexerit. Nolite igitur deficere ab ijs quæ coepistis, quemadmodum illi fecerunt, quos uidistis abire, sed semper ad meliora proficientes perseuerate, donec efficiamini digni qui uescentes spiritualiter cibo doctrinae meae coelestis, & per hanc in me transformati, uitam aeternam consequamini.

CAPUT VII.



Aeternum ubi dominus Iesus huiusmodi sermonibus coelestia quadam, & homine maiora sonantibus, auditisq; miraculis sibi magnam conflasset inuidiam apud suos, quibus hoc erat contemptior, quod domestice quoque notus esset: exacerbabat autem inuidiam domus ac parentum humilitas: uersarus est in Galilaea. Non enim illi iam tutum erat in Iudaea uiuere, quod eius regionis homines iam dudum uitae illius molirentur insidias, non quod mortem metueret Iesus; aut non illi fuerit in manu, quoties uisum fuisset e medijs insidijs elabi: sed hominis personam gerens, discipulis suis imaginem quandam futurorum obiecit, quibus euenturum erat, ut ob Iudaicae gentis maliciosam incredulitatem ad gentes demigrare cogerentur. Instabat autem dies Iudaeis cum primis festus ac religiosus, quem Graeci scenopegiam appellant ob memoriam priscorum patriarcharum, qui uitam agebant in tabernaculis, subinde mutantes sedem, typo quodam iam tum adumbrantes, qualem oporteat esse uitam eorum, qui profiteantur Euangelicam doctrinam. Quonia autem ad diem festum magna uis hominum ex uniuersa Syria, ac finitimis etiam regionibus confluere solet Hierosolymam ob templi celebritatem, cuius religio tum apud ethnicos etiam erat uenerabilis: cognati Iesu rudes adhuc, & humanis affectibus obnoxij, freti propinquitatis iure, confidentius quam par est, hortantur eum, ueluti gloriae quidem audum, sed subtimidum, animoque minus quam oporteret praesenti: ut si fideret suis praesidijs, non latitaret inter Galileos alienigenas, sed Hierosolymis in media hominum luce frequentiaque praestaret ea, quae tam magnifice de se fuisset loquutus: Instat, inquit, dies celebris, relicta Galilaea, in qua iam nimium diu latitas, confer te in Iudaeam florentissimam regni partem, & Hierosolymam, totius Iudaicae gentis caput. Illic licebit plures discipulos colligere, si uiderint omnes quae facis. Nullus enim si uelit haberi magnus, ea facit in occulto, per quae parari possit apud homines opinio. Sive de coelo descendisti, & tanta potes, quanta de te praedicas, fac ut mundo sis notus. Nemo uero miretur hanc orationem cognatorum domini Iesu, carnalem, arrogantem, atque etiam impiam. Siquidem id temporis, ne hi quidem tum credebant ei, qui illi fratres erant, & arcta familiaritate iungebantur: quorum aliquot tamen post in apostolorum numero, Christi gloriam constantissime praedicarunt. Iesus itaque pro sua singulari mansuetudine leniter suorum confidentiam corripuit, significans in eo quod pro salute generis humani gerebat in terris, nihil habere iuris carnalem propinquitatem: sed totum hoc quoniam erat coeleste, ex patris coelestis autoritate temperandum esse: se nec metuere mortem, quam uolens pro salute generis humani suscepturus esset: nec affectare gloriam huius mundi, cuius odium in se prouocaret uera loquendo, & affectibus mundanis contraria: Tempus, inquit, meum nondum aduenit. Id ubi hortabitur, non erit opus uestris monitis. Quomodo, & quando me oporteat innotescere mundo, ex patris coelestis pendet decreto, non ex humano consilio. Ego qui patris arbitratu ueni, meum habeo tempus. Vestrum autem tempus, qui humano affectu ducti, gloriam huius mundi quaeritis, & me iuxta mundanum sensum gloriari uultis, semper paratum est. Tuto potestis ire quod lubet, quando mundus uos ut sibi consentientes diligit. Ego non uenor gloriam apud mundum hoc affectu, quo uos uenamini: nam gloriam patris mei quaero, & salutem hominum molior. Tantum autem abest, ut apud mundum captem gloriam, aut laudem, ut odium potius illius in me concitem, dissentiens ab illius cupiditatibus, ac palam testificans, quod mala sunt opera illius, in quibus tamen ille fictam pietatem, & falsam felicitatem collocat. Habent Iudaei suos dies festos, quos iam olim abominatur deus. Immolant enim uictimas ingratas, & iniustas deo, quum manus interim habeant sanguinis plenas: & in diebus his, quos uolunt uideri puros & sanctos, moluntur necem innocentibus. Mihi unus dies uere festus est spiritualiter celebrandus, quo pater delectatur. Is nondum aduenit. ubi uenerit, occurram ultro. Vos qui carnales adhuc estis, & mundum sapitis, ascendite ad hunc festum diem. Ego non ascendo uobiscum ad istum diem festum, quia tempus meum nondum impletum est. His dictis dominus

dominus Iesus ablegauit ab se cognatos suos secundum carnem, quorum autoritatem & affectus semper solitus est submouere, quoties Euangelicum esset agendum negotium: quod quoniam totum patris arbitrio uolebat ascribi, non patiebatur humanis rebus inquinari. Sic matris autoritatem coercuit in nuptiis: ac rursus à sermone Euangelico indignatur sese per matrem & cognatos euocari foras: & aliquantisper in Capernaū commoratus cum propinquis suis, relictis illis aggreditur prædicandi negotium. Denique pendens in cruce, matrem mulierem appellat, uelut in eo negotio matrem non agnoscens. Quin et puer adhuc duodecim natus annos, indignatus uidetur, quod illorum autoritate ab his, quæ patris ipsius erant, auocaretur. Illi igitur existimantes Iesum non uenturum ad diem festum metu Iudæorum, soli profecti sunt. Ipse uero, ascendentibus illis, remansit in Galileæ: sic omnes actiones suas temperans, ac dispensans, ut nunc humanæ naturæ præberet argumenta, ne non uerus homo fuisse putaretur: nunc diuinæ uirtutis proferret indicia, ne tantum homo crederetur. Posteaquam autem abiissent fratres eius ad diem festum, tum profectus est & ipse: ut satis esset perspicuum, se non tam metu Iudæorum abstinuisse à conuentu solenni, quam ut fugeret comitatum suorum cognatorum, quos adhuc carnales nolebat Euangelico negotio admisceri. Venit autem Hierosolymā, non ostēdētes sese, sed ueluti furtim & occulte, uidelicet magis irritaturus expectationē suā, & maiore fructu, suo tempore proditurus in publicum. Nouerat enim animos pharisæorum, quod iam pridē hoc agerent clancularijs consilijs, ut in die festo per occasionē illi manus inijcerent. Quum igitur adesset quidem Hierosolymis, cæterum non prodiret in publicū hominum cœtum, quemadmodū consuevit: Iudæi obseruabant illū, si uenisset ad diem festū: quumq; desideraretur illius conspectus, quærebant inter se, ubi nam esset. Iamq; in eum uelut absentē uarij sermones in populo ferebātur, quod non esset eadem omnium de Iesu opinio, nec eadem omnium studia. Nonnulli siquidem populares, qui miraculis ab illo aditis interfuerant, qui sermones audierant, qui mansuetudinem è congressu fuerant experti, dicebāt: Iesum esse bonum uirum, & indignū in quem aliquid acerbius molirentur. E diuerso sacerdotes ac pharisæi, quos iam pridē male urebat Iesu gloria, negabant illum esse bonū uirum, qui turbam ueluti seditiosus ad se pelliceret, & ab sacerdotum, scribarum, et pharisæorum reuerentia reuocaret. Hæc uero clancularijs susurris spargebantur de Iesu, quū interim nemo palam auderet de illo bene prædicare, quanquam erant non pauci, qui bene de illo sentirent. Metuebant enim Iudæorum proceres, quibus intelligebant Iesum esse uehementer inuisum, quod ipsorum autoritatē suis dictis factisque uideretur imminuere. Porro quod ad tempus latitauit Iesus, mansuetudinis erat ac modestiæ, ne liuorem pharisæorum nihil præter occasionem occidendi captantiū, ultro prouocasse uideretur. Quod prodijt, datū est his, quos sciebat sua doctrina profecturos ad salutem, quum non ignoraret Pharisæos, & scribas nihil aliud quàm efferatiores etiā futuros ex his, quæ dicturus aut gesturus esset pro salute mundi. Optabat enim dominus, humanæ salutis audivissimus, si fieri potuisset, suam doctrinam omnibus salutiferā esse: tamen non erat tantum tribuendū quorundam peruersitati, ut simplicibus Euangelica doctrina subtraheretur. Itaq; quum iam dimidiū festi peractum esset, Iesus palam ingressus est templum, atq; illic docebat populū, non pharisæicas constitutiones, aut legis ceremonias mox desituras, sed philosophiam Euangelicā. Iudæi uero quum doctrinam illius calumniari non possent, tamen autoritatem apud populum student adimere: admirātes, quum esset idiota, & literarum rudis: nunquam enim institutus fuerat in doctrina pharisæica, cuius professione turgebāt illi: unde nactus esset ea, quæ è sacris uoluminibus magna sapiētia depromebat: uelut insimulantes eū, quod dæmoniū haberet, aut alia quauis arte magica sciētiam esset consequutus earum literarum, quas ab hominibus non didicisset: Quomodo, inquiūt, hic faber, fabri filius literas scit, quum eas nunquam didicerit? Iesus autem, ut nobis mansuetudinis ac modestiæ præberet exemplum, suspicionem tam impiam leniter submouet, ostendens, suam doctrinam non esse profectam ab homine, sed nec à dæmonio, sed à deo, quem ipsi quoq; colerent, & cuius gloriæ deberent fauere, si uere pij uellent haberi: ipsum uero nec doctrinam, quam admirabantur, nec gloriam, cui inuidebant, sibi uindicare, sed totum esse patris cœlestis, cuius negotium ageret. Porro quum legis à deo traditæ perfectā scientiā sibi arrogarent, aliosq; ceu indoctos & idiotas fastidirent, æquum erat, ut si uere tenerent scripturarum sciētiam, agnoscerent

agnoscerent doctrinam ab eodem profectam, unde lex erat profecta, ni liuor & odiū, propriae gloriae studium, quæstus amor, similesq; cupiditates prauæ mentis iudiciū ex cæca-
rent: nec enim deum sibi contrarium esse, ut nunc aliud doceat per filium, quàm antea tra-
diderit per legem. Respondit igitur Iesus, omnium arcanorū conscius, illorum clancula-
rio murmuri in hanc sententiam: Mea doctrina, quam admiramini unde mihi contigerit,
quum ab homine literas non didicerim, non est mea (non enim nouam aliquā humanam
doctrinam uobis adfero, diuersam à uoluntate dei, ac mente legis à deo traditæ) sed est pa-
tris mei, qui me misit in mundum: ut mundus, seductus uarijs hominū doctrinis & impijs
cupiditatibus obcæcatus, per me cognoscat illius uoluntatē: cognitā sequatur, & sequen-
do uitam assequatur æternam. Hæc est autē illius uoluntas, ut credētes dictis filij, per quē
ille uos docet ac loquitur, salutem æternā adipiscamini. Id quo minus uelint multi, liuor,
odium, ambitio, quæstus, ceteraq; cupiditates malæ in causa sunt. Quod si quis depulsa
malicia, simplici corde uoluerit uoluntati patris obtemperare, potius q̃ suis prauis affecti-
bus, is facile agnoscat, doctrinā meam non esse hominis, aut dæmonis nouum inuentum,
sed à deo profectam esse: nec me quod loquor ex humano sensu loqui, sed ex mēte patris,
cuius legatus sum. Homines qui suæ gloriae studēt magis quàm dei, quo pluris fiant apud
mundum, nouas ac suas doctrinas anteponunt doctrinæ dei. Malunt enim autores haberi
doctrinæ humanæ cuius tota gloria in solidum ad ipsos redeat, quàm diuinæ doctrinæ
præcones: maluntq; ea docere, quæ ipsis gloriam ac lucrum concilient, quàm quæ glo-
riam & honorem pariant deo, aut salutem proximo. Ceterum qui non quærūt propriam
gloriam, sed eius à quo missus est, hic omnia syncere loquitur: nec huius doctrina uel erro-
ribus obnoxia est, uel ambitionis, avariciæ, liuoris, odij, cupiditatib. uitiata. Ego nō aliud *Nōne Moses*
doceo, quàm quod per legem uos docuit deus, si quis legis mentem recte intelligat: nec *dedit*
aliud facio, q̃ quod lex præscripsit. Vobis qui me contemnitis, sacrosancta est Mosi au-
toritas. An non ille uobis tradidit legem acceptam à deo? Legis scientiam & obseruatior-
nem uobis arrogatis, quū nemo uestrū sit, qui uere seruat legem secundū dei, qui legē tra-
didit, uoluntatē: imò legis prætextu ea molimini, quæ maxime punit ac detestat lex. Mihi
blasphemiam impingitis, quia dei gloriam quærō magis, quàm gloriam hominum. Sab-
bati uiolationem obijcitis, qui in sabbato seruauim hominē, quum uos sabbati religio non
collet, quo minus exitium moliamini innocenti, nec innocenti solum, uerum etiam
beneficenti. An istuc est magnificare Moysen, quem mihi præfertis? An hoc est reuereri
deum legis autorem, quem ficta religione colitis? Nōne lex execratur eum, qui sangui-
nem fundit innoxium? Nec permittit occidendi ius, nisi in maleficos: nec in hos, nisi le-
gitime conuictos ac damnatos. Mihi uero, qui missus à deo, uoluntatem illius uobis iuxta
legis mentem prædico, qui non meam, sed illius gloriam quærō: qui non mihi regnū, aut
opes affecto, sed omnibus gratuitā salutem offero: qui lædo neminē, benefacio omnibus,
quare contra legem molimini necem? Hæc Iesu uox duplici nōmine perturbauit animos
Pharisæorum: primū, quod animaduernerent clancularias licet machinationes suas non
latere conscientiam illius, quem credebant facilius è medio tolli potuisse, si quod molier-
batur sefellisset: deinde quod illos qui se uideri uolebant legis obseruatissimos, legis im-
pie uiolatæ reos ageret apud populum. Non uerebantur dei conscientia insidiātes inno-
xio sanguini, sed populi conscientiam metuebant. Itaq; ut apud multitudinē tam impij fa-
cto-
ris conscientiam confidentia dissimulent, ad manifesta conuicia confugiūt: qui mos
est improbis in maleficio deprehensis, quod excusari non possit: Dæmonium, inquiūt, ha-
bescum patrē deum iactes doctrinæ tuæ autorem. Deus uerax est, tu dæmonis instinctu
mentiris. Quis tibi machinatur necem? Ad tam uesanam blasphemiam dominus Iesus non
regressus conuiciū, ne furorem adderet furentibus: sed nobis lenitatis exemplū præbens,
monstruete facti sui, quod calumniabantur, reddit rationem. Siquidem quum ipsi legē uiol-
larat in omnibus, tamen Iesum uiolatę legis insimulabant, quod paralyticum sanasset in
sabbato: Ego, inquit, die sabbati unum quoddam opus feci, neq; malum, neq; sordidū, sed
quo salutem homini calamitoso contuli, quod uos quoq; non possetis non approbare,
si non fuisset factum in sabbato. Verum illi magis uiolant sabbatum, qui hoc moluntur
in sabbato, quod quouis die factum impium est. Non est tanta sabbati religio, quin his
rebus debeat cedere, quæ maioris sunt momenti, & quouis die piæ sunt. Hoc exemplum
si uobis

Propterea
Moses dedit
uobis circum-
cisionem

si uobis ipse Moses, cui tantum tribuitis, ante me praeuit: si lex ipsa docet opus fieri posse, non uiolato sabbato, aut me absoluat necesse est, aut simul mecum damnetis & Moysen, imò legem ipsam, si quicquid ille tradidit, lex est. Moses enim uobis tradidit circumcisionem: non quod simul cum lege nata sit circumcisio, sed quod ante legem fuerit à deo tradita patriarchis: & hoc nomine maioris momenti uidetur circumcisio, quam sabbatum: quia legem praecesserit, ac legis ueluti caput sit. Sed idem Moses qui praecipit circumcisionem, praecipit sabbatum. Vos in sabbato circumciditis hominem, nec uidemini uobis uiolare sabbatum, ob circumcisionis dignitatem, cui putatis equum ut cedat sabbati religio: quem admodum & in templo leuitae et sacerdotes operantur ea, quae pertinent ad rem diuinam, nec sibi uidentur uiolare sabbatum, quod existiment id quod agunt sanctius esse, quam ut ob sabbatum debeat omitti. Quod si uos circumciditis hominem in sabbato, ne praepitio differat à uobis: nec hoc opere putatis uiolari sabbatum, quur meo opere clamatis indigni, bundi, uiolatum sabbatum, qui non unam hominis partem curarim, sed totum hominem seruarim in sabbato? Circumcisio tametsi lege prior, et legis quodammodo caput est, tamen perpetua non est. Erant enim homines deo chari, prius quam esset praepitio circumcisio: & erit tempus quum deus auersabitur carne circumcisos, mente incircumcisos. Caterum proximo miserabili salutem corporis & animi conferre, quemadmodum maius ac sanctius est opus, quam circumcidere hominem: ita perpetuo bonum, ante legem, sub lege & post legem, quia suapte natura bonum est. Quur in simili causa, imò quur in causa, quod ad me pertinet, potiori, Moysen ueneramini, me ueluti nefarii facinoris reum peragitis? Non enim nunc disputo uter altero maior sit. Sit uobis Moses, ut est, uir eximius. Sim ego qualis uobis uideor, humilis, & contemptus: tamen si rem spectare uultis, aut uterque uobis damnandus est, aut absolvendus uterque. Siquidem hoc quoque uos lex ipsa docet, ut in iudicando rem spectetis, non personam: & execrabilis est, qui diuiti fauens, pauperem opprimit. Proinde nolite iudicare secundum personae qualitatem, sed ex ipsa re iustum ferte iudicium, si uultis uideri legis Mosaicæ tenaces. Hæc atque huiusmodi multa, quum à domino Iesu tam mansuete dicerentur, ut animi quamlibet ferocem lenire possent: tam uera, ut à nemine, quauis impudenti possent refelli, obticeseunt quidem pharisæi, sed nihilo secius persistunt in sua malicia: nihilo mitiora premittentes animis suis, quod apud multitudinem ausus esset sic à se crimen uiolati sabbati refellere, ut in ipsos crimen longe grauius regeret. Tam arrogans erat pharisæorum supercilium, ut hoc quoque uellent auctoritati suæ tribui, ut innoxius accusatus, ueritatis causam desereret potius, quam aliquid ipsorum apud populum deterreretur auctoritati: & dei gloria taceretur, ne quid ipsorum gloriæ decederet. Et inuenit hoc hominum genus in populo multos, qui mallet horum peruersæ ambitioni seruire, quam diuinæ obtemperare uoluntati. Quidam enim Hierosolymitæ dicebant: Nonne hic est, cui pharisæi & scribæ machinantur mortem, ut qui modo creditus est horum metu latitare, nec prodire ad diem festum? Ecce palam in templo ac libere loquitur illis in os, nec illi respondent quicquam. Quid sibi uult illorum silentium? An principes persuasi sunt hunc esse Messiam, & nunc silentio confitentur, quod prius oppugnabatur? Atqui non est uerum simile, principes hoc sentire: siquidem omnes nouimus, unde hic profectus sit. Non sunt ignoti parentes, humiles & idiotæ: non est ignota patria, non fratres, reliquique cognati. Caterum Messias ubi uenerit, ita uenturus est, ut nemo sciat unde prodierit. Iesus autem uidens tantam illorum cæcitate, ut quum prophetia prædixisset e Bethlehem uenturum Messiam, ubi natus erat Iesus, reliquaque prophetiarum in eum signa competerent, tamen excæcati malicia, ob hoc ipsum se negant eum scire, quod scirent: & ideo mentiuntur Christum ita uenturum, ut nemo sciat unde ueniat, ne cogantur eum agnoscere. Iesus, cuius conscientiam nulla latent hominum secreta, ut hanc multitudinis primorum affectibus corruptæ inscitiam coargueret, quæ hoc sponte nesciret, quod scire poterat, nisi mala mens obstaret iudicio, uoce iam elariore, ut non solum à propinquis, uerum etiā à toto populo possit exaudiri, qui in templo uersabatur: nam is locus potissimum congruit prædicandæ gloriæ dei: palam docere coepit, qui esset, et à quo missus esset: nec à quoquam ignorari posse, nisi qui aut sponte mallet inscius esse, aut id quod sciret, ob animi maliciā nollet profiteri: nos interim suo facto admonens, ut nonnunquam cedendum est hominum maliciæ, ne magis irritata peccet atrociora, grauiusque dei iudicium in se prouocet: ita postea quod nihil non tentatum est

est, quod ad illos corrigendos pertinet, ueluti deploratos suo morbo relinquendos esse: nec propter illorum obstinatam impietatem, celandam esse dei gloriam, ac proximi salutem negligendam: Si ideo, inquit, non uideor uobis ille Messias, quem ex prophetarum oraculis expectatis, quod sciatis unde uenerim, hoc ipsum uos docere poterat me esse illum qui sic uenerim, & ex eo loco sim ortus unde propheta Messiam uenturum prædixerunt. Audistis Ioannis de me testimonium, uidetis miracula, auditis me ueritati perhibentem testimonium, nulli rei studentem, nisi gloriæ dei, & uestræ salutis. Itaque non potestis me nescire, nisi sponte quod scitis, nescire malitis. Et quo modo dicitis ita uenturum Messiam, ut nemo sciat unde ueniat, quum propheta & genus & patriam illius designent? Hæc uobis non ignota poterat ad prophetiæ intelligentiā proficere: quanquam magis refert illud scire unde missus sim, quam unde prognatus. Ne id quidem uos latere poterat, si puris ac syncretis oculis me consideraretis. Nec enim è mundo profectus modo sum, quemadmodum uos calumniimini, sed ab eo qui me misit in mundum, ut resipiscat & seruetur. Sum enim ab eo missus, qui uobis est incognitus, quod neque conspiciatur oculis corporeis, nec auribus audiatur, nec ullo sensu percipiatur humano: sed in hoc missus ab illo sum, ut per me disceretis & illum, quatenus ab homine cognosci potest. Quanquam nec huc aliquo modo scire potestis, nisi pietate promereri studeatis, ut ipse sui notitiam uobis impartiat. Nesciunt enim illum, qui non obtemperat illius uoluntati. Non enim satis est uerbis deum nosse, sed & illi negetis. Si uere patrem nosse uultis, à filio discatis oportet. Ego solus uere noui eum, quoniā ab ipso profectus sum, & apud illum fui priusquam uenirem in mundum: & ab illo missus sum in mundum, ut per me discatis illum, & salui sitis uestra credulitate. Nec enim à me ipso ueni, quemadmodum alij faciunt, suæ studentes gloriæ potius quam dei: sua docentes commenta, non doctrinā dei. Nam uerus est is, qui me misit: & quoniā quicquid loquor, ex illo loquor, ueri sunt & sermones mei. His uerbis irritati primores, magis etiā fremebant animi, quod tantū autoritatis sibi uindicaret apud populū, & ipsos palam impiæ peruersitatis argueret. Gestiebant illi manus iniicere. Iam enim ira in rabiē uersa, non morabatur lenius illud consilium, quo decreuerant eum clanculum è medio tollere. Quum autem adesset prompta uoluntas impij maleficij, nemo tamen id temporis iniecit illi manū, ita uolente Christo: quia nondum uenerat tempus à patre præscriptū, quo sua morte mundo salutem pararet. Quemadmodum enim uolens mortuus est, ita non nisi uolens apprehendi potuit. Manu illi erat animos hominū cohibere, quamlibet ferocientes: nec ulla potestas homini ualere potuisset aduersus illum, nisi sic uisum fuisset illius immensæ erga homines caritati, pro mundi salute crucifigi. Sacerdotibus autem, scribis, pharisæis, ac populi primoribus, quos ob religionis professionem, ac legis scientiam oportebat in primis Christum agnoscere, ob corruptos animorum affectus, in impio consilio perseverantibus: nonnulli pharisei, ac legis ignari, qui ut minus habebant autoritatis ac literarum, ita plus habebant bonæ mentis, ut cuncti crediderunt sermonibus ac miraculis domini Iesu: nondum quidem persuasi Iesum esse Messiam, sed huc tamen adducti rerum ab eo gestarū magnitudine uersu peruersibiles uiderentur: Si hic, inquit, non est Christus, quemadmodum existimant pharisei, mirandum tamen est unde illi suppetat tanta uis ædendi miracula. Etenim si uerum ipse uerus Messias, num maiora facturum sit, quam quæ hic facit? Pharisei uero cum seipsum, quorum partes erant, imperitam multitudinem ad Christum allicere, posteaque miserunt multos esse in turba, qui uiderentur in eum esse propensiores, eò uesaniam deducunt, ut quocumque modo statuerent eum esse perdendum, qui gloriam ipsorum uidere, & obscuraturus. Tanta pestis est ambitio, religionis ac doctrinæ prætextu fucata. Verum interim non pudor, aut pietas, sed periculi metus eos à facinore manifesto cohercebat. Substant igitur Satellites publicos, qui Iesu coram populo manus iniiceret, ac uelut nocentem captum adducerent. Iesus autem qui non ignorabat quid illi clanculum molirentur, nec teneri tamen poterat, nisi uoluisset ipse, uerborum ænigmatibus quibusdam illis significat, fore ut ipse sponte sese morti, ad quam tum frustra petebatur, offerret. Interim tanto uolius uterentur ipso dum adesset: futurum enim tempus, ut frustra desiderarent absentem, quem præsentem persequerentur: præsertim quum illis non esset futura facultas eò consequendi, quò se subduciturus esset. Ibat enim in mortem, quò nondum illi sequi poterat. Redibat in cælum, quò mortale corpus illum persequi non ualeret. Loquutus est au-

*Nunquid in
dispersionē
gentiū iturus*

*In nouissimo
autem die*

tem hunc in modū: Breue tēpus restat, quod uobiscum uersor, reuersurus ad eum qui me misit. Tum absentem requireris, nec inuenieris: nec erit eo consequendi facultas, quo ego proficiscor. Hæc autem dixit tectius, quemadmodum multa solitus est dicere dominus Iesus: ut non prius intelligerentur, q̄ essent peracta. Obscuritas autem sermonis excitat inquirendi diligentiam, & certiorē inuenit fidem sermo rebus exhibitis. Denique in hoc proficiebat, ut constaret omnibus, quicquid passus est dominus, consulto passum esse pro nobis, non casu: uolentem passum esse, non necessitate. Quāq̄ enim hic sermo dictus est omnibus, peculiariter tamen pupugit ministros à pharisæis missos, ut Iesū manus inicerent, in quem sentiebant se nihil posse, nisi uoluisset ipse. Et dum tacite tangit illorum occultam conscientiam, declarat se scire quicquid quantumlibet abstrusum est in cordibus hominū: & interim ciuilitate sibi conciliat illorum animos, quorū conatus impios non prodat populo. Hunc igitur sermonem quum multitudo non intelligeret, disceptabant inter sese. Quid sibi uult quod dicit: Quò ego uado, nō potestis uenire? Num se clam subducturus est, & aliquò in longinquā gentiū regionē abiturus? An sustinebit relicta hæc terra sancta, & populo sancto, inter impias et prophanas gentes uitā agere, quò nos nō existi met sequuturos: aut ita uagus errabit inter gentes procul disitas, ut à nobis inueniri non possit? Quid est alioqui sibi uult: Quæritis me, & nō inuenietis, & ubi ego sum, uos non potestis uenire? Porro quū iam adesset ultimus dies eius festi, qui summa frequentia, summaq̄ religione celebrari consueuit, quo p̄ctio suam quisque domum repetere gaudet: stabat Iesus in templo uelut ipse quoq̄ relicurus Iudaicam regionem, & magni festi diem eximium insigni sermone consecrat, simulq̄ iter ingressuris, uaticum parat Euangelicæ fidei. Nec iam loquebatur tantum aperte, uerumetiā intenta uoce clamabat, rem esse declarans, quā magnopere referret ab omnibus exaudiri. Pharisei populū simplicem, ficta frigidaq̄ religione dementabant, & humanis cōstitutionibus illaqueatū tenebant. Et in Iesu quidem multitudo præter miracula ferè nihil admirabatur. Cæterum quoniam spiritum Euangelicum nondum hauserant, non ita multum proficiebant. A pharisæorum igitur frigidis doctrinis omnes palam ad se inuitat, spiritum pollicens, quo semel hausto, non solum ipsi sint ueram & Euangelicam doctrinam assequuturi, uerumetiā in alios sua prædicatione copiosam sapientiæ uim effusuri. Ego, inquit, fons sum omnis salutiferæ sapientiæ. Qui sitit, nō est quod petat à Mose, aut pharisæis, scribis, aut sacerdotibus. Veniat ad me, bibatq̄ de fonte hoc. Bibit autem, quisquis credit sermonibus meis. Quisquis igitur crediderit mihi, auideq̄ imbiberit sermones meos, quemadmodum iubet scriptura, de me testificans, non arescet incredulitate, sed haustus diuini spiritus pariet in ipsius corde fontem perennem & copiosum, sic ut è medio cordis illius emanet, non tenuis modo riuus, uerumetiā copiosa flumina, quibus irrigetur ariditas gentiū ad Euangelici profectus fecunditatem. Hoc ænigmate Iesus significabat spiritum illum uberem, & copiosum, quē post essent accepturi, qui in ipsum credidissent: quo accepto, mox Apostoli magna fiducia, uarijs linguis, orbis terrarū predicare cœperunt euangelicā philosophiam, & cœlitus haustum spiritū in omnium credentiū animos diffundere. Quāq̄ enim id temporis nonnulla fidei rudimenta conceperant, nondum tamen cuiuspiam contigerat efficax ille & copiosus spiritus: propterea quod Iesus nondum erat morte & resurrectione glorificatus, nec in cœlum ascenderat, confessurus ad dexteram patris, unde spiritū illum missurus erat apostolis. Ante peragendum erat crucis mysterium, quod peragi non poterat, nisi ad tempus dissimulata gloria: & illius diuini spiritus capaces esse nō poterant, nisi prius multis miraculis, multisq̄ dictis ac factis ad id essent formati. Ad hūc igitur fontē aquæ uiuæ dominus Iesus inuitat omnes, nec quenq̄ compellit nolentem, neq̄ quenquam excludit, modo sitiens ueniat. Hæc atq̄ huiusmodi plura quum loquutus esset dominus Iesus, quāquam nondum ad plenum intelligebantur, tamen uarie afficiebant multitudinem. Quidam enim conspectis tot miraculis, tantaq̄ sermonum autoritate, dicebant: Hic uere propheta est. rursus alij magnificentiū etiam de illo sentientes, dicebant: Imò hic est ille Messias, quem propheta promiserunt suis uaticinijs. Contrā, alij pharisæico sermone corrupti, refellere conabant istorum opinionem ex ipsis prophetarū uerbis, quæ Messiam prædixerūt oriturū e tribu Iudā, & e uico Bethlehem. Christus uulgo putabatur esse natus in ciuitate Nazareth, quod illic esset educatus, & ibidē haberet parentes, quod & in Galilæa

Galilæa cœpit prædicationis exordium, atq; illic plerunq; uersaretur. Porro Hierosolymitæ & tribus Iudaicæ Iudæi, Galilæos ut gentibus uicinos & admixtos, pro semipaganis habebant, quod nec legis peritiâ præcellerent, nec ullum unq; prophetam habuissent, de quo merito gloriari possent. Tribui uero Iudæ promissum esse Mesiâ, non Galilæis e semine Dauid, qui regiâ habuerat Hierosolymis: atq; ita Christi uenturi gloriam sibi uindicebant, qui uenientem persequerentur, nimirum inuidia corrupti. Dicunt igitur: Non est uerisimile hunc esse Mesiâ, si prophetias expendatis. Num Christus ubi uenerit à Galilæa nobis proditurus est, quæadmodum hic prodit Nazaræus? An non prophetica scriptura palam dicit, Mesiâ proditurum ex semine Dauid, qui nimirum fuit ex tribu Iudæ? Quin & natalis oppidi nomen addidit, docens eum nasciturum in Bethlehem, quæ est ciuitas Dauid, tribus Iudæ. Quum igitur prophetia palam declararet eum proditurum e semine regio tribu totius Iudæ sanctissima, ex oppido regio, qui cõuenit hunc uideri Mesiâ, qui ex obscuris parietibus, ex ignobilis regionis Galilææ obscuro oppido nobis prodit? Ad hunc modum uariantibus sententijs, disceptatum est in turba de Iesu. Nec huic disceptationi se se Iesus admisit, quod non ea synceritate disputabāt, ut doceri mererentur: & tempus non dum aduenerat, quo sese, quantus esset, declararet. Nā si uere sitissent scire quis esset, poterant & ipsi discere à cognatis Iesu, quod non in Nazaret, quemadmodum pleriq; credebant, sed in Bethlehem natus esset, quodq; à Dauid duceret genus. Neq; enim parum multi hac sciebant: sed quoniam Iesus non adferebat ipsorum cupiditatibus accommoda, maluerunt suis affectibus seruire quàm illum agnoscere. Nam si simplex ac syncerus fuisset eorum animus, licuisset uel ab ipso Iesu sciscitantibus discere, quod inter sese disceptabant. Erant autē in turba nonnulli, quos usq; adeo liuor & odium excæcauerat, ut destinarint apud se manus iniicere domino Iesu. Cæterum nihil habebat uirium humana malicia aduersus eū, in cuius potestate sunt omnia. Satellites itaq; quos suæ uesaniæ ministros miserant pharisæi, ut Iesum caperent, mutatis animis, redeunt ad illos efferatis animis expectantes, ut captum adducerent eum, quo tandem odium in illum suum saturarent. Atq; illud interim inire diuino consilio, quod longe superat omnem humanā astutiam, procuratum est, ut quicquid moliretur pharisæorū malitia, id in ipsorū capita recideret, & ad Iesu proficeret gloriâ. Imperita multitudo, Galilæi rudes, Samaritani, Cananæi, Ethnici, cõmoti diuinitatē ac miraculis Iesu, credebant illi. Soli scribæ, pharisæi, seniores, & sacerdotes, penes quos legis ac religionis totius erat professio, non solum non cõmoueantur ad resipiscendum, sed modis omnibus reddebantur efferatiores. Supererat autē ut & satellites, immitte genus hominum, & ad omne facinus mercenarium, & Iesu testimonium honestum ferrent, & illorum immedicabilem cecitatē coarguerent. Non uiderant ædi miracula, tantū pauca loquentem audierant: & conuersis mentibus, contemptis pharisæorum iussis, redeunt ad eos, non adducto Iesu. Expostulantibus quorū non obissent mandata, non excusant metum multitudinis, non alia quæ comminisci poterant causantur: sed ingenue fatentur: se quidem hoc animo adisse Iesum, ut eum captum adducerent, sed breui sermone, uerum efficaci, sic uelut incantatos ac transformatos, ut quod decreuerāt, reluctantibus animis efficere non potuerint. Nunquam, inquit, audiuius hominem sic loquentem ut ille loquitur. Quis possit huiusmodi uiris manus uolentas iniicere? Quod testimonium ferri potuit in synagoga, quod magis grauaret, ac traduceret pharisæorum obstinatā maliciam? Hoc illi totis uiribus agebant, ut subuerterent doctrinam Iesu, sed conatu in diuersum exente, dum modis omnibus extinguere moluntur, confirmant & illustrent. Dissimulant tamen adhuc furorem animi sui, ac ministris mitius potius, quàm pro cogitationum uesania loquentes: Quid accidit, inquit? Num uos quoque, qui nostri estis, nec ad promissam multitudinem pertinetis, ab illo seducti estis? An non sentitis impostorem esse? Si uerax esset, an non existimatis uiros eximios doctrina simul & autoritate præstātes, illius sermones approbaturus fuisse? Nunc uidetis ne quenquam ex optimatum numero, penes quos est religionis autoritas: aut ex pharisæis, penes quos est exacta legis peritiâ, sermonibus illius fuisse persuasum? An uos mouet exemplum quorundam e media fece plebis hominum? Ista turba rudis, ac legis ignara, deo execrabilis est. Hæc diuina dispensatio ne sic gesta sunt, ut nos certo doceremur, nihil pertinacius obistere ueræ religioni, quàm eorum maliciam, qui falsæ religionis imagine fucati sunt: nullum esse capitaliorē hostem

euangelicæ doctrinæ, quàm qui sacras literas ad suos prauos detorquet affectus: nec ullos esse deploratius impios, quàm qui specie pietatis, qui persuasione doctrinæ, qui publicæ autoritate muniti sunt aduersus euangelicâ ueritatem. Verum quicquid molitur hic mundus omnibus suis machinis aduersus cœlestem ueritatem, cedit in gloriam domini nostri Iesu Christi. Iam illud mihi considera prudens lector, nusquam esse maiorem penuriam eorum, qui Christianæ ueritati ex animo faueant, quàm inter religionis ac doctrinæ proceres. In tam frequenti cōcilio, pharisæorū, scribarum, seniorum, ac sacerdotum, non erat quisquam præter unum Nicodemum, qui in tam sceleratis molitionibus innocenti domino patrocineretur. Is erat unus ex primoribus seclæ pharisæicæ, crassus quidem, ac cæteris indoctior, sed mentis minus corruptæ: qui metu Iudeorū noctu adierat Iesum, quem admodum ante narrauimus, aliquid ab eo certius cogniturus secreto colloquio. Is ex eo congressu tantum profecerat, ut existimaret Iesum uirum bonum, tamen si mysterium sermonis non ad plenum intellexerat. Hic quum uideret eos gladiatorijs animis tendere in exitium Iesu, atq; ita faueret innocentia, ut tamen illorum timeret maliciam autoritatem, moderatus est patrocinium suum, ea loquens pro Iesu, quæ pro malo quoque uiro, sed nondum conuictio, dici poterant: Nos inquit legem profiteamur, quæ ne maleficum quidem condemnat, nisi prius auditum, & excusis ijs, quæ facit is qui defertur. Saltem hoc tribuatur huic iuris, quod commune est omnium, & ab ipsa lege datur etiam maleficis. Ad hoc tam æquum, tam ciuile Nicodemi patrocinium, quum non haberent quod hiscerent, non solum nō resipiscunt aut placantur, sed ipsius etiam autoritate cōtempta, conuictio petunt hominem. Etiamne tu quoq; inquit, Galilæus es? Turbæ & imperitis uenia dari poterat: at non pudet te primatem ac legis doctorem, discipulū esse istius impoſtoris Galilæi, cui nullus adhæret, nisi & abiectissimus apud homines, & apud deū execrabilis? Tu qui legis cognitionē profiteris, excute scripturas, & si usq; cōperies, uel exortum à Galilæa prophetam uel exorturum, crede hunc esse prophetam. Hæc pharisæorum responsio non solum erat impia, uerum etiam stulta. Nec enim Nicodemus affirmarat esse prophetam, sed quisquis esset, non tamen iuxta legem publicam oportere condemnari, nisi prius cognita causa. Sed nullum est iudicium, ubi mentē occupauit liuor & odium. His ultro citroq; dictis, dimissum est concilium, ac suam quisq; domum abiit, dilata non mutata sacrilega uoluntate. Nondum enim uenerat tempus Iesu. CAPVT VIII



ESVS itaq; iam imminente nocte, concessit in montē oliueti, in quo erat Bethania, gratum domino hospitium, quum Hierosolymis locus non esset quietus: illud interim nos docens, secessum conuenire præconibus Euangelicis, nec usquam minus esse locum ueritati, quàm in urbibus opulētis ac felicibus, & tamen huc quoq; se nonnunq; conferet Euangelicæ philosophiæ prædicator, nō ut opes aut honores assequatur, sed ut proſit alijs, uel sui capitis periculo. Huc igitur postridie diluculo reuersus Iesus, non iam stans, quemadmodum pridie, sed sedens docebat in templo, palam præ se ferens, se nihil metuere pharisæorum impias conspirationes. Confluxit autem uniuersus populus ad illum, partim superioribus miraculis ac sermonibus in admirationem illius adductus, partim insidians, & occasionē captans aduersus illum. Quoniam autem animaduertent in eo miram quandam erga plebeios humiles & afflictos clementiam ac mansuetudinem, hinc unde debuerāt eum amare, uenantur anſam criminandi. Moſi lex ſeuſerum exemplum ſtatuſerat aduerſus adulterium, nimirum ut ſi qua mulier deprehenſa eſſet cum altero uiro cōſuetudinem illicitā habere, populi manibus lapidaretur. Atq; interim uiri ſibiſſis indulgentes, ſæuiebant in mulieres, quaſi ipſi innocentes eſſent apud deum, aut æternas pœnas eſſent euasuri, ſi quum grauiora peccarent, non darent pœnas legibus. Lex non punit niſi publica crimina. Superbiam, factum, inuidiam, odium nō punit: ſed hæc magis execratur deus, q̃ illa quæ punit lex. Adducunt igitur ad Ieſum in templo ſedentē, id temporis, mulierculā in adulterio deprehenſam, ipſi ſcilicet iuſticiæ tenaces, ac legis ſtudio ſeueri in criminoſos, cū inrus longe grauioribus uitijs maderent. Mulierculā in medio ſtatuunt, ut ſi Chriſti ſententia fuiſſet damnata, decederet nōnihil multitudinis erga illū ſtudio, quod lenitate manſuetudinēq; ſua, potiſſimū populi fauorem cōciliaſſet: ſin abſoluifſet, quod futurum expeſtabant, haberent quod in ipſum intentarent crimen, qui nō ueritus fuiſſet, aduerſus Moſi cōſtitutionē adulterant abſolue

absolvere: sperantes fore, ut pro muliere, tumultu coorto, lapidibus obrueretur ipse. Sic autem apud iudicem Iesum peccatricem accusant, ipsi sceleratius peccatores: Hæc, inquit, mulier modo deprehensa est in adulterio. Moses autem statuit nobis legem, ut eiusmodi lapsus aut qui nouerat arcana cordium; & cuius conscientiam nihil omnino, quantumvis occultum fugiebat, diuina sua sapientia sic elusit illorum maliciam, ut peccatricem e manibus lapidantium eriperet, nec absolueret tamen, ne uideretur abrogare legem Mosaicam, negaret: nec rursus condemnaret, quod in mundum uenisset, non ut perderet peccatores, sed ut seruaret. Siquidem in his constitutionibus, quas mundus etiam pro conseruanda tranquillitate publica necessario seruat, Iesus sic ubique moderatur suam orationem, ut nec probet admodum, nec improbet, sed per occasionem admoneat, omne scelus esse fugiendum, non solum ea quæ leges principum puniunt. Esse siquidem apud deum iudicem his atrociora crimina, quæ leges non puniunt, quæ tamen dei iudicis poenam non possunt effugere. Iesus igitur, nec reculauit iudicium delatum, quum sibi iudex omnium, nec ream addixit lapidatoribus iam accinctis, nec a causa liberauit, quæ poenam comeruerat, sed silentio patrocinator est ei, quæ rapiebatur ad poenam, ut seruaretur ad poenitentiam, ac resipisceret ad salutem. Oratione nihil respondit, sed ipso facto plus loquebatur. Sciebat mulierculam ream esse peccatricem, sed nouerat accusatores, qui se iustos uideri uolebant, multo sceleratiores esse, quam esset illa. Non abrogabat Mosaicam legem, sed ostendit euangelicæ legis, cuius ipse conditor esset, clementiam. Admonebat illos, qui ream ad poenam crudelem pertrahabant, ut in se descenderent, et iuxta diuinam legem suam excuterent conscientiam, ac talis se quisque exhiberet erga proximum lapsum, qualem experiri uellet deum iudicem erga se: hac ipsa re nos docens dominus Iesus, inclinauit se deorsum, significans, ut demisso fastu ac supercilio, quo sibi quisque blandiebatur, & animo supino proximum despiciebat, descenderet in sese: & inclinatus scribebat in terra, uidelicet admonens legis euangelicæ, secundum quam deus unumquemque iudicaturus esset. Lex in tabulis scripta reddidit illos falsa iustitia superbos & arrogantes: lex in terra scripta, facit unumquemque infirmitatis suæ conscientia modestum ac misericordem erga proximum. Quum uero instarent Iudæi, ut suam pronuntiaret sententiam, quantumque facto iam pronūciauerat, erexit se Iesus. Erectus explicuit, non intelligentibus quid faceret: Si quis, inquit, inter uos est immunis à peccato, primus in hanc iaciat lapidem. Hoc dicto non absoluit ream, sed omnium percussit conscientiam. Metuebat autem quisque sibi male conscius, ne Iesus, cui uidebant etiam occulta non esse incognita, proderet in publicum ipsorum facinora. Hoc aculeo animis illorum iniecto, rursum inclinatus scribebat in terra, facto suo depingens, quid ab illis uellet fieri. Notabat illorum arrogantiam, qui sibi uindicarent sanctimoniam, quum essent longe sceleratiores ipsi, quos immani poena lex puniret. Illa enim quam publicis manibus lapidandam produxerant, non occiderat maritum suum, sed alteri uiro per carnis infirmitatem, corporis sui copiam fecerat. Illi pleni liuore, odio, calumnia, auaricia, ambitione, fraude, totius legis dominum, qui solus omnium liber ac purus erat ab omni peccato, captabant ad mortem. Ad hoc igitur domini responsum, sibi quisque male conscius, ac sibi quisque metuens, ne proderetur, exibat e templo, senioribus, pharisæis, ac scribis, sacerdotibus, cæterisque primoribus præcedentibus, & post hos reliquis sequentibus. Nam qui inter eos uidebant religionis ac iustitiæ columina, hi maximis uitæ intus mædebant. His digressis, quorum nullus erat absque crimine, remansit solus Iesus, qui solus omni culpa uacabat. Iamque clementem iudicem exserta est mulier peccatrix eum, qui nihil unquam peccauerat, quum sauos fuisset habitura carnifices, qui ipsi grauioribus flagitijs erant obnoxij. Horum igitur sauitiam metuens, misera peccatrix sola remansit, apud solum Iesum, peritura apud seruatore, peccatrix apud omnis sanctimoniam fontem. Trepidabat ex conscientia, sed spem bonam præbebat Iesu clementia, quæ sese ipso etiam uultu proferebat. Atque interim dominus uelut aliud agens, scribebat in terra, ut illi non domini minis territi, sed ipsorum conscientia condemnati fugisse uideretur. Tandem erectus dominus Iesus, ubi uidet solitudinem, & mulierem solam ac trepidam, blande compellens illam, dicit: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Num quisquam te condemnauit? Illa respondit: Nemo domine. Tum Iesus: Nec ego futurus

sum illis inclementior, ut qui seruandis omnibus uenerim, cōdemnem, quam illi reliquerunt indemnatam. Legis seueritas poenam infligit ad terrorem; euangelij gratia non querit mortem peccatoris, sed magis ut resipiscat, & uiuat: Abi igitur, & posthac noli peccare. Hoc exemplo dominus Iesus docuit eos, qui se pastores populi & euāgelicos doctores profitentur, quanta lenitate, quantaq; mansuetudine debeant uti aduersus eos qui per infirmitatem prolabantur in peccatū. Quum enim is, in quo nullum omnino fuit peccatū, tam clementem se prābuerit erga peccatricem publicam, quanta debet esse lenitas episcoporum erga delinquentes, quum ipsi nōnunquam magis egeant dei clementia, quam illi, in quorum errata sauiunt: aut si non tenentur paribus uitijis, certe non sunt omnino puri ab omni uitae macula: certe per humanam imbecillitatē, in omne uitium prolabi possunt. Ablegatis igitur delatoribus, & proditis suis cuiq; sceleribus, ac dimissa peccatrice, pergit Iesus ex hac occasione sermonem inceptum pertexere. Tenebrae peccata sunt. Qui ueri sunt ac simplices, nec aliud uideri student q̄ sunt, adeunt lucem, & liberantur a tenebris, quemadmodū mulier adiit Iesum peccatrix. Sed quia non inficiata est quod cōmiserat, decessit iustificata. Cōtrā, primores ac pharisaei, quoniā iusti uideri uolebāt, quum essent selesti, fugere lucem, ne proderetur illorum morbus, ac sanaretur. Hortatur igitur Iesus omnes, ut quisquis sit oblitus peccatis, ad se ueniat, modo ueniat sui poenitēs, se sequatur potius q̄ pharisaeos, qui cāci, erant duces cācorum: & ne quis conscientia facinorū non ausit accedere, paulo ante docuit in adultera, quā neminem ab se submoueat, qui cupiat sanari. Ego, inquit, sum id toti orbi, non solum Palaestinae, quod sol est toti mundo. Sublato sole, caligant simul omnia. Ille corporibus praelucet, ego animis puris illucesco. Ille uitam ac uigorem prābet omnibus corporibus, ego idem multo praesentius praesto animabus. Qui solis ductu ambulat, non impingit in tenebris. Qui me sequitur, meaq; fidit doctrinae, non hārebit amplius in tenebris errorū & criminum, sed purgatus a uitijis, & illustratus Euangelica doctrina, habebit lucem uerā, quae uitam praestat animae. Mortuorū enim est in tenebris condi, uiuorū est in luce uersari. Cognitio mei uita est animae. Cōtrā, peccatum & ignorantia mei, mors est aeterna. Hanc magnificam, licet uerissimā, Christi de se praedicationem, non nūlit liuor pharisaeorū, praesertim quū se recte notari sentirēt: & quicquid gloriae Iesu accederet, id suae detrahi putarent. Protinus igitur obstrepunt illi apud multitudinem, metuentes ne ipsis desertis sequeretur Iesum. Et ut fidem adimant, impingunt mendacij crimen: Tu, inquit, ipse tibi testis es, ac magnifice de te praedicas, sed ne mihi de se testificanti credi debet. Arrogantis est, non ueracis, suam iactare gloriam. Proinde testimonium istud quod ipse de te fers, non est uerum. Ad tam atrox conuicium, sed q̄d magis officere poterat saluti multitudinis, q̄ ipsius nocere gloriae, Iesus se uere respondit: Verum est, inquiens, inter homines, pondus nō habet testimoniū quod ipse de se perhibet, qui & falli potest, & fallere. Ego nō solus mihi testis sum, qui Ioannis de me testimonium, qui legis & prophetarū testimonium proferre possum: & tamen si nullum esset hominis de me testimoniū, qui nullius egeo testimonio, si solus ipse de me testificaret, tamen si planē sciretis qui sim, & unde uenerim, nō possētis refellere testimoniū meum. Illorum testimonium oportet in dubium uocare, qui cum nihil aliud sint q̄ homines, & ex humano sensu de se praedicant, falli possunt, & uolentes etiā mentiri possunt. In me non eadem ista cadūt. Nihil enim ex me loquor, sed ex eo unde sum missus: nec aliō tendo, q̄ ad illius illustrandam gloriam. Ille mentiri non potest, & illius unius testimonium sanctius est omnibus humanis testimonijs. Quisquis autem ab illo profectus est, cūctaq; ex illius animo loquitur, mox ad eundem unde uenit rediturus, non opus habet humano testimonio, quum ipsis factis declarare sit in promptu quis sit: Vos autem excacati liuore, quod scire licet, uolentes nescitis: & quoniam peruerse de me iudicatis, aestimantes ex his quae conspiciatis in me cum ceteris mortalibus communia, non animaduertitis unde uenerim, nec quō uadam. Hoc enim non perspicitur, nisi submotis improbis affectibus animi, secundum spiritum iudicent: & ex ijs quae facio, quaeq; loquor, collatis prophetarum oraculis, credulae mentes uideant rem esse coelestem, non humanam. Vos autem quoniam mundanis affectibus estis corrupti, secundum carnem iudicatis, damnantes imple in uerum ipsorum exitium, quod amplecti debueratis ad salutem aeternam. Iudiciū igitur uerum, quoniam non proficiscitur a deo, sed ex humanis cupiditatibus, corruptum est ac falsum

Ego sum lux
mundi

Vos secundū
carnem iu-
dicatis

fallum. Ego interim non iudico quenq̃. Nondum enim iudicij tempus est, sed conferen-
da salutis. Et tamen si iudicarem de uobis, iudicium meum, quoniam non dissentit à iudi-
cio dei, uerum esset. Non enim solus ferrem sententiam, sed ego simul & pater, qui me mi-
sit, idem pronunciaremus, cū idem per omnia uelimus. In causis humanis plus habet pon-
deris apud homines plurium quàm unius iudicium: ceterum unius dei iudicium antecel-
sit uniuersi generis humani iudicio. Si meum iudicium contemnitis ut hominis, certe dei
iudicium, etiam si solus iudicet, non potestis contemnere. Quod si dei iudicium non con-
temnitis, nec meum potestis reiicere, cum illius iudicio per omnia consentiens, nisi cōmu-
ni cōtumelia simul utrunq̃ uelit afficere, tum illum qui misit, tum me, qui missus sum ab
illo. Nihil aliud loquor aut ago, nisi quod ille mandauit. Idem inter homines grauis est
plurium testimoniū, quàm paucorum, atq̃ secundū legem uestram, apud iudices non ad-
mittitur testimoniū, nisi duorum. Atq̃ interim plus habet pōderis, si quis testificetur de
altero, q̃ si de seipso: & tamen uitari nō potest, quin inter homines sæpe falsa sint iudicia,
falsaq̃ testimonia, etiam si mille consentiant homines, sed homines tantum: uel quod per
errorem ignorent uerum: uel quod affectibus corrupti, non secundum rectum animi iudi-
cium, sed secundū prauas animi cupiditates pronuncient. Verum ubi uel unus de se pro-
nunciat, si quod de se testificatur, non ex se pronūciat, sed ex deo: quoniā deus nec falli po-
test, nec corrupti, nō potest non esse uerum iudicium ac testimoniū. Ego testimonium
perhibeo de meipso, sed ex autoritate patris, qui & ipse testimonium perhibet de me: nec
aliud de me pronuncio, quàm ille testificatus est, qui me misit in mundum, ut testis sim ue-
ritatis, quam ille solus nouit. Si meum testimonium reiicitis, & illius reiiciatis oportet. Si
meum iudicium rescinditis, & illi contradicatis necesse est. Duo sumus, sed duorum idem
est testimoniū, idem iudicium. Sed ex his duobus unus est, qui si solus esset, tamen esset
illius irrefutabile iudicium. Quod si quæritis, quando pater testificatus sit de me, testifica-
tus est in lege uestra, cuius uocem agnosceretis, si quod scriptū est, incorruptis animis in-
telligeretis: testificatus est de me apud Iordanem, testificatur ipsis factis quæ uidetis ab il-
lo geri per me: deniq̃ cum tempus erit, euidentioribus testimonijs me glorificabit. His di-
ctis, quoniam Iudæi subinde audierant nomen patris unde missus esset, & cuius autorita-
te se communiret, demirantur, si de Ioseph fabro, cuius filius tum uulgo credebatur, tam
magnifice prædicaret. Si de illo non sentiebat, cupiunt expiscari, quis nā esset alter ille pa-
ter, unde uenisset & ad quem iret. Vbi est, inquiunt, iste pater tuus, de quo tam mira prædi-
cas? Iesus autem subindicans se nondum illis notum esse iuxta diuinam naturā, quum ni-
hil aliud suspicaretur esse quàm hominem, & tamen ut homini credidissent atq̃ amassent,
nisi iudicium illorum carnalibus affectibus fuisset uitiatum: cæterum nec patrem uere co-
gnosci, nisi per filium, nec filium plene cognosci, nisi cognito patre: non enim oculis corpo-
reis cognosci filium, sed fide: nec patrem humanis sensibus ostendi posse, sed pijs animis
spiritualiter insinuari: respondit hunc in modum: Neq̃ me nostis, neq̃ patrem meum: &
dum me nosse nō uultis, nec patrē nosse potestis. Mihi credite, & me noueritis & patrem.
Dicitis quod me nouistis, quia patriam, domū, parentes & fratres nouistis. At istuc nō est
uere nosse filium, quem si plene nossetis, nō postularetis uobis exhiberi patrē, sed cogni-
to filio simul & patrem meum nossetis. Huiusmodi sermonibus non intellectis, quum do-
minus Iesus uehementer in se prouocaret animos phariseorum palam docens in templo,
idq̃ in loco templi frequentissimo qui dicitur Gazophylacium, quod eò cōferrentur do-
naria, seruarenturq̃ donata templo, quæ tamen omnia ueluti deo consecrata uertebantur
in luxum & quæstum sacerdotū ac phariseorū: nemo tamen infecit illi manus, non quod
desset illis impia uoluntas, sed quod dei nutu non esset data facultas. Nondum enim ue-
nerat tempus, quo decreuerat pati Iesus: nec pati uolebat, nisi peracta doctrina, quam pa-
ter tradiderat dispensandam ad hominū salutem. Obticescentibus igitur illis, sed impias
ac parricidas cogitationes in animo uoluentibus, perrexit loqui Iesus, tacite percutiens
illorū cōscientias, quo uel sic resipiscerent, quum agnoscerent illi nihil occultū esse, quod
homini puro nunc datum fuit: Nullius, inquit, impietas impedire potest, quod ago iussu
patris mei. Hoc peractio, uado ad eum q̃ me misit, ac tum me frustra quæretis, & absentem
desiderabitis, quem præsentē incelsitis, & inuidetis. Tunc intelligetis ex euentu qui sim:
optabitis præsentia meam, nec continget. Cæterū uos qui nunc persequimini præconem

Et in lege ne-
scriptum est

Hæc uerba lo-
cutus est Iesus

ueritatis æternæ, si perstiteritis in incredulitate, in peccato uestro moriemini. Nam suu-
tio perit, qui salutē gratis oblatam obstinate reijcit, & sibi mortē asciscit, qui uitæ fontem
aspernatur. Ego uado, nō quò me uestra compellit impietas, sed uolens eò uado quò uos
non poteritis insequi. Hoc ænigmate dominus Iesus multa significauit: primū se sponte
iturum ad mortem; deinde per mortem ac resurrectionē euehendum in cœlum, quò nul-
lus iuxta mundum sapiens euehi posset. Hoc sermone cum nōnihil terrentur Iudei, nec
intelligerent quid sibi uellet; non ausi sunt tamen illum percontari, sed inter sese mulsita-
bant: Quid est quod iste non semel iam minatur nobis sese abiturum, quò nos non quea-
mus insequi? An ipse sibi uim afferet, ac mortem consciscet, atq; ita se nobis subducet? Ad
hoc tam crassum & impium murmur, Iesus omnium cogitationum conscius, ita respon-
sum attemperat, ut quod diceret, nō intelligeretur, nisi peracta morte ac resurrectione, &
in cœlum ascensu. Nam illi nihil aliud suspicantes esse Iesum q̄ hominem, nihil aliud diu-
nare poterant, q̄ eum iturum in mortem, atq; ita liberandum a molestiis persequentium:
quum ille se significaret e cœlis profectum iuxta diuinā naturam, ac mox denicta morte
rediturum eò, unde fuerat profectus: Vos, inquit, ex hoc mundo profecti, mundum sapi-
tis, & iuxta carnalē mundi sensum loquimini. Ego non sum ex hoc mundo profectus, ac
sublimiora loquor, quàm ut uos possitis assequi: nec assequemini unquam nisi relictā in-
credulitate dociles uos præbueritis. Et ideo modo dixi uobis, & iterum atq; iterum dico:
nisi maliciam istam abieceritis, moriemini in peccatis uestris. Vnica uia est effugiendi pec-
catorum tenebras, si lucē recipiatis: unica est uia ad uitam, si agnoscatis eum, qui solus per
fidem Euangelicā a morte liberat. Quod si pertinaciter recusetis credere, me esse illū, per
quē pater uelit omnes uitā ac salutem cōsequi, uestra culpa moriemini in peccatis uestris.
Nec hic sermo domini Iesu descendit in animos pharisæorū, usq; adeo mentes illorum ex-
cæcauerat hic mundus nimium adamat. Itaq; maliciose, p̄inde quasi nihil hactenus
uiderint aut audierint, unde scire possent quis esset, dicunt Iesu: Tu quis es? Iesus aut præ-
scius illos calumniaturos quicquid respōdisset, qui peruerso studio sciscitabant, simul eos
iudicans digniores qui audirent, quid essent ipsi, q̄ quid esset ipse, respondit hunc in mo-
dum: Cupitis scire qui sim, credite. Nō credetis autē, nisi crassos & mundanos affectus ab-
ieceritis, alioquin etiā si uobis dixero qui sim, uestro malo dicam: non em̄ solum non red-
demini meliores, sed quū sitis mali multis nominib; hoc reddemini peiores. Et hoc ipsum
quod nunc loquor uobis, accedet ad cumulum condemnationis uestre. Ego salutem ho-
minum sitio, non exitiū. Alioquin multa possum loqui de uobis, multisq; nominibus uos
condemnare, sed non ita uisum est patri, qui me misit in mundum: nō ut ex malis fiant pe-
iores, sed ut qui mali sunt, resipiscant ad salutē. Verax est pater qui me misit, huic si credi-
deritis, salutem consequemini: Credetis autem, si mihi credideritis: Mihi uero tuto crede-
tis, qui nihil loquor apud uos, nisi quod audiui a patre meo, apud quem fui ante quàm ue-
nire in mundum. Ille mihi mandauit ut uera loquar, sed ea quæ cōducunt seruandis ho-
minibus, non perdendis. Quod si quis perit, suo uitio peribit, qui salutem oblatam sibi in-
uiderit. Tam autem erat crassa Iudæorum cæcitas, ut quum toties memorasset patrem su-
um, unde missus esset, & ad quem iret, & unde testimonium haberet, et unde audisset quē
loqueretur, nondum tamen intelligeret quod de patre cœlesti loqueretur, quod nihil ad-
huc in eo credere poterant supra hominē. Nam hi sermones tum ueluti semina cōdebantur
in auditorū memoria, ut tum fructum adferrent, quum iam omnia essent impleta quæ
de Iesu scripserant prophete. Expediebat adhuc hominem credi, donec perageretur pro
mundi salute summum illud in ara crucis sacrificiū. Sic enim placitū erat patri, ut per mor-
tem illustraretur gloria dei. Hoc interim significans dominus Iesus, ita loqui perrexit, æni-
gmata subindicans futurum, ut per illos uolens in crucē suffigeretur: Quū exaltaueritis,
inquit, filium hominis, tunc demū intelligetis qui sim: postea q̄ extinctum putabitis, tunc
deniq; cognoscetis uirtutē meam. Siquidem intelligetis rem non humano modo geri, sed
patris mei uirtute, ex cuius arbitrio gero quicquid in terris facio ad hominum salutem:
neq; quicquam loquor, nisi ex illius animo. Quanc̄ autem ab eo missus sum in mūdum,
non tamen ab illo deferor, sed ille semper adest mihi, per me uobis loquens & operans.
Summus enim inter nos consensus est. Ille per me glorificatur, ego uicissim per illum:
sed ille aut̄ est, ego legatus: cæterum optima fide fungens mea legatione, sic ut quæ ille
mandat

Principiū qui
& loquor uo-
bis

Multa habeo
quæ uobis lo-
quar

mandauit, quæq; illi sunt decreta, perpetuo faciã. Moses enim ac Dauid, quos suspicitis, multa loquuti sunt, multa fecerunt ex uoluntate dei, sed iidem nonnunq; offenderunt illum factis suis. Ego nusquam dissentio à placito patris mei. Hos sermones quum id temporis nullus ad plenum intelligeret, tamen erant in turba non pauci, quibus hæc non impie dicta uiderentur, ac nonnulli spe bona ex his quæ promittebat Iesus concepta, crediderunt illi: non tamen perfecte, rudes enim adhuc erant, sed ut tum erant Euangelicæ doctrinæ capaces. Iam enim gradus aliquis iactus erat ad fidem, etiam si nondum eo profecerant, quò post erant prouehendi. Hos igitur hortatur dominus Iesus, ut in eo quod utcunque cœperant, perseverarent, donec proficerent ad perfectam sui cognitionem. Fides enim bonorum etiam illa credit, quæ non intelligit. Phariseorum malicia semper erat in peius profectura. Vos, inquit, ne quid moueat sponte pereuntium exemplum, Bene cœpistis utcunq; credere dictis meis, à quibus si uos nō abducatur aliorum incredulitas, & si in eo quod cœpistis perstiteritis, agnoscam uos germanos, uerosq; discipulos meos, qui cœlestem ueritatem non pharisaicas doctrinas profiteor: ac progressu temporis cognoscetis omnem ueritatem, qui hæcenus umbras Mosaicæ legis pro ueris estis amplexi: & cognita ueritas reddet uos liberos. Iudæi uero non intelligentes, quod Iesus sentiret de libertate doctrinæ Euangelicæ, quæ non mutat statum fortunæ, corpus eximens à iure heri, sed animum liberat à uitijis, à prauis ac mundanis cupiditatibus, à tyrannide diaboli, à metu mortis, à seruitute pharisaicarum constitutionum, à iugo legis iuxta carnem obseruandæ: respondet indignabundi (timebant enim nobilitate maiorum iuxta carnem) Nos, inquit, posteritas Abraham patriarchæ sumus, ingenui ex ingenuis prognati: nec solū ingenui, uerū & nobiles, nec ulli unq; seruitutem seruimus. Quā igitur libertatē tu nobis promittis, quasi seruissimus manumittendi? Hæc responsio crassitudinē declarat gentis Iudaicæ, quæ in rebus carnalibus ponebat fiduciā & gloriam suam, spiritualium quæ nos deo cōmendant, negligens. Puritatē cōstituebant in lotionibus corporis, calicū & uasorum, quū animum haberent uitijis conspurcatū. Alios præ se cōtemnebant, quod præputij pelliculā haberēt amputatam, quū mentem haberent incircuncisam. Sancti sibi uidebant, quod in latis phylacterijs legem inscriptā circumferret, quum deo sancti sint qui legem habent mentibus suis inscriptam, eamq; factis nō phylacterijs exprimunt. Ita nunc efferuntur animis, quod ~~hinc~~ carnem genus ducerent ab Abraham: perinde quasi magnū esset ē sanctis prognatum esse, quum apud deum nobiles sint, qui undecunq; prognati sanctiorū mores referūt. Proinde quū Iesus illos duobus nominibus taxasset, & quod ueritatis essent ignari, & quod seruitutem seruirent, prius dissimulant, & ad id quod leuius est ac minoris momenti stomachantur. Siquidē ignorantia ueri, mentis est uitium: seruū esse, fortunæ malum est, non animi. Itaq; dominus Iesus aperte docet, quam seruitutē senserit: Vos, inquit, indignamini, quod libertatem pollicear, quum uestra opinione sitis liberi, nimirum ingenui filij Abraham. Sed est aliud seruitutis genus longe turpius & calamitosius, à quo neminē asserit maiorum quamlibet magna nobilitas. Non habetis hominē dominum, unde sitis manumittendi: sed illud pro certo cōfirmo uobis, quisquis cōmittit peccatum, seipsum peccato seruum reddit, ac sui iuris esse desinit. Is uere liber est & ingenuus, qui nulli turpitudini est obnoxius. Hæc est ingenuitas, de qua merito gloriari possitis apud deum. Ceterum quis, quis addictus est peccatis, hic diabolum habet dominū: & huius arbitratu ducitur agiturq; etiam si genus referat ad patres sanctissimos. Nō enim aliena sanctitas tollit posterorū seruitutem, sed suis quisq; factis æstimatur. Hanc libertatem non potest impartire seruus conseruo, qui & ipse peccato est obnoxius: sed ille solus liberos reddit & ingenuos, qui solus nulli peccato est obnoxius. Seruus enim tametsi pro tempore quædam agit in domo, tamen quoniam seruus est, non hæres, non habet ius perpetuū, sed exigitur domo, quū uisum est domino. Filius autem quoniam hæres est ac dominus domus, perpetuum habet ius in domo: nec solum ipse uere liber est ab omni seruitute, uerum etiam alios potest libertate donare. Proinde si hanc libertatem desideratis, nō est quod eam expectetis à Mose, aut patriarchis, aut sacerdotibus uestris, quorū administratio fuit ad tempus: neq; quisquam horum fuit prorsus immunis ab omni peccato: neq; quisquam ius habuit abolendi peccata, neq; quisquam ad plenum nouit ueritatem. Verum si quis adhæserit filio, cui tota perpetuæ domus potestas tradita est, is undecunq; prognatus erit iuxta carnem, ueram

Seruus autem
non manet in
domo

libertas

libertatem sperare poterit. Non igitur Abraham uos liberos genuit, non Moyses, non sacerdotes suis uictimis uos reddunt liberos. Si filius uos ab erroribus ac peccatis liberos reddiderit, uere pleneque liberi eritis. Vos uobis isto nomine placetis, quod sitis Abraham filij. Scio uos esse prognatos ex Abraham iuxta carnem, sed ista leuis ac popularis est gloria, & omnium communis, qui Iudaico nomine censentur. Si uultis uere uideri posteritas Abraham, & sanctissimi patris non degeneres filij, factis declarate uos esse illius filios. Nam hoc est ingenuae germanaeque prolis, referre parentis ingenium. Abraham adeo credidit deo, ut non dubitaret ad illius iussu unicu mactare filium Isaac, quum per hunc esset illi promissa numerosa posteritas. Vos autem uidete quantum absitis a moribus patris uestri, qui me ipsum conamini interficere, non ob aliud, nisi quod excacati carnis ac mundi cupiditatibus, non assequimini sermonem meum, qui spiritalis est. Abraham nihil haesitans de promissis, quanquam reclamante natura, tamen credidit angelo, per quem illi deus loquebatur. Mihi quem uidetis, & per quem deus uobis loquitur, maiora pollicens, quam olim pollicitus est Abraham, non solum non creditis, sed etiam maliciosis consilijs necem machinamini. Nolite igitur uobis arrogare patrem Abraham. Eius quisque filius est apud deum, cuius mores ac facta refert. Abit enim exemplum parentum domi conspectum in mores filiorum. Ego dicis ac factis doceo me filium eius a quo missus sum. Quod enim uidi & audiui apud patrem meum, hoc loquor. Vos item quae uidistis apud patrem uestrum, ea facitis. Hoc dictum domini Iesu quum indigne ferrent Iudei, sic respondent, ut conuicium aliquod in Abraham conentur elicere: quod si fieret, populum ad lapides prouocassent. Etenim quum palam testatus esset, illorum esse mala opera, & adiecisset illos ea facere, quae uidissent apud patrem suum, nec alium patrem agnoscerent quam Abraham, taxatus hoc dictio uidebatur patriarcha, qui talis fuisset ipse, quales habebat filios. Iesus autem nec durius quicquam dixit in Abraham, sed diuersum ratiocinatur, ideo Iudeos non esse filios Abraham, quod euius essent dissimillimi: Si ueri, inquit, uultis uideri filij Abraham, referte patrem factis, credite sermoni dei. Quandoquidem ille ob insignem erga deum fiduciam iusticiae promeruit elogium. Nunc quum sine fine iactetis patrem Abraham, tamen mestudetis interficere hominem, ut nihil aliud sim quam homo, tamen innocentem: & ideo uultis interficere, quia ueritatem uobis loquor, non quam ex me cominiscor, sed quam audiui ex deo, ut quisquis mihi diffidit, idem & deo diffidat necesse sit. At Abraham non agnosceret uos filios, qui rem impia molimini, & ab illius moribus longe dissident. Quod si quisque eius est filius, cuius aemulatur facta, & uestra facta plurimum dissident a factis Abraham, alium habeatis patrem oportet, quisquis is est, cuius ingenium exprimitis. His dictis iritiores etiam facti Iudei, iam ceu praesagientes, quo tenderet sermo domini Iesu, & quem patrem illis designaret, respondent: Quem tu patrem alium nobis assignas, qui parentem adimis Abraham? Nos ex stupro non sumus prognati: liceat nobis de hoc gloriari, quod est omnium Iudeorum commune, qui non solum sumus posterij Abraham, uerum etiam filij sumus dei, qui Israel appellat primogenitum suum. Et nos Israelitae sumus. Quod si nobis adimis patrem Abraham, si alium patrem tribuis, quam totius gentis nostrae communem patrem deum, non in nos solum, sed in uniuersam Iudeorum gentem contumeliosus es. Hoc responsum quum haberet impiam impudentiam (Quid enim impudentius, quam se iactare filios dei, qui sibi talium scelerum erant conscij, qui filium dei captarent ad necem?) seuerius retudit: Si deus, inquit, uobis pater est, hoc est, si ueri germanique essetis Israelitae, me nimirum diligetis, ueluti fratrem, & communi parente prognatum, ac patris mores exprimentem, ita ut germano filio dignum est. Nec enim aliud exprimo, quam patrem deum, nec alterius negotium ago, quam patris a quo processi, & ueni in hunc mundum. Neque enim ex me loquor aut facio quicquam: neque enim ipse me legauit, sed ille me misit, quem uobis communem asseritis patrem. Quod si uera dicitis, quare eiusdem parentis filij non agnoscitis linguam eius, qui uerus est filius: & apud patrem fuit, antequam ueniret in mundum: neque quicquam loquor, nisi ex patris praescripto? Quare usque adeo non potestis ferre sermonem meum, quum per me uobis loquatur deus? Si creditis deum ueracem, beneficum, saluferum, amicum pijs, inimicum impijs, quum in dictis factis que meis nihil conspiciatis ab hisce rebus degenerans, quare non agnoscitis mores & ingenium patris uestri? Quod si cupitis audire nomen patris uestri, cuius ingenium ac facta refertis, uos nec ex Abraham,

nec

Nec ex deo prognati estis, sed ex diabolo. Huius germani estis filij, cuius ingenium & indolem spiratis, cuiusque uoluntati paretis. Nam & ueritatem odistis, & innocenti necem molimini. Hoc diaboli patris uestri exemplum est. Siquidem ille princeps, & mendacij & homicidij fuit autor, qui suo mendacio primos humani generis parietes pellexit in mortem, non alia re prouocatus, quam inuidia felicitatis alienae: atque idem morbus uos quoque stimulat in eadem hominis innocentis ac benefici. Ille inuidit homini feliciter condito, uos inuidetis homini ad felicitatem, unde excidit, restituendo. Ille per suam superbiam excidit a ueritate: & sic excidit, ut non sit spes ad meliora resipiscendi: sed persistens in malis, peccata peccatis accumulat, per uos nunc oppugnans ueritatem dei: & per uos idem agens quod egit in initio mundi, quum principes humani generis pertraheret in mortem. Quisquis igitur odit ueritatem, & amat mendacium, satis declarat, quo patre prognatus sit. Quicumque mendacium loquitur ab illo loquitur, qui fons est omnis mendacij. Quicquid ille loquitur, mendacium loquitur, & ex se loquitur: quia non solum mendax est, sed mendacij pater ac princeps. Quemadmodum est diuerso, deus fons est omnis ueritatis, & quisquis ueritatem ad dei gloriam loquitur, non ex se loquitur, sed ex deo. Quod si uos ex deo prognati estis, autore ueritatis, potius quam ex diabolo, patre mendacij: quam ego ueritatem coelitus acceptam loquar uobis, quum filij Abraham non creditis deo: quum filij dei non agnoscitis & amatis dei ueritatem? Si in dictis meis ullum deprehenditis mendacium, si in factis ullum crimen, diffidite sermonibus meis. Sed quis est ex uobis omnibus, qui mihi peccatum ullum possit impingere? Vos quales sitis, ipsi uobis estis conscij. Quod si a deo est quicquid rectum est ac uerum, neque quicquam in me potestis conuincere, quod a recto ueroque dissideat, quum mihi diffidentes, diffiditis deo, praesertim quam uos iactetis dei filios: Quod si uere gloriamini, dei sermonem agnosceretis, sin falso, mendacem patrem exprimitis. Quisquis ex deo prognatus est, ut germanus filius, audit uerba dei patris sui. Et illud arguit, uos ex deo patre non esse prognatos: quia ueritatem ab illo profectam audire non sustinetis. Huiusmodi sermonibus magis etiam efferati Iudaei, ut solet hominum malicia rationibus conclusa, ad infana maledicta confugere, respondet: Nonne recte de te pronunciamus, id quod tu nunc re declarans, comprobas nostram de te sententiam, quod Samaritanus sis, ac demonium habeas, quam Iudaeus uideri uelis, & deum patrem iactites? Ad tam infanam contumeliam quid respondit clementissimus Iesus? Ad Samaritani conuicium, quanquam uulgo magni probri loco habebatur, tamen quoniam nihil aliud erat quam impotentis irae maledictum, perinde quasi fungum illum uocassent aut bulbum, nihil omnino respondit: uerum ad demoniaci uocabulum intentatum respondet, sed ita, ut non regerat maledictum, quod in illos merito possit retorqueri, sed mansuete depellat ab se: nos interim docens, ut quoties agitur de gloria dei, quoties aduersus impios defendenda est euangelica ueritas, ue fementis simus & acres: quoties nos ipsi conuicti inces simur, lenitatem praestemus, sic ut nec ad omnia respondeamus, sed ea tantum a nobis depellamus, ad quae sine periculo fructus Euangelici non possemus obtinere. Referebat autem hoc ad fructum Euangelicum, ut intelligeret populus, Christum quicquid ageret, non autore damone, sed deo patre autore agere. Mihi, inquit, cum nullo damone commercium est: nec ideo me iactio de patre deo, ut ex mendacio mihi gloriam conciliem, sed ut per me pater apud homines glorificetur. Vos autem quum gloriemini uobis eundem deum esse patrem, tamen me probris afficitis, quum nihil aliud quaero quam illius gloriam, cuius uos cultores uideri uultis. Ego non affecto gloriam propriam apud homines: nec me laedit uestra contumelia, sed uobis potius adfertur. Est enim qui, quemadmodum cupit glorificari apud homines per me, ita me uicissim cupit habere gloriam per ipsum: non quod uel illi uel mihi sit opus hac gloria, sed quod sic expediat uobis, ut euitetis mortem, & assequamini salutem. Ego quidem ut non sum ultor glorie meae, quanquam mea gloria, patris est gloria: ita non sum ultor meae contumeliae, nec ob id tamen existimetis uobis impune fore, quod me probris afficitis. Est enim qui & querat gloriam meam, & contumeliam ulciscatur, nisi resipueritis. Nihil uobis prodest generis autor Abraham, nihil Moses, nihil sacerdotes, aut pharisaei, nihil deus pater, ut uobis gloriamini. Illud habetote pro certissimo, si quis obtemperauerit sermonibus meis, quemadmodum frequenter dixi, mortem non uidebit in aeternum. Sola credulitas uiam ad aeternam ad immortalitatem. Hoc tam mansueto responso quum placari debuerint, hoc tanto

tanto præmio quum inuitari debuerint ad credulitatem, tamē pro sua crassitudine, quod iuxta spiritum dictū erat de uitæ animæ, de uitæ corporū interpretantur: & quod dictum erat ad illos erudiendos, seditiose deprauant ad contumeliam patriarcharum, undiq; studentes aliquid inuidiæ conficere domino Iesu apud multitudinem. Respondent autē hunc in modum: Ex illo tuo sermone certius etiā cognouimus te dæmoniācū esse, & furiosum, ac lymphatum, qui hoc promittas seruantibus tuum sermonem, quod nec laudatissimis contigit patriarchis, quibus loquutus est ipse deus. Abraham loquutus est deus, quemadmodum & prophetis. Obtemperarunt illi uerbis dei, & nihilo secius mortui sunt omnes, & tu promittis immortalitatem ijs qui seruauerint ea quæ doces: Qua fronte tu promittis alijs, quod ipse non habes? Ipse mortalis alijs promittis immortalitatem? Num tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Quin & propheta omnes mortui sunt. Nihil illi tale sunt ausi polliceri cuiq;, Quid tibi arrogas? Quem te ipsum facis? Anteponis te prophetis & Abraham, & quod dei est pollicens, deum te facis. Ad hæc Iudæorum insana conuicia sic responsum suum temperauit dominus Iesus, ut quoniā nondum erant capaces tanti mysterij, subindicaret quidē se maiorem esse prophetis, et ipso Abraham, & unum se ex diuina uirtute posse præstare, quod polliceretur, ceterū apud rudes arrogantia speciem uitaret. Sed mitigauit orationem, ne cōmotos magis etiam irritaret: Ego, inquit, nihil arrogo mihi falso. Etenim si more hominum captarem gloriam meā apud homines, mendax & inanis esset gloria mea. Et si gloriam affectarem, non esset opus illam apud homines uenari. Est enim pater, unde proficiscitur omnis uera gloria, qui me glorificat. Ab hoc qui glorificatur, hunc non dehonestant hominum obprobria. Et si uultis scire quis sit ille pater meus, is ipse est, quem uos iactatis uobis quoq; deum esse simul & patrē: cuius si uere essetis filij, nimirū agnosceretis eius legatū: si uere cultores essetis, faueretis illius gloriæ: nec eum afficeretis cōtumelia, quem ille uestre salutis causa misit in mundū. Verum ut falsa religione colitis eū, ita falso uindicatis uobis illius noticiā. Ille spiritualis est, & uos nihil aliud sapitis, q̃ carnalia. Ego uero, qui uere filius illius sum, noui illum, quod nō falso mihi arrogo, sed quod uerum est loquor: & si negē me nosse illum, tam sim futurus mendax, quā uos estis uani, profitentes uos scire deum, quum deum ignoretis. Ab illo missus sum, & apud illum fui, antequam uenirem in mundum. Itaq; noui eum, & quicquid ille mihi mandauit seruo. Quisquis autem contemnit sermonem meum, deum contemnit, cuius nomine legatione fungor, idq; bona fide. Quisquis autem dei sermonem asperniatur, is nec nouit deum, nec eum habet pro deo. Porro quod sine fine iactatis patrem Abraham, cuius estis dissimillimi, mihiq; conciliatis inuidiam, quod illi me præferam, equidem nec meam iactō magnitudinem, nec illius dignitatē imminuam. Illud modo dicam, quod Abraham, quem uos miramini potius quā imitamini, quantus quantus fuit, tamen exultauit, sibiq; felix futurus est uisus, si cōtigisset uidere diem meum. Ac uidit quod optauit, & magnopere gauisus est uir tantus sibi contigisse diem meum, quem uos aspernamini. Hoc ænigmate Iesus significauit, Abraham quum pararet immolare filium Isaac per prophetiæ spiritum uidisse dominum Iesum, in mortem crucis a patre tradendum pro mundi salute, nec tamen ob mortem interiturum, sed post triduum ad immortalitatem reuicturum. Hoc mysterium nondum intelligentes Iudæi, rursus iuxta carnalem sensum calumniantur, nihil aliud suspicantes Iesum esse, quā hominem, nec ante fuisse, quā de Maria nasceretur: Nondum, inquiunt, annos natus es quinquaginta, & Abraham ante tot ætates mortuum, uidisti? Tandem dominus Iesus, ueluti prouocatus eorum conuicijs, subaperit diuinæ naturæ scintillam, iuxta quam non nouit tempus, neque secula, sed semper idem fuit ante omnia secula, quemadmodum deus pater nesciēs tempus, semper est quod est. Sic enim loquitur ad Moysen: Ego sum qui sum, æternitatem & indomitabilem naturam significans. Paterno itaq; uerbo usus filius: Illud, inquit, etiam atque etiam confirmo uobis, licet nondum credituris: antequam Abraham nasceretur, ego sum. Ad hanc uocem ueluti palam blasphemam, quod homo mortalis sibi uideretur æternitatem, soli deo competentem, arrogare, non amplius temperarunt manibus, sed sublati lapidibus aggressi sunt eum saxo obruere. Iesus autem se deum professus, ut hominem quoque demonstraret, cessit illorum furori: nō quod illorum uolentiam metueret, quā illi in manu fuerat cohibere, sed nos interim docēs, ubi tempus postulat, gnauiter ac fortiter esse

esse predicandam Euangelicam ueritatem: rursus ubi nostro simus officio functi, non esse sine fructu prouocandam malorum uesaniā. Nouerat enim dominus Iesus, non dicam crasse multitudinē, sed nec discipulis persuaderi potuisse, si se palam prædicasset deum & hominem, atq; eundem simul & mortalem esse iuxta corpus humanum, & immortalem iuxta naturam diuinā, iuxta carnem in tempore natum hominem ex homine, iuxta diuinam uirtutem ante omnia tempora semper fuisse deum ex deo. Hoc enim tam arcanum mysterium magis erat miraculis, morte, resurrectione, in coelum ascensione, sancti spiritus afflatu, suo tempore persuadendum mundo, quam ante tempus apertis uerbis non credituris ingerendum. Subduxit itaq; sese Iesus illorum furori, & clanculum egressus est templum, ipso facto præludens futurum, ut euangelica lux ab impijs, ac suapte sponte cæcis Iudæis repulsa demigraret ad gentes, & illis qui sibi soli uidebantur religionis cultores relinquere sua domus deserta, alio se conferente Iesu, qui solus est ueræ pietatis autor.

CAPVT NONVM



ESSIT igitur dominus Iesus ad tempus illorum furori, quos adhuc uidebat insanabiles, ac miraculis declarare potentiā suam diuinā aggreditur, quam oratione nondum poterat persuadere. Et ecce statim obuium est argumentum non abhorrens ab ijs quæ gesta fuerant in templo. Siquidem illic cum cæcis fuerat concertatio, sed animo cæcis non corpore, quod infelicissimum est cæcitatis genus, atq; hoc etiam infelicius, quod quum essent plus quam cæci, tamē sibi uiderentur oculati, ut non solum essent infelices, uerū etiam immedicabiles. Minus enim erat miser ille cæcus, quem Iesus præteriens uidit, qui corporis tantum oculis erat captus idq; à natiuitate, ut medicis quidē esset insanabile malum, non etiam Christo. Mentis oculos habebat. Hunc igitur quum esset intuitus Iesus, ueluti miserescebat hominis ob infelicitatem, discipuli qui meminerant quod paralytico sanato dixisset: Vade noli posthac peccare, ne quid accadat tibi grauioris mali: suspicantes omne corporis uitium ex animi uitio nasci, de cæco itidem percontantur, cuius uitio accidisset, ut cæcus nasceretur. Quū enim nemo peccare potuerit antequā nasceretur, quisquē cum morbo uitioue corporis nascitur, uidetur ob alienam culpam puniri, quod præter æquum esse uideretur: Rabbi, inquit, unde huic tantū malum, ut cæcus nasceretur? Vtrum ex ipsius peccato, aut parentū? Respondit Iesus: Nec hic suo peccato cōmeruit, ut cæcus nasceretur, qui peccare non potuit quum nondū esset, nec parentes eius. Non enim punit deus liberos ob delicta parentum, quæadmodū docet lex, ni filij parentum emulentur uitia. Sed huic casu quopiā accidit cæcitas nullius uitio, quemadmodū multa multis accidunt in uita mortalium. Verum huius infelicitas in hoc prohibita nō est, ut per eū declararetur hominib. potētia bonitasq; dei, cui cæci Iudæi tam pertinaciter reclamāt. Quo malum est insanabilius, hoc illustrior erit mali depulsi gloria. Ego in hoc missus sum in mundum, ut procurem gloriam dei factis huiusmodi, quæ incredulis fidem faciant me uera loqui, ut qui crediderint sanentur à cæcitate sua. Hoc mandatum mihi gnauius exequendū est, quamdiu dies est. Nam luce solent homines operari, si quid habēt operis. Nox enim ad opus inutilis est. Interim igitur dum præsens dies operandi præbet facultatē, quæ ad salutem æternā pertinent, nō est cessandū. Ventura est enim nox, cū iam frustra uelint homines operari, nec possint. Quādiu sum in mundo, lux sum mundi. Si homines properant, ut opus quod ob huius uitæ usum aliquē obeunt, absoluāt ante solis occasum, quanto magis adnūendū est omnibus, ut dum me præsentem habent peragant æternæ salutis suæ negocium, cuius gratia firā me quicquid interim operor in hoc mūdo. Quid enim aliud ago, quam ut omnes per oculos fidei uideant & agnoscant deum, et huius filium, quem misit in mundum? Breui sum abiturus, tum frustra desiderabunt lucem, qui nunc operari noluerunt. Hoc sermone dominus Iesus rectē submonuit eos qui aderant, ut abiecta incredulitate properarēt credere filio dei, quem iuxta carnem non essent diutius uisuri: porro qui aliter non poterant ad credulitatem adduci, nisi ex auditis ipsius sermonib. & conspectis miraculis, frustra desideraturi forent sublatum, quem præsentem contempserunt, & ad cuius lucem omniū ingestam oculis, oculos suos occluserunt: porro qui obstinatis animis persisterent in spontanea cæcitate mentis, eos ut deploratos & insanabiles aliquando relinquendos suo malo in æternum exitium, uidelicet ingruēte calamitate miserabili, quæ perderet eos potius, quam sanaret.

ad hæc olim uetustum horribile iudiciũ, cum iam impij frustra cupient operari salutis suæ negocium, nec licebit. Nox enim illa non patietur, cum diem in quo licebat, neglexerint. Porro dum quisq; in uita corporis est, etiam post sublatum in cœlos Christi corpus, tamē habet illius lucem ex Apostolis, sacrisq; literis, quæ facultatem præbent operandi, quod ad salutem pertinet. Cæterum, semel extincto corpore, iam illi dies suus occidit, nec amplius potest operari, sed superiorũ operũ merces est expectanda. Hæc tum obscure dominus Iesus, tardos ad credendum homines, metu futuri extimulans. Iam uero miraculum expectantibus discipulis, Iesus expuit in terram, ac spuito commixto pulueri, fecit lutum, id ille uultu oculis cæci, paternum uidelicet ac suum uerius opificium referens, quo primum hominem ex argilla, humore macerata, finxerat. Eiusdem aut erat autoris restituere quod petierat, qui condiderat quod non erat. Et maioris est uirtutis, sarcire quod corruptum est, q̃ gignere quod natũ non est. Sed interim huius malagmatis nouitas omnĩ animos attētos ac suspensos reddidit ad miraculi futuri considerationē: simulq; cæci constantē fiduciam arguit, qui nihil obmurmurat illinenti, sed simpliciter obtemperat facienti quod uellet; nihil addubitans de beneficio, quocunq; modo daretur. Nec statim recepit oculos cæcus, sed ut erat oblitus luto, iubetur ire ad piscinam Siloæ, atq; illic aquis proluere lutum oculis oblitũ: quo simul & illustrior esset omnib. cæci fiducia, nihil detrectantis quod iuberetur facere: & nouitas spectaculi, nec non longioris itineris mora, plurimos euocaret miraculi testes. Cæcus enim non procul à tēplo sedebat, iuxta uiam mendicās: & Siloæ fons, unde piscina nascitur, est ad radicē montis Sion, de cuius aquis mētionem facit & Esaias, queriturq; eas fuisse contēptas: non quod ex illis aquis quisquā salutē sit assequutus, sed quod diuinæ scripturæ typũ gerāt. Quæ cū absq; strepitu mundanæ eloquentiæ placide lenit̃r, que fluant, tamen quoniā ex abstrusis diuinæ sapientiæ cauernis scatent, cœlestē uim habent depellendi quāuis inueteratā humanæ mentis cæcitātē, & eos oculos aperiendĩ, quibus uidetur deus, quem uidisse felicitas est. Nā Siloæ Syriaca lingua sonat missus. Vnus enim est unice missus à patre, qui solus illuminat mentes hominũ. Fons em̃ ille Christum ipsum repræsentabat, qui nunc quoq; in scripturis arcanis uirtute latitās aperit oculos cæcorum, si modo suam agnouerint caliginē. Plus q̃ cæcus fiat oportet, qui uelit accipere lucem à Christo. Qui mundo sapit, nimirum abest à spe sapientiæ cœlestis: qui sibi est oculatus, nec dignatur luto Iesu occludi sibi oculos, nō est quod speret lucē Euangelicā. Quum huc igitur, ut erat iussus, iret cæcus, ob mēdicatē uulgo notissimus, quod talis esset natus; dubiũ non est quin euntē magna uis populi non sine risu comitaretur, lutatis oculis, ac bis cæcum incedentē ad aquas nullo miraculo nobiles. Vbi uentũ est ad aquas, abluit lutum ab oculis, ac domũ redijt apertis oculis clare uidens. Itaq; uicini, ceteriq; qui prius eum nouerant: neq; enim parum multis notus esse poterat, quĩ publicus esset mēdicus: quum faciem agnoscerent, oculos autem mutatos cōspicerent, dicebant: Nōne hic est ille, quem uidimus ante templũ sedentē iuxta uiam, ac mēdicantē? Nonnulli dicebant, is ipse est: aliq; contra, non est ille, sed est alius illi similis. Dissentiētib; illis inter sese, cæcus ipse: Imò, inquit, sum idem ille mendicus & cæcus à natiuitate, quē sæpe uidistis: ut uox quoq; agnita fidem faceret miraculo. Atqui nos te cæcum uidimus, inquit, nūc uidemus apertis oculis cernentem. Vnde accidit, ut tibi prius clausi, nunc aperti sint oculi: Homo ille, inquit, qui dicitur Iesus, lutum fecit, eoq; unxit oculos meos: quo factō, dixit: Abi ad piscinam Siloæ, atq; illic laua oculos. Abij, laui, & uideo. Tum illi querentes occasionem calumniandi dominum Iesum, quod temperato luto & oculis inuncto, non nihil operis fecisset in sabbato, rogant ubi nam esset ille, qui hoc fecisset. Is quum respondisset se nescire quis esset: nō enim nouerat Iesum, nisi de nomine, de facie non nouerat: adducunt eum, qui ex cæco factus est uidens, ad pharisæos, ut apud hos re simpliciter narrata proderet Iesum, quod uiolasset sabbatum. Nam sabbatum erat, quum Iesus aperiret oculos cæci. Rursus igitur pharisæi percontantur hominem quomodo ex cæco factus esset uidens. Ille nihil metuēs, simpliciter ut res habebat narrans: Lutum, inquit, temperatũ salua inunxit oculis meis: iussusq; laui in Siloæ, deinde uideo. Hoc audito, quidam ē pharisæis dicebant: Non est hic Iesus à deo, tametsi patrem deum habet in ore. Nam si deum haberet autorem, non uiolaret huiusmodi factis sabbatum, quod deus iussit obseruari. Nefas est uiolare diem sanctum. Cum huiusmodi deus non habet cōmercium. Sic illi peruerse increduli, quoniam factum

iam

manifestū inficiari nō poterant, neq; tam beneficium damnare; ex die religionē mutuantur calumniam. Rursus alij sanabiliore: Si hic, inquit, non esset deo gratus, & ob uolatum sabbatum nefarius esset, quomodo posset hæc cadere miracula? Res ipsa loquitur, hæc præsidio dei fieri. Neq; enī hoc primū nunc adidit miraculū. Ad hūc modum de Iesu uariatum est inter illos sententijs: Pharisei igitur qui captabant undecūq; calumniandi ansam, rursus appellant eum qui cæcus fuerat: Tu, inquit, quid sentis de illo, qui tibi aperuit oculos? Illud uenabantur, si male prædicasset de Iesu, quod nō ignorabat illos uelle, haberent quod obijcerent illis, qui de Iesu mediocriter sentiebant: sin bene, scirent in ipsum hominē, ejicientes e synagoga. Mendicus aut simpliciter & intrepide pronuntiat de Iesu, quid sentiret: Mihi, inquit, uidetur esse propheta: magnum quempiam & insignem uirum hoc titulo significans, cuius & famam acceperat, & uirtutem in se fuerat expertus. Erant itaq; permulti Iudæi, quibus persuaderi non poterat, hunc esse eundē illum, qui nuper sedisset ad fores templi mendicans; à natiuitate cæcus, quum hunc constaret aperiatis oculis clare cernere. Vocati sunt igitur parentes, qui peculiāribus etiam indicijs filium suum nosse poterant. Atq; hic maliciosa phariseorum curiositas proficiebat ad gestæ rei fidem simul & gloriā. Dicunt igitur parentibus: Num hic est ille uester filius, quem uos dicere soletis cæcū fuisse natum? Et quid accidit, ut nunc uideat? Illi, ut sunt timidi qui bus res est angusta domi, sentientes phariseos ansam uenari calumniæ, caute respondent: Hoc quod habemus, inquit, indubitatum testari possumus. Scimus hunc esse filium nostrum, scimus cæcum fuisse natum, cæterum redditus uisus neq; modum nouimus, neq; auctorem. Hoc ipse certius q̃ nos testabitur. Nec enim puer est, ut nesciat quid ipsi acciderit. Habet ætatem, ex ipso magis percōtemini: ipse de se loquatur, quod nouit. Hæc dicebant parentes, non quod nescirent, quid accidisset filio, sed maluerunt illum unū uenire in periculum, q̃ communi periculo inuolui cum filio. Iam enim Iudæi conspirauerant, ut si quis auderet Iesum profiteri Messiam, ejceretur e synagoga, quod apud Iudeos magni probri loco ducebatur. Vnde & apud Euangelij professores seuerissimum pœnæ genus est, ut si quis à sua professione degenerans, in crimen aliquod insigne prolapsus fuerit, à reliquorū cōsortio semoueat, ut à cæteris deuitatus, pudore relipiscat, qui salubribus monitis corrigi non potuit. Sed hoc exemplum clementis sc̃uitiæ, quod in eos duntaxat conueniebat exhiberi, qui se uitjs suis redderent execrabiles, ac pestilentes, Iudæi uertebant ad sug tyrannidis stabilimentū, quemadmodum & cæteris omnibus bene institutis, ad questum suum & ambitionem abutebantur. Telum enim quod tātum in malos torqueri debebat, & eos quidem sanandos magis quā perdendos, id uertebant in eos, qui Christum profiterentur. Hoc metuentes parentes, inuidiā testimonijs reijciebant in filium: Ætatem habet, inquit, ex ipso sciscitemini. Reuocatus est igitur is qui fuerat cæcus, ut sibi testis esset ac patronus, simulq; gloriæ Christi præco. Totam enim phariseorum maliciam Iesus uertere solet in dei gloriā. Cum enim factum euidentius esset, partim parentum testimonio, partim ipsa re, quā ut dissimulari negariue posset: tamē ut facti laudem à Christo quem oderant, auertant: Quod ex cæco, inquit, factus est uidens, nolī ascribere Iesu, cui nihil debes, sed gloriā istius beneficii tribue deo. Nos enim certum habemus, quod hic Iesus homo scelerosus sit, cui cum deo nihil est commercij. Pharisei separare conabantur, quod separari non poterat, uidelicet gloriā patris à gloriā filij, & impietati suæ summæ pietatis umbram prætexūt: uelut illis scilicet curæ sit, ne pereat deo sua gloriā, quum propriam gloriā quærent in omnibus, diuinæ gloriæ negligentes. Ad hæc cæcus fortiter simul & circumspecte respondens: An homo scelerosus sit, inquit, alij uiderint, de hoc pronuntiare non est meum. Vnum illud uere testari possum, quod ipsa re comperi, me prius fuisse cæcum, & nunc uidere. Hic quum Phariseis nulla satis idonea daretur ansa, uel calumniandi Iesum, uel in hominem sc̃uendi, circumspecte cauteq; loquutum, ad superiores percontationes reuoluuntur, undiq; uenātes, unde Iesum spoliēt sua gloriā: Quid, inquit, fecit tibi, aut quibus modis aperuit tibi oculos? sperantes fore, ut ex re aliter narrata aliquid decerperent, unde persuaderent hoc laudis nō deberi Christo. Aduersus tam impudentem phariseorum malitiam, iam mendicus factus confidentior, respondit: Modo dilucide, sicut res habet, narraui, semel audistis. Quorsum attinet eadem repetere? Si animo sincero percontamini, iam rem exposui, meoq; testimonio quod à me flagitabatur,

satisfecit: sin minus, iniquum fuerit eadem iterare. An ideo tam diligenter percontamini facti modum, ut re exacte cognita, uos quoque uelitis illius fieri discipuli, per quē deus tanta operatur, quēadmodū ego uirtutem illius expertus, multiq; alij discipuli illius sumus? Hac tanta mendici confidentia pharisaei iritati, non responsum reddunt, sed conuiciū ingerunt, id imprecantes homini, ueluti summum malum, quo solo poterant ipsi quoque felices reddi: & a se per abominationem depellentes, quod summis uotis erat optandum, nisi tā animis essent cēci, q̄ antea corpore fuerat ille mendicus Euangelista: Tu, inquit, scelestē, scelesti illius discipulus esto. Nos talem magistrū abominamur, qui Mosi sumus discipuli, cum quo Iesus iste non est conferendus. Certum enim habemus, quod Mosi loquutus sit deus, quodq; quicquid nos docet ex deo doceat. Iesum autē istum quorū audiamus, qui unde profectus sit, nescimus: Doceat ac probet nobis autoritatē suam, & fortasse credemus illi. Creuit inter disputandum mendici fiducia: quumq; sentiret illos omnib. technis moliri perniciem aduersus Iesum, tamen fortiter contemptis omnibus periculis illius causam agit, ex miraculo redditi luminis colligens, & conuincens non esse obscurum, unde profectus esset Iesus: Admiror, inquit, quorū dicatis uos nescire, unde sit Iesus, quum illud negari non possit, per eum mihi apertos esse oculos, quos natus etiam habebam clausos. Certe illud extra controuersiam est, nec uos dissentitis, deum non audire uota peccatorum. Verum si quis illum piē colit, & eius quem colit religione uoluntati obtemperat, hunc audit. Quod si deus per Iesum mihi cecitatem ademit, tamen si praecepta gloria deo tribuitur, tamen pius dei cultor, & amicus deo sit, oportet, ad cuius uota beneficium tam insigne mihi prestitit. Nec enim uulgare est, aut mediocre miraculum, quod in me factum uidetis. Multa memorantur prodigia, quae deus olim gessit per maiores nostros, sed sanctos, non peccatores. Verum si repetamus ab orbe condito, quis unquam audiuit extitisse quenq;, qui caeco nato aperiret oculos, & depulsa perpetua nocte, lucē infunderet? Quod nisi Iesus iste profectus esset à deo, nisi dei uirtus illi adesset, ex se nihil omnino posset efficere. Non enim humanarū uirium est, quod tamē factum cernimus. Hac mendici fiducia prorsus efferati pharisaei, quum iam spes non esset fore, ut ille uel corruptus, uel metu territus desisteret à praedicando Iesu, ad extrema ueniunt. Exprobrant ei pristinam cecitatem, exprobrant fortunae tenuitatem: quasi haec illi ob scelera sint diuinitus inflicta, quasiq; scelerosus nascatur, qui pauper, aut caecus, aut alioqui uitiatō corpore nascitur: Tu, inquit, in peccatis natus es totus, & nos doces, qui religionis arcem, & legis professionem teneamus? Et qui paulo ante stipem emendicabas, hic apud tantos uiros audes philosophari? Nec diutius illum passi sunt dicere, & pudebat sic ab homine paupere & idiota sibi obturatum os. Eiecerūt igitur hominem ē synagoga, uelut impij magistri discipulum impium. Sed quos pharisaicum supercilium ē synagoga eiecit, Christus recipit in suam ecclesiam. Ab impiorum enim communione secludi, iungi Christo est: & ab his qui suam iustitiam falsam stabiliētes, ueram dei iusticiam oppugnant, damnari, probari est: & ab his qui suae studentes gloriae, Iesu gloriae obscurare nituntur, affici contumelia, summa est gloriae: & execrabilibus execrabilem esse, est deo charum esse. Renunciatum est igitur Iesu, de suae gloriae pracone quā fortiter sese gessisset apud pharisaeos. Iam enim res populi rumore spargebatur, quod eiectus esset. Ut igitur nactus est illum obuium, quo fidem illius faceret omnibus magis conspicuam, ait illi: Heus tu, credis ne in filium dei? Iam enim apud pharisaeos professus fuerat illum à deo profectum esse, qui rem tantam perfecisset. Nec id latebat dominum Iesum, sed propter alios elicit hominis professionem, exemplum procurans ceteris. Ceterum is qui cecus fuerat, quum Iesum de facie nondum nosset, magna tamen affectu sic quoque nosse cupiens eum, quē diceret filium dei: Quis est, inquit, ille domine, ut si norim, credam in illum? Crediderat in eum etiam nō conspectum: nec hac uox est diffidentis, sed ardentis uidere tanti beneficii autorem. Iesus itaq; modestis uerbis significans se esse, de quo loqueretur, ait: Quem uidere cupis iam uidisti: & qui nunc loquitur tecum, ipse est, in quem oportet credere. Ad haec ille nihil contatus, magna alacritate professus est se credere: simulq; cum dicto accidit ad genua Iesu, & adorauit eum, renūciū ipse declarans, quid de eo sentiret. Iesus itaq; quo magis huius exemplo accenderet aliorū animos qui aderant: Ego, inquit, qui lux sum mundi, ideo ueni in hunc mundum, ut in uer tantur rerum uices, prodita nimirum per Euangelicam lucem falsa sanctitatis, ac fucatae cognitio

cognitionis imagine: ut qui antehac non uidebant, uideant: & qui nunc uident, excæcentur. Hoc dictio notauit Iesus phariseorum perversum iudicium, qui quum sibi uiderentur soli scire, quid esset religio, quid esset lex, quid esset iusticia, turpius cæcutiebant, q̃ quib̃ uis e media plebe: nimirũ mundi cupiditatibus animi iudicium obfuscantibus, quum pauperculus ille cæcus, humilis, & idiota, quemadmodum donatus erat luce corporis, ita tantum animo cerneret, ut ipsorum etiam phariseorum concilium ueritate uinceret. Neque fefellit huius sermonis aculeus aliquot e phariseis, qui tum Iesum animo non sincero comitabantur, sed calunians potius ansam undiq; captantes. Hi non recedentes ab arrogantia, quo uel honorificũ de se testimonium extorquerent a domino, uel haberent unde desererent illum apud phariseorum ordinem, dicunt illi: Num & nos cæci sumus? Iesus autem ad hanc tam insidiosam pariter & arrogantẽ interrogationem sic respondet, ut ostendat eos qui sibi uiderentur admodum oculati, plus quàm cæcos esse: non enim corpore, sed animo cæcos esse: & hoc insanabilius esse cæcos, quod sibi uiderentur oculati: Si uere, inquit, essetis cæci, ac mentis inscitiam agnosceretis, daretur uenia simplicitati. Nunc uero quum re uera cæcificitis, & tamen arrogatis uobis apud populum eruditionis laudem, insanabiliter estis cæci. Quemadmodum hic cæcus, quoniam agnouit uitium corporis, assequutus est lucem: uos quum excæcati cupiditatibus carnis uestre, sponte uestra cæcificati, sanari non potestis, sed perseveratis in peccato incredulitatis, quum idiotæ, qui prius ignorabant ueritatem, conspectis miraculis & auditis sermonibus meis, amota caligine, lucem ueritatis amplectantur. Qui sibi legis cognitionẽ arrogat, oppugnās etiam, qui summa est totius legis, plus quàm cæcus est, totaq; errat uia. Hactenus in umbris uersati sunt omnes, nec ulla pateat ad lucem uia, nisi per fidem Euangelicam. Populus ideo facilius uisum recipit, quia non perinde sibi uidetur perspicax: & si quid caligat, rudiras est uerius quàm malicia. Cæterum qui quum ipsi sint bis cæci, tamẽ se profitentur doctores plebis, hoc est, duces cæcorum, perniciosius & immedicabilius cæci sunt. Nam nec ipsi ueniunt ad lucem, & alios seducunt ob falsam opinionem, ac speciem eruditionis & sanctimonie.

CAPVT DECIMVM



IT tamen quũ tales essent, indignabatur, et inuidebat domino Iesu, quod populum alliceret ad se, & a phariseorum ac sacerdotũ obedientia se uocaret: qui quũ autoritatẽ suam honestis rationibus rueri diutius nõ possent, fucis, terroribus, insidijs, minis, impijs cõspirationibus tyrãnidẽ suam cõtendebant defendere, nõ seruientes populi cõmodis, quemadmodum par erat facere, qui se populi doctores ac duces pastoresq; profiterentur, sed populi malo sua captantes commoda. Iesus itaq; qui prius multis similitudinibus inuitauerat omnes ad se, nunc panem se uocãs coelestem, unde qui ederet, uiueret in æternũ: nunc aquam uitam, unde qui biberet, conciperet in sese fontem aquæ salientis in uitam æternam: nunc lucem mundi, quæ illuminat omnium mentes: nunc filium ac legatum dei patris, cui qui crederet, salutẽ æternã consequeretur: hoc loco idem agit alia parabola, quo magis & altius infideat animis omnium, quod est totius salutis humanæ caput: neminem esse posse ducem ac pastorem populi, nisi prius ipse sit ouis Christi, ueri pastoris omnium ouium, quæ collocandę sunt a dextris in die supremo. Ovis autẽ Christi non est, qui non est membrum Christi: membrum Christi non est, qui mundũ hunc, qui gloriã suam anteponit gloriæ Christi. Porro pharisei, quoniam sine Christo pastores esse uolebant, latrones ac fures erant, non pastores: quanquam sibi pastorum nomẽ ac superciliũ uindicabant. Hos igitur notans: Illud, inquit, pro certo uobis affirmo, quisquis intrat in caulas ouium, non per ostium, sed aliunde irumpit, uel transcens septis, uel perfossis muris, is non pastor est, sed fur est, & latro. Fur, ut fraude surripiat aliquid: latro, ut ui perdat. Cæterũ quisquis intrat per ostium, quoniam nihil doli meditatur ouibus, is pastor est, & huic per ostium ingredi uolenti aperiet is, qui solus ius habet aperiendi ostium. Huius uocem, quoniam ueri pastore est, agnoscunt & audiunt oues, quum ad latronis & furis uocẽ incognitam expauescant. Quanquam enim ouis simplex est animal, & ab alieno pendens præsidio, tamen agnoscunt uocem pastoris, unde sentiunt utilitatem, & horrent uocem luporum, unde metunt mortem. Pastor igitur per ostium ingressus in septa, non terret oues sed agnoscitur, & uicissim agnoscit oues suas, adeo ut nominatim etiã singulas uocare norit, & illæ

uocata parent uocanti. Vocantur enim ad pabulum, non ad laniationem. Et uocantur amica notaq; uoce, non protruduntur: ultro parentes, adducit in pascua: quumq; iam educat e septis, quibus continebantur, prodierint in liberos campos, ne quid aberrant, pastor ille uerus ac notus præcedit gregem suum: grex præeuntē consequitur. Non enim præcedit mutus, sed subinde uoce sua prouocat oues ad sequendum, & ab errore reuocat. Agnoscunt autem sui pastoris uocem, ad quam se dirigunt. Cæterum pastore alieni gregis non sequuntur, sed abhorrent ac refugiunt ab ignoto, propterea quod non agnoscunt nisi proprii pastoris uocem. Hoc ænigmate dominus Iesus taxauit Iudæos, scribas, sacerdotes, ac primores populi, qui indignabantur, quod essent multi qui mallerent adhærere Iesu quam ipsis, qui se duces credebant populi. Porro qui sues erant, aut hirci, audiebant illorum uocem. Cæterum qui uere oues doli expertes, simplices & innoxij, agnoscebant uocem domini Iesu, qui uerus erat pastor: cui pater ostiarius aperuerat ostium, ut oues sibi parentes adduceret in æternæ uitæ pascua. Cæterum quum pharisæi non intelligerent, quid sibi uellet hæc parabola, dignatus est aperire: quæ tectius ideo dixerat, ut magis redderet attentos, & altius insideret animis auditorum, quod per similitudinem esset infixum: Pro certissimo confirmo uobis, inquit, quod ego sum illud ostium de quo loquutus sum, per quod oues ingredi & egredi oportet, si uelint incolumes esse. Per hoc ingrediatur oportet, qui pastoris munus uelit obire. Non enim satis est intra septa ecclesiæ, quacumq; uia irrupisse: non satis est ad pastoris titulum ac dignitatem quomodocumq; penetrasse. Huiusmodi quotquot fuerunt, qui peruersis rationibus irruperunt in ouile populi dei, non pascendi, sed spoliandi animo: quoniam per me, qui sum ostium, ingressi non sunt, non sunt pastores, sed fures sunt & latrones: nimirum quæstus auidi, & tyrannide uolenti. Sed istorum omnium uocem audierunt sues & hædi, qui mundum hunc diligunt. Cæterum oues æternæ uitæ pascuis destinatæ, & Euangelici pabuli auidæ, non audierunt uocem istorum, quod ueri pastores non essent, nec in eis agnoscerent uocem Euangelicam. Vox enim non sonabat pastorale quiddam, sed prædonis magis ac lupi. Ego, inquam, sum ostium. Non est salutaris aditus in ecclesiam ac regnum cœlorum, nisi per me, siue pastor esse uelis, siue ouis. Per me si quis introierit, salutem æternam assequetur: nec erit illi periculum à furibus ac latronibus, sed hoc pastore tutus ingredietur in caulas, fruiturus ocio felici contemplationis, egredietur in pascua, proditurus ad officia charitatis, nec deerunt usquam pascua, sed ubiq; dabitur materia benefaciendi, quo simul & alijs profit, & ipse benefactis in caulas redeat saginator. Habetis igitur unam notā, qua possitis ouem ab hædo, uerum pastorem à falso, dignoscere. Qui mihi non credit, & tamen se facit populi pastorem, ab hoc cauendum est. Tum autem uox proderet qualis sit, si quæ loquitur, non sapiunt dei gloriam, non populi salutē, sed propriā gloriam, sed quæstum, sed humanā astutiam, sed tyrannidem, ab hoc sibi caueant oues: fur enim est & latro, non pastor: & hoc perniciosior, quod personā pastoris mentitur. Quod si uox non satis euidēs erit indicium, obserua quid agant. Fur non in aliud uenit, nisi ut furetur, & e gregis alieni malis sibi turpe lucrū comparet. Latro non uenit nisi ut laniet, ac perdat, & in gregem, cui prodesse debebat, tyrannidem exerceat. Tribus igitur argumētis licebit dignoscere uerū pastorem, & furem, aut prædonem: si per ostium non ingrediatur: hoc est, si me non agnoscat, per quem unum salutis æternæ spes est: si non loquatur ea quæ cōgruant doctrinæ diuinæ: si spectet aliud, quàm ad ea quæ pertinent ad dei gloriam, ac populi salutē. Horum si nihil competit in me, si pater aperuit ostium: si loquor ea quæ cum legis ac patris uoluntate consentiunt: si nusq; uenior lucrum aut gloriā meam, sed patris obtemperans uoluntati, nihil aliud sitio, quàm salutem omnium, intelligite me esse uerum pastorem, & agnoscite auctore meum, uocē meam, & agnoscite studium meū. Qui se faciunt esse pastores hoc agunt, ut ex uestris incōmodis, sua comparent comoda: quibus tum optime est, quum gregi est pessime. Ego per ostium ingressus, non in aliud ueni, nisi ut oues morbidæ sanentur, mortuæ uiuant, ac uiuæ saginentur omni uirtutū genere. Bonus pastor habetur, qui uiuit quidem de prouentu gregis sui, quæ bona fide reducit oues in septa, qui educit in pascua: qui nihil furatur, nihil maculat. Sed Ioseph uincit hanc integritatem pastor Euangelicus. Non enim solum non spoliatur gregem ut fur: non solum non laniat uti prædo, uerum etiam uitam suam impendit pro tuendis ouibus suis: tantum abest ut lucri gratia ladat gregem suæ fidei cōcreditum, aut perdat quod seruandum

Ego sum pastor bonus

secundum suscepit. Proinde ceteri, qui se pastores iactant, lupi sunt, non pastores. Quod si queritis exemplum ac specimen boni pastoris: ego sum pastor bonus, qui non solum ipse nihil uenor commodi ex malo gregis, uerum etiam mea bona gratis confero, & aduersus eos qui gregem infestant, uitam etiam meam impendo. Hoc quod amicus non praestat amico, praesto ouibus meis. Non potest esse uerus pastor, nisi purus ab omni cupiditate commodi priuati, nisi uitae quoque suae contemptor, si quando periculum ingruat gregi. Multa sunt enim, quae salutem gregis infestant. Itaque qui uerus est pastor, & cui grex ex animo curae est, non ob aliud, nisi quod amat gregem, obtemperans illi, qui seruandum dedit, non spoliandum, aut mactandum, is suae quoque uitae dispendio salutem defendit ouium. Contra, qui mercenarius est, & sui compendii gratia gregis curam suscepit, etiam si bona fide rebus tranquillis gregem procurat, tamen si uitae ingruat periculum, hoc est, si lupum uiderit irruentem, proditis ouibus, suae uitae fuga consulit, gregem lupo dissipandum ac dilaniandum relinquit. Quid in causa? Nihil aliud nisi quod mercenarius est, non pastor. Charitas uera non spectat mercedem. Vbi mercedis est ratio, ibi charitas aut nulla est, aut imperfecta: & si quod praestatur officium, non praestatur ex animo ueri pastoris. Vbi uero res maxime desiderat pastorem germanum, ibi grex proditur, fugiente conductio pastore. Quamobrem? Quia subducta iuxta sensum humanum ratione, satius esse ducit, perire gregem alienum, quam se uenire in capitis discrimen. Atque hic quidem paulo melior est his, qui ipsi lupos agunt in gregem, pastores mentiti. Sunt enim qui rebus sequendis satis bona fide gregis curam agunt, sed tamen ob insigne periculum gregem produnt lupo dispergendum, ac dilaniandum. Cogitant enim, quid tum si pereant? Mihi nihil perit. Merces in tuto est, & si quid perit mercedis, hoc perire malo, quam pro pecudibus alienis decertare cum lupo. Reperietur alius grex, cui mercede praeficiat, si hic perit suo domino. Neque enim gregis interitus dis cruciat animum mercenarii. Ita fit, ut simul & Domino pereat, quod unice diligit, & grex ueniat in exitium, qui seruari poterat. Non mirum igitur, si talium pastorum uocem non agnoscunt oues Euangelicae. Non oues in culpa sunt, sed pastorum malicia. Nec indignandum est, si quos pater attraxit me sequuntur, desertis pastoribus mercenariis, furibus, & latronibus. Sentiunt enim, quod ego modis omnibus sum pastor bonus, usque ad uitae dispendium. Agnosco meas oues uelut à patre traditas, cuius omnia mea sunt, ac uicissim oues attractae patris afflatu, pastorem suum agnoscunt, diligunt, ac sequuntur, nimirum intelligentes sibi non esse spem salutis, nisi per me. Me pater agnoscit uerum germanum filium, suaeque uoluntati per omnia obsequentem: & ego uicissim agnosco patrem, qui cupit omnes saluos fieri. Ex illius mandato uitam meam impendo saluti mearum ouium, quas mihi seruandas tradidit, nec committam, ut me pastore quicquam possit in eas hic mundus, aut huius mundi princeps diabolus: sed ut mei sint incolumes, ipse me tradam in mortem, hac uia lupi uires fracturus, & oues mihi parentes ex illius faucibus erepturus. Nec patris uoluntati, nec meae charitati satis est, si seruem has oues, quas ex israelitico populo primum seruandas mihi tradidit pater, latius se porrigit mea cura. Sunt & in alijs gentibus oues dispersae, ac luporum, furum & latronum insidijs obnoxiae: nec conquiescam, donec has quoque ad communes caulas reduxero. Et quanquam non audiunt uocem Mosi, aut prophetarum, agnoscet tamen & audient uocem meam, si quae sint oues saluti destinatae. Non enim natio secludit à salute. Quisquis audit uocem filij dei, qui uerus est pastor, saluus erit. Hactenus dispersus fuit dei grex, ob multitudinem falsorum pastorum. Omnes salutem pollicentur, & suam quisque uocem habet, & alius aliò uocat. Interim grex destitutus, huc & illuc dispergitur, variisque perit modis. Verum simul atque omnes audierint me, uocem ueri pastoris agnoscant, & ex omni terrarum plaga conueniant. Itaque fiet omnium idem ouile: nec erit pastor nisi unus. Ex hoc ouile qui fuerit, saluus esse non poterit. Hunc pastorem qui non agnouerit, in exitium ibit. Atque id ne mea culpa fiat, usque ad uitae iacturam ago bonum pastorem. Patri nihil perit, etiam si pereant omnia condita: nullius enim eget, sed ob gratuitam charitatem erga genus humanum misit filium suum in mundum, ut omnibus, si fieri possit, salutem aeternam conferat. Quoniam autem eodem animo sum quo pater, ideo me diligit unice, uelut filium, non mercenarium: quia mea sponte pro salute gregis paterni uitam impendo.

*Mercenarius
autem & qui
non est past.*

*Ego sum pas-
tor bonus*

*Et uocem meam
am audient*

*Et fiet unum
ouile*

*Propterea
me diligit*

impendo meam: tantum abest, ut ex gregis malo mihi commodum uener. Summa charitas est apud homines, si quis ingruente periculo se non subducatur. Ego plus praesto, qui me uolens & ultro in mortem dedam. Sunt qui insidientur uitae meae, horum malicia nihil in me posset, nisi mihi decretum esset pro salute meorum ultro mortem oppetere. Habent isti quidem uoluntatem homicidii, non occiderent tamen nisi uolentem. Igitur illi non auferent mihi uitam, sed ego uolens uitam impendam ouibus meis, mea morte uitam illis redempturus aeternam. Ne credite me sponte tradere meipsum in mortem, nisi uitam sponte depositam, mea uirtute quum uolero, resumpsero. In hoc igitur laus est ueri pastoris, quod ultro pro salute gregis morti semet obijcit, quum in manu sit illi mortem effugere, si uelit. Nulla uis est hominum, quae mihi nolenti uitam auferret: sed ipse uolens eam impendo saluti gregis. Alij moriuntur, quum nolint, & mortui non reuiuiscunt. Et si quisque sibi manus adferre potest, ut scelerata morte pereat, non potest tamen uitam semel elapsam in corpus reuocare. Ego utriusque rei potestatem habeo, & animam hanc emittendi e corpore, & eandem in hoc ipsum corpus reuocandi: Hoc si uobis uidetur incredibile, ut uolens quispiam alienam uitam sua morte redimat: sic uisum est patri meo, qui me misit in mundum, ut hac ratione procurem negotium humanae salutis. Eius iussis uolens & gaudens obtempero, qui cum mihi uoluntas est eadem, quicquid mihi potestatem hanc impartit, ut quod uolo, possim. Haec quum proloquutus esset Iesus, noua, inaudita, ac longe supra uulgarem hominum sensum, rursus in populo uariatum est sententia. Nam plerique dicebant, quod iam & ante non semel dixerant, si quando prodebat illorum secreta consilia, aut si quid humanis uiribus maius diceret, faceret uide, daemoniacus est, & insanit. Carent enim sensu communi, quae loquitur: Quid istum iuuat audire? Rursus alij dicebant: Haec uerba non sunt obnoxij malo demoni. Sapiunt enim uirtutem diuinam, praesertim quum dictis astipulentur facta: qualis est oratio, talia sunt facta. Loquitur excedentia sensum humanum, sed idem facit excedentia uirtutem humanam. Num insanus, & malo demoni obnoxius, potest aperire caecorum oculos? Ex oculare uidentem, demonum est: sed oculos aperire caeco nato, uirtutis est diuinae. Id quum constet ab hoc esse factum, non potest eius oratio proficisci a noxio demone, cuius facta constat a benefico deo proficisci. Ad hanc cotrouersiam nihil respondit dominus Iesus: nos interim docens, non esse semper cotendendum cum improbis, & factis potius declarandum quid possimus quae uerbis: & nonnunquam malorum furori cedendum est, nec unquam oportet Euangelicae mansuetudinis obliuisci. Post haec festus dies praebat noua congregiendi materiam. Aderat enim dies festus, quem encenia uocant, ob templum post Persicum exilium Hierosolymis instauratum, ac renouatum. Nec huic festo deerat Iesus, innouator legis, ac noui templi, quod est ecclesia, architectus. Erat autem hyems, uidelicet tempus illorum animo conueniens, qui frigida legis studio, non arderent Euangelica charitate. Iesus igitur iam non in intimis templi uisabatur, sed inambulabat in porticu, quae templo adhaerebat, cui cognomen erat Solomonis: ut locus ipse loqueretur adesse pacificum illum, omnia conciliaturum, quae in caelis & quae in terris. Inambulabat autem euangelicae legis autor, Mosaica iam cessatura. Hic igitur inambulantem, ne posset elabi cinxerunt iudaei, multis illius dictis ac factis irriti, nec satis inter se concordes: quibusdam maliciose calumniantibus omnia, quibusdam ex ipsis factis ac dictis suspicientibus in eo quiddam humana uirtute sublimius. Adorti sunt autem illum his uerbis: Quousque dictis ambiguis suspensos detines animos nostros, & hac ambiguitate populi seditionem concitas? Si tu es ille Messias quem expectamus, dic nobis palam, Iesus autem tametsi non ignoraret illos animo peruerso percontari, quod & saepius audierant, & ex factis ipsis deprehendere poterant: tamen mansuete respondet, magis erudire cupiens, quam irritare: Quid opus, inquit, fuerit, me de meipso qui sum toties profiteri: praesertim quum si profitear, arrogantiam interpretemini ueri testimonium? Si mihi fidem haberetis, iam dixi qui sum: si uerbis meis non creditis, tamen non potestis ignorare, quod ex me scire cupitis. Nullum est certius argumentum, quam ex factis. Videtis opera mea, quae uobis testibus facio ex uoluntate patris mei, non demonum, quemadmodum quidam calumniantur. Haec si uidentur digna deo, credite me missum ab eo. Sed uos nec factis, nec dictis meis creditis, cuius rei non sum ego causa, sed ueliter

Nemo tollit
eam a me

Dissensio iterum
facta est

Facta sunt autem
encenia

uestri animus insyncerus, minimeq; simplex. Qui simplici sunt animo, nullaq; mundi huius malicia uitato credunt uerbis meis, ac uelut oues agnoscunt boni pastoris uocem: atque ego uicissim illas, licet humiles iuxta mundum pro meis agnosco. Vos autem ideo non agnoscitis uocem meam, quia non estis de numero ouium mearum, quarum simplicitas docilis est, quum uos habeatis animos ambitione turgidos, odio fermentatos, liuore corruptos, avaritia infectos, uarijsq; mundi huius cupiditatibus uitatos, quibus malis si repurgaretis animos uestros, nimirum audiretis & ipsi uocem meam, nec id gratuito faceretis. Primum enim uitaretis exitium, quod imminet omnibus rebellantibus aduersus dei filium, deinde uitam aeternam consequeremini. Siquidem oues illae meae quamlibet iuxta mundi iudicium simplices & idiotae, in exitum abeuntibus his, qui maligni felicesq; habentur in mundo, dum me pastorem agnoscunt, dumq; me ducem sequuntur, ex mea munificentia uitam consequuntur aeternam. Oues sunt simplices, innoxiae, imbelles, omnibus huius mundi praesidijs destitutae. In has mundus omnibus suis machinis ac uiribus insurget. Sed nulla futura est tanta satanae potestas, ut eas rapiat e manibus meis. Mundus habet pharisaeorum autoritatem, sacerdotum dignitatem, habet reges armatos, praefectos, iudices, tribunalia, carceres, catenas, uirgas, secures, equuleos, exilia, mortes, & quicquid terrorem constantibus etiam animis solet immittere. Habet ex aduerso opes, uoluptates, honores, dignitates, & quicquid animos quamlibet incorruptos solet corrumpere. His omnibus machinis utitur mundus, ut extorqueat oues meas de manibus meis, sed me protegente nemo poterit eas mihi subducere. Quicquid mundus molietur, cedit in bonum ouium, & in gloriam patris mei. Non rebellabimus armis, non uenenis, non regeremus conuicia, sed absque praesidijs huiusmodi nouo genere uincemus tamen. Vnicum illud praesidium, quod mihi ad tuendas oues meas dedit pater, maius ac potentius est omnibus, quibus mundus coarctetur in meosq;. Nec me destituet pater, nec ego meas oues deseram. Quod est in manibus meis, idem est in manibus patris mei. Quoniam autem nulla potestas mundi tanta est, quae possit quicquam ex illius manibus extorquere, qui nutu potest omnia: nec de meis manibus ulla res auellere poterit, quod ille seruandum tradidit. Inter patrem & me sicut est absolutum potestatis consortium, ita summus est uoluntatis consensus. Prorsus unum sumus, pariter potentes, idem uolentes, idem nolentes. His dictis iritati Iudaei, non ferentes quod toties haberet in ore patrem suum, cuius praesidio tanta polliceretur, sustulerunt rursus lapides, ut lapidarent Iesum. Nemo tamen impetijt illum, quod nondum uenisset tempus, quo decreuerat extrema pati pro salute generis humani, sed placidis uerbis illorum furor corrigitur. In publicos maleficos, inquit, populi manus lapidibus ad ultionem solent armari. Ego tantum beneficiorum contuli in uos ex benignitate patris mei. Docui errantes: consolatus sum afflictos: paui famelicos: mancos restitui: leprosos mundaui: agrotos sanaui: daemoniacos liberaui: paralyticos & contractos erexi: febres depuli: omne morborum ac malorum genus profligauimus: mortuos in uitam reuocaui: totaq; mea potestas & autoritas, quam mihi tradidit pater, iuuandis uobis impensa est, & impensa est gratis. In his omnibus, quodnam est illud, quod uos dignum arbitramini lapidatione? Si lapidatur beneficus, quid fiet scelerosis & maleficis? Iudaei tandem hac prouocati, ut uel crimen proferrent, uel amentiam suam agnoscerent, ne nihil praetererent suae uesaniae: Non, inquit, ob benefacta solemus quenquam lapidare, sed te lapidatione dignum existimamus ob omnium immanissimum scelus, blasphemiam: atq; in hac re legis auctoritate sequimur, quae iussit huiusmodi saxi obrui. Quis enim diutius ferat, quod tu quum sis homo, facis te ipsum deum, subinde patrem tuum deum habens in ore, quasi nos omnes filij dei non simus, tuq; noua quadam ac peculiari ratione sis dei filius, ut tibi cum patre sit rerum omnium consortium? An non hoc est diuinitatem quam arrogare? Caeterum quum unus sit deus, quisquis hominum diuinae potestatis consortium sibi arrogat, erga dei maiestatem iniurius est, ac rebellis. Ad hoc crimen intentum ea temperatura respondit dominus Iesus, ut blasphemiae culpam procul abs se depelleret: deinde, ut illorum insaniam uerbis atrocioribus non amplius irritaret, & tamen sibi summa cum modestia uindicaret, quod negare non debuit, quia nobis non ignotum esse uoluit: Vos, inquit, mihi blasphemiae crimen impingitis, quod deum patrem meum

Et non rapiet
eas quisquam
de manu mea

Pater meus
quod dedit
mihi

meum appellem. Nonne scriptum est malus quiddam in lege uestra, nimirum in Psalmis: Ego dixi, dii estis, & filij excelsi omnes? Si deus ipse dignitatem sui nominis impartit ijs, ad quos sermo dei factus est, non solum illos filios Dei appellans, sed Deos, non læsa tamen unius dei maiestate, nec falsum esse potest, quod in diuinis literis proditum est: quomodo mihi blasphemiae crimen intenditis, quod me, quem pater unice sanctificauit, ac misit in mundum, ut per filium omnes sanctitatem assequerentur, dixerim filium dei? Si dei colloquiū cum hominibus ex hominibus facit deos ac filios dei, nõ ferendum uidetur, si me dixerō filium dei, qui sum ipse sermo dei, quicquid apud illum fui, antequam uenirem in mundum, qui cum illo rerum omnium habeo consortium? Modestum est quod uerbis arrogo, nimirum quod & in alios plurimos competit ex autoritate scripturæ. Cæterum ex ipsis factis magis conuenit æstimare quid tituli mihi debeatur. Si quæ facio, non uidentur esse homine maiora, si non diuinæ uirtutis specimen habent, nolite credere, quod sim filius dei, quod mihi cum illo per omnia cōueniat. Quod si uidetis Deum patrem in me proferentem uirtutem suam, si dictis meis fidem habere non uultis, certe factis ipsis quæ uidetis oculis, credite, & arrogans habear, nisi longe plus factis præsto, quàm mihi uerbis sumo. Ea si synceris animis perpenderitis, fiet ut uerbis quoque meis fidem habeatis, non amplius dubitaturi, quin pater in me sit, & ego in patre, quod uterque alteri indiuidua societate cohæreat; dum ille per me, quicquid uult operatur, & ego ab illius exemplo iussuque nusquam recedo: ut qui mihi credit, illi credat, qui mihi repugnat, illi repugnet. His auditis Iudæi sermonibus, unde corrigi debuerant, iritiores effecti, conati sunt illi manus inñcere, perfecturi quod iam sapius frustra tentarant. Sed Iesus, ut ostenderet multis modis se uolentem passurum, ubi tempus adesset, elapsus est e manibus illorum. Iesus igitur, quum satis illic docuisset, celsit ad tempus malorum immedicabili uesania, ac rursus transmissio Iordanem, rediit ad eum locū, ubi Ioannes primū cōperat baptizare. Nam, quemadmodū diximus, post mutato loco, baptizauit apud aquas Sichem. Hic igitur cōmoratus est Iesus in deserto, uelut per osus ciuitatum impietatem. Huc quoque multi confluxerunt ad illum e finitimis locis, quorum animos fama Iesu, sermones auditi, & miracula conspecta accenderant. Atque hos quidem protinus ipse locus cōmonuit, ut Iesum, qui iam sui specimen dederat, cum Ioanne, quem prius nouerant, cōferrent. Quumque meminissent Ioannem fuisse in summa autoritate, nec aliud tamen quàm prædicasse baptismum pœnitentiæ, & nullis aditis miraculis, tantam opinionem sibi conciliasse apud multitudinē, ut Christus esse crederetur: contra Iesum, tot proditis miraculis, declarasse potentiam humanis maiorem uiribus, toties prudentibus & efficacibus responsis os obturasse scribis & pharisæis: postremo Ioannem ipsum toties tam magnifice testificatum fuisse de Iesu, palam confitem, quod ipse non esset dignus, qui calciamenti illius corrigiam solueret, dicebant inter se: Ioanni, cum nullum ædiderit miraculū, fides à Iudæis habita est: huic igitur multo magis fides habenda est, qui tot prodigijs admirandis fidem suis dictis conciliat. Et si parum antehac creditum esset Ioannis de hoc testimonio, tamen nunc res ipsa declarat, uerum fuisse testimonium illius, cum plura præstet, quàm ille de eo sit pollicitus. Itaque partim ob testimonium Ioannis, cui non leuis erat apud Iudæos autoritas, partim ob sermones diuinæ sapientiæ plenos: partim ob facta diuinam uirtutē testantia, multi crediderunt Iesum esse Messiam, pharisæis, scribis, & sacerdotibus in sua malicia persistentibus.

CAPUT XI



Amox offertur occasio, per quam maxime redderetur illustris Christi patrisque gloria, simul & ad homicidium irritaretur pharisæorum malicia. Si quidem dum apud Iordanem cōmoratur Iesus, accidit ut in oppidulo Bethania morbo decumberet quidā nomine Lazarus. Hæc erat patria simul & eius qui morbo tenebatur, & duarum sororū Mariæ & Marthæ. Porro Maria erat illa, quæ insigni amoris erga Iesum testimonio unxit caput illius in cōuicio accumbentis precioso unguento, ac pedes lachrymis irrigatos, capillis exterfit. Vnde cum hac familia singularis quædam amicitia intercedebat domino Iesu. Proinde quum Lazarus graui morbo periclitaretur, sorores fretæ familiaritate, quæ fuerat ipsis cum Iesu, mittunt ad illum: qui nuncient amici morbum, non dubitantes, quin pro sua

mirifica

nificat in omnes humanitate, amico periclitanti succurreret: Ecce, inquit, ille quem
 amas, agrotat: Satis enim putabāt nunciāsse amanti, proinde nihil appreciatur. Quibus
 respondit Iesus: Morbus iste nō est capitalis, sed ideo permissus est accidere, ut per eius
 occasionem illustraretur gloria dei, & huius uirtute depulso malo, mutua gloria glorifice-
 tur filius dei. Amabat autem Iesus Martham ac Mariam, harumq; fratrem Lazarum, &
 tamen hunc Iesus passus est in morbum, atque etiam in mortem incidere, ne nobis indi-
 gnum uideretur, si quando boni uereq; pietatis cultores, huius mundi calamitatibus af-
 figuntur, deo ueluti dissimulante, uel quia sic expedit ipsis qui patiuntur, uel quia sic con-
 ducit ad illustrandam Dei gloriam: non quod Deus humanis malis procuret suam glo-
 riam, sed quod mala, quæ nobis iuxta conditionis humanæ legem casu ue obueniunt, uel
 in nostram salutem, uel in suam gloriam hominum causa uertere soleat. Non ignorabat
 morbum amici sui, etiam prius quam nunciaretur, sed ad miraculi futuri magnitudinem
 discipulorum animos expediebat præparari. Postquam igitur renunciatum est Iesu de
 morbo amici, non statim profectus est, sed eodem in loco biduum adhuc est commora-
 tus, haud quidem negligens amici periculum, sed expectans copiosius argumentum æ-
 dendi miraculi, quo simul ipse paulo post moriturus, discipulorum adhuc imbecillium
 animos ad spem resurrectionis erigeret. Discipulis autem metu tacentibus, quod nuper
 elapsus ē manibus Iudæorum, in deserto tutior esse uideretur, Iesus ait illis: Eamus rur-
 sus in Iudæam. Audito nomine Iudææ, discipuli memores, quam esset atrox pharisæo-
 rum in illum odium, & quoties sustulissent in illum lapides, quoties conati fuissent illi
 manus iniicere, non solum domino metuunt, uerumetiam sibi. Nondum enim accepe-
 rant spiritum sanctum, & Iesum humano quodam affectu prosequabantur, ipsi quoque
 ob imbecillitatem à morte abhorrentes. Dehortantes igitur à repetenda Iudæa, dicunt:
 Domine, num excidit tibi, quod ante paucos dies illic Iudæi te lapidaturi fuerant, nisi
 te subduxisses? Et rursus eò proficisceris, manifesto periculo temet obijciens? Iesus au-
 tem anigmate formidinem illorum cōsolatus est, significans nihil esse metiendum ijs,
 qui Christo adhærent, qui lux est mundi, Nox enim habet inanes formidines: dies ne-
 scit huiusmodi terrores: Nōne dies, inquit, habet horas duodecim? Non ueniet nox
 ante tempus suum. Interim quisquis ambulauerit in die, non impingit: siquidem præ-
 stat hoc illi sol cōspectus, ut uideat, uitetq; offendicula. Cæterum quisquis sublato sole,
 ambulat in nocte, impingit, eo quod luce careat. Ego sum lux mūdi, meum ductum uos
 sequi par est, non præire luci. Nolite metuere ante tempus. Quamdiu uobis luceo, nihil
 est periculi. Veniet nox, quando à me semoti conturbabimini. Hoc sermone Iesus, mi-
 tigata Apostolorum formidine, causam aperit profectionis: Lazarus, inquit, amicus
 noster dormit: ab eo igitur, ut à somno illum excitem. Discipuli metu perturbati quum
 suspicarentur Iesum non de morte, sed de somno uulgari loqui, respondent: Domine,
 si dormit, non est quur eò te conferas: nam in ægrotis somnus esse solet rediturae sani-
 tatis argumentū. Abhorrebant discipuli à repetenda Iudæa, & idcirco profectionis cau-
 sas, quantum possunt, refecant. Iesus autem paulatim præparabat animos suorum ad mi-
 raculi futuri contemplationem. Nam primum ideo dormientem, quam mortuum ma-
 luerat dicere, ut iuxta sacræ scripturæ consuetudinem, ostenderet spem resurrectionis.
 Dormiunt enim uerius, quam mortui sunt, qui reuicturi quiescunt. Neque nostrum cui-
 quam tam facile est excitare dormientem, quam facile erat domino ad uitam reuocare
 mortuū. Itaq; discipulis non intelligentibus, quod de somno & expergefaciendo dixit,
 ut cognoscerēt nihil rerum occultarum ipsum latere, apertius ait: Lazarus mortuus est,
 nec addidit, quod iam dictu magnificentius erat, de excitando. Nam id significatū esse
 maluit, quam explicatum: & præstare maluit, quam promittere, ubique nobis parans
 exemplum modestiæ. Quoniam autem responderat ijs, qui morbum amici nunciabant,
 non esse letalem, sed in hoc accidisse, ut per eum illustraretur gloria dei, ac filij ipsius, si-
 mile quiddam indicat discipulis: Gaudeo, inquit, quod illic non adfuerim, dum ami-
 cus agrotat ac moritur: idq; uestra causa, ut uestra fiducia, quā adhuc imbecillem uideo,
 confirmetur euidentiore miraculo. Etenim si me præsentē cōualuisset ægrotus, poterat
 casus uideri. Si recens defunctum, interpellantibus sororibus, excitassem: pharisæi, qui
 nihil non calumniantur, causari poterant, stuporem fuisse, non mortem. Nam id acci-
 dit

dit aliquoties in morbis nonnullis, ut corpora multis horis cōsopita, reuiuiscant. Nunquam mors sit certa, copiosius erit argumentū credulitatis. Eamus igitur ad illum. Non placebat discipulis profectio, propter metum Iudæorū, qui penitus inhærebat animis illorum, & tamen itineris causam piā & grauem refellere non poterant. Quanquam autem Iesus non ignarus, quid perturbaret animos discipulorum, metum etiā illorum hoc argumento lenierat, quod diceret se Bethaniam ire non Hierosolymam: tamen imbecilles terrebat etiā loci formidati uicinia. Sollicitis igitur ac mœstis discipulis, nec audentibus tamen detrectare domini iussu: Thomas, qui Græcis dicitur Didymus, Latine geminus, cæteris imbecillior, ait ad cōdiscipulos: Eamus & nos, si ita certum est, ut moriamur cum illo: quandoquidem hæc illi sedet sententia, sese suosq; iri manifestū uitæ periculum adducere, cum liceat utrorūq; incolumitati consulere. Profectus est igitur cum discipulis suis Iesus in Bethaniam, ac repperit Lazarum, quatrīduo iam sepultum. Aberat autem Bethania ab Hierosolymis stadijs plus minus quindecim. Atq; hinc discipulis illa formido, atq; hinc etiam occasio, quæ fecit ut miraculum plures haberet testes ac spectatores. Siquidem ob loci uiciniam complures eō confluxerant ex Hierosolymis, nimirum officij gratia, ut Mariam & Marthā consolarentur de fratris decessu. Quod officij genus diuitibus etiā honoris gratia præstari consuevit. Martha, quæ sedulitate quadam obambulabat, ubi rescisset ex quopiam aduentare Iesum, prodit obuiam illi, Maria domi se continebat. Martha igitur ubi uenisset in conspectum Iesu, nonnulla bona spe de fratre ad uitā reuocando concepta, flebili uoce dicit illi: Domine, nisi hinc abfuisses, frater meus non esset mortuus, nam facile morbum dicto depulisses. Quamquam ne nunc quidem res est omnino extra spem. Scio enim, quod quicquid à deo poposceris, nihil tibi sit negaturus, etiam si mortuo sepultoq; uitā poposceris. Hæc à Martha dicta sunt, nec desperante, nec prorsus tamen fidenti animo. Iesus igitur ut illius fiduciam confirmaret, ait: Bono animo esto, reuiuiscet frater tuus. Nec hæc promissio satis erat animo Marthæ, quæ quod misere speraret fratrem reuicturum, non potuit non timere. Verebatur autem, ne quemadmodum nuncijs respondens, morbum non esse capitale, ambiguo responso se fellerat, ita nunc quoq; lateret aliquid in illius dictis, quod spem ipsius eluderet. Scio, inquit, quod reuicturus sit frater meus, sed in nouissimo die, cum resurgemus omnes. Nam hanc resurrectionem futuram credebant pleriq; Iudæi, præsertim qui factionis erant pharisaicæ. Iesus igitur quo mulieris de se fiduciā & opinionem paulatim ad maiora prouehat, seq; declarat eum esse qui non solum à deo possit precibus impetrare uitam mortuo, quod & ab alijs sanctis uiris factum legebatur, sed ipsum esse fontem simul & autorem omnibus, uitæ & datæ, & reddendæ: nec ullam mortem metuendam ijs, qui fiduciam & spem in ipso collocassent, propterea, quod etiam si mors accideret, nihil posset lædere fonti omnis uitæ adhærentem, Marthæ respondit hunc in modum: Credis Martha, quod precibus meis impetrare possim à patre meo uitam mortuo fratri tuo? credis quod frater tuus reuicturus sit cum cæteris in nouissimo die? Verum hoc quoq; debes credere, qui resurgent in nouissimo die, per me reuicturos: nec quenquā omnino uiuere, nisi dono meo: neq; quenquā reuiuiscere, nisi per me: non solum iuxta mortem corporis, quæ non magnopere formidanda est, sed iuxta mortem animæ, quæ maxime metuenda est. Et anima quæ uiuit, per me uiuit: & quæ reuiuiscit, per me reuiuiscit. Ego enim sum ipse resurrectionis & uitæ fons. Qui mihi per fidem adhæserit, etiam si corpore fuerit mortuus, tamen uiuet. Nec hoc de fratre tuo tantum dictum accipe, sed quisquis omnino mortalium fiduciam habuerit in me, non morietur in æternū, etiā si corpus ad tempus exanime cōquiescat. Martha, credis ne quod dico? Martha iam tota intenta fratri reuicturo, non admodum apte respondit ad sermonem Iesu, sed tamen in genere professa est, quā magnifice de illo sentiret: Credo, inquit, domine. Ego credo te esse Messiam illum filium dei uiui, qui promissus à prophetis, ac multis iam seculis expectatus ueneris in mundum. His dictis, Martha iussa redire domum, ac Mariam sororē accersere, iam luctu sedato, iam alacris ac plena bonæ spei, relicto Iesu, domū properat, ac sororem è turba circumfredientiū clam seuocat, eiq; cancellum rem lætam infusurrat in aurem: Magister, inquit, adest, & accersit te. Illa simul atq; cognouit aduenire Iesum, & sororem uideret alacriorem, concepit & ipsa nonnihil bonæ

bonæ spei: tametsi iam sero uideretur uenire Iesus, quem ideo non interpellarant per nuntium sapientius, quod satis esse iudicaret, si periculum amici nosset, cætera illius arbitrio permittentes. Maria itaq; non temere esse rata quod adueniret, absq; mora surrexit, occursum priusquam ingrederetur domum. Sic enim expediebat ad miraculi prodendi dispensationem. Expediebat enim adesse multos phariseos, qui quanquam officij gratia uisissent Mariam ob priuatam amicitiam, tamen oderant Iesum. Hi uidelicet non comitati fuissent Mariam, si cognouissent illam obuiam ire Iesu. Itaq; Iudæi, qui Mariæ aderant in ædibus consolantes eam, quum uidissent quod tanta cum celeritate surrexisset, & exiret domum, comitati sunt illam euntem, suspicantes quod erumpente uel doloris, iret ad monumentum; atq; ibi lachrymis satiare animi moerorem. Maria itaq; progressa, reperit Iesum nondum ingressum oppidi mœnia, sed eo in loco commorantem, ubi dudum occurrerat illi Martha. Illic enim Mariam, quam accersi iusserat, operiebat, locum deligens ædendo miraculo idoneum, quod illinc haud procul abesset monumentum, sicuti tum mos erat, iuxta uias publicas defunctorum monumēta ponere. Huc ubi uenisset Maria, simul atq; Iesum conspicata est, ut erat lucius plena, accidens ad pedes Iesu, lachrymabili uoce dixit idem quod dixerat soror: Domine si in tempore hic adfuisses, frater meus non fuisset mortuus, & hoc miserabili luctu careremus. Iesus autem uidēs Mariam totam in luctu esse, Iudæos item, qui illam comitabantur, unā flentes, non philosophatur cum ea, quemadmodum fecerat cum sorore Martha, cui semota turbauerat colloquutus: neq; quicquam pollicetur, quum iam locus ac tempus adesset re præstandi quod erat Marthæ pollicitus: primum infremuit spiritu, ac semetipsum turbauit, uidelicet humanæ naturæ ueritatem præ se ferens, mox diuinæ uirtutis indicium prolaturus. Non erāt affectus fucati, quod animo inhorruit, quod turbatus est: sed hoc intererat, quod hos affectus in sese recepit, non ex infirmæ naturæ, sed ex rationis arbitrio: nec eadem erat cæterorum flentium, ac Iesu turbatio ratio. Illi humano quodam affectu mortem corporis deplorabant: Iesus magis indignabatur peccatis hominum, per quæ tam multæ perirent animæ: turbabatur ob iniuincibilem Iudæorum incredulitatem, qui corporis mortem flebant in amico, quum ipsi secundum animam æternæ morti essent obnoxij, nec deplorarent seipsos. Ab hac morte cupiebat Iesus omnes homines reuiuiscere, & indignabatur in multis perituram doctrinā, miracula, & mortem suam. Postquam igitur horrore spiritus & animi turbatione, uultu, oculis, totq; corporis habitu manifestum specimen dedisset humanæ naturæ, simul interim docens, non oportere huiusmodi affectibus succumbere, aut ab his quæ uirtutis sunt, auocari: cohibita animi turbatione, dixit: Vbi posuistis eum? non quod ignoraret, sed ut à miraculo secluderet omnem suspicionem fuci. Respondent cognati: Domine, ueni & uide. Euius arguebat monumentum non procul abesse, iamq; uelut ad sepulchrum commonstratum, renouato dolore lachrymatus est Iesus. Fremitus ac turbatio præcesserat, indicium doloris in animum irrumpentis. Lachrymæ iam animi uulnerati uictiq; uelut sanguis est: sed hæ lachrymæ non ab animo uicto proficiunt. Non enim Lazaro mortuo impendebantur, sed nobis ut illum crederemus uerum hominē fuisse: simulq; disceremus, quā miranda, quā deploranda sit mors animæ, quā tamen homines perinde nec horrent, nec deplorant. Iudæi uero credentes Iesum non ob aliud sic affici, quā ob mortem amici, qui cum habuerat consuetudinē: Ecce, inquit, quā unice dilexit Lazarum, quē sic flet mortuum, quum illi tamen sanguine iunctus non sit. Erant autem qui hoc quoq; uertent in calumniā, quod lachrymis testaretur amorem non uulgarem erga Lazarum, dicentes: Nonne hic nuper aperuit oculos cæci mendici, qui cum nihil erat illi familiaritatis? Quir igitur non effecit, ne tantus amicus moretetur? Si noluit, quir nunc lachrymis testatur intempestiuū amorem? Si non potuit id quod facilius est, quomodo præstitit id quod est difficilius? Aegrotum sæpenuero medicus in uita retinet: cæco nato nullus unquam aperuit oculos. Iesus autem iam uicinus monumēto, quo plane doceret horrendū esse statum hominis, iam in peccatis inueterati: quantaq; pœnitutine, quot lachrymis sit opus, ut per Dei misericordiam resipiscat ad uitam innocentie, rursus infremuit, ac semetipsum turbauit: in se uidelicet exprimens, imaginem rei, quā in nobis oportet exhibere, si uelimus à malis, quibus diu assueuimus, resipiscere. Iam itaq; uentum est ad monumentum. Erat autem spelunca, cuius os saxo imposito erat occlusum, & hoc ad miraculi fidē,

ac præstigiij suspicionem excludendam faciebat. Quæ quo certior etiam redderetur, si res non ipsius aut discipulorum, sed cognatorum manibus perageretur, in quos nō cadebat ulla præstigiij suspicio, Iesus ad cognatos conuersus: Tollite, inquit, lapidem. Augebat miraculi certitudinem, & Marthæ sororis defuncti simplicitas. Iam enim oblita, quid illi pollicitus esset Iesus, ex lachrymis ac mœrore Iesu redierat in pristinum affectum, ac pene diffidentiam quandam imbiberat. Verebatur autem, ne sublato lapide, foetor cadaueris offenderet nares circumstantium: non animaduertens, quod qui in resurrectione suscitaturus sit omnium corpora, iam tot seculis in cinerem redacta, posset & recens putrefactum cadauer excitare: Domine, inquit, iam foetet. Hic enim est quartus dies, quod mortuus est. Iesus ergo mulieris uacillantis fidem obiurgatiuncula suscitât: An excidit, inquiēs, quod tibi modo dixi: Si credideris, futurum ut per fratris tui mortem illustraretur gloria dei. Cunctis igitur ad nouæ rei miraculum suspensis, iussu domini Iesu submotus est lapis. Moxq; suspensis omnium animis atq; oculis, dominus Iesus suspiciens in cœlum, ut nos doceret quicquid magnificum geritur à nobis ad deum autorem oportere referri, simulq; declararet circumstantibus, se diuinâ uirtute facere, quicquid faceret, dixit: Pater, ago tibi gratias, quod audieris uotum meum: non quod hoc mihi nouum sit, aut temporariū. No ui enim quod quum eadem sit uoluntas tua meaq; nunquam non audis, si quid abs te peto. Nec enim ego quicquā uolo, quod tu nolis, sed ob turbam circumstantem hac utor oratione, ut conspecto miraculo, credant me ex tua uoluntate facere, quicquid in terris facio: quodq; sum abs te missus in mundum, ut illustrem apud homines gloriam tui nominis. Hæc eloquutus patri, magna uoce nominatim inclamans, mortuum euocat: Lazare, prodi foras. Poterat et solo nutu perficere, ut reuixisset ac prodisset sepultus: sed magna uox, magnæ uirtutis indicium est, qua peccatrix anima, quæ procul abest à conspectu Dei, sepulta in tenebris criminum, & putrefacta flagitiorum inquinamenti, reuiuiscat, & in lucem ueritatis prodeat. Nec mora, statim ad uocem inclamantis prodijt sub omnium oculis, qui fuerat mortuus ac sepultus. Prodiit autem corpore quidem sano, sed cum toto ornatu sepulchrali: quo magis agnoscerent omnes, hunc ipsum esse, quem ante triduum ipsi tali cultu sepelierat. Erant enim iuxta funerum consuetudinem pedes illi uincti institis, & manus sepulchralibus uinculis colligatæ, tum facies erat obuincta sudario. Iā hoc ipsum mirum, non paulatim palpitasse defunctum, & uitæ redeuntis præbuisse specimen, quæ admodum fere solet accidere in alijs, quos à sanctis uiris excitatos legimus: sed subito ad uocis iussum reuixit quatrīduo mortuus, & quod accessit miraculo, uinctus & obligatus repente prodit ex altissimis speluncæ latebris. Tum Iesus, ne quid deesset ad plenissimā miraculi fidem, ait amicis: Soluite illum & sinite abire, ut motus & alacer incessus ostenderet hominem etiam ualere, non solum usuere. Poterat efficere Iesus, ut uincula suapte sponte soluerentur. Sed dum omnia suo ministerio peragunt, omnibus argumentis & fuci suspicionem excludunt, & miraculi certitudinem confirmant. Sorores per alios morbum fratris absenti Iesu renunciāt. Absente Iesu mortuus est, sepultus est, seruatus est usq; ad foetorem. Solenni multorum frequentia fletur. Sorores ipsæ mortem renunciant: comite turba commonstratur sepulchrum: alienis manibus submouetur saxum: alienis manibus soluitur, qui prodierat. Hic nihil relictum est incredulis, quod possent causari. Nec Iesus, tam insigni miraculo adito, uerbum ullum de se magnificum proloquitur. Nō exprobat turbæ, quod frequenter miracula sua soleant calumniari: non exigit gratiā à Lazaro, aut sororibus. Proinde multi qui uenerant officij gratia ad Martham ac Mariā Lazari sorores, conspecto tam insigni prodigio, crediderunt illum esse Messiam, adhærentes illius doctrinæ, cuius tam efficacem uirtutem coram spectauerant. Nonnulli uero reuersi Hierosolymam, referūt pharisæis, quæ Iesus fecisset iuxta Bethaniam. Hoc igitur facinore tam insigniter prodigioso audito, pontifices & pharisæi, qui pro diuinæ uirtutis tantumculdenti declaratione Iesum colere debuerant, & deo gratulari, inuidiæ stimulis acti, in se ipsis non temperant amplius, sed impio concilio conuocato, quo res legitimis modis perscrutari uideretur, consultāt inter sese, qua ratione tantis periculis possit occurrī. Quum enim priuati commodi respectus, & animi morbus eos in rabiem ageret aduersus Iesum in omnia beneficium, tamen uideri uolunt hoc negotium ad totius incolumitatem populi pertinere: Quid suaderis faciendum, inquiunt: Hic homo multa facit admiranda, & ædendis miraculis

riculis quotidie seipsum uincit. Si patimur eum pergere quā cœpit, futurū est, ut quemad-
 modū nunc multi ē populo magnifice de illo sentiunt, ita mox omnes sint illum habituri
 pro Messia. Quod si factū fuerit, & huius rei rumor ad Romanos peruenerit, Iudaicā gen-
 tem, deserto Cæsare, descīuisse ad nouum regem suum, qui non ignorāt ab ipsis iam olim
 sanctum profanā gentes occupabunt, & totum Iudaicum genus interitione delebunt.
 Hęc consultatio quum eō tenderet, ut prætectu publicę salutis occideretur omnis salutis
 autor Iesus Christus, tamen Caiphæ uisa est segnior ac dilutior. Is erat pōtifex illius anni.
 Iam enim ea dignitas, ueluti mox in totum desitura, perpetua esse desiterat: sed in singu-
 los annos à principibus redimebatur uenale sacerdotiū. Is igitur qui se religionis antisti-
 tem profitebatur, ceteris omnibus magis impius, increpat illorum ignauia, qui lentis con-
 silijs adhuc deliberabant, an Iesus esset occidendus, quum id, omnibus rebus omīssis, q̄
 primum esset agendū. Vos, inquit, qui sedetis consultantes, an occidendus sit iste, qui ta-
 lia facit, nequaquā uidemini rem ut habet perpendere, nec cogitatis hoc omniū interesse,
 ut hic unus moriatur pro populo, potius quā hoc incolumi tota gens pereat. Hęc oratio
 non proficiscebatur ex animo pōtificis, qui sceleratus erat, & parricidij plenus, sed ob sa-
 cerdotij munus quod gerebat, prophetiæ spiritus per os impij pium uaticinium prodidit,
 futurum ut Iesus sua morte redempturus esset salutem gentis Iudaicę: nec hoc solum esse
 diurus, ut qui ex Iudæis credidissent, ipsi salutem consequeretur, uerum etiam ut qui inter
 gentes erant diuersis regionibus toto terrarū orbe uitam agentes, sed in hoc destinati, ut
 aliquando per Euangelicā fidem fierent filij dei, congregarentur in unum, & in cōmunis
 ecclesię societate coiret Indus, Aethiops, Græcus, Scythia, Britannus. Hac igitur scelerosi
 pontificis uoce confirmati pharisæi, quod prius per occasionē sępe tentauerant, nunc cer-
 to animi decreto statuunt Iesum quouis pacto de medio tollere, ueluti reipublicę consu-
 lentes incolumitati: ac ne parum esset impium facinus, pietatis fūco prætēxunt, iam cau-
 sam senactos ratā, quā populum etiā uniuersum permouere posset ad palam ac legitime
 necādum Iesum, ceu toti genti Iudaicę perniciosum: nec opus esset ullo crimine, quod in
 illum intenderetur, nec ulla noua occasione. Iesus igitur, quem nihil fugiebat, etiam si pha-
 risæorum ac sacerdotum destinatam maliciam populī rumor ad eum non pertulisset, ho-
 minem agens, quandiu uersabatur in Iudæa, à publico abstinebat, ne furorem adderet fu-
 rori. Sed longius subduxit sese à uicinia urbis Hierosolymę prophetarū interfectoris, &
 concessit in ciuitatem Ephraim, cui uicinum erat desertum, ipso facto designans, Iudæis
 impijs suam synagogam esse relinquendā: ac nouum populum, qui non infrugiferis opē-
 ribus Mosaicę legis, sed Euangelica fide niteretur, in ecclesiā esse colligēdum: quicq̄ iux-
 ta uocis Hebræę præsagium, ex minimis initijs cresceret in immensum. Ephraim enim
 Hebræis crescētem sonat. Hic igitur commoratus est Iesus, cum paucis discipulis suis, qui
 tamen si misere sibi quoq̄ metuerent, tamē non ausi sunt deferere dominū. Iam autem ade-
 rat & tempus à patre præfinitum, quo Christus pro salute generis humani uicima immo-
 laretur. Instabat enim dies ille Iudæis religiosissimus, quem illi phasē, hoc est transitū uo-
 cant, ipso nomine facti memoriam illis renouante, quod olim sanguis agni postibus illiti,
 seruauit Hebræos à gladio angeli perimentis Aegyptios, ac eas tantum domos transeun-
 tis, quæ sanguine agni notatos haberent postes. Iam itaq̄ sub festum, quod proxime insta-
 bat, multi ē diuersis Palæstinæ regionibus sese conferebant Hierosolymam, ut illic legiti-
 mis ritibus sanctissimum diem puri celebrarent. Atq̄ ut intelligamus Iudaicā religionē,
 quæ rebus uisibilibus constat, nihil esse magis irreligiosum, dum magna superstitione ca-
 uent, ne quid prætereant, quod à Mose præscriptum erat, siue quod à pharisæis erat addi-
 tum: in omnium sanctissimo die non abhorrent ab eo, quod est omnium impijssimum, ni-
 mirum ab effundendo sanguine hominis innoxij. Quum igitur adesset frequens multitu-
 do, & plerisq̄ iam notus esset Iesus, qui solitus erat huiusmodi festis interesse, demiraban-
 tur, quod tum non adesset: & in templo stantes inter se colloquebātur, quid nam esset cau-
 sę, quod præter morē Iesus abesset à tanta solennitate. Cui tamen non erat defuturus, sed
 quo ueniret expectatior, distulit usq̄ ad tempus suū. Porro pontifices & pharisæi suspi-
 cantes illum alicubi latere metu, dederant negocium, atq̄ etiam cum autoritate manda-
 uerant, ut si quis nosset ubi lateret Iesus, indicaret ipsis, ut posset capi. His sanctis ritibus

pontifices & pharisæi, religionis duces ac legis magistri, præparabāt se se diei festo, sed interim inscientes salutem totius orbis procurabant.

CAPVT XII

Vide Theophrastum



Iesus igitur, sciens illos certum consiliū cepisse de se occidendo, & iam instare tempus, quo uolens decreuerat immolari agnus immaculatus pro salute mundi, noluit latere diutius, sed uelut occurrēs ad uicimā, septimo ante paschæ festum die, quo iudæi soliti sunt splendidiore cœna agnum paschalem ceu prælibare, reuersus est in Bethaniā, simul ut recentis miraculi memoriā renouaret, & resurrectionis spem discipulorū animis imprimeret, quos sciebat sua morte uehemēter esse perturbandos. Illic enim habitabat Lazarus, quem ante paucos dies reuocarat in uitam. Et locus ob Hierosolymam uicinā celebrior erat. Illic igitur parata est Iesu cœna. Cœnanti Martha ministrabat. Lazarus autē unus erat de numero accumbentium in eo conuiuiū, quo certius esset omnibus, non fuisse phāasma, quod pridē uisus esset e se pulchro domū abire, quum multis iam diebus uixisset à morte, quumq; cū cæteris sermonem misceret, ac cibū etiam caperet. Ibi Maria, quæ singulari quodam amore flagrabat in dominū Iesum, quum ob alia multa, tum ob recens in fratrem beneficiū, accessit ad conuiuium, ac magnā uim unguenti cum primis preciosi, quod ex nardo generosiore confectū erat, ad libræ mensurā effundit in caput Iesu discubentis, adeo ut unguenti fragrantia totam impleret domū. Nec hoc erat cōtenta mulieris inaudita charitas, unxit unguēto ac lachrymis rigauit pedes illius, et capillis suis exterlit, Nō quod crederet Iesum huiusmodi delitijs capi, cuius frugalitatē nouerat, sed amor impotens suo indulgebat animo, nesciēs quidem quid ageret: sed tamen hoc officio Iesu mortem ac sepulturā prænunciās, & ecclesiæ typum gerens, quæ spretum à synagoga dominum, diuinis honoribus amplecteretur. Mouit huius unguentis iactura discipulorū animos, sed præcipue iudæi Iscariotæ: cui cum ut omnium deterrimo fuissent crediti loculi, ut uir pessimus rei pessimæ dispensator esset, solitus est iuxta morem eorum, qui pecuniā tractant communem, inde sibi turtim subtrahere non nihil: nō syncera mente pendens à magisterio Iesu, sed iam tum sibi peculium prospiciens, quo uiueret ab illius consortio semotus. Is igitur obmurmurās Mariæ dixit: Quorsum attinebat rei tam preciosę facere iacturam? Neq; enim dominus capitur huiusmodi delitijs, neq; nostro conuiuiū cōuenit hæc magnificētia. Quod si decretum erat forminæ largiri rem tam caram, poterat donata uendi, & precium dari pauperibus. Hoc nimis sanctius erat, ac magistro nobisq; dignius. Hæc quum simpliciter dicerent & apostoli cæteri, tamen iudæi quum similis esset oratio, longe dissimilis tamen mens erat. Nihil enim illi curæ erat pauperum negocium: sed oculos habebat, & id quod spontanea benignitas amicorum misisset, mala fide seruabat: atq; hinc nō nihil suffurabatur, iam tum specimen de se præbens, quā non sit idoneus Euangelicæ doctrinæ dispensationi, cuius animum obsidet pecuniæ cupiditas. Iesus autem ita compescuit murmur discipulorū, ut tamen iudæi maliciam non proderet, & sic patrocিনatus est Mariæ, ut significaret se suapte sponte moriturū. Id enim maxime persuasum esse uoluit omnibus dominus Iesus, se non ex humana uiolentia, sed suo ipsius cōsilio mortem pro salute hominū obisse, quomodo uoluit, & quando uoluit: Nolite, inquit, huius mulieris officio obmurmurare. Non perit hæc impenfa, sed sepulturæ meæ tribuitur hoc honoris, quem ista nunc præuenit, quoniā tum non erit ungēdi facultas. Bene sentitis de me, quod uiuus huiusmodi delitias semper respui, mortem tamē meam ac sepulturam honorificam esse uolo. Nolite hoc honoris inuidere mihi, quod mox abituro impenditur. Vulgarium istorum pauperum semper erit uobis parata copia, quorum inopiā possitis subuenire, mei breuis erit copia. Quoniā autem Bethania propter uiciniam ab Hierosolymitis frequentabatur, & Lazarus ob nobilitatem ac diuitias multis cognitus, propter recentis miraculi famam multis erat notior, non latuit Iesum esse in Bethania: moxq; complures ex urbe eō confluēbant, partim ut Iesum uiderent, cuius famam maiorem in modum auxerat tam insigne miraculum: partim ut ipsum etiam Lazarum conspicerent, quem audierant excitatum ē mortuis. Suadebat hoc insita mortalium ingenijs curiositas. Porro sacerdotum ac pharisæorū animos sic excæcauerat liuor & odium in Iesum, ut iam illorum maliciæ non satis esset occidere Iesum, sed de Lazaro quoq; tollendo cogitarent, in quem ne speciem quidem ullam criminis intente poterant. Cæcū, quia foruter patrocিনatus fuerat apud ipsos gloriæ Iesu, eiecerant e synagoga

synagoga: nunc eò maliciæ creuerat illorū inuidia, ut Lazarum, uirum nobilem ac potentem, a quo nullo factio dictioue fuerant unquam prouocati, & in quem ne fingere quidem quicquid poterant, uoluerint occidere: nō ob aliud, nisi quod multi Iudæi commoti tam eui denti miraculo desciscerent à conspiratione pharisæorum, & crederet Iesu. Postero uero die quum ingens hominum turba, quæ festi diei gratia Hierosolymā conuenerat, rescisset Iesum, relicta Bethania, aduenire Hierosolymā, honoris gratia obuiam illi prodierūt, decisis ab arboribus palmarum ramis, quibus incedenti uiam insternerent. Nam hæc arbor uictorum erat corona ac triumphalis, perpetuo uiuens, procera, & ascēsu difficilis, sed fructu suauissimo, genuina quadam naturæ uī insurgens aduersus onus impositū. Acclamatum est autem, quemadmodum populus solet publicum testari gaudium, illud quod est in psalmis: Osanna, sit laus & honor illi, qui nobis expectatus uenit in nomine domini. Iesus quoque semper antehac humilis, & omnis mundanæ gloriæ contemptor, tum noua pompa uoluit uenire Hierosolymam. Nactus enim asinum, insidebat illi, quum solitus esset antehac pedibus iter conficere: partim ut suos doceret, quā esset inanis huius mundi gloria: partim ut Esaia de se uaticinium confirmaret. Scriptum est enim: Noli timere filia Sion, ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, insidens pullo asinæ. Talis nimirum pompa decebat regem Hierosolymæ spiritualis, quæ est Ecclesia. Hæc tum quidem apostoli non intellexerunt, opinantes hæc agi fortuito: sed posteaquam morte, resurrectione, missoque spiritu sancto, glorificatus est Iesus: tum rem gestam cum prophetæ dictis conferētes, animaduenerunt hoc de illo scriptum fuisse, quod acclamatum est à turba, quodque ipse sic adueniens gessit. Erant enim plerique qui talem expectarent regem, quales habet hic mundus. Horum expectationē Christus irrisam esse uoluit, demonstrās regnum Euangelicū mansuetudine cœlestique doctrina constare, non præsidij huius mundi. Hoc tam insigne populi studium excitabant multi, qui pridem adfuerant iuxta Bethaniam, quum dominus Iesus excitaret Lazarum e monumēto: & quod oculis suis conspexerant, cæteris narrarāt. Et hinc tam frequens hominū multitudo prodierat obuiam Iesu, quod ex his qui uiderāt cognouissent hoc insigne miraculum ab illo proditum, quale non erat auditum ab orbe condito. Id quia palam diuinam quandam uirtutem præ se ferebat, honos quoque exhibitus, qualis nulli prophetarum fuit exhibitus. Ea res sacerdotum ac pharisæorū animos propemodum in desperationem adegit: nec tamen ab impio cœpto resipiscunt, sed inter sese commurmurant, dicentes: Videtis quod omnibus machinamentis aduersus illum nihil proficimus, sed quo magis obstitimus, hoc magis & illius autoritas inclarescit, & populi studium accenditur. Antea paucos habebat discipulos, ecce nunc totus mundus defecit à nobis ad illum, ut nobis tam nec satis tutum sit, palam illi manus iniicere. Hæc ideo dicebant impij pharisæi, quo se mutuo cohortarentur, ad maioribus præsidij dolisque adoriendum dominum Iesum: unde non prius peregerunt hoc facinus, nisi magno pharisæorum, scribarū, sacerdotum, ac seniorū cōsensu, plebe quoque, ut est animi mobilis, ipsdē ac cōsa furij, adiuncta & Pilati præsidis autoritate: nec sine dolo tamen, per Iudam proditorem addito. Tanta autem id temporis erat populi fauor erga Iesum, ut ethnici quoque, qui religionis gratia uenerāt Hierosolymā, ut illic adoraret, uidendi Iesu desiderio tenerentur. Tāta enim erat eius tēpli ueneratio, ut e longinquis etiam regionib. eò religionis gratia multi proficiscerentur. Iam tum autem imago quædam futuri præbebatur, quod ad Ecclesiam cutus typum illud templum Hierosolymitanum gerebat, gentes antea idololatæ concurrerent, & Iesum à pharisæis reiectum, debita religione complecterentur. Hos igitur quum ingens haberet desiderium uidendi Iesum, de quo tam admiranda audierant (pudor autem obstabat, quo minus illum adirent: cupiebant enim illum non solum obiter in turba uidere, sed cominus etiam salutare, & loquentem audire) adeunt Philippum, cui ob patriæ uiciniam, nam erat natus in ciuitate Bethsaida, quæ est Galilææ gentium, erat noti, ut is sibi aditum aperiret ad Iesum. Significabant enim se illius uidendi magna cupiditate teneri. Philippus rem Andreæ communicat eiusdem ciuitatis collegæ, Nam is maioris erat apud dominum autoritatis, quod primus omnium esset uocatus. Ambo igitur adeuntes Iesum, exponunt illi quosdam esse, non Iudæos, sed ethnicos, qui tamē illius uidendi desiderio flagrant, si dignaretur eos admittere. Iesus autē ubi cognouit ex discipulis, ethnicos quoque sui uidendi desiderio teneri, quum tam impie sperneret à pharisæis

Testimoniū
ergo perhibebant

ac sacerdotibus: hac occasione cœpit discipulis suis aperire mortem suam, et quantum illa fructus esset allatura, non solum Iudææ genti, sed uniuerso mundo: quod quemadmodum unius Lazari suscitati miraculum, non solum Iudæorum plurimos, uerumetiam ethnicos ad amorem sui attraxerat, ita mors ipsius & resurrectio, omnes totius orbis nationes esset attrahitura. Discipulis igitur exponentibus ethnicorum pium affectum, respondit Iesus: Audistis Iudæos acclamantes: Benedictus qui uenit in nomine domini. Videtis gentes simili cupiditate accurrere: quoniam nunc instat tempus, ut quum pharisei credent filium hominis prorsus extinctum esse, tum maxime glorificetur apud uniuersas orbis nationes. Nouum gloriæ genus est, & noua ratione parandum est. Viuus, paucos attraxi: mortui, latius diffundetur fama, plures attrahitura, quam attraxerit corporis præsentia. Vos abhorretis à mentione mortis: tamen illud pro certissimo habete, nisi granum frumenti proiciatur in terram, atque ibi sepultum putrescat, mortuumque fuerit, nihil ex sese fructus prodit, sed unicum ac solum manet incolume. Quod si mortuum fuerit, ac sepultum in terra, emergit rursus cum copioso fœnore, pro uno grano centum reddēs: iamque læta seges late campos occupat, & ubere prouentu regionem ditat. Magis id expetendū, quod pluribus utile est: & multorum salus, paucorum morte redimenda. Sic uitam impendere, non interitus est, sed lucrum: & hoc est uitam non amittere, sed seruare. Non enim perit anima, quæ discedit à corpore: nec in totum perit corpus, olim felicius et immortale reuicturum. Quisquis igitur amat hanc uitam in hoc mundo, dum male seruat, perdit. Contra, quisquis odit uitam suam in hoc mundo, proque Euangelij prouentu obijcit eam periculis ac mortibus, is non amittit uitam quam impendit, sed seruat eam, pro mortali breuique ac misera uita, perennem ac felicem uitam recepturus in resurrectione. Sic qui seruat granum tritici, perdit, & alioqui periturum: qui uero defodit in terram, is demum bene seruauit, paulo post cum lucro recepturus, quod perdidisse uidebatur. Nō est igitur quod uos perturbet mors mea, quæ quondam erit etiam imitanda, quositis & gloriæ, & immortalitatis consortes, qui mortis imitatores fueritis. Ego uelut autor Euangelici negocij, uitam meam uolens impendam pro salute mundi, proque patris mei gloria. Vos eritis eiusdem negocij ministri, uestra prædicatione per uniuersum orbem spargentes, quæ feci, quæque docui. Quod mihi nunc machinantur pontifices & pharisei, hoc uobis molientur impij, qui mundum hunc magis diligunt, quam deum: qui dum uitam hanc stulte seruant, perdunt uitam æternam, & in mortem æternam sese præcipitant. Si quis se profiteatur discipulum meum, si quis ministrum, me magistrum ac dominum sequatur oportet. Par est enim, ministrum à domino non diuelli, nec in lætis, nec in tristibus. Quos habuerō consortes ac socios afflictionum, eos non seiungam à consortio felicitatis: sed ubicunque ego fuero, illic erit & minister meus. Me quamlibet à mundo reiectum, tamen pater euehet ad gloriam. Quod si quis se mihi fidum ministrum præbuerit, hunc pro temporarijs malis, proque ignominia, qua apud homines affectus est, pater æterna felicitate ueraque gloria decorabit. Agnoscet enim pater, non me solum, sed unici filij ministros etiam agnoscet: & simili præmio dignabitur, quos similia passos nouerit. Habet quidem præsens afflictio cruciatum suum, propter humani corporis infirmitatem: sed hanc humanæ naturæ trepidationem uincere debet, considerata multorum salus, considerata uitæ perennis felicitas, quæ breui cruciatu redimuntur. Quod si olim senseritis naturam ab intentatis suppliciorum ac mortium terroribus abhorrentem, nolite protinus ab Euangelico negotio fracti resilire, sed uincat humanæ naturæ imbecillitatem animi fortitudo, semper à cœlestis patris præsidio pendētis. Quin & mihi ob instantē mortis diem sentio turbatam animā. Vi deo grauissimā tempestatem imminere. Quid dicam, aut quò me uertā? An obtemperabo corporis imbecillitati mortē horrentis: an ad mundi præsidia confugiam: an amore uitæ meæ, mundi uitā negligam? Nequaquam. Ad patris uoluntatem me accommodabo. Dicit illi naturæ infirmitas, mortis horrore cōturbata: Pater, si fieri potest, saluū me fac ex hoc instanti periculo mortis. Sed mox addet humanæ salutis auida charitas: Imò si sic expedit, ueniat optata mors, quando uolens ac sciens iuxta spiritus uoluntatem, quæ nusquam tua dissentit, memet obtuli in mortem. Tu præsta, ut mea mors, meaque resurrectio, clarum reddat nomen tuū apud omnes orbis nationes: ut te cognito, te glorificantes, salutē æternam consequantur. Hac ubi, sublati in cœlum oculis, precatus est dominus Iesus, uenit

uox

uox patris è cœlo; dicens: Et clarum reddidî nomē meum, & posthac amplius illustrabo. Iam enim tot miraculis inclaruerat apud hominēs, per filium suum, sed potissimum resuscitato Lazaro, moxq; audiurus erat gloriā sui nominis apud omnes orbis nationes, per crucem, per resurrectionem, per ascensum in cœlum, per spiritus sancti missionē, per apostolorum prædicationem. Porro turba, quæ non procul stabat, quum audisset uocem cœlitus emissam, quoniam parum fuerat attendita, nec satis constabat, ad quem ea uox pertineret, uariabat sententijs. Quidam enim interpretabatur tonitruum fuisse, quod uidebatur auditum: uox enim è nubibus prodierat. Rursus alij benignius interpretabantur, dicētes: Angelus quispiam ei loquutus est. Iesus autem, quo magis eos redderet attentos, & gloriæ suspicionem ab se depelleret: Hæc, inquit, uox, quæ nec tonitruum est, nec angeli, sed patris, qui preces meas audiuit, non uenit propter me, qui noui patris animū in me, sed propter uos, ut intelligatis mihi cum patre conuenire: & quicquid facio, illo autore, uestre salutis causa facere. Audistis quid de morte mea promissit pater. Nunc instat extrema colluctatio Satanæ, qui princeps, uel tyrannus potius est huius mundi: qui per peccatū hæcenus in morte detinuit omnes, qui diligunt hunc mundū. Nunc mundi causa protrahitur in iudicium. At redarguta falsitate, clarescet ueritas: & princeps ille mundi, mortis autor, dum se uictorē credet, per mortem depelletur à sua tyrannide. Condonabitur enim omnibus peccatum per fidem Euangelicam. Eo sublato, fractæ sunt uires tyranni, qui nō alio uelo potens est: & quemadmodū ille qui uicisse uidebitur, subito pelletur è regno, ita ego qui uidebor extinctus, exaltatus à terra, omnia undiq; pertraham ad me: mihi iure uindicans, quod hæcenus ille per tyrannidē occupauit. Porro quod Christus dixerat: Quum exaltatus fuero à terra, quoniā sermo erat anceps, & tamen ad rem exprimendā accōmodation, mortis genus quam erat obiturus, significare uoluit. Etenim qui suffiguntur in crucem, in alto pendēt, quo procul sint omnibus conspicui: simulq; submonuit ueteris historiarum, quæ narrat æneum serpentē Christi typum in sublimi stipite suspensum, omnibus qui ad ipsum uerterent oculos, quamuis è longinquo, contra letifera serpentium uulnera præsentem opem attulisse. Et tamen erant in turba, qui quoniam mentio mortis præcesserat, diuinarent illum de crucis supplicio fuisse loquutum. Atq; hinc ratiocinari contendūt, illum non esse Messiam, qui se prædicaret moriturū, quum scriptura tribuat potestatem et regnum æternum. Sic enim scribit Daniel: Potestas eius, potestas æterna, quæ non aufertur: & regnum eius, quod non corrumpetur. Rursum propheta Micheas ita loquitur: Egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Item Esaïas: Et pacis eius nō erit finis. Quin & psalmorum prophetia promittit ei sacerdotium perenne: Tu es, inquit, sacerdos in æternū, secundum ordinē Melchisedec. Dicunt igitur illi: Nos ex lege cognouimus, quod Messias quum uenerit, non sit ullum habiturus finem. Quid igitur sibi uult quod ais futurum, ut filius hominis exaltetur à terra? Quod si exaltari à terra, mori est: & si quoties dicis filium hominis, te ipsum uis intelligi, aut non morieris, aut ille filius hominis non est Messias, si uerum dicit prophetia. Ad hæc, quoniā animo malicioso dicebantur, non respondit Iesus. Poterat enim respondere, se non hominem esse tantum, uerum etiam deum, & iuxta corpus humanum se moriturum quidem, sed mox resurrecturum: nec hanc mortem obitare regni perennitati, quod non esset mundanum, sed spirituale. Sed nec illi capaces erant horum mysteriorum, nec tempestiuum erat illa prodere. Tantum hortatur eos, ut omnia cæcitate mentis desinant oblitescere luci ueritatis, præsertim quæ mox esset auferenda. Non quod lux Euangelica foret unquam abolēda, sed quod ipsius doctrinam non essent ex eius ore posthac audituri: nec uisuri miracula peragentem, quæ lucem illis præbere poterant ad resipiscentiā: Ad breue, inquit, tempus lumen inter uos uersatur. Quare dum huius lucis est copia, ambulate proficientes in melius, dum est occasio, ne subito sublata luce, nox occupet, iamq; frustra desideretis ademptum, quod nunc oblatum aspernamini. Qui sequitur cæcos affectus animi sui, in tenebris ambulat, nec scit quò uadat: dumq; se credit pie recteq; facere, impingit in mortem. Ego sum lux mundi: qui mihi crediderit, nō aberrabit à uero. Qui noctis sunt filij, lucem refugiunt. Vos igitur, quādiu lucem habetis uobiscum, credite luci, ut filij lucis esse utdeamini. Qui credit, uidet: qui nō credit, uidens cæcus est. Nec amplius illis id temporis loquutus est Iesus, nè furorē illorū, quem sciebat ad omne facinus esse promptissimum, magis iritaret: sed abiit & abscondit

se se ab illis, uelut absentia silentioq; suo mitigaturus illorum efferatam insaniam: simul & nos obiter admonens exemplo suo, ut quoties cum obstinatis res est, nec ulla spes est proficiendi, cedamus ad tempus, ne non solum nihil fructus referamus, uerumetiam alios redamus sceleratiores. Quid enim Iudaeorum illorum animis deploratius? Cum tam multis, tamq; euidentibus & insignibus miraculis, sub oculis illorum æditis, dominus Iesus dictis suis fidem certissimam conciliasse debuerit, tamen perstiterant in incredulitate sua: nimirum liuore, odio, ambitione, auaricia, cæterisque prauis animi cupiditatibus excæcati. Atq; huiusmodi futuros quosdam, iam olim Esaïas afflatu diuini spiritus prædixerat: Domine, inquit, quis credidit uerbis nostris, & brachium domini cui reuelatum est? Siquidem ideo non perspiciebant in factis Iesu uirtutem diuinam, quia malicia sua excæcati, non credebant. Non poterant autem credere, quoniam prauas cupiditates nolebant abijcere. Et hoc rursus prædixit Esaïas: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ne uideant oculis, neu corde intelligant, & conuertantur & sanem eos. Videntes enim non uidebant, & intelligentes non intelligebant, & aduersus suam ipsorum salutem omnia moliri sunt in eum, à quo solo salus erat speranda. Hæc olim prædixerat Esaïas, quum afflatus archano spiritu, uidit oculis propheticiis gloriam filij dei, quam olim in corpore humano esset habiturus: & quod uidit, uaticinatus est: & quod ille uaticinatus est futurum, nos factum credimus. Nec horum tamen incredulitas exclusit aliorum salutem qui crediderunt. Nam multi crediderant Iesu, non solum e plebeijs, uerumetiam e primoribus: sed tamẽ primores non audebant palam profiteri, ob metum phariseorum, qui decretum ædiderant, ut quisquis se profiteretur discipulum Iesu, submoueretur e synagoga. Porro qui dignitate præminent apud mundum, non ferunt ignominiam. Nondum enim erat illorum firma perfectaq; fides: sed tamen erat tum iam aliquod Euangelicæ mentis rudimentum, bene sentire de Iesu, licet timor ac pudor obstaret, quo minus id præ se ferrent. Alijs liuor obibat, alijs auaricia, alijs ambitio, quo minus toto pectore Christo adhererent, cuius gratia sunt omnia continenda. Sed quoniã spiritus sanctus nondum erat datus, qui robur Euangelicũ absolueret, multi timide credebant, magis adhuc diligentes gloriam hominum, q̃ gloriam dei. In synagoga locum habere honoratiorem, magnificũ erat apud homines: sed ob Christum ex impiorum ejci synagoga, gloria fuisset apud deũ. Sed in hominibus natura imbecillibus, timor & infirmitas facile ueniam impetrat. Cæterum, qui sic excæcati fuerant prauis cupiditatibus, ut scelerata conscientia reclamarent Christo, populum ab hoc auerterent, insidias tenderent, deniq; mortem machinarẽtur, hos perire necesse fuit, quia seruari noluerunt. Rursus alio tempore, Iesus prodiens in conspectũ Iudeorũ, quum iam furorem illorum mitiorem esse factum oportuit, quo magis hortaretur omnes ad credendum, nec ullam excusationem reliquam faceret ijs, qui suapte malicia perirent, ostendens quantus esset fructus credentibus, quanta perniciēs in sua incredulitate persistẽtibus, clamauit, & dixit: Omnes profitemini uos credere deo: atqui quum à deo sim profectus, nec quicquã dicam aut faciam, nisi illo autore, quisquis mihi credit, non mihi credit, qui ex me nihil ago, sed ei, qui me misit in mundũ. Mundus tenebris errorum ac uitiorũ plenus est. Atq; ideo à patre, qui fons est omnis luminis, uelut à sole radius descendit in mundum, ut discussis erroribus, sublati peccatis, lux essem mundi. Per fidem autem aperiuntur cæcorum oculi, ut lucem uideant, nec amplius impingant in tenebris. Huc igitur spectat omnis mea doctrina, huc miracula, huc quicquid feci, facturũ ue sum, ut qui mihi credit, et in me fiduciam omnẽ collocat, non maneat in tenebris, sed illustratus cognitione ueritatis, purgatus ab omnibus pristinae uitæ uitijs lucis ductu per Euangelicam pietatẽ proficiat in uitam aternã. Quod si quis audierit uerba mea, nec his obrẽperauerit, huic adeo nihil profuerit ad salutẽ, audisse, ut ob incredulitatẽ grauius etiam exitium sit habiturus: non quod ego sim illum condemnaturus. Non enim nũc in hoc ueni, ut condemnem mundũ ob illius scelera, sed ut per fidem purgatum mundum salutẽ faciam. Nec tamẽ effugiet horrendum iudiciũ, si quis sermones meos auditos reiecerit ac spreuerit. Nunc quidem nihil omitto, quo cunctos ad aternã salutem pertraham, nec quisquã meo uitio periturus est. Sed quisquis salutem oblatã aspernatus fuerit, eum hic ipse sermo, quem nũc loquor, condemnabit: & coarguet in nouissimo die, quod suapte malicia perierit. Inuitaui præmijs, deterrui supplicijs, alexi beneficijs, excitaui miraculis, neminem à salute repello, aditum cuius

Iesus autẽ clamauit & dixit

cuius faciem ad uitam aperio. Quid igitur in extremo die pretextet is, qui tot modis pro-
uocatus ad credulitatem, in sua cecitate perseverauerit. Si dei cultores estis, sicut uobis ui-
demini: si legem ueneramini, meos sermones non potestis aspernari. Nec enim ex me ipso
loquutus sum, eorum more, qui ad suam gloriam aut quæstum, quæ uolunt, cōminiscun-
tur: nec aduersa legi doceo, sed quæ lex adumbravit typis, promisit uaticinijs, præsto. Por-
ro pater, qui est legis autor, et unde huc profectus sum, mihi præscripsit quid dicā, & quo-
modo dicam. Huius igitur mandatis quū in omnibus obsequar, quomodo potestis illum
honorare, quū eius legatum aspernemini? Quod autem mihi mādauit, nō ob aliud man-
dauit, nisi uestri charitate: ut credētes his quæ per me uobis loquitur, uitā æternā assequa-
mini. Quemadmodū pater sitit salutem omnīū, nec ullius quærit interitum: ita & ego si-
tio salutem omnīū, nec quēquam patiar interire, quod quidem in me erit. Proinde quo-
niam mihi certum est, ad salutē uestram pertinere, quicquid me loqui uoluit, ideo nihil eo-
rū taceo, quæ mihi præscripsit ut loquar. Huic animo Dei patris in uos, huic animo meo
cum patris animo per omnia consensēti, uidete ne deficiis ipsi, perniciem uobis accersen-
tes uitro, quum possitis salutem assequi perennem.

CAPVT XIII

M Viuismodi sermonibus dominus Iesus adhortatus est impiam turbam, ut
saluti suæ consulerent, & ab impio conatu desinerent, quum nihil alioqui re-
liquisset intemperatum, quo potuissent ad meliorem mentem reuocari. Iam
supererat, ut discipulos suos, quos peculiariter selegerat, quos esset breui re-
licturus, quosq; nouerat morte magistri sui uehementer exanimandos, ad-
uersus ingruentem tempestatem instrueret, atque ex illorum animis penitus reuelleret
illas Euangelicæ puritatis pestes, liuorem, odium, fastum, ambitionem: atq; his diuersos
affectus infereret, absolutæ charitatis indicia proferens, cuius exemplum mutuo inter ip-
sos amore æmularentur, tum inaudita mansuetudinis & humilitatis formā præbēs, quo
seleuicissim mutuus officijs præuenirent. Itaque pridie paschæ, quod, ut dictum est, He-
brais pascha, id est, transitum sonat, quum sciret dominus Iesus, quem nihil fugiebat, iam
adesse tempus, quo & ipse festi diei uocabulo respondens, transiret ex hoc mundo, & ad
patrem, unde fuerat profectus rediret: quum semper dilexisset suos apostolos, quos ut
domesticos & amicos peculiariter sibi delegerat, qui nondum erant exituri e mundo, sed
ingens ac longum certamen habituri cum mundo, perpetuam erga illos charitatem decla-
rauit. Nec instans mortis tempestas affectum quem gerebat erga illos, excussit, sed in ipso
digressu potissimum exhibuit rari cuiusdam amoris indicia: non quod eos minus dilexe-
rat antea, sed ut quæ discessurus impressisset animis illorum, tenacius hærent. Postea
quam igitur suprema illa & mystica cœna parata esset, in qua dato corporis & sanguinis
sui sacro symbolo, perpetuam sui memoriam pacturus erat, & amicitia nullis unquam
modis intermoriaturæ tœdus sancire constituerat: quum non ignoraret, hoc suggerente
diabolo iam agere ludam Iscarioten, ut se proderet ludæis capiendum, cuius mentem sic
auariciæ pestis occuparat, ut tanta magistri erga se lenitate comitateq; non posset à nefa-
rio scelere reuocari: quumq; sciret quod pater nihil horum pateretur interire, quæ sibi ser-
uanda tradidisset, sibiq; conscius esset, quod mox ad patrem esset iturus, unde profectus
erat: tamen ut omnem ambitionis affectum penitus eximeret ex animis discipulorum
suorum, surgit à cœna iam instructa, positisque uestimentis, quo planè ministri gereret ima-
ginem, accepit linteam, eoq; sese præcinxit. Mox ipse misit aquam in peluim, & abiectis
linam iuxta mundum officiū functionem aggressus, cœpit lauare pedes discipulorū suo-
rum. Solet quidem hoc officiū iuxta morem Hebræorum præstari hospitibus & amicis:
sed hoc quod Christus gessit, non solum habebat exemplum absolutæ modestiæ, uerum
etiam typum intelligentiæ mysticæ: nimirum eos qui sese accingerent ad prædicationis
Euangelicæ munus, qui dominicæ mensæ participes esse uellent, oportere purissimos
esse ab omnibus terrenis affectibus: sed hanc puritatem nemini contingere nisi domino
Iesu sua bonitate fordes omnes imbecillitatis nostræ detergente, qui solus expers fuit o-
mnis maculæ: quicq; sic uersatus est inter homines homo, ut nihil humanæ labis ex com-
mercio uitæ contraheret. Quum igitur hoc habitu dominus omnium, qui in cœlo & qui
in terra, omnium præsciis, & omnia sibi tradita habens à patre, seruilis habitu præcin-
ctus, nudus, peluim gestans, uenisset ad Simonem Petrum, eiq; procumberet, loratus
pedes

pedes illius: exhorruit Petrus inauditum humilitatis exemplum, hinc suam agnoscens imbecillitatem, hinc domini dignitatem considerans, quam ex miraculis, ex admirabili doctrina utcumq; perspexerat, etiam si nondum ad plenum diuinam in illo naturam cognouerat: nondum uiderat resurrexisse: nondum in coelos ascendisse: nondum assidere dextrum patri coelesti: nondum toto orbe diuinis honoribus coli, sed hæc post cognita magis commendarunt exemplum tam insignis modestiæ. Petrus igitur hoc animo refugiens à magistro lauari, quo Baptista detrectauerat eidem impertiri baptismum, dixit: Domine quid istuc est rei, quod paras: Tu ne mihi lauas pedes? Noui qui sim, & noui qui sis. Moxq; detractanti respōdit Iesus: Sine me Petre quod facio facere. Non leue est, nō docius est quod ago. Hoc quid sibi uelit, nondum quidem intelligis, sed post intelliges: & tunc cognosces, quod ego nunc ago, tibi fuisse necessarium. Ne hoc quidem responso, quoniam non intelligebat, coercitus Petrus, magis etiam refugit, dicens: Nunquam patriar, ut tu tantus mihi tali laues pedes. Dominus autem ut hanc uehementem recusationem, licet ab amore proficiscentem, ueluti clauum clauo pelleret, minis cohibuit, quando nondum erat docilis Petrus, dicens: Quid mihi reluctaris Petre? Si non lauero te, non potes esse conforis mei. Aut lauaberis: aut à mensæ foederisq; mei consortio semoueberis. Purus sit oportet, quem admittam in meum contubernium. Hoc autem dixit Iesus, nō de lauandis pedibus corporeis, sed de imitatione tā insignis modestiæ, de puritate mentis, quā oportet esse summam in his, qui doctrinam Euangelicam profitentes, ecclesiastici gregis curam suscipiūt. Petrus autem, qui feruido quodam in domino amore tenebatur, dura si quidem est amanti diuortij mentio: tamen si tum non intelligebat, quid sibi uellet sermo Iesu, tamen quum audiret fore, ut ab illius secluderetur consortio, quem unice diligebat, subito uehementior etiam factus est in admittendo, quā ante fuerat in recusando: Domine, inquit, potius quā abs te diuellar, non solum permitto tibi lauandos pedes, quando ita uis, sed & manus & caput. Ad hæc dominus: Qui semel lotus est, non opus habet ut denuo lauet. Iam enim reliquo est corpore mundus, nihil superest, nisi ut pedes lauet, qui subinde contactu terræ, sibi nonnihil colligunt sordium. Hoc nimirum ænigmate significabat dominus Iesus, Euāgelico præconi non sufficere communem illam puritatē, quam omnibus præstat baptismus, & Euangelicæ fidei professio, nisi pedes, hoc est, affectus animi subinde purgentur ab omnibus inquinamentis huius mundi, à quibus tamē uix quisquam purus esse potest homo, nisi subinde per Christi misericordiā contagium ex hominum commercio contractum studeat abluere. Vobis igitur, inquit, non lauo rursum corpus reliquum, tantum pedes abluo. Estis enim mundi, tamen non omnes. Hac exceptione dominus Iesus taxauit Iudæ Iscariotæ conscientiam. Nouerat enim à quo foret prodendus Iudæis. Tanta erat Iesu mansuetudo, ut cognitum nec proderet cæteris, nec à lotionepedum secluderet, nec à sacro conuiuio, nec à corporis & sanguinis sui cōmunionerepelleret: tantū tangit ipsius, qui sibi notus erat, conscientiam: ut uel sic resipisceret, posteaq; intelligeret se non latere dominū, quem destinarat prodere. Ob hunc itaq; dixerat: Mundi quidem estis, sed non omnes. Hoc igitur officio perfunctus Iesus erga duodecim apostolos suos, recepit uestimenta sua, cumq; suis accubuit, cœnam sumpturus. Sed interim exemplū modestiæ, quod illis exhibuerat, rursum infigit illorū animis, ne per obliuionem posset elabi, quod cum primis erat necessariū. Ait enim: Intelligitis ne quid sibi uelit, quod uobis omnibus laui pedes? Vos appellatis me magistrum & dominum, idq; merito facitis. Sum enim uere quod me dicitis. Quod si ego uestros laui pedes, quare magister sum & dominus: uos qui inter uos fratres estis & conserui, multo magis nō grauabimini in uicis officijs inuicem inseruire. Nam ideo tanto maior exemplū hoc uobis exhibui, ne uos inter pares pigeat imitari, quod ego discipulis ac seruis exhibui: pudeatq; fratrem in fratrem, & conseruum in conseruū sumere tyrannicū superciliū, quum ipse, qui merito mihi possim huius dignitatis fastigium uindicare, memet usq; ad lauandos pedes uestros abicerim. Nec est quod quisquā dicat, humile est, abiectū est, seruile est quod ago. Quo quisque maior est, hoc se magis oportet demittere. Pestis ambitionis etiam Euangelicis uirtutibus obrepit. Quum adetis miracula per nomen meum: quum ejicietis dæmonia: quum mortuos uitæ restituetis: quum uaticinabimini, tum maxime uobis oportebit in mētem uenire, quod hodie feci uobis. Nō supercilio neq; fastu, neq; uolentia uobis erit autoritas

Euangelica

Evangelica defendenda. Rationibus alijs ea continget. Illud certe negari non potest quod
 communi quoque sensu notissimum est: non est seruus maior domino suo: nec qui lega-
 tus est ad negotium alienum obeundum, maior est eo, à quo legatus fuit. Me dominum
 agnoscitis, & posthac magis agnoscetis. Mei estis apostoli, ego legationis sum autor. Tur-
 pe fuerit igitur uobis, in gregem uobis credendum, aut etiam inter uos turgere fastu, sa-
 uire uolentia, quum me tam mitem, tam modestum dominum ac magistrum sitis exper-
 ti. Hoc quoniam nunc intelligitis, si post feceritis, beati eritis, iuxta doctrinam meam,
 quam frequenter uobis iterans inculcaui, ne qua possit elabi. Sed hæc beatitudo non erit
 omnium uestrum. Elegi quidem uos omnes ad apostolici nominis honorem, sed non o-
 mnes respondebunt huius muneris dignitati. Beati futuri sunt, qui meum æmulantes e-
 xemplum, fungentur apostolico munere. Sed est inter uos, qui in tantum hoc non æmu-
 labitur in fratres & conseruos suos, quibus hæcenus æquatur, ut in me quoque dominum
 ac magistrum talem ac tantum, sit erecturus ceruicem. Sed hoc fore iam olim prædixerat
 Psalmistæ uaticinium: Qui comedit panem meum, tollet aduersum me calcaneum suum
 Iam nunc hoc uobis prædico futurum, priusquam fiat, ut quum uideritis factum, quod
 scriptura prædixit, credatis me esse illum, de quo uaticinata est: nec quicquam in me teme-
 re geri, sed diuino consilio negotium hoc omne temperari. Quemadmodum autem bea-
 tus est, quisquis meum exemplum imitabitur, ita infelix erit, qui proditorem illum, quis-
 quis est, maluerit æmulari. Nā habiturus est & ille multos olim æmulos suæ malitiæ, qui-
 bus charior erit pecunia, quam nominis mei gloria: quique sub apostolici nominis honore,
 proditorem agent apostolici muneris. Porro quo maior est huius muneris dignitas, hoc
 grauius est crimen, professionis honore ad proditionem abuti. Nam illud profectio uo-
 bis confirmo: Quisquis recipit eum, quem ego mitto, meipsum recipit. Et quisquis me re-
 cipit, recipit eum, qui me misit. Quemadmodum enim ego patris apostolus, non aliud
 ago, quam ex uoluntate patris: ita uos, qui mei estis apostoli, si bona fide, quod uobis man-
 datum est, exequemini: sic à pijs omnibus recipiemini, uelut me per uos loquente, quem-
 admodum pater per me loquitur, nihil aliud docentem, quam quod ille præscripsit. Hæc
 quum dixisset Iesus, consolans animos suorum, mox quo magis eos à proditoris exem-
 plo deterretet, quodque uehementius urgeret proditorem ad resipiscendum, turbatus est
 spiritu, uelut exhortens exitum illius, qui suapte malicia sibi mortem æternam tendebat
 accerere. Et quod ante dixerat, rursus cum asseueratione testatur omnino futurum:
 Etiam, inquit, atque etiam dico uobis, quod unus est uobis, qui hic pauci, eadem in mensa me-
 cum accumbitis, me proditoris est. Hic sermo toties iteratus, expetgescit animos disci-
 pulorum, quos alioqui moeror ingens occuparat, ob prædictum domini decessum. Con-
 solabatur unumquemque cæterorum sua conscientia, quod unus notaretur futurus prodit-
 or, sed perturbabat quod adiecerat: ex uobis: nec dubitabant, quin quod dominus prædi-
 xerat futurum, aliquando fieret, & tamen nemo poterat de alio tantum suspicari nefas, ut
 delictet ex suo animo cæteros omnes æstimās, nisi quod interim suspecta esset cuique huma-
 næ naturæ imbecillitas. Solus Iudas sibi conscius, nec exhorruit, nec pudescit, nec
 uertit se facris epulis interesse, & potuit interim ferre oculos domini sui, cui nouerat non
 ignotum esse, quid secum agitare in animo. Tanta erat auaritiæ pestis, & adeo libuit abu-
 si tam nota domini lenitate. Itaque cæteri discipuli moerentes ac solliciti, uicissim se contue-
 bantur, si quod indicium ex uultu possent colligere, quem hic sermo Iesu notasset, non du-
 bium quin ilico sauturi in eum, qui tam impiū facinus animo concepisset. Ardebat qui-
 dem hic animus Simoni Petro, quo nemo feruentius amabat dominum, sed ferè parum
 bene successerat hæcenus audacia, quam illi suggerere solet amor in magistrum. Audie-
 rat ante: Vade post me Satana, non sapias ea quæ dei sunt. Audierat modo: Non habebis
 partem mecum. Itaque quum uehementer cuperet hac sollicitudine hiberari, certoque nosse
 tanti facinoris molitorem, nequaquam passurus eum admisceri conuiuio, non ausus est tamen
 ipse percontari Iesum, quis esset ille proditor quem notaret: sed nutu significauit discipulo
 cuiusdam, quem dominus familiariter amabat, atque id temporis recumbebat in pectus domi-
 ni, hac familiaritatis indulgentia moerentem, atque exanimatū ob instantem ipsius mortē,
 consolantis ac resouentis, ut sciscitaretur, quis nam esset, de quo dixisset Iesus. Discipulus
 agitur ille, ut tum accumbebat in pectus Iesu, secreto dixit illi: Domine, quis est ille, qui
 tantum

Qui accipit
 quem misero

tantum audebit facinus: Iesus illi clanculum respondit: Is est, cui offulam intinctam porrexero. Cumque panem intinxisset iuri, dedit offulam Iudæ Simonis Iscariotæ. Nec siceru buit, aut resipuit infelix proditor, sed perfrecta facie, contemptaque domini consciëntia, spre ta tanta lenitate, accepit de manu domini signum amicitia, quem mox ob exiguum pre cium erat proditurus. Ac post acceptam buccellam, Satanas totum illius animu occupa uit, & ex impio reddidit insanabilem. Iesus autem ubi uideret destinatam Iudæ maliciã, nec pudore, nec metu flecti: iam enim penè proditus erat, nec abfuiſſet à periculo, si Iesus illu prodidisset, ablegat eum à conuiuio, & patrândi facinoris, quod iam certa uoluntate con cepta patrarat, potestatem facit, Quod facis, inquit, fac citius. Id dictu solus Iudas sibi con sciũs intellexit, cæterorum accumbentium nemo sensit, quamobrem hoc dixisset Iesus. Nam ut est minime suspiciosa probitas, nõ poterat hæc suspitio descendere in pectus cu iusquã: illum, cui Iesus tot amoris argumẽta præbuiſſet, quẽ creditis oculis cõmunibus, cæteris quodãmodo præferre uisus esset, qui uicinior accubebat in eo cõuiuio, cui modo buccellam intinctam porrexerat dominus, tam immane facinus ausurum, ut eum ad mor tem proderet. Quidã autem sic interpretabatur, quod dixerat Iesus: quod facis, fac citius: quoniã nouerant Iudæ creditos esse loculos, dominum admonuisse, ut emeret aliquid ea rum rerum, quibus ad celebrandum diem festum opus esset, aut ut egenis daret aliquid. Nam hoc frequenter solitus erat illi mandare Iesus: nos interim ad benignitatẽ in paupe res instituẽs & extimulans. Iudas autem, accepta buccella, dissimulatoque domini dicto, pro tinus exiuit è conclau. Non enim decebat iam, ut qui se totum tradidisset satanæ, seq Ie su toties præstitisset immedicabilem, amplius interesset collegio sanctorum. Erat autem nox, tempus arguens mentem illius auariciæ tenebris excæcatam, qui se subduceret à lu ce: & ad opus principis tenebrarũ adeo festinaret, ut nec temporis intempestiuitate cõmo tus, facinus conceptu prorogaret. Non defuerat illi et antea praua uoluntas, sed nondum à Iesu fuerat data facultas, ut hic quoque palam esset, neminẽ aduersus illum quicquã uali turum fuisse, nisi ipse uoluntati impiæ potestatem fecisset exequendi facio, quod animo destinarat. Submoto igitur illo, qui se fecerat hoc indignum contubernio: Iesus multa lo qui cœpit discipulis suis, quæ partim illos consolarentur, confirmarentque: partim aduer sus tempestatem imminentiẽ armarent, infgens penitus animis eorum, quæ tum quidem primum rudes, deinde in cõrore somnoque grauati, non poterant ad plenum capere, sed ta men post essent intellectu. Ac primum significauit mortem suam instare, quæ licet iuxta mundum ignominia plena uideretur, tamen patris simul & suam gloriam esset illustratu ra: Nunc, inquit, hoc potissimu agitur, quod audistis deprecãtem. Nunc enim adest tem pus, quo filius hominis, qui hæcenus humilis uisus est, & contemptus, nouo modo cla rus redditur apud homines, & per illum illustrabitur & patris gloria. Quemadmodum enim ille non quæsiuit gloriam suam, sed per suam infirmitatem illustrauit gloriã patris: ita uicissim pater, qui est fons omnis ueræ glorię, glorificabit filium suum apud homines: non per angelos, nec archangelos, nec ullam aliam creaturam, sed per semetipsum mudo declarans, unam esse patris filijque gloriam, quo duorum opera murua sic uicissim apud ho mines innotescat: non ut illis aliquid accedat, sed ut homines, cognita utriusque gloria, uerã gloriam assequantur. Glorificabit autem olim totum filium suu in aduentu supremo co ram uniuersis terrarum ac cœlorum incolis: sed interim protinus quoque glorificabit illum cum ipsa morte, quæ potentior erit uniuersa uirtute mortalium, mox resurrectione & ascensio ne. Quare filioli mei, ne uos exanimet mea mors, quæ tametsi uideatur infirmitatis esse, ta men erit potẽtiõr mea uita: tametsi uidebitur ignominiosa, tamẽ illustrabit gloriã & meã, & patris: tametsi uidebitur abolitio mei, tamen salutem adferet & uobis, & uniuerso mun do. Hæc consolentur animi uestri mœrorem. Expedit enim uobis, ut hoc corpus mortu le uestris oculis subducatur: iamque instat tempus, ut id fiat. Interim fruamini me tanquam mox abituro: & quæ uobis mando, cordibus uestris imprimatis. Alioqui, quemadmodu dixi Iudæis, sublatum frustra quæreris. Mox enim abeo, tum illuc abeo, quo in præsentia non potestis consequi, Superest igitur, ut abitum meum fortiter feratis, & doctrinam me am, meique memoriã animis uestris impressam, teneatis. Hoc est quod uos felices red det potius, quàm corporis huius mortalis conspectus. Multa sunt Moisaicæ legis præcep ta, ego discessurus, unicum ac nouum præceptum uobis mando, ut quemadmodum ego

uos dilexi, sic uos inuicem diligatis. Non exercui tyrannidem in uos, non affectauī gloriā, non quæstum, non quicquam humani commodi meī ex uobis. Vestrā salutem amauī, & amauī gratis, & usq; ad mortem amauī. Siquidem hanc animam uolens impendam pro uobis, sic & uos inuicem diligite. Cæterorum discipulī, titulīs, cultu, certisq; con-
 stitutionum obseruationibus dignoscuntur. Nihil istarum rerum à me didicistis. Vna no-
 ra cognoscent homines, quod germani mei discipuli sitis, si talem charitatem mutuam ha-
 bueritis inter uos, qualem ego uobis omnibus præstui. Rarum est hoc inter mortales: sed
 hic est fructus bonæ arboris, quo discernitur. Petrus qui totus flagrabat amore domini
 sui, quanquā mortem eius iniquo ferebat animo, tamē quoniā semel audierat: Vade post
 me Satana, non audebat eadē de re rursus interpellare. Sed illud discruciat animū amā-
 tiā, quod quum ille diuelleretur ab amicis, negaretur sequendī facultas. Est enim ingens
 solatium, si quem uere diligas, in omnem fortunam quoquē terrarum se uerterit, perse-
 qui. Rogat igitur Petrus: Domine, quō uadis, ut non liceat te consequi? Tum Iesus: Quō
 uado, non poteris in præsentia consequi, sequēris tamen postea. Petrus nondum intelli-
 gens, quid sibi uellet hic sermo Iesu, quum de morte sentiret sua ad quam perferēdam illi
 nondum essent idonei: Domine, inquit, quare non possum te sequi? Quid periculorū pro
 te reculem pati, qui uitam etiam meam paratus sum tibi impendere? Hanc uocem fortio-
 rem uiribus expresserat, syncerus quidem, sed humanus adhuc, nec sibi satisfidum notus
 amor. Iesus igitur ut paulatim successorem suū formaret, & humanarum uirium fidu-
 ciam peritus reuelleret ē suorum animis, quemadmodū ante submouit ac repulit, quum
 confidentius dehortaretur à perpetiēda morte, rursus correptus est, quum se præcipi-
 tasset in aquam, ac mox dubitasset: ac modo cohibitus est, quū non obtemperaret parans
 uare pedes: ita nunc docetur non suis uiribus fidere, nec suis affectibus credere, sed si-
 bi diffusis, à præsidij pendere Christi: Quid ais, inquit, Petre? quā magnifica de te no-
 bis polliceris? Tu mihi uitā impendes? Imò res ipsa docebit te, quā uerus sit sermo, qui
 paulo ante dictus à me, fidem apud te non promeruit, Quō ego uado, uos nō potestis me
 nunc consequi: nec procul abest experimentum. Illud enim certissimum habeto, prius q̃
 gallus hac nocte cantet, hoc est, primo gallicinio, ter me negaturus es, tātum aberit, ut tua
 uitam possis redimere. His uerbis dominus cohibuit Petri magniloquentiam, licet ex
 amoris magnitudine proficiscentem: simulq; cæteros admonuit, ut in periculis non fide-
 rent uiribus suis, sed intelligerent uirtutis munerisq; diuini esse, si quid huiusmodi præsta-
 rent. Ad hæc Petrus obticuit, nondum satis liber à sollicitudine proditiōis, de qua memi-
 nerat Iesus.

CAPVT XIIII

IN hoc sermone, qui nouam quandam & atrocem tempestatem imminere si-
 gnificabat, quæ Petrum quoq; fortissimum omnium ad tantum erroris adi-
 geret, ut eadem nocte ter dominū esset abnegaturus, quum uehementer essent
 animis perculsi discipuli, ac Petri exēplo sibi quisq; metueret, clementissimus
 præceptor oratione blādiore consolatur discipulos suos perturbatos ac mœrentes. Erunt
 quidem, inquit, hæc omnia quæ prædixi: uerum non est quod obeam despondeatis ani-
 mum, aut perturbemini. Atrocia sunt quæ fient in me, quæq; post ædentur in uos: neque
 me fugit quanta sit imbecillitas humanæ naturæ, sed si uestram omnem fiduciam colloca-
 ueritis in deo & in me, nō est quod ullos impiorum hominum insultus formidetis. Deus
 enim omnipotens est, & unus plus potest omnibus qui uos impugnant. Certe illi fiditis,
 etiam iuxta Mosaicam doctrinam. Quod si illi uere fiditis, mihi quoq; debetis fidere. Vin-
 cam ego per illum, & uos per me uincetis, si uestris diffusis præsidij, in me fiduciā omnem
 ac spem fixeritis. Nec mors ipsa nos poterit distrahere. Quemadmodum eritis aliquando
 consortes afflictionum, sic eritis & coronæ consortes. Primus ipse certandi uincēdiq; for-
 mam ac specimen exhibebo. Per me dabitur uobis robur, per me dabitur gloriæ confor-
 tium. Tantum mihi confidite. Iam in domo patris mei multæ māsiones paratæ sunt uictori-
 ribus. Nec enim unī mihi parata sunt præmia, nec solus Petrus me sequuturus est, sed o-
 mnibus, qui mihi per charitatem ac fidem Euangelicam adhaferint, sua cuiq; præmia pa-
 rata sunt. Quod nī certō scirem iam paratas esse uobis mansiones, quæ uos breui ex huius
 mundi tumultibus exemptos recipiant in æternæ uitæ felicitatē, iam præmonuissem uos,
 me ideo præcedere ad patrem, quō uobis quoq; quos à me distrahi nō patiar, illic parem

locum. Nunc quoniam certum scio suam cuique mansionem paratam in regno patris, de premio non est cur sitis solliciti: tantum illud agendum, ut fortiter certetis. Quod si maxime abirem vobis paraturus locum, non est tamen quod interim vobis destituti videamini. Rurfus enim ad vos venturus sum, ut vos totos ad me recipiam: nunquam posthac à me distrahendos, ut iam ubicunque sim ego, sitis & vos. Non est quod diffidatis vos eò peruenturos, quò ego nunc præcedo. Siquidem & scitis, quò uadam, nec uiam ignoratis. Nam hoc ænigmate dominus subindicabat se proficisci ad patrem, sed per mortem erueis. Optabile erat, quod adibatur, sed iter uidebatur inamabile. Hoc discipuli nescire non poterant, toties auditum à domino: sed mœror & obliuio faciebat, ut quod sciebant, nescirent. Itaque Thomas audis certò cognoscendi, quò nam esset abiturus dominus: Domine, inquit, quum nesciamus quò uadas, qui possumus nosse uiam? Imò utrunque nescimus, quò ais utrumque scire nos. Hoc uehementi quidem, sed rudi sermone, Thomas ueluti compellebat dominum, ut apertius diceret, quò nam esset abiturus, quod omnes iam dudum misere cupiebant discere. Iesus autem suos paulatim erudiens ac fingens, docet quidem quod scire desiderant, sed tectius adhuc, ut alius inhæresceret quod uix tandem didicissent: nimirum se relicta mortalitate redire ad patrem unde uenerat, antequam mortale corpus assumpsisset: Ad patrem autem nulli patere aditum, nisi per filium, qui solus uiam in celos aperiret, qui solus cœlesti cognitione fidem hominum instrueret, solus esset immortalitatis fons, cui quisquis inhæreret, huic non esset formidanda mors: Qui sit, inquit, Thomas, ut neges te nosse uiam, nisi fortè me totum adhuc ignoras. Siquidem ego sum uia, ueritas & uita. Iam dixi me redire ad patrem, ad hunc aditum solus omnibus aperio. Et quoniam ad hunc factis deo dignis peruenitur, in me habetis exemplum: tum autè, quoniam sine fide nemo peruenit ad patrem, ex me didicistis ueritatem. Quod si interim perturbat animos uestros formido mortis, scitote certam uobis immortalitatem esse, quum ego sim uita. Tantum quò ego præcedo, uos sequamini: quod ego docui, credite ac tene: quod polliceor, certò sperate. Si quæritis quò uadam, ad patrem eo: si uiam, qua consequi possitis, nosse cupitis, nemo uenit ad patrem, nisi per me. Proinde nostis utrumque, & quò uadam, & quà sit iter, nisi fortè me prorsus ignoratis. Etenim si me cognouissetis, nimirum & patrem cognouissetis. Imò iam aliquo pacto cognouistis patrè, quem uobis ignotum esse creditis: nec cognouistis solum ex legis institutione, uerum etiam uidistis eum. Videlicet hoc ænigmate dominus Iesus submonuit suos, patrè quidem inuisibilem esse: nec inuisibilem tantum oculis corporeis, uerum nec animo iuxta suam naturam percipi posse: sed tamen quodam modo uisum fuisse in filio, dum illum in filio conspiciunt imperantem uentis & mari, imperantem dæmonijs, uerbo propellentem morbos, quamlibet immedicabiles, uerbo mortuos ad uitam euocantem. Sed hæc mysteria nondum assequabatur apostolorum ruditas. Et tamen perinde quasi uerum non esset, quod à domino dictum non intellexerant, ita gestiunt uidere patrem, imaginantes sic posse conspici patrè, quemadmodum conspiciebant filium: tanta adhuc erat illorum simplicitas, quanquam nec filium uiderant, qui corporeis oculis illum aspexerāt. Philippus igitur cæteris audior discendi: Domine, inquit, ais nobis uisum esse patrè, imò hoc utinam nobis largiaris, ut liceat cōspicere patrè tuum, satis factum esset uotis nostris, nec quicquam desideraremus. Audiuius quidem de eo multa, tantum superest aspectus. Tam rudem Philippi postulationem dominus corrigit, dicens: Philippe, tantum iam temporis uobiscum uersor, & nondum cognouisti me? Non ideo me nosti, quia faciem uides, sed quoniam uirtutem ac ueritatem meam intelligis. Hæc non uidetur oculis corporeis, sed animo cernitur. Quum igitur sim imago patris, illi per omnia similis, meque ex factis dictisque iam nosse debueris (potè nouisse, uidisse est) qua fronte mihi dicis: ostende nobis patrem: quasi qui me uidet, non idem uiderit & patrem meum: non quod non alius sit pater quam ego, sed quod inter deos nulla sit dissimilitudo iuxta naturam sublimiorem. Si ratione consequi non potes quod dico, uidet etiam qui credit. Audisti me loquentem, uidisti me miracula patrantem: in hunc mirum patrè audisti, patrem uidisti. An nondum credis, quod inseparabili natura, uoluntatis & uirtutis consortio pater in me est, & ego in patre? Quicquid loquor, ex illius animo loquor: quicquid facio, ex illius facio sententia. Semper itaque sum in illo, propter indiuiduam naturæ uoluntatisque societatem, & ille semper in me, per me loquens, per me miraculis

lis suam declarans uirtutem. Nec enim ex me loquor quicquam, quod idem nō loquatur per me: nec ex me facio quicquam, quod ille per me nō simul operetur. Quomodo igitur tu separas inseparabiles, & altero conspectio alterū desideras conspiciere: altero cognito, credis ignotum alterū? An nondū uos quoq; ceteri creditis omnia patris esse, quę per me dicuntur, aut geruntur, & nullum inter nos duos esse discrimen? Hoc mihi toties docenti credere debueratis, & si dictis meis parū haberetis fidei, certe facta quę uidistis deo digna, & homine maiora, uobis fidē facere debuerant, patris esse quicquid ex me proficiscitur. Si pater ipse uobis loqueretur, nō aliud uobis q̄ ego loquor, loqueretur: si pater per se o- peraretur, nō aliud operaretur q̄ ego operor. Eadem nobis mens est, eadē uoluntas, eadē uis & natura. Hoc igitur credite, hoc tenete, hoc animis uestris infixum habete. Quod si se- ceritis, nihil detrimenti uobis adferet huius corporis subductus conspectus. Oculis fidei in me *Qui credit* melius cernetis absentem: & quod nunc uidetis patrem per me agentem, cui modis om- nibus inhæreo, idem agam per uos, si mihi per fidem & charitatē inhæseritis. Imò clarius etiam exeram uim meę diuinitatis, postea quā hāc infirmitatis speciē uobis subduxero. Imò quisquis se mihi iunxerit per fidem Euangelicam, quemadmodū ego per naturam a patris consortio nunquā seiungor, is per me maiora quoq; faciurus est, q̄ ego facio, quo- ties gloria dei poscet miraculum. Nam ipse per uos operabor, quemadmodū pater opera- tur nunc per me. Quoniam autem sic expedit hominū saluti, ut redeam ad patrem, uos in- uices Euangelicę functionis succedetis. Nec hoc solum fiet, sed quicquid alioquī petieri- tis a patre per nomen meum, quod ad patris meiq; nominis gloriam pertinebit, hoc faciā, ut per uos quoq; glorificer apud homines, quemadmodum pater hactenus per filium est glorificatus. Ne uos igitur perturbet abitus meus, qui lucri quoq; nō parum uobis est alla- turus. Tum maxime sum uobis adfuturus ad omnia, quę faciunt ad ueram salutē, quum hoc corpusculum uobis subduxero. Tantum petite quod uoletis, audiet pater uota ue- stra, & ego patronus assiduus apud illum, efficiam ut quicquid petieritis, impetretur. Et- enim ut ille nihil mihi negat, nihil agenti nisi quod ad illius gloriam facit: ita nihil uobis sum negaturus, hoc agentibus, quod ad mei nominis gloriā conducet. Sugeret enim uo- bis spiritus meus, quid oporteat petere. Non istuc est Euangelicę charitatis argumentū, ob meum abitum discruciarī. Sic enim homines exanimantur ob discessum amici, cuius mox sunt oblituri. Si me uere diligitis, quemadmodum ego diligo patrem, ipsa re declara- *Si diligitis me* te charitatem erga me: declarabitis autem, si seruaueritis pręcepta mea: Ita futurū est, ut quemadmodum pater amat me, nihilq; negat: ita uos quoque per me diligat obsequentes iussis meis, quę eadem sunt iussu patris. Sic expedit totius orbis saluti, ut hanc pręsentia uobis subducam, nec tamen abiens destituam uos desolatos. Imò si perstiteritis in amo- re mei, si mea iussa seruaueritis, exorabo patrem, posteaquam ad illum rediero: & ille qui mihi nihil negat, alium consolatorem mittet uobis, qui semel missus nunquam abeat a uo- bis: quemadmodum ego nunc, quod ad corporis pręsentiam attinet, a uobis diuellor, sed perseverabit uobiscum in æternum. Is erit spiritus meus ac patris, qui uos ex carnalibus reddet spirituales, & istum affectum humanū, quo me nunc prosequimini, uerteret in amo- rem cœlestem: quicq; uobis arcanis afflatibus suggeret omnium ueritatem, quę nunc uelu- ti per somniū ac nebulam intelligitis. Hoc mei pignus erit uobis peculiare. Nam ego inte- rim malis ac bonis memet exhibui cōmuniter, ne quis excusare posset se non inuitatū ad salutem. Ceterum spiritum illum quoniam cœlestis est ac uerax, mundus hic, qui terrenis ac falsis bonis inhiat, non potest accipere. Quamobrem non potest: Quia quum habeat oculos crassos, qui non amant nisi crassa terrenaq; non uidet illum, neq; nouit illum. Ta- citus enim illabatur arcanis animi sensibus, sicubi sedem congruam repperit. Vos autem si spretis huius mundi pręstigijs, uera bona sectabimini, cognoscetis illum: quoniam non solum ueniet ad uos quemadmodum ego ueni uisibilis, sed & permanebit apud uos: nec ita uersabitur apud uos, quemadmodum patronus apud clientem, sed in intimis animorū uestrorū latebris habitabit, seq; uestro spiritui conglutinabit, ut unus spiritus efficiatur in omnibus. Is quoniam insitus erit pręcordijs uestris, per omnia uos comitabitur. Nec lon- gum erit interuallum, quum hic uicarius consolator ad uos uenturus est. Quare non est quod exanimetur cor uestrum filioli, quos utcunq; genui sermone cœlesti, & rudes licet tunc donec adolescatis ad robur Euangelicū. Quāquam ad tempus abeo, nec amplius

mortalis cum mortalibus uiſurus ſum, tamen nec interea relinq̄a uos orphanos, meq̄ ſolatio deſtitutos. Rurſus enim ueniā ad uos priuſquam remigrem ad patrē meum, meq̄ ueſtris oculis ſum exhibiturus: uero quidem, ſed non iam mortali corpore, quo uos paulatim à carnis amore proueham ad ſpiritū. Nihil enim magni ſit, ſi corpus hoc uobis perpetuo contemplandū præbuero, quod impij quoq̄ uident in ſuam ipſorū perniciem. Exitum itaq̄ tempus eſt, quum me mundus hic non uidebit. Mors enim & ſepulchrū ſubtrahet me conſpectibus illorum, uos tamē reuiſam, meq̄ uobis rediuiuū exhibebo. Nec enim mors hæc diſtrahet nos, nec impedit quo minus uos inuiſam. Viuā enim etiā poſt mortē, & non ſolum ipſe uiuam, ſed etiā uobis uitam perennem conferam. Et interim ubi rediero, uiuus offendam uiuos, atq̄ ita meam uitam impendam uobis, ut uos ſitis incolumes. Tum plenius intelligetis, quemadmodum nulla res diuellere poteſt à me patrem, nec à patre me: ita me quoque uobis ſic adglutinatum eſſe mutua charitate, uosq̄ uiciſſim mihi, ut nec mors nos poſſit diſtrahere. Vos tantum curate, ne ueſtra culpa diuellamini. Veram charitatem arguet obſeruatione præceptorum meorum. Nec enim ex animo diligit, qui iuſſa negligit domini ſui. Nec ſatis eſt accepiſſe præcepta mea, niſi quis meminerit: nec ſufficit meminiſſe, niſi ſeruentur. Hæc qui præſtat, is uere me diligit. Nam ob abitum meū ex cruciari, non eſt ueræ dilectionis argumentum. Ego qui uere diligo patrem, omnia illius iuſſa ſeruo ſeruaboq̄ uſque ad mortem crucis. Nec eſt quod uos terrent mea præcepta uelut auſtera, de ferendis iniurijs, de tollenda cruce, hæc omnia conducat charitas, nec deerit ex me ſolatiū. Etenim quiſquis me diligit, diligetur & à patre meo, & ego diligam eum: nec unquā illum deſtituam, ſed reuiſam eum: meq̄ illi palam intendum exhibebo, quo certius ſit, me nō periſſe ſupplicio crucis. Nunc omnibus conſpiciendum me exhibeo, tum nemo me uidebit, niſi qui in amicitia perſtiterit. Hæc autem obſcurius loquutus eſt dominus Ieſus, nō ſolum indicans quod rediuiuus à morte ſeſe frequenter præbiturus eſſet amicis ſuis contuendū, ſed etiā quod per ſpiritū ſuum ſemet inſinuaturus eſſet illorū animis, ac poſtremo uenturus eſſet in gloria patris, omnibus cōſpicuus. Iudas autem, nō ille quidem Iſcariotes, qui huic ſermoni non interfuit, ſed alter Lebbaeus cognomento, quum nō ſatis intellexiſſet ſermonē domini, uerum mœrore metuq̄ perturbatus, ſuſpicaretur dominum ſic appariturū amicis, quemadmodum lemures ac ſpectra nocturnis tenebris ſeſe nonnunquam offerunt: aut quemadmodum in ſomnijs uiſa quædam occurrūt ad terrorem uerius quàm ad ſolatium: Domine, inquit, quid accidit, quod quum nunc omnibus ſis conſpicuus, tunc non ſis appariturus mundo, ſed nobis duntaxat? Et quomodo poteris nobis eſſe uiſibilis, ſi cæteris fueris inuiſibilis? Ieſus autem quoniam ſciebat ſuos nondū eſſe capaces eius myſterij, quomodo reſurgat idē corpus, quod fuerat mortuum, & humo conditū, ſed iam ſpirituale redditum, ſuiq̄ iuris, non aperte reſpondit ad id quod rogabatur: ſed ad id ſermonem refleſcit, quod magis oportebat illorum animis infixum eſſe, quo iam præpararentur ad ſpiritualem domini copiā: quando quidem nec illa, quæ poſt reſurrectionē erat exhibenda, poſſet diuturna eſſe: Ideo, inquit, non exhibebo me mundo, quia non diligit me, nec ſeruat mea præcepta. Si quis uere diligit me, non mœrore teſtabitur amorem ſuum, ſed ſeruandis præceptis meis, & hūc ego uiciſſim diligam: & quem ego dilexero, diliget hunc & pater, nec ab eo diuellemur unquam: nec ſolum ego reuiſam memorem iuſſorum meorum, uerum etiā pater, egoq̄ per communē ſpiritum ad eum ueniemus: nec ueniemus tantum, mox abituri, ſed manſionē apud eum faciemus, nuſquā ab eo digreſſuri. Quod ſecundū ſpiritum fit, & perpetuum eſt, & efficax. Corporalis coniunctio ſinem habeat oportet, ut contemptis hijs quæ temporaria ſunt, ea conſueſcatis diligere, quæ ſunt æterna: ſi nondum ad nos uenire poteritis, nos inuiſibili modo, ſed efficaci ueniemus ad uos, pectoris ueſtri templum inhabitaturi. Tres ſumus, ſed ita coniuncti, ut qui unum diligit, omnes diligat oportet: qui unum habet, nemine careat. Tantum adſit charitas, & ſeruetur ſœdus, quod uobiſcū modo pactus ſum. Id uos nobis ſic conglutinabit, ut nec uita nec mors nos poſſit diſtrahere. Si mēbra poſſunt à capite diuelli, nos ſeiungi poterimus. Multi ſunt qui ſe prædicant diligere deum patrem, & legis præcepta ſeruare uidentur: ſed nemo uere diligit deum, ſi filiū oderit aut contemnat. Contemnit autem quiſquis præcepta mea non ſeruat. Quiſquis autē negligit præcepta mea, negligit & dei præcepta. Siquidē id quod docui uos, nō eſt ſic mea doctrina

Et manſionem
apud eum fa-
ciemus

Et ſermonem
quem audiſtis
non eſt meus

na, ut non sit eadem patris, sed potius patris est q̄ mea, unde proficiscitur quicquid possum, aut doceo: nihil agens, nisi ex illius autoritate, à quo missus sum in mundum, ut hæc docerem quæ doceo. Atq; hæc quidē pro uestro capto loquutus sum uobis, mortalis adhuc uersans apud mortales: mox reuiscam uos, dies aliquot immortalis cum mortalibus. *Hæc loquutus sum uobis apud uos manens* consolandī, docendī, monēdīq; uestri gratia. Neq; me clam est, quod hæc quæ nunc loquor, ac mox à morte loquuturus sum, non ad plenum sitis intellecturi, quod adhuc carnales sitis & rudes, tamē non frustra dicuntur à me. Nam ubi corpus hoc à uobis subduxero, ueniet uobis in nomine meo petentibus, alius consolator, non corporeus, quemadmodum me uidetis, sed spiritus ille sanctus, spirituum ac mentium sanctificator, quem pater uobis missurus est mihi uicarium, rogatus à uobis in meo nomine. *Paracletus autem* Nec egebitis posthac mea præsentia corporali, quæ pro tempore data est hominum crassitudini, quo per gradus proficerent ad perfectiora. Nam ille spiritus, quoniam meus erit & patris, omnia quæ loquor uobis rudibus adhuc & parum capacibus, ad hæc obliuiosis, suggeret in memoriam: & quæ prius non intellexeratis, efficiet ut intelligatis: neq; quicquam uos patietur obliuisci, neq; quicquam sinet ignorare, quod ad salutem pertinet: ex obliuiosis reddet memores, è tardis dociles, è somnolētis uigiles, ex mœstis alacres, ex terrestribus cœlestes. Tantum perseuerate in charitate, memores præceptorū meorum. Nec est quod interim exanimet uos tumultus huius mūdi, quem in me uidebitis exoriri, olim & in uos coarcturū. Sufficiat uobis, quod abiens pacē relinquo uobis, quod pacem meā do uobis. Qui meā habet pacem, hūc nulla mundi tempestas potest subuertere. Habet & mundus suam quandam pacem, & his quos amat dat pacem suam, sed hæc infida pax est. Mea pax, quam uobis do, uos conciliat deo. Quis autē noceat ei, qui deum habeat protectorem: Pax quam uobis relinquo, mutua concordia cenglutinans uos inter uos, reddet sodalitiū uestrum inuictum aduersus omnia quæ potest mundus, aut satanas huius mūdi princeps. Quid igitur est quod tantopere uos exanimet abitus meus, qui cōmodi quæque nonnihil uobis est allaturus? Ne turbetur igitur cor uestrum, neq; metu percellatur. Iam audistis, & quo magis credatis, iterum iterumq; dico, quod abeo quidem ad tempus, sed mox rediturus ad uos, interim efficiam ut uos reperiam incolumes. Hæc tempestas in me solum nunc desauiet. Mox ubi patrem repetiuero, rursus adero per spiritum consolatorem, per eundem aderit & pater, nec unquam à uobis diuellemur, donec nobiscum totis sitis in regno cœlorum. Mœretis quod abeam. Atqui si me uere diligeretis, nimirū gauderetis uestro simul & meo nomine, quia non abeo quouis, sed ad patrem redeo, apud illum maiora uobis impetraturus, quandoquidem pater maior est me, unde proficiscitur, quicquid uobis impartio. Si mihi metuitis, mea q; gratia mœretis: magis conueniebat gratulari, qui subducar ab his mundi malis, & ad patris remigrem consortiū. Sin uestra causa doletis, meus abitus uobis magnam adferet utilitatem. Hæc scio me loqui, nec admodum attentis, nec admodum intelligentibus. Sed ideo repeto et inculco, ut ubi quod dixi, rerum exitus comprobabit, tum credatis & reliqua omnia fore uera, quæ post euentura prædixi. Posthac mortalis cum mortalibus non multa loquar. Instat enim tempus, quod distrahar à uobis corpore. Adest per suos satellites huius mūdi princeps ille satanas summis uiribus aggressurus me, ut prorsus deiciat & extinguat. Sed nihil abeo periculi est. Nam in me nihil habet iuris, & dum se maxime uictorem esse confidet, se uictum prostratumq; comperiet. Non habet ille ius nisi in eos, qui peccato sunt obnoxij. Quoniā autem mundus uitijs obstrictus est: in mundi cultores habet tyrannidem. Nec enim morior coarctus, nec ob ullum facinus, sed ut mea morte redimam mea membra à peccati mortisq; tyrannide. Hoc mihi mandatum est à patre meo, & quod mandatum est, ex illius facio sententia. Proinde satis iam diu sumus in hoc accubitu. Tempus est, ut quoniam uolētes exequimur iussa patris, obuiam eamus instanti mortī. *Surgite eamus hinc* Surgite itaq; & abeamus hinc. Dominus Iesus uidens discipulos multis modis animo consternatos, partim mœrore, quod uiderent instare mortem domini, quem amore quidem humano, sed uehementissime diligebant: partim metu malorum, quæ illo digresso sibi uidebant impendere, tum autē somno grauatos, quem & nox conciliabat, & augebat mœror, addebat & sessio torporē animis: surgī iubet, ut uel sic excusso torpore, redderētur ad ea quæ dicturus esset alacriores, simulq; per ænigma submonet, iam esse tempus, ut animū erigant ab affectibus terrenis,

ad ea quæ sunt cœlestia, à corporalibus ad spiritalia, à mortalibus ad immortalia, à temporarijs ad æterna. Voluit & illud impressum esse mētibus illorum, se quicquid passurus esset, præscium ac uolentem pati, uolente quidē ita patre, sed à cuius uolūtate uoluntas ipsius nusquam dissideret. Voluit suos quantum imbecillitas humana ferebat, testes ac spectatores esse sui supplicij, eoq; frequenter in hoc sermone repetit mentionem abitus, quo paulatim assuescerent tolerantia, sed interim multa admiscens solatia, quæ doloris acerbitatem lenirent; quod abiret quidem, sed breui reuersurus ad eos: quod abiret ad patrem: quod inde missurus esset alium consolatorem, qui perficeret, quod ipse cœpisset: quod ipse quoq; unā cum patre uenturus esset, & mansionem apud eos faciurus: quod hæc tempestas eos non esset absorptura. Quin & in alium abducit locum, quod is in quo tum erant, manifestus esset: & quoniam audierant iam adesse principem huius mundi, sibi metuebant à communi periculo. In alium itaque locum, uelut ipsis tutiorem abducit, ut cætera fidentioribus animis audiant. Denique prædicit, quod ipsi tandem essent eodem sequuturi, quod nunc ipse præcederet. Nunc redit ad eum sermonem, quem penitus oportebat insidere mentibus illorum, quo monuerat illos, ut perseuerarent in charitate, & obseruandis præceptis suis, ne suo uitio sese distraherent à consortio patris, filij & spiritus sancti, à quo Iudas iam se diuulserat: sed permanentes in societate, domini sui dictis obtemperarent, facta pro sua uirili imitarentur. Hoc autem non posse fieri, nisi perseuerarent in consortio spiritali filij, nec sibi tamen fiderent interim, aut quicquam suis uiribus arrogarent: nihil enim illos ualituros unquam, nisi domini beneficio, unde profuit omnibus quicquid ad ueram salutem facit. Id quo magis intelligerent, ac tenacius memnissent, adhibita rei notissimæ similitudine, uitis ac palmitum, rem explicat.

CAPVT XV



NT, inquit, penitus intelligatis, quàm nihil sit uobis periculi, si perstiteritis in meo consortio: quantum autem sit periculi, si deficientes à societate, quod uobiscum pactus sum, diuellamini, mementote quod ego sum uera uitis, uos palmites, pater autem meus agricola est. Ego uel radix, uel stirps uitis sum, uos membra mea, ceu palmites è stirpe prognati. Pater me plantauit, nimirum qui genuit. Ab hoc stirps est profecta, uos à stirpe. Ad patrem uelut ad fontem redit totius beneficii gratia, qui quicquid uobis largitur, per me ac spiritum suum uobis largitur. Succus autem stirpis, qui palmitibus quoque dat uitam ac fructificandi uim, spiritus est, patri mihiq; communis. Is ut me patri connectit, ita uos quoque mihi copulat. Palmes igitur quisquis mihi adhærens, meoq; spiritu uiuens, fructum stirpe dignum attulerit, hunc pater meus repurgabit, superuacuas amputans cupiditates, quo fructum adferat copiosiore ac generosiore. Cæterum, qui mihi quidem inhæserit per fidei professionem, charitatis autem Euangelicæ fructum nullum adferat, hunc pater amputabit à uite, uelut onerosum & inutile membrum. Frustra enim est in uite, qui fructum non habet, sed folia tantum. Iam uos quidem hæcenus purgati mundi palmites estis per sermonem meum, cui credidistis, sed posthac magis etiam purgandi, quo copiosiore fructum proferatis. Nunc satis est insitos esse stirpi, unde per fidem uitam hauriatis. Date operam ut maneatis in me, & ego uicissim agam in uobis ex me pendentibus. Quemadmodum enim palmes si diuellatur à uite sua, non potest ex se fructum ullum facere, quod quicquid habet succi trahat è stirpe: sic nec uos poteritis ullius boni operis fructum adere, nisi mihi per fidem ac dilectionem adhæseritis, unde uobis proficiatur oportet, quicquid ad ueram æternamq; facit salutem: propterea quod nec Moses, nec ullus prophetarum uitis sit, sed ego sum unica uitis illa, cui inhæreat oportet, quisquis fructum salutis uolet proferre. Huius uitis uos estis palmites, cui gratis estis insiti, gratis purgati, sed unde uestra culpa possitis excidere. Quare uobis hoc curandum, ut mihi perpetuo iungamini. Etenim quisquis manet mihi coniunctus, me sibi uicissim coniunctum habens, meoq; uiuens spiritu, hic, aspirante patre, copiosum fructum proferat, sibi salutem æternam lucrificans, & Deo, cuius gratia fiunt omnia, gloriam apud homines concilians. Et illius gloria mea est gloria, per quem largiri placuit, quicquid largitur hominibus ad salutem æternam consequendam. Hoc igitur mementote, quod absque me nihil boni potestis facere. Quod si quis palmes suo uitio sese à me stirpe reuulserit

rit

rit, is non solum nullum ædit fructum, sed quemadmodum palmes inutilis falce ampu-
tatus exarescit, moxq; collectus cum reliquis sarmentis exectis, in ignem conijcitur ut
pus: & post hanc uitam separatus irrecuperabiliter à uite, conijcitur in ignem æternum,
semper arsurus ad suum supplicium, qui noluerit in uite permanere, fructum æditurus fe-
licitatis æternæ. Manebitis autem in me, si sermones mei manserint in uobis: si quæ cre- *Et uerba mea*
ditis, tenueritis: si quæ tenetis, factis exequamini. Hoc si feceritis, non est quod ullas ho- *in uobis man-*
minum procellas metuatis, & si nondum adero corpore, tamen audiet uos pater, audiam *serint*
& ipse, si quicquid uolueritis, petatis, & quicquid petieritis, impetrabitis. Quemadmo-
dum autem ex uobis non habetis, unde possitis ædere fructum, ita non debetis benefa-
ctorum gloriam uobis arrogare. Quemadmodum enim ego non quæsiui gloriam meam, *Et in hoc cla-*
sed patris, unde proficiscitur quicquid sum aut possum, ita uos omnem benefactorum *rificatus est*
& gratiam & gloriam ad patrem meq; referetis. Per hoc apud homines illustratur patris *pater*
gloria, si uos uiderint quàm plurimum Euangelici fructus adferre. Quicquid enim ex uo-
bis mihi accedet gloriæ, id redundabit in gloriam patris, cui laudem pariet apud homi-
nes, si uiderint uos germanos esse discipulos filij, non quod nos opus habeamus huma-
na gloria, sed quod sic expediat humani generis salutem, quam sitimus. Charitatis est, non
ambitionis, quod pater sic illustrari cupit apud homines. Quemadmodum dilexit me pater, *Sicut dilexit*
pater, itidem & ego dilexi uos palmities meos. Hoc tam ingens bonum gratuito do- *me pater*
natum magna sollicitudine seruate, ne uestra negligentiâ uobis pereat. Non peribit autem,
si quemadmodum ego usque ad mortem perstiti in charitate patris, semper illius gloriæ
studens, ita uos perseueraueritis in charitate mea, Perseuerabitis autem, si præcepta, non
phariseorum, non philosophorum, sed mea seruaueritis: neque uos ab his ulla mundi res,
seu blanda, seu formidabilis poterit distrahere, quemadmodum ego constanter ad mor-
tem usque seruo iussa patris mei, non recedens ab illius charitate, sed factis ipsis declarans
me illius erga me charitati charitate mutua respondere. Quemadmodum igitur patri
gloriosum erit, talem habere filium germanum ac sese dignum: ita gloriosum erit utriq;
nostrum, quod uos habeam discipulos obseruantes sermonum meorum, & factorum æ-
mulum. Hæc tametsi molestiam habent admixtam, tamen ideo tot uerbis uobis inculco, *Hæc loquutus*
ut quemadmodum ego non quæsiui gaudium huius mundi, sed in hoc gaudeo, quod ob- *sum uobis*
sequens iussis paternis diligor à patre: ita uos non petatis solatium à mundo, sed meo gau-
dio gaudeatis, si quando meis uestigijs ingredienti, affligemini: idque gaudium ma-
neat in uobis, semper augescens in maius meliusq;, donec impleatur in perpetuam im-
mortalis uitæ felicitatem. Erit uobis medijs in malis magno solatio mutua charitas. Pha-
risæorū uaria sunt præcepta, multa sunt & Moysi: unum hoc est præceptum proprie meum, *Hoc est præce-*
quod omnia complectitur quæ doceo, quod omnia condulcabit, quæ inciderint, tristitia, *ptum meum*
ut ea charitate uos mutuo complectamini, qua ego uos sum amplexus. Amorem meum
non dicitis tantum, sed factis etiam testor, nec eum uulgarem, sed eximium, & quo maior
esse non possit inter homines, inter quos nullum maius est indicium charitatis quàm si
quis uitam impendat amico. Nam sua cuique uita charissima est. Pecuniam aut operam
qui impendant, fortasse reperientur permulti. Qui uitam impendat amico, rarus est. Ego
plus præsto, qui pro inimicis etiam uitam impendo, modo fiant amici. Et interim amicos
honoris gratia uoco, quos meo iure seruos appellare possem. Sed tamen uos non pro *Vos amici mei*
seruis, sed pro amicis habeo, si quemadmodum ego uolens obtempero iussis pater- *estis*
nis, ita uos alacres ac lubentes peregeritis quæ præcipio uobis. Qui legis cultores sunt,
merito serui uocantur, quoniam ex præscriptis uarijs pendent, ac metu potius quàm ex
animo quod præscriptum est faciunt. Vos autem, quos à legis seruitute uocaui ad liber-
tatem Euangelicam, posthac non appello seruos, sed amicos, ut quos mihi non neces-
sitas iungit, sed mutua charitas. Seruus enim non intelligit quid sibi uelit dominus, tan-
tum quod iussus est facere, facit, nihil magni præmij sperans, si fecerit, magno malo
plectendus, si iussa neglexerit. Et ad officia singula singulis opus est præscriptis: Va-
de, redi, fac hoc, fuge illud. Non enim credit herus sua consilia seruis, ideo malæ fidei, quia
metuunt magis quàm amant. Vos autem idcirco dixi amicos, quia semel omne consi-
lium animi mei communicauim uobis, ut non sit opus subinde nouis præceptis hominum.

Q 4

Quicquid

Quicquid pater uos per me scire uoluit, hoc tanquā fidis amicis impartij. Certā sunt quæ uos docui, nec enim alia docui, quā quæ audiui à patre meo. Mea præcepta illius præcepta sunt, quæ seruantes, illi quoque eritis pro seruis amici. Quoque magis intelligatis quāuis sit honos huius dignationis erga uos, non uos me uestris officijs prouocastis ad amicitia, ut debiti sit redamare: aut ultro uenistis ad amicitiam, ut humanitatis sit amantes redamare: sed ego, quum essetis serui legis, & alieni ab amicitia dei, uolens & ultro selegi uos ex omnibus, nihil promeritos. Et in hoc delegi, ut mihi insiti per charitatem mutuam, quam erga me nō haberetis, nisi prior ipse dilexissim uos, semper in melius proficiatis. Quēadmodū palmes succo uitis semper alitur, latius sese propagine spargens: ita uos quoque per omnes orbis regiones copiosum Euangelij fructum proferatis, atque ita profitis alijs, ut fructus uester uobis quoque maneat incolumis. Vitis enim uulgaris alijs fructum edit, eumque mox periturum, & id eo palmites eius temporariū fructum ædunt, quoniā adhærent uiti peritura. Vos quoniam adhæretis immortalī stirpi, fructum adferetis nunquam periturum, sed uobis incolumem futurum in uitam æternam. Nec interim est quod dicatis: Ingens est labor obire mundum, docere gentes, perpeti malorū odia: Quid salarij, quid præsidij, quid præmij nobis decernitur? Valeant ista mundi præsidia. Hoc uobis omnium præmiorum ac præsidiorum loco sit, quod quicquid petieritis à patre in nomine meo, daturus est uobis. Quid est facilius, quā petere? Quid est autem quod ille non possit largiri? Quid est porro quod ille mea causa non uelit? Nec sunt dura iussa mea. Quid enim dulcius, quā amare mutuum? Qui tam sunt imbecilles, quos non fortes reddat amor mutuus? Quid tam triste, quod non dulce reddat mutua charitas? Neque uos illud moueat, quod dum mecum habetis amicitia, dum inter uos mutua charitate cohæretis, cum mundo dissidium ac simultatem habebitis. Immo istuc ipsum uestros animos cōsolari debet: quandoquidem hoc argumento cognoscetis, uos esse uere meos discipulos & amicos, nimirum alienos à mundo, qui totus in malicia situs est, quum uos cœlo destinati sitis. Ne uideatur indignum, uos in mundo perpeti, quod ego prior uobis sum perpeffus. Odit & me mundus, non quod merear, sed quod arguam ac prodam illius malefacta, docens ea quæ non congruunt mundanis affectibus. Nouit ille suæ factionis homines, eosque complectitur & euehit, ut similis amat similem, & mala scabies amat commode scalpentem. Infelices igitur quibus hic mūdus blandus est & amicus. Nam hoc arguit eos alienos esse ab amicitia dei, quæ sola uere felices reddit. Quod si uos oderit mundus, agnoscite meum exemplum, & uobis ipsis gratulamini, quod à mundi consortio sitis alieni, sed adhæreatis contubernio meo. Nam hoc intelligetis ex odio mundi, quod mearum partium sitis. Etenim si pertineretis ad mundum: si diligeretis ea quæ sunt huius mundi: si doceretis ea quæ congruunt cupiditatibus mundanis, mundus agnosceret uos, ac ueluti suos amaret: quoniam autem non ea sectamini quæ sunt carnis, sed quæ sunt spiritus, non inhiatis bonis terrenis, sed cœlestibus, ideo uos odit mundus, nō quod odio digni sitis, sed quod malo & impio dissimiles. Antea quum in crassis legis ceremonijs perfectam iustitiam constitueretis: quum rebus fluxis intenti, nullo cœlestiū rerum amore tenebamini, mundus uos amabat: sed posteaquam ego uos ab ista factione seuocaui ad Euangelicam ac cœlestem doctrinam, mihi quoque ueluti palmites in seui stirpi, cœpit odisse uos mundus, nō ob aliud, nisi quod estis mei. Atqui non alio nomine felices eritis, quā quod mei estis. Nolite mirari, quod innocentia uestra non tuebitur uos ab odio mundi. Mementote quod dixi uobis: Non est potior serui conditio, quā domini: nec mea me innocentia tueri potuit ab odio mundi, quæ maior est uestra, nec meam doctrinam ueriti sunt aspernari, nec meis beneficijs mitescere potuerunt, & à crudelibus cœptis reuocari. Quod ausi sunt in me, qui dominus sum ac magister, multo magis audebunt in uos. Si me tot insidijs persequuti sunt usque ad mortem longe probrosissimam, si toties conuicijs incessiuerūt, & uos discipulos meos persequentur, imō me persequentur in uobis. Si meis dictis obtemperabāt, obtemperabunt & uestris. Sed quemadmodū meam doctrinā non tulerunt, ita nec uestram ferrent, quoniā eadem docebitis, quæ ego doceo. Quicquid autem contumeliarū in uos intogesserint, id in me factum arbitror. Quicquid enim horū facturi sunt in uos, odio nominis mei facient. Mihi male dicent, quum uobis maledixerint: me reijciēt, quum uos reijciant: me cadent, quum uos cadent. Quicquid enim in mēbra cōmittitur, hoc ad caput pertinet

pertinet contumeliam. Et in me facerēt ista, si præsentem haberent. Nunc quoniam in me
 non poterunt, in uos facient. Porro quemadmodum omnis contumelia uobis illata ad
 me pertinet, ita quicquid aduersum meum nomen committitur, ad patris mei contume-
 liam pertinet, quem si uere nossent, ut sibi nosse uidentur, nequaquam tantis probris affi-
 cerent filium. Arrogant sibi pietatem in deum, & in filium sunt impij. Petunt salutem a
 deo, & filio moluntur exitium. Iactant se seruare dei praecepta, & filij praecepta, quae tra-
 dit ex autoritate patris, respuunt. Iactant legis scientiam, & eum quem lex praedicat, non
 agnoscunt. Adorant mittentem, & eum quem misit insectantur. Nesciunt igitur deum,
 quem se nosse gloriantur. Et tamen haec ignorantia non excusabit illos in die uindictae. Ne-
 sciunt quidem, sed ideo nesciunt, quia noluerunt discere. Ideo noluerunt discere, quia ma-
 gis dilexerunt suam gloriam, quam gloriam dei. Pluris fecerunt questum suum, quam lu-
 crum salutis euangelicae. Quod itaque pater fecit in ipsorum salutem, hoc sibi sua pertina-
 cia uerterunt in cumulum aeternae damnationis. Etenim in hoc ueni, in hoc missus sum, ut
 omnibus, si fieri posset, impartirem salutem aeternam. Si non uenisset ipse, qui sum filius,
 & quo nemo maior mitti poterat: si non fuisset eis locutus omnia, quae poterant illos ad
 meliorem reuocare mentem: si non fecissem ea quae uel saxea corda poterant ad credendum
 impellere, leuius certe perirent: nimirum, ab hoc incredulitatis crimine liberi, cuius acces-
 sio magnam sarcinam addet eorum exitio. Nunc autem cum nihil à me sit ommissum quo
 seruari poterat, cum ipsi pertinacibus odijs pugnant aduersus eum, qui salutem gratui-
 tum offert, non habent quo purgent incredulitatem suam. Si quis odio prosequatur igno-
 rum, utcumque uidetur ignoscendum, si habet inuisum, quem nunquam uiderit. Me ui-
 derunt, & audierunt. Viderunt omnibus beneficientem, audierunt ea quae deo digna
 sunt loquentem, & tamen oderunt, ob ea ob quae debuerant amare. Porro quisquis odit
 me, non potest non odisse patrem meum, & cuius autoritate loquor, quae loquor: cuius uir-
 tute facio, quicquid facio. Nec enim uerbis solum illis sum locutus, uerum etiam factis. Illi
 excacati, nec uerbis crediderunt, nec factis. Et hoc ipsum illis aggrauabit damnationis ma-
 lum, quod obuia dei bonitate, tam pertinaciter sunt abusi. Si non addidissem inter illos mi-
 racula, quae nemo prophetarum ante me prodidit, siue magnitudinem spectet aliquis, siue
 multitudinem, ea quae omnia non in terrorem illorum, sed in subsidium afflictorum, non ter-
 nerentur hoc peccato longe grauissimo. Nunc autem & audierunt, & uiderunt, tantoque
 magis oderunt, non tantum me qui locutus sum & feci, sed & patrem meum, qui per me
 locutus est, per me uirtutem suam exeruit. Moysen nunquam uiderunt, & tamen admi-
 rantur: prophetis credunt, quos nunquam audierunt. Me quem cominus conspexerunt,
 quem audire loquentem, quem experti sunt tot modis beneficium, auersantur: nec hoc
 contenti, morte afficiunt. Et interim praetextunt pietatem in deum patrem, quam qui uere
 patrem amet, non possit odisse filium. Quanquam haec non accidit fortuito, quandoqui-
 dem hoc quod isti faciunt, psalmorum uaticinia, quae tenent ac legunt, futurum olim praet-
 dixerunt, uidelicet ut pro benefactis, quibus debebatur gratia, maleuolentiam reponerent.
 Sic enim illic loquor per os prophetae: Non gaudeant super me, qui aduersantur ini-
 que, qui oderunt me gratis. Tolerabile est, si quis prouocatus oderit aliquem: utcumque po-
 test ignosci, si quis ignotum oderit: ceterum quis ignoscat illi, qui & notum, & benemerentem
 odio prosequatur: Sed istorum incredulitas non reddet irritum fructum eorum, qui
 mihi adhaeserint. Cum enim perfunctus fuero omnibus quae mihi mandauit pater, iamque
 uenerit consolator ille, quem sicut ante pollicitus sum, mittam uobis à patre proficiscens
 cletus, qui est spiritus suggestor ac doctor omnis ueritatis, ille declarabit omnia, quae dixe-
 rim, quae gesserim: ex quibus liquebit & mea bonitas, & illorum obstinata caecitas. Ille do-
 cebit nihil in me factum, quod non ante praedictum sit in libris ipsorum, quos legunt, nec
 intelligunt. Vos quoque qui nunc estis imbecilles, tunc confirmatiores mei spiritus affla-
 tu, testificabimini apud omnes de me, propterea, quod ordine uidistis quae gesserim, au-
 distis quae dixerim. Quemadmodum ego certa uobis retuli, nimirum ea quae uidi & audi
 ui apud patrem meum: nec incerta uobis suggeret spiritus, nimirum & ipse proficiscens à
 patre ita & uos non dubiarum rerum, sed omnibus sensibus compertarum testes eritis.
 Erunt autem qui nec uobis habituri sunt fidem, sed non obeos, qui suapte culpa pereunt,
 deferenda est salus aliorum.

*si non uenisset
 sem & loquor
 tus fuisset eis*

*Qui me odit
 & patrem
 meum odit*

*Sed ut impleat
 tur ser.*

*Cum autem uer-
 nerit para-
 cletus*



*Absq; synago
gis facient*

*Sed hæc lo-
quutus sum
vobis*

*Quia uobiscū
eram*

Ecce ullis periculis oportebit deterreri à professione ueritatis euangelicæ, quæ mundus quidem omnibus machinis oppugnabit, cæterū opprimere nunquam poterit, quæ deo autore nititur. Videtis quæ in me mūdus molitur ob professionē paternæ ueritatis. Ad similia perpetiēda necesse est ut præparetis animos uestros. Hæc ideo denuncio uobis euentura, ne putetis delictam esse professionem euangelicam, ac tum animo consternemini, quum ista uobis præter expectationem accidissent. Minus enim offendunt mala, quæ præuideris, ad quæ obfirmaris animum, ante quàm incurrant. Non fallam uos, nec in malis, quæ necesse est Euangelij gratia perpeti: nec in præmijs, quæ manēt gnauiter suo perfundos munere. Hoc primum occurret uobis Euangelij prædicationē auspicantibus. Qui religionis arcem tenere uidentur, qui legis cognitionē profitētur, uos uelut impios & execrabiles submouebunt e synagogis suis: quod apud istos est probrosissimū. Mox non hoc erunt contēti, uenietur ad carceres, ad flagra. Deniq; res eò procedet, ut quisquis interfecerit uos, existimet se uictimā immolare deo gratissimam. Prætexent enim impietati suæ pietatis imaginē, ac ueræ pietatis doctores, impietatis reos peragent. Ira fiet, ut non solum dura perpetiamini, uerumetiam ut impij, maleficiq; perpetiamini. Sed ne uobis curæ sit, quid mundus de uobis iudicet, consoletur uos exemplum meum, recordantes, quod ista mecum, quodq; mea patrisq; mei causa patiamini. Nostra hæc iniuria est, nostrum erit, & uobis certantibus opem suppeditare, & uictoribus præmia largiri, & illis obistere, deq; pertinacibus poenam sumere, ne uos quicquā de uindicta cogitetis. Non enim ista committēt in uos quod fures sitis, aut maledici, aut alioqui talibus digni malis, sed quia nondum ad plenum nouerunt neq; me neq; patrem meū. Error admixtus sœuitiæ faciet ut illorū etiam misereatur: nec tam existimetis supplicio perdendos, quàm doctrina seruandos. Multos enim incitabit in uos religionis studiū, magis errantes iudicio quàm affectu. Hi resipiscunt simul atq; per uos innotuerit pater meus orbi terrarum: simul atq; uestra prædicatione cognouerint meam doctrinam, & spiritus sancti uim. Scio uos esse mœstos ob discessum meum: nec erat addēdus mœrori mœror, sed expediebat de his præmoneri uos, ut quum inciderint uobis hæc mala fortiter & infractis animis perferatis, dum uobis ueniet in mentem, quod hæc omnia prædixerim euentura, quod exemplo mei, quod ab impijs, quod ab ignorantibus ueritatem, quod mea patrisq; mei causa patiamini. Nec uos moueat hominum de uobis iudicium, contentos recti conscientia. Quin potius iuxta doctrinam meam, beatos uos ipsos iudicate, quum persequuti fuerint uos homines, quum omne malum dixerint aduersum uos, mentientes propter nomen meum. Eijcient uos e synagogis, sed hoc ipsum arguet uestra nomina scripta esse in cœlo. Hæc omnia sciebam uobis euentura, sed tamen initio, quū uos mihi iungerem, his de rebus silui, non ut fallerem uos, sed quia nondum erat tempus: nec enim omnia cuius temporis conueniunt. Corporis huius presentia pro tempore fouit imbecillitatem uestram. Nunc quoniam instat tempus, ut subducar à uobis, oportuit uos palam præmoneri quid sitis perpeffuri, quo paulatim consuefcatis corporalis presentia solatio carere, positoq; affectu humano, sumatis firmitus magisq; masculinum animi robur: nec sitis similes pueris, qui semper pendent à sinu matrum, exanimati, si quando contingat à conspectu parentum auelli. Nolui uos lactare falsa spe: nec tamen alieno tempore uolui consternare animos uestros. Datum est quod oportuit imbecillitati uestre, egicq; pro tempore consolatorem & patronū. Nunc abeundū est, & quum uestra causa potissimum abeam, ut subductio corporis huius conspectu proficiatis ad fortiora, tamen hic sermo sic exanimauit uos, ut nemo roget aut cogitet, quò uadam, quum non oporteat uos discruciarī, quod abeam, sed gaudere potius quod abeam ad patrē, unde profectus sum, iam non abfuturus à uobis, sed aliter uobiscum futurus. Neq; uero nesciebam, quid esset optabilius uestris affectibus. Malebatis hac mea consuetudine perpeffuo frui: uerum ego malui uobis loqui quæ conducunt, quàm quæ iuuant: malui uos cognita ueritate ad tempus affici mœrore, q̃ non proficere ad firmitatē uenturę tempestati parem futurā. Et idcirco palam quod euenturū est nunc prædico uobis, me relicturū uos, & me subductio uos multa passuros. Quibus perferendis ut sitis idonei, expedit uobis ut interim subducar ab oculis uestris. Nisi enim submoto carnis conspectu cœperitis esse

spirituales

spirituales, spiritus ille consolator, qui uos fortes reddet & inuictos, non ueniet ad uos. Si quidem illi uos pręparauit, ille perficiet quod à nobis cęptum est in uobis, Deniq; per illum semper uobiscum futurus sum, & pręsentius absens adero, quàm nunc adsum pręsens. Non enim in hoc ueni, ut semper uobiscum agam in terris: sed ideo me deieci ad uerstram infirmitatem, ut uos eueherem in cęlum. Sic uisum est consilio paterno, dispęsarit temporum uicibus paulatim uos, & gradibus quibusdam ad ea quę perfecta sunt promouere. Aequum est autem ut animos quoq; uestros ad paternam dispensationem accommodetis. Omnia uobis contingent nostro beneficio, sed uestrum est adniti, ut nostri beneficii sitis capaces. Etenim si perpetuo manseritis in hoc affectu, in quo nunc estis, consolator ille cęlestis non ueniet ad uos, nimirum nondum capaces sui muneris: Quod si abiero, uosq; neglecta corporali pręsentia, pręparaueritis animos uestros sublimioribus doctibus, quas spiritus ille uobis deferet, tum ueniet ille consolator à me missus ex patre, nunquam uos relinquiturus, nec unquā uos destituturus, nec in uita, nec in morte: nec erit inefficax ille spiritus, sed quum uenerit, plus efficiet per uos, quàm ego nunc pręsto: non quod non sit eadem potētia, sed quod sic expediat humani generis saluti, negocij partes in tempora partiti. Ego argui mundum, ille plenius & euidentius idem efficiet. Sic enim conuincet mundum, ut nisi resipuerit credens Euangelio, nullam sit prorsus excusationem habiturus. Nam ut illi nunc nostrę carnis infirmitas prębet offendiculum, ita non nihil prębere uideatur, quod possit incredulitati suę prętexere. Viderunt lassum, uiderunt esurentē & sitientem, uiderunt humilem & contemptū, mox uidebunt afflictum, captū, cęsum, ac morientem deniq;. Cęterum ubi perfectis omnibus, quę ad carnis dispensationem pertinent, uiderint reuixisse, uiderint sublatū in cęlos, uiderint missu spiritu uos subito factos intrepidus mei nominis pręcones, uirtutes admirandas emicare ad nomen meum inuocatum, exilire dęmones, restitui claudos, sanari ægrotos, reuiuiscere mortuos: deniq; nihil non euenisse quod à prophetis erat prędictū, nihil erit reliquū excusationis impijs & incredulis. Tum enim mundus triplici nomine conuincetur inexcusabiliter. Primū de peccato, mox de iustitia, deinde de iudicio. De peccato omnium maximo, quodq; cętera peccata omnia complectitur, coarguetur: quia quum uiderint consentire prophetarū oracula cum euentis: cum conspexerint tot hominū milia profiteri nomē meū: quum uiderint eos, qui mihi crediderunt, accepto spiritu sancto loqui linguis ignotis, clarescere miraculis: relinquere superstitionem Mosaicę legis, amplecti pietatem euāgelicam, detestari patrum cultum simulacrorum, sed uitę pietate colere patrem cęlestem: pro nihilo ducere terrena comoda: totos ad cęlestia rapi, quid tum habebit mūdus, quod prętexat obstinatę suę incredulitatē? Si nihil erit omissum à patre, qui misit: nihil à me, qui missus sum seruandis omnibus: nihil à spiritu sancto, quem utriq; missuri sumus: nihil à uobis, quibus ut organis suis utetur ille cęlestis spiritus, quid superest, nisi ut omnes intelligant eos incredulitatis suę perire uitio? Quumq; conspexerint prophanas gentes, per simplicis aquę tinctorum ac mei nominis professionem ablui à pristinę uitę peccatis, & innocentia donari, palam erit illos uolentes ac scientes in suis manere sordibus, & peccata peccatis addere. Coarguetur autem & de falso uindicta iustitia. Nunc enim utcunq; prętexunt obseruationem legis à deo traditę: faciunt obseruatas maiorū constitutiones, prętexunt à maioribus traditam religionē, ieiunia, sabbata, preces, eleemosynas, cultus, & id genus alia, quę speciem habent iustitię: cęterum ubi uiderint spiritus illius uim admirabilē non contingere nisi his, qui professi fuerint nomē meū: contingere etiā idololatrię, sine legis obseruatione, quid dicent interim, qui sibi iustitiā ex legis obseruatione uindictant? Frustra gloriabuntur apud homines de falsa iustitia, qui eum reiecerunt, per quem unū uera contingit iustitia. Id ita esse tum palam erit mundo, quū spiritus ille declararit, me non esse mortuū, quem in crucē suffixerāt, quem sepelierāt: sed redisse ad patrē, unde ueneram, apud illum uiuere, & iam inuisibilem, ac sublatū ab oculis humanis maiora pręstare per uos meo spiritu afflatos, q̃ pręsens in terris pręstiterim. His rebus fiet, ut illorū iniustitia coarguatur, qui alibi sibi iustitię spem posuerūt, q̃ in me: & dei iustitia fiat illustris, quę bona fide pręstiterit humano generi, qđ olim per prophetas suos erat pollicitus. Id autē mox futurū est. Proficiscor enim ad patrem per mortē, neq; diu uobiscum hoc uisibili corpore uersaturus sum, & tamen sentietis me uiuum ac potentem, nihilq; non pręstantem eorum, quę sum pollicitus

Ille, arguet mundum de peccato

De iustitia uero

Quia uado ad patrem

De iudicio pollicitus. Quin et de iudicio coarguetur mundus, quum passim hominibus à peccatis ad innocentiam uitæ resipiscantibus, à crassis Mosaicæ legis ceremonijs, ad Euangelicâ pietatem sese conferentibus, à dæmonum, & simulacrorum cultura totis totius orbis nationibus sese conuerentibus ad cultum patris, filij, & spiritus sancti, palam fiet principem huius mundi, qui hactenus per peccatum exercuit tyrannidem, iam suis ipsius armis uictum, eiectum condemnatumque esse: ut qui mortem meam procurauerit, per quem peccata mundi tolluntur, per quem confertur innocentia, per quem donatur libertas Euangelica, per quem datur immortalitas. Tum apparebit fuisse triumphum, quod uidebatur ignominia: fuisse uictoriam, quod putabatur exitium. Quum enim dæmones passim ejicientur templis, quum ad signum crucis eiulabunt, quum ad nomen meum relinquent diu possessa corpora, nonne manifestum erit principem illorum esse condemnatum? Nonne conspicuum erit & illos merito damnandos esse, qui damnatum illum ac uictum sequi maluerint in mortem æternam, quam me, quem deus ueluti uictorem in regni sui consortium subuenerit, omnibus innocentia uitæque autorem? Sunt alia multa, quæ uobis poteram dicere, sed non est huius temporis ea promere, nec uos adhuc capaces estis, ob imbecillitatem nec adhuc peractam huius meæ legationis functionem: ea spiritui uenturo referuo. Ille ubi uenerit, reperiet uos plenioris scientiæ capaciores, nimirum peracta mortis, resurrectionis, & ascensionis meæ dispensatione. Non erit spiritus uanus aut humanus, sed spiritus erit meus, hoc est, ueritatis. Is uos docebit omnem ueritatem, cuius nunc ad plenum capaces non estis. Loquetur & ille uobis, sed tacitis & arcanis flatibus. Non aere moto feriet aures corporis, sed occulta uim mouebit intima mentium. Nec loquetur incerta, sed quem admodum ego nihil loquutus sum, quod non audierim apud patrem meum, ita ille nihil suggeret, nisi quod acceperit à patre, & à me. Nec solum aperiet uobis omnem ueritatem de rebus præteritis, uerumetiam quoties res postulabit, quæ post futura sunt, prædicet uobis antequam eueniant. Est enim non solum omnipotens, sed etiam omniscius. Ille per uos illustrabit gloriam nominis mei, quemadmodum ego per mortem, & resurrectionem meam illustrabo gloriam patris. Nam quemadmodum in gloriam patris proficit, quicquid à me geritur, à quo sum, & à quo accepi omnia: ita in meam gloriam proficiet, quicquid spiritus ille per uos gesserit. Nihil enim uobis suggeret diuersum ab his, quæ ego accepta à patre tradidi uobis. Nihil inter nos non commune omnium. A patre proficiunt omnia, sed nihil est illius, quod idem non sit meum, nec quicquam est patris, aut meum, quod spiritui non sit commune. Per illum igitur ego uobis loquar, quemadmodum per me loquutus est pater. Qui mihi credit, credit patri, qui spiritui credit, credet utrique nostrum. Hisce tot rebus confirmati fortem animum sumite aduersus tempestatem imminentem, & in rebus afflictis seruate uos sequundioribus, quæ sequentur. Breue tempus est quod orbabimini conspectu meo, sed id longum non erit. Post exiguum enim temporis spacium rursus reddar oculis uestris, ut paulatim assuescatis carere corporis huius conspectu, qui uobis inutilis est. Nam ad patrem redeo, maiora uobis largiturus, ubi uobis conspicuus esse desiero. Tantus autem mœror occupat id temporis discipulorum animos, ut toties iterata, nec intelligerent, nec meminissent. Quum enim dominus Iesus indicaret his uerbis non admodum obscure, se per mortem ac sepulturam abfuturum à conspectu suorum: sed rursus post triduum eodem quidem corpore, sed iam immortali uidendum esse suis, ut aliquot dies confirmatis discipulorum animis, sese reciperet in cœlum: ut sublato conspectu corporis, quod illos non patiebatur esse spirituales, promerentur spiritum illum coelestem: nec post expectarent corporalem domini præsentiam, nisi quum supremo die sese semel ostendet omnibus totius orbis nationibus: iudicaturus uiuos & mortuos: tamen quod dictum erat, non intelligentes discipuli, mustabant inter sese: Quid sibi uult hic sermo? Breue tempus est quod me non uidebitis, & rursus: Breue tempus erit quod me uidebitis, quoniã uado ad patrē. Quomodo uidebimus, qui se subducit ad patrem? aut quid sibi uult hoc breue tempus, quo sui uidendi copiam nobis adimet? rursus aliud breue, quo sui uidendi nobis copiam faciet? Obscurus est hic sermo: nec intelligimus quid loquatur. Iesus autem intelligens quod haberet in animo percontari se, quid sibi uellet quod dixisset, præuenit illorum interrogationem, ut quemadmodum solet, ostenderet sibi notas esse, quamuis arcanas hominū cogitationes. Rursus hoc cōturbat inquit

*Adhuc multa
habeo uobis
dicere*

*Quia de meo
accipiet*

*Modicum
iam non uide-
bitis me*

inquit, animos uestros, quod dixerim, ad breue tempus subducendum uobis mei conspectum, rursus ad breue tempus reddendum uobis mei conspectum, quod perpetuo non expediat apud uos manere, quemadmodum nunc maneo, sed magis in rem uestram est, ut abeam ad patrem. Quod dixi, uerissimum est. Instat tempus, quum uos ob ademptam hanc nostram consuetudinem, luctu, mœrore, lachrymis cōficiemini, despondentes animum, uelut omni præsidiō destituti. Contra mundus uelut uictor gaudebit, gestiet, exultabit: sed breui commutabuntur rerum uices: nam mundi gaudium uertetur in mœrōrē, & uester mœror uertetur in gaudium. Vt enim mea mors uos discruciat, & Iudæos afficiet gaudio: ita resurrectio uos afficiet gaudio, contra Iudæos conturbabit. Quare breuē istum mœrorem fortiter tolerate, spe mox sequuturi gaudiū. Quem admodum grauida mulier grauitur discruciat, nitens ad partum: cæterum eos dolores magno tolerat animo, quod sciat non fore diuturnos, & mox consequuturam ex ædita prole uoluptatem. Nam simul atque pepererit quod parturiebat, tanta est uoluptas, quod mater sit facta nouæ prolis, ut non meminerit doloris, quem in nixu perpeffa est: imò gaudet longam lætitiā emptam sibi dolore breui. Itidem uos quoq; hoc exiguo tempore quod instat, uehementer animo discruciaimini, & iam nunc mœrore magno tene mini: sed post dies pauculos, ubi uictor me uobis exhibuero rediuium, magno gaudio perfundet cor uestrum: quod quem mortuum luxistis, uideatis immortalitate donum. Luctus erit breuis, sed gaudium erit perenne. Mors enim transit, manet immortalitas. Nunc multa sunt, de quibus animus uester gestit interrogare me. Tum adeo satisfactum erit animis & oculis uestris, ut nihil amplius existimetis interrogandum. Ingens enim gaudium excutiet omnem animi molestiam: neq; quicquam præterea uota uestra requirant, ubi plus uidebitis exhibitū, quam speraueritis, aut optare sitis ausi. Et tamen postea quā fuero sublatus à uobis in cœlum, nihil est uobis defuturum. Quid enim facilius, quā petere à patre? Quicquid autem ab illo petieritis in meo nomine, dabitur uobis. Quid opus uobis est alijs præsidijs? Pater unus potest omnia, & ille meis amicis, ac meo nomine petentibus nihil negaturus est. Hactenus obstitit uobis præsentia corporis, quo minus petieritis aliquid ab illo dignū meo nomine. Nondum enim toti pendetis à præsidijs cœlestibus, sed ab hoc corpore uelut humano pendetis affectu. Posthac petite sublatis in cœlum animis, ubi scitote me præsentē fore patronū: & quicquid postulaueritis, impetrabitis: ut iam gaudiū uestrum, quod post hunc, in quo nunc estis, mœrorem, ex reddito uobis mei conspectu continget, fiat plenū ac perpetuum. Non enim erunt tunc uices mœroris & gaudiū, ex sublata ac reddita mei copia iuxta corporis infirmitatem, sed freti semper uobis parato cœlesti præsidiō, semper præsentē habentes consolatorem & consultorem spiritū, iūgi conscientiæ gaudio fruemini, in lætis pariter atq; tristibus agentes gratias deo. Hęc interim obscurius ac uelut per ænigma loquutus sum uobis, nondum quid dicā ad plenum intelligentibus. Sic enim obsequendum erat imbecillitati uestræ, ut uos quoq; discatis aliorū imbecillitati gerere morem. Sed ueniet tempus, quū hoc corpore mortali sublato, uobis iam firmioribus, ac mœrore posito, magis amentis loquar de patre meo palām, & absq; parabolarum inuolucris. Nunc enim uobis quod palām etiam dicitur, ob animū imbecillem, & curis occupatū, ueluti parabola est. Tandem & per spiritum meū certo renuntiabo uobis quid uelit pater meus. Non enim decet uos ignaros esse uoluntatis paternæ. Tum quidem tacite loquar, sed certa loquar, sed aperta loquar, si modo uos petieritis. Sed tum hoc quoque suggeret spiritus cœlestis quid petendum sit, aut quomodo petendū in nomine meo. Quod si feceritis, etiam si quid esset arduum ac difficile, tamen pater in gratiam meam petentibus non negaret. Nunc non hoc dico, quasi sic meo interuentu sitis impetraturi, quemadmodum ab homine principe nonnunquam impetrāt homines patrocínio cuiuspiam, qui gratiosus sit apud principem, quod alioqui largiturus nō esset, nisi hoc donaret eius gratiæ, qui postulantis preces cōmendat. Imò pater, tametsi rogari amat per filium, per quem omnia uoluit largiri mortalibus, tamen uolens ac lubens alioqui uotis uestris annuet. Non solum ob amorem quem habet erga filium, uerum etiā quem habet erga uos: nō enim sic amat filium, ut nos non amet, sed quoscunq; amat filius, hos amat & pater. Amat igitur uos, non operum uestrorum gratia, sed ob id, quia me mutuo diligitis: quia creditis quod

*Et in illo die
me nō inter
rogabit
quicquam*

*Hęc in pro
uerbijs loquu
tus sum uobis*

ab ipso profectus sum. Nam hoc est amare patrē, amare filiū: & hoc est credere patri, credere filio. Non credit autē qui negat illū à patre uenisse, qui negat illū ex autoritate patris dicere ac facere omnia. Antequā uenirem in mundum, assumpto quod uidetis mortali corpore, iam eram apud patrem: sed uestra causa ueni in mundum, ut uos in cœlum eueherem. Nunc rursus obitis his, quæ mandarat pater, uestra gratia, iuxta corporis præsentiam relinquo mundum, & ad patrem redeo. Quicquid autem hic geritur, aut geretur, uestræ salutis causa geritur, ac geretur. His uerbis animatiores facti discipuli, non nihil sibi placere cœperunt, quasi suis uiribus sustinere possent imminentem domini sui mortem, respondent hunc in modum: Ecce quod in posterum te faciurū polliceris, hoc iam nunc præstas. Nunc enim absq; parabolarum inuolucro palam eloqueris quid sis faciurus: nec est opus ut te quicquā præterea rogemus. Nihil enim te fugit, & istis dictis animi nostri mœrorē exemisti, nec erit opus alijs sermonibus. Non dubitamus enim, quin quod instat spe gaudijs futuri, simus constantibus animis laturi: Et in hoc deniq; uere credimus, quod à deo profectus sis, quod arcana cordium nostrorum penitus habes perspecta. Porro dominus Iesus: cui mos erat acriter ubiq; coercere, si quid humane arrogantiæ, ambitionis, aut fiduciæ sensisset in animis oboriri discipulorum suorum, quo planè discerent suis diffidere uiribus, quibus nihil poterant, sed toti penderent à præsidjs dei patris: retudit eam arrogantiam, quod quum nondum intelligerēt quid dixisset, quum nondum uere crederent, nondum essent pares instantibus procellis, tamen sibi uindicerent, quod erat precibus postulandum à patre: responditq; hunc in modum: Quid ego audio? Quod ego post polliceor, iam firmioribus mea doctrina & sacri spiritus, afflatus factis, hoc nūc uobis arrogatis ante tempus, quasi uirtutis humane præsidjs possitis omnino quicquam. Imò iam instat tempus, quo declarabitis, quā ex uobis ipsi sitis imbecilles. Non enim solum fortiter non perferetis tempestatem imminentem, sed me deserto solo in manibus satellitum, qui me rapient ad crucis supplicium, alius aliò fugietis: adeo metu perturbatis animis, ut non modo mihi non sitis adhæsurus, sed ne consortio quidem mutuo uobis inuicem auxilio solatioq; futuri, dum sibi quisq; timebit, ne alterius indicio prodatur, aut in periculum ueniat, quanquam mihi quidem uestro præsidio non erit opus. Ab omnibus quidem amicis meis destituar, sed tamen desolatus nō ero: quia nunquam me deseret pater. Hæc ideo loquor uobis, ut uestris diffisi uiribus in me conquiescatis. Mundus magnis tumultibus coorietur in uos, quemadmodum nunc in me cooritur. Sed magno sitis animo, memores, quod ego uici mundum. Ex me sumetis exemplum, à me sperabitis auxilium. Vincetis & uos, sed per me: uestra pte quidem natura imbecilles, sed meo spiritu fortes & inuicti futuri, quum tempus & res postulabit:

CAPUT XVII



VIusmodi sermonibus posteaquā Iesus partim consolatus esset discipulos suos, partim erudisset, & instruxisset aduersus imminentem malorum procellam: quoniam admonuerat fiduciam non esse collocandam in uiribus humanis, sed præsidio cœlesti, uoluit & ipsa re docere suos, ut ingruentibus afflictionibus mundi non aliò spectarēt, quā ad patrem cœlestem, unde totos oporteret pendere, qui cupiūt esse pares tolerandis persecutionibus. Igitur attollens oculos in cœlum, quo nimirum ipso corporis habitu doceret, quò foret intendendus animus, hunc in modū loquutus est: Pater nunc adest tempus mihi semper optatum, glorifica filium tuū apud homines morte, ac resurrectione, ut uicissim filius tuus te glorificet apud uniuersos mortales, & uterq; per alterū innotescat. Sic enim expedit ad humani generis salutē, ut mundus per te cognoscat filiū, ac uicissim per filiū cognoscat patrem. Sic enim tibi uisum est, ut filio traderes potestātē uniuersi generis mortaliū: nec in aliud hanc tradidisti potestātē, nisi ut omnes salui redderentur, & à morte liberati uitam assequantur æternā. Placuit enim tibi quicquid largiris hominibus, per filiū largiri: per cuius mortem donas omnibus, si uelint, uitam æternam. Porro uitæ æternæ fons est, ut utroq; alterū illustrante, per fidem cognoscant utrumq;, uidelicet te, qui solus uerus es deus, non solum Iudæorū, sed omniū orbis nationū, unde proficiscitur quicquid est usquam boni: & eum quem pro salute generis humani misisti in mundum, Iesum Christū, per quem donas quicquid tua bonitas donare uoluit hominibus: ut utriq; nostrum habeant

beant gratiā, tibi uelut auctori summo omnium, mihi qui ex tua uoluntate functionē hanc uolens ac lubens perago. Non enim potest salutem consequi, qui patrem honoret, contempto filio, aut qui filium ueneretur, neglecto patre, cum utriusque sit eadem gloria. Ego hactenus miraculis ac doctrina mea, nomen tuum illustre reddidi in terris: hactenus obsequium quod mihi mandaras, promptus ac paratus ad id quod superest. Non quæsiui gloriam meam, sed tuam, uerum deieci memetipsum ad summā ignominiae humilitatem, ut tui nominis gloriam illustrarem apud homines. Nam tua gloria nunquā in se mutatur, nec eges gloria apud homines, sed illis opus est, ut ipsis innotescas. Et nūc mi pater, tu uicissim effice, ut mundus intelligat me totum receptum in eam gloriā, quam habebam apud te prius quā hic orbis conderetur. Propter corporis imbecillitatem adhuc humiliter de me sentiunt homines, de te uero magnifice sentiunt. Tua gloria sicut ex sese nec initium habet nec finem: ita nec crescere nouit nec decrescere. Nec huius corporis assumpti imbecillitas imminuit gloriā meā, quam semper habui, semper ex te natus: sed abs te conditus est mundus per me, ut essent qui cognoscerēt, mirarentur & amarēt, potentiā, sapientiā, ac bonitatē tuam. Nunc rursus est tempus, ut quod conditū est, tua bonitas restituat per me. Restituetur autem, si cognorit mundus quanta sit tua charitas erga genus humanum, cuius seruandī gratia filium unicū in mortem tradideris: quanta potentia, qui diaboli tyrannidē fregeris: quanta sapientiā, qui tam mirabili consilio mundum abs te alienum ad te conuerteris. Iacta sunt huius rei fundamēta. Effeci ut nomen tuum innotuerit istis, quos afflatu tuo exemptos a mundo, mihi tradidisti. Non enim poterant eximi huic mundo, non poterant inseri mihi, nisi tua gratuita bonitas afflasset illorum animos. Tui erant, quos condidisti: tui erant quos huic negotio destinaras, & eos mihi docendos ac formandos tradidisti. Nec inanis fuit in illis tua benignitas, nec inanis fuit opera mea. Crediderunt doctrinā meā, qua te docui: nec solū crediderunt, sed hucusque perstiterunt in credulitate, obtemperantes meis sermonibus. Nam hoc cognitū ac persuasum habent, quod Iudaei credere noluerunt, quod quicquid docui, quicquid gessi, ex te autore profectū est, tua uirtute gestum est. Nec enim aliud illis tradidi, quā abs te tradendum acceperam, qui quicquid etiam sum, ex te sum: neque quicquā est tuū, quod non idem sit meum. Sermonem igitur meum, quē pharisaei spreuerunt: hi uelut abs te profectum receperūt, cui credentes uere cognouerūt quod abs te profectus sim, abs te missus uenerim in hunc mundū. Hactenus profectū est in eis, quod persuasum habēt me Messiam esse tot seculis expectatū, quem tu ad salutem omnium credentium misisti in mundum. Nunc quoniā eos relinquo, iuxta corporis conuictū, uicissim illos tuā bonitati cōmendando seruandos, ne deficient, sed semper in melius proficiant. Sciunt cui debeant acceptū ferre suā salutem. Sciunt cuius praesidijs niti debeant. Ex te pendent. Ego igitur pro his rogo, quos e mundo subducos, tuos esse uoluisti, ut tua bonitas quod coepit in illis, perpetuum ac proprium esse uelit. Pro mundo nunc non rogo, qui malis cupiditatibus excacatus, pertinaciter reclamationē doctrinā meā, sibi ipsi salutem gratis oblatam inuidens. Pro his rogo, quos mihi seruandos tradideras, quia non sunt huius mundi, sed tui sunt, & aduersus diaboli maliciam non possunt esse tuti, nisi tuo perpetuo praesidio. Tuos igitur tibi pater cōmendo, ut perpetuo tuos esse uelis, quemadmodum ego perpetuo tuus sum. Et ideo mei sunt, quia tui sunt, quod inter nos sit rerum omnium communio. Quicquid enim meum est, idem & tuum est: quicquid tuum est, idem est & meum. Quemadmodum autem tu mea doctrina glorificatus es apud homines, ita ego per horum credulitatem glorificatus sum, qui mihi constanter adhaeserint, pharisaeis & scribis obstinate reclamantibus. Succedent enim hi quodammodo in uices meas, ac me sublato de terris nomen utriusque nostrum celebre reddent per uniuersum orbem. Peregi praedicationis meae munus, in quod isti succedent. Iamque non sum in mundo, quem mox relinquo: ceterum hi mei loco manent adhuc in mundo, sparsuri per uniuersas orbis nationes, quod a me didicerunt. Ego uero relictis illis, ad te uenio, totus. Pater sancte serua eos in praedicatione tui nominis, quos mihi docendos tradidisti, ut ea doceant, quae tu me docere uoluisti, quare ego per omnia uoluntati obtemperans tuae docui: ut quemadmodum ego a tuis praescriptis nusquam discessi, sed per omnia consentientem me praebui uoluntati tuae: ita & horum doctrina, horum uita, nusquam a mea dissentiat. Sic enim uere

*Cum essem cum
eis in mundo*

*Nunc autem
ad te venio*

*Ego dedi eis
sermonem tuum*

*Non rogo ut
tollas*

*De mundo
non sunt*

glorificabitur nomen nostrum per illos, si quemadmodum nos inter nos confitentur, uterque alterum glorificauimus: ita & hi nusquam à nobis dissentientes, illustre reddant nomen nostrum in toto terrarum orbe. Quicquid enim illi docuerint, quicquid fecerint, quoniam intelligetur à nobis esse profectum, ad nostri nominis gloriam referetur. Quamdiu cum illis egi secundum corporis consuetudinem, etiam corporalibus officiis studui illos seruare ueluti tuos, & abs te mihi concreditos, & haecenus continui illos in foedere nostro. Quotquot mihi tradidisti, hos traditos bona fide custodiui: neque quisquam ex hoc contubernio periit, praeter unum: qui licet mecum uiveret, meus tamen non erat, sed perditioni natus erat, quia ipse sibi suo pte uitio uolens accersiu. Nam à me nihil est praeteritum, quod illum ad mentem meliorem reuocare debuerit. Ne id quidem fortuito obtingit, sed hoc fore iam olim scriptura diuina praedixerat, ut amicus & domesticus conuictor, pecunia redemptus, proderet in mortem dominum, ac magistrum suum. Verum tuo sancto consilio fit, ut huius quoque perniciēs proficiat ad publicam orbis salutem, dum per hunc procuratur id, sine quo salus non poterat contingere: dumque paratur exemplum, quod admoneat unumquemque in eo persistere quod coepit, ne quod gratuita dei bonitate collatum est ad consequendam aeternam salutem, ipse sibi sua culpa uertat in exitium aeternum. Verum ut haecenus haec aeterno tuo consilio peracta sunt, sicuti uoluisti, ita perfunctus his quae mandasti, relinquo mundum, & ad te uenio. Sed interim abiturus, haec loquor apud te: non quod dubitem de uoluntate tua, sed ut hac oratione consoler & confirmem meos, ut intelligant se tibi fore eurae, postea quam mei corporis fuerint orbati conspectu, ponantque mororem, quod intelligat me reuicturum: mox gaudeant, ubi me conspexerint rediitum: demum ubi uiderint sublatum in caelum, & acceperint spiritum illum coelestem, tui simul ac mei uicarium, concipiant gaudium non temporarium, quod e corporis redditi nascatur aspectu, sed perpetuum ac perfectum, quod illis semper suggerat spiritus noster, inhabitans eorum pectora, ut iam non aliunde pendeant, quam à fiducia nostri rectique conscientia. Graues persecutionum tempestates excitabit in illos mundus, propterea quod mea doctrina non conuenit cum huius mundi cupiditatibus. Siquidem homines inhiant rebus terrenis & caducis, ego doceo coelestia. Hanc doctrinam abs te mihi traditam, tradidi illis, quam aspernante mundo, hi pauci amplexi sunt, & ob hoc mundus hos, uelut sui desertores, & ad nos transfugas, odio prosequitur, non ob aliud, nisi quod nobis adharent, mundo renunciantes. Habet hic mundus suas illecebras ad tempus blandientes: habet sua terribilia meta minasque, quibus fortem etiam animum frangit. His tuetur suam factionem, & nostram impugnat. Aequum est igitur, ac nostrae benignitatis, ut qui à mundi partibus descuerunt ad nos, sequi totos nobis crediderunt, totique pendent à nobis, curae sint tibi, quo mundus intelligat, tutiores esse qui se nostris tradunt praesidijs, quam qui nituntur auxilijs mundi. Simplex illorum erga nos fiducia, meretur coelestem fauorem: & odium in eos mundi nostra causa exortum, prouocat nostram erga illos beneuolentiam. Non enim ideo sunt inuisi mundo, quod fures sint, aut homicidae, aut raptores, aut impostores, sed quod immunes sint à uitijs huius mundi, ab ambitione, auaritia, liuore, fraudulentiaque phariseorum, ab idololatria, à turpitudine, ceterisque uitijs, quibus passim laborat mundus. Denique ideo odit eos mundus, quod sprete doctrina pharisaica, sprete stulta philosophia mundi, simplici credulitate pareant meis decretis, quemadmodum me quoque mundus odit, quod tuae uoluntati paruerim. Nec me solum odit mundus, sed nomen quoque meum, ac memoriam oderit: mea quoque causa prosequetur odio, quicunque contemptis humanis dogmatis, sequetur simplicem ac puram doctrinam Euangelicam, propterea quod longe diffinit à cupiditatibus eorum, qui totis studijs amplectuntur ea, quae sunt huius mundi. Nunc ego perfunctus meo munere, seiungor à mundi consortio: sic enim expedit. Nolim autem adhuc illos esse mihi comites, nondum est tempus, ut & hi sustollantur e mundo, donec & ipsi perfuncti fuerint sibi delegando munere. Hoc tantum rogo, ne uiuentes in mundo, mundi uitijs contaminentur, & à nobis desciscantes, reuoluantur in mundi factionem. Id enim sine tuo praesidio uitare non poterunt, tot insultibus impetiti. Mihi adharent, mei palmites sunt, mea membra sunt. Ita fit, ut quemadmodum ego sum alienus à mundo, quoniam adhareo tibi, ita & hi sint à mundo alieni, quoniam adharent mihi. Quemadmodum ego me purum

me potum seruari ab inquinamentis mundi, ita tu hos puros serua ab omni mundi contagio. Id fiet, si tuo præsidio perseverauerint in ueritate. Mundi sapientia plurimum habet falsitatis admixtum. Mosaica lex rerum umbris est inuoluta, sed tuus sermo, quem ego docui, pura ueritas est, non habet fucos, non habet umbrarum fumos. Hanc ego pure syncereq; tradidi, ut iam non sit opus tot interpretamentis, tot constitutionibus phariseorum, tot elaboratis philosophorum sophismatis. Sola doctrina mea simplex, & omnibus obuia, si modo accesserit credulitas, sufficiet ad æternam felicitatem. Quem admodum ego tuus Apostolus bona fide gessi tuum negocium, abs te missus in mundum, nulla ex parte corruptus ex mundi contagio, sed mundum potius ad meam attrahens puritatem: ita & hos mei uice mitto in mundum, ut quod a me acceperunt, pure syncereq; doceant: non studentes quæstui gloriæ uel suæ, sed uoluntati tuæ, quo per horum testimonium plurimi pertrahantur ad nos, & a mundo separentur, qui totus in uitijs est. Huius rei gratia memetipsum uictimam immolo tibi, ut & hi purgati a peccatis, puri perseverent in prædicatione ueritatis Euangelicæ. Non enim potest pure prædicare doctrinam meam mundo, qui mundanis affectibus fuerit obnoxius. Nec pro his tantum rogo, qui pauci sunt, sed pro omnibus, qui per meam doctrinam ab his prædicatam, mundo renunciaturi sunt, & in me fiduciam omnem collocaturi. Sic enim fiet, ut quemadmodum tuis inhærens sermonibus, abs te non diuellor: quemadmodum hi meis præceptis inhærentes, a me non diuellentur, sed ueluti palmites uiuent in nobis, ueluti membra nostra animabuntur spiritu: ita & cæteri, qui horum dictis inhæserint, quæ ex me accepta mundo tradent, mihi insiti, per me tibi iungantur, ut totum corpus sibi conexum cohæreat, te radice, me stirpe, spiritu sparso per omnia membra, his & qui per hos credituri sunt palmitibus, per uniuersum orbem longe lateq; diffusis. Ego nihil possum sine te, hi nihil poterunt sine me. Quod abs te accepi, hoc in illos transfundo per spiritum omnibus communem, ut quemadmodum tu uim tuam exeris in me, & ego tibi indiuisus inhæreo, ita & nos uim nostram exeramus in his, nobis indiuisse adhærentibus: ut mundus horum concordia doctrina, horum miraculis, horum castis moribus commotus, credat me profectum abs te, & quicquid per te gessi, redeat in gloriam tui nominis: intelligat mundus & in his esse spiritum nostrum, miraculis, alijsq; uarijs argumentis exerentem uim suam. Quemadmodum enim gloriam, quam mihi apud homines ædita miracula peperere, non mihi uindicaui, sed tibi pater transcripsi, quæ autorem semper professus sum: ita gloriā, quam isti magnificis gestis sibi parabunt in posterum, quoniam suo nomine nihil agent, sed omnia referent ad nostri nominis gloriam, tota nostra erit. Itaq; mundus intelliget, talem esse concordiam inter illos & me, qualis est inter me & te. Ego per spiritum meum agam in illis, quemadmodum tu in me ueritatem tuam exeruisti: ita fiet, ut ipsi quoque uelut unius corporis membra, uni adhærentia capiti & eodem uegetata spiritu, mutua concordia inter sese cohæreant, ut undique sit absoluta perfectaq; concordia, in cælis & in terris. Abrogat doctrinæ fidem, opinionum dissensio. Si concordēs docebunt idem, quod ego docui, si uita respondebit doctrinæ, nimirum mundus intelliget, non esse doctrinam humanam, sed profectam a me, quem tu in mundum misisti. Intelliget & illos tibi charos esse, uoluntati tuæ obtemperantes, quemadmodum ego tibi charus sum, nusquam deflectens ab animo tuo. Pater, cupio ut quemadmodum hi quos ex mundo sublato tradidisti mihi, futuri sunt imitatores afflictionū & crucis meæ, ita sint & gloriæ consortes: ut quemadmodum spectatores fuerunt humilitatis meæ, ac testes erunt supplicij mei, ita sint & gloriæ spectatores, quam mihi his malis defuncto daturus es: ut & ipsi discant per afflictiones tendere ad æterna gaudia, per ignominiam ad immortalem gloriam proficisci. Non enim est noua gloria, quam mihi daturus es, nec est noua charitas, qua me diligis, sed ideo profers apud homines argumenta tuæ erga me dilectionis, ut qui mei uolunt esse, simili uia ambiant amorem tuum, similibus factis ad cœlestem gloriā enitantur. Dilecti tibi sunt ante mundum conditum, quos tuo amore, quos tua gloria dignaturus es. Pater iuste, a me nihil est præteritū, quominus innotesceres omnibus: sed mundus magna ex parte suis uitijs obcæcatus, noluit te agnoscere, quia mihi te docenti noluit credere. Ego uero purus a mūdo te noui, & cognitum prædicaui. Nec omnino frustra fuit mea prædicatio. Per me cognouerunt te hi,

*Pater quos
dedisti mihi*

quos in hoc delegeras, quod abs te profectus sim, tametsi pharisei clamant me profectum à Beelzebub dæmoniorū principe. Sed ut tua bonitas me miserat seruandis, si quæ fieri potuisset, omnibus: ita tua iustitia non patietur ob quorundam incredulitatem frustrari uota credentium. Docti, potentes, religionis proceres, tuam doctrinā spreuerunt, sed hi rudes, humiles, indocti, per me receperunt notitiam tui nominis, efficiamq; ut magis ac magis eis innotescat: ut summa charitate, qua me complexus es, complectaris & illos: atq; illi uicissim plenius edocti per spiritum meum, & nos redament, & seinuicem mutua beneuolentia foveant ac tueantur. Sic enim erunt inuicti aduersus omnes huius mundi tumultus.

CAPUT XVIII

Huiusmodi sermone posteaquā Dominus Iesus confirmasset, erexitq; suorum animos, & gregem suum suo patri cōmendasset, quo planè declararet discipulis suis, se uolentē ac lubentem pati quæ pateretur, ultro proficiscitur obuiam ihs, à quibus erat capiendus. Nox enim erat intempesta, & nisi noto loco deprehensus, capi nō poterat. Ab eo igitur loco, quo hæc loquebatur discipulis, egressus est: & transmissō torrente, cui nomen apud Hebræos ex re Cedron, contulit sese, comitantibus se discipulis, in ortum, non ignorans Iudam eō uenturum cum armata cohorte satellitum: quoniam Iudas, qui prodebat illum, non ignorabat quod dominus Iesus frequenter multa nocte eō se solitus sit subducere orandi gratia cum discipulis suis. Nox enim in hoc captata est, ne quis tumultus oriretur à populo, & armata manus adhibita est, ne Iesu comites obliteret, quo minus caperetur. Iudas enim ex discipulo Iesu factus proditor, & ex comite redemptoris factus latronum dux, cum cohorte quam acceperat à pontificibus & pharisæis, quibus pactus erat se traditurum ipsi in manus Iesum, uenit in ortum, ubi cum discipulis ingressus orabat dominus. Adducebant autem secum faces ac laternas, quo posset in tenebris agnoscī, nō sine gladiis ac fustibus aduersus discipulorū uim, si quis fortē conatus fuisset defendere dominum suum. Iesus autem, quem nihil fugiebat eorū quæ gerebantur, ut planè doceret se & præsciū & uolentem pati quæ patiebatur, non expectato illorum aduentu, processit illis aduenientibus obuiā, ultro percontans, quem quærent: ne per errorem manus iniicerent in aliquem discipulorum. Quumq; respondissent, se Iesum Nazarenū quærere, respondit intrepida uoce: Ego sum ille quem quæritis. Aderat autem simul & Iudas Iscariotes unā cum cohorte, qui paulo ante perfidi osculi symbolo prodiderat Iesum, quum hæc loqueretur dominus, nec prodens interim à quo prodebat, nec uerbis sauiens in conductitiam militū cohortem, ut ad extremū usq; mansuetudinis exemplum præberet suis discipulis. Ad hanc autē Iesu uocem: Ego sum: territa cohors, repulsa est in tergum, & concidit in terram, non ferens dominicæ uocis uim. Vbi recepissent animos, ac rursum pararent adoriri Iesum, iterū percontatus est eos dominus, quem quæreret. Quum respondissent, quemadmodum modo responderant, se Iesum Nazarenum quærere, rursum intrepida uoce respondit: Iam dixi uobis, me esse illum quem quæritis. Quod si me quæritis, in me unum uobis facio potestatem, hos sinite abire, in quos uobis per me ius non est in præsentia. Hoc ideo fecit Iesus, ut clarissimo argumēto declararet, nulla uicā capi potuisse, nisi se capi permisisset, posteaquā semel sola uoce perditā & armatam militum manum unā cum impudenti proditore submouisset, atque in terram prostrauisset. Porro quemadmodum sui capiendi fecit potestatem, ita non idem ius permisit in discipulos: quia prædixerat eam tempestatem id temporis in suū unius caput sauiturā, reliquos dericiendos quidē, sed incolumes futuros, donec eos reuiseret: interim & boni pastoris imaginem præbēs, qui sui gregis incolumitatem suæ uitæ dispendio redemit. Simon itaq; Petrus, qui peculiari quodam amore domini sui flagrabat, quoniā magnifica quædam de se fuerat pollicitus, quod suæ uitæ dispendio redempturus esset uitam domini, quum uideret armatam cohortem iniicere manus in Iesum, oblitus eorum quæ dixerat illi dominus, subito calore percitus eduxit gladium, nec expectato domini iussu percussit seruum pontificis, cui nomen erat Malchus: sed iclus frustratus, tantū arculum abscidit illius dextram, domino nimirum Petri manum moderante, ut leue uulnus esset. Cuius damnū tamen mox sua lenitate restituit. Passus est autem dominus futurū ecclesiæ suæ principem in hunc errorem pio quidē affectu cadere, quo certius & efficacius in posterum

in posterum eximeret omnem ulciscendi libidinē, ac ius armorū in totum excuteret, post eāquā & illum obiurgasset, qui nōdum accepto interdīcio, pium dominum pio affectu aduersus impios tueri pararet. Iesus itaq; uim quidem militum diuina uirtute cohibuit à Petro, sed interim discipulum iam ad reliquum pugnae flagrantem obiurgat dicens: Quid agis Petre? Excidit ne tibi, quod pridem quum me dehortareris à morte, audieris satanas, & à tergo sequi iussus sis? Quorsum expromitur gladius? An ut mortē meam impedias, quam uolens & ex autoritate patris subeo? Crucem meam imitari te decet, non depellere. Reconde igitur ensē tuum in uaginam. Res Euangelica non agitur eiusmodi praesidijs. Si uis in meas uices succedere, non alio gladio pugnandum erit tibi, quā Euangelici sermonis, qui uitia amputat, homines seruat. An non bibam hoc mortis poculū, quod mihi pater tradidit ebibendum? Quomodo fiet ut unum simus omnes, quemadmodum ante rogauī patrem, nisi, quēadmodū ego ad mortem usq; pareo uoluntati paternae, ita & uos obtemperetis praeceptis meis? Hoc sermone coercitis à pugna discipulis, cohors militum, & horū tribunus, unā cū ministris, quos addiderant pontifices & pharisaei, impias manus iniecerunt in Iesum, ac facinoroso forū in morem ligatum, adducunt primū ad Annam pontificem, Caiphae socerum, hinc ad ipsum Caiphā missus est. Caiphas autē erat summus illius anni pontifex. Ergo ab aedibus Annae duxerunt Iesum ad Caiphā, de quo prius dictum est, quod reliquis ambigentibus quid esset faciendū de Iesu, propter munus quod gerebat, prophetico spiritu afflatus, suaserat eum omnino tollendum ē medio, quod sic expediret in cōmune, ut unius hominis morte, totius populi salus redimeretur. Ad huius igitur socerum primū deductus est Iesus, ut illius oculos optato spectaculo pascere, atq; in huius aedibus examinaret, si quam criminis speciē in eo possint reperire. Quāq; enim animos haberent parricidales, tamen ob metum populi & praesidis, studebāt iusticiae speciem aliquam praetextere. Sed impiam hominum astutiam diuina prudentia uertit in filij sui gloriā. Dum enim sic capitur, sic ducitur ab Anna ad Caiphā, à Caipha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, ab Herode rursus ad Pilatū: dum à multis examinatur, ac multis nominibus accusatur, omnes innocentiae suae testes fecit, ac professores, etiā inimicos. Nul- lum autē certius innocentiae testimoniū, quā quod ab inimico ueritas extorquet. Quā uero nō dederunt aequitatis pontificiae specimen? Proditionem innoxij pecunia redemerunt, per conductam armatorum manum inermem ceperunt, nō reluctantem, sed tantum addito specimine uirtutis suae, si uoluisset uti: sponte se praebentem alligarunt, ducunt non ad iudicem, sed ad hostem, ueluti praedam ostentantes: atque ibi demum crimen obijciendum quaeritur, quum prophanarum etiā legum aequitas nemini manum iniiciat, nisi prius criminis inuidia uehemens grauet aliquē. Huc igitur nempe ad Caiphā quum duceretur Iesus, Simon Petrus, quāq; à pugna prohibitus, tamen adhuc non nihil fidens uirtuti suae, sequebatur Iesum unā cum alio quodā discipulo, qui paulo ante super coenam accubuerat in pectus Iesu. Is quoniā erat notus pontifici, fretus hac noticia, ausus est ingredi ad atrium usq; cum Iesu. Petrus quoniā ignotus erat, non ausus est intrō consequi, sed restitit foris ad ostiū, multum interim degenerans ab illa fortissima uoce: Ego animā meam pono pro te, & tamē adhuc aliquid restabat animi masculi. Nam amoris erat, quod ausus est ad ostium usq; sequi, quum ceteri alius alio se proripuissent. Ceterū quod non est ausus introire, formidinis erat, ac mox sequuturae negationis praesidium. Sed alter ille discipulus, uidens Petrum non consequi, admonuit ancillam ostiariam, ut eum qui stare ante ostium, introduceret. Quod quum esset factum, mulier intuens Petrum, & quasi per somnum noscicans, quod aliquando uidisset eum in comitatu Iesu, praesertim quum ab eo iussus esset introduci quem sciebat esse discipulū: Num tu quoq;, inquit, discipulus es istius hominis, qui modo captus adducebatur? Ad hanc uilis mulierculae uocē, quae tamen nihil feruum aut formidabile praese ferebat, quum Petrum conferret cum eo quem non im- petabat, quum sciret esse Iesu discipulū, & ita Iesum nominaret hominē, quasi miseretur illius potius, quā indignaretur: subito oblitus omnium, quae tot uerbis inculcarat Iesus, oblitus tam magnificae pollicitationis, negauit se esse discipulum Iesu. Haec nimirum est prima professio uolentium principum aulis sese addicere, abnegare Christum, hoc est, ueritatē. Sic ingressus Petrus, miscuit se ministris ac seruis pontificis, qui stabant ad prunas & ob frigus intempestae noctis calefaciebant se, simulq; cum illis se calefaciebat, sperans se ita

posse latere: expectans interim quem exitum esset habiturū, quod agebatur de Iesu. Non dum enim omnem spem defugiendæ mortis abiecerat: quanquam ita metu percussus, ut nec illud ei ueniret in mētem, quod dominus modo prædixerat futurum, ut fortis ille pollicitator abiuraret dominum suum. Caiphas igitur pontifex, quo speciem aliquam legitimi iudicii præberet, sed reuera hoc agens, ut ex uarijs Iesu responsis aliquid exciperet, quod illi criminis uice posset impingi, multa percontatus est Iesum de discipulis suis, quales essent, unde esset eos nactus, & in quem usum eos colligeret, et quid illos docuisset clanculum. Iesus autem intelligens eum non æqui iudicis animo percontari, quo uerū cognosceret, sed fraudulenter uenari quod criminaretur, & in discipulos interim ansam captando, quos Iesus uolebat adhuc esse in tuto, nihil respondit ad pontificis insidiosas interrogationes: sed à suo suorumq; testimonio relegat eum ad testimoniū publicum, & testimonium etiam inimicorū, quo nullum potest esse certius innocenti. Quur, inquit, me rogas, quid in occulto docuerim meos? Mea doctrina non fuit seditiosa, neq; clancularia. Ego palam loquutus sum mundo. Ego semper quod docui, docui in synagogis uestris, docui in templo diebus festis, loco & tempore celeberrimo, quò ex omnibus Syriæ partibus undiq; Iudæi conueniunt: nihil aut in occulto loquutus sum, quod idem non palam docere sim ausus. Toties audiit me populus, toties pharisæi. Quid nūc me tanquā de furtiua clanculariaq; doctrina percontaris? Quin illos interrogas, qui me publice docentē audierunt? Illorum erit certius testimoniū, qui mihi nulla familiaritate iuncti sunt, pleriq; etiam odierunt. Referant illi uel inimici, quid docuerim. Sciunt enim plurimi, nec difficile erit inuenire testes doctrinæ meæ. Hæc quum dixisset Iesus, docens interim, pro ueritate nonnumquam fortiter quidē, sed absq; conuicio respondendum esse: quidam ē ministris pōtificis, qui fortē proximus astabat, nō dissimilis suo domino, uolens tueri dignitatē sui pontificis aduersus libertatem Iesu: quemadmodū Petrus uolebat tueri sui præceptoris incolumitatem aduersus uim militum, non expectato iussu sui domini impingit alapam in faciem Iesu, conuiciū addens, & pōtifice, & se famulo dignum: Siccine tu respondes pontifici? Porterat dominus Iesus & hunc impium pontificē perdere, & hunc impaciōrē alapæ cohibere, nisi uoluisset suis exemplū exhibere, q̄ sint præpostera, quā peruersa mundi iudicia. Horum enim spectator assidebat Petrus, qui tiliis ancillæ uocem ferre non poterat, quum dominus à famulo caderetur. Porro dominus Iesus qui mansuetissime se gessit aduersus omnes iniurias, nusquam seuerior q̄ in eos, qui titulo speciei religionis oppugnarent ueram religionem, nō tulit tacitus alapam, qui crucem tacitus pertulit. Præsidebat pontifex, examinabatur uinctus Iesus: iudicii species erat. Et apud ethnicū iudicē auditur uicissim, & interrogatur reus: apud pontificē pro responso dabatur alapa, & dabatur ei, qui iudex futurus est uiuorū & mortuorū. Respōdit itaq; Iesus libere quidē, sed mansuetissime: Loquor apud iudicem, ei respondeo rogatus. Hic rationibus agitur etiā apud ethnicos, non alapis. Si quid male dixi, doce: sin nihil male loquutus sum, cur tu iudicis minister, in iudicio, tacente iudice, nihil refellens me uerberas? Hæc agebantur in ædibus Caiphæ pontificis, ad quem ut dixerā, Annas ipsius socer miserat uinctū Iesum. Sed interea dum hæc aguntur procul spectante Petro, qui, ut dicere cœperā, stabat admixtus turbæ ministrorū, & ad prunas calefaciebat se: erant inter hos, qui ex notis Petrum utcunq; noscitantē, dicerent illi: Num & tu ex huius discipulis es, qui sic tractatur à pontifice? Petrus conspectio tam immani spectaculo, magis etiam exterritus, rursus negauit se discipulū Iesu. Iam enim sensit illos ex pontificis interrogatione, de discipulis etiam cōprehendendis cogitare. Hæc negatione Petrus arbitrabatur se futurum à periculo liberū, quēadmodū sese explicauerat ab ostiaria. Sed quo magis agnosceret, quam nihil posset ex suapte uirtute, separatus à consortio domini sui, stabat in reliqua ministrorū turba quidā sanguinis propinquitate cōiunctus illi, qui paulo ante in horto quum cæteris audacior primus tentaret inijcere manus in Iesum, percussus erat à Petro, & auriculæ dāno mulcatus: hic diuino consilio subornatus est, ut ulcisceretur cognati sui iniuriam, sed re uera Petri temerariam infiduciam corrigeret. Non contentus enim unica Petri negatione, quoniam pugna, quāquam in tenebris acta, fecerat eum insignem: Quid, inquit, negas esse te de numero discipulorum istius? An non te modo uidi his oculis in horto cum Iesu? Adhanc nocem percutus exanimatus Petrus, deuouit se ipsum, si nosset hominē. Et ilico cecinit gallus. Nec hōs

signo

signo, quod dominus illi prædixerat, Petrus ad se rediit, nec rediturus erat, nisi dominus efficaci contuitu suo reddidisset illum sibi, tacitoque afflatu prouocasset poenitentiae lachrymas. Tot modis erat docendus ille, totius ecclesiae futurus princeps, ut in omnibus sibi diffideret, & ex unius domini sui praesidio pederet. Quum igitur & apud Caipham totam noctem examinatus esset usque ad diluculum, nec quicquam in eo repertum esset sceleris, ob quod capitis accersi posset, ab aedibus Caiphæ pontificis ducunt Iesum ad Pilatum praesidem, ut innoxij sanguinis inuidiam in eum deriuarent. Ac Iesus quidem, ut erat uinctus, per cohortem conductam deductus est in praetorium praesidis. Cæterum ipsi Iudæi non ingressi sunt praetorium, ne contaminarentur, propterea quod comedendus esset illis agnus paschalis, ad cuius esum puri uolebant accedere, peruersa nimirum religione, qui se crederent praesidis, quia Iudæus non erat, innoxia domo profanari, quum ipsi tot artibus molirentur necem homini nihil committere, imò tot modis bene merito. Pilatus igitur ubi uidit nouam iudicij formam, captum et uinctum ante quam esset auditus à iudice, armatam hominum manum, prodijt foras, ipse contaminandus eorum alloquio, qui sibi iam uidebantur puri. Prodijt autem, ut si fieri posset, placata Iudeorum uersania liberaret innoxium: Mittitis, inquit, hunc ad me capite plectendum. Atqui non est moris Romani, quenquam afficere supplicio, nisi conuictum de crimine capitali. Quod igitur crimen huic intenditis? Responderunt Iudæi: Sit tibi satis pontificum & phariseorum autoritas. Si non esset iste maleficus, quæ nostra est religio, non tradidissemus eum in manus tuas. Pilatus suspicans id quod res erat, esse aliquid priuati odij propter legis superstitionem: Si quid est, inquit, quod ad meum tribunal non pertineat, ueluti si uiolatum sabbatum, si gustatæ carnes suillæ, si quid liberius dictum in Moysen, prophetas, templum aut deum uestrum: aut si quid huiusmodi commissum est, quod uestra lex puniri iussit, quum non sit alioqui Romanis legibus uetitum, ipsi tollite ad uos hominem, & iuxta legem uestram iudicate illum. Ego Cæsaris nomine praesidem ago. Si quid aduersus huius leges commissum est, quod capitali supplicio dignum sit, adferte, et legitime conuictum afficiam supplicio. Cæterum uestræ legis quaestionibus me non admisceo. Iudæi uero tamen quouis modo cupiebant extinctum Iesum, tamen metu prætexunt religionem, ne mox darent poenas iudici, quod innoxium & indemnatum occidissent: simulque nouum supplicij genus affectabant in illo, quod tum apud Iudæos erat omnium probrosum: Nobis, inquiunt, non est fas interficere quenquam. Ista dicebat impudens natio, quæ tot prophetas occiderat, sibi blandiens, quasi esset ab homicidio immunis, quum innocentem tot modis adigerent ad necem, aut quasi solus carnifex homicida sit, qui suis manibus suffigit in crucem. Animum habebant homicidam, linguas habebant homicidas: conduxerant proditorē, conduxerant cohortem, conduxerant falsos testes, confinxerant falsa crimina: urgent ac terrent iudicem, & sibi uidentur ab homicidio puri, dignique qui uescantur agno paschali: non ob aliud, nisi quod ab ingressu praetorii sese continuissent. Hæc autem facta sunt, ut perspicuum esset, nihil sceleratius peruersa religione, simulque fieret, quod Iesus futurum prædixerat, per ænigma significans, qua morte foret moriturus, quum diceret: Quum exaltatus fuero à terra, omnia pertraham ad me: ut omnino intelligeremus, non solum mortem illi constitutam fuisse, sed delectum etiam mortis genus. Pilatus igitur posteaquam auditis Iudæorum uocibus intellexisset, inter cætera nescio quid obijci Iesu de regno affectato, nec in Iesu specie quicquam apparet, quod huic crimini faceret fidem, rursus ingressus est praetorium, foris relicta turba: & accersito priuatim ad se Iesu, ut absque tumultu ex homine, quod ex uultu quoque liquebat, probo & prudenter, quid esset expiscaretur, dixit: Tu ne es ille rex Iudæorum, quem dicuntur expectare? Hoc unum diligenter exquirat Pilatus, quod cætera non pertinerent ad rem publicam, cæterum hoc crimen uideretur & ad Cæsaris maiestatem, & ad publicam tranquillitatem pertinere. Exquirat autem non quod credat, sed ut ex reo suppeditaretur, quo referret Iudæos. Iesus autem tamen non ignoraret hoc esse falso delatum à Iudæis, quod in Cæsaris contumeliā affectaret regnum: tamen ut Iudæorum maliciā detegeret, & Pilati subleuaret æquitatē, longe meliorem pontificibus & phariseis, tamen profanus esset, & Iudaicæ religionis contempitor, respondit: Vtrum hoc ex te coniecias, quod regni sum affectator, an Iudæi hoc nomine me detulerunt tibi? Pilatus & suam aperiens innocentiam, & Iudæorum maliciam: Nequaquam, inquit, hoc ex me coniecio, neque quicquam in te uideo congruens isti

isti crimini. Iudæorum est ista de uenturo rege fabula. An me putas esse Iudæum? Gena tua calumniatrix, & tui pontifices tradiderunt te mihi, modis omnibus agentes, ut occideris. Sed quoniam nō est Romani moris indemnatum occidere, si falsum est affectati regni crimen, quid igitur commisisti? Hæc quoniam Pilatus simpliciter sciscitabatur, ut liberaret innocentem: Iesus illi per ænigma dignatus est respondere, docens aliud regni genus esse, de quo propheta fuissent loquuti, longe sublimius hoc regno mundano, quod humanis legibus, humanis præsijs cōstaret, quod nihil posset nisi in corpora: sed esse regnum cœleste, quod mundi regnū non affectaret, sed contemneret: non læderet, sed proueheret in melius: Regnum, inquit, meum nō est huius generis, cuius est regnum Cæsareum. Hoc terrenum est, meum uero cœleste. Nihil igitur affecto, quod affectatum lædere possit Cæsaris maiestatem. Si meum regnum esset huius mundi, non hæc in me mundus impune faceret, nimirum haberem & ipse more ceterorum regum armatum satellitium: haberem laterones ac stipatores: haberē instructas copias: hæc præsidia decertarent armis pro me, ne Iudæis hoc quod moliuntur in me impune liceret. Nunc paucos habeo discipulos, & eos imbelles ac tenues, ipse inermis & imbellis, uidelicet alijs nitēs præsijs, eo quod meum regnū non sit terrenum. Hoc ænigma quum Pilatus homo profanus non satis intelligeret, audisset tamen Iesum non prorsus abnuere regis nomen, sed regni genus distinguere, dixit: Ergone uerū est, te regē esse alcubī, quodcūq; sit istud regni genus, quod ad nos non pertineat? Hic Iesus serio rogatus à Iudice, an aliquo modo rex esset: quod uerum est, modeste professus est: Tu, inquit, dicis me regem esse. Totidem enim uerbis, mutata pronuntiatione, cōfirmat quisquis interrogat. Non enim est meum inficiari quod uerum est, præsertim quum in hoc natus sim, & ideo uenerim in mundum: non ut fallam mendacio, sed ut testificer ueritatē. Cuius simplex est animus, nec huius mundi cupiditatibus obcæcatus, agnoscit & audit uocem meam. Pilatus autē nec hæc quæ dicebantur intelligens, nisi quod arbitrabatur, rem ad suam cognitionē non pertinere: nec tamen daretur idonea responsio à Christo, qua Iudæos uel placaret, uel abigeret: quum interrogasset, quid esset ueritas illa de qua loqueretur: & cuius testandæ gratia uenisset in mundum, non expectato responso rei, rursum prōdit foras ad Iudæos. Quid multis opus est, inquit, examinaui hominem, nec ullum inuenio crimen in homine, capitis supplicio dignum. Nec ideo præstidem hic ago nomine Cæsaris, ut innoxij mea sententia condemnentur. Cæterum etiam si noxius sit uobis, quod ego non comperio, tamen æquum est, ut si uelut innocenti nolitis parcere, tamen ob diei festi religionem, ueluti nocenti uitam condonetis. Est autē hic mos apud uos, ut in hoc festo paschæ, quod à uobis omnīū sanctissime colitur, unum aliquem e nocentibus condonem uobis flagitantibus. Vestrum igitur erit unum e duobus eligere, Barrabam nobilem latronem, & publicæ tranquillitatis conturbatorem, aut hunc Iesum, hominem meo iudicio innoxium, quem quidam dicunt esse regem Iudæorum. Præstat enim, ut hic etiam si quid admisit, sentiat uestræ solennitatis gratiam. Vultis ne igitur, ut hunc uobis condonem? Non enim expectabat præses tantam Iudæorum uesaniā, ut palam facinorosum, notæq; audaciæ latronem Iesu mansuetissimo & innocenti præferrent. At Iudæi magno uocum consensu clamarunt omnes: Non istum uolumus nobis donari, sed Barrabam.

CAP. XIX.

Pæses, ubi tentatis omnibus (nam Iesum & ad Herodem per occasionem ablegarat, nullum non mouens lapidem, ut uel à reo semet explicaret, uel absolueret innocentem) perspiceret sese nihil proficere apud furentem Iudæorum populum, quo uel sic mitigaret illorum uesaniā & innocentem morti subduceret, iuxta morem Romanum iussit Iesum uirgis cædi. Porro milites qui aderant in atrio, quorum plerosq; Iudæi ad sæuitiæ ministeriū conduxerant, de suo ingenio multam crudelitātē adiecerunt solenni supplicio. Nam casio ludibrij causa induxerūt chlamydem purpuream, & coronam e spinis contortam imposuerūt illius capiti, tradita in manū scripti uice arundine: mox uelut regnum affectatum exprobrātes homini humili & contempto, ueniebant ad eum & flexis genibus, dicebant: Aue rex Iudæorū. Quin & faciē illius conspuebant, & impingebāt alapas, ad omne ludibrij genus sese māsuētissime præbente rerū omnīū domino, quo nos, qui cū nihil simus, tamen animos excelsos ac præferoces getimus, doceret lenitatem, & in malis tolerantia. Hæc autem passus est Pilatus fieri in Iesum, ut Iudæo

ut Iudæorum odium hac hominis afflictione placaret. Solet enim populi furor, si fuerit ali-
 quousq; debacchatus in eum in quē fertur, subito cōquiescere: præsertim si ludibrium ad-
 ditum calamitati pro inuidioso reddat miserabilem eum, qui passus est. Præses itaq; rursus
 prodijt foras, tentaturus, an posset multitudinis fæuitiam mitigare: Ecce, inquit, adduco
 vobis hominem foras, ut eius spectaculo satietis oculos uestros, & intelligatis quomodo
 tractatus sit in uestram gratiam, quum ego nullum crimen inueniam in eo. Prodiit itaque
 Iesus iussu Pilati, sicut erat ornatus, uinctus, cæsus, consputus, gestans spineam coronam,
 & uestem purpureā, & exhibens eū Pilatus, ait: Ecce homo adest. Sed hoc spectaculo, quod
 quātūvis barbarorū feritas poterat mitescere: non solum nō sunt mitigati Iudæorū animi,
 sed magis etiā accensi sunt, ut quod hæcenus successisset, perficerent. Metuebāt enim pon-
 tifices, ne si tam atrociam passus dimitteretur, post uersis populi tum cōcitati studiis, in ipso
 rum capita recideret huius immanitatis inuidia. Pontifices itaq; cum suis ministris insanō
 tumultu clamabant: Crucifige, crucifige eum. Pilatus intelligens ex caprata misericordiā
 nihil esse spei, metu tentat furorem illorum coercere: Ego, inquit, iuris administrator sum,
 non alieni odij uindex: & nocentes ex legū auctoritate punio, non sum innocentiam carnifex.
 Hæcenus seruitum est odio uestro, non ultra seuiam in innoxium. Quod si certum est illum
 in crucem agere, nolim hoc meum prætorium impiari innocentis hominis sanguine. Vos
 hominem uestro periculo abducite, & si uidetur, crucifigite: ego non solēo crucifigere nisi
 facinorosos. In hoc nullū inuenio crimē cruce dignum. Nam quod de regno obijcitur cri-
 men, in hunc ualem non competit. Nec satis est reo crimē obijcere, nisi certis argumentis
 probetur, quod obiectū est, præsertim quoties de capite hominis agitur. Hæc tota res non
 legitimo more, sed per tumultum geritur. Iudæi quum audirent præsidem tanto studio pa-
 trocinantem Iesu, nec omnino committendum ducerent, ut aliquo pacto Iesus elaberetur
 e manibus, crimen commenti sunt, quod apud iudicē imperitum legis graue uideri posset:
 Quamquam, inquiunt, nihil commississet aduersus leges Cæsareas, tamen nos legem habe-
 mus à deo traditam, quam Cæsar etiam nobis relinquit, & secundum hanc legem cōme-
 ruit mortem, quoniā se fecit filium dei: & sibi diuinitatem arrogans, in deum fuit blasphemus.
 Hoc quum audisset Pilatus, nec esset in promptu quod illis responderet, reduxit Ie-
 sum in prætorium: & ipse ingressus, iterum alloquutus est illum, cupiēs expiscari, quid esset
 hoc quod obijcerāt: & quomodo posset refelli. Rogat igitur primum, unde esset, ut cogni-
 tagentis origine, refelleret quod affectasset uideri filius dei: quāquam apud ethnicos tum
 fabulis poetarum erat proditum, & uulgo credebatur, quosdam ex deo & homine natos;
 semideos haberi. Iesus autem sciens Pilatum hæc omnia tentare, quo tandem uitam illi lu-
 crificaret: nec ignorans futurum, ut omnibus tentatis, obstinato Iudæorum furori cederet,
 retine uideretur omnia conatus ut elaberetur, nolens ad mortem adactus fuisse, nihil om-
 nino respondit præsidi. Nam quod hæcenus responderat, innocentiam suam testatam esse
 uoluit, mortem autem uolens ac lubens oppetere decreuerat. Pilatus admiratus hominis
 silentium in capitis periculo, quum iudicem haberet tam fauentem, ut eum ad respondi-
 dum prouocaret: Quir mihi, inquit, non respondes in capitis periculo constitutus? An
 nescis mihi ius uitæ ac necis esse in te? Sum enim præses huius regionis, si forte nescis: &
 ex mea uoluntate pendet, utrum suffigaris in crucem, an libereris à causa. Ad hæc nihil re-
 spondit Iesus eorum, quæ expectabat præses, qui ad causæ defensionem cupiebat instrui,
 pro iudice futurus patronus. Verum quoniam ea res speciem præbuisset, quasi non uo-
 lens pateretur, nihil huiusmodi, tantum de potestate, quam sibi Pilatus arrogabat, respon-
 dit: subindicans nec illi liberam esse absoluere, quum illius potestas seruire cogeretur fu-
 rori Iudæorum: nec illos autem, nec ipsum quicquam in se ualiturum, nisi sponte uolēsque
 pateretur: Habes, inquit, tu quidē potestatem iuxta leges humanas, sed in me nullam habe-
 res potestatem, nisi permissum esset ab eo, cuius potestas superat omnem humanam po-
 testatem. Et faues tu quidē innocentiam, sed tamen aliorum improbitas aliō uictum te ra-
 pit. Propterea populus Iudæorum, qui huius mortis autor est, suaq; uiolentia iudicem
 perpellit ad hominis innocentis condēnationē, grauius peccat. Hoc audito Pilatus, quum
 intelligeret hominis & modestiam, & innocentiam, & Iudæorū malitiam, & suam æqui-
 tatem nō esse reo ignotam: cui hoc magis fauebat, quod uideret eum nec mortis periculo
 commoueri, tentabat omnes uias, ut aliquo pacto Iesum absolueret. Id sentientes Iudæi,
 quod

quod crimen illud prius ex lege intentatum negligeret præses: nec cessaret hoc agere modis omnibus, ut Iesus dimitteretur: ad prius crimen redeunt, quod ostendunt, nec ipsi iudici tutum negligere: Si nihil, inquit, ad te pertinet, quod peccauit in deum nostrum, cene hoc ad te pertinet, quod peccauit in Cæsarem. Quisquis sibi uindicat regnum iniussu Cæsaris, Cæsaris lædit maiestatem. At iste se regem facit, quod si hunc absoluis, non es amicus Cæsaris, qui faueas Cæsaris hosti. Hæc quum audisset occlamantes cōiuratos pontifices, ac pharisæos, reliquamq; multitudinem: tamen non ignoraret esse uanissimum quod intentabatur, tamen quoniam perspiciebat implacabile sacerdotum & pharisæorum odium in Iesum, tum mirum primorum ac populi consensum in unius hominis perniciem: simulq; uideret Iesum innoxium quidem, sed humilem ac tenuem, sibi ipsi deesse; cogitans interim & illud, apud Cæsares multos quamlibet falsi criminis inuidia fuisse periclitatos: iamq; uisus sibi satis aduersus conspiratos totius gentis primores ac populum, ad unius humilis hominis tuendam innocentiam, decreuit illorum odio seruire, sic tamen, ut Iesum condemnando absolueret, & suam innocentiam præfatus, impij facti inuidiam in Iudæorum capita referret. Productus est igitur Iesus foras ueluti reus, quum in eo cōdemnando nullius legitimi iudicij species esset obseruata. Pilatus sedit pro tribunali in loco ædificato, ut omnibus esset conspicuus, cui hinc nomē Hebræis gabatha, Græcis autē dicitur *λίθισπῆλις*, quod lapide stratus esset. Sic enim conueniebat solennem ac publicam esse Iesu condemnationem, ne quem lateret eius innocentia. Sic enim condemnari, absolui erat. Traditus est Iesus ad crucem, sed in Iudæos pronunciatum est à iudice. Iam autem appetebat tempus, ut iuxta festi diei rationē, innocens sanguis pro mundi salute immolaretur. Erat enim parasceue paschæ, hora ferme sexta, quo magis urgebant Iudæi, diuinæ dispensationi per ignorantiam subseruientes, ut mature suoq; tempore perageretur hoc sacrificium. Pilatus itaq; iam iudicis habitu conspicuus populo, è tribunali demonstrat eis reum, ut uel ex ipsa specie liqueret, quàm in eum non competere affectatæ tyrānidis crimen, qui sic affectus, tantam animi tranquillitatem, tantam mansuetudinē præ se ferret: Ecce, inquit, rex uester. At Iudæi nihil aliud sitientes, q̃ sanguinem innoxium, clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Placebat Iudæis ignominiosa mors, sperantibus fore, ut crucis ignominia, prorsus abominabilem redderet Iesu memoriā, nec ullum post exorturum, qui nomen illius sic extincti profiteretur. Pilatus irridens illorum pertinacē insaniam: Quid, inquit, an regem uestrum tanta afficiam ignominia, ut suffigam in crucem? Hoc dedecus recidet in gentis ignominiam, quæ regem suum ad crucem adegerit. Hæc uox Pilati quancūq; non profecit Iesu, tamen prodidit Iudæorum maliciā, & extorsit seruitutis inuisæ publicæ professionē. Messiam suum, hoc est, regē à prophetis promissum, multis seculis expectauerant: Cæsaris regnum, quo premebantur, misere oderant, tamen odijs efferati, publice Messiam suum abnegant, & Cæsarem dominum agnoscunt: Non habemus, inquit, regem nisi Cæsarem. Tanta erat ulciscendi libido, ut sese ultro in æternam seruitutē addicerent quo Iesum liber tatis autorē extinguerent. Pilatus igitur uidens omnia frustra tentari, tradidit illorū arbitrio Iesum, ut crucifigeretur. Acceperunt Iudæi Iesum productū è prætorio, quem duxerunt ad locum supplicij, qui erat extra ciuitatē, ut locus quoq; responderet figuræ. Nam uictima qua consecrabatur testamentū, extra septa populi immolabatur. Huc ibat Iesus, iam suis indutus uestibus, quo magis esset omnibus probro, qui fauerant ei, ipse sibi humiliter crucē baiulans: nam & hoc procuratū est à Iudæis, ne quid ignominie deesset. Quin & locus infamis delectus est, in quo ex more scelerosi, supplicio plecti consueuerunt, passim iacentibus extinctorum ossibus funestus & execrabilis, nimirum præ se ferens, cui rei dicatus esset, & ex re nomen erat inditū uulgo. Nam Hebræice dicebatur Golgatha, Græce *κρανίου τόπος*, Latine Caluariæ locus. Et ne quid superesset ignominie, procuratum est & hoc à Iudæis, ut simul alij duo palam facinorosi crucifigerentur cum Iesu: ut nocens ex flagitiosorum consortio æstimaretur, uidereturq; crimen esse commune, quibus erat commune supplicium. Atq; ut prorsus ad illorum societate pertinere uideretur, sic ordinarunt Iudæi cruces, ut medius esset Iesus, hinc atq; hinc septus latronib. Sed nescit humanis foribus inquinari fons omnis puritatis: illustratur etiam hominum probbris fons omnis gloria. Crux ante probrosa, per illum facta est triumphale signum, cui mundus inclinat caput, quod adorant angeli, quod tremunt dæmones. Inuenit illic condemnatus quem ex latrone faceret

ne faceret paradisi ciuem: tantum aberat, ut supplicij societas contaminaret ipsum. Ne quid autem ad iusti supplicij speciem deesset, additus est ex more suus cuiq; titulus, qui & personam indicaret, & crimen. Pilatus autem cum cæteris suos pro meritis addidisset titulos, cruci domini Iesu titulum hunc iussit affigi: Iesus Nazarenus, rex Iudæorum: quo nimirum ipsa etiam inscriptione testatam faceret & Iudæorum maliciam, & pendentis innocentiam: in quem is titulus iuxta Iudæorum accusationem non competebat, & tamen iuxta id, quod apud præsidem fuerat ipse professus, maxime competebat. Siquidem Iudæus Hebræis sonat, confitentem. Erat autem, & est uere rex ac liberator omnium profitemium nomen ipsius, quibus largitur consortium regni cœlestis. Hunc titulum, quo magis grauaret inuidia pontifices & pharisæos, curauerat Pilatus triplici lingua describendum, Hebraice, Græce, & Latine: quarum prima erat illius gentis peculiaris: altera duæ ob frequens Græcorum & Romanorum commercium sic erant inuectæ, ut pleriq; Iudæi quoq; Græce Latineq; scirent. Cautum est igitur à præside, ne quisquam, uel indigena, uel peregrinus, titulum ignoraret. Hanc inscriptionem pharisæis inuidiosam, ob loci frequentiam, quod urbi uicinus esset golgotha, & uel casu prætereuntibus cōspiciuus, multi Iudæorum legebant, & pleriq; Iesu Nazareni nomen agnoscebant. Quantum autem abfuisset ab affectato regno, plurimi nouerant, qui uiderant illum abdere sese, cum ad regnū pertrahendus esset. Expectabatur autē uulgo Iudæis rex ille promissus à prophetis, quem illi Messiam uocant. Hoc quum negligeret Pilatus, tamen imprudens eum dedit titulum, qui maxime demonstraret omnib. quis esset ille qui pendeat. Pendeat enim uere rex ille regum, qui morte sua debellabat diaboli tyrannidem. Trophæum potius diceret quam crucem. Quū omnia uiderentur ignominia plena pontificibus & pharisæis, tamen hæc inscriptio mouit animos illorum, quod honorificentior esset, quàm uellent: tantum erat impijs studium abrogandi nominis, cui unī debebatur omnis totius mundi gloria. Agunt itaq; cum præside de mutando titulo, ne scriberetur rex Iudæorum, sed quod sibi nomen hoc usurpasset. Præses autem quanq; imprudens, illud iam tūc præludebat futurum, ut salutiferi nominis professio, quam falso dicti Iudæi abnegarēt, ad gentes credulas, hoc est, ad ueros Iudæos demigraret. in cæteris igitur hactenus morigeratus illorū odijs, negauit se titulum mutaturum: Quod scripsi, inquit, scripsi. Siquidem in rem omniū erat occidi Christum, sed rursus in rem omniū erat, nominis illius gloriam toto orbe celeberrimam reddi, cuius professione salus omnibus deferretur. Ergo cum hoc titulo suffixus esset in crucem dominus Iesus, nudo corpore, quemadmodum mos erat, milites qui crucifixerant eum, ex consuetudine partiebantur inter sese uestimēta Iesu. Nam hoc illis cedebat, uelut in operæ premium. Quum autē essent quatuor, reliquum uestitum, quoniā ex uarijs partibus erat confusus, sic diffuerunt, ut suam quisq; portionem ferret. Supererat autem tunica, uestis nimirum interior, & corpori uicinior, non illa quidem consuta, sed ita contexta à summo usq; ad imū, ut dissuta, futura esset inutilis. Visum est itaq; militibus, ut hæc nō scinderetur, sed ei tota cōtingeret, cuiq; fors fauisset. Hæc autē tametsi prophanis animis à militibus gererentur, tamen imprudentes subseruiebant uaticinio prophetarū, ut hinc etiam agnosceretur is esse, de quo prædixerat spiritus diuinus in psalmis: Partiti sunt inter se uestimenta mea, & super ueste mea miserunt sortes. Et hæc quidem gesta sunt à militibus, adhuc uiuē pendēte domino. Ceterum astabant iuxta crucē Iesu, Maria mater eius, & huic adhærens soror Maria Cleopæ filia, unā cum Maria Magdalene. Iesus igitur de cruce conspiciens matrem suam, simulq; discipulū, quē cæteris familiariter dilexerat, ne quid affectus humani relinqueret in terris, quemadmodū distributis uestibus, rerum nihil reliquerat, uersus ad matrem, ait: Mulier ecce filius tuus, capitis & oculorū nutu discipulū designans. Mox ad discipulum uersus: Ecce, inquit, mater tua, Atq; ex eo tempore discipulus ille suscepit erga Iesu matrē affectum filij, per omnia curam illius agens. His peractis, quū Iesus sciret nihil superesse, quod ad legitimā uictimam pertineret, ut hoc quoq; accederet, quod propheta prædixerat: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potarunt me aceto, clamauit de cruce: Sitio. Solent autem qui hoc supplicij genere moriuntur, uehementer discruciacari siti, uidelicet sanguine per uulnera corporis exhausto. Nimirum & hoc faciebat ad declarandam humanæ naturæ, supplicijq; non simulati ueritatem. Aderat autem illic uas acido uino plenum, quod sitientibus porrigi solet, ob mortem accelerandā. Milites igitur

spongiam acido uino impletam, & impositam hyssopi ligno, admoventur ori eius. Simul atque uero gustasset acetum Iesus, dixit: Consummatum est, significans rite peractum sacrificium, iuxta patris uoluntatem: ac mox inclinato capite, reddidit spiritum. Atque hic operis precium est audire, rursus prae posteram ac peruersam Iudeorum religionem: innoxium, benemeritum, sceleratis odijs, impijs modis adegerunt in crucem, nihil deterriti à tam immani facinore dici festi religione: ceterum de tollendis è cruce corporibus superstitione laborant Iudaei. Pilatum adeunt, ut ipsius iussu crura frangerentur pendentibus, quo mors acceleraretur, deinde cadauera tollerentur è medio, ne conspectu sui diè festum funestarent. Erat dies ille magnus, qui ab apparatu sacrorum, Graecis parasceue dicitur, & instabat illis sacrosanctum sabbatum, quo nefas erat operari. Iam enim homines religiosi, peractio tam crudeli facinore, perinde quasi re bene gesta, ad Mosaicam uictimam pure celebrandam intenderant animi, ignari quod paschalis agnus ille uerus iam esset immolatus. Adeo pestifera res est, pietas in rebus corporalibus sita, quae cum animi pietate coniuncta non sit. Annuente itaque Pilato, milites utriusque latronis crura fregerunt, quos adhuc uiuentes repperant. Porro cum uentum esset ad Iesum, quoniam uiderunt illum iam exanimem, superuacuum esse putantes, non fregerunt illius crura. Nam in hoc frangebantur, ut cito moreretur qui pendeat. Sed astabat inter milites quidam, qui, quo certior esset mors domini Iesu, lancea perfodit latus eius: ac protinus ex uulnere profluxit sanguis & aqua, magno mysterio declarantia, quod eius mors nos ablueret à peccatis, & quod eadem, uitam nobis largiretur aeternam. Nam baptismus aqua constat, in sanguine uita est hominis. Praeter naturam autem est, ut è corpore uulnerato fluat aqua. Sed qui uidit oculis suis, testatus est, & scimus uerum esse illius testimonium. Nouit & ipse Iesus, quod testis ille uera praedicat, ne quis uestrum dubitet credere, quod alioqui uideretur incredibile. Haec autem tametsi casu geri uidebantur, uidelicet quod pro cruribus frangendis, latus illi perfossum sit, tamen diuini consilij dispensatione gesta sunt, ut hac etiam in parte prophetarum oraculis rerum euentus responderet. Nam inter ceteros ritus, quibus in Exodo Moses docet celebrandum esse phasem, nominatim & illud praescripserat, ut agnus ille sic occideretur, ne quod os illius confringeretur. Hac nimirum nota declarabat Iesum esse uerum illud phasem, cuius imaginem agnus ille Mosaicus gesserat. Huius enim sanguis credentes seruat à morte, huius mysticus esus nos ab Aegypto seruitute, hoc est, à mundi cupiditatibus, & peccati tyrannide liberos transmittit in terram coelestem. Rursus per Zachariam spiritus ita loquitur: Videbunt in quem copunxerant. Nam olim cum eodem corpore uenturus, quo pependit in cruce, tametsi iam glorioso, tamen uestigium uulneris ostendet omnibus, & fontem frustra apertum incredulis exprobrabit, cuius profluxu sanari poterant. Itaque morte iam multorum experimento certa copertaque, supererat ut sepultura resurrectionis fidem multis modis confirmaret. Christus autem quemadmodum omnem uitam humilem esse uoluit, ita sepulturam uoluit esse magnificam: non ut nos doceret sepulchri curam agere, sed ut peractis ijs, quae pertinebant ad dispensationem humilitatis, iam ad resurrectionis gloriam praeluderet. Tum autem honos uiuo exhibitus, non caret uel suspitione, uel periculo, ceterum honor qui ultro defertur mortuo, certissimum est uirtutis testimonium. Ioseph igitur uir nobilis ac potens, Arimathienensis patria, qui & ipse fuerat discipulus Iesu, sed occultus ob metum Iudaeorum, qui legem sanxerant, ut quisquis se profiteretur discipulum Iesu, submoueretur è synagoga: adiit Pilatum, cui notus erat, petijtque ab eo, ut sibi liceret de cruce tollere corpus Iesu. Pilatus, explorato prius an esset mortuus, permisit. Abijt igitur Ioseph ad crucem, & corpus deposuit. Accessit interim funeralis adiutor officij & Nicodemus ille, uir inter phariseos praecipuae nobilitatis, & ipse clauicularius Iesu discipulus, qui prius noctu uenerat ad Iesum, quemadmodum ante narratum est, uitans pharisaorum inuidiam. Hi scientes quod liuor soleat à morte conualescere, freti fauore praesidis, audent mortuo supremum honorem exhibere, quem uiuum palam conuenire non audebant. Attulit autem Nicodemus unguentum ex myrrha & aloe mixtum, ad libras ferme centum, quantum corpori magnifice condendo sufficebat. Sublatum igitur Iesu corpus communi officio undique aromatis obleuerunt, & oblitum linteis circumligarunt, ne deflueret unguentum. Nam hunc in modum mos est Iudeis sepelire corpora, ne putrescant. Atque hoc honoris deferebant domino Iesu, uelut homini magno & integro, ne quis exstimator eum ob maleficia

maleficia mortuū fuisse. Nihil enim adhuc altius de illo sentiebant, nisi quod uir innocens ac probus, deoq; charus fuisset, cuius memoriæ deberetur hoc honoris, quod perisset op- pressus inuidia uirtutis, quod ferè summis uiris solet accidere. Atque hic apparatus inibi perfectus est, ne quis suspicari posset corpus fuisse mutatum. Atq; inibi sepultus est domi- nus in orto, qui proximus est loco crucis. In orto erat monumentū nouum nuper è solido lapide excisum, in quo nullū adhuc corpus fuerat reconditum. Et hæc tametsi casu geri ui- debantur, ad resurrectionis fidē faciebant. Non em̄ poterat suffossū uideri sepulchrum, quod in solida rupe fuerat excisum; nec aliū credi poterat ex eo resurrexisse, in quo solus erat positus. Nec hoc tamen agebant Ioseph et Nicodemus, qui non sperabant resurrecti- ōnem, uerum diei festi Iudaica religione mouebantur. Erat enim parasceue Iudeorū, & ur- gebat sabbatum, quo fas non erat operari. Proinde ne corpus relinqueretur insepultum, aut parum honorifice sepeliretur, minimo negotio in proximū monumentū reposuerūt. Quin & Iudæorum diligentia seruiuit ad fidem resurrectionis futurę. Nam hi custodibus à Pilato impetratis, curarunt obsidendum monumentū, ne quis clanculum corpus subdu- ceret: nec hoc contenti, saxum ingens, quo claudebatur os monumenti, obsignarunt, nullā ex parte Iudæorum malicia non euadente in gloriam Christi, cuius nomen conaban- tur abolere.

CAPVT XX.

A c cæteris quidem discipulis partim metu, partim desperatione perculsis, nulla erat cura funeris. Cæterū discipulas aliquot eadem habebat sollicitudo, quæ te- nuerat Ioseph & Nicodemus: sed diei festi religio continuerat illas ab opere pa- randorum aromatū. Potrò simulatq; præterisset sabbatum paschæ, noctu para- tis unguentis, primo die sequentis sabbati, priusquam planè diluxerat, Maria Magdalene uenit ad monumentū. Quæ cum uidisset saxum, quo fuerat occlusus aditus monumenti, submotū, ac patere sepulchrū, nihil aliud suspicata est, q̄ corpus noctu fuisse sublatum ad aliam sepulturam. Nam illuc pro tēpore positum fuerat corpus, uelut mox iusto funere decorandū. Perturbatis em̄ morte certa domini, spes illa resurrectiōis exciderat omnibus. Resiliūt igitur à monumēto nondū inspectio Maria, et curriculo uenit ad Simonē Petrum, apud quem erat & ille discipulus, quē diligebat Iesus aitq;: sublatum est dominus à monu- mento, nec scio quò transulerint eum, qui sustulerūt. Ad hanc uocē excitatus uterq; pro- diit foras. Spes sanè perq̄ tenuis habebat illos, tamē ingenti sic dilecti præceptoris deside- rio tenebantur. Itaq; simul cursu contendunt ad monumentum, sed discipulus ille Iesu di- lectus, uicit Petrum cursu, priorq; peruenit ad monumentū. Quūq; reperisset ostium apertum, non ingressus est quidē, sed circūflexo corpore prospexit in monumentū, si uacuum esset: uiditq; corpus esse nullum, sed linteamina relicta aromatibus oblita, quibus corpus fuerat obuolutū, simulq; sudariū quo cōtectum fuerat caput Iesu, nō admixtum linteami- nibus, sed conuolutū ac separatim positum; ut facile liqueret, corpus non esse sublatū à fu- ribus, qui totū corpus ut erat obuolutū potius abduxissent cum aromatibus, linteis, & sin- done, si non ob preciū rerū, certe ob id, quod non tantū habuissent ocij ad detrahenda cor- poris unguenta, quouis uisco tenacius in hærentia, & suo quæq; loco digerenda. Hæc erat prima qualis qualis resurrectionis spes oblata. Mox aduenit & Petrus, qui cognita re ex- loanne, ut tardior fuerat in cursu, ita audacior fuit pariter & curiosior in uestigando. Non enim contentus in monumentū prospexisse, etiā ingressus est. Hunc cōsecutus est alter ille discipulus prospector, qui solus ingredi non audebat, sed socius adiunctus, ademit formi- dinis partē. Iamq; certo uiderunt cominus, quod alter ceu per umbram uiderat, nullū usq; esse corpus, sed corporis exuias, sic detractas ac sepositas, ut nō à furibus per tumultum, sed per ocium factū uideretur: Nondū tamen credebant eum reuixisse, tantū illud crede- bant esse uerū, quod dixerat Maria, corpus sublatum à monumento. Quāq; enim audie- rant ex Iesu, quod resurrecturus esset, tamen ea non infederāt penitus animis eorum, & si quid in hæserat, id metus ac tumultus crucis excusserat. Nondū enim penitus intellexerāt scripturam propheticam, quæ certo prædixerat futurum, ut Iesus moreretur, ac die tertio reuiuisceret. Abierunt igitur discipuli duo unde uenerant. Maria autē incredibili quodam amore desiderioq; domini non diuellitebatur à monumento, mortuum quærens, quem ui- uum dilexerat, & exanimi corpori cupiens officium exhibere, postea quā uiuente frui negatum esset. Stabat autem foris iuxta monumenti ostium, nihil aliud quā plorans & circumspex-

circumspiciens, si qua spes affulgeret inueniendi corporis. Inter plorandum autē, quum ingredi non auderet, obliquato capite prospexit & ipsa in monumentum, uiditq; duos angelos blanda lataq; specie sedentes diuim, alterū ad caput, alterum ad pedes loci, ubi positum fuerat corpus. Iam hic aspectus letus & alacer ac placidus, sepulchri, noctis & solitudinis, aliqua ex parte pauorem adimebat. Tum angeli quoq; ut illius mœrorem consolarentur, ultro compellant flentem: Mulier, inquit, quid est quod ploras? Tum illa uehementia quadam amoris ebria: Quia sustulerunt, inquit, dominum meum, nec scio ubi posuerunt eum. Suum dominum appellat, & mortuum etiā nū amat, nihil adhuc sperans de resurrectione. Tantum hoc discruciat, quod corporis esset adempta copia. Dum hæc loquitur, ex angelorum uultibus suspicata est aliquem astare à tergo, & non expectato angelorum responso, respexit. Et ilico uidit Iesum stantem, quem angeli fuerat uenerati, non tamen agnouit Maria quod Iesus esset. Apparebat enim humili specie, ne subito sua specie cōspectus mulierē expauesceret. Vt igitur anīmū adderet illi, blandius appellat eam iisdem uerbis, quibus angeli: Mulier quid ploras, quem queris huc & huc circumspicias? Illa suspiciens quod ortulanus esset, cultor & custos eius loci, in quo erat monumentū: erat autem in orto: muliebri simplicitate dicit illi: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi cælaueris eum, & ego tollam illum. Suspicebatur enim, quod amicus quispiam ob ludæorum metū, curasset corpus clanculum asportandum, ne ueniret in manus ludæorum, & secus tractaretur quā uellet. Iesus igitur delectatus tanto desiderio mulieris, uoce iam nota & familiari, cōpellat eam: Maria. Ad hanc uocem notam subito conuersa mulier, iam enim se reflexerat ad angelos, adeo subitis affectibus huc & illuc impellebatur: agnouit Iesum, subitoq; gaudio rapta, solito titulo cōpellat discipula præceptorē: Rabboni, quod Syris sonat magister, simulq; procidens uoluit osculari pedes illius, memor adhuc ueteris familiaritatis. Iesus autem sciens illam nihil adhuc magni de se sentire, quanq; synceriter ac flagranter amaret, à contactu corporis prohibuit. Videbat enim Maria rediuiuum, sed non in aliud reuixisse putabat, nisi ut more solito consuetudinē ageret cum amicis ex mortuo uiuus, ignara quod iam corpus gestaret immortale, maiore ueneratione tractandum: quod nec impijs unquam exhibuit dominus, nec cuius attrectandum permisit, quo paulatim in totum abduceret ab amore corporis: Noli, inquit, me cōtingere, corpus idem est quod pendit in cruce, sed iam immortalitatis gloria condecoratum. Tuus autē affectus adhuc carnem sapit, quia nondum ascendi ad patrem meum: quod cum fecero, mittā uobis spiritum consolatorem, qui uos perfectos reddet, meoq; spiritali consortio dignos. Satis sit interim tuo desiderio, quod me conspexeris, quodq; loquentē audieris: sed abi potius ad fratres meos, ob mortē meā desolatos, & hoc gaudij, quod ex meo cōspectu es adempta, quā primum illis impartī, hisq; meis uerbis adnuncia, quod in hoc reuixi, ut dies alii quot cum eis cōmoratus, terras relinquam & ascendam ad patrem mihi uobiscum cōmunem, & eundem deum mihi uobiscum cōmunem. Deponant igitur terrenos affectus, & animum ad spiritalia cœlestiaq; dirigant. Obtemperauit igitur Maria, & reuersa ad discipulos, renunciavit se uidisse dominum: & quæ iusserat suo nomine referri, retulit ingens quidem solatium ex eo caperent quod eos iam fratres appellaret: & ipsi præparent animos ad desiderium rerum æternarū ac cœlestium, quod corporis fructio iam non esset diuturna futura. Quum his atq; alijs quibusdam apparitionibus, dominus Iesus paulatim erexisset animos suorum ad alacritatem, & spem peractæ resurrectionis, eodem illo die, qui primus erat sabbati, quod paschale sabbatū sequebatur, cum iam esset uespera, & sentq; discipuli congregati clanculum, qui ob metum ludæorum luce non audebant conuenire, ingressus est Iesus foribus clausis, & assistens in omnium conspectu medius, quo pauorem illis omnem adimeret, blande notaq; uoce salutauit eos, dicens: Pax uobis. Et ne spectrū esse suspicarentur, aut aliud corpus, ostendit eis in manibus clauorū uestigia, & in latere militaris lanceæ cicatricem. Hac salutatione atq; hoc spectaculo confirmata fides est, & ademptus mœror, & exhilarati discipulorum animi. Nam id eis pollicitus fuerat Iesus, fore, ut intra breuē tēpus illos reuideret, sui q; conspectu reddito, mœrore absteris, cor eorum exhilaret. Simulq; cōmonescit eos eius quod dixerat, futurum ut in mundo mœrorem haberent, in ipso pacem. Exhilaratos igitur apostolos, quo magis confirmaret, denuo pacis omīne salutat eos, dicens: Pax uobis, simulq; mandat cū autoritate summa prædicatio

prædicationem eorum quæ uiderant: Sicut, inquit, misit me pater, & ego mitto uos. Ego bona fide glorificaui nomen patris, uos simili fide consentientes inter uos, patris meumque nomen prædicabitis. Ad hanc functionem præparate animos uestros, quandoquidem ego perfunctus mea legatione, repeto patrem inde uobis missurus largiorem spiritus sancti copiam. Interim & ipse uobis pro captu uestro spiritum sanctum impartio, simulque cum dicto insufflauit in faciem illorum, impartitus spiritum addidit auctoritatē remittendi peccata cunctis hominibus qui per Euangelicam professionem ac baptismum sibi iungerentur, perque uitæ prioris poenitudinem uere resipiscerent: Quorum remisistis, inquit, peccata remittentur eis: & quorum non remisistis, obnoxij manebunt suis peccatis. Hæc cefonat Didymum, Latine geminum. Nam is unus erat e numero duodecim, quos peculiariter dominus delegerat ad munus Euangelicæ prædicationis. Is igitur ubi uenisset, diuificatos aliquo phantasmate fuisse, negat se crediturum, nisi testibus oculis suis, ac ne stigij, manu quoque lateri Iesu admota, deprehenderet lanceæ uulnus. Atque hæc incredulitas apostoli dispensatione diuina, profecit ad fidei nostræ firmitatem. Post dies igitur octo quum rursus in unumfurtiuo congressu conuenissent apostoli, iamque Thomas hæcenus incredulus simul adesset cum cæteris, ingressus est dominus ianuæ clausis, stansque in medio suorum, salutabat eos solito notoque iam more: pax uobis. mox uersus ad Thomam, cuius incredulitatem nouerat is, qui nihil sciebat: quam quoniam sciebat, non ex malicia, quemadmodum pharisæorum, sed ex imbecillitate humana proficisci, sanare dignatus est: Quando non satis est tibi Thoma, inquit, audisse à tam multis qui me uiderant & audierant, nisi tuis sensibus omnibus certa fiat fides, infer huc digitum tuum in uulnere lanceæ uulnus, & posthac noli alijs in rebus esse perinde incredulus, sed fidem habere promissis meis, quamlibet incredibilibus iuxta cõmunem hominũ sensum: posteaquàm uideris hoc esse certum, quod tibi uidebatur incredibile. Thomas ubi uidisset & contrectasset, agnoscens & faciem et solitam domini uocem, iam plena cõcepta fide exclamauit: Dominus meus & deus meus. Quemadmodum enim fuerat ad credendum difficilior, ita nemo clarius deum & hominem professus est. Siquidem corporis contactus, quod dudum mortuum pependerit in cruce, testabatur uerum hominem resurrexisse, & occultorum conscientia diuinam uirtutem arguebat. Ita Iesus amplexus quidem est Thomæ professionem, cæterum credendi difficultatem taxauit, dicens: Thoma, quoniam uidisti me, quoniam audisti & contrectasti, credis. Cæterum, beati erunt qui quum non uiderint, credituri sunt. Multis quidem alijs indicijs dominus Iesus declarauit diuinam uirtutē suam apud discipulos suos, quæ non sunt descripta in hoc libro, sed quædam ab alijs referuntur Euangelistis, quædã uiua uoce narrata sunt, ab his quæ uiderunt & audierunt. Non enim curæ fuit omnia describere, quod erat immensum, sed tamen aliqua literis prodere uisum est operæ precij, ut ex his credatis Iesum fuisse filium dei. Quod si feceritis continget uobis illa beatitudo, quam dominus Iesus promisit ijs, qui quum non uidissent, credidissent. Quemadmodum enim ille passus est mortem, & uiuit immortalis, ita & uos professione nominis illius, uitam æternam assequemini.

CAPVT. XXI.

IESVS autem quo magis ac magis confirmaret fidem suorum discipulorum frequenter illis apparuit, colloquens, nonnunquam & unum cibum capiens, ne qua suspicio posset animis illorum insidere, quod præstigiũ aut spectrum fuisset, quod uiderant: nec tamen interim perpetuo uersabatur cum illis, quemadmodum ante mortem solebat, nec eadem familiaritate cum illis agebat, nec omnibus conspicuus, quia prædixerat se suis appariturũ, non mundo: ne suis quidem conspicuus, nisi quum uellet. Iam enim immortalitas uenerandam quandam speciem, ac maiestatis plenam præ se ferebat, ut confirmata illorum fide, corporis aspectum in totum ab eis subduceret, iamque spiritualiter apud suos uersaretur. Itaque rursus exhibuit se cõspiciendum discipulis suis iuxta lacum, qui dicitur Tiberiadis. Exhibuit autem hũc in modum.

Tom. 7

S 3 Discipuli

Discipuli qui latitabant ante Hierosolymis, quo tutiores essent à pharisæis, receperant se in Galilæam, erantque simul aliquam multi, nimirum Simon Petrus ac Thomas, qui idem dicitur Didymus, præterea Nathanael, cui patria Cana Galilæa, ubi Iesus uerterat aquam in uinum: ad hæc duo filij Zebedæi, Ioānes & Iacobus maior, cumque his alij duo quidam discipuli. Quoniam autem præsidio domini fuerant destituti, per quem ali consueuerant ex amicorum ultronea benignitate, Petrus ad pristinam artem reuertitur, quo sibi manibus uictum pararet, ne cuiquam grauis esset, aut in ocio cuiusquam liberalitate aleretur: Non enim licebat prædicare, nec æquum esse iudicabat, ut qui non seruebat Euangelio, uivert ex Euangelio. Sub noctem igitur, quoniā luce nondum satis esset tutum prodire in publicum, ait Petrus: A beo piscatum. Cæteri uero: uenimus & nos tecum, ut piscemur una. Simul itaque egressi domo, conscenderunt nauim, ac totam quidem illam noctem frustra laboratum est piscando. Nihil enim ceperunt, quo locus daretur miraculo: simul uelut ænigmate significaretur inanem esse operam Euāgelistæ, nisi Christus hominis conatum bene fortunet. Vbi uero iam diluxisset, Iesus stetit in littore, non tamen agnouerunt eum discipuli: partim ob interuallum longius: partim ob lucem adhuc ancipitem: partim quia noluit statim agnosci dominus. Alloquutus est igitur eos Iesus è littore: Pueri, inquit, num quid habetis obsonij? Illi quum ne uoce quidem agnoscerent Dominum, sed suspicarentur alium quempiam esse, qui uenisset ad lacum mercaturus pisces: responderunt se nihil habere, quod illi uederet, qui nihil cepissent. Tum Iesus, ut paulatim declararet quis esset: Iacite, inquit, rete in dextrum nauigij latus, & inuenietis quod hactenus non potuistis. Paruerunt iubenti, nam tædium sumpti laboris, & auaritia capiendi spem addebat. Mox tanta piscium multitudo capta est, ut onustum rete, uix protrahi posset ad scapham. Hæc uidelicet erat imago multitudinis hominum, quæ post apostolica prædicatione ex omnibus totius orbis linguis ac regionibus adiungenda erat Ecclesiæ. Ex nouitate rei factus attentior discipulus ille quem diligebat Iesus, agnouit Iesum: moxque Petrum, qui totus erat in attrahendo reti, submonet quod dominus esset is, qui è littore stans, iussisset laxare rete. Petrus sui non dissimilis, ut intellexit esse dominum, oblitus & retis & piscium, arripuit interulam (nam antea nudus erat) & impatiens more, coniecit se in lacum, atque ita peruenit primus ad dominum. Cæteri uero discipuli nauigio cōsequuti sunt. Nec enim longe aberant à littore, sed cubitis plus minus ducētis, simul trahentes rete piscibus onustum. Vt igitur descenderunt in terram, uiderunt in littore prunas uiuas & piscem impositum, præterea panem. Iussit itaque Iesus ut adferrent & ipsi de suis piscibus, quos modo cepissent. Petrus itaque reuersus in nauim rete pertraxit in terram, plenum magnis piscibus, numero centum quinquaginta tribus. Auxit miraculum hoc quoque, quod quæ esset tanta multitudo piscium, eorumque ingentium, rete tamen non fuisset scissum onere. Res adumbrabat humilem ecclesiam, & iuxta mundum imbecilem & angustam, tamen omnes orbis nationes complexuram, præside & auspice domino Iesu. Iam uero ut certius etiam daret specimen, se uerum esse hominem, non phantasma, qui ueritatem sui corporis, oculis uisus, auribus auditus, & manibus contrectatus approbarat, cibum etiam cum illis capere uoluit. Inuitauit igitur suos ad prandium paratum. Discubuerunt discipuli, sed taciti. Maiestas enim immortalis iam corporis ademerat illis solitam fiduciam. Agnoscebant quidem dominum, sed augustiore iam specie. Nullus igitur ausus est eum interrogare, quis nam esset, quod ex re scirent dominum esse, licet species corporis esset immutata. Accessit igitur Iesus ad conuiuium, et suo more distribuit illis panem manibus suis fractum, similiter & piscem, facto docens suos, quos pastores ecclesiæ delegarat, ut gregem Euangelicum sacra doctrina, sed ab ipso tradita, pascere. Hic erat tertius dies, quo se Iesus per interualla suis conspiciendum exhibuit. Neque enim assidue cum illis uersabatur. Peracto prandio, dominus Iesus uelut explicans quod facto significarat, Petro pascendas oues suas committit, sed ter stipulatus amorem sui: ut inculcaret animis suorū, neminem esse pastorem idoneum gregis Euangelici, nisi qui talem amorem gereret erga suæ custodiæ creditos, qualem Christus iam præstiterat erga suos, pro quibus impenderat uitam suam. Petrum autem potissimum alloquitur, quo memoriam abnegationis aboleret, significans illum in Euangelico ministerio principem locum habiturum, qui charitate in gregem dominicum præcelleret cæteris. Per hunc igitur, quem nouerat cæteris ardentioris animi uoluit

mi uoluit omnibus apostolis, & horum successoribus, specimen ueri perfectiq; pastoris exprimere. Solet autem & alias Petrus uelut os esse apostolorum, & per hunc audiri uoluit dominus, quid ceteri quoq; profiterentur. Siquidem huius uoce edita totius ecclesiae professio, iam pridem promeruerat sponsonem clauium regni coelestis. Itidem & tum huius uoce uoluit adi summæ erga se charitatis professionem, ut per unum ceteri cognoscerent, quales ad curam dominici gregis deberent accedere: Simon, inquit, Ioannis, diligis me plus quam hi? Non rogabat hæc dominus uelut ignarus se plurimum à Petro diligí, sed penitus infixum esse uolebat animis suorum, summa erga Iesum charitate opus esse ei, qui gregis dominici curam susciperet, pro quo dominus ipse crucis supplicium subisset. Petrus autem iam factus solito circumspectior, de ceteris quidem quantum amarent dominum, non respondet, quod aliorum animos exploratos non haberet, de sua unius conscientia respondet, cuius dominum etiam testem audet facere: Quantum, inquit, aliorum quisq; te diligat, nescio, ego amo te domine, nec hoc ignarus interrogas. Tu, qui nostri secreta mentium humanarum, scis quod amem te. Tum Iesus: Si amas me, inquit, ut profiteris, pasce agnos meos, qui mihi charissimi sunt, & pro quibus uitam meam impendi: ac talem te præbe erga illos, qualem ego me præbui erga uos. Hoc erit argumentum perfecti erga me amoris. Rursum interrogat eum totidem uerbis dominus Iesus: Simon Ioannis amas me? Respondit ei Petrus totidem uerbis: Amo domine: scis ipse, quod amem te. Tum rursum Iesus: Si me uere amas, pasce agnos meos, quos ego charissimos habeo. Tertio Dominus rogat Petrum: Simon Ioannis, amas me? Toties iterata domini percontatio, scrupulum ac mœrorem iniecit Petro. Quanquam enim sibi conscius esset, quod uehementer dominum amaret, tamen post tam magnifica promissa ter abnegatus dominus, faciebat, ut ipse sibi quoque diffideret. Euenerat enim in Petro, ut lapsus esset saluti, qui modestiam docuisset, ac dedocuisset sui fiduciam, qua nulla pestis capitalior Euangelicæ pietati. Respondit igitur sincere quidem, sed timide ac modeste, iam tota fiducia translata in eum, cui soli oportet fidere: Domine, quor hoc toties interrogas, quum nihil te fugiat? Scis ipse quod amem te. Tum Iesus: Pasce igitur oues meas, & in has declara, quanti me facias. Boni pastoris exemplum ex me sumes. Ego pro meis ouibus uitam meam impendi, tu quoque usq; ad uitæ capitisq; iacturam fidum ages pastorem ouium mearum. Meæ sunt, quas meo sanguine redemi, nunc rediturus ad patrem tibi pascendas committo. Pastorem igitur ages, non dominum: & pasces ut serues: non mactabis, aut deglubes, ut perdas. Si ego tibi ter charus sum, erunt tibi charæ, quas habeo charissimas. Hæc dominus Iesus tanta diligentia uoluit esse inculcata discipulorum suorum animis, quod non ignoraret exorituros, qui non amore Iesu, sed sui commodi gratia curam populi Christiani susciperent, uel arriperet potius, qui pro pastoribus agerent tyrannos ac prædones. Quin & illud dominus Iesus dignatus est explicare, quid sibi uellet ter iterata dilectionis professio. Qui pro salute gregis dominici, contemnit facultates suas, negligit honores huius mundi, negligit affectus suos, magnum quidem de se synceri amoris argumentum præbet. Ceterum qui pro salute gregis non dubitat uitam suam in discrimen adducere, is absolutæ charitatis certissimum documentum dedit: id olim Petrum facturum subindicare uolens, aiebat: Illud etiã atq; etiam tibi confirmo Petre, præstabis aliquando, quod nunc profiteris. Non est autem delitata professio. Cum enim esses iunior, & iuxta corporis uires malorum tolerantior, mollius habebaris. Nam ipse tibi cingulum tuo arbitratu soluebas, aut addebas, ac liber ambulabas, quocumq; lubitum esset. Verum ubi senueris, iam iuxta corporis uires imbecillior, durius tractaberis, nimirum animo iam fortior. Nam porriges manus tuas, & alius cinget te, ducturus quò nolis. Hoc ænigmate Iesus significabat, quo mortis genere Petrus esset olim glorificaturus deum. Siquidem admodum senex, ductus est ad crucem: quam licet libenter pertulerit, ob immensam charitatem erga dominum suum, tamen horret imbecillitas humane nature. Hæc loquutus Iesus, cœpit ambulare, dicitq; Petro: Sequere me, rursum ad suæ charitatis ac mortis imitationem insuitans. Petrus ubi respexisset, uidet & illum discipulum, quem diligebat Iesus, quisq; in domini pectus incubuerat in extrema cœna, dum ex eo sciscitaretur, quis esset proditor. Hunc quum unice diligeret Petrus, & domino ceteris chariorem semper fuisse sciret, ac tum non iussus sequeretur

Petro proximus, rogat dominum, quid de illo futurum esset. Iam enim de sua morte cognouerat, & scire cupit, an hunc mortis suae comitem esset habiturus. Nam hoc sibi gloriosum ac uehemens dominicae erga se charitatis indicium esse ducebat, quod Iesu mortem esset imitaturus. Iesus autem superuacuam hanc de morte alterius Petri curam corrigens, ait: Si hunc uelim manere, donec ipse ueniā, quid id tua refert? Meus est, & meo arbitratu de illo, quod optimū erit, statuam: tu quod ad te pertinet, cura, uidelicet ut me sequaris. Ortus est igitur ex huius occasione sermonis inter discipulos rumor, quod discipulus ille Iesu dilectus, non esset moriturus uiolenta morte, sed permansurus in uita, donec rediret dominus iudicaturus uiuos & mortuos, quod omnes tum breui futurum opinabantur: tamen si Iesus non dixerat eum non moriturum, sed Petri curiositatem re-
tundens, negauit ad illum pertinere, si uellet eum manere usq; ad aduentum suum. Atq; hic est ille ipse discipulus, qui testimonium perhibet hec sic esse gesta: quicq; scripsit hæc, quo certius ac latius ad omnium noticiam diffundantur. Et cognouimus quod uerū est illius testimoniū. Non enim scripsit ab alijs audita, sed quibus ipse interfuit. Nec omnia tamen cōmemorauit, quæ dixit aut fecit Iesus. Etenim si quis ea singulatim conetur enarrare, immensa uoluminum uis nasceretur: tantum autem literis proditum est, quantum ad salutem consequendam satis est. Superest igitur, ut his credentes, contendamus ad immortalis uitæ præmium.

Paraphraseos in Euangelium secundum Ioannem, per Des. Erasmus
Roterodamum Theologiæ professorem, finis.

IN ACTA APOSTO-

LORVM PARAPHRASIS PER DES. ERASMVVM
ROTTERODAMVM. CAPVT I



PROMISSI mei partem absolui Theophile: superiore quidam libro cōplexus sum Iesu Christi uitā, altius rem exorsus quā cæteri, nimirum ab Ioannis Baptista, qui domini præcursor fuit, conceptione, quod in hac quoq; narratione prodita sint uaticinia, Messiam mox uenturum promittentia. Post hæc quædam ab alijs scriptoribus prætermissa copiosius enarrauimus, de Christi conceptione, de natiuitate, de circumcisione ac purificatione: nō nihil etiā attigimus de diuina indole, cuius specimen aliquod ædidi, annos natus duodecim. Hæc ideo duxi cōmemoranda, quo pluribus argumentis liqueret, hunc esse quē oracula prophetarū designarant, ac ne primam quidem illam ætatē Iesu caruisse piorū hominum ac spiritu cœlesti afflatorū testimonijs. Quanquam autē dubium non est, quin tota Iesu uita fuerit unicū exemplar absolutæ pietatis, tamen omisis his quæ in medio gesta sunt, transiliuimus usq; ad tempus, quo Ioannes prædicatione baptismoq; suo cœpit agere præcursorē Iesu Christi, quod ab eo tempore potissimū dominus Iesus cœpit agere negociū salutis humanæ iuxta figuras & ænigmata legis Mosaicæ, ac iuxta prophetarum uaticinia. Huius negotij summa duabus in rebus consistit: in factis, hoc est, in ædendis miraculis, in tolerando supplicio crucis, in resurrectione, in quibus nihil nō exhibitū est per illum, quod uel in lege fuerat adumbratū, uel à prophetis promissum: tum in dictis, quibus orbi tradidit nouā & euangelicam philosophiā, ut ab eodem peteremus & rationē & exemplum pie uiuendi. Harum rerū seriem prosequutus sum ad eum usq; diem, quo posteaquam rediuius à morte præceperat duodecim apostolis suis reliquisq; discipulis septuaginta, quos ante mortē peculiariter in hoc munus delegerat, ut accepto spiritu sancto, quē & tum illis insufflans in faciem eorū, impartīr, & post copiosius e cœlo mīr, abirent in orbem uniuersum, ac prædicarent Euangelīū, non Iudæis tantū, uerū etiā cunctis totius mundi nationibus: receptus est in cœlum, unde uenerat. Ac primū modis omnis erat confirmanda fides eorum, per

*Facere ac
docere*

rum, per quos decreuerat admirabiliū gestorū cūctis mortalibus fidem fieri. Hōrū ca/
put erat, ut persuaderetur omnibus, Iesum uere mortuū, uere reuixisse tertio die, nō ima/
ginario corpore, sed eodē illo iā immortalī, quod immortale gesserat in terris, quod exa/
nime conditū fuerat in sepulchro. Proinde nō satis habuit, semel exhibere se rediuiuū di/
scipulis suis, sed frequenter illis apparuit, non quemadmodū solent spectra, sed uarijs &
evidentibus argumentis declarans se uiuū recepisse corpus, quadraginta diebus hac de
his non solum prębuit sese conspiciendū oculis, audiendum auribus, cōtrectandum ma/
nibus, uerum etiā familiariter cum illis uiuens, cibum unā cepit, quo non aliud uiui cor/
poris certius indicium. Interim miscuit frequēter cum illis colloquium de regno dei, re/
uocans illis in memoriam, quā gesserat ac docuerat ante mortem, ut tandem agnosce/
rent, nihil nō euenisse, quod ille prędixerat euenturū, simul monens, quid in posterum
essent uel facturi uel expectaturi. Quanquā enim illis iam tradiderat auctoritatem Euan/
gelij prędicandi, tamen uenit ne mox prosilirent ad tam ardui muneris functionē, nec
discederent ab Hierosolymis, sed illic congregati, simulq; uacantes ieiunijs, hymnis ac
precationibus, expectaret spiritum sanctum, quem antequā moreretur, promiserat illis
alterum consolatorem mittendum ā patre. Ego, inquit, pollicitus sum ore meo, nec ad/
dubitate, quin pater bona fide pręstaturus sit, quod illius nomine uobis recepi. Eadem
est enim patris ac mea uoluntas. Cōleste negocium est, quod aggredimini, non huma/
num: neq; carnalia docebitis, quemadmodum pharisęi docuerūt hactenus, sed spiritua/
lia: neq; mediocris oborietur uobis ob Euangelij prędicationem persequutio. Proinde
opus est, ut uirtute cōlestitus ethis cōfirmemini, quo pares sitis tanto negotio, quod non
humanis uiribus, sed diuini spiritus pręsidio peragetur. Hactenus tantum pręlufum est
quibusdā ad euangelicam functionem rudimentis. Ioannes baptizauit aqua, spiritum
non contulit, nullus enim hominum illum conferre potest, nec aliud prędicauit quā
pōnitentiam, quod instaret regnum cōlorum. Nunc opus est ualidioribus pręsidijs ad
depromendum Euangelicę doctrinę uigorem, & ad sustinendos aduersantis mundi tu/
multus. Ad id non satis est uos esse mundos ā peccatis, sed ad nouam doctrinam nouo
spiritui est opus, spiritu copioso, spiritu cōlesti, spiritu igneo. Eo uos baptizabimini
post paucos dies. Hic est baptismus, quem Ioannes dare non potuit, sed ā me dandum
prędixit. Siquidem de me ferens testimonium, aiebat: Ille uos baptizabit in spiritu &
igni. Impartijt & olim Deus spiritum suum prophetis ac pijs hominibus. Et uobis in/
fufflauit spiritum sanctum. Idem est spiritus, sed nunc cōpiosissime effundetur in orbem
terrarum, renouaturus omnia. Huic uenturo pręparate animos uestros sobrietate, pijs
uotis, sed in primis simplici fiducia, quo sitis organa commoda per uos uim suam expli/
caturi spiritus. Hęc ubi dixisset Iesus discipulis in unum congregatis, ne quid inter il/
los relinqueret dissidiū, quoniam nondum illi deposuerant somnium illud de proferen/
do regno Israelitico, percontati sunt dominū, uelut mox abiturum, an protinus ā misso
spiritu sancto restitutus esset regnum populo Israelitico, & an statim esset exhibiturus
orbi maiestatem suam. Nondum enim intelligebant cuiusmodi futurum esset regnum
illud spirituale. Petrus in monte cupiebat constitui regnum. Ceteri quoq; audita men/
tione resurrectionis, sciscitabantur de regno. Rursus audito sermone de mittendo spiri/
tu, redit illis in mentem regnum. Sperabant enim fore ut orbis totius imperiū transfer/
retur in populum Iudęorū. Et omnino futurū erat ut regnaret Israel, nō ille carnalis, sed Regnum
Israel
qui uere nomen hoc promeruisset, hoc est, qui uere fortis esset deo. Iacob enim hoc no/
men promeruit, lucias aduersus angelū. Quā diu mūdus fidebat suis operibus, impar/
erat iustitię diuinę. Omnes coarguebantur iniustitię, & succumbebant pōnā. Ceter/
um ubi coepit sibi diffidere, & fidere promissis Euangelicis, iam expugnauit, ut ita lo/
quar, dei iustitiā, & extorsit misericordiam. Hoc regnum ubiq; collapsum, sed pręcipue
apud Iudęos, restituit Christus per Euangelij. Hoc non intelligentes discipuli, felicitā/
tem quandam somniabant, quā liberaret ipsos ab omnibus malorū persequutionibus.
Verum id non erat futurū ante finem mūdi. Tempus aut illud dominus ideo uolebat
suis incognitū esse, quia non expediebat illis scire. Proinde inutilem illorū curiositatem
rati responso retudit. Nolite querere quod non expedit scire. Tantū fidite, & quod man/
datum

datū est, peragite. Vos huius rei nihil aliud eritis quā ministri. Progressum & exitum permittite patri cœlesti. Non igitur est uestrū nosse, quo anno, quo mense, qua hora uenturum sit regnum Israeliticum, qualia scrutatur astrologi stulte curiosi. Quicquid pater uoluit uos scire, hoc uobis impartij, tempus illud uobis non aperui, quia pater eius arbitrium uni sibi seruauit, quo semper uigiletis in officio. Veniet omnino regnum dei, quo pii & impij sua pro factis præmia tribuentur, in cuius aduentū oportet semper esse paratos. Quanquā & interim exeret sese regnum spirituale, in quo asserendo deus uestram, requirit operam, de præmijs ipse uiderit. Proinde omisso studio cognoscendi quæ non oportet, parate uos ad id quod instat. Cui rei quoniam ex uestris uiribus impares estis, spiritus sanctus, ita ut sum pollicitus, cœlitus effundetur in uos, robur animis uestris additurus, & quicquid uos docui reuocaturus in memoriā, suggesturus etiā si quid præterea fuerit opus cognito, cuius suggestionē docti, præsidioq; roborati, eritis mihi testes, primum Hierosolymis iuxta prophetā, qui dicit: De Sion exhibet lex, & uerbum domini de Hierusalem: mox per omnem Iudæam, deinde per Iudææ finitimā Samariam, postremo per uniuersas orbis nationes, quacūq; gentes humanæ terram incolunt. Omnibus enim ex æquo ueni, omnibus mortuus sum, omnibus offertur Euangelij gratia. Regnauit hæcenus lex apud Iudæos. Euangelij regnum tam late patere uult pater, quā late patet terrarum orbis. Hic erat sermo postremus, quo dominus Iesus discipulos suos omnes in unū collectos in Bethanīa affatus est. Quo finito, bene precatus illis, sub oculis omnium ferebatur in altum, donec nubes candida Iesu corpus subduceret illorū aspectui. Tempus enim erat, ut desinerent à corporis aspectu pendere, quo magis inciperent esse spirituales, nec Iesum alijs iam oculis intuerentur quā fidei. Quum igitur Dominus nube tectus ferretur in sublime, persistebant discipuli defixis in cœlum oculis. Vsq; adeo non poterant auelli ab eo, quem unice diligebant, licet adhuc imbecilles. Expectabant autem, ecquid etiā nouæ rei ostenderetur e sublimi. Adsunt igitur repente duo nuncijs cœlestes, specie humana, ueste candida: species excluderat horrorem, candor uestis congruebat nuncio properantis ad gloriā. Hi uerbis amicis discipulorum mœrorem, ex digressu domini conceptum, lenibant, & ab inuiti suspectu reuocabant ad officium. Viri, inquit, Galilæi, quare hic statis defixis in cœlum oculis? Hic Iesus subleuans à uobis, rediit in cœlum unde uenerat, quemadmodum frequenter ab illo audistis, quod profectus esset à patre, & quod uobis in mundo relictis, rediturus esset ad patrē. Non raptus est in aera, quemadmodum Helias, sed receptus est in regiam patris, illi confessurus ad dexterā, utpote cœlestis regni consors. Conspeixistis illum uisibili quidē sed immortalī corpore proficiscentē in cœlum. Sic olim rediturus est, ut iudicis speciem agnoscat, qui hic seruatoris speciem agnoscere noluerunt. Non redibit humilis, sed e sublimi multa cum gloria sese ostendet oculis omnium. Pauci uidistis euntem, redeuntem uidebunt uniuersi. Cæterū non est quod eum reditum nunc expectetis. Didicistis ex eo quod prius Euangelium dei prædicandum sit per uniuersum terrarum orbem. Hoc potius nunc agite. Nec enim iussi estis hic consistere, sed sedere Hierosolymis, ut illic accepto cœlesti spiritu, feliciter auspicemini cœlestē negocium. His dictis paruerunt discipuli, ac relictō monte oliuarum, cuius hospitio dominus ante mortem delectatus fuerat, & cui rediturus in cœlum ultima impressit uestigia, reuersi sunt Hierosolymā. Abest autē mons ille ab Hierosolymis itinere sabbati, hoc est, fere passus bis mille. Ab hoc monte itum est ad crucis ignominia, ab eodem itum est ad gloriā. Ex hoc in prospectu est Hierosolyma, & in hoc sedens prædixerat ac defleuerat excidium urbis. In hac interfetrice prophetarum dominus primo uoluit exoriri lucē Euangelicā, uel quia sic prædictū erat à prophetis, uel ut eriperetur illis omnis prætextus excusationis, alioquin ob suam incredulitatem funditus perituris. Amabilius erat apostolis suspicere in cœlum, quod præcesserat dominus, uerū ob utilitatem proximis sæpe descendendum est ad necessaria magis quā iucunda nobis. Vbi uentū est Hierosolymam, ingressi sunt coenaculū quoddam in quo manserant discipuli, qui Christo fuerāt præ cæteris familiares, uidelicet Simon Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, qui Hebraice dictus est Cananæus, & Iudas, cui cognomen Thadæus siue Lebbaeus, Iacobi minoris frater, Manserant in eodē coenaculo mulieres

Iam mulieres aliquot, quæ pio studio sequuntur dominum proficiscentem Hierosolymam,
 de suis facultatibus ministrarant. Inter has erant & Maria mater Iesu, cum aliquot illius
 cognatis, quos Hebræi fratres appellant. Hic mihi paulisper contemplator ecclesiæ na-
 scentis primordia. Placet ciuitas Hierusalem, quæ Hebræis sonat uisionem pacis. Non
 habitant Hierusalem, quibus hic mundus est patria, nec aspirant ad tranquillitatem ui-
 ræ cœlestis. Non habitant Hierusalem, qui mentem habent mundanis cupiditatibus tur-
 bulentam. In talia pectora non sese recipit spiritus sanctus. Placuit & cœnaculum, quæ
 pars est superior ædium. Nam inferiora domus uel tabernæ, uel officinæ solent occupa-
 re. Procul autem à fordidis curis oportet abesse, qui se parat habitaculum diuino spiri-
 tui. Hæc est illa sancta congregatio, quam ex omnibus delegerat Dominus Iesus. Hoc
 erat cœnaculum primum Euangelicæ ecclesiæ domicilium. Nunc uide quid hic agatur.
 Non rixis aut fabulis ociosis teritur tempus, sed erant omnes unanimiter perseverantes
 in sacris precationibus. Non est ecclesiæ Christi, ubi non est unanimitas. Non sunt Deo
 gratæ preces, ubi non est fraterna concordia. Nec meretur audiri, nisi qui perseveranter
 orauerit. Idem orat Euangelica cōgregatio. Vbi alius orat opes, alius optat mortem in-
 mici, alius longæuitatem, alius regnum, alius aliud, ibi non est ecclesiastica deprecatio.
 Ad apostolicum autem cœnaculum confluebant & reliqui discipuli. Quisquis aut uult
 haberi discipulus Iesu, ad ecclesiæ consortium aggregetur oportet. Iam conuenerat ho-
 minum multitudo plus minus centum uiginti. Tam exiguus erat numerus, qui Chri-
 stum toto pectore diligebant. Hic Petrum ut fidum pastorem, qui uehementer cupiebat
 gregem Euangelicum accrescere, cœpit sollicitudo quædam de imminuto numero apo-
 stolorum, quos dominus Iesus duodecim elegerat. Iudas enim Iscariotes extinctus è duo-
 decim fecerat undecim. Hic cōsidera Theophile consultationis ecclesiasticæ formam.
 Quum numerus discipulorum adesset frequentissimus, Petrus episcopi personam agens,
 allurgit in medio confessu discipulorum, ut ex concordii consensu statueretur, quod ad in-
 staurandam integritatē ordinis apostolici uidebatur pertinere. Exorditur à scriptura di-
 uina. Nimis hinc oportet proficisci concionem ecclesiasticam: neque quicquā decer-
 nitur, nisi præmissa concordie deprecatione. Loquutus est autem hunc in modum. Viri
 fratres, non oportet uos humanis consilijs quicquā tentare noui, sed quod olim spiritus
 sanctus per os Dauid prædixit, de subrogando quopiā in locum Iudæ, necesse est ut im-
 pleatur. Nam & hoc prædictum erat in psalmis, futurum ut ille desciscens à domino suo, lo-
 cum uacuum faceret successuro. Dominus enim Iesus ex omnibus duodecim peculiari-
 ter se legerat apostolos, quos omnium quæ gerebat ac docebat uoluit esse testes. Hos oēs
 hic uidetis adesse, excepto Iuda Iscariote. Nam & illum dominus Iesus cooptauerat in nu-
 merum duodecim, atque apostolici muneris cōsortem esse uoluit. Verum is deserto confor-
 tio præceptoris ac nostro, maluit esse dux sceleratorum militum, qui cōprehenderunt Iesum,
 quam Iesum ducē sequi, aut apostolorum esse socius. Atque impij consilij fuit infelix exitus.
 Siquidem excæcatus auaricia, triginta argenteis uendidit ac prodidit innocentem do-
 minum. Deinde ductus facti poenitentia, retulit impiam mercedem, & abiicit ad pedes sa-
 cerdotum, à quibus fuerat conductus. Ipse magis memor sceleris sui quam Iesu clementiæ, sibi
 carnifex fuit. Nam laqueo guttur præligauit, ac suspensus crepuit medius, & effusa sunt
 omnia uiscera eius. Cæterum infelix illa pecunia, quā abiecerat ad pedes sacerdotum,
 eorundem consilio collocata est emendo agro, in quo sepelirentur peregrini: propterea
 quod nefas esse duceret, precium innoxij sanguinis proditi inferre Gazophylacio. Hæc
 sacerdotum ac pharisæorum impia religio fecit, ut & Iudæ facinus, & ipsorum impietas ma-
 gis innotesceret omnibus, qui tum agebant Hierosolymis, adeo ut ager ille uulgata Iu-
 daeorum lingua diceretur Aeldema, hoc est, ager sanguinis. Itaque quod Psal. LXVIII
 spiritus sanctus prædixerat de Iudæis, qui pertinacibus odijs Christum persequuti sunt,
 nec uoluerunt resipiscere tot prouocati beneficijs, iam in Iudæ uidemus impletum, suo
 tempore complendum & in cæteris. Sic enim habet prophetia: Fiat cōmoratio eorum
 deserta, & non sit qui habitet in ea. Amisit infelix Iudas locum apostolici muneris. Ita-
 dem & tolletur olim templum, sacerdotium, scribarum & pharisæorum autoritas una
 cum ipsa Hierosolyma. Expellentur impij Iudæi, & succedent in horum locum ueri Iudei,
 qui mente circumcisi, non corpore, Messiam agnoscant quem illi crucifixerunt. Prædi-
 ctum

ctum est & hoc multis prophetarum uaticinijs, & ipsi audiuius dominum Iesum hæc cum lachrymis uaticinantem de ciuitate Hierosolymorum. Restat interim ut & in Iudæ locum aliquis subrogetur. Prædixit & hoc psalmus c viii. Et episcopatum eius accipiet alter. Nostra enim functio nihil aliud est, q̃ ut dominici gregis curā gerentes, illi de doctrinæ Euangelicæ pabulo prospiciamus. Deseruit ille locum suū, nec tamen ob id fraudandus est grex suis pastoribus, nec minuendus est numerus, quem dominus omnium primum instituit, addito cognomine peculiari: ut apostoli uocarentur. Hos enim perpetuos dictorum ac factorum suorum testes esse uoluit, quos ob id assiduos ac domesticos etiam habuit conuictores. Oportet igitur aliquem in Iudæ locum subrogari ex eorum numero, qui perpetuo nobiscum uersati sunt toto hoc tempore, quo dominus Iesus peragens negotium salutis humanæ, nos sibi familiares esse uoluit, & affectatores perpetuos quocunque se conferret: uidelicet à baptismo Ioannis, cui mox successit, usque ad eum diem quo sese recepit in cœlum: quo nobiscum possit esse testis idoneus omnium quæ docuit ac gessit dominus, sed præcipue resurrectionis: nec enim frequenter omnibus apparuit discipulis, sed his duntaxat, quos peculiariter selegerat. Hæc oratio quam placuisset multitudini, statuerunt duos è numero septuaginta selectos, Ioseph, idem est Barfabas, cui ob insignem morum integritatem cognomentum est additum, Iustus: ac Matthiam, ut ex his duobus quos æquabat religio, uter magis placuisset cœtui, is succiperet apostoli munus. Cæterum illi suo iudicio diffidentes, cōmuni precatione rogant dominum, dicentes: Homines qui iudicant ex his quæ cernunt & audiunt, falli possunt iudicio, sed tu domine qui solus inspector es cordiū, ex quibus homines uere boni sunt aut mali, ne graueris aliquo signo declarare famulis tuis, utrum ex his duobus elegeris, ut impleat numerum duodecim apostolorum, ac succedat in functionem tanti muneris, unde Iudas excidit, abiturus in locum suum, in quem tu non ignorabas illum abiturum, cuius oculos nihil fugit. Nec enim ille tua culpa defecit à tuo consortio, qui nihil non fecisti, quo resipisceret: neq; tu falsus iudicio asciueras defecturū, sed ita nobis expedire uiderat tua diuina sapientia, ut illo proditore, filius tuus pro nobis immolaretur, & proditor nobis esset exemplo, ne munus nobis traditū oscitantes ac securi teneremus. Post hanc precationem itum est ad sortes iuxta morem Hebræorū. Sic enim Ionas sorte præcipitatus est in mare, sic Ionathas deprehensus est gustasse mel, sic sacerdotes sortito fungebantur sacris officijs. Nondum enim uenerat spiritus sanctus, & adhuc aliquas Iudaismi reliquias habebant apostoli. Tamen si sortes periculosa non sunt, quæ utriusq; fauerint, probum & idoneum designant. Nec totum negotium creditum est sortibus. Suffragijs sunt electi duo probatissimi. Inter hos ambiguitatem electiōis finit fors, quæ nec ipsa temeritatem habere potuit, cuius euentū moderatur precatio. Sors igitur hæc, quæ nihil aliud fuit q̃ declaratio diuinæ uoluntatis, designauit Matthiam, quanquam Ioseph præter cognominis cōmendationem, etiam Iesu propinquitate commendabatur. Et tamen huic prælatus est Matthias, quo nos doceremur in deligendis episcopis, quibus credenda sit Euangelicæ doctrinæ dispensatio, adeo nihil essetribuendum humanis affectibus, ut inter pares potius illi fauendum sit, quem nihil humanæ rei cōmendat: ne quod per occasionem est factum, trahatur in perniciosum exemplum. Subest & in nominibus nonnihil reconditoris doctrinæ. Matthias, quæ uox Hebræis sonat donationem domini, præfertur Iusto. Id cognomen ex operibus sibi uindicabant pharisæi. At nulli minus idonei sunt ad dispensationem Euangelicam. Qui gratuitum dei donum per fidem Euangelicam agnoscit & prædicat, is demū dignus, qui succedat in uices apostolorum. Nec indignatus est Iustus sibi præferri parem, nec sibi placuit Matthias additus undecim apostolis, ut sacrum illum numerum absolueret, & uir optimus in pessimi locum succederet.

CAPVT II



Vnc in modum transactis diebus à domini resurrectione quadraginta nouem, aderat expectatus ille dies Pentecostes, hoc est, quinquagesimus, qui Iudæis quoq; lætus ac uenerabilis erat, uel ob annū Iubilæi, qui quinquagesimo quoq; anno recurrebat: uel quod lex in monte Sinai prodita sit quinquagesimo die ab occiso agno, cuius cruore incolumes exierant ex Aegypto. In mōte prodita est uetus lex, inscripta tabulis lapideis: in cœnaculo prodita est lex noua

noua, per spiritum sanctum inscripta cordibus credentium. Vtrobique loci sublimitas; utroque
 ignis. Sed illic nihil aliud quam mons est, quem populus etiam attingere prohibetur, nimium
 crassus ac terrenus, nec capax rerum spiritualium. Hic in ipso monte domus est, ut agnoscat
 ecclesiae concordiam. Illic mons Sinai, qui conueniebat ferendae legi, quae multitudine
 praecceptorum coerceret rebellē populum. Nam à praeccepto Sinai dicitur. Hic mons Sion,
 qui Hebraeis sonat speculam, unde despiciuntur omnia terrena, unde per fidem uelut è pro-
 pinquo prospectantur coelestia. Illic ignis terribilis, fumus, incendium, fulgura ac tonitrua:
 hic spiritus uehemens, sed alacritatem adferens non terrorem; & ignis qui non exurat cor-
 pora, sed mentes illuminet, coelestique facundia locupletet linguas simplicium. Illic populus
 discors obmurmurat, hic in eodem conclauis quieti unanimesque deprecantur expectantes
 coeleste donum. Erat is dies delectus coelesti negotio, quemadmodum & locus, in quem iam
 nouem diebus frequenter soliti fuerant uentitare. Caterum ubi iam adesset dies quinquagesimus,
 simul omnes magno consensu conuenerant in idem coenaculum, accepturi spiritum
 coelestem. Vbi animus est humilibus ac sordidis curis occupatus, ibi non est spiritus
 sanctus, in coenaculo sit oportet. Vbi pectus est dissidijs, odijs, ac rixis tumultuosum, ibi
 non est locus spiritui sancto. Omnes simul collecti in unum locum, eumque sublimem, con-
 corditer credunt, orant & expectant. Et ecce subito uenit è sublimi donum dei. Repente
 siquidem è coelo uenit sonitus, quasi uenti magno impetu sese ferentis, ac repleuit totum
 coenaculum, ubi sedebant placidi quietique. Non erat ille Boreas è nubibus frigus aspirans:
 neque erat Notus è palustribus locis tepore pestiferum adferens corporibus. Flatus erat coe-
 lestis, inde ueniens, quod profectus fuerat Christus, uitam aeternam inspirans animis, robur
 & alacritatem addens infirmis ac pusillis. Hic sonitus neminem terruit, sed omnium animos
 expectefecit ad expectationem promissi spiritus. Datum est hoc signum auribus, datum
 etiam oculis. Sunt enim hi duo sensus in homine praecipui. Apparuerunt linguae uelut
 ignea specie sese in singulos discipulos dissipantes: atque ut intelligamus donum hoc fo-
 re perpetuum, uniuscuiusque capiti aliquandiu insidentes. Idem spiritus afflauit omnium a-
 nimos. Idem ignis accendit omnium pectus ac linguam. Nec mora, uisibile signum uis do-
 ni coelestis est consequuta. Omnes quotquot aderant, uelut subito transmutati in coelestes
 homines, ac repleti spiritu sancto, coeperunt loqui diuersis linguis, non quas didicerant ex
 hominum colloquijs, sed quas coelitus illis indiderat spiritus. Nullum hominis membrum
 pestilentius mala lingua, nullum salubrius bona. Caterum ad coelestem doctrinam per om-
 nium linguarum gentes disseminandam, opus erat linguis coelesti doctrina imbutis, tum
 Euangelicae charitatis igni flammantibus. Erat igitur hoc praecipuum signum Euangelicae
 fidei, quod dominus illis promiserat: linguis, inquit, loquentur nouis. Qui calumni-
 anur, qui obtreant, qui conuiciantur proximo, qui peierant, qui loquuntur obscena,
 linguam habent non igne coelesti, sed igne gehennae inflammata. Qui disputant de re-
 bus humilibus huius mundi, nondum acceperunt linguam coelestem. Antea apostoli di-
 sputabant de panibus omissis, de regno Israelitico proferendo, de primo coesessu, de prin-
 cipatu. Haec erat humana lingua, nondum idonea ad praedicandum euangelium. Nihil istius-
 modi nunc loquuntur: spiritualia, coelestia, ignea sunt omnia quae spirant, quaeque loquuntur.
 Sine lingua, sine spiritu non profertur uox. Porro spiritus coelestis uocem addit coele-
 stem, lingua ignea rapit & inflamat animos auditorum. Friget lingua pharisaorum,
 neminem afficit quantum uis erudita philosophorum, quantum uis diserta rhetorum
 lingua. Donum hoc è coelis proficiscitur. Discipuli nihil aliud sunt quam organa, per
 quae uocem suam addit spiritus sanctus. Hoc donum nec homo dare potest homini,
 nec sibi quisquam partitur, sed Deus impartit unicuique sicut ipsi uisum fuerit. Cui
 copiosius impartierit, is non habet quare alterum despiciat, sed habet quare alacrius
 conetur prodesse multis. Res est uehemens spiritus, res est uiuida & irrequieta ignis.
 Non dormitant amplius Apostoli, quemadmodum dormitabant ante mortem domini;
 non latitant amplius, quemadmodum latitabant post resurrectionem, prosiliunt in
 publicum, passim ac palam praedicant omnibus gratuitam salutem per fiduciam erga Ie-
 sum, paulo ante crucifixum. Erat autem ea ciuitas theatrum idoneum huic auspicandae fa-
 bulae. Siquidem ob urbis celebritatem, & ob pascha quod praecesserat, & ob pentecostes
 religionem plurimi tum agebant Hierosolymis, non solum ex omnibus Syriae partibus,

Erant in Hierosalem

T uerum

uerum etiam ex omnibus regionibus, quocumque illos uel bellorum tempestas dispulerat, uel casus aliquis diduxerat. Inter quos erant plurimi, quibus cordi erat pietas. Huius igitur rei nouitas ubi per omnes esset uulgata, conuenit promiscua populi multitudo, perplexis animis quaerens, quid hoc esset nouae rei, quod quum ex tam diuersae linguae regionibus essent collecti, tamen tum unusquisque sic intellexisset illos loquentes, quasi non una quampiam omnibus, sed singulo cuique sua uernacula fuissent loquuti. Habet enim & Hebraeorum lingua iuxta regionum diuisionem sua discrimina, uel ex confinio diuersarum gentium, uel alio quopiam casu. Nam & Iesum Samaritana mulier ex linguae proprietate agnouit esse Iudaeum, & Petrum linguae sonitus prodidit esse Galilaeum. Idem & Graecorum lingua in quinque species diducta est. Neque minor differentia in ceteris gentium linguis. Porro plerique Iudaei non aliam tenebant linguam, quam eius gentis apud quam erant nati. Omnes igitur uehemens quaedam habebat admiratio, atque inter sese disputabant, qui fieret, quod nec auditum unquam fuerat, neque lectum. Dicebant autem: Ecce rem nouam. Nonne isti omnes qui loquuntur patria Galilaei sunt? Qui fit igitur, ut tam multi diuersae linguae homines, quoties audimus unum aliquem loquentem, nihilo secius intelligamus, quam si suam quisque linguam in qua natus est audiret, quum ex tam diuersis regionibus multitudo conflata sit, quae habet Parthos, Medos, Elamitas, tum eos qui incolunt Iudaeam in multas partes diuisam, & ad haec Cappadociam, Pontum & Asiam sic proprie diciam, Phrygiam, Pamphyliam, Aegyptum, easque Libyae partes, quae attingunt Cyrenen. Neque desunt qui Romae sedem habent, partim genere Iudaei, partim profelyti, hoc est, ad Iudaicam religionem cooptati. Praeterea Cretenses & Arabes. Ex tot nationibus, ex tam diuersis linguis conflati audimus & intelligimus illos loquentes, non res usitatas aut humanas, sed sublimia, sed magnifica, sed deo digna. Ad hunc modum quotquot erant religionis amantes, rei nouitate perculsi, discebant, dicentes: Quid sibi uult prodigium hoc? Non reprehendunt quod assequi non possunt, quemadmodum solent pharisaei, sed inquirunt ac discere cupiunt, quod ignorant. Ex aduerso qui iudicii erant iniquioris ac praecipitis, irridentes dicebant: Musto expleti sunt. Dicas hos esse discipulos pharisaorum, qui dicebant de Iesu: Daemonium habet. Et est omnino ebrietas uehemens furori persimilis. Fit autem forsitan, ut per furorem aliquis diuersis loquatur linguis, quas nunquam didicit. Sed nullus furor hoc praestat, ut omnes quod loquaris intelligant. Haec illi quidem ludibrii causa dicebant. Ceterum nihil uetat nonnunquam & iocando uera dicere. Prorsus expleti erant nouo uino, quod dominus noluit committi uetustis utribus. Vetus enim Mosaicae legis uinum defecerat in nuptiis ecclesiae, ac frigidus & insipidus legis sensus per Christum uersus est in uinum nouum. Insipidum ac dilutum est quicquid carnale est: uiuidum, efficax ac sapidum est, quicquid est spirituale. Bibebant autem affatim de calice coelesti, de quo dicit psalmographus: Calix meus inebrians quam praeclarus est. Et si licet res toto genere dissimillimas inter se conferre: uulgaris ista temulentia quatuor res praecipue gignit in hominibus: profert in apertum quae latebant in corde: inducit obliuionem praeteritorum malorum, ac spe laetorum exhilarat animum, addit robur usque ad uitae contemptum. Postremo ex infacundis facit disertos. Iam mihi uide, an non simile quiddam nouum illud spiritus diuini mustum genuerit in apostolis: quod metu caelauerant, quod in occulto didicerant, nunc proferunt in uulgus, ac iuxta domini uaticinium praedicant in teclis. Obluiscuntur ueteris Iudaismi, ac ueluti iam nati non meminerunt uitae superioris, nec recordantur afflictionum, quibus territi dominum deseruerant. Nullis praesidijs humanis instructi, nec praesides timent, nec reges, nec concilia, nec carceres, nec tormenta, nec mortes, semper alacres ac laeti promissis Euangelicis. Denique qui erant piscatores & idiotae, mox eloquentia coelesti coarguunt supercilium pharisaeorum, conuincunt enthymemata philosophorum, opprimunt uim rhetorum. Nihil autem difficilius, quam uerba facere apud multitudinem, quae quum semper est belua multorum capitum, tum uero praecipue, quoties ex uarijs linguis ac nationibus collecta est. Haec igitur

Stans autem Petrus, mihi considera Simonem Petrum subito ex piscatore factum oratorem. Tumultuatur multitudo. Quod tum factum est, id semper est futurum usque ad finem mundi. Ibi domini boni pastoris officium est, forti animo prodire in medium, non ut uiolentia comprimere murmures, nec ut conuicia regerat, sed ut constanti magis quam feroci animo per sacra scripturae testimonia depellat calumniam, & Christi gloriam asserat. Petrus itaque qui prius in coenaculo

cœnaculo surrexerat, expleturus numerum apostolorum, nunc rursus assurgit apud confusam hominum multitudinem, docturus eos, qui dixerāt: quid sibi uult hoc: & os opple-
 turus his, qui dixerant: multo pleni sunt. Non est autem necesse, ut episcopus semper ere-
 do corpore loquatur apud populum, quando Christus ipse sedens docuit populum. Cæ-
 terum animo stet oportet, quisquis aggreditur munus apostolicū. Atq; hic interim agno-
 sce Petri dignitatem. Primus est ad dicendum, ubi res Euangelicum oratorē postulat. Re-
 condiderat gladium, qui Christo non placuit, exerit gladium spiritus. Sic oportet esse pri-
 matem episcopum. Assurgit Petrus, sed non solus, uerum astantibus undecim apostolis,
 ne sibi tyrannidem usurpare uideretur. Vnus fecit uerba, sed unus omnium uoce loquu-
 tus est, quemadmodum & ante unus omnium nomine professus est Iesum Christū filium
 dei uiuentis. Vnde tanta fiducia piscatori, idiotæ & humili, ut tantam multitudinem au-
 deret uel obtueri: Sepe magnis oratoribus, qui multis uigilijs elucubratam ac meditatam
 adferunt orationem, dicturis apud frequentem populum, aut principes, fugit color, uox
 faucibus hæret, obstupescit mens. Nimirum hæc erat illa cœlestis ebrietas, hæc erat illa so-
 brieta temulentia. Astitit coram tanta multitudine, adiunxit undecim apostolos, nō ad præ-
 sidium, sed ad confortium, intendit oculos in populum, ignotus in ignotū, extulit uocem
 suam, & nihil præmeditatus loquutus est illis, iam hoc præstans quod docuerat dominus.
 Nec pro se loquitur, sed pastor gregi patrocinator, nec humanis argutijs agit, sed diuinæ
 scripturæ præsidijs. Iam expectat attenta multitudo concionem. Attendamus & nos,
 quādoquidem hæc omnibus dicta sunt. Primum ubi mota manu turbæ murmur compe-
 scuisset, exorsus est tali procœmio, quod illos nulla assentatione rhetorica redderet atten-
 tos. Viri, inquit, Iudaicę gentis, quos nō oportet ignorare legem ac prophetas, uosq; præ-
 cipue, qui degitis in hac urbe Hierosolymorum, ubi caput est religionis ac scientiæ legis.
 Est fortassis quod admiremini, nō est quod calumniatur aliquis. Proinde quotquot ade-
 stis, præbete mihi aures paulisper attentas, & rem ut habet cognoscite. Id enim uestra o-
 mnium refert. Nā hi Galilæi, quos mihi uidetis assistere, nequaquā multo sunt ebrii, quem-
 admodum quidam existimant, quum sit hora diei tertia, nullus autem diluculo solet esse
 ebrius. Verum in his uidetis impletum, quod olim deus promissit futurum per Iohelē
 prophetam. Audite prophetiā, & agnoscite promissi fidem. Nolite calumniari, quia rem
 insolitā uidetis, sed amplectimini potius gratiā diuinitus uobis oblatam. Iohel em affla-
 tus diuino spiritu, uidens futurum ut deus, qui diuersis temporibus Moysi & prophetis
 aliquot impartierat spiritum suum ad uestram salutem, tandem misso filio suo unico, spi-
 ritum eundem copiosissime effunderet nō in unum atq; alterum, quemadmodum uide-
 tis tot seculis paucos extitisse prophetas, sed in omnes totius urbis nationes, quæcunque
 sincera fide reciperent hunc lætum nuncium, quem ipsius iussu uobis omnibus adferi-
 mus, sic prodidit cœleste uaticinium: Erit in nouissimis diebus, dicit dominus, effundam
 largiter de spiritu meo super omnem carnem, & subito prophetabunt filij uestri & filia
 uestra, & iuuenes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri somnia somniabunt. Et qui-
 dem super seruos meos & ancillas meas in diebus illis effundā de spiritu meo, & prophe-
 tabunt. Et dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem & ignem
 & uaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, anteq; ueniat dies
 domini magnus ac illustris. Et omnis quicumq; inuocauerit nomen domini, saluus erit.
 Hæc ante tot secula uaticinatus est uobis propheta Iohel: Quod de spiritus effusione præ-
 dixit, uidetis exhibitum. Nec dubitandum est, quin quod idem uaticinatur de uentura ca-
 lamitate, sit pari fide præstaturus. Verum nihil est quod desperetis, ostendit propheta cer-
 tam salutis uiam, qui periculū denunciat. Inuocate nomē domini, & parata est salus. Sed
 quemadmodum sit nomē domini inuocandū, nunc audite uiri Israelitæ, & quod reliquū
 est huius orationis diligēter auscultate. Pleriq; nouistis Iesum Nazarenum, quem uirum
 deus olim omnium prophetarum oraculis promissum exhibuit uobis, eumq; uobis com-
 mendauit multis ac magnis miraculis ac prodigijs, quæ per illum gessit in conspectu ue-
 stro. Siquidem deus erat in illo. Rem loquor uobis non ignotam, siquidem fama miracu-
 lorum eius peruagata est, non solum per uniuersam Iudeam, uerum etiam ad quasdam ci-
 uitates finitimas. Quoniam autem ipse peragrauit totam hanc regionem, ubiq; uerbo sa-
 nans agrotos, restituens debiles, illuminans cæcos, mundans leprosos, eiciens demones.

T 2 pleriq;

Viri israelitæ
aud. u. h.

plerique uidistis quæ narro. Nihil horum gestum absque diuino consilio. Sic uisum est deo ser-
 uare mundum. Hunc igitur talem quum accepissetis, non casu aut fortuito, sed ex certo dei
 consilio ac præscientia traditum in salutem Israeliticæ gentis, per manus impiorum militum
 suffixistis in crucem & occidistis. Siquidem milites nihil aliud erant, quam ministri facino-
 ris. Cæterum occidit, quisquis ad mortem adegit. Res apertior est, quam ut negari possit.
 Hunc à uobis interfectum ita uolente deo, qui tradiderat occidendum, idem iuxta prophe-
 tarum oracula tertio die reuocauit in uitam, ut quod in hoc factum esset uirtute diuina, idem
 in se sperarent futurum omnes, qui crediderint Euangelio. Siquidem ille uoluntati patris
 obtemperans, patienter tulit ignominiam crucis, tota fiducia salutis collocata non in hu-
 manis præsidij, sed in dei misericordia: & ideo per illum liberatus à doloribus mortis &
 inferorum, quos ut homo quidem gustare potuit, cæterum ut immunis ab omni peccato,
 teneri uinciriq; ab illis nullo modo potuit. Mors enim ac Tartarus non habet perpetuum
 tus, nisi in eos, qui peccato sunt obnoxij. Proinde ut deglutire potuit illum mors, ita deuo-
 ratum tenere non potuit, sed tertio die coacta est reuomere, quemadmodum cetus reuo-
 muit Ionam. Deus igitur ideo uoluit innoxium hæc omnia pati, ut per illum nos omnes
 & à peccatis, & à iure mortis redimeret, si modo totam fiduciam nostram ad exemplum Iesu
 Nazareni in deo collocemus. Quod narro uobis Israelitæ, non oportet incredibile uide-
 ri, posteaquam Dauid afflatus cœlesti spiritu, prædixit hoc futurum. Sic enim in Psal. 15.
 loquitur de Iesu Nazareno, quem uobis predicamus. Prouidebam dominum coram me
 semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propterea lætatum est cor meum, & ex-
 ultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe: Quod non derelinques animam
 meam apud inferos, nec committes, ut sanctus ille tuus uideat corruptionem. Notas mi-
 hi fecisti uias uitæ, replebis me iucunditate cum facie tua. Videtis quam dilucide nobis de-
 pinxerit rex & propheta Dauid, quod in Iesu Nazareno gestum esse scitis. In deo collo-
 carat omne præsidium suum, & huius unius auxilio fretus, uolens ac lubens passus est o-
 mnia, quæ uos illum passum esse scitis. Corde gaudens tolerauit dolores corporis. Exulta-
 uit illius lingua, nunquam tacens aut suppressens uoluntatem dei. Passus est sepeliri sese, nihil
 addubitans, quin pater illum esset ad uitam reuocaturus die tertio, nec sineret illum in se-
 pulchro putrescere, qui nullius mali sibi conscius, spem omnem collocarat in deo. Quisquis
 enim spem salutis collocarit in suis operibus, aut in huius mundi præsidij, non erit par fe-
 rendis mortis doloribus, nec semel ab illa captus poterit semet extricare. Quisquis autem
 habet oculos iugiter intentos in deum, qui misericors est in omnes, is nouit uias uitæ: & si
 quando deus uideatur ad tempus auertisse uultum ab eo, tamen breui reddet illi conspectum
 sui, proque cruciatibus temporarijs restituet æterna gaudia, pro morte reddet immortalitatem,
 pro ignominia terrena cœlestem gloriam. Per hunc itaque & nobis est ostensa uia ad uitam æter-
 nam. Fortassis erunt qui prophetiam hanc ad ipsum Dauid pertinere suspicentur, non ad
 Iesum. Scio quam magnifice sentiat de patriarcha Dauid, nec immerito ita sentitis. Fuit
 enim ille sanctus ac deo charus, sed ut libere quod uerum est loquar apud uos uiri fratres,
 non tantum est tribuendum patriarchæ Dauid, ut illi quod est Messias ascribatur. Res e-
 nim ipsa loquitur, hoc uaticinium nec in Dauid, nec in quæquam alium patriarcham aut
 prophetam competere. Siquidem, id quod nemini uestrum ignotum est, Dauid defunctus ac
 sepultus est, nec unquam reuixit, quando sepulchrum eius est apud nos in hodiernum usque
 diem, nihil aliud habens quam ossa defuncti ex anima siccaque. Proinde uaticinium hoc non de seipso
 prodidit Dauid, qui sciebat sese more cæterorum sepeliendum & corrumpendum in sepulchro iux-
 ta corpus. Cæterum quum esset afflatus prophetico spiritu, neque nesciret futurum, quod
 deus ipsi iureiurando confirmasset, uidelicet ut Christus iuxta carnem ex ipsius lumbis
 existeret, ac iuxta spirituales sensum sederet super thronum eius, regnaturus in æternum:
 præcius uaticinatus est de his quæ nunc uidetis in Iesu Nazareno peracta, qui sine con-
 trouersia iuxta carnem genus duxit à stirpe familiaque Dauid. Porro quum constet Iesum
 in hac uita nihil affectasse regni mundani, nec unquam sedisse in solio Dauid, sed extrema
 fuisse affectum ignominia, liquet aliud quoddam regnum fuisse promissum, cuius nul-
 lum esse finem pronunciant oracula prophetarum. Non potuit sedere in solio Dauid, si
 semel occisus nunquam reuixisset. Resurrexit igitur, & nunc sedet in solio Dauid, hoc
 est, patris æterni, dominus omnium quæ in cœlis sunt & quæ in terris. Hoc nimirum erat,

quod

quod Dauid afflatus fatidico spiritu, prædixit, & quod prædixit factum est. Quanquam enim anima Iesu descendit ad inferos, non tamen illic detenta est, sed detentas potius liberavit. Ita corpus illius tametsi sepulchro conditum est exanime, tamen illic non computruit, sed deus qui mentiri nescit in promissis, animam ab inferis reuocatam restituit in corpus. Huius rei nos omnes, quos hic uidetis adstantes, testes sumus, qui familiariter cū illo uiuimus, qui frequenter ab illo audiuius, quod & crucifigendus esset iuxta prophetas, & tertio die resurrecturus. Mortis & spectatores & auditores nos fuimus, resurrectionis testes nos sumus, quibus frequenter apparuit, non solum uisus & auditus, uerum etiam manibus contrectatus. Agnouimus uocem, agnouimus faciem, uidimus & contrectauimus uestigia uulnerum. Denique cibum unā nobiscum cepit, ut uerum & idem corpus esse sciremus, quod conditum erat in sepulchro. Itaque qui per homines deiectus erat usque ad extremam ignominiam, hunc deus extulit in fastigium æternæ gloriæ, quam olim patre faciet uniuersis hominibus in fine mundi, nunc interim diuinam apud uos exerens occulta uis spiritus sancti, quam à patre nobis promiserat, quum adhuc ageret in terris. Hunc reuerfus in cœlum, illinc nobis largiter effudit iuxta prophetiam Iohelis. Et hinc est illud miraculum uobis insolitum, quod uidetis & auditis nos loquentes linguis, quas uos ex diuersis linguis conflati pariter intelligitis. Porro quemadmodum prophetia resurrectionis non potest accipi de Dauid, sicuti docuimus: ita quod de ascensu in cœlum, deque consessu ad dexteram Dei patris, deque regno perenni prædictum est, non potest ad Dauid pertinere, quemadmodum ipsi pharisæi confessi sunt, cum domino disputantes. Neque enim Dauid unquam ascendit in cœlum rediuiuus. Et tamen ille spiritu prophetico afflatus, sic loquitur in psalmo mystico: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Itaque palam est in hac prophetia sermonem esse Dei patris, qui Iesum filium Dauid iuxta carnem, dominum iuxta spiritum, euexerit in cœlum, & ut regni cōsortem sibi assidere iusserit. Itaque pro comperto habet hoc uniuersa gens Israelitica, quod deus hunc Iesum Nazarenum, quem uos sustulistis in crucem, euexerit ad regnū cœleste, quodque illum exhibuerit, & dominum uniuersorum, & Messiam, hoc est unctum illum, quem nos nomine Messie, tot seculis promissum à prophetis expectatis. Hæc oratio Petri terrorem iniecit animis auditorum. Erant sibi consensum quod apud Pilatum clamassent: crucifige, crucifige eum: & agnoscunt ex prophetia datum illi regni consortium ad dextram patris, donec omnes inimici eius subicerentur scabello pedum illius. Utorem metuunt iam regnantem, quem occiderant beneficientem. Est autem hoc initium salutis agnoscere culpam, & formidare cōmeritam poenam. Itaque corde cōpuncti, dicunt Petro, ac reliquis apostolis: Quid faciemus uiri fratres? Bene res habet, quum animus sibi male conscius non desperat, sed querit remedium. Hic Petrus mansueti pastoris imaginem exhibens, quid facit? Non sœuit conuicijs, non exaggetat admissum, non repellit ac differt, non præscribit uictimas & holocausta, sed compunctis paratū ostendit remediū, nihil distinguens inter eos qui Iesum crucifixerant, & inter eos qui non consenserant impio facinori: Nullus enim erat immunis à peccato. Ait itaque: Poeniteat uos uite superioris, & tingatur unusquisque uestrum aqua in nomine Iesu Christi: & huius gratuito beneficio dabitur uobis remissio omnium peccatorum uestrorum: deinde de puris & purgatis dabitur donum spiritus sancti, quod uidetis effusum in nos. Ne quis expendat sua merita, gratuitum est totum quod datur, tantum adsit fiducia. Ad uos postea rosque uestros peculiariter pertinet prophetia Iohelis, quos filios & filias, quos seruos & ancillas appellat. Credite promissori deo, & accipite gratis quod promissum est. Nec ad uos tantum, qui estis gentis Israeliticæ, pertinet promissio prophetiæ, uerum etiam ad omnes gentes, quæ procul absunt simul à cognatione generis Israelitici, & a cognitione dei, quoscunque dominus deus noster ex sua bonitate dignabitur aduocare ad huius doni cōsortium. Indicauit et hoc prophetia, subiiciens: Et omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Nec inuocat aut quisquis dicit, domine domine, sed qui in huius misericordia spem omnē salutis collocat. Prædictum est idē ab alijs prophetis, fore ut Euangelicus sermo penetraret usque ad terminos orbis terrarū. Mandauit & nobis dominus Iesus, ut uobis primum annuntiaremus hanc gratiā, deinde gentes ad eandē uocaremus. Siquidem hæc uocatio non est ex meritis hominum, sed ex gratuita benignitate dei. His alijsque pluri-

mis uerbis Petrus testificatus est illis de Christo, proferens testimonia prophetarum, & cum his conferens ea quæ iam euenerant. Doctrinæ addidit exhortationē, quo magis excitaret hæsitantes. Agite fratres, inquit, amplectamini tam insignē, tam obuiam dei erga uos benignitatē. Nostis querelas omnium prophetarū de peruersitate, de duritie gentis Iudaicæ, qua semper sese præbuit rebellem domino deo suo, atq; huius ministris ad salutem ipsorum missis. Quoties restitit Mosi? Quot prophetas occidit? Quoties suis sceleribus prouocauit iram Dei? Vnde iure domus exasperatrix appellatur, ac uitis conuersa in amaritudinē, quæ pro dulcibus uitis dedit cultori suo labruscas. Questus est idem Ioannes appellans illam progeniem uiperarum. Neq; raro idem questus est dominus Iesus offensus inuincibili peruersitate multorum, qui uidentes non uidebant, audientes nō audiebant, intelligentes non intelligebant. Salutiferam doctrinam aspernabātur, beneficia miraculorum tribuebant spiritui Beelzebub. Proinde nationem peruersam appellauit, & incredulam: cui flens exitium denunciauit, quæ caderet, occideret, lapidaret, crucifigeret, omnes à deo missos. Subducite uos fratres ab imminente uindicta dei, exuite peruersitatem Iudaicæ gentis, quæ dum suam iusticiam tuetur, impia rebellat iusticiæ dei. Per fidem ac simplicē obedientiā est parata uobis omnibus salus æterna. Tum demū eritis ueri Israelitæ, tum eritis germani filij Abrahamæ, tum eritis uere Iudæi, si regem uestrum Iesum agnoueritis. Eximite uos à generatione ista carnali, quæ per suam incredulitatē perire mauult, q̃ seruari. Vos renascamini in nationē spiritualem ac cœlestē, quæ seruatur per fiduciam erga Iesum. Hæc nimirum erat eloquentia piscatoris, nō ex præceptis rhetorum cōparata sed cœlitis infusa, & ideo potens & efficax. Hic erat ille gladius, qui pertingit usq; ad dissectionem animæ & spiritus, cuius acie cōpuncta sunt corda Iudæorū. Hic est primus iactus retis, quo piscator hominū traxit copiosam multitudinē. Hoc erat semē ubiq; spargendum Euāgelici sermonis, quod iuxta doctrinā Iesu nō descendit in animos omnium, & tamen hic protinus reperit terram bonam, quæ fructū ædedit. Baptizati sunt enim & appositum numero discipulorum, qui tum erant perpauca, ferè ter mille. Hi nimirum sunt Euāgelici prouentus felices primitiæ. Res noui testamenti hic quoq; congruit cum figura ueteris. Moses quinquagesimo à pascha die iussit celebrari primitias. Hic quinquagesimo die non spicarum, sed animarū primitiæ domino consecrantur. Iam aqua per doctrinam ac fidem purgat ab omnibus peccatis, iam haustus erat cœlestis ille spiritus. Nunc considera, quid agat in illis spiritus diuinus, nec enim est ociosus, quū sit igneus. Data est gratis innocentia, gratis data spiritus sancti gratia. Superest ut curemus, ne quod gratuito largitus est deus sua bonitate, nos nostra incogitantia perdamus. Hæc rudimenta sunt Euāgelicæ pietatis, hæc est uelut infantia primæ regenerationis in Christum. Quod hæcenus traditum est doctrinæ lac est, proficiendum est ad solidum cibum. Vtrunq; cibum debet habere paratum Euāgelici pastores. Sic enim mandarat illis dominus: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos, docētes eos seruare quæcunq; præcepi uobis. Docete baptizandos Euāgelicę philosophiæ rudimenta, quibus nisi quis crediderit, frustra tingitur aqua. Docete baptizatos, ut iuxta doctrinam meam uiuentes, semper ad perfectiora proficiāt. Itaque qui se iunxerant numero discipulorum, perseverabant in doctrina apostolorum, (Nam hinc profectus est uberrimus) atq; in sumendo symbolo fœderis nunq; rumpendi quam illi cōmunionem uocabāt. Id à domino traditū erat huiusmodi. Frangebat panis, & ex eo cuiq; dabatur particula, atq; hoc agentes in memoriam dominicæ passionis, agebant gratias diuinæ benignitati, qui per unici filij sanguinē ipsos expiasset à peccatis, qui per eiusmodi indebitā mortem ipsos cooptasset in hæreditatem uitæ æternæ. Addebant puras preces, quibus rogabāt, ut regnū domini Iesu indies latius propagaret, ut illius gloria per uniuersum orbē inclaresceret, ut illius uoluntati ubiq; obtēperaretur, ut qui fidem Euāgelicā semel essent professi, sacra doctrina cœlestiq; gratia quotidie proficerēt ad medietatem, atq; ita cōcorditer inter ipsos uiuerēt, pacem habentes cū fratribus, ignoscentes iniuriam, si quid esset per humanā fragilitatem admissum, pacē habentes cum deo, qui se misericordem præbet ijs, qui se misericordes exhibent proximo, ut quotidiano numinis auxilio cōfirmati, subsisterēt aduersus omnes satanæ incursus, donec post longa certamina daretur æternū præmium. Hæc tum erāt uicūm Christianorū. Linguarū miraculum, Petri tam uiuida exhortatio, tot hominū subita mutatio, tanta uitę nouitas efficiebāt, ut iā nō

*Erant autem
perseuerantes*

m. or

mor quidam corripere animos omnium sibi male conficiis. Perspiciebant enim, rem non esse conspirationis humanæ, sed uirtutis cœlestis. Siquidem apostoli, non solū loquebantur omnium linguis, uerum etiā multa prodigiosa miracula patrabant inuocato nomine Iesu Hierosolymis, sanandis morbis, profligandis dæmonijs, excitandis mortuis. Hic metus ingens magis etiam occupauit animos omnium. Erat hoc aliquod initium resipiscētis populi. Sed ante omnia spiritus ille cœlestis mutuā beneuolentiam & cōcordiā gignebat in omnibus, quos afflauerat. Nimirū hoc peculiari signo Iesus iusserat agnosci suos discipulos, si mutua charitate cōglutinarētur. Quotquot enim crediderant euāgelio, frequenter aggregabant sese in unum locum, mutuis colloquijs sese cōsolantes & exhortātes. Multi erant, citra quod delectum personarum admittebantur omnes, iuuenes, senes, fœminæ, uiri, serui, liberi, pauperes, diuites. Tanta uero concordia tā dispares copulabat Christi charitas, insita cordibus eorū, ut quod inter germanos quoque rarum est, omnia haberēt inter ipsos cōmunia. Quoque paratior esset inter omnes cōmunicatio, quibus erant prędia, alię uel possessiones, eas diuēdebāt, atque ex precio collectio impartiebant omnibus, prout cuique erat opus, ita ut nec egerent, qui nihil possidebant, nec abundarēt, qui multa possederāt. Sic autē largiebantur, nō quasi de suo, sed quasi de communi. Nam uera charitas nescit rerum proprietatē, nec inter illos uidetur suę quisque rei dominus, inter quos idē est animus. Vix autē illic incidere potest egestas, ubi quisque paulo contentus est, & ex cōmuni singulis distribuitur, non pro libidine, sed pro necessitate. Nihil horum pręscribebāt apostoli, sed ulto pręstabat charitas, plus quā ulla Moysi lex exigere est ausa. Quin & in tēplo quotidie magno animorum consensu perseuerabant deprecantes, gratias agentes deo, ac mutua cōfabulatione semet exhortantes, aliosque quoscunque possent ad Euangelicū fœdus allicientes. Deinde toto die talibus studijs peractio, per singulas domos frangebant panem, atque inuicem capiebant cibum, incredibili gaudio, ac syncerissima simplicitate cordis colaudantes deum, cuius beneficio tantā gratiam erāt cōsequuti. Apud uniuersam uero plebem erant fauorabiles & gratiosi. Quis enim nō amaret homines innoxios, omnibus benefacere paratos, in quibus uidebant tantam dei uirtutem cum tanta modestia tantaque lenitate coniunctā? Annotabis hic Theophile, exordium ecclesię ex concordia & gaudio feliciter sumplisse auspicia. Non potest non esse concordia, ubi est spiritus ille pacificator omnium: non potest nō esse gaudium, ubi pura est conscientia, & certa de promissis Euāgelij fiducia. Caterum ut in perdendo Iesu, nusquam non adsunt pontifices, pharisei, scribę & primores populi, ita hic in felicibus auspicijs nascentis ecclesię nulla horum mentio. Nullus ad hoc contubernium coactus uenit, nulla uis cōtinebat eos in fœdere. Sponte perseuerabant, qui accesserant: & dominus indies alios atque alios attrahebat, quos destinauerat ad salutem, paulatim emergente grano sinapis, late suos ramos sparsuro per orbem uniuersum.

CAP V T III

Simul autem cum alijs Petrus & Ioannes ascendeabant in templum ad horam uergentis iam diei nonam, qua quum alij uel ludere soleant ebrij, uel dormire, illi consueuerant sacris precationibus uacare, ieiunantes usque ad uesperam. Procedeabant duo procures ordinis apostolici, nullis equis aut mulis, nullo satellitio, regio, sed audi pompam apostolicam. Sedebat pro templi foribus quidam populo notissimus mendicus, qui fuerat claudus ab utero matris. Tantum autem erat corporis uitium, ut a baiulis gestaretur. Huius calamitas, ut sit, multos alebat. Nam eum ad quæstum exponebant quotidie ad portam templi, quam uulgus speciosam uocat, ut ab ingreditibus (nam hæc erat frequentissima) peteret eleemosynam. Habet suum ingenium mendicita, nouit eos, qui templum ingrediuntur, aut sic esse affectos, ut libentius dent eleemosynam, aut sic affectos uideri uelle. Is ubi uidisset Petrum ac Ioannem ingressuros templum, comitatus autem indicabat illos esse alicuius precij, & uultus ipse benignitatē pre se ferebat, petebat ab eis eleemosynam. Hic spiritus sanctus submonebat apostolos, adesse tempus ædendi miraculi. Itaque Petrus una cum Ioanne defixis in claudum oculis, ait illi: Aspice in nos. Ad intuitum ad hanc uocem factus alacrior mendicus, intendebat oculos in illos, sperans futurū ut aliquid ab illis acciperet. Stipem flagitabat, stipem expectabat, integritatem membrorum non ausus est emendicare, quia non sperabat illos posse dare. Et tamen animus illi nescio, quid bonę rei pręfagebat. Tum Petrus magnificam

T 4 illam

illam acuerē summo Christi uicario dignam uocē addidit, dicens: Argentum & aurum: quod tu expectas, non est apud me. Quod autem non ex meo, sed cœlesti benignitate ad manū est, quoq; tu magis eges, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Simulq; apprehensa dextra claudi subleuauit eum. Nec mora protinus consolidatę sunt plantę eius ac tali, sic, ut non ægre assurgeret, sed exiliens consisteret pedibus suis, & ambularet quocunq; uellet. At ille letus tam insperato beneficio, unā cū apostolis ingressus est templum, ambulans alacriter ac prę gaudio saliens, ac gestiens, deumq; laudans, unde nouerat hoc beneficium esse profectum. Dei beneficia cælare, ingrati tudinis est: homini ascribere, impietatis est. Totus autē populus, qui frequens aderat in templo, conspici catus est hominem à baiulis gestari solitum, nunc ambulantem alacriter suis pedibus, ac laudantem deum. Agnoscebant autem illum omnes, esse eundem hominem, qui quotidie solitus esset sedere ad portam speciosam mendicandę gratia. Vident subito mutatum. Audiunt agentem gratias deo. Quibus ex rebus uehemens quædam admiratio stuporq; corripuit animos omnium. Porro quum uiderent Petrum & Ioannem, qui tum ut apostolorum primores plerisq; innotuerant (nam his adhærebat, qui fuerat claudus, & per hos sibi contigisse prædicabat sanitatem) factus est totius populi concursus ad illos. Erant autem in porticu quę dicitur Solomonis, in qua solitus est uersari Iesus uerus ille Solomon, & in qua nonnunquam disputarat cum pharisæis. Rei nouitas omnium animos perculerat: Petrus ubi uidet populi concursum, nec ignoraret causam, rursus hunc in modum exorsus est dicere. Viri Israelitę, quur super hac re tantopere uos habet admiratio, quasi uobis sit infrequens ac rarum uidere miracula, aut quasi non maiora uideritis superioribus temporibus? Nos uero quur intuemini, quasi nostra uel uirtute uel pietate sit effectū, ut hic claudus uobis omnibus notus nunc ambulet? Non est humanum negociū quod geritur, neq; nouum est quod uidetis, sed olim per prophetas uestros à Deo promissum. Vos religiose colitis deum Abraham, deum Isaac, & deum Iacob, quos gloriāmini uos habere patriarchas, ac generis autores. Sed huius dei, à patriarchis culti, filiū, ad uos uestrę salutis causa missum humili specie, quo magis eum amplecteremini, similem uobis factū, affecistis extrema contumelia. Ceterum ille filium suum humana malicia deiecit, sua uirtute glorificauit, ut multis alijs modis, ita hoc quoq; factio, per illum sub oculis uestris edidit innumera miracula, docuit cœlestem doctrinam. His tantis beneficijs uos nihil commoti, post multas cōtumelias tandē tradidistis illū in manus impiōrū, ut occideretur: quumq; Pilatus homo ethnicus, & à cognitione legis & cognatione patriarcharum alienus, pronunciaffet illum absoluendum, ut regem uestrum, ut uirum sanctum ac iustum, uos qui ex prophetis debebatis illum agnoscere, palam & constanter abnegastis eum apud prætorium præsidis, dicentes: Nō habemus regem nisi Cæsarem. Tantōque odio sauiistis in illum, ut malueritis ad uestram postulationem uita donari Barrabam, latronem & seditiosum, qui uitam alijs abstulerat, quā Iesum qui uitam omnibus adferebat. Homicidę impetrastis uitam, autorem ac principem uitę immortalis ad mortem adegistis. Sed hūc à uobis interfectum deus, autor omnis uitę, reuocatum à mortuis donauit immortalitate. Cuius rei nos testes sumus, quibus sese rediuuium exhibuit conspiciendum, audiendum & contrectandum, quem & in cœlum uidimus ascendentem. Præcessit humilitas, quam uestra omnium causa assumpserat: nūc subuectus in gloriam à patre, uirtutem exerit per nos, qui nihil aliud sumus, quā testes eorum, quę uidimus & audiuius. Ac per fiduciam, quam habemus in nomine eius, hunc quem uidetis ambulantē, ac nouistis fuisse claudum natum, deus restituit integris pedibus. Nihil hic nobis laudis debetur, neque nostris meritis tribuendum est, nec huius qui restitutus est, sed ut dixi, deus nomen filij sui uoluit esse gloriosum apud omnes, in quo uult omnes suam ponere fiduciam, & spem uniuersę salutis. Hęc fiducia restituit huic ex natiuitate debili, membrorum integritatem in conspectu omnium uestrum. Hęc non solum arguunt illum esse uiuum, quem putatis mortuum, uerum etiam declarant omnem salutis spem in uno illo collocandam. Nec est quod desperetis fratres, permissu consilioq; diuino sic factum est. Peccatum uestrum aliqua ex parte excusat ignorantia humana. Corporis enim imbecillitas obstabat quo minus agnosceretis illius diuinam potentiam, quam ne principes quidem uestri perfectie nouerant. Quam si pernouiissent, nunquam induxissent in animum, omnis glorię principem in crucem

crucem suffigere. Sic expediebat humani generis salutē, sic deus ab æterno definierat, sic per os prophetarum omnium prædixerat, futurum ut Messias quem redimēdis vobis postremo missurus esset, extrema pateretur. Non est mendax deus, quē promiserat se missurum misit: quem uoluit occidi, sic ut uoluit occisus est. Hanc uictimā uoluit immolari peccatis omnium expiandis, per uos immolata est, non sine culpa uestra, sed quæ sit remittenda, si modo poeniteat erroris. Ita fiet, ut quod omnium bono peccastis, uobis quoque cedat in bonum. Est autem facilis ac parata uenia: Tantum poeniteat malefactorum, non huius tantum, sed omnium, & ad uitæ nouitatem cōuertamini: Iesum quem prius negastis, profiteamini regem ac principem uniuersorum: quem ut nocentem damnastis, agnoscite omnium innocentie fontem & largitorē: quem ad mortē adegistis, credite immortalitatis autorem. Nunc uenit tempus est, properate interim ad poenitentiam, & inuenietis misericordiam, ut quum denuo uenerit iudicaturus uiuos & mortuos, & pater quē semel misit humilē uestra causa, denuo miserit sublimē in nubibus, bona fiducia sustineatis faciē illius, quæ terribilis & intolerabilis erit his, qui non egerint poenitentiam. Cæterū qui interim credentes in nomen Iesu, quem & prophetę uobis ante multos annos prædicarūt, & nos iuxta prophetarum uaticinia de illo testificamur, poenitentia deletis peccatis, per fidem illi sese subiecerint, illic refocillationem inuenient à iusto iudice, qui per poenitentiam ac fidem in ipsum promisit salutē omnibus. Hactenus peracta sunt, quacunq; peragenda propheta prædixerant. Nec dubitandum est, quin simili fide deus præstiturus sit & reliqua omnia quæ pollicitus est. Rediturus est Iesus Christus, at nō statim rediturus est. Oportet enim prius per uniuersum orbem prædicari Euangelium dei. Interea ille gloriosus uiuit, sedet ac regnat in cœlis usq; ad tempus illud, de quo prædixit Iohel & Malachias, quo restituentur & consummabuntur omnia, perfectis cunctis, quæ deus loquutus est per os sanctorum prophetarum suorum omnium quotquot à seculo fuerunt. Omnes enim de hoc uno uaticinati sunt. Mosi grauissima est apud uos autoritas. Siquidē hoc duce reliquistis Aegyptum, peragristis desertū, accepistis legem. Atqui is uobis hunc Iesum Nazarenū quem occidistis, promisit, ita loquēs in libro Deuteronomij: Prophetam excitabit uobis dominus deus uester ē fratribus uestris, mei similem, ipsum audietis in omnibus, quacunq; loquutus fuerit uobis. Futurum est autem, ut quisquis non audierit prophetam illum, exterminetur ē populo. Agnoscite Mosi uaticinium, agnoscite uerum Moysen, agnoscite Iesum Christum, natum ē stirpe Dauid, ē tribu Iuda in ciuitate Bethleem, iuxta prophetarum oracula. Hoc duce deus uocat uos in libertatem æternam, per hunc desert nouam legem spiritualem & Euangelicam, per hunc offert remissionem omnium peccatorum ac salutem æternam. Hunc ab omnibus uult audiri. Audit autem quisquis credit. Quicumq; crediderit saluus erit, quicumq; recuset credere, eiectus ē consortio nominēque Israelitarum, peribit irreuerabiliter. Extra Iesum enim nulla est salutis spes. Si creditis Mosi, amplectamini Iesum, quem ille uobis commendauit suo uaticinio. Nec ille tantum de Iesu uaticinatus est, uerum & omnes prophetae à temporibus Samuelis usque ad Ioannem Baptistam, uaticinia prodiderunt, describentes illius natiuitatem, doctrinam, miracula, afflictiones, ignominias, crucem, sepulturam, resurrectionem, ascensum in cœlum, emissionem sancti spiritus in uniuersos credentes, quorum nihil non uidetur esse factum, propagationem Euangelij per uniuersum terrarum orbem, dominiq; reditum gloriosum ac consummationem mundi. Quod si estis filij prophetarum, de quo non iniuria gloriamini, ne diffidite promissis illorum: si filij patriarcharum, intelligite ad uos pertinere pactū, quod deus pepigit cum Abraham, dicens: Et per semen tuū benedictionem cōsequentur omnes familie terræ. Hanc benedictionem non præstitit in Isaac, qui mortuus est nec reuixit, sed in Iesu Nazareno, cuius typū gessit Isaac, sponte semet offerens ad immolationem, quemadmodum Christus obediens patri maciatus est in cruce. Hoc est semē Abraham, per quod nō tantum omnes Israelitæ, uerumetiam omnes totius orbis nationes, si crediderint Euangelio, liberabuntur à maledictione peccati, & hanc benedictionē cōsequentur, ut accepto cœlesti spiritu, uocentur filij dei uiuentis. Ergo promissio dei pertinet quidem ad omnes mundi nationes, sed tamen hoc honoris uobis haberi uoluit, ut uobis primis omnium offerretur, ac iuxta Mosi prophetiam de gente uestra suscicaret ac mitteret uobis, non quemlibet prophetam, sed unicum filium suum Iesum, qui deferret benedictionem

benedictionem Abraham promissam à deo. Hæc est autem benedictio, ut unusquisque parrens Euangelico sermoni, conuertat sese à malicia sua, ac Iesum salutis autorem profiteatur.

CAPVT IIII



Vm Petrus cœlestis orator, & Ioannes illius collega his atque huiusmodi sermonibus exhortarentur populum ad amplectendum Euangelium, nemini palantes, suadentes testimonio prophetarum, terretes formidine futuri iudicii, rursus lenientes ac pellicientes facilitate paratæ ueniam, ac certitudine promissæ salutis, colloquium salutiferum interrumpunt superuenientes sacerdotes, ac magistratus templi, cumque his Sadducæi. Sacerdotes ac magistratus hoc habebat male, quod homines idiotæ in templo regnarent, ac docerent populum, in quo non oportebat loqui nisi rabbinos, pharisæos ac scribas, quodque tam magnifice prædicarent de Iesu, quem ipsi ueluti nocentem ad mortem adegerant, cuius nomen abolitum esse cupiebant. Sadducæos autem illud peculiariter urebat, quod prædicarent Iesum à morte reuixisse, quodque per hunc omnibus pollicerentur resurrectionem. Nam Sadducæi nec angelos esse credunt, nec animas à morte corporis superstites. Proinde mentionem resurrectionis non ferunt. Hic rursus oritur pugna pontificum impiorum aduersus Euangelium, quod Iesus suis discipulis prædixerat fore. Sed quemadmodum malicia, quo magis oblectata est, hoc magis illustrauit gloriam Iesu: ita quo magis rebellant aduersus Euangelij præcones, hoc uehementius erumpit uis Euangelici sermonis. Quid fit? Non disputatur, sed iniiciuntur manus in apostolos. Pertrahuntur in carcerem, producendi in diem crastinum. Tum enim appetebat uespera. Non deerat impia uoluntas sacerdotibus inibi statim occidendi discipulos Iesu, sed obstat rursus metus populi, & quæritur prætextus nefario sceleris, ut quod facerent, iure facere, uiderentur. Sed quemadmodum in Christum nihil ualuit illorum malicia, nisi posteaquam ipse mori uoluit: ita in Christi discipulos nihil poterit illorum conspiratio, prius quam ueniet ille dies, quæ cuique præscripserat cœlestis pater. Christus enim erat in apostolis. Nec tamen fuit infrugifera concio duorum apostolorum, licet interrupta per sacerdotes. Multi siquidem ex his qui sermonem apostolicum audierant, persuasi crediderunt. Crescit sægna, dilatatur granum sinapis, spargit se uis Euangelici fermenti. Iam enim numerus credentium accreuerat usque ad quinque uirorum milia. Agnosce popularem esse rem Euangelium, qui cum raro conuenit huius mundi magnatibus. Agnosce successum Euangelicum. Primores ducuntur in carcerem, nec obluantur ipsi, nec tumultuatur populus, nihil aliud doctus, quam obedire & fidere in Christo. Postridie coit sceleratum concilium, nusquam concors nisi ad perdendum Iesum, & ad operiendam ueritatem. Conueniunt sacerdotes cum templi magistratibus, simulque populi seniores cum scribis Hierosolymitanis. Ad hæc Annas summus pontifex, & Caiphas ob affinitatem huic adharens, præterea Ioannes & Alexander, tum inter sacerdotes præcipui; denique quotquot erant ex genere sacerdotali, in quo tum quo quisque erat autoritate superior, hoc erat sceleratior. Atque hæc ipsa primorum tam anxia diligentia satis arguit rem non esse uulgarem, in qua coercenda tam sunt solliciti. Quid enim est quod sibi metuant à paucis, obscuris, & indoctis, hominis damnati & crucifixi discipulis? Producuntur ex carcere Petrus & Ioannes, statuuntur in medio tanquam rei. Quis idiota non obstupesceret conspectio concilio tam frequenti, tamque magnifico? Magno fastu considebant pontifices & sacerdotes religionis proceres: tum magistratus, deinde seniores populi, nihil aberat autoritatis. Inclementiam uero & iniquitatem iudiciorum iam uiderant in præceptore suo Iesu. Et tamen adstant serenis & intrepidis uultibus. Nimirum dominus Iesus illis hæc omnia prædixerat euentura, & animos illorum aduersus huiusmodi casus armauerat. Hic mihi rursus agnosce exemplum eius iudicii, quo damnatus est Iesus. Interrogatione captus est. Percontantur igitur. & hi de claudo restituto: Qua uirtute aut quo nomine facitis istud? Poterant hoc in templo sciscitari prius quam eos ducerent in carcerem, poterant cum ipso populo didicisse: quandoquidem Petrus huius facti dilucide reddidit rationem. Sed maluerunt auspicari à contumelia. Nec post quæritur ueritas, sed ledendi captatur occasio. Erat hoc argumentum mox desituri sacerdotum, quum pleni uitæ nihil haberent, quo tuerentur autoritatem suam, nisi coniurata concilia, carceres & mortes. Quid hic agit Petrus ille, qui ad minas mulierculæ ancillæ ter abiurauit dominum? Num expauescit?

Num

Num obortis tenebris obstupefcit? Num uox faucibus hæret? Nihil horum. Quid ita? Nimirum alius erat factus. Tunc humano ductus spiritu, pollicebatur ingētia, ac mox oblitus temere promissorum, fugit & peierauit: hic autem plenus spiritu sancto, fortiter atq; ex tempore causam perorauit, admirabili prudētia tēperans orationē, ut nec libertas exiret in conuictum, nec lenitas saperet adulationem aut metum, sed huc tenderet totius dicti onis apparatus, ut per Iesum salus contingeret omnibus. Petrus itaq; hunc in modum loquutus est. Principes populi & seniores audite: Equidem demirabar quam obrem essemus iussi duci in carcerem, quum nobis nullius essemus facinoris conscij, quādoquidem principes nō nisi ob malefacta solent homines in carcerem ducere. Nunc si, ut uideo, nullum crimen intenditur, neq; maleficium obijcitur, sed de beneficio collato in hunc hominem ante debilem & contractum, nunc sanum & integrū, examinamur, nō grauabor uobis reddere rationē. Est enim hoc nostri muneris, omnibus placide reddere rationem de fide Euāgelica, si quis cupiat discere. Proinde notum sit hoc omnibus uobis, qui primores estis, nec uobis tātū, sed & uniuerso populo Israelitico: quod enim docemus ad omnium salutem pertinet, siue principū, siue plebeiorum: quod hic quem uidetis adstare nobiscum membris integris ac sanis, quum omnibus notum sit, ante hac à baiulis gestari solitum, beneficium hoc nec arte magica, nec humana uirtute, nec nostris meritis fuerit cōsequutus, sed per inuocationem domini nostri Iesu Christi Nazarenī, quem uos ante dies paucos per Pontium Pilatum adegistis in crucem. Verum hunc deus suscitauit à mortuis, & immortalitate donatum præfecit uniuersis. Itaq; nunc nominis illius uis idem agit in sanandis & seruandis hominibus, quod ipse præsens agere consueuit in terris. Nimirū hoc est, quod prædixit psalmi prophetia de lapide ab hominibus reiiciēdo, sed à deo subuehēdo. Hic est enim lapis ille, qui reprobatus est à uobis ædificantibus synagogā. Vnde uos illū reu reprobuū eiecistis, sed à deo factus est caput anguli, suo robore totum ædificium ecclesiæ, ex utroq; populo gentium & Israelitarum ædificandæ complexurus. Per hunc pater cœlestis offert salutem omnibus, nec est cuiquam ulla salutis spes nisi per Iesum. Scio apud uos grauem ac sacrosanctam esse auctoritatem Mosi, patriarcharū & prophetarum. Sed ita uisum est patri, ut per solum filium suum omnibus sit parata salus, unde & Iesum appellari uoluit. Nec enim datum est aliud nomen sub cœlo, nec dabitur aliud, per quod oporteat saluos fieri. Non est igitur quod miremini, tantum in hoc claudu ualuisse nominis huius inuocationem, quum huius uirtute sit parata salus æterna omnibus ipsum inuocantibus. Hæc ubi loquutus est Petrus, quotquot erant in eo concilio, perspecta libertate constantiāque Petri & Ioannis, quæ sese ipso etiam uultu proferebat, compertōque, quod homines essent illiterati ac plebei, admirabantur, unde tantum fiducia, unde tantum eloquentiæ, unde prophetarum cognitio. Denique cœperunt eos agnoscere, quod fuissent affectatores Iesu, quem per inuidiam occisum fuisse, ipsi sibi erant conscij. Magnus scrupum iniiciebat animis illorum, tam imperterrita plebeiorum & illiteratorum hominum libertas, quos nec domini supplicium, nec tam celebris concilij splendor & auctoritas uel tantillum commoueret. Conspiciebant hominem ipsum adstare toti populo notum, qui natus insigniter claudus, iam alacriter ambularet. Res erat peracta subito, nec in occulto, sed pro templi foribus, non magicis artibus, sed inuocatione nominis Iesu, quem illi iam putabant extinctum. Factum erat euidentius, quā ut negari posset. Nec erat calumniæ di occasio. Quid enim fauorabilius, quā misero gratis dare sanitatem? Nihil itaque respondent apostolis, nec enim erat quod responderent, quandoquidem quod factum erat, nec refellere poterant, nec probare uolebant. Proinde iussis apostolis unā cū sanato e concilio secedere, consultant inter sese, conferuntq; consilia dicentes: Quid faciemus hominibus istis, quamlibet literarum rudibus ac plebeijs? Quandoquidem hoc insigne miraculum per illos æditum esse, notius est omnibus habitantibus Hierosolymis, quā ut inficiari possimus. Si negemus factum, nihil aliud lucrifaciemus, quā impudentiam: si damnemus ac puniamus, uidebimur inclementes & iniqui, ac magis etiam populum in nos irritabimus. Nihil superest, nisi ut mitiore consilio utentes, curemus ne malū hoc, ut cunq; natū, latius serpat ac diuulgetur in populū. Solent enim huiusmodi pestes semel natæ, si exagites, inualefcere, latiusq; grassari, q̄ si negligantur. Consultū itaq; uidetur, ut abstineamus à supplicio, sed atrocibus minis terremus eos, ne posthac cuiq; hominum

hominum, neque Iudæo, neque alterius nationis uerba faciāt de nomine Iesu. Hæc sententia, qua nulla dici potuit stultior, placuit toti concilio, & in hanc itum est pedibus magno consensu. Iam conspexerant constantiam ac fortitudinem apostolorum. Videbant rem esse notā toti populo, intelligunt illud nomē Iesu, tā efficax, tamque salutiferū esse. Qua nam igitur fronte iubent aut sperant posse supprimi, præsertim, quum ipsis per idem nomē liceat assequi salutem æternam? Nimirum talia sunt consilia principum & pontificum, sacerdotum ac primorum, quoties humano spiritu cogitur concilium. Sunt & illic nonnunquam qui quid rectum sit perspiciant, uerum id si sequantur, uident paratam iacturam suæ gloriæ, dispendium rei, aut aliud huius generis incommodum. Comprobata suffragiis omnium hac sententia reuocantur apostoli, denunciatur illis totius concilij nomine, ne quæ mortalium, uel clām, uel palām, uel publice, uel priuatim, uel domi, uel foris docerent Iesu doctrinam, aut omnino mentionem eius nominis facerent. O stultam mundi sapientiam. Extinctum in sepulchro retinere non potuerunt, & nomen quod semper à morte solet inclarescere, conantur sepelire. Petrus & Ioannes, ubi magna cum auctoritate recitatum esset concilij decretum, fortiter quidem, sed citra contumeliam responderūt: An iustum sit in conspectu dei uestris iussis obtemperare potius quam dei, uos qui legis præcepta tenetis iudicate. Sic deus per ora prophetarum futurum prædixit, sic Christus dei filius nobis præcepit, sic spiritus cœlestis, quem ille se nobis à patre missurum promiserat, animis nostris dicat ac suggerit, ut ad salutem omnium prædicemus nomen domini Iesu Christi, testificantes quæ uidimus & audiuius. Si quod rectum est iudicaueritis, submittetis & uos ipsos iudicio diuino. Sin secus, quicquid de nobis statueritis, nos certe non possumus non loqui, quod oculis uidimus, quod auribus audiuius, & quod deus omnibus hominibus præferendus uult apud omnes prædicari. Hoc responso tam masculo, tamque libero accepto, consultores illi nihil aliud quam minitantur, ac terrire conantur. O deploratum concilium, non habent argumenta, quibus persuadeant: non habent rationes, quibus coarguant: non habent testimonia scripturarum, quibus doceant. Tota auctoritas in minis est. O semper timidam impiorum conscientiam. Cupiebant punire innocentes, aderat peruersa uoluntas, sed principes metuunt plebeios, magistratus priuatos, tam multi paucos, armati inermes, docti indoctos. Non habent apostoli satellitium, non coniuratos dignitatum ordines. Sed habent quiddam, quod nulla potestas mundi præstare ualet: In nomine Iesu surge & ambula. Ad beneficiendum potentes sunt, ad lædendum inermes. Itaque apostoli ex eo concilio tum quidem dimissi sunt, minis onusti. Non enim primores deposuerant animi maliciam, sed differebant, occasionem aliam uenaturi. Non enim inueniebant rationem puniendi eos, idque ob populum, quem deo contempto metuebant. Omnes enim laudibus uehebant id, quod factum erat in sanando claudo. Et hoc factum apud omnes erat euidentius, quod is in quo proditum est hoc miraculi, natu maior esset annis quadraginta. Sic natus erat, & tot annis ostētarat mendicus suum malum, ut nemo calumniari posset, uitium fuisse simulatum aut leue. Petrus autem & Ioannes dimissi à concilio redierunt ad suos, congregatos in cœnaculo, iam de euentu sollicitos: atque illis exposuerunt rem omnem ordine, quid obiecissent principes, quid ipsi respondissent. Hic uero mutua charitas gaudia cumulauit. Gaudebant discipuli dimissos apostolorum proceres. Gaudebant apostoli, gaudium hoc discipulis benignitate domini contigisse. Sic deus omnia temperat suis famulis, ut lata tristibus misceat, quo possint sustinere, utque uicissim pro lætis agant gratias, pro tristibus dominum deprecantur. Cœtus itaque posteaquā audisset narrationem apostolicam, magno consensu sustulit uoces suas ad dominum, cuius beneficio cœpisset succedere res Euangelica, dicens: Domine deus omnipotens, qui uerbo tuo condidisti cœlum, terram ac mare, & quicquid in his est: cuius sanctissimæ uoluntati nulla uis hominum potest resistere: cuius æterna decreta nulla potest hominum conspiratio labefactare, quod nunc fieri uidemus, hoc olim spiritus tuus sanctus per os patriarchæ nostri David tui cultoris, proloquutus est futurum, dicens: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in unum aduersus dominum & aduersus Christum eius. Agnoscimus fidem uaticini. Quod ille spiritu tuo afflatus uidit futurum, hoc nos respice & factum & fieri uidemus. Vere enim in hac ciuitate, quæ pietatis habet professionem, aduersus omnis pietatis magistrum ac ducem sanctum Iesum

lium tuum Iesum, quem tu unxeras unxione coelesti: cōuenerunt terreni reges Herodes & Pontius Pilatus, unā cum gentibus & populis Israel, impijs consilijs agitantes, ut ea facerent, quæ tu inuincibili uirtute tua, & æterno consilio tuo decreueras, ut ad salutem humani generis fierent. Quisquis autem conspirat aduersus filium tuū Iesum abs te mis- sum, is conspirat aduersus te. Et ecce rursus coit concilium frequens primorū aduersus sanctum nomen filij tui Iesu. Tu uero quemadmodum Iesum ab illis interfectum exci- casti à mortuis, & in coelos ad regni confortiū subuexisti, irrisi illorū concilijs, ita nunc quoq; aspice ir minas illorū, ne præualeant, sed da seruis tuis robur ac fiduciam, ut sum- ma constantia proloquantur sermonem Euangelicum, qui tuus est, non hominū, nimi- rum nobis abs te per filium tuum delatus in terras: & quemadmodum claudi sanati mi- raculum plurimos attraxit ad professionem nominis Iesu, coniuratos autem aduersus Iesu gloriam principes terrarū, ita & in posterum adsit illis manus tua omnipotens, ut sa- nandis & alijs, ac similibus miraculis & prodigijs ædendis per nomen sanctum filij tui Iesu, clarius ac latius elucescat Euangelij tui gloria, frustra fremētibus his, qui tibi tuoq; filio rebellant. Hæc quum unanimiter essent precati, cōmotus est locus in quo erant con- gregati. Nam eo signo Dominus indicabat preces exauditas, ac uota rata fore. Nihil enim tam efficax quam deprecatio cōsentientis ecclesiæ. Siquidem magna uis sit opor- tet, quæ terram inmobilem concutiat. Non erat hoc inane signum, ilico renouatus & auctus est in omnibus uigor sancti spiritus, adeo ut non solum ob minas principum non calarent Euangelicam doctrinam, uerumetiam libetius ac fortius, atq; etiam plures q̃ ante, prædicarent nomen domini Iesu. Hæc est enim natura profectus Euangelici, ut si- cuti crocum & alia nonnulla per iniuriam felicius proueniunt, ita aduersus opprimen- tem mundum magis insurgat & elucet. Iam intra paucos dies accreuerat ingens nu- merus profitentium nomen Iesu. Et ut intelligas hanc. conspirationem non esse huma- nam, inter tam multos nulla erat ambitio, nulla inuidia, nullæ rixæ, nulla contentio, sed tantus erat consensus, tanta tranquillitas, ut diceret, omnibus esse cor. unum & animam unam. Iam enim desiderant suo quisq; duci sp̃itu, qui tam uariis est in hominibus, ut ægre reperiās duos germanos, qui inter sese consentiant. Sed uno sp̃itu Iesu reguntur omnes. Hinc ille tantus consensus tot hominum, alioqui sexu, ætate, fortunis inter sese dissimilium, ut nō solum illa essent omnium cōmunia, quæ sine dispendio impartientis communicari solent, quod genus sunt doctrina, consilium, admonitio, consolatio, ex- hortatio, uerum etiam facultates, quæ dispendio possessoris cōmunicantur alijs, & ideo uix inuenias, qui sustineant hic esse liberales. Inter hos autem harum quoq; rerum tanta erat cōmunio, ut nemo ex his, quæ possidebat, uel diceret aliquid esse suū. Proinde qui de suis facultatibus impartiebat, nihil gratiæ reposebat ab his quibus communicabat, quod id quod dabatur iudicaret esse eius, cui erat opus, sibiq; raptor & iniquus uidere- tur, si quid apud se detinuisset, quod fratris egestas postulabat. Apostoli uero, qui huius nouæ ciuitatis uelut principes erant, inopes rerum, sed spiritus sancti dotibus opulenti, indies magis ac magis augebant multitudinem, ingenti animi robore, magnaq; poten- tia miraculorū testificantes de resurrectione domini nostri Iesu Christi. Hoc enim in pri- mis erat testimonio miraculorum persuadendum. Nam morientem pleriq; uiderant, & sepulchrum non pauci nouerant. Itaq; sub fortissimis ducibus nouus ille populus felicissi- me degebat, concordia sarciente quod deerat facultatibus. Quū enim essent pleriq; te- nues, tamen nullus erat inter illos egens. Quorquot enim erant possessores agrorum aut ædium, diuendebant ac precia rerum uenditarum adferebant ac deponebant ad pedes apostolorum, ut illorum arbitrio, quos habebant patrum loco, res cōmunis distribuere- tur. Porro quanta erat simplicitas in his, qui precia possessionū suarū adferebant, tanta erat sinceritas in his, qui distribuiebant. Rara est inter pecuniarum dispensatores fides. Hic nullo delectu personarū pro cuiusq; necessitate distributio peragebatur. In hac mul- titudine erat Ioseph, cui cognomentum ab apostolis additum est Barnabas, quod apud Syros sonat, filius consolationis, genere Leuites, patria Cyprius. Hic quoniam magnis donibus inter ceteros eminebat, unde ob gaudium, quod ex huius accessu contigit mul- titudini, dictus est Barnabas, multis exemplo fuit, ut Euangelicam imitarentur liberali- tatem. Quum enim haberet in Cipro fundum, uendidit illum, & attulit precium ac de-

posuit coram pedibus Apostolorum, ueluti rem uilem & aspernam. Tanta autem erat Apostolorum sanctitas, ut hinc sibi nihil decernerent præter cæteros.

CAPVT V



Vemadmodum autem Barnabæ simplicitas multos commouit ad liberalitatis æmulationem, ita paratum est exemplum ad deterrendos omnes, ne quis in negotio spirituali fraudulentiam admisceret. Amat enim spiritus simplicitatem cordis, & odit omnem fucū ac simulationem. Sic inter duodecim apostolos paratū est exemplum Iudæ, ne sibi quisquam fideret, sed omni solitudine perseueraret in officio. Erat autem in hac multitudine uir quidam nomine Ananias, parum respondens suo nomini, propterea quod ipse parum responderet gratiæ dei. Huic erat uxor nomine Sapphira, marito similis. Ananias igitur, quum uideret aliorum simplicem ac spontaneam benignitatem apud omnes laudibus uehi, gloriæ studiosior quàm pietatis, uendidit agrum suum, ac precij portionem aliquam detraxit ac seposuit, idēq; conscia & approbante uxore, ueluti partiens pecuniā, ut altera parte mercaretur laudem & opinionem pietatis, alteram sibi seruaret, si qua necessitas incidere: nimirum diffidens spiritui sancto, magisq; sibi prospiciens, quàm fratrum contubernio: sic cogitans apud sese, si cæteri periclitabuntur fame, mihi certe prospectū est. Hæc cogitatio nec erat toto pectore fidentis Christo, qui pollicitus erat nihil defuturū quærentibus regnum dei & iustitiam eius, nec erat habentis cor unum & animā unam cum cæteris. Quum igitur ex precio diuenditi agri partem aliquam precij attulisset ad pedes apostolorum, Petrus afflatu spiritus diuini, quo plenus erat, intelligēs hominis impiam simulationem, ait: Anania, quum te semel spiritui sancto dedicaris, quumq; huius uim tot argumentis perspexeris, quur rursus impleuit animum tuum spiritus satanæ, ut mendacio uelut illudens spiritui sancto, qui falli non potest, furtim detraheres de precio fundi tui, & istud omnium perniciosissimum exemplum induceres in hanc cōgregationem? Si nos nolentem impulissemus te ad uendendum agrum tuū, erat fortasse quorsimulares, nunc quum ultro feceris quod fecisti, quorsum attinebat benignitatis exemplum fūco simulationis uitare? Nōne prorsus tibi manebat fundus tuus si uoluisses? Nōne etiam posteaquam uendideras, licebat totum precij seruare tibi: Laudatur eorum simplicitas, qui sponte quod habent proferūt in medium. Nemo uero cogitur à nobis id facere, si nolit. Vnde igitur induxisti in animum facere fucum in hoc negotio? Non es mentitus hominibus, sed deo. Quod si deum credis posse falli, impie de illo sentis. Sin credis illum nihil latere, aut contemnis illius iustitiā, aut putas fauere fraudulentia. Ananias autem sentiens, animi sui fraudulentia nequaquam fugere apostolos, obiurgatione tam seuera percussus, subito concidit & expirauit. Perijt unus, ut multorum salui consuleretur. Nam huius facti rumor ubi permanauit ad cæteros, omnibus magnū terrorem iniecit, ne quid simile auderēt aduersus spiritum sanctum. Iuuenes autem surgentes amouerunt cadauer, & elatum sepelierunt. Non merebatur ille sepulturam, sed amouendus erat, ne funestaret puram & sanctam congregationem. Fortassis succurret hic alicui demirari Petri austeritatē in Ananiam, qui tanta lenitate dudum ad ueniam inuitarit eos, qui crucifixerant Iesum, tribuens ignorantia, quod factum erat, & offerēs poenitentibus salutem æternam. Hic ob paululum pecuniæ detractum à benignitate, tanta obiurgatio, nec ulla ueniæ spes ostenditur. Nimirū dominus Iesus, qui per baptismum uniuersos homines inuitari iusserat ad salutem, condonatis peccatis omnibus, paucorum exitio docere uoluit, quanto grauius sit post acceptam Euangelij gratiam ac lucem relabi in peccatum, non iam per incogitantiam aut inscitiam, sed per destinatam simulationem. Sciebat autem præcipuam Euangelicæ synceritatis pestem ex hypocrisi & auaricia nascituram, & ob id in ipso statim ecclesiæ nascentis exordio aditū est exemplum insigne: per quod admonerentur omnes, neminem euitaturum ultionem diuinam, quisquis Ananiam imitaretur, etiam si hic non statim nocentem sua poena corripere. Non enim hic agebatur de iaciura precij, sed de diffidentia erga deū, de irrisione spiritus sancti. Petrus autem nō infligit poenam, sed obiurgationis infudit acrimoniam, ut sanaret. Ille uero nec prorumpens in lachrymas, nec poenitentia uocem ædens, ultione diuina percussus est. Ac mira dei clementia, percussus est unus, ut seruaretur multi. Iustitiæ exemplum

emplum est æditū in eum, qui perijt: misericordiæ donum effusum est in plurimos, qui huius exemplo cauerunt à peccando. Intercesserat trium ferme horarū intervallum, & ecce continxit Ananiæ, nesciens quid accidisset marito, ut homines ferè domestica mala sua resciscunt ultimi, ingressa est, conscia fraudulentæ mariti, falsæ laudis portionē sibi quoque vindictura, cuius impijs cogitationibus respondēs Petrus, ait: Dic mihi mulier, num tanti uendidistis agrum, & non pluris, quàm hoc habet precium? Illa nimium marito similis, impudēter respondit. Etiam, tanti uendidimus. Tum Petrus ad illam: Quid ita conspiratum est inter te & maritum tuum, ut mendacio tentaretis non nos, sed spiritum domini, quem uidetis operantem in nobis? Quoniam autem tibi libuit esse sociam marito in hac impia simulatione, eris & supplicij consors. Ecce pedes eorum, qui sepelierunt uirum tuum adsunt ad ostium, idem efferent te. Ad hanc uocem ilico collapsa mulier expirauit. Simul ingressi sunt iuuenes, ac repperunt mulierem mortuam. Extulerunt igitur eam, ac sepelierunt iuxta uirum suum. Seuerum exemplum, sed salutiferum, nec sæpius quàm semel ab Apostolis proditum. Quanquam Petrus, quo nihil erat mitius, non hic inflixit supplicium, sed afflatus spiritu denunciauit. Petrus tum instinctu diuini spiritus sciebat, quid esset actum, & quid esset futurum. Deus autem quæ nihil fugit, pœnam sumpturus est de his, qui fuco illudunt uiris apostolicis, etiam si tales sint, ut falli possint. Nec enim hoc donū spiritus, quod tum aderat Petro, perpetuū est omnibus. Nunc uide mala ex re bonū fructum. Ex duorū iusto interitu, ingens timor obortus est per uniuersam ecclesiam credentiū, quin & alios, qui nondum crediderant, huius exempli terrore inuaserat. Cæterum per apostolos multa & magna miracula prodebantur apud populum, quo perspicuum esset omnibus, rem non esse uirum humanarum, sed uirtutis diuinæ. Quotquot autem adhæserant Euangelio, uersabantur unanimiter in porticu, quæ dicitur Solomonis. Non enim iam latere cupiunt, sed tēpus erat, ut candela imposita candelabro luceret omnibus ingredientibus domum. Cæterorum autē, qui nondum dederant nomen in baptismo, nullus audebat se illis coniungere. Videbant enim populum deo sacrum, ac religione quadam abstinere ab illorum congressu, quemadmodum solent profani ab his quæ templo dicata sunt temperare. Nec enim oderat eos populus, sed ob insignem dei uirtutē in illis refulgentem suspiciebat ac reuerabatur. Quanquam & Ananiæ Sapphiræque exemplum multis incusserat terrorem, ne quis fide semet adiungeret. Porro magis ac magis indies accrescebat multitudo credentium domino, uirorum simul ac mulierum, in tantum ut uulgo in plateas exponerēt ægrotos, quiq; pedibus suis ingredi non poterant ob morbi magnitudinem, eos in lectulis ac grabbatis proponebant in publicum, ut adueniente Petro, uel umbra prætereuntis obumbraret aliquem illorum. Nimirum his exhibita est promissio domini Iesu, qui de discipulis dixerat: Et his maiora facient. Contactu fimbriæ Iesus sanauit aliquot, umbræ contactu neminem sanauit. Indies latius sese spargebat miraculorū fama, adeo ut ex uicinis quoque ciuitatibus magna uis hominum accurreret Hierosolymā, adducens secum uarijs morbis obnoxios, & ab impuris spiritibus uexatos, qui sanabantur omnes. In tam admirabili rerum successu cōuenit obseruare inuictam apostolorū modestiam, qui nihil hinc sibi uindicebant gloriæ, sed laudem uniuersam in nomen domini Iesu referebāt. Quum igitur hunc in modum feliciter inclaresceret nomen Iesu Christi, seseq; quotidie latius diffunderet Euangelicæ doctrinæ fragrantia, non tulit ueræ religionis incrementum falsæ religionis antistes Annas. Huic præter cæteros potissimum adhærebant, qui pertinebant ad sectam Sadducæorū, quod præcipua testificatio apostolorū erat de resurrectione domini nostri Iesu Christi. Quæ res mitiores fecerat pharisæos, qui resurrectionem asserunt aduersus Sadducæos. Decretum erat, ut res orta, dissimulatione consopiretur. Sed malicia uicit consilium, ac furor metum excussit. Nam sacerdotum princeps cōmotus zelo satanæ, unā cum Sadducæis manus iniecit in apostolos, ac posuerunt illos non iam in priuato carcere, uelut examinandos, sed in publico tanquam in manifesto scelere deprehensos. Delectus erat carcer insigniter munitus; ne quā possent elabi, ne ue per tumultum plebis eripi. Verum Euangelicus sermo nec uinciri, nec includi potest consilijs humanis. Iesus enim qui protector est suorum, misit angelum suum, qui noctu reueratis carceris foribus eduxit illos, & ait: Ne quid uos perturbet sacerdotum malicia, quin po-

tius tanto constantius, quā cœpistis pergite. Ite, & in ipso templo stantes prædicate populo, quicquid uobis mandauit prædicandum apud uniuersas orbis nationes. Erat alioquando tempus, quum se uetaret prædicare Christum. Nunc adest illud tempus, de quo uobis dixerat: Nihil occultum, quod non reuelabitur: & quæ nunc in aurem auditis, prædicate in tectis. Hac exhortatione angeli, facti animatiores Apostoli, diluculo ueniunt in templum, atque ex more docent frequentem multitudinem. Summus autem pontifex ignarus, quid gestum esset noctu per angelum, adiunctis sibi Sadducæis, & quos habebat certos suæ sententiæ suffragatores, uenit in concilij locū. Eo conuocatum est uniuersum cōcilium sacerdotum, & magistratuū unā cum toto ordine seniorū gentis Israeliticæ. Iam enim ob contumaciā facti iritiores decreuerant atrocius aliquid in eos statuere. Atq; hic interim considera lector maliciosam impudentiam sacerdotum, qui quum nihil haberēt, quod merito criminaerentur in Apostolis, tamen frequenti concilio peragunt, quicquid libuit, ut quod erat impium, hoc ipso iustum ac rectum uideretur, quod totius concilij consensu decretum fuisset. Vbi magnifice suo quisq; loco consedere procures, missi sunt uiatores, qui reos e carcere eductos sisterent in cōfessu. Ventum est ad carcerem, reperti sunt custodes ad ostium carceris excubantes. Apertum est ostium. Ingressi nullum apostolorum reppererunt: nec ullum uestigium, quā fuissent elapsi. Itaque ministri reuersi ad concilium, quod uiderant renunciant. Carcerem quidem, inquit, inuenimus summa diligentia clausum, & custodes adstantes ad ostium. Ceterum ubi patefacto ostio sumus ingressi, neminem illic offendimus. Ea res uehementer perturbauit omnium animos, præsertim eorum, qui magistratus erant templi ac sacerdotum principes, iamq; ancipites cōsilij ambigebant, quorsum hæc res esset euasura. Interea dum hærent, dum consultant, dum trepidant, interuenit quidam, qui tristi nuncio magis etiam illorū animos perturbaret: Ecce, inquit, uiri illi quos heri inclouistis carceri, nunc in templo stant ac docent frequentem populum. Tum ex sacerdotum sententia magistratus templi, quoniā ad ipsos proprie pertinebat curare, ne quid fieret in templo secus quā oporteret, abeunt in templum, adiuncto sibi satellitio ministrorum aduersus uim populi. Reperiunt id quod erat nuntiātū, stantes illos in templo, ac frequenti multitudini concionantes de Iesu. Non tamen iniiciunt manus, quemadmodum antefecerant. Videbant enim numerosam populi multitudinem: ac metuebant, ne si quis turmultus fuisset exortus, lapidarentur. Sed nec talis erat illa multitudo, ut uim pararet, nec tales apostoli, ut ui defendi cuperent. Aderat infracta animi constantia, sed absq; ferocia. Vident eos per quos pridie fuerant ducti in carcerem. Nec sibi tamen metuunt, nec fugiunt, nec sermonem Euangelicum interrumpunt, donec magistratus illis placido sermone persuaderet, ut uenirent in conciliū. Paruerunt apostoli, ne publicam potestatem uiderentur contemnere. Dominus enim non docuerat illos, ne irent uocati, sed ut intrepide loquerentur. Ventū est in concilium, statuuntur in medio tam magnifici cōfessus, duo piscatores, cum simili comitatu. Tum Annas sacerdotum omniū princeps, magna cum autoritate, nec minore supercilio, sic exorsus est: Nōne proximo concilio ex tantorum uirorum autoritate etiam atq; etiam præcepimus uobis, ne pergeretis docere populum, aut ullam nominis Iesu, quod abolitum esse uolumus, mentionē faceretis apud ullum hominem, nec exterum, nec Iudæum, nec publicē, nec priuatim: Et ecce contempta totius autoritate concilij, non solum non siluistis, uerum etiam tanto uehementius prædicastis, adeo ut impleueritis totam Hierosolymam uestra doctrina, rumore eorum quæ facitis ad finitimas etiam ciuitates peruagante. Vultis igitur malicioso studio nobis impingere inuidiam mortis hominis istius. Prædicatis enim palam illum per nos ocisum, id quod negari nō potest. Eundem prædicatis iustum & sanctū ac deo probatum, & in nomine illius æditis miracula, nos uidelicet apud multitudinē traducentes & condemnantes impietatis, qui talem ad mortem adegerimus. Hæc erat oratio summi pontificis, quæ nihil habet iustæ defensionis, tantum autoritate territat, ut quod uerū erat, & ob salutem omniū omnibus prædicandum, ob impiorum gloriā sileretur. Nunc contra audiamus piscatorem & euangelicum pontificem fortissime quidem, sed admixta mansuetudine respondentem apostolorum omniū nomine: Magnifice pontifex, inquit, magistratus, seniores reliquiq; uiri præclari, qui considetis in hoc concilio, nos uestra auctoritatem

ritatem nequaquam contemnimus, sed auctoritatem diuinam humanæ præferimus, idcirco nos esse facturos respondimus, quum nobis interdiceretis, ne nominis Iesu mentionem faceremus. Neque puto quenquam esse in hoc concilio, qui putet æquum esse, ut ob hominum interdicta negligamus iussa Dei, & dum metuimus iram uestram, incurramus iram dei. Si uestra iussa consentirent cum uoluntate dei, libenter & uobis & illi satisfacere non possumus, malumus obedire deo quàm hominibus. Neque cuiquā inuim magis expedit, ut uestram auctoritatem submittatis uoluntati diuinæ, quàm ut nos huc adiugatis nolentes, ut diuinæ uoluntati repugnemus. Nulli non patet remissio peccatorum, si ueritatem Euangelicam amplectens, respiscat. Ea sic habet, quemadmodum & antea excitauit à mortuis Iesum filium suum, quem uos interfecistis, suffigentes in crucem. Sic enim erat definitum diuino cōsilio, sic erat prædictum à prophetis, ut unus pro salute mundi mortem obiret. Hunc iuxta corporis imbecillitatem ab hominibus interfectum, deus reuocatum ab inferis, sua uirtute subuexit in hanc gloriam, ut omnibus dux esset & saluator, sed præcipue populo Israelitico: & per hunc esset omnibus parata remissio peccatorum omnium, qui malorum suorum agentes poenitentiam, nomen illius profiterentur. Atque horum, quæ dicimus, nos sumus testes, qui prius quàm moreretur, doctricam cum illo cōsuetudinem egimus, & à morte rediituum frequenter audiuius, uidimus & cōtractauimus, donec omnibus nobis uidētibus ascenderet in cœlū. Quod si leue pondus apud uos habet nostrum testimonium, testificatur idem spiritus sanctus, quem ut uidetis effundit in omnes, qui obtemperant euangelio. Auditis nouas linguas, uidetis ædificata miracula. Nihil hic nostrum est, Iesu spiritus est, qui per suos ministros exercit uim suam. Hæc uere apostolica oratio, quæ uel terrere debuerat illos metu supplicij, uel allicere spe paratæ salutis, magis exasperauit illorum animos, adeo ut ira dirumperetur, & inter se consularēt de occidendis illis. Iam assueuerāt homicidio sacerdotes: & laniandis pecudibus in templo, ad nihil aliud profecerant, nisi ut facilius & homines iugularent. Nulla hic mentio scripturæ diuinæ, nulla doctrina, nulla ratio. Tantū sic iubemus, sic uolumus, aut obtempera, aut morere. Sedebat in eo concilio Gamaliel, secta pharisæus, ad cuius pedes Paulus apostolus legem didicit, uir ob insignē legis peritiā ac singularem prudentiā summo in precio habitus apud uniuersum populum Israeliticum. Is ubi uidit illos tendere ad perditā consilia, surrexit ac postulauit, ut iuberent apostolos paulisper è concilio secedere. Eo facto sic uerba fecit apud confidentes: Viri Israelitæ, nolite præcipitare consilium, neque temere decernatis quicquā, cuius uos post frustra poeniteat, sed etiam atque etiā uidete, quid statuatis de hominibus istis. Ex præteritis sumite consilium quid in futurū oporteat decernere. Non repetā prisca exempla. Uestra omnium memoria gestum est quod dicā. Superioribus hisce diebus extitit Theudas magus & impostor, qui se iactans apud populum, ac prodigiosa pollicens, satis magnū hominum numerum attraxit in suam factionem, ferè usque ad quadringentos. Sed huius rei, quoniam erat ex humana malicia, fuit infelix exitus. Siquidem & de ipso sumptū est supplicium, & omnes quotquot illi adhæserant partim interfecti sunt, partim capti. Ita dissipatis omnibus, tota est secta redacta in nihilum. Post hunc extitit Iudas Galilæus, patriam habens cōmunem cum istis, de quibus nunc cōsultatis, eo tempore, quū ex edicto Cæsaris Augusti describeretur uniuersus orbis. Et hic, quoniam popularia docebat, non oportere populum Deo dicatum tributa pendere Cæsaribus idololatri, bonam plebis participati sunt. Proinde mihi sic uidetur, Consultius facietis si tēperetis ab hominibus istis, ac sinatis illos, quando neminem adhuc lædunt. Quoniam si hoc, quod inceperant aut moluntur, profectum est ex humano consilio, dissipabitur sua sponte. Sin Deus est autor istius negocij tam admirabilis, & impium fuerit uelle dissipare quod autore deo geritur (quid enim hoc aliud esset quàm repugnare Deo?) & imprudentiæ sit uelle conari quod non possitis efficere. Quis enim resistet uoluntati dei? Hæc sententia tantum ualuit.

ualuit apud concilium, ut decretum de occidendo differretur in aliud tempus. Et hæc nunc itum est pedibus in Gamalielis sententiā, non ut in totum abstinerent ab Apostolis, sed ut conuocatis simul omnibus duodecim, ac cæsis denunciaretur, ne post ullam mentionem facerent nominis Iesu. Et hac poena contenti dimiserunt illos, sperantes futurum, ut qui dictis ac minis non paruerant, cruciatu corporis admoniti saperent: æstimates Apostolos in speciem humiles ac plebeios ex Barbarorum ingenio, qui plagis emendantur. Verum ex huiusmodi malis robur colligere solet uigor spiritus euangelici. Apostoli siquidem agnoscentes, uerum esse sermonem quem dixerat Iesus, quod essent in ius uocandi, quod in synagogis flagellandi, non ob ullum maleficium, sed ob professionem salutiferi nominis, alacres & gaudentes discedebant à conspectu concilii, uirgarum ignominiam quam alij putabant esse intolerabilem, sibi gloriæ ducentes, quod Deus agnosceret suos apostolos, quos hoc honore dignatus esset, ut pro nomine filij ipsius contumelijs afficerentur. Meminerant autem quod ante prædixerat illis Iesus: Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cælis. Tantum autem abfuit, ut hac poena ac principum denunciatione redderentur segniores ad prædicandum nomen Iesu, ut alacriores etiam redditi, & publice in templo, & priuatim in singulis domibus incesanter docerent, quæ acceperant à domino Iesu, ac latum nuncium omnibus adferebant hunc esse uerum Messiam, per quem oporteret omnes saluos fieri.

CAPVT VI.

P Er id tempus quum indies accresceret numerus discipulorum (sic enim tum uocabantur, qui post Christiani dici cœperunt) obortum est murmur Græcorum, hoc est Iudæorum, qui non in Iudæa, sed apud gentes nati fuerant, aduersus Hebræos. Causa murmuris ex pietate nata est. Quum enim mulieres aliquot circumferrent Apostoli, quæ illis ministrabant, Græci dolebant non idem honoris haberi suis uiduis, ut quotidiano ministerio liceret Apostolis ac discipulis inservire. Hanc enim dignitatem interpretabantur. Et hæc erat prima in ecclesia ambitio. Et tamen ut intelligas quantopere displiceat bono pastori quamlibet leue dissidium, statim duodecim Apostoli, conuocata discipulorum multitudine, quo plus haberet auctoritatis quod omnium consensu decretum fuisset, hunc in modum uerba fecerunt: Videmus nescio quid murmuris ortum inter nos de ministerio mulierum. Prouidendum igitur est, ne nos huiusmodi curis leuioribus identidem interpellemur, nimirum altiori functioni destinati. Nobis iniunxit dominus, ut doceremus Euangelium. Non est igitur probandum, ut nos omisso delegato munere prædicandi Euangelij, ministremus mensis. Quemadmodum enim in corpore uaria sunt membra, ac suo quodque membrum officio fungitur: ita tumultus & confusio uitari non potest in tanta multitudine, nisi diuersæ functiones in uarias personas distribuuntur, sic tamen ut omnia referantur ad utilitatem uniuersi corporis. Nec enim oculus sibi uni prospicit, sed omnibus membris. Nec manus sibi tantum laborant, sed toti corpori. Proinde fratres circumspicite ex uestro numero septem spectatæ probitatis uiros, plenos spiritu sancto, ac singulari præditos sapientia, quibus ex uestra uoluntate delegemus hoc negocij, quo nos hæcenus occupamur, non sine dispendio functionis Euangelicæ. Nos uero per illos quietiores facti, his quæ proprie nostrarum sunt partium incumbemus, precationi & administrando sermoni doctrinæ Euangelicæ. Illi curâ gerent pascendorum corporum, nos animis uestris pascendis uacabimus. Hæc oratio placuit uniuersæ multitudini. Itaque consensu congregationis delecti sunt septem. Stephanus spectatæ fidei ac plenus spiritu sancto, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus religione proselytus, patria Antiochenus. Hos electos statuerunt in conspectu apostolorum, ut illorum auctoritate quod factum erat comprobaretur. Apostoli uero fusis ad deum ex more precibus, imposuerunt illis manus. Nam hoc ritu primum delegabantur sacra ministeria, exemplo sumpto à domino Iesu, qui quibus benedicebat, solitus est manum imponere. Quod si quis roget, quid opus fuerit his ritibus ad designandos ministros, qui mensæ curâ agerent, sciat profanam quidem esse functionem tractare pecuniam, maxime communem, sed quæ requirat fidem non uulgarem, & animum incorruptum. Testis est Iudas, quæ avaritia corruptus animus

animus ad domini sui proditiōē adegit. Tum autē quoniam præscribebāt & alijs quid in huiusmodi negocijs oporteret fieri, addenda erat & autoritas, quo magis omnes illis, tanquam apostolorum socijs & adiutoribus parerent. Præterea discipulorum conuiuia, non erant qualia sunt uulgi, sed magna cum religione capiebatur cibus, quoties capiebatur. Omnis panis fractus illis repræsentabat corpus domini. omne uinum admonebat sanguinis dominici. Deniq; & corpus ipsum dominicum & sanguis domini per diaconos administrabatur multitudini. Et si quando uacabat per ministerium, prædicabant & ipsi sermonem Euangelicum, uelut apostolis proximi. His rebus factum est, ut Euangelica doctrina indies latius ac latius spargeretur, magnoq; successu multiplicaretur numerus discipulorum Hierosolymis. Nec enim solum ē plebeijs plurimi accedebant Euangelio, uerum etiam complures ex ordine sacerdotum, qui prius conspirauerant aduersus Christum & apostolos, tacti poenitentia, ac posito fastu submiserunt sese iugo Euangelico. Inter diaconos autē peculiarius emicuit Stephani pietas. Sic enim se gessit in delegato munere, ut ob insignem morum mansuetudinem gratiosissimus esset apud uniuersam multitudinem credentium: & erga rebellantes Euangelio, fortem & inuictum animum præstabat, adeo ut apostolicarum etiam uirtutum æmulus, in nomine Iesu multa magnaq; miracula æderet apud populum. Quoniam autem eximia uirtus semper ad sese trahit inuidiam, quemadmodum Cæcias nubes, exortī sunt aduersus Stephanum quidam ē diuersis sodalitatibus, quarum una uocatur Libertinorum, alia Cyrenesium, alia Alexandrinorum, alia eorum, qui uenerant à Cilicia, & Asia. Nam in hæc loca Syriæ uicina potissimum erant dispersi Iudæi. Hi omnes uelut coniurati coorti sunt aduersus Stephanum, disputantes aduersus illum. Nec poterant quamuis multi resistere unius iuuenis sapientiæ, ac uigori pectoris, propterea quod spiritus sanctus, quo plenus erat, per illum loqueretur. Hic agnosce mortem improborum. Vbi ueritate discedunt impares, ad mendacia confugiunt, & uicti sapientia spiritus, ad diabolicas fraudes sese conuertunt. Subornarunt enim uiros quosdam, qui dicerēt sese audisse Stephanum proloquentem uerba blasphemia in Moysen ac deum. Nullum autem crimen apud Iudæos capitalius quàm blasphemia, nec apud populum atrocius. Hic agnosce lector machinas similes aduersus famulum, quales fuerāt aduersus dominum. Subornantur sycophantæ, ne uideantur ipsi uelle dolorem ulcisci suum, quod à disputatione discessissent impares. Quaritur crimen atrox, & malitiæ prætextitur religionis studium. Ab his igitur submissitijs sycophantis concitatus est populus unā cum senioribus ac scribis aduersus Stephanum, adeo ut concursu facio rapuerint illum, & pertraxerint in concilium. Hic prodeunt conducti testes, qui suam peragerent fabulam ac dicerent: Hic homo nullum facit finem euomendi blasphemias aduersus locum nobis omnibus sanctū ac uenerabilem, contraq; Moysi legem nobis à deo traditam. Audiuius enim illum dicentem, quod iste Iesus Nazarenus demoliturus sit locum hunc, ac muraturus in stituta, quæ tradidit nobis Moyses. Stephanus ex relatione apostolorū dixerat, à Iesu prædictum esse, futurum ut templum hoc & urbs funditus ab hostibus dirueretur ob gentis incredulitatem. hoc dictum deprauant ad calumniam. Dicas hos eosdem esse, qui Iesum accusantes dicebant: Audiuius eum dicentem: Destruam templum hoc, aliud in triduo excitaturus. Ad hanc tam atrocem criminationem nihil commotus est Stephanus, sibi bene conscius, ut in ipso etiam uultu reluceret mentis innocentia. Res enim est pauida, sibi male conscius animus. Hæc constantia frontis statim coarguit calumniatorum impudentiam. Etenim hi, qui considebant in eo consilio, intuentes eum, & obseruantes, qua fronte crimen obiectum exciperet, uidebant illum adeo non derijci aut exanimari, ut facies illius quiddam homine maius, & angelicam quandam alacritatem simul ac maiestatem præ se ferre uideretur. Tum princeps sacerdotum, ut hic quoque speciem legitimi iudicij exhiberet, quemadmodum fecerat in condemnando Iesu, percontatus est eum: nunquid haberet, quod ad hæc responderet, & an crimen obiectum agnosceret. Tum Stephanus afflatus diuino spiritu, sic causam dicere exorsus est, altius repetito principio.



Niri quotquot adestis uel genere fratres, uel ætate atq; auctoritate patres, qui patienter audistis calumniantes, audite & ueritati patrocinantē. Nos nec in deū, nec in Moſen, nec in templum hoc cōtumelioſi ſumus, ſed cū Moſe cōſentientes, dei gloriā prouehimus, ac templū ſpirituale, quo deus, qui ſpiritus eſt, potiffimū delectatur, quemadmodum diuinitus iuſſi ſumus extruimus. Non eſt blaſphemia hoc pro uiribus agere, quod figuris adumbrauit Moſes, quod propheta dei ſpiritu aſſati prædixerunt, quod dei filius ob id in terras miſſus & orſus eſt, & ſuis perficiendū mandauit, quod ſpiritus ſanctus ad ſalutem omnium gentium nunc per eos qui credunt euangelio peragit. Sed impietas eſt, blaſphemia eſt, tam manifeſta, tamq; benigne dei uoluntati tam pertinaciter obluſari. Quod quidē hæc natio nō nuper facere cœpit, ſed quod iam olim facere inſtituit, nunquam facere deſinit, ut nec mirū, nec iniquum uideri debeat, ſi eueniat quod Ieſus Nazarenus futurū prædixit, uidelicet ut hoc templū quo gloriāmini, utq; hæc ciuitas in qua regnatis, ut ſacerdotiū, ut lex, quibus abutimini ad quaſtū & gloriā ueſtrā, à uobis auferatur, atq; hæc gloria transferatur ad eos, qui per fidem euangelicā pure deū colunt, ac legem ſpiritaliter obſeruāt, ſeq; ipſos præbēt templum uiuū ac ſanctū ſpiritus ſanctio. Huc quū tot modis deus maiores noſtros prouocauerit, tamen ſemper ſpretus eſt ab hoc rebelli & pertinaci populo. Ut enim à primo gentis huius patriacha repetā, cuius obedientiam utinam imitarentur hi, qui ſe iaciāt filios eius: Deus cui debetur omnis gloria, quemq; nos uobiſcū pie colimus, olim apparuit patriarchæ noſtro Abraham, quū eſſet in Meſopotamia prius q̃ cōmoraretur in Charran, & dixit ad illū: Exi de terra tua & cognatione tua, & ueni in terrā, quam monſtrauero tibi. Ille obtemperās iuſſis dei, egreſſus eſt e terra Chaldaeorū, & habitare cœpit in Charran, uelut per occaſionē longius emigraturus. Rurſum hinc tranſtulit illum deus in hanc terrā, quam uos nunc incolitis, idq; mortuo patre illius Thare, ob cuius ſenectutē diſtulerat emigrationē. Tranſtulit autē, ut hoſpitē ac peregrinū, nullam illi tribuens hic hæreditatē, adeo ut ne pedis quidem ueſtigium in ea poſideret, niſi precio redemptū: ſed pollicitus eſt deus ſe daturū huius terræ poſſeſſionem poſteris illius poſt eius obitum, quū id temporis Abraham non haberet filiū. Id quum uideretur incredibile, tamen & Abraham credidit, & deus præſtitit, quemadmodū & in cæteris, quæ prædixit deus, repertus eſt uerax. Sic enim tum illi loquutus eſt. Erit ſemen tuū peregrinū in terra aliena, & gentes, apud quas peregrinabuntur poſteri tui, ſubijciēt illos in ſeruitutē, & inclementer tractabūt illos annis quadringentis triginta. Tandem eripiam illos à ſeruitute, ac gentem cuiunque ſeruiert, ego iudicabo & ulciſcar: dicit dominus. Deinde liberi à ſeruitute hominum, ſeruiert mihi in loco hoc. Quoq; ſibi magis aſſereret populum ſuum, dedit Abraham uelut ſignaculum ſcæderis circumciſionem. Atq; ita filius dei promiſſis, genuit Iſaac: ac memor pacti ſui, circumcidit puerum die à natiuitate octauo. Iſaac rurſum circumcidit Iacob, Iacob duodecim filios ſuos noſtri generis patriarchas. Inter hos erant, qui parum memores diuini ſcæderis, inuidia mori, hoc moliti ſunt aduerſus fratrem ſuū Ioseph, quod illorū poſteri moliti ſunt aduerſus Ieſum Nazarenum. Abiecerant eum in ciſternam, mox uendiderūt illum negociatoribus, à quibus perductus eſt in Aegyptum. Sed quemadmodū deus ſuſcitauit occiſum, et euexit delectū Ieſum, ita tum eripuit Ioseph ex omnibus afflictionib. ſuis, effecitq; ut moribus & ſapientia diuinā digniſſus eſſet apud Pharaonē regē Aegypti, adeo ut præfecerit eum toti Aegypto, domuiq; ſuæ. Ceterū oborta eſt fames per uniuerſam Aegyptū & Chanaan, et grauis afflictio, adeo ut patres noſtri nō inuenirēt quod ederēt. Iacob autē ubi cognouiſſet in Aegypto copiam eſſe frumenti, miſit eò patres noſtros, ut inde adferrent frumentū. Vbi uero illos iterū eadem de cauſa miſiſſet illuc, Ioseph agnitus eſt à fratribus ſuis. Ea res innotuit & Pharaoni, quod Hebræus eſſet, & patrem ac fratres undecim haberet uiuos. Ioseph itaq; accerſiuit Iacob patrē ſuum, totamq; cognationem ſuam in Aegyptum, ne quid illis deeſſet. Erant autem numero LXXV. Iacob itaq; cōmigravit in Aegyptum, ac deſunctus eſt ipſe cum duodecim filiis ſuis patribus noſtris, conditiq; ſunt in ſepulchro, quod emercatus fuerat Abraham centum ſiclis argenti à filiis Emor, qui fuit filius Sichem. Nullus horum adhuc quicquam poſſedit de terra promiſſa poſteris Abraham. Quum autē iam inſtaret tempus, quo deus præſtaturus erat quod promiſerat Abraham, creuit populus Hebræorū & multiplicatus

pletus est in Aegypto, donec mortuo Pharaone succederet alius rex, apud quem non
 esset perinde gratus Ioseph. Hic metuens ne plus satis cresceret Hebræorum popu-
 lus, arte opprimens genus nostrum, afflixit patres nostros, ædictio submonitis obstetrici-
 bus, ut masculos infantes exponerent, ne possent uiuere. Hoc tempore natus est Moyses,
 aduersus quem isti falso se prædicant protulisse blasphemiam. Is fuit gratus deo, qui non
 passus est illum perire, sed furtim enutritus est tribus mensibus in domo patris sui. Cæte-
 rum ob metum ædicti regij expositus est in Nilum in fiscella lita bitumine. Forte sustulit
 illum filia Pharaonis capta infantis elegātia, ac filij loco nutriuit eum domi suæ. Moyses igitur
 habitus pro Aegypcio, à primis annis institutus est in omni sapientia Aegyptiorum,
 eratque potens tum factis, tum dictis. Porro quum iam peregisset annum quadragesimum,
 uenit illi in mentem, ut inuideret fratres suos Israel. Spirabat enim charitatem erga genus
 suum. Inter hos uersans, quum uidisset Israelitam quendam affici iniuria ab Aegypcio, iam
 tum boni ducis indolem exerens, ultus est Hebræi causam, interfectio Aegypcio. Existima-
 bat autem hoc Hebræis iam innotuisse, quod deus per ipsum statuisset seruare populū suum,
 exemptum à seruitute Pharaonis. Atque hic Moyses Iesu Nazareni figurā gerebat, quem
 deus uere delegit redimendis omnibus à seruitute peccatorum. Cæterū quemadmodum
 hæc Israelitæ non intellexerunt in Iesu, ita nec tum in Mose intellexerunt. Postero die rur-
 sus inuifens suos, offendit duos Israelitas inter se litigātes, ac dirempta pugna redigere co-
 natus est eos in concordia, dicens: Quid facitis o uiri? Quum fratres sitis, & eiusdem gentis,
 quur alter lædit alterū? Is autem qui faciebat iniuriā proximo, repulit pacificatorē, dicens:
 Quid tu te inseris causæ nostræ? Quis te constituit principem ac iudicem super nos? Num
 me quoque uis interficere, quemadmodum heri interfecisti Aegyptium? Hic statim inuen-
 tus est inter Israelitas, qui rebellaret Mose, quum is hæc afflatu spiritus faceret. Hoc audi-
 to, Moyses, sentiens rem non esse clam, sibi metuens ab Aegyptijs, fugit in terrā Madian, ubi
 genuit filios duos. Rursus post annos quadraginta apparuit Mose angelus domini in de-
 serto montis Sinae rubro, qui uidebatur conflagrare. Hoc spectaculo stupefactus Moyses,
 tentauit accedere propius, ut uideret quid hoc esset rei. Sed uetuit illum uox domini, so-
 nans e rubro: Ego inquit, sum deus patrum uestrorum, deus Abraham, & deus Isaac, &
 deus Iacob. Hoc audito nomine tremefactus est Moyses, nec audebat propius inspicere.
 Tum dominus. Solue calciamenta pedum tuorum. Siquidem locus, in quo stas, terra san-
 cta est. Paruit Moyses domino. Tum ille pergit loqui. Etiam atque etiam uidi afflictionem
 populi, qui est in Aegypto, ac gemitum meorum audiui. Eoque misertus descendit, ut libe-
 rem eos. Nunc igitur ades, & hac gratia mittam te in Aegyptum. Animaduertite quam
 non obscure in Mose designatus sit Iesus Nazareus. Mosen adhuc ignotum negarat po-
 pulus Israeliticus, dicens: Quis te constituit principem & iudicem super nos? Itidem au-
 diuit Iesus à nostris: In qua potestate hæc facis, & quis tibi dedit hanc potestatem? Non-
 dum enim nouerant, quod hunc deus misertus gentis nostræ, misit ducem ac principem
 libertatis, & autorem uite æternæ. Ac Mosen quidem à suis contemptum, deus euexit, &
 constituit ducem, principem & liberatorem populi sui. Et adfuit illi uirtus angeli, qui ap-
 paruerat ei de rubro flagrante. Huius ope populum suū eduxit ex Aegypto aditis multis
 prodigijs ac miraculis in terra Aegypti, mox in mari rubro, deinde & in deserto per an-
 nos quadraginta. Quod fuit Moyses uni populo, hoc uere est Iesus Nazareus omnibus
 ipsius ductum sequi uolentibus. Iam ne quis existimet eos qui prædicant Iesum Nazare-
 num aduersari Mose, hic ipse Moyses uobis Iesum Nazarenum cōmendauit, tot retro se-
 culis uenturum promittens, quem nunc uidetis aduenisse. Ait autem: Prophetam uobis
 suscitabit deus de fratribus uestris, similem mei, ipsum audietis. Hic est, inquam, ille Mo-
 ses, qui quemadmodū prius solus fuerat colloquutus cum angelo iuxta rubū, ita post iam
 teste multitudine collocutus est cum eodem in deserto, in monte Sina, ac uicissim collo-
 quutus est cum maioribus nostris, ad quos deferabat quod audierat à domino. Accepe-
 rat enim ab eo legem, quæ uitā conferret obseruātibus, ut eam nobis traderet. Tanta cum
 esset autoritas Mose, tamen patres nostri noluerunt obedire illi, sed repulerunt eum: &
 obliti à quā misera seruitute fuissent liberati, conceperunt animo desiderium Aegypti, ut
 relicto duce salutifero & redemptore, sprete lege uiuifica, redirent ad mores idololatrariū.
 Itaque colloquente Mose cū angelo dicūt Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos. Nam
 Mose isti

• Mofi isti, qui nos eduxit e terra Aegypti, nescimus quid acciderit. Moxq; ad exemplum Aegyptiorum, qui bouem Apin adorant, fecerunt sibi uitulum ex auro conflatilem, atq; huic exanimi deo immolarunt hostias, spreto deo uiuente, cuius misericordia seruitutem effugerant: & in tam impio facinore, quasi re bene gesta, saltabant, & epulabantur, auersantes deum uerū, qui condidit uniuersa, & exultantes in dijs mutis, quos ipsi sibi suis manibus fecerant. His rebus offensus deus, auertit sese uicissim ab illis, & passus est illos obsequi animo suo, ut tandem exemplo gentium, colerent iam non unum deum, sed totā cōli militiam, solem, lunam, stellas, Martem, Mercurium, Venerem, Saturnum, quibus impia fabulæ diuinitatem tribuunt, quum sint corpora à deo condita, ut seruiant uisibus hominum. Non potest negari quod loquor. Nimirum hoc est, quod stomachatur deus per Amos prophetam, dicens: Nunquid uictimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israel? At pro templo dei ueri amplexi estis tabernaculum Moloeh, id est idolum Ammonitarū, ac fidus dei uestri Rempham, is est Lucifer, siue Venus, quam colunt Saraceni. Hæc muta simulachra uobis finxistis ut adoraretis, contempto uiuo ueroq; deo, qui solus cōdidit uniuersa. Quoniam autem in his est animus uester, transferam uos in Babylonem, ut denuo seruiatis idololatriis. Arbitror satis esse demonstratum, nos nec blasphemos esse in deum, quem pure colimus, nec in Mosem, cuius prophetiā amplectimur: sed illos potius, qui uestigia maiorum imitantes, & deum contempserunt olim in Mose, & utrunq; hodie contemnunt in Iesu Nazareno. Aduersus legem autē nos nequaquam blasphemisumus, qui, quem lex designauit, quem propheta omnes promiserunt, amplectimur: sed illi potius, qui patrum impiorum ingressi uestigijs, à quibus contempta est lex per Mosem lata, nunc aspernantur legem Euangelicam, quam omnibus tulit Iesus Nazareus, quæ Mose legem non abrogat, sed perficit. Nunc de templo, in quod dicor fuisse blasphemus, paucis accipite. Scio, & templum hoc iussu dei ædificatū, ut esset figura templi sanctioris, ac cederet meliori: quemadmodū templo celsit tabernaculum testimonij, in quo erat arca fœderis, quam circumferebant patres nostri in deserto. Præscripserat enim deus, loquens per Mosem, huius tabernaculi formam, ad quam esset ædificandum. Id amplexi sunt patres nostri, duce Iesu, & inuexerunt in possessionē gentiū, quas expulit deus à facie patrū nostrorū, usq; ad tempora regis Dauid. Qui cum esset uir pius, & ob id deo gratus, petijt ab eo, ut pararet tabernaculum dignū deo Iacob. Solomon autem, quoniam pacificus erat, primus ædificauit illi templum hoc magnificum, de quo uos gloriāmini, dicētes: templum domini, templum domini, templum domini. Verū hoc templum nihil aliud est, q̃ figura ueri templi spiritualis, quod est ecclesia, quæ nunc ædificatur per Iesum Nazarenum regem uestrum, cuius typum gerebat Solomon. Deus enim quum sit spiritus, non habitat in ædificijs manufactis, nec circumscribitur parietibus, qui immensus est & implet omnia. Nimirum hoc est, quod ipse testificatur per prophetā Esaïam loquens: Cœlum mihi sedes est, terra autē scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit dominus, aut quis locus requietionis meæ? Nōne manus mea fecit hæc omnia? Deus igitur qui condidit uniuersa, prius in seipso quietem habuit, antequam conderet omnia. Et si requiescit, non requiescit in ædificijs hominum manu factis, quum alioqui cœlum illi sedes sit, & terra scabellum: sed gaudet requiescere in animis quietis & obtemperatibus spiritui sancto. Itaq; qui pectus habet sceleribus inquinatū, is uiolat templum dei. Qui negocium facessit his, qui spiritui sancto obtemperant, ille uiolat templum domini. Quemadmodum autem non lædit Mosem, qui Iesum illi præfert, nec uiolat legem ab eo latam, qui illi præfert Euangelium: ita nec templum hoc uiolat, qui præfert illi templum spirituale, quo magis delectatur deus. Aequum est enim, ut umbræ cedant ueritati, quæ nunc sese profert in lucem. Par est, ut quod carnale est, cedat spiritualibus. Nimirum hæc est immutabilis dei uoluntas, & huius rei gratia misit unicum filium suum in terras, misit spiritum sanctū, ut ad omnes gentes permaneret lux ueritatis Euangelicæ. Vos autem mordicus tuentes quod carnale est, rebelles estis spiritui dei, qui uos iam olim dixit duræ ceruicis populum. Et uobis uidemini Israelitæ ac filij Abraham, quod præputij pelluculam habetis circumcisam, quum & cor habeatis incircumcisum, & aures. Posthac ueni sunt filij Abraham, qui cor habent repurgatū ab impijs cupiditatibus, qui aures habent obediētes præceptis dei, ac repurgatas à crassitudine sensus carnalis, ut sensum spirituale legis

legis non queant percipere. Quemadmodum autem patres uestri ob crassitudinem mentis & aurium hebetudinem semper resisterunt spiritui sancto: ita & uos non degenerantes ab ingenio maiorum, nunc spiritum sanctum oppugnare non desistitis: pridem in Iesu Nazareno, quem suffixistis in crucem, nunc in apostolis illius. Moli quoties rebellarunt patres uestri: Vestros enim quor non dicam, quos imitamini? Quem prophetarum non sunt persequuti patres uestri: Nec afflixerunt solum, uerum etiam occiderunt eos, qui prae-dixerunt uobis uenturum iustum illum, per quem unum iustificarentur omnes. Odistis illos qui uenturum nuntiabant, & uenientem & omnia praestantem, quae illi praedixerant, non solum amplexi non fuistis, sed prodidistis illum in manus Pilati, & per hunc occidistis sceleratius, quam si facinus manibus uestris peregissetis. Atque haec omnia facitis praetextu defendendae legis, quae nec maiores uestri legem per angelos traditam seruauerint: nec uos, qui quem lex promissit ac designauit, pridem occideritis, nunc etiam occisum persequamini, uobis ipsis inuidentes salutis aeternae donum, quod offertur: & accersentes exitium, quod sine causa imputatis nobis & Iesu Nazareno. Haec oratio tam uera, tamque libera, uehementer concitauit animos omnium, qui erant in concilio, adeo ut rumperentur illorum corda, ac dentibus striderent in illum. Stephanus autem nihil istis commouebatur, nimis plenus sancto spiritu, sed ad extrema perferenda paratus, iuxta Iesu Christi exemplum intendit oculos in caelum, unde praesidium omne petendum est Christianis. Mox aduersus futurum certamen corroboratur egregius athleta. Diducit se caelum, uidet maiestatem dei, & Iesum quem profitebatur stantem a dextris dei. Nec hoc tacuit apud impiam multitudinem. Non enim oportet ob hominum maliciam suppressere dei gloriam. Ecce, inquit, uideo caelos apertos, & filium hominis stantem a dextris maiestatis diuinae. Hic operae praecium est considerare formam huius iudicii. Erant proposita crimina. Responsum est ad omnia. A iuvene producta sunt testimonia legis & prophetarum. Solidis rationibus euicta res est. Nihil dictum est de Deo, nisi pie: nihil de Mose, nisi honorifice: nihil de lege, nisi iuxta legis sententiam: nihil de templo contumeliose. Et tamen illi discumpuntur ira, & furentium more frendent dentibus. Adeo non ferunt imminui gloriam suam, & praedicari gloriam eius, cuius unus gloriam uult Deus apud omnes praedicari. Si Moysen aut Abraham extulisset, tulissent: Iesum uiuere, Iesum stare a dextris dei iuxta uaticinium Dauid, non ferunt: sed prorsus iam in rabiem uersi, aduersus sermonem tam salutiferum obturant aures suas, & insanis uociferationibus magno consensu omnes impetum fecerunt in Stephanum. Iamque ueluti conuictum damnatumque blasphemiae, eiciunt extra ciuitatem, hac tantum in parte memores legis Moisaicae, atque illic eum lapidabant. Testes uero ceu uictores, quorum partes erant iuxta Moysi praescriptum, auspicari lapidationem, quae essent ad carnificinam expeditiores, deposuerunt uestes suas apud adolescentem, cui nomen erat Saulus, qui tum adhuc per ignorantiam, ac patriae legis studio fauebat impiae causae. Mox lapidare coeperunt Stephanum, non reluctantem, non conuictantem, sed eum quem uiderat inuocantem ac dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meum. Agnoscis Iesu discipulum. Sic enim ille in cruce: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Deinde uolantibus undique saxis, flexis humi genibus, magna uoce, magnoque affectu clamauit dicens: Domine ne imputes hoc illis in peccatum, nesciunt enim quid faciunt. Quam bene dominum suum expresse famulus. Haec erat extrema uox morientis, post quam obdormiuit in domino, in quo quisquis moritur, non moritur, sed obdormiscit, post placidam quietem ad immortalitatem reuicturus. Hoc affectu decet mori, quotquot uere Christiani sunt. Itaque Stephanus suo respondens nomini, primus omnium martyris coronam meruit, & Euangelici sacrificij primitias obtulit domino.

CAP. VIII

ERANT in ea multitudine, quibus nondum erat persuasum, Iesum esse filium dei, atque hic error aliqua ex parte criminis atrocitatem eleuabat, licet eos non excusaret ab homicidio, quod excacati suis cupiditatibus, ulcisci maluerunt, quam discere ueritatem. Nulli tamen minus excusabiles quam Pontificis, scribae & pharisaei. Erant rursus, qui simpliciter errabant, credentes se sacrificium gratum offerre Deo, quod eos, qui legem a deo traditam conarentur subuertere, tollerent e medio. Caterum Euangelica charitas excusat ea quoque, quae non possunt excusari. Inter eos autem qui citra maliciam errabant, erat Saulus Tarsensis, adolescens Moisaicae

saica legis studiosus, qui post ex lupo facius est ouis, ex persecutore sauiſſimo facius est
 acerrimus assertor Euangelice libertatis. Atq; ipse quidem tum nullos lapides coniecit in
 Stephanum, uerum assensus est his, qui Stephanum dānarant ac lapidabant: atq; hoc ani-
 mo seruauit illorum uestimenta, ut in multorum lapidantium manibus esset unus. Nec
 unius morte contenta fuit Iudaeorum malicia, sed mox ingens persecutio oborta est ad-
 uersus ecclesiam, quae erat Hierosolymis, sic ut omnes per uarias Iudae & Samariae regio-
 nes alius alio dispergerentur, praeter duodecim apostolos, qui ceteris animi robore praes-
 tabant, nec in hos quicquam licebat Iudaeorum maliciae, quemadmodum nec in alios, nisi
 permissu domini Iesu. Permiserat hoc dominus Iesus, ut urgente persecutore fugerent de
 ciuitate in ciuitatem. Nec erat istud tam formidinis discipulorum, quam diuinæ dispensa-
 tionis, ut ueluti late sparsis seminibus cito proueniret copiosa messis Euangelicae profes-
 sionis. Soli duodecim apostoli, ueluti pastores, non cesserunt huic tempestati, sed constan-
 tibus animis perseuerarunt Hierosolymae. Porro Stephanum extinctum curarunt humandum
 uiri quidam pietatis cultores, quod intelligerent illum praeter meritum per subornatos testes
 oppressum. Hoc studio Ioseph & Nicodemus curarunt funus domini Iesu, Stephani uero
 mors iuxta Iudeorum morem ingenti bonorum luctu planctusq; celebrata est. Nam apud
 Christianos mors pro Christi gloria oppetentiū plausibilis est ac triumphalis: & si quid
 est ibi lachrymarum, non impenditur ei, qui mortuus est, sed uel occisoribus sibi gehem-
 nam accersentibus, uel gregi necessario pastore destituto. In hac tempestate Saulus, qui in
 lapidatione Stephani zeli sui specimen aliquod dederat, magno odio concepto in Chris-
 tianos, non aliter quam lupo famelicus laniat ac dissipat gregem ouium, ita coepit de-
 uastare Ecclesiam Dei, persequens fugitantes, inquirens latitantes, obambulans per sin-
 gulas domos, & ubicunque sensisset esse qui Iesum Christum profiteretur, irruerat, uiros
 pariter ac mulieres pertrahens in carcerem, uidelicet sauior ipsis sacerdotibus & scribis,
 quorum nullus adhuc negotium exhibuerat sexui muliebri. Id agebat iuuenis pio qui-
 dem affectu, sed peruerso iudicio. Et ideo sauitiam illius dominus temperabat, ne cuius
 sanguine contaminaretur. Dum haec aguntur Hierosolymis, hi qui dispersi fuerant, quan-
 quam metus aliunde alio propellebat, tamen non tacebant Iesum Nazarenum, sed per-
 grabant Iudaeam, passim semina quaedam iacentes sermonis Euangelici, quae de causa
 dominus eos dissipari passus fuerat. Inter quos erat Philippus ex septem diaconis unus, or-
 dine proximus Stephano. Is profugus Hierosolyma, descendit in ciuitatem Samariae, quae
 eadem Sebaste dicta est. Peruenerat eodem & ante rumor quidam de Iesu Nazareno, de
 quo Philippus cetera praedicabat, quomodo crucifixus esset ac tertio die reuixisset, dein-
 de per dies quadraginta uersatus cum discipulis ascendisset in coelum, atque inde misisset
 suis discipulis spiritum sanctum, posthac omnibus paratam esse salutem, qui crederent in
 nomine illius. Populus autem Samaritanorum (nam à populo semper est primus Euan-
 gelij prouentus) magno animorum consensu intendebat ijs, quae narrabantur à Philippo.
 Erat enim oratio fauorabilis, quae pollicebatur omnibus salutem, tum autem dictis fidem
 adstruebant miracula, quae multa per Philippum adebantur. E multis enim, qui posside-
 bantur ab impuris spiritibus, ad inuocationem nominis Iesu, daemones exibant magno
 cum uociferatione, declarantes sese non exire sponte, sed compulsos uirtute salutiferi
 minis. Quin & paralytici complures & claudi sanitatem sunt assequuti. Has ob res in
 gaudium ortum est publicus in ea ciuitate. Quo longius receditur ab Hierosolyma, quae
 que propius acceditur ad gentes, hoc uberior est Euangelici seminis prouetus. Vide quomodo
 tum profecerit Iudaeorum sauitia. Philippus ex diacono factus est apostolus, & prae-
 cis Hierosolymitis, totae ciuitates amplectuntur doctrinam Euangelicam. Grauior autem
 ecclesiae perniciēs ab his, qui se iungunt ecclesiae non sincero animo, quam ab his qui
 iam ecclesiam persequuntur. Et huius rei nobis aeditum est exemplum, quo magis
 mus lupos ouilla pelle tectos. Erat apud Samaritas uir quidam nomine Simon,
 stor & praestigiarum artifex, qui prius quam eò ueniret Philippus, magicam artem
 rat in ea ciuitate, ac simulatis miraculis prodigijsq; dementarat Samariae populum, alio
 superstitiosum, & ad daemonum praestigia propensum. His fucis se uenditabat apud
 cem ac superstitiose credulum populum, iactans sese magnum quempiam esse praestigi-
 cui auscultabant omnes à minimo usq; ad maximum. Nihil autem fecerat in nomine Iesu
 & ideo

& ideo stupefacti prodigijs, quæ ille uel præstigijs simulabat, uel dæmonū auxilio patrabat, dicebāt: Iste est uirtus dei, quæ uocatur magna. Fuerat apud illos multo tempore uersatus, diuq; dementauerat illos suis magicis artibus: & ideo parata iam apud omnes auctoritate, pleriq; credebant his quæ docebat. Is ubi uidit in Philippo præsentiores uirtutes ædendi uera miracula per inuocationem nominis Iesu, ac Samaritarum populū ab ipso alienatum credidisse Philippo, qui lætum nuncium omnibus adferebat de regno Dei, deq; nomine Iesu Christi, nihil magnifice de se prædicans, quemadmodū fecerat Simon, sed Iesu gloriam miraculis illustrans, sed omnibus salutem promittens, qui accepto baptismō nomen illud profiterentur: uideretq; plurimos, tum uiros tum mulieres baptismum accipere, tandem fidem euāgelicā amplexus est & ipse Simon, & accepto baptismō, cepit adhærere Philippo, non tam amore Iesu, quā auiditate laudis & gloriæ. Magicarum enim artium peritissimus, perspiciebat in Philippo, nihil agi similibus fucis. Proinde quum cerneret per illum quædam ædi, non leuia miracula, qualia sunt fere magorū, ut draco uolūet aut serpat culmus, sed uerbo eijs dæmones, uerbo sanari paralyticos: uehementer stupefactus admirabatur, quā nam arte aut uirtute fierent ista. Cæterum ubi rumor iam pertulisset Hierosolymam ad apostolos, qui ibi resederant, Samariam per Philippum amplexam esse sermonem Euangelicū, gentem crassā, nec omnino purā ab idololatria, uehementer gauisi, miserunt ad illos apostolorum præcipuos, Petrum & Ioannem, ut per hos comprobaretur & absolueretur, quod per Philippū erat cœptum. Qui cum eo uenissent didicissentq; quod plurimi per Philippū essent baptizati, gratias egerunt deo. Philippus autem, quiq; cum illo erant, rogauerunt apostolos pro illis, ut acciperent spiritum sanctum, & qui per baptismum iam essent à peccatis purgati, copiosius etiā dei donum acciperent, quemadmodum acceperant illi, qui primi in cœnaculo spiritū sanctum acceperant. Nondum enim in quenquam illorum uenerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Erat hæc potestas diaconis delegata, sed impositio manuum, per quam conferebatur spiritus sanctus, solis apostolis & horū uicarijs seruabatur. Tum apostoli, ut erant rogati, imponebant illis manus, & signo uisibili accipiebant spiritū sanctum, qui uigorem igneum addebat animis, ac linguas cœlesti facundia locupletabat. Id ubi uidisset Simon, ille nuper ex malo Magus factus nibilo melior Christianus, quod apostoli per impositionem manuum conferrent cœleste donum, ne quid sibi deesset ad ostentationem & quæstum, obtulit eis pecuniā, dicens: Date & mihi potestatem istā, ut cuiusq; imposuero manus, accipiat spiritū sanctum. Existimabat Magus, apud omnes omnia posse pecuniā: nec ignorans oportere facere sumptum, qui quærit lucrum: mercari uult, quod pluri reuēdat. Atq; hic rursus aliud seminarium exitij grauis in ecclesia. Anna & Sapphira dederant pœnas simulationis. Erat & hoc exemplum statim acriter repellendum, quod si recipiatur, Christianæ pietatis sinceritatem penitus esset subuersurū. Petrus igitur cæteris omnibus commonstrans, quid episcopis aduersus Simonis imitatorum faciendum, respōdit: Satiū est, ut ista tua pecuniā, qua perdere studes alios, pereat una tecum, qui iam tua spōte perditissimus es, ut qui putes donum dei: quod ut ille nobis ex sua benignitate gratuito largitur, ita uult ut alijs gratis impartiamus: redimi posse pecuniā. Cum hoc negotio, quod ex simplici erga deum fiducia geritur, nullum esse potest tibi conspectū, aut communicatio nobiscū. Quamuis enim aqua tinctum est corpus tuum, tamen cor tuū non est rectum corā deo. Quod si perseueraris in ista malicia, nihil tibi proficiet baptismus. Proinde pœniteat te istius maliciæ tuę, ac deprecare deum, ut si qua fieri possit, remittatur tibi tam enorme crimen, nondum quidem opere patratū, sed tamen ita conceptū animo, ut per te non steterit, quo minus patraris, & omnium periculosissimum exemplū in ecclesiam dei induxeris. Puris ac synceris animis donū mitissimi spiritus committitur. Te uero perspicio cor habere minime syncerum, sed amaro felle quæstus & ambitionis infectum, et ob id iniquitatis uinculis obstrictum. A quibus ut absoluaris, multis precibus & chrymis est orandus deus, ne te ferat diuinæ irę uindicta, quā tātō facinore prouocasti. Hic Simon, metu territus potius, q̃ facti pœnitentia ductus, dicit Petro: Vos pro me rogate dominū, ne quid eorum quę dixistis, accidat mihi. Vides duos Simon inter se cōpositos Theophile: in altero demonstratū est, quid sit execrandū: in altero, quid sit imitandū. Hic igitur posteaquā Petrus & Ioānes testimonio suo comprobassent

& consummassent Philippi prædicationem, multaq; docuissent de his, quæ didicerant domino Iesu, reuersi sunt Hierosolymam, atq; obiter multis uicis & oppidulis Samaritarum prædicabant Euangelium, nunquã non agentes quod illis mādātum erat à domino. Oblata est & alia præda Philippo profectus Euangelici sitientissimo. Bonis enim benefaciendi datur occasio. Nam angelus domini submonuit illum, dicens: Surge ac proficiscere meridiem uersus per uiam, quæ deducit ab Hierosolymis Gazam, de uetere Gaza loquor, quæ nunc deserta est, uicina mari. Paruit angelo Philippus, ac profectus est: ut agnoscas alacritatem episcopo dignam, quoties ad Euangelium alliciendus est aliquis. Quemadmodum autem in fabulis Choragus, ita hic angelus personarum exitum & occursum temperat. Commodum enim eodem tempore iter ingressus est uir quidam Eunuchus, corpore quidem exectus ac parum uir, sed animo masculo, gente Aethiops, cute nigra, sed mox niueo agni immaculati uellere conuestiendus, ac naturam pellem baptismi lauacro mutaturus, præfectus Candaces Aethiopum reginæ, qui præpositus erat omnibus gazis eius. Audis gentem effœminatam luxu, planeq; dignam, quæ foemina pateretur imperium, Luxum alunt diuitiæ. Is profectus fuerat Hierosolymam religionis gratia. Tanta enim erat templi celebritas, ut gentes etiam è longinquo eò se conferrent, ac dona secum deferrent. Hinc sacerdotum stomachus in eos, qui dicerent, hoc templum aliquando demoliedum. Pius erat animus Eunuchi, sed errabat, qui religionem quæreret in templo Iudæorum, unde iam migratura esset ad gentes. Quum itaq; domum reuerteretur sedens in curru, nec hoc tempus fabulis aut somno dabat, sed amore religionis legebat Esaiam prophetam, nobis ostendens, ubi sit quærendus Iesus. Non enim in templis latitat, sed in sacris libris. Hic ubi iam occurrisset Philippus, rursum submonuit eum spiritus, dicens: Accede & adiunge te ad currum istum. Quum accurrisset ad currum Philippus, audiuit Eunuchum legentem Esaiam prophetam, & mox agnoscens religionis studiū, ait illi: Intelligis ne quæ legis? Tum ille: Qui nam possim homo profanis negocijs deditus, nisi sit, qui mihi sensum abstrusum exponat prophetæ? Rogauitq; Philippum, ut conscenderet currum, sibiq; assideret, quo commodius colloqui liceret. Conscendit Philippus & assedit Eunuchus. Hic mihi considera imaginem Euangelici doctoris, & populi gentium auentis Christum discere. Non potest autem non ingens esse profectus, ubi alter docendi audus accurrit, alter discendi cupidus inuitat ad confessum. Nihil hic agitur fortuito, omnia moderatur ac temperat deus. Eunuchus imprudens in eum prophetæ locum inciderat, qui Iesum Christum designabat. Erat autem hic: Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit, nec aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est, generationem eius quis enarrabit? Quoniam tollitur de terra uita eius. Hunc locum quum Philippus relegisset Eunuchus, ille magis etiam accensus auditate cognoscendi, de quo propheta loqueretur, ait: Obsecro te, de quo propheta hoc dicit, de se, an de alio quopiam? Vide docilem Eunuchum, Audierat Esaiam ipsum iussu Manasse regis sectum lignea ferra, nec ignorabat hoc habere prophetiam, ut quod de hoc aut illo dictum uideretur iuxta sensum historicum, frequenter ad alium pertineret iuxta sensum abstrusorem. Docilis est autem, qui sic interrogat. Philippus itaque libenter docturus audum, aperuit os suum, & exorsus ab hoc prophetæ loco, summam Euangelicæ doctrine illi exposuit. Nimirum quod hic esset filius dei, per quem Deus decreuerat, ac per prophetas suos promiserat, se salutem daturum omnibus, in illo fiduciam suam collocatibus, quodq; hæc de causa uoluit illum assumpto corpore humano, rursum nasci ex Maria uirgine. Porro quæ utraq; natiuitas sit ineffabilis, siue qua sine tempore semper nascitur à patre, siue qua hoc uiri opera per opificium spiritus sancti natus est de uirgine, sic humanam naturam assumens, ut diuinam non amitteret: propheta id cernens spiritu, stupefactus dixit: Generationem eius quis enarrabit? Deinde quod hic esset ille uerus agnus paschalis, cuius morte pater destinarat non Israelitas tantum, uerum etiam uniuersas nationes, à seruitute populi, & ab æterna morte liberare. Et ideo tradidit illum in manus sacerdotum, scribarum, pharisorum & primorum populi, per quos ductus est ad Pilatum præsidem, ut ab eo crucifigeretur. Apud hunc quoniã mori pro salute nostra uoluit, nihil respondit, ut ab eo liberetur, sed ouis in morem omnibus ludibrijs & afflictionibus semetipsum præbuit. Genuit enim illic magnitudinem suam, ac semet hominum causa deiecit ad summam humilitatem.

tem. Iudaei uero nihil aliud eum esse, quam quod uidebatur, rati, condemnarunt illum, & ad mortem adegerunt. Nimirum hoc est quod ait propheta: In humilitate iudicium illius sublatum est. Condemnatus est innocens, qui olim sublimis & excelsus rediens, iudicabit uiuos & mortuos. Deus autem filium suum reuocauit ad uitam tertio die. Hinc quadraginta dies uisibili & contrectabili corpore uersatus in terris, & subinde sese ostendens discipulis, postremo uidētibz omnibus sublatus est in coelum. Rursus decimo ab ascensu die, misit spiritum sanctum ex coelis, qui afflauit animos & linguas apostolorū, ut intrepide praedicarent Iesum Nazarenum, salutis ac uitae principem, omnibus totius orbis gentibus, non per legem Moysi, sed per fidem & baptismum. Nihil est horum, quod non est in lege Moysi figuris designatum, quod non a prophetis praedictum, quod non ab ipso Iesu traditum ac promissum. Haec etiam permulta quā Eunuchus differeret Philippus, ille forte uidet iuxta uiam fonticulum, & ait Philippo: Quur rem tantam proferimus? En adest aqua. Tu docuisti: ego paratus sum. Quare res obstat, quo minus statim baptizem? Tum Philippus: Nihil obstat, si modo credas his, quae docui, ex toto corde. Haec una stipulatio intercedit in baptismo. Tum Eunuchus alacriter respondit: Credo Iesum esse Christum. Mox Philippus iussit sisti currum. Superbum erat uehiculum, ac barbarae reginae praefectio dignum. Sed descendat oportet, & omnibus ornamentis semet exuat, qui uelit esse baptismo dignus. Descendit uterque in aquam, & Philippus baptizauit Eunuchum, pauperem diuitem, humilis potentem, uir Eunuchum, Iudaeus Aethiopem. Adeo nullus hic personae respectus. Omnia conueniunt, si conuenit fides, & consensus in Iesum Christum. A baptismo nec Eunuchus est, nec Aethiops, sed noua creatura. Caeterum Philippus simul ac egressus est aquam, rapuit illum spiritus domini, nec amplius uidit eum Eunuchus, nec desiderauit doctorem suum, semel afflatus spiritu sancto per baptismum: sed gaudij plenus, quod didicisset Iesum Christum, perfecit iter suum, ut & apud Aethiopes suos Christus nomen praedicaret. Porro angelus deposuit Philippum in proxima ciuitate Afoto, unde uenerat. Hinc profectus, ubicunque occurreret uicus aut oppidum, praedicabat Euangelium, donec ueniret Caesaream Palaestinae, ubi domicilium habebat.

CAPVT IX



Nter haec, Sauli saeuitia non sese continebat intra muros urbis Hierosolymitanae, uerum ubi perspexit, per dissipatos discipulos latius etiam spargi doctrinam Euangelicam, magis ac magis spirans, iam non minas tantum ac carceres, sed caedem & mortes aduersus illos, adiit summum pontificem, quo magis attereret eos, armatus autoritate: & petijt ab illo epistolas delegatorias, non solum in ciuitates uicinas, in quibus iam exercuerat saeuitiam suam, sed usque ad Damascum, procul ab Hierosolymis distitam, Phoenices ciuitatem, scriptas ad Synagogas Iudaeorum illic agentium, ut his ex autoritate summi pontificis opitulantibus, quoscumque deprehendisset huius damnatae haereseos, siue uiros siue mulieres, eos uinctos perduceret Hierusalem. Haec Saulus animo simplici moliebatur, iuxta domini dictum, arbitrans sese gratum obsequium praestare deo. Et ideo non passus est illum innoxiorum sanguine pollui, sed ex medio cursu saeuitiae reuocauit. Quum enim iam penē confectio itineris, non procul abesset a ciuitate Damasco, subito circumfulsit illum lux ex coelo: ac praeterea, more collapsus in terram, audiuit uocem dicentem sibi: Saule, Saule, quur me persequeris? Ille demiratus, quis nam esset ille sublimis expostulator, tamque potens, dubitans angelusne quispiam esset, an deus, timide respondit: Quis es domine? Tum ille: Ego sum Iesus ille Nazarenus, quem tu mortuum credis, quum uiuam ac regnem in coelis, Meos autem discipulos, meumque nomen persequens, me persequeris imprudens. Verū nihil agis. Durum est enim tibi aduersum stimulum iactare calces. Nō enim reluctaris hominibus, sed deo, cuius uoluntati nemo potest resistere. Bis igitur peccas, & nihil profecturus, & tibi malū accersiturus. Haec audita uoce Saulus tremens ac stupefactus dixit: Domine quid me uis facere? Haec uox erat simpliciter errantis, non per maliciam, sed per ignorantiam. Tales docuisse sat est. Sed expediebat derijci superbum ac ferocem, terreri spirantē minas accedem, ut docilis fieret. Tum dominus ad illum: Surge & ingredere ciuitatem. Ibi doceberis, quid tibi sit faciendum. Sic percutit dominus ut sanet: sic derijcit, ut erigat: sic exoculat

culat, ut illuminet. Sæuus ille præcipitatus est, mitis & ad obtemperandũ paratus, iussus est surgere. Dum hæc ita geruntur, uiri, qui Saulum comitabatur in hoc itinere, stabant attoniti, audientes quidem uocem Paulo loquentis, cæterũ neminem uidentes. Saulus autẽ recepto spiritu surrexit. Primus ad uirtutem gradus est, erigi. Et ecce rursus aliud miraculum, quũ oculos haberet apertos, nihil uidebat. Comites igitur manu ducebant illũ in ciuitatem Damascũ. Nec statim admissus est ad donũ spiritus sancti, quo præscriberetur exemplum posteris, nõ cuius statim imponendã esse manum, sed ieiunio, precatione prius explorandos ac præparandos catechumenos. Quemadmodũ igitur apostoli decẽ dies sedebant Hierosolymis, expectantes spiritũ sanctum, ita Saulus Damasci commoratus est triduum, nihil uidens oculis corporis, sed interim illustrabatur oculi mentis: nihil comedens, sed interim cœlesti doctrina saginabatur animus. Erat autem Damasci discipulus quidã: sic enim tum adhuc uocabantur, qui recepissent doctrinam Euangelicam, nomine Ananias. Hunc delegerat dominus, per quem Paulũ impleret spiritu sancto. Itaq; cõpellat hũc in somnis per uisum, dicens: Anania. Ille contrã, mox intelligens à Deo se uocari, respondit: Ecce ego domine: uidelicet animum uere Christianum, & ad omnia iussa promptum indicans. Tum dominus: Surge, & abi in uicum, qui uulgo dicitur, rectus, & quære in ædibus Iudæ quendam nomine Saulum, patria Tarsensem. Ecce enim illic orat, ambiens munificentia nostram. Eodem tempore uisus est & Saulo orãti uir quidam, dictus Ananias, domũ ingredi. sibiq; manus imponere, quo reciperet oculos. Ita dominus mutua uisione utrunq; alteri præparauit. Ananias autem ad Sauli nomen, iam ob sæuitiã in Christianos celebre, territus respondit: Domine, ex multis audiui de uiro isto, quantis malis affligerit sanctos tuos Hierosolymis, nec his contentus, nunc huc etiam peruenit armatus pontificum summorum sæuis diplomatis, ut in uincula conijciat omnes, qui inuocant nomen tuũ. Rursus ad hæc dominus: Scio, lupum illum rapacem timeris oues. Atqui nihil est quod metuas. Ego enim lupũ illum uerti in ouem mäsuetissimã. Proinde fac intrepidus adeas. Ego enim illum mihi uelut organum insigne delegi, ut uehat nomen meum apud gentes, apud reges ac filios Israel, Quod hætenus fecit, non malicia, sed zelo patriæ legis fecit. Et simpliciter errans iudicio, specimen præbuit, qualis propugnator sit futurus Euangelij mei. Hætenus armatus pontificum bullis, minis & uinculis, pugnauit aduersus meinos, minis professores. Posthac armatus meo spiritu, & accinctus gladio sermonis Euangelici, longe fortius belligerabitur aduersus ocores mei nominis, pro cuius gloria multo sæuiora perferet uolens, q̃ modo parabat uobis. His dictis animatus abiit Ananias, & ingressus est ædes Iudæ. Saulum orantẽ reperit, cui imponens manum, ait: Saule frater, dominus Iesus, qui tibi apparuit in uia, quum huc uenires, misit me ad te, ut oculos recipias, & implearis spiritu sancto. Vix ea dixerat Ananias, ilico deciderunt ab oculis illius ceu squamæ quædam, ac uisum recepit. Moxq; surgens baptizatus est. Deinde sumpto cibo corroboratus est. Sic eximius ille dux Euangelicus, et aliorum apostolorũ gloriam obscuraturus, per humilem discipulum ante spiritũ sanctum accepit, q̃ baptismũ. Nihil autem non ordine geritur, quod geritur iussu domini Iesu, quem Paulus habuerat Catechistam. Sic enim tradiderat potestatem apostolis, ut nihilo secius sibi seruaret negocij totius summam auctoritatem. Itaq; Saulus repente factus alius, uersatus est dies aliquot cum discipulis qui erant Damasci. Nec mora. Præuaricator mandatorũ pontificis, eodem statim in loco prosilire cœpit ad munus à Christo delegatũ. Et ingressus synagogas Iudæorũ, palam ac libere prædicabat, asseuerans Iesum Nazarenũ esse filiũ Dei, per quem unum salus omnibus offerretur, iuxta prophetarum uaticinia. Iudæi uero qui Sauli sæuitiam in Christianos rumore cognouerant, gaudentes sese talem habere Mosaicæ legis propugnatorem, quum audissent illum tanto studio prædicantem nomen Iesu Nazarenĩ, mirabatur quid homini accidisset, quod subito factus esset alius, dicentes inter sese: Nõne hic est ille Saulus, qui dudum modis omnibus oppugnabat Hierosolymis eos, qui inuocant nomẽ hoc, cuius nunc præconem & buccinatorem agit, ac modo huc hõc animo profectus est, ut si quos hic deprehenderet, uinctos adduceret ad summos pontifices, illorũ arbitrio plectendos? Qui factum est, ut tam subito Iudæum exuerit, & a Mose deficiens, professor factus sit crucifixi: Paulus autem, iam enim hoc nomen illi magis congruebat, posteaquã e turbulento factus est modestiæ pacisq; doctõr, adeo nihil territus est istiusmodi Iudæorum uocibus

uocibus, ut indies maiore collectio spiritus robore, confunderet ac perturbaret Iudæos habitantes Damasci: constanterq; asseuerans ac scripturarū testimonijs docens, Iesum Nazarenum, quem ante per ignorantiam persequutus esset, nunc prædicaret, esse uerum Messiam orbi promissum, nec alium exoriturum unde speranda sit Iudæis salus. Id quum Paulus complures dies ausus esset Damasci, magno gaudio discipulorum, magno fremitu eorum, qui nondum crediderant, tandem Iudæi consiliū inierunt, ut illum per insidias interficerent. O nationem homicidam. Paulus disputabat, docebat, & Iudæos legis ipsorum testimonijs, ueluti suo iugulabat gladio. Illi nihil habebāt præter coniurata concilia, carceres, flagra, & mortes. Verum promiserat hoc dominus suis, ne pilum quidem de capite illorum periturū nisi permissu patris. Nondum uenerat tempus ut interiret eximius ille bellator Euangelicus, multa erāt illi pro Christi populo depugnanda prælia, frequenter periclitandum in acie, multæ regiones ac ciuitates sacra doctrina subactæ, sub iugum Christi uocandæ. Proinde uolente deo, significatum est Paulo, quod Iudæi struerent illi insidias, adeo ut & interdum asseuerarent portas, ne quā posset elabi, quin interficerent eum. Ad hoc facinus abutebantur opera præfecti regis Aretæ, ut si parum processissent insidiæ clanculariæ, palam ac ui tamen occideretur. Itaq; discipuli nolentes perire tam fortem propugnatorem, quanto minus ipse sibi metuebat, tanto digniorem existimabant qui seruaretur. Itaq; occultarunt illum, ac noctu sportæ impositum, per funem debium, iterū pugnare ualeāt. Et o mire uersas in diuersum rerū uices. Latitat ac fugitat, qui paulo ante minabundus persequebatur: & Pauli uitæ consulunt, quibus ante cædem machinabatur. Porro quum uenisset Hierosolymam, ac sese tentaret adiungere discipulis, quibus uetus ille Saulus nimium notus erat, Paulus nondum innotuerat, metuebant omnes, uelut oues lupum, non credentes illi quod esset discipulus, nimirum memores quantæ sauitia solitus sit persequi gregem Christi. Suspectas igitur habebant insidias, sub discipuli titulo latentes. Barnabas autem Leuites, de quo memorauimus antea, cui cognitum erat, quod erat gestum in Paulo, adducit illum ad apostolos, quibus rem omnē exposuit, quomodo proficiscenti Damascum apparuisset dominus, & quomodo illi loquutus sit, & quomodo repente uersus in alium uirum, fortiter ac libere prædicasset Euangelium in nomine domini Iesu. Gratulati sunt apostoli, suoq; testimonio Paulum gregi commendarunt. Ita dies aliquam multos uersatus est Hierosolymæ, consuetudinem habens cum apostolis ac discipulis, & illic libere profitens ac prædicās nomen domini, quod per errorem fuerat persequutus: idq; non solum apud Hierosolymitas, nihil ueritus apostatæ concilium, quod à pontificibus descuiisset: uerum etiam gentibus, quæ Hierosolymæ tum ob celebritatem urbis agebant, ac Iudæis apud Græcos natis prædicabat Iesum, disputans cum illis, & ex ipsis legis testimonijs docens Iesum esse seruatorem mundi. Illi uero non tulerunt hanc libertatem, & aduersus disputatorem inuictum confugerunt ad solitū præsidium, quærentes uiam qua Paulum interficerent. Sic disputant homines Iudaici. Iamq; nihil formidanti struebantur insidiæ. Id ubi à fratribus esset intellectum: ne quid accideret, quod nolebant, deduxerunt illum Cæsaream Philippi, quæ ciuitas est Phœnicæ, atq; hinc rursus emiserunt Tarsum in Ciliciā, ubi natus erat. Error ac circumactus Pauli, profectus est Euangelij. Interea mitiore iam facta tempestate persequutionis, quæ fuerat ortæ, congregatio discipulorum sparsa per totam Iudæam, Galilæam & Samariam, in quibus regionibus potissimum docuerat dominus, & in quibus primum iusserat prædicari sermonem Euangelicū, satis tranquille agebat, mutua concordia sese confirmās, & neglectis hominum minis, atq; indies augescens ædificabatur, uersans cum timore domini, & inter afflictiones malorum spiritus sancti cōsolatione replebatur. Hoc nimirū erat, quod illis promiserat dominus: In mundo afflictionē habebitis, in me uero pacem & solatium. Accidit autem, ut dum Petrus, tanquā uigil ac strenuus pastor, peragrandō regiones omnes, nunc hos, nunc illos inuiseret, perueniret etiam ad sanctos, qui habitabant Lyddæ. Ea est littoralis ciuitas Palæstinæ. Illic reperit hominem quendam nomine Aeneā, octo iam annis decumbentem in grabbato. Nam erat paralyticus. Petrus autem memor præcepti dominici, quo iusserat, ut in quancunq; domum ingressi fuissent, sanarent ægros: non enim conuenit illis esse morbos corporum, ubi adsunt medici animorum, ait illi: Aenea sanet

fanet te dominus Iesus Christus. Surge & sterne tibi ipsi. Ad hanc uocem ilico surrexit sanus, & strauit sibi. Hoc erat argumentū plenæ sanitatis. Vbi uiderunt eum uirtute nominis Iesu subito sanum esse, qui tot annis decubuerat, quotquot habitabāt Lyddæ & Saronæ: id est oppidū in littore, Lyddæ uicinū: conuersi sunt & ipsi ad dominū, ac professi sunt nomen domini Iesu. Ita salus corporis uni reddita, multos pellexit ad salutem animorum. Rursum Ioppæ erat discipula quædā nomine Tabitha, quæ Græce dicitur Dorcas, Latine caprea, ab oculorū acie ducto uocabulo. Hæc abundarat quū omni genere bonorū operum, tum præcipue charitatis officijs, quibus subleuabat egētes. Accidit autem, ut eodem tempore, quo Petrus Lyddæ uersabatur, ex morbo quo laborarat moreretur. Quū autem cadauer ex more lauissent, uncturi posuerunt illud in coenaculo. Quoniam autē Ioppe non procul aberat à Lydda, discipuliq; cognouissent, quod illic esset Petrus, legarunt duos uiros ad illum, rogantes ne grauaretur uenire ad ipsos. Petrus nihil contatus uenit ad illos, boni pastoris exemplū exhibēs. Vbi uenisset in domū, duxerūt eum in coenaculū, ut conspecto cadauere moueretur ad misericordiā. Hic circūstetere Petrū omnes uiduæ, quarū cōmendatio præcipua tum erat, necessitatibus sanctorū inferuire. Addebant lachrymas, quas non tam fundebant defunctæ, quàm egenis, quos illa suis officijs solita est refocillare. Iam hoc ipsum erat orare, fuisse lachrymas. Non cōmemorāt benefacta mortuæ, sed ostendunt tunicas, aliasq; uestes, quas tegendis sanctis parabat Dorcas. Benefaciendi studium mors interruperat. Hic Petrus memor exempli Iesu, quum filiā archisynagogi suscitaret prius eiecta turba flentium, iussit omnes exire foras. Nam uiduæ tantum flebāt. Fletus autem obstat precationi. Simul ne sexus infirmus commoueretur exurgente cadauere, noluit quenquā adesse, sed solus flexis genibus orabat. Non enim semper adest uigor spiritus, per quem æduntur miracula. Is excitatur precatione, quemadmodum & fides, sine qua nullum æditur miraculum. Fusis precibus & concepto spiritus robore, conuersus est ad corpus, & ait: Tabitha surge. Ad hanc uocem illa uelut expergefacta, uidit Petrum. Eo conspecto refedit. Petrus autem, porrecta illi manu, erexit illam, iam uiuā & alacrem. Sic ad pietatem erigendi sunt imbecilles. Orandus primū deus, ut illorū misereatur. Deinde doctrina, increpatione, exhortatione compellandi sunt. Postremo porrecta manu ad perfectiora subleuandi. Quumq; Petrus reuocasset in coenaculū, quos exire iusserat, sanctos & uiduas, qui & ipsi orantes expectabant misericordiā domini, exhibuit mulierem uiuam. Ea res uulgata est per uniuersam ciuitatem Ioppen, ac multos pertraxit ad professionem nominis Iesu. Nam hic est præcipuus miraculorum fructus. Neq; enim alioqui magni refert, inter tot milia uicissim nascentium ac morientium, unum aut alterum in uitam reuocare, paulopost tamē moriturum. Hac occasione factum est, ut Petrus cōplures dies cōmoraretur Ioppæ. Vbi enim libentius agat piscator hominum, quàm ubi magnus numerus confluit ad sagem: Diuersabatur interea Petrus apostolorum princeps, tantisq; miraculis clarus & pollens, apud opificem quendam coriarium, nomine Simonem.

CAPVT X



Nondum apostolorū quisquā ad gentes diuerterat, sed per occasionem attractus est Aethiops Eunuchus. Quibusdā tamen ethnicis profuit, apostolis fuisse uicinos. Siquidē in Cæsarea florentissima Palæstinæ ciuitate, quæ prius dicta turris Stratonis, uir erat quidam nomine Cornelius, Centurio de cohorte, quæ dicitur Italica. Hic quanquā esset ex professione maiorum ethnicus, ex officio militaris, tamen uelut ambiens Christianismum, pius erat ac metuens deum. Qualis erat ipse, talis erat et uniuersa illius familia. Fit enim fere, ut patremfamilias imitetur reliqua domus. Duabus rebus potissimum declarabat animū Christianismo dignum, multa munificentia subleuans egestatem plebeiorum, & assidua deprecatione ad dominū. Deum uerum agnoscebat, hoc didicerat apud Iudæos uersans. Sciebat huius fauorem potissimum conciliari beneficijs in pauperes erogandis, & assiduitate precandi. Supererat ut habenti daretur. Is hora diei nona, quū oraret sub coenæ tempus, per uisum manifeste uidit angelum dei uenientem ad se, & nomine compellantem, quasi probe notum. Cornelius autem intuitus angelum, & ex ignotæ formæ maiestate metu correptus, dixit: Qui es domine? Tum angelus: Non perierunt tuæ preces & elemosynæ, quibus hæcenus sollicitasti diuinam misericordiā. Quod enim in pauperes refocillandos collo-

casti

est, hoc deus sibi patitur imputari: & illorum nomine, qui gratiam referre non possunt, ipse rependet primum. Nequaquam igitur apud immemorem collocasti tua beneficia, fecisti quod ille uoluit: ille uelissim tibi faciet, quod assiduus precibus flagitasti. Audiunt deus tuas preces, quoniam aures tuæ non fuerunt surdæ pauperibus. Nunc igitur hoc agendum est absq; contatione, ut quod superest, perficiat in te deus suam munificentiam. Mitte uiros aliquot ad ciuitatem Ioppen, ac per eos accerse Simonem quendam, apud mundum non ualde nobilem, apud deum pietate clarum, cui cognomen Petrus. Hic diuersa torapud Simonem quendam Ioppensem, arte coriarum, cuius domus est uicina mari. Ex hoc Petro discas, quid tibi sit faciendum, ut saluus fias. Hæc loquutus angelus euauit. Cornelius itaq; statim mittit duos e suis domesticis, simulq; militem ex his qui sibi adhærebant, spectatæ pietatis ac fidei: neq; enim tota modo domus imitatrix erat religionis Corneliana, uerum etiam inter milites erant, qui ducis religionem imitarentur. His quum rem omnem exposuisset de uisione, fuisse abire Ioppen. Hæc uespera sunt acta. Postero uero die profecti sunt legati Cornelij. Talis enim tum legatio non fastidiebatur à summo ecclesiæ pastore. Quum autem iam non procul abessent à ciuitate Ioppe, commodum Petrus ex more ascenderat in coenaculum orandi gratia ad horam ferme sextam, circiter meridiem. Quum autem inter precandum esuriret, uoluit sumere cibum post longam inediam. Atq; interim dum paratur iussu Petri cibus, raptus est spiritu. Datur hoc potissimum oratibus & ieiuniis. Saturis enim & oscitantibus non referantur arcana dei. Vidit autem cœlum apertum, atq; inde uas quoddam, ueluti linteum magnū, quatuor inijs alligatum, e cœlo demitti in terram. Nam in linteis olim apponebantur cibi. In uase erat omne genus quadrupedum & serpentium, quæ uiuunt in terra, ac uolatilium, quæ uiuunt in aere, immunda mundis admixta. Nimirum hic erat cibus Iudæis abominandus, sed quem Iesus esuriebat, quum discipulis adferentibus cibum diceret: Ego cibum habeo comedendum, quem uos nescitis. Admirante Petro quid hoc spectaculum sibi uellet, sonuit uox, quæ diceret illi: Surge Petre, macta & uescere. Quanquam autem dominus admonuerat suos, ut Euangelium impartirent omnibus gentibus, tamen quo facerent id cum maiore fiducia, denuo monitus est uisione. Petrus itaq; tanquam Iudæus, adhuc abhorrens à cibus lege uetitis, ait: Absit domine, ut e talibus cibus uescar. Nam hætenus mihi seruata est religiose maiorum lex. Nec enim hætenus comedi quicquid profanum esset aut impurum, Ad id uox eadē, quæ prius sonuerat, ita respondit: Quod deus purificauit, tu homo ne dixeris impurum. Eadē uisio quum sese ter exhibuisset ad certiore fidem, mox uas receptum est in cœlum. Petrus autem ad se reuersus, dum hæsitabundus secum expendit, quid sibi uellet uisio, somnium ne esset, an significatio diuinæ uoluntatis: ecce uiri illi quos legauerat Cornelius, stabant ad ostium Simonis corarij, & euocato quopiam e famulis, rogabant an illic diuersaretur aliquis Simon cognomento Petrus. Priusquam autem id esset Petro nunciatum, esse qui quærerent ipsum, sed tantum apud sese reputaret, quid sibi uellet uisio, dixit illi spiritus: uarijs enim modis deus loquitur sanctis suis: Ecce uiri tres adstant foribus & quærunt te. Surge itaq; & descende, ac uade cum illis nihil hæsitans. Nam à me missi sunt. Et intelliges quid sibi uelit uisio de qua miraris. Descendit Petrus, & uenit ad uiros, atq;: Ecce ego sum ille Simon Petrus quem quæritis. Qua gratia uenistis huc: Non iactat Petrus uisionem suam, sed exigit à gentibus confessionem. Nec enim Euangelij gratia debet obtrudi fastidientibus, nec audivis negari. Tum illi: Cornelius centurio quidem officio, sed tamen uir integris moribus, ac metuens deum, spectatus ac probatus non tantum apud suos, uerum etiam testimonio totius Iudaicæ gentis, monitus est oraculo sancti angeli, qui illi apparuit, ut te accerferet domum suam, et audiret te præscribentem quid esset faciendum, ut salutem assequatur. Petrus intelligens consentire uisiones, quidq; sibi uellet illa ter audita uox, quod deus purificauit tu ne feceris impurum, inuitauit illos ut ingrederentur. Erat enim uespera, & excepit illos hospitio. Hoc erat auspiciū commercij Iudeorū, cum gentibus ad Euangelij consortiū ultro ingerentibus sese. Cæterū apostolorū hac in re contatio proficiebat in hoc, quo non temere, sed planè iussu dei factum agnosceretur, quod gentes ad Euangelij gratiam admitterentur. Inuitat Cornelius, sed angeli monitu. Descendit & occurrit Petrus, sed uisione monitus. Hinc auditas Euangelicæ gratiæ candidata, hinc alacritas & pròptitudo sitientis salutem omnium gentium. Petrus itaq; postridie profectus est Cæsaream,

comitantibus aliquot Christianis ex ciuitate Ioppe, qui testes eorum essent, quæ gererentur. Siquidem præfagiebat illis animus nescio quid latè rei futurū. Cornelius interim audis salutis expectabat reditū suorū cum Petro, conuocatis & cognatis suis & amicis præcipuis, quo simul & factum hoc plures haberet testes, & beneficium ad plures diffunderetur. Iam uero quum Centurionis domū ingrederetur Petrus, Cornelius exhilaratus, honoris gratia obuiā processit, ac procumbens ad pedes eius adorauit eum: nescio quid maius homine sentiens de illo. Sic oportet Christum uenerari in ministris ipsius, sed ita ut ne dei gloria tribuatur homini. Petrus itaq; præbens exemplū, q̄ oporteat Christi dispensatores abesse ab ambitione, quamq; nihil sibi uindicare laudis ob hæc, quæ Christi uirtute & nomine gerunt, non passus est Centurionē prostratum humi, sed amplexus erexit illū, dicēs: Surge, homo cum homine loqueris. Istuc honoris deo tribue, cuius ego nihil aliud sum quàm minister. Iamq; familiariter confabulātes, simul ingressi sunt. Vbi uentum est ad interiora domus, Petrus reperit illic multos congregatos. Iam hinc copiosioris fructus spes ostensa est auaro pastori. Vbi consedisset igitur, sic orsus est Petrus, orator Euangelicus, simul & comitum suorum occurrens offensæ, & Centurionis familiæ fiduciam confirmans. Vos scitis non esse fas homini Iudæo, adiungere sese in domesticam consuetudinem, aut etiam adire alienigenas, diuersæ religionis & incircuncisos. Ego uero, quāquam Iudæus, non ueritus sum id facere, haud quaquam contempta gentis meæ religione & consuetudine, sed dei sequutus auctoritatem, qui mihi per uisionē ostendit, nō oportere quenquam hominem cuiuscunq; nationis sit, impurum aut abominandum ducere, quem deus nō haberet pro impuro. Ille enim solus sanctificat omnia. Itaq; dei iussu fretus, incontāter huc adueni, per uos accersitus. Vestrum igitur erit exponere, quā ob causam accersieritis me. Omnibus loquitur Petrus, ut omnes lucrifaciat, intelligēs illos in hoc conuenisse, ut simul audirent sermonem Euangelicum. Vt scite pastorem agit Petrus: non impartit mysterium Euangelicæ doctrinæ, nisi professis auiditatem discendi. Ibi Cornelius coram omnibus rem, ut habebat, exposuit, dicens: Quartus hic, inquit, dies est, quod eram domi meæ, ieiunans & intentus precationi, ad horā ferè nonam. Et ecce quidam uir specie quadam augusta constitit ante me, ueste splendida conspicuus, dixitq; mihi: Corneli, exaudita est tua deprecatio, tuæq; in pauperes munificentia memoria habita est in conspectu dei. Itaq; mitte Ioppen, & accerse Simonem, cui cognomentum est Petrus. Hic diuersatur in ædibus Simonis coriarij, iuxta mare. Ego uero nihil moratus misi meos ad te, nō ausurus facere, nisi iussus ab angelo. Et tuæ pietati gratiam habeo, qui nō sis grauatus huc uenire. Nunc igitur omnes hic adsumus, simplici sinceroq; animo, cuius deū testem facimus, cupientes audire, quæcunq; tibi præcepta sunt à domino, ut nobis exponeres. Id enim angelus mihi pollicitus est, qui præbuit hanc fiduciam: nec dubitamus quin id facturus sis, quando tu quoq; diuino iussu non dedignatus es nos colloquio. Ibi Petrus, cognita sinceritate illorum, aperuit os suum, cœpitq; loqui hūc in modum: Re ipsa comperio, quod apud deum non est respectus personarū, sed in quauis gente quisquis timet ipsum, & amplectitur iustitiam, hic acceptus est illi, posteaquam uideo uos alienos à nostra lege, tamen uerum & unicum deum nobiscum colere: sacris precibus illi quotidianas immolare uictimas, & subleuandis pauperibus, illius fauorem ambire. Quandoquidē hæc est doctrina legis & prophetarum. Quanquam autem deus olim pollicitus per ora prophetarum, se missurum Messiam, hoc est, Christum, nunc tandem præstitit quod promiserat, significans filiis Israel non iam per prophetam, sed per unicum filium suū Iesum Christum, offerens illis per fidem & obedientiam erga eum quem misit, abolitionem peccatorum, & reconciliationem erga ipsum: tamen quoniam idem est omnium deus, non solum Israeliticæ gentis, uult hanc gratiam omnibus esse salutiferam, quicunq; credunt Euangelio. Nec dubito, quin huius rei fama, per uniuersam Iudæā diuulgata, permanuit ad uos quoq; de Iesu, qui peragrauit omnes Iudææ regiones, hortans omnes ad pœnitentiā, testificans adesse iam regnum dei. Auspicatus est autem potissimum Euangelij prædicationem à Galilæa, posteaquam baptizatus esset à Ioanne, qui præcursor eius fuit, ac palam testimonium de illo perhibuit, quod Iesus Nazarenus esset agnus dei, qui tolleret peccata mundi, quodq; deus Messiam suum unxisset spiritu sancto, quem columbæ specie uoluit e cœlis descendentem, & manentem in illius uertice uiderat, quodq; is esset solus, qui bapti-

baptizaturus esset omnes credentes, non aqua quemadmodum ipse baptizabat, sed uirtute coelesti. Hanc enim dominus Iesus ipsis factis declarauit, obambulans per omnes Iudæorum regiones, opitulans omnibus, non solum docendo philosophiā Euangelicā, per quam sanantur animi, uerum etiam sanandis ægrotis, eijciendis dæmonibus, mundandis leprosis, excitandis mortuis, denique subleuandis omnibus, quos diabolus tenebat oppressos. Hic enim ut solus erat immunis ab omni peccato, ita solus potuit diaboli tyrānidem, qui regnum habet in eos, qui peccato sunt obnoxij, frangere. Deus enim erat in filio, uirtutem suam exerens, cui nulla potestas satanæ potest resistere. Hæc omnia, quæ sint uulgata per uniuersam Iudæam, non dubito quin uobis etiam audita sint & credita. Cæterum quo certior sit uobis harum rerum fides, nos qui cum illo, quum adhuc mortalis inter mortales uiueret, perpetuā ac domesticam consuetudinem egimus, testes sumus omnium, quæ gessit in omnibus regionibus Iudæorum, atque etiam Hierosolymis; quem summi pontifices, scribæ & pharisæi, consentientibus primoribus & populo occiderunt, suffixum in crucē, pro tot beneficijs pessimam gratiam referētes. Sed deus, cuius permissu hæc omnia facta sunt ad salutem humani generis, tertio ab obitu die reuocauit illum in uitam, ac donauit immortalitate. Ad confirmandam huius rei fidem exhibuit semetipsum uiuum, audiendum, conspiciendum, manibus contrectandum, non toti populo, quemadmodum fecerat ante mortem; sed certis testibus, quos ante deus in hoc selegerat, uidelicet nobis, quibus frequenter apparuit posteaquam resurrexerat à mortuis, quadraginta dies uersans in terris, quicquid comedimus ac bibimus cum illo comedente & bibente, ne qua dubitatio animis nostris hære posset de ueritate corporis suscitati. Priusquam autem ascenderet in coelū, præcepit nobis, ad hoc munus selectis, ut palam omnibus prædicaremus, testificantes, quod ipse sit unus, quem deus euexit in summā potestatem, ut in fine mundi sit iudex omnium, uiuorum ac mortuorum. Interim offertur omnibus certum ac facile remediū. Etenim quod nos de illo, id de eodē magno consensu iam olim testificati sunt omnes prophetae, quod hic unus sit ac solus, per cuius nomen danda sit remissio omnium peccatorum, non solum Iudæis, uerum etiam omnibus per uniuersum orbem terrarum nationibus, non per opera, quibus fidunt Iudæi, sed per fidē, qua creditur Euangelio, & per Euāgeliū Christo. Nondū finierat hūc sermonē Petrus, ecce spiritus sanctus signo uisibili delapsus ē cœlo, uenit super omnes, qui audiebant & credebant uerbis apostoli. Ea res obstupescit Iudæos, ad Euangelicam doctrinam conuersos, qui ē ciuitate Ioppe Petro comites uenerant, ut testes essent eorum quæ gererentur, admirantes, quod in gentes quoque, qui circumcisi non erant, effusa esset gratia spiritus sancti. Existimabant enim, quod ad solos Israelitas pertineret promissio prophetarum, quum prophetae nominatim prædixerint, dei spiritum effundendum in omnes, qui cumque inuocarent nomen domini. Signū autem, quod oculis uiderant, res ipsa consecuta est. Cœperunt enim omnibus audientibus loqui uarijs linguis, laudibus ferentes benignitatem dei. Hoc signum tam euidentius datum est circumcisis qui aderant, ne post hac dubitarent etiam incircuncisos uocare ad Christum: datum est & Cornelij familiaribus, ne dubitarent sese per credulitatem æquatos Iudæis absque legis præsidio. Inuersus est autem ordo, dispensante deo, catechumenis primū datur baptismus, deinde per impositionē manuum spiritus sanctus. Hic absque manuum impositione prius datus est spiritus sanctus, ne dubitaret apostolus, quod leuius erat, addere, posteaquā deus id, quod maius est, ultro largitus esset. Tum Petrus, uelut ex consensu Iudæorum facturum, quod destinarat, ait comitibus suis: Nunquis prohibere potest, quo minus baptizetur hi, licet incircuncisi, qui iam spiritum sanctum acceperunt, quemadmodum & nos? Assentientibus illis, iussit eos baptizari in nomine Iesu Christi. Quum his rebus feliciter peractis Petrus adornaret redire Ioppen, rogauerunt eum, ut apud ipsos diebus aliquot commoraretur, cupientes plenius edoceri de præceptis Euāgelicis. Obtemperauit Petrus, sed rogatus. Nouerat enim, Iudæos uix laturos domesticam consuetudinem actam cum incircuncisis.

CAPVT XI



Vius facti rumor permanuit ad cæteros apostolos, qui manserant Hierosolymis, & fratres qui erant in Iudæa, quod gentes quoque recepissent sermonem Dei. Id enim eo minus latere potuit, uel quod Centurio ipsa muneris dignitate nobilis erat, uel quod multi simul baptizati sunt, uel quod Iudæis

Iudæis testibus factum id esset, (nam Eunuchus solus sine teste baptizatus est in uia, testis suffragatus Euangelij gratiam à Iudæis) uel quod in ciuitate celebri Palestina. Petrus autem non ignarus, futurum ut hæc res uulgaretur, nec defuturos Iudæos, qui factum reprehenderent, cauit omnibus modis, ne iure posset reprehendi, deo quoque huius animo subseruiente, in quo ne quid hæteret scrupuli, uisio ter exhibita est. Rursus per spiritum discit adesse legationem à Cornelio: eam non statim admittit in ædes, ne Iudæus uideretur affectasse commercium cum ethnicis, sed pro foribus compellat, & adhibitis testibus rogat, quur uenissent. Iudæis qui aderant hoc sciscitatur potius quàm sibi. Deinde ubi cognouit, utrinque respondere uisiones, non proficiscitur illò, nisi adiunctis sibi Iudæis aliquot probatæ fidei, quibus testibus & quorum consensu res gereretur, quo post extestibus fierent aduersus obmurmurantes patroni. Rursum ubi uentum est ad ædes Cornelij, non statim ingressus est, uelut audis colloquij, sed misit qui denunciarent adesse Petrum, ut per occurrentem Corneliū induceretur, non ignarus, quanto studio foret excipiendus. Procidit ad pedes Centurio, adorauit Petrum. Hæc Iudæis qui aderant arguebant admirandam animi promptitudinem. Rursus hñdem presentibus rogat, quãobrem esset accersitus, ut plus haberet fidei apud Iudæos comites narratio, ex ore Cornelij audita. Postremo spiritus sanctus ultro missus est, nondum effusa precatìone, nec impositis manibus, nec dato baptismo. Ac ne sic quidem baptizauit illos, nisi compellatis qui aderant circuncisis, ac testificatus non esse integrum illis negare baptismum, quibus deus impartisset spiritum sanctum. Hæc nimirum erat illa Petri pastoris Euangelica prudentia. Nouerat ingenium Iudæorum, quàm sibi placerent ob recisam pelliculam, quàm auersarentur incircuncisos. Proinde nihil non facit, quo uitaret offendiculum. Cupiebat gentes in Euangelij uenire consortium. Cæterum absq; dispendio gentis Iudaicæ si fieri posset. Itaque quum accidisset ut Petrus rediret Hierosolymam, quò iam rumor de Cornelio baptizato præcesserat, disceptabant aduersus illum hi, qui ex circuncisione fuerant amplexi doctrinam Euangelicam, dicētes: Quur ingressus es ædes incircuncisorum præter instituta maiorum: nec hoc contentus, etiam mensam habuisti cum illis communem, qui cibis uescuntur Mosi lege uetitis? Hic non decebat Petrum esse mutum, sed ab initio repetens, ordine rem omnem ut habebat exposuit, dicens: Equidem non ausim uiolare legem à maioribus traditam, sed eius autoritatē sequutus sum qui maior est lege. Ego eram in ciuitate Ioppe, ieiunus ac precatìoni uacans, ne quis inane somnium fuisse suspicetur. Quumq; stimulante fame, iussissem apparari cibum, interim raptus sum, & in extasi uisionem huiusmodi. Vas quoddā instar magni lintei, à quatuor angulis alligatum è cœlo demittebatur, ac ueniebat usq; ad me. In quod quum intēdissem oculos famelicus, considerabam quid esset cibi. Atq; ibi uidi quadrupedū uaria genera, tum noxias bestias, præterea reptilium ac uolucrum diuersas species, à quarum esu lex iubet nos abstinere. Hæc contemplant uox etiam insonuit, contantem ad edendum exhortans, quæ diceret mihi: Surge Petre, macta & uescere. cui tum respondi: Absit domine. Nam hæcenus nihil impurum aut immundum ingressum est in os meum. Hic uox iterum audita, ita respondit: Quæ deus purificauit, tu homo quum sis ne dixeris communia. Ea uisio ter exhibita est. Deinde recepta sunt in cœlum omnia illa, quæ mihi uidebantur abominanda. Reuersus autem ad me, dum meo cum animo uersarem, quid sibi uellet hæc uisio toties exhibita, me statim submonet spiritus, adesse pro foribus domus, in qua diuersabar, tres uiros è Cæsarea missos ad me. Iussit autem idem spiritus ut irem cum illis, nihil hæsitans. Obtemperauī uisioni & iussis spiritus sancti, profectus sum Cæsaream, non solus sed comitantibus hisce sex fratribus, ut essent testes omnium quæ gererentur uoluntate Dei. Ingressi sumus domum hominis, qui accersiuera nos. Is omnibus audientibus narrauit quomodo paucis ante diebus, quum ieiunus & orans esset domi suæ, uidisset angelum clara luce affantem sibi ueste præfulgida, dicentem ipsi: Corneli, mitte è tuis Ioppen, qui accersant me nō mine Simonem cognomēto Petrum. Is loquetur tibi per quæ salutem assequaris, & tu & tota domus tua. Ego uidens hinc & hinc consentire uisiones, tum animaduertēs illorum sinceram auiditatem, exorsus sum illis exponere, quæ dominus Iesus per nos uoluit prædicari. Nondum finieram sermonem, et ecce spiritus sanctus delapsus est è cœlis in illos, quemadmodū delapsus est initio in nos, & cœperunt loqui uarijs linguis, quemadmodū nos

nos tum loquebamur. Hoc signum palam arguebat illorum fidem approbari deo. Iamq̃ res ipsa me docuit quid sibi uellet uisionis ænigma, quod uideram. Hæc nimirum erant illa quadrupedia reptilia & uolatilia, quæ nos circuncisi abominamur, sed deus per fidem purificare decreuit: nec uult quicquam à nobis haberi pro immundo, quod per fidem Evangelicam sanctificatum est. Simulq̃ recordatus sum uerbi, quod dominus nobis dixit ascensurus in cœlum: Ioannes quidem baptizabat aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto. Et nos quidem tingimus corpus aqua, sed aqua non confert salutem, nisi fides impetret à deo baptismum igneum. Quum igitur res ipsa loqueretur, illos iam esse baptizatos eo baptismo, quem promiserat dominus Iesus, quum eandem gratiam esse collatam incircuncisis per fidem quam nos accepimus, non ob merita legis obseruatæ, sed ob credulitatem, qua confisi sumus domino Iesu Christo: ego quis eram, qui possem uetare dominum? An iam à domino spiritu baptizatis, negare debui baptismum aquæ, quæ nihil aliud est quam signum gratiæ diuinitus conferendæ? Atqui iam gratia præcesserat citra nostram operam. Itaq̃ negare baptismum aquæ, quid aliud fuisset quam improbare quod fecisset deus? His auditis obticuerunt & glorificauerunt deum, dicentes: igitur ipsa res docet, quod Deus non Israelitis tantum, sed & gentibus concessit poenitentiam, ut uitam assequantur æternam. Atq̃ has quidem Euangelij primitias ex gentibus Petrus adiunxit ecclesiæ. Nam antehac nullus id ausus est, præter unum Philippum, idq̃ angelo monitore. Nam illi quos persecutionis tempestas, à Stephani morte orta disperferat, peragrarunt uicos & urbes usq̃ ad Phœnicen, & huic oppositam insulam Cyprum, præterea Antiochiam, quæ Phœnicen à Cilicia dirimit, apud omnes prædicantes sermonem Evangelicum ab apostolis acceptum, nemini tamen ausi communicare, nisi solis Iudaicæ gentis, non id quidem inuidentiæ, sed religionis, putantes esse nephas sanctum dare canibus, quod dominus uetuerat fieri. Exorti sunt autem uiri quidam ex his qui crediderant, gente Cyprij & Cyrenæi, qui quum ingressi essent ciuitatem Antiochiam, ausi sunt de Christo loqui Græcis, prædicantes illis dominum Iesum, & profecerunt, domini fauore rem benefortunatam, uiresq̃ & animum sui nominis præconibus addente. Siquidem ex his quoq̃ copiosus hominum numerus, credens Euangelio, conuersus est ad dominum. Huius rei rumor peruenit ad aures ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis. Hac de causa per apostolos missus est eo uir apostolicæ synceritatis, Barnabas leuites, genere Cyprius, qui præsens dispiceret, quid illis ageretur, & si ex uoluntate dei factum esse comperisset, autoritate apostolorum comprobaret. Tanta erat cautio in recipiendis ad Euangelium gentibus, non quod id non magno opere cuperent apostoli: sed ne uel, ut temere factum, in posterum à Iudæis rescinderetur, uel sibi parum fiderent gentes, quasi legis opus haberent præsidio. Itaq̃ Barnabas ubi peruenisset Antiochiam, comperissetq̃, per fidem absq̃ legis professione Græcos eandem dei gratiam assequutos, quam Iudæi acceperant, magno opere gauisus est, augeri numerum credentium, & adhortatus est omnes, ut constantes in eo proposito perseverarent adherere domino. Erat enim uir bonus ac plenus spiritu sancto, fideq̃. Itaq̃ factum est huius prædicatione, ut ingens præterea multitudo adiungeret sese priori numero profitentium dominum. Quoniam autem Antiochia uicina est Ciliciæ, inuitauit eum ipsa loci propinquitas, ut quæreret Paulum, ad hoc negocium præ cæteris idoneum, uidelicet à Christo delectum, ut nomen ipsius illustraret apud gentes & reges terrarum. Nam hunc Hierosolymis fugientem discipuli deduxerant Cæsaream Phœnicem, unde profectus est Tarsum. Quem, cum illic inuenisset, perduxit Antiochiam, quod in ciuitate frequenti ac celebri, sed ex Græcis Iudæisq̃ confusa, speraret fructum copiosiorē per apostolum, ad hoc muneris præcipue delectum. Simul itaq̃ uersati sunt Antiochiæ totum annum in ecclesia credentium, quæ illis ex Græcis ac Iudæis satis numerosa cõfluxerat: cui ex doctrina amborum, uidelicet Pauli & Barnabæ, accessit etiam magna uis hominum, adeo, ut qui prius dicebantur discipuli, suppresso ob inuidiam Christi nomine, primum Antiochiæ ex auctoris uocabulo, coepissent dici Christiani. His temporibus uenerunt Antiochiā ex urbe Hierosolymorum, prophete quidam, e quibus unus nomine Agabus, surgens in congregatione significauit illis ex afflatu spiritus, magnam famem futuram in uniuerso terrarum orbe. Ea accidit sub Claudio Cæsare qui successit Caligulæ. Quoniam autem, qui Hierosolymis agebant, partim tenues uenerant ad Euangelij professionem: partim, quod habebat, erogauerunt in comune: partim ob professionem

professionem Iesu Christi, per sacerdotes erant spoliati bonis suis, constituerunt, ut ex collatione eorum, quibus suppetebat, precipue qui ex gentibus acceperant Euangelium, collecta pecunia mitteretur in subsidium Christianis, habitantibus in Iudaea: sic tamen, ut ne mo cogeretur ad conferendum, sed ut quisquis uolens ac lubens pro modo facultatum suarum largiretur. Idque factum est uti constituerant. Ea pecunia missa est Hierosolimam per Paulum & Barnabam ad seniores, ut illorum arbitrio distribueretur, quibus erat opus.

CAPUT XII



Um hanc legationem obeunt Paulus & Barnabas, Herodes rex qui decollarat Ioannem, & Christum alba ueste amictum ludibrij causa. Pilato remiserrat, dolens hoc hominum genus indies increfcere, & nomen Iesu regis Iudaeorum per multas regiones inclarescere, existimauit illud sua quoque referre, ut ea factio gliscens extingueretur, nimirum satana per organa sua molente, quod antea fuerat molitus, sed ad nihil aliud proficiens, nisi ut Iesu nomen redderet gloriosius. Herodes igitur regaliter ac simpliciter agens, misit satellites suos armatos, ut affligeret aliquot ex congregatione Iesum Nazarenum profitentium, rerum omnium dominum. Itaque qui Ioanne decollato didicerat amputare ceruices piorum hominum ac libere ueritatem profitentium, iniecit manus in Iacobum apostolum Ioannis fratrem, quod istum inter apostolos praecipuae autoritatis haberetur, & hunc constantem in praedicatione nominis Iesu, gladio plecti iubet. Hanc crudelitatem ubi uidit esse non ingratam genti Iudaica, adiecit facinori facinus, ac Petrum quoque inter apostolos praecipuum iussit apprehendi, sperans fore, ut submoto pastore, grex facile dissiparetur: quo nimirum consilio Iudaei dominum Iesum prius occiderant, abstinentes ab apostolis. Quo minus autem et hunc statim occideret, obstitit tum quidem dies Azymorum apud Iudaeos eximie religiosus, quo tempore Iesum etiam ueriti fuerant Iudaei occidere. Atque haec est Iudaica religio in obseruandis diebus festis. Non uerentur litare populo innocentis hominis sanguine, sed uerentur uiolare festum diem: quasi purus sit ab homicidio, qui iam decreuit occidere. Comprehensum igitur Petrum detrudi iussit in carcerem, ac ne qua posset elabi, quemadmodum fuerat elapsus Paulus, addidit quatuor militum quaterniones, qui uinctum asseruerent, ne quis ui posset eripere. Decreuerat enim exactis diebus festis, hanc uictimam producere populo, sitienti sanguinem innoxiorum. Qualis populus, talis rex. Interea pec Petrus recusat carcerem, praemonitus a domino haec euentura, nec discipuli tumultuantur aduersus impiam uiolentiam tyranni, memores dominum praecipisse, ut bene precarentur etiam ipsos persequentibus. Non sufficebat Herodi carcer, non geminae catenae, nec unus militum armatorum quaternio, uidelicet ut crudelis impij regis diligentia proficeret ad cumulandam Christi redemptoris gloriam. Ac Petrus quidem sic asseruatus, diem festum agebat in carcere. Interim ecclesia discipulorum sollicita de suo pastore, non desinebat diurnis ac nocturnis precibus rogare dominum pro salute Petri. Quum autem peractis diebus festis Herodes esset illum producurus ad populum, commodum ea nocte, quae diem educendi precedebat, Petrus dormiebat inter duos milites, uinctus catenis duabus. Caeteri milites obsidebant ostium carceris, excubias agentes. Et ecce angelus domini repente astitit Petro, simulque lumen admirandum illustrauit habitaculum, discussa caligine, tum carceris, tum noctis, stimulatque Petri latere excitauit eum dicens: Surge uelociter. Protinus ad hanc uocem exciderunt catenae de manibus eius. Mox Angelus: Cingete, ac pedibus tuis subliga soleas, ne quid hic exuiuari relinquant. Quum obtemperasset Petrus, rursum angelus: Indue pallium tuum ac sequere me. Praecedentem angelum sequens Petrus, coepit exire carcerem, nondum intelligens haec uere fieri, quae fiebant per angelum, sed existimans se uidere uisionem, quemadmodum ante uiderat. Caeterum ubi iam praeterissent primam & item secundam custodiam, uenerunt ad portam ferream, quae ducit ad ciuitatem, haec ultro aperta est illis, quamlibet feris & obicibus munita. Egressique processerunt donec praeterirent uicum unum ciuitatis, & continuo angelus euangelista reliquit Petrum, quemadmodum subito astitit. Petrus autem circumspectus ac noscens ciuitatis partem, in qua tum erat, tum reuersus ad se dixit: Nunc uideo non esse somnium, quod geritur, sed dominus misertus suorū misit angelum suum, & eripuit me de manibus Herodis, qui me decreuerat Iudaeis immolare: simul & regis eludens crudelitatem, & plebi uindictam

dam expectationem. Quumq; secum deliberasset, quò potissimum se reciperet in tutum, huius rei lætitiā discipulis suis impartitur, petijt domum Mariæ, quæ erat mater Ioannis, non eius qui frater erat Iacobi, sed qui cognomento dictus est Marcus, in cuius ædibus erant multi congregati, simul orantes pro liberatione pastoris. Quum autem Petrus pulsaret ostium ianuæ, quæ speciebat ad uiam, prodijt puella, ut subauscultaret quid esset rei. Ei nomen erat Rhode. Quam ut Petrus sensit uenisse ad ostium, admonuit ut celeriter aperiret. Illa simul ut agnouit uocem Petri, stupefacta insperato gaudio non aperuit ostium, sed intro recurrens, nunciauit Petrum stare pro foribus. Illi uero non ignari, quàm diligenter Herodes curasset Petrum asseruandum, responderunt puellæ: Tu sana non es. Quum illa constanter asseueraret rem sic habere, quidam dicebant: non est Petrus, sed angelus eius est, qui uocem illius exprimit. Persuasum enim erat suum cuiq; angelum esse custodem & asseclatorem, qui nonnunquam ipsius hominis imaginē representaret. Quum interim Petrus non desisteret pulsare fores, aperuerūt ostium. Ingressum Petrū uiderunt & obstupuerunt. Cumq; domus perstreperet gratulantium uocibus, Petrus manu innuit illis, ut silerent & auscultarent taciti, ne quis ex insolito gaudentium strepitu, deprehenderet quod acciderat. Vbi cōticuissent, exposuit illis ordine rem omnē, quomodo dominus per angelum suum eduxisset ipsum e carcere. Hæc, inquit, facite ut sciat Iacobus frater domini (is erat episcopus Hierosolymorum) ceteriq; fratres, ut huius gaudiij nobiscum participes sint. Sic deus optimus lætis tristitia, & tristibus læta tēperat, ne deiciamur animo. Hæc loquutus Petrus statim egressus illinc, recepit sese in alium locum, ubi tutius latitaret ob metum Herodis, cuius obstinatham crudelitatem nouerat. Quum uero diluxisset, milites quibus erat delegata custodia, uidentes catenis integris, & foribus clausis elapsū esse captiuum, non mediocriter turbati sunt, admirantes quid actum esset de Petro. Herodes autem quum requisisset Petrum, produciurus illum ut cōdemnaretur, nec esset repertus in carcere, examinatis custodib. iussit illos duci in carcerē, sūpturus de illis suppliciū ubi uacaret. Verū Herodis rabiem deus suorum misertus coercuit, simul & apostolorum incolumitati consulens, & militū. Non enim decebat ut Petri salus occasionē exitij præberet innoxijs. Incidit enim interea quur Herodes proficisceretur Cæsareā Palestinæ. Erat autem insensus Tyrrijs & Sidonijs, iamq; destinabat bellum inferre. Verum illi hac re cognita, consentientibus animis ueniunt ad eum, & persuaso Blaſto, qui præfectus erat cubiculo regio, petebant pacē, eo quod necessariam sibi ducerent uicini regis amicitia, propterea quod quum Tyriorum et Sidoniorum opulentia potissimū esset ex negociatorū commercijs, plurimum cōpendij capiebāt ex pacatis regionibus finitimis, nec sine graui iactura bellum suscipere poterant, intermissa libertate exportandi & importandi. Ceterum his rebus compositis, quum solenni quodam festo, quod uotiuum celebrabatur ob Cæsaris incolumitatem, qua gratia conuenerant eo totius prouinciæ proceres, secundo spectaculorum, quæ multa ædebantur, die Herodes e sublimi concionaretur ad populum, indutus ueste miro artificio ex argento auroq; contexta, posteaq; solis fulgor exceptus sinu regię uestis, ex repercussu ueluti fulgur quoddam imitans, perstrinxerat omnium oculos, acclamatum est ab adulatrice multitudine: dei uox, non hominis: quasi uiderent in illo aliquid homine maius. Hæc adulatio populi sæpe facit, ut pro regibus habeant tyrānos, dum illis tribuunt diuinitatē, qui uix hominis uocabulo digni sunt. Atq; illi uicissim adulantur populo, spectaculis, ludis obscenis, nonnunq; & cæde bonorum uirorum, quemadmodum ante cæde Iacobi cōmēdarat se populo. Nec hanc tam impiā adulationē Herodes respuir, non execratus est, sed homo miserabilis ac mox periturus, deus haberi gaudebat. Aderat autem mox ultio diuina. Protinus enim in ipsa concione percussit illum angelus domini, quem respiciens uidit à tergo altātem, eo quod homo sibi uindicasset honorem, nulli creaturæ cōmunicabilem. Subitoq; dolore morbi correptus, quo uix alius uel foedior, uel crucibilior, uermibus corpus illius erodētib. intra paucos dies cruciatus uel mortem obiit. Ad hunc modum sublato dominici gregis persequutore, sermo Euāgelicus crescebat ac multiplicabatur. Barnabas autem & Saulus defuncti his, quæ receperant à fratribus curanda, traditaq; & per apostolos distributa pecunia, quæ missa fuerat in subsidium egenitum, reliquerunt Hierosolymam, ac repetunt Antiochiā, adiuncto sibi comite Ioanne, cui cognomen erat Marcus.



Effloruerat autem ecclesia Antiochena, sic ut haberet aliquam multos, prophetia dono pollentes, rursus alios docendi gratia præditos. Inter quos erat Barnabas, & Simeon, qui latina uoce dictus est, Niger: præterea Lucius patria Cyrenensis, & Manahen, qui fuerat simul à puero enutritus cum Herode Tetrarcha, à cuius familiaritate defecerat ad Christum. Sed inter hos præcipuus erat Saulus, omnibus apostolicis dotibus excellens unus. Porro cum omnes hi magno studio seruirent ecclesie commodis, dotes suas ad omnium salutem, & Christi gloriam fideliter impartientes, quo non aliud est sacrificium deo gratus: ieiunantes interim, ut puris etiam precibus adiuuarent ecclesie profectum, non solum officio: spiritus sanctus motus illorum uotis, per prophetas significauit quid fieri uellet: dicens: Segregate mihi Barnabam & Saulum duos ex omnibus præcipuos, ut incipiant eo fungi munere, ad quod illos potissimum accersiui, uidelicet ut doctores sint gentium, lateq; per eos disseminem sermonem Euangelicum. Factum est quod iussit spiritus, separati sunt ab alijs Barnabas & Saulus, ut omnibus esset conspicuum, qui deligerentur. Quumq; ieiunio & precatione concordidomini fauorem implorassent, ut munus quod aggredierentur feliciter uerteret ecclesie, qui præminebant inter illos autoritate, imposuerunt illis manus, ac dimiserunt, quocumque spiritus sanctus illos ageret, profecturos. Primum itaque impulsu spiritus Barnabas & Paulus abierunt Seleuciam, id est Antiochie promontorium, atque hinc nauigarunt in insulam Cyprum. Quum autem appulissent Salaminem, ea est celebris eius insula ciuitas, quæ primum occurrit ab oriente, prædicarunt non fabulas humanas, sed sermonem dei: nec id furtim, sed in synagogis Iudæorum, quorum ibi magna uis erat ob Syriam uicinam. Habebant autem huius muneris consortem Ioannem cognomēto Marcum, quem secum abduxerant Hierosolymis. Hoc honoris ubiq; tributum est Iudæis, iuxta Christi mandatum, ut primum illis deferretur Euangelium, ne gens querula ac morosa clamaret sese despectam. Id facientes peragrarūt totam insulam donec peruenirent Paphum, ciuitatē Veneri sacram. Nam hæc est ad occidentale latus Cypri postrema. Hic inuenerunt magnum quēdam nomine Bariesum, quasi dicas Iesu filium, natione & religionis professione Iudæum, & huius prætextu sibi falso uindicātem prophetiæ spiritum. Is adhærebatur eius insulæ procōsuli Sergio Paulo, uiro alioqui prudenti. Nam hoc hominum genus sese in magnatum amicitiam solet insinuare, quo corruptis illis grauiorē perniciem inuehant rebus mortalium. Proconsul itaq; cum accepisset Euangelicam doctrinā disseminari per Cyprum, non solum non obstitit illi, uerum etiam Barnabam & Paulum accersiu ad se, cupiens ab illis discere doctrinam cœlestem. Sed Euangelio proficienti resistere conabatur Bariesus, Iesu seruatoris inimicus, ac ueritati sese proferenti obnitebatur falsitatis artifex, & apostolis ueris prophetis repugnabat Elymas, quæ uox Syris magū sonat, & pseudopphetam. Videns enim proconsulem auidum cognoscendi sermonis Euangelici, & intelligens posthac non fore locum fucatis artibus apud eos, qui solidam ueritatē didicissent: conabatur proconsulem auertere, ne fidem haberet dictis apostolorum. Hic animaduerte conflictum inter artes humanas & uigorem Euangelicum. Saulus, qui idem dictus est Paulus, non tulit hominem spiritu satanæ plenum, maliciolis artibus pugnantem aduersus simplicem ueritatem, sed toto pectore concepto diuini spiritus impetu, defixis in magum oculis, ait illi: O plene omni dolo, omniq; uersutia, referens patrem tuum diabolum, qui prius fraudulentia sua mēdacijsq; pellexit hominem in exitium: o omnis iustitiæ & synceritatis hostis, & in hoc declarans te filium esse diaboli, siquidē ille primus ademit innocentiam hominī, tu renascenti iustitiæ bellum indicis. Nec tibi satis est hæc tunc fuisse fraudulentis artibus hominum simplicitati, quin nunc etiam posteaquā deus ueritatem per uniuersum orbē ueritatē Euangelicam, quæ fucum nescit, elucescere, tu tamen in malicia pertinax, nō desinis reluctari uoluntati diuinæ, magis tuæ falsæ gloriæ ac turpitudinis studiū consulens, quàm tuorum tuarq; salutē. Vt autem intelligas aduersus Euangelicam ueritatem nihil ualere dæmonum artes, ecce iam nunc senties illius potentiam, cuius uoluntati repugnas. Prophetam & uidentem te iactas, quum sis cæcus animo. Hic uerba dixit hominibus, qui iudicant ex his, quæ uident: Deus autem qui nouit cæcitatem cordium, mox eripiet tibi oculos corporis, ut omnes te uideant uere cæcum, & indignū qui uisus hunc

hunc solem corporeum omnium oculis conspicuum, qui aduersus solem Euangelicæ ueritatis, nunc mundo exorientis, bellum institueris. Hæc erit ultio diuina, donec resipiscas. Vix ea dixerat Paulus, quum subito corripit magum profunda cæcitas, ac nox oculorū, adeo ut attonitus oberraret, quærēs aliquem qui ipsum porrecta manu duceret. Hæc acta sunt, teste & spectante procōsule. Qui quum admiraretur præsentaneam uirtutem doctrinæ cœlestis, cuius uis tā facile protriuisset fumos magicos, credidit, et Christi nomen professus est, proq; falso propheta Bariesu, amplexus est ueros Iesū discipulos: Hæc acta sunt Paphi, à qua ciuitate quum nauigationē instituisset Paulus cum suis comitibus in Asiam minorem, uenerunt Pergen. Ea ciuitas est Pamphylie. Ioannes autem cui cognomen Marcus, digressus ab illis, reuersus est Hierosolymam, unde Barnabas & Paulus illum abduxerant. Illi nihilo secius, quum lustrassent Pamphyliam, peruenerūt Antiochiam Pisidiæ ciuitatem. Illic ingressi synagogam quò Iudæi solent ex more conuenire, confedere cum cæteris, audituri lectionem legis ac prophetarum. Ea quum esset recitata, neq; quisquam assurgeret, primores synagogæ, uidentes ex ipso cultu Iudaicæ gentis esse hospites qui aduenerant, & ipsa specie probitatem præ se ferentes, per uiatores denunciauerunt, quando quidē essent Iudaicæ gentis, si quid haberet quisquam illorū, quod docendi exhortandique causa uellet loqui populo, loqueretur. ibi Paulus cœlestis orator, dicturus assurrexit, magnūq; mota silentium indicens multitudini, sic exorsus est dicere: Viri Israelitæ quicq; iuxta progenitorum exemplum timetis deum, audite me dei uoluntatem uobis explicantem, et huius lectionis, quæ singulis sabbatis in synagoga repetitur, mysterium enarrātem. Deus gentis Israeliticæ protector, patres nostros, & hunc populum sibi præ cæteris delegit, adeo ut quum in Aegypto duram seruirent seruitutem, agente Pharaone ne crescerent, & qui superessent laboribus opprimerentur, prodigijs miraculis exaltaret illos aduersus opprimentem tyrannum, eosq; seruitute eduxerit, non dolis aut præsidijs humanis, sed brachio suo sublimi, ut omnes intelligerent, eam gentem esse charam deo. Quumq; eduxisset eos, magna lenitate pertulit mores illorum in deserto annis ferme quadraginta, subinde rebellantium & obmurmurantium Mosi. Nec tamen extremam ultionem exercuit in eos, ut posteris illorum præstaret aliquādo, quod patriarchis erat pollicitus. Post annos quadraginta deduxit eos in terram promissam, ac deletis septem gentibus in terra Chanaan, sorte distribuit illis terram Chananæorum, idq; post annos ferme quadringentos & quinquaginta. Et hoc erat argumentum animi uehementer erga nostram gentem propensum. Itaque parta rerum tranquillitate, dedit illi iudices, quorum moderatione tranquille uiuerent, usque ad Samuelem prophetam, qui fuit iudicum ultimus. Sub hoc postulauerunt à deo regem, dissuadente Samuele, quumq; persisterent efflagitare, dedit illis Saulem filium Cis & tribu Benjamin, quem ob superbiam & inobedientiam repudiavit dominus. Itaq; sub Samuele iudice integerrimo, et sub impio Saule egerunt annis quadraginta. Nec hic alienatus est animus clementissimi dei à gente sua, quam semel delegerat, sed pro maiore rege, quem flagitationibus impijs extorserant, excitauit illis regem Dauid, cuius pietas, si deus ipse testimonium perhibuit, dicens: Inueni Dauid filium Iesse, uirum ex animi mei sententia, qui meæ uoluntati parebit in omnibus. Quemadmodum enim deus iratus pro grauissima uindicta dat populo stultum & impium principem, ita propitius ac reconciliatus, pro submoto malo rege, dat piū deoq; morigerum. Huic deus promiserat nepotem, qui capesseret regnum Israel, cuius regni non esset finis. Nunc quod prophetarum oraculis sape diuq; promissum est, exhibitum est. Ex Dauid enim stirpe, quemadmodū illi pollicitus erat, produxit seruatore Israeliticæ gentis Iesum, nomine respondente rei. Hic seruator, quemadmodum promissus erat à prophetis, quemadmodum designatus est typis ac figuris legis: ita priusquam aperiret sese mundo, prædicatus ac demonstratus est à Ioanne Baptista, qui & ipse, iuxta uaticinium Esaie, præcessit aduentum eius, inuitans totum populū Israeliticum ad baptismum ac pœnitentiā prioris uitæ, palam clamans iam instare regnum dei. Cæterum ubi Ioannes impleisset propemodum cursum suum, in hoc tantum missus à deo, ut præuius esset aduenturo seruatori, & in huius aduentum animos hominum præpararet, atq; ob insignem uitæ sanctimoniam à multis crederetur esse Christus, palam hunc titulum ab sese depulit, & illi cui debebatur transscripsit, dicēs: Quid me putatis esse Christū? Nihil aliud quam nunciū illius sumi. Et tamen is, quem uos per erro-

rem me esse creditis, haud procul abest. Nam is mihi succedet, tempore posterior, sed potentia dignitateq; tanto maior, ut ego sim indignus qui uel soleas soluam à pedibus illius, quod inter homines infimi ministerij creditur esse. Quod enim in illo infimum est, hoc sublimius est eo, quod in me maximum est. Non igitur rem subitam uobis annunciamus, sed seruatorem tot iam seculis promissum generis nostri principibus, tot ætatibus à maioribus, atq; etiam à uobis expectatum, à Ioanne, cuius summa fuit apud Iudæos autoritas, agnitum ac testimonio publico Iudæis omnibus commendatū. Proinde uiri fratres, qui legem amplectimini, qui prophetas ueneramini quiq; genus ducitis ex Abraham, cui deus promisit semen, per quod benedictionem consequerentur omnes gentes: si uere estis filij Abraham, si uere timetis deum, Abraham patris uestri pietatem in hoc referentes, agnoscite salutiferum hūc sermonem, quem uobis adferimus, & amplectamini iam exhibitū, quod patriarchæ sibi gaudebāt esse promissum. Hæc salus per Iesum defertur omnibus, sed uobis omnium primis offertur, ad quos proditæ sunt prophetiæ, & ex quorum genere prodijt Christus. Ne uos moueat exemplum Hierosolymitarū, ac principum eius urbis, qui non agnoscetes Messiam à deo missum, nec intelligētes uoces prophetarum, quæ tamen apud illos per omne sabbatum leguntur, condemnato Iesu, per imprudentiam impleuerunt, quod erat à prophetis prædictum. Sic enim definitum erat diuino consilio, sic omnium prophetarum uocibus prædictum erat, ut unus immunis ab omni labe peccati, uelut agnus immaculatus pro peccatis omnium immolaretur. Itaq; quū sacerdotes, pharisei, scribæ, populiq; primores unā cum ipso populo, tentatis omnibus, nullam in eo causam inuenirent, quur occidi deberet, tamen improbis clamorib. flagitarunt à Pilato, ut occideret eum. Quūq; imprudentes consummassent omnia, quæ de illo prædicta fuerant à prophetis, depositum de cruce, posuerunt in monumento. Porrò quē uolente deo hominum malicia neci dedit, hunc eiusdem dei potentia, iuxta prophetarū oracula, suscitauit à mortuis tertio die. Ac ne putetis esse somnium, quod narro: uisus est, auditus est, contrectatus est, agnitus est corpore rediuiuo, per dies quadraginta discipulis suis, qui ipsum proficiscentem Hierosolymam ut moreretur, comitati fuerant à Galilæa: qui ferè omnes adhuc superstites sunt, ferentes apud populum fidele testimonium de his, quæ uiderunt oculis, quæ audierunt auribus, quæ contrectauerūt manibus. Nos quoq; fungentes ex ipsius Iesu seruatoris apostolico munere, testificamur, quod promissionē, quam olim deus fecit Abraham ac Dauid patribus uestris, quamq; per prophetas suos ædidi maioribus uestris, nunc impleuit uobis ac filijs uestris, excitato Iesu à mortuis. Hic est enim ille filius dei, natus ex uirgine Maria iuxta corpus humanū, de quo pater ipse testificat in primo psalmo mystico, dicens: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod aut suscitauit eum à mortuis, post hac non rediturum ad corruptionē, sed immortalem futurum, ita promisit olim per Esaiam prophetam: Dabo uobis sancta Dauid fidelia. Non fuisset autem seruata pax si des, si Iesum non reuocasset ad immortalitatem. Sic enim promiserat Dauid: Semel iuravi in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in scmpiternum manebit, & thronus illius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis. Nidetis autem iam neminem è stirpe Dauid progenitum, tenere solium eius: sed Christum designabat hæc prophetia, qui dexter assidet patri, sortitus regnū, cuius nō erit finis. Atq; hac ipsa de re loquitur & psalmus decimusquintus: Non permittes ut sanctus tuus uideat corruptionem. Nec enim hæc prophetia potest intelligi de rege Dauid, quem constat expletis uitæ suæ annis, regnoq; simul ac uita pro portione temporis à deo præscripti transacta, uolente deo mortuū & additum numero maiorum, qui omnes similiter mortui sunt. Quod si corruptionem uidet qui moritur, sepulchrum eius quod in hodiernū diem apud nos extat, continens illius ossa, clamitat eum esse passum corruptionē. Non igitur in hunc competit uaticinium, sed in eum quem uobis prædicamus, quem deus priusquam corruptionem sentiret putrefactionem, excitatum à mortuis, donauit immortalitate. Notum sit etiam uobis fratres, quod per hunc Iesum offertur uobis remissio peccatorum, & ab omni malis libertas, à quibus hactenus nō potuistis per obseruationē legis purificari. Imperfecta erat iuxta carnem, nec poterat abolere omnia crimina, sed quædam peccata nec omnibus gentibus subueniebat. Per hunc autem Iesum citra discrimen per omnia aut criminū, offertur omnibus iusticia & innocētia, si modo credant Euangelij promissa.

Cauete

Cauete igitur ne in uos incidat quod per Abacuc prophetam incredulis ac rebellibus Euangelico sermone comminatur deus: Videte contemptores, & obstupescite ac desperite, quoniam opus ego operor in diebus uestris, opus quod non creditis, si quis enarrauerit uobis. Quis hactenus credidit hominem nasciturum ex uirgine? Quis credidisset per mortem unius cunctis gentibus parandam immortalitatem? Quis credidisset occisum ac sepulchrum, intra triduum reuicturum ad immortalitatem? Hoc opus incredibile deus quemadmodum promiserat, operatus est in his uestris temporibus. Nolite esse contemptores, nolite desperare per obstinatum incredulitatem, sed credentes amplectamini uobis gratis oblatam salutem. Vbi peroratum est à Paulo, iamque coepissent abire qui audierant: rogabant Paulum ac Barnabam, ut proximo sabbato isdem de rebus uerba facerent apud synagogam. Iamque dimisso coetu, multi partim Iudaei nati, partim proselyti religionis studio, sequuti sunt Paulum & Barnabam, cupientes propius ac familiarius edoceri per apostolos. Atque illi colloquentes cum illis priuatim, hortati sunt eos, ut in eo, quod amplecti coepissent dei gratuito dono perseverarent, & in bene coeptis usque proficerent. Interim huius rei fama latius peruagata est, alijs apud alios, ut sit, quod audierant referentibus. Proximo uero sabbato iam non Iudaei tantum & proselyti, sed tota ciuitas conuenit in synagogam, ut audiret sermonem Euangelicum. Caterum Iudaei plerique, qui sibi persuaferant hanc Euangelij gratiam non esse promissam, nisi solis his qui iuxta carnem essent filij Abraham, ut uiderunt confluisse promiscuam multitudinem Iudeorum, proselytorum ac gentium, stimulante animum liuore uehementer indignati sunt, contradicentes his, quae dicebantur à Paulo, nec à blasphemis interim uerbis temperantes. Horum obstinatum maliciam ubi perspexissent Paulus ac Barnabas, memores quod dominus mandasset apostolis, ut sicubi reperissent qui reijcerent oblatam Euangelij gratiam, exirent eam ciuitatem, etiam puluere pedum in cornu excusso, libere dixerunt: Functi sumus officio nostro. Nam iuxta praeceptum domini Iesu, uobis omnium primis annunciandus erat sermo Euangelicus. Hoc honoris habitum est uobis à Christo. Caterum quoniam ipsi tantam gratiam multo gratisque delatam reijcitis, & indignos uos iudicatis aeterna uita, ecce conuertimur ad gentes. Nec id facimus autoritate priuata. Sic suis praecepit dominus Iesus, ut Euangelio praedicato per Iudaeam, deinceps praedicaretur omnibus gentibus usque ad terminos orbis terrarum. Praedictum est & hoc olim per Esaiam prophetam, fore ut Iesus non tantum adferret salutem genti Iudaeorum, sed uniuersis mundi nationibus. Sic enim in prophetia pater loquitur filio: Posui te in lucem gentium, ut sis salus usque ad extremam terram. His auditis gaudere sunt gentes, non quod gauderent de Iudaeorum interitu, sed quod misericordiae diuinae gratias agerent, qui Iudaeorum incredulitatem uerteret in ipsorum salutem. Iudaei blasphemis incessabant doctrinam salutaris, gentes subito mutatae promptissimis animis amplectebantur, & glorificabant sermonem domini. Cui crediderunt ex gentibus, non quidem omnes, sed quotquot diuina misericordia destinarat ad uitam aeternam, ad quam nemo pergit nisi à deo uocatus & electus. Diuulgabatur autem sermo dominicus per uniuersam illam regionem. Porro Iudaei gentibus inuidentes, concitauerunt mulieres religiosas, nam his facilius imponitur simulata specie pietatis: & honestas, quo maior esset autoritas: tum uiros primarios eius ciuitatis, ac per hos commouerunt persecutionem in Paulum et Barnabam, & expulerunt illos e finibus suis. Hic obiter animaduerte lector Iudaicam artem excitandae seditionis in eos, qui synceriter praedicant Iesum. Liuior primum incitat fidei religiosus, mox dolor erumpit in conuicia. Deinde per matronas graues ac religioni deditas suscitatur seditio, per matronas excitantur primores. Sic eijciuntur apostoli. Paulus autem & Barnabas excusso puluere pedum in illos, profecti sunt Iconium, Lycaoniae ciuitatem. Discipuli quoque laeti de successu Euangelij, replebantur gaudio & spiritu sancto.

CAPUT XIII



Porro quum peruenissent Iconium, ex more simul ingressi sunt synagogam Iudaeorum, atque ibi quoque quemadmodum fecerant Antiochia, praedicabant Euangelium Iesu Christi, sic ut copiosa multitudo crederet, tum Iudeorum tum Graecorum. Et hic rursus Iudaicus liuior seditionis extitit autor. Etenim Iudaei, qui noluerant obtemperare sermoni Euangelico, non sat habebant, si ipsi perirent; uerum ut plurimos secum pertraherent in exitium, concitauerunt & corrupe-

runt animos gentium aduersus eos qui crediderant. Sed Euangelij negotium, & per aduersa, & per prospera crescebat & inualefcebat. In hac igitur lucia Paulus & Barnabas, diu commorati sunt Iconij, fortiter rem gerentes presidio domini, qui gratuito beneficio, quod per Euangelium omnibus offerebatur, testimonium perhibebat maius humano testimonio. Dabat enim hoc obscuris & infirmis Euangelij præconibus, ut per manus illorum æderentur signa & prodigia, quæ declararent rem ex diuina uoluntate geri. Itaque Iudæorum opera ciuitas Iconij secta est in duas partes, quarum altera stabat à Iudæis incredulis, altera fauebat apostolis. Tandem quum non qui erant ex gentibus iuncti Iudæis ac primoribus ciuitatis, impetum facerent in apostolos, ut uim illis adferrent ac lapidarent eos: illi re cognita, profugerunt Lystram ciuitatem Lycaoniæ, quæ Pamphyliæ pars est, & Derben: peragantes interim finitimam undique regionem, ubique seminantes sermonem Euangelicum, ut hac fuga non tam consultum sit incolumitati apostolorum, quam Euangelio propagando. Lystris autem erat uir quidam debilis pedibus, adeo ut perpetuo sederet impotens ambulandi, claudus ab utero matris ita, ut per omnem uitam nunquam ingredi pedibus ualuerit. Hic admixtus multitudini, audiebat Paulum de Christo loquentem. Paulus autem intuitus hominem, & ex ipso uultu perspicuens ardorem & uotum illius, quod confideret se per nomen Iesu prædicati, membrorum integritatem assequi posse, dixit clara uoce: Erige te in pedes, simulque cum dicto exiit claudus & ambulabat. Porro multitudo quæ uidisset rem tam prodigiosam (nam claudus erat omnibus notus, & simplici uerbo subito restitutus est homo) sublati in altum uocibus Lycaonice, dicebant: Dii sumpta hominum specie descenderunt ad nos. Ea persuasio magis infederat animis Lycaonum, ob fabulam de Ioue & Mercurio, quum homines esse uiderentur, à Lycaone exceptis hospitio, unde nomen sortiti uidentur Lycaones. Barnabam itaque, qui singularem quandam auctoritatem præ se ferebat, appellabant Iouem, Paulum uero Mercurium, quod is esset dux sermonis, propterea quod gentes crederent Mercurium esse deorum nuncium, & eloquentiæ præsidem. Quin & sacerdos Iouis, qui habitabat in suburbio ciuitatis Lystræ, tauros & coronas adferebat ad fores ædium, in quibus erant apostoli, ut illis sacrificaret. Nam taurorum credebant potissimum delectari Iouem. Coronis autem sacris solent ornari cum sacrificium uictimæ. Comitabatur autem promiscua hominum multitudo. Ita Paulus & Barnabas, ubi rei causam sciscitanti didicissent, quod ipsis pro dijs habitis diuini honores pararentur, non tulerunt tantam impietatem, ut honor deo debitus, transferretur ad homines, sed conscissis ex Iudæorum more tunicis, prosiluerunt ad multitudinem, clamantes ac dicentes: Viri, quare ista facitis? Nos non sumus dii, sed homines uobis similes mortales, non idem miseris quibus uos obnoxij: adeo non expetentes à uobis hunc honorem, ut potius in hoc uenerimus ad uos, quo nobis autoribus ab istis falsis dijs, quos profanis sacris hæcenus colitis, qui uel homines sunt uita defuncti, uel statuarum inanes, uel daemones noxij: conuerti mini ad deum uerum ac uiuum, qui condidit cælum ac terram & mare, & quicquid cælo, terra marique continetur. Non est enim nisi unus deus omnium conditor & gubernator. Is nunc postulat cognosci colique ab uniuersis orbis nationibus, ut omnes per illum salutem æternam consequantur. Nam superioribus seculis, uelut dissimulans, passus est omnes gentes suo quaque more uiuere: ut postea cognitum esset homines suis ipsorum prædijs non posse saluos fieri, omnes per fiduciam in deum, ac per Euangelium filij ipsius seruari. Quamquam autem plerique mortales essent à uero deo per errorem alieni, uaria rerum simulachra pro deo, aut res conditas pro conditore colentes, tamen non statim exerauit in illos iustam ultionem, nec destitit illos perpetua sua beneficentia ad sui cognitionem & amorem prouocare. Nam qui mundum condidit in usum hominum, idem è cælo demissa pluuia fecundat terram, facitque ut annuus prouentus uberem copiam omnium rerum ad uitam hominum faciat, tum profundat, ut affatim ciborum uario nos genere reficiat, & uini liquore exhilaret corda nostra. Nec enim hæc beneficia debetis dijs uestris, quos hæcenus colitis, Ioui, Cereri, aut Libero, sed deo illi quæ uobis prædicamus. Hæc quum loquerentur apud populum apostoli, uix cōpestuerunt multitudinem, ne ipsis immolarerent uictimas. Dum hæc agerent Lystris, superueniunt quidam ab Antiochia Pisidiæ & Iconio, Iudæi genere, sed Euangelio belles: qui quum multitudinem in suam pertraxissent sententiam, ut in apostolos fieret impetu id quod Iconij tentauerant, lapidatum Paulum extraxerunt è ciuitate, credentes eum esse mortuum.

mortuum. Hæ uidelicet sunt rerum humanarum uices. Paulo ante pro dijs habitis parabantur hostiæ, nunc lapidatus abiicitur Paulus. Ob id aut huic erant infensiores, quod eloquentia sua plurimos alliceret ad Christum. Abiectū ac pro mortuo relictū, circūderunt discipuli, curaturi funus. Paulus autem reuersus ad se surrexit, & clam ingressus est ciuitatem, ac postridie profectus est unā cum Barnaba in Derben, quō primū ire decernerant. Quumq; in hac ciuitate prædicassent Euangelium, multaq; docuissent, ueluti in semine sermonis Euangelici, reuersi sunt Lystram, Iconium & Antiochiam, confirmantes animos discipulorum, quos ad Christum conuerterant, & exhortantes eos ut perseverarent in fide, nec ullis terroribus abducerentur à fiducia, quam semel collocassent in domino Iesu, nec offenderentur quod audissent Paulum Lystris esse lapidatum, quoniam hanc uiam suis ostendisset Christus, ut per multas afflictiones intrarent regnum colorum. Adeo magis sollicitus erat Paulus, ne per occasionem malorum, quæ ipse patebatur ab impijs, imbecilles alienaretur à Christo, quàm doleret sua causa: exemplum interim exhibens episcopis, ut gnauos agricolas imitando, non sat habeant plantasse aut seminasse, sed aduigilent etiam, ut quod prouenire coepit, feliciter adolescat. Quoniam autem Euangelij profectus id postulabat, ut Apostoli per uarias regiones uagarentur, delectos populi suffragijs per singulas ciuitates presbyteros præfecerunt illis, ut absentium Apostolorum uices gererent, factaq; communi deprecatione cum ieiunio commendauerunt illos domino, ut in illo proficerent, quem semel essent professi. Hæc acta sunt Antiochiæ, quæ est in Pisidia. Ea regione peragrata, simili modo peragrarunt & Pamphyliam, ubiq; seminantes Euangelium, ubi seminatum non fuerat: & confirmandos eos, qui semel crediderant, donec redirent Pergam. Et hic rebus ordinatis, peruenerunt Attaliam: ea ciuitas est Pamphyliae littoralis. Hinc soluerunt rursus Antiochiam Syriæ, unde primum soluerant delegato à senioribus munere prædicandi Euangelij intergentes, ac per impositionem manuum, precationem & ieiunium cōmendati fuerant gratiæ dei, ut illius præsidio feliciter cederet, quod auspicabantur. Huc igitur quum sese recepissent, uelut rationem eorum quæ gesserant reddituri, conuocata congregatione credentium, retulerunt omnia quæ deus cum ipsis egisset, ostendentes quod dei fauor adfuerit ipsorum conatibus, qui gentibus aperuisset ostiū fidei, per quam absq; legis onere salutem assequantur.

CAPVT XV



Commorati sunt autem Paulus & Barnabas multo tempore cum discipulis Antiochiæ, quod in urbe celeberrima esset numerosa congregatio credentium ex uarijs hominum generibus conflata, quæ indies reddebatur numerosior. Illic autem Apostoli gaudebant commorari diutius, ubi fructus erat copiosior, quoniam Hierosolymitæ cæteri q; qui eam Syriæ partem incolunt, quæ proprie Iudæa dicitur, tenaciores erant legis Mosaicæ quàm cæteri, quod longius abessent à commercio gentium: quodq; templo uiciniores, minus ferebant gentes ad Euangelij consortium recipi sine legis obseruatione, quam non intelligebant prodita luce ueritatis abrogandam, quod ad umbras, figuras & ceremonias attinebat. Huius generis erant circumcisio, sabbatorum otia, delectus ciborum, festi dies, uestium discrimina, uota, ieiunia, fuga morticinarum, quæ omnia crasso populo erant ad tempus indicta, ut assuescerent obedire Deo, donec per Euangelium prodita ueritatis clarissima luce, rerum umbræ cederent. Proinde qui non intelligebant legem esse spiritualem, contendebant id quod erat à deo præscriptum, à patribus traditum, à maioribus tot seculis obseruatum, perpetuum esse debere. Hæc persuasio non tam nascebatur ex malicia, quàm ex superstitione legis: quam dum ualde student seruare, subuertunt. Nam hic zelus primum instigarat & Paulum aduersus Christianos. Itaq; quum rumor eorū quæ gerebantur Antiochiæ, ubi ex publico cōsensu Paulus & Barnabas profecti in Cyprum & inde in Pamphyliam palam sine delectu prædicassent Euangelium, & Iudæis & pro seculis & gentibus, nullam exigentes legis obseruationem, permanasset Hierosolymam usq; quidam ex Iudæa uenerunt Antiochiam, nouam inuehentes doctrinam, à Pauli Barnabæq; doctrina diuersam. Dicebant enim his qui ex gentibus crediderat: Nisi circumcidamini iuxta ritum à Mose præscriptū, non potestis salui fieri. Hoc erat initiū pugnae, legis carnem mordicus tenentium, aduersus eos, qui synceram ac spiritualement Euangelij

libertatem sequebantur, quæ contentio nunquam non est inter Christianos futura. Et ideo deus hanc exoriri passus est, quo magis intelligerent omnes Christi discipuli, quam exitialis res sit, ceremoniis nixa religio. Horum doctrinæ, in speciem religiosæ, re ipsa perniciosissimæ, quum Paulus & Barnabas, uelut Euangelicæ libertatis strenui propugnatores, fortiter resisterent, orta est uehemens seditio, dum apostoli synceritatem Euangelicæ doctrinæ, quæ spiritualis est, testimonijs prophetarum fortiter tuentur aduersus superstitiosos legis assertores: dumq; hi contra studio legis à maioribus traditæ, conantur gentes sub idem iugum trahere, nescientes interim, quantæ cõtumelia Christum afficerent, cuius gratiam crederent presidio legis egere. Etenim qui legis erat autor, idem poterat abrogare legem. Tamen si nõ abrogat, qui perficit. Hoc bellum multo perniciosius erat Euangelio, quàm Herodis aut aliorum principum sauitia, propterea quod ueram pietatem, falsa pietatis imagine oppugnabat. Itaque ne discordiæ malum glisceret, conuocato discipulorum concilio, uisum est, ut Paulus & Barnabas, alijsq; ex hoc numero nonnulli proficiscerentur Hierosolymam ad Petrum, aliosq; apostolos ac presbyteros, qui tum ueluti metropolim ecclesiarum Hierosolymæ moderabantur, ut illorum auctoritate quæstio nata dissolueretur. Nam adhuc autoritas præcipua manebat in eo loco, unde primũ prodierat Euangelica doctrina, ac penes eos, qui ex delegatione Iesu Christi, prædicationem primi fuerant auspicati. Paulus itaq; & Barnabas profecti sunt, honoris gratia deducente illos discipulorum multitudine. Cumq; facerent iter per Phœnicen ac Samariam, narrabant ubique, quomodo gentes sese conuertissent ad deum, adeo non diffidebant factis suis Apostoli, ut ultro passim commemorarent: nec hoc animo proficiscebantur Hierosolymam, ut ex Apostolis discerent, recte ne fecissent hæcenus, an secus, sed ut maiorum auctoritate tumultus infirmorum compesceretur. Quotquot autem in his regionibus crediderant Euangelio, magno afficiebantur gaudio, tantum ab erat ut Iudæorum exemplo mouerent seditionem. Porro ubi peruentum esset Hierosolymam, Paulus & Barnabas, unà cum suis comitibus humanitèr excepti sunt à congregatione, quæ erat Hierosolymis, similiter & ab Apostolis ac senioribus, quibus congregatis exponebant omnia, quæ deus gesserat per ipsos inter gentes. Ea res quum plerq; multitudini probaretur, exorti sunt quidam e secta pharisaica, qui crediderant Euangelio: sed sic, ut arbitrarètur euangelij gratiã absq; legis adminiculo non conferre salutem. Proinde neminem gentium ad Euangelij consortium admittendum, nisi prius imposito legis Mosaicæ iugo, à quo gentes uehementer abhorrebant. Caterum pharisei præcæteris uideri studebant legis tenaciores. Hi ueluti legis doctores asseuerabant eos, qui ex gentibus erant recepti, circumcidendos esse, atque eisdem præcipiendum, ut seruarent legem Mosi, non intelligentes legem à nullis æque uiolari, atque ab his, qui studio carnis negligunt spiritum legis. Hic rursus orto tumultu (quàm seditiosa res est superstitione) conuenerunt Apostoli simul cum senioribus, consulturi quid hac in re statuerendum esset. Quum enim essent auidissimi, lucri dominici, metuebant ne pleriq; ex gentibus odio legis alienarentur à Christo. Rursus non arbitrabantur, probabilem causam esse dandam Iudæis, qui legis uenerationem à maioribus traditam, altius imbiberant, quàm ut subito posset reuelli, ut ab Euangelio desciscerent, quasi pugnante cum lege sancta. Quumq; hinc atq; hinc prolatis testimonijs & argumentis, incanduisset disceptatio, Petrus assurgens, hunc in modum loquutus est: Viri fratres, quid uos disceptatis ueluti de re dubia, quasi penderet ab hominũ arbitrio probare uel improbare, quod iam Deus ipse probauit. Vos ipsi scitis, quod ante annos aliquot hoc idem mihi accidit in Iudæa, quod nũc in gentium regione factum calumniãmini. Quum enim ob Cornelium quum sua familia baptizatum, simile murmure esset natum inter uos, exposui uobis rem quæ, quomodo non auctoritate priuata, sed iussu Dei adierim Casaream, ut gentibus etiam prædicarem Euangelium dei, cui credentes salutem assequerentur. Quum autem essent incircumcisi, qui tum audiebant sermonem Euangelicum, & ab obseruatione Mosaicæ legis alieni, tamen deus, qui non æstimat hominem ex habitu corporis, sed ex actu cordis, quod ille solus nouit: manifesto testimonio declarauit sibi probari fidem illorum, inter audiendum effuso in illos spiritu sancto, sic, ut linguis loquerentur, quum admodum & nos, etiam antequam à nobis baptizarentur: nihil discriminis faciens, quod ad Euangelium

ad Euangelij gratiam attinet, inter illos incircumcisos, & nos Iudæos. Nam fide purificauit illorum corda, palam declarans nobis hanc gratiā non esse collatā præsidio legis, sed cōmendatione fidei. Nec enim deus infundit spiritū suū impuris. At illi nihil habebant præter simplicem credulitatem, quum in illos ueniret spiritus sanctus. Nunc igitur quum deus palam declararit uoluntatem suam, ut gentes absq; legis onere per solam fidem reciperentur ad Euangelij consortium, quid uos deum tentantes prouocatis illum, dum præter illius uoluntatē conamini tam graue legis iugum imponere ceruicibus discipulorum, qui hæcenus legi non assueuerunt: quod neq; patres nostri, neq; nos sub lege nati portare ualuimus? Quis enim nostrū legem seruauit ad unguem? Non igitur est quod ex obseruatione legis speremus salutem, sed confidimus nos fore saluos per gratiam domini nostri Iesu Christi, hac in parte nihilo pōiores gentibus, quibus idem donum uoluit impartiri gratis, quod nobis item gratis impartijt. Hac oratione Petri cohercita est tumultuosa disceptatio inter pharisaos, & diuersa sentientes. Itaque multitudo quieta, post audiuit Barnabam & Paulum exponentes, quot miraculis ac prodigijs per ipsos inter gentes æditis, deus testificatus esset sibi placere, ut gentes ad Euangelij consortium absque legis onere reciperentur, quemadmodum & ante Petro in Cornelij domo prædicante Christum, missō spiritu sancto declararat animum suum. Hi quū finem dicendi fecissent, Iacobus cognomento Iustus, & frater domini dictus, in quē Apostoli um præcipuā auctoritatem transtulerant, assurgens, illorū orationem approbauit, hunc in morem uerba faciens: Viri fratres, quoniam cæteris qui dixerant, præbuisitis silentium, præbete & mihi dicturo, quod factū uidetur optimū. Simon Petrus narrauit modo, quod nos omnes scimus esse uerissimum, quemadmodum per ipsum primū deus miser humani generis, respexit calamitatem gentium idolorum cultui deditarum, ut ex his quoq; qui uidebantur nō esse populus, sumeret sibi populum acceptū, unā nobiscum inuocantem nomen ipsius. Quod per Petrum cœpit deus, id per Paulum & Barnabam laus prouexit. Quod autē ab his factū audimus, id olim futurum prædictū est uaticinijs prophetarum, quorū Amos ita loquitur sub persona dei: Post hæc reuertar, & instaurabo tabernaculum Dauid, quod collapsum est, ac ruinas eius ædificabo denuo, & erigam illud, ut requirant qui reliqui sunt homines dominū, omnesq; gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit dominus faciens hæc. Quicquid deus pollicetur se facturū, hoc absq; dubio facit. Antequam enim mundus esset conditus, illi definitum erat, quid, quo tempore facturus esset. Non potest autem non esse optimū, quicquid ille statuerit. Quoniam autem uidemus hoc nunc fieri, quod ille promisit, ego censeo non esse repugnandum uoluntati diuinæ, nec obstrependum esse his, qui ex gentibus conuertuntur ad cultum ueri dei: nec eis imponendum onus legis, quū Euangelica fides omnibus sufficiat ad salutem. Tantū admoneantur, ut ob imbecilles, quibus nondum persuaderi potest, idolum nihil esse: & idolis immolatam carnem, nihil differre à carne qualibet, quæ uenditur in macello: & ob quosdam, qui scortationē ideo non credūt esse peccatū, quod uulgo fiat, nec legibus humanis puniatur: abstineāt ab inquinamētis simulachrorū, nec immolātes, nec uescētes ex his quæ sunt immolata, abstineant à scortatione. Rursus ob Iudæos quosdam supersticiosiores, quibus nondū persuaderi potest, omnia mundis esse munda, abstineant ab animante suffocato & sanguine: non quod hæc res faciant ad salutem animi, sed quod charitas hortetur, ut ad tempus mos geratur imbecillitati fratrum quorundam, donec proficiant ad perfectiora, itaq; mutuis obsequijs alatis inuicem fraternam concordiam. Nec est metuendum Iudæis, ne Moses antiquetur: habet enim illum olim à priscis seculis, qui prædicent ipsum in synagogis, ubi singulo quoq; sabbato legitur ex more. In hanc sententiam quū ab omnibus itum esset pedibus, uisum est apostolis ac senioribus, simulq; toti congregationi, ut ex eo numero deligerētur aliquot, qui Paulum & Barnabam Antiochiam comitarentur. Delecti sunt autem duo spectatē probitate, Iudas, cui ob morum sanctimoniam cognomentum additum est Iusti, & Silas, ambo primariā integritatis laudem obtinentes inter fratres. His tradiderunt cum mandatis epistolā in hanc sententiā: Apostoli & seniores ac fratres ex Iudæis ad Christum conuersi, his qui sunt in Antiochia, & in Syria ac Cilicia ex gentibus ad Christum conuersi, salutē. Quoniā accepimus, quod quidā hinc profecti Iudæi, uelut à nobis missi per-

turbauerint

turbauerint uestram tranquillitatem, qua fruebamini in cōsensu Euangelij, noua doctrina labefactantes animos uestros, iubentes uos circumcidi ac seruare legem, quum illis nihil tale mandauerimus: uisum est nobis ex sententia cōtus cōuocatis in unum, delectos ex nobis uiros mittere ad uos, unā cum Paulo & Barnaba, iure nobis charissimis, utpote qui uitam suam periculis exposuerūt pro nomine domini nostri Iesu Christi. Misimus itaque Iudam ac Silam, probatissimæ fidei uiros, ex quorum fideli relatione poteritis eadem cognoscere quæ scribimus. Horum summa hæc est: Visum est enim spiritui sancto, & huius instinctu nobis consentientibus, ne quid oneris uobis addatur, præter hæc quæ uisa sunt necessaria. Primū uidelicet, ut abstineatis ab his, quæ sunt simulachris immolata, ne uescentes uideamini superstitioni, quam semel abnegastis, cōsentire. Deinde ut temperetis à sanguine animantis, & à pecude suffocata, quibus lex uesci prohibet. Postremo ut abstineatis à scortatione, quam gentes sibi putant esse licitā. Ab his si temperaueritis bene facietis. Valete. His ita peractis, dimissi sunt cum literis ac mandatis: qui quū peruenissent Antiochiam, congregata multitudo reddiderunt epistolam. Quæ cum esset apud omnes recitata, gauisi sunt tanta consolatione, quod ad ipsorum animos apostolorum, seniorum ac multitudinis Hierosolymitarum autoritas accessisset. Iudas autem & Silas, quum essent & ipsi prophetae, periti sacrarum literarū, quod deerat epistolæ, iuxta mandatum apostolorū suppleuerunt. Copiosoq; sermone exhortati sunt fratres, & confirmarunt animos illorū, ut in bene cōceptis peristerent. Hic igitur aliquandiu commorati, dimissi sunt à fratribus cum pace, data illis facultate redeundi ad eos, à quibus fuerant missi. Quoniam autem Silæ uisum est ibi remanere, Iudas solus reuersus est Hierosolymam. Interim Paulus quoq; & Barnabas cōmorabantur Antiochiæ, docentes promiscue Iudæos & gentes, & omnibus annunciantes salutem, quæ gratis offerretur credentibus Euangelio, hoc est, sermoni dei. Post dies autem aliquā multos subiit animum Pauli cura discipulorum, quos in Cypro reliquerat, ac Pamphylia. Dixitq; Barnabæ collegæ suo. Reuisamus fratres per omnes ciuitates, in quibus prædicauimus sermonem domini, ut inspiciamus quomodo sese habeant. Placuit hoc consilium Barnabæ, sed eius profectionis comitem esse uolebat Ioannem cognomento Marcum, quem secum prius eduxerant eò proficiscentes. Qua quidem in re Paulus ab illo dissentiebat, existimans eum tum nō esse recipiendū in eius negocij consortiū, qui pridem sua sponte defecisset ab ipsis nondum expleto negotio, quod instituerant, & e Pamphylia reuigasset Antiochiā. Hæc disceptatio usq; adeo inter eos incaluit, ut quum neuter alteri uellet concedere, uterq; ab altero seiungeretur. Non quod inter tantos apostolos ulla intercederet amarulentia, sed uterq; cōtendebat obtinere, quod arbitrabatur expedire negotio Euangelico. Atque interim nobis exemplum parabatur, ne statim existimemus damnandum, quod à nostra dissidet sententia. Non obest sententiæ uarietas, modo concors sit animus ad prouehendum Euangelium. Ex apostolorum autem dissidio deus illud procurabat, ut segregatis duobus ducibus, latius etiam proferretur Euangelium, q̃ si perseuerassent in pristino collegio. Itaq; Barnabas, adiuncto sibi Marco, nauigauit in Cyprum, ubi natus erat. Paulus uero ascito sibi Sylla, qui Deo uolente in hoc resederat Antiochiæ, ne Paulo deesset collega grauis, & autoritate præditus, dimissus à fratribus, & commendatus gratiæ Dei, profectus est quocunq; uocaret spes ostensa profectus Euangelici. Peragrabat autem Syriam ac Ciliciam, in qua natus erat & ipse, ubiq; confirmans cōtus discipulorum, quos illic parauerat, & augens quod instituerat: præcipiens illis, ut quod Apostoli senioresq; statuissent Hierosolymis, de fugienda simulachrorum communione, de scortatione, suffocato & sanguine seruarent, alioqui liberi à Moisaica legis onere. His in Cilicia peractis, rursus peruenit Derben, deinde Lystram.

CAPVT XVI



T ecce erat illic discipulus quidam, ex re nomen habens, dictus Timotheus, quasi dicas, deo preciosus, natus ex impari matrimonio. Matrem habebat uiduā, quæ ex Iudaismo uenerat ad Christū, pater autem erat ethnicū. Huius Timothei probitas, omnium fratrum testimonio probabatur, qui Lystris agebat, & item Iconij. Paulus itaq; nihil aliud cupiens, q̃ per omnem occasionē indies latius proferri regnū euangelicū, undiq; uenabatur, idoneos

idoneos negotio, non aliter quam ambiciosi reges, in hoc intenti, ut ditionis suæ terminos proferant, nihil magis habent curæ, quam ut duces ac præfectos rebus gerendis aptos asciendant. Porro non satis est ducem euangelicum mediocribus dotibus esse præditum, nec satis est inculpatis esse moribus, sed oportet etiam bonorum omnium testimonio commendatum esse, ne rumor malus, etiam si uanus sit, officiat Euangelico negotio. Timotheum igitur & insigniter probum, & omnium probatorum testimonio comprobatum, Paulus cupiebat habere suæ professionis comitem. Atque hunc sibi adiunctum circumcidit, non quod crederet circumcisionem conferre salutem, quam sola fides adferebat: sed ne quid tumultus oriretur à Iudæis, quorum in illis regionibus erat magna multitudo, maluit in Timotheo admittere iacturam pelliculæ, quæ nec addita facit sanctiorem, nec detracta peiorem, quam hac occasione Iudæos, quorum pertinaciam nouerat, alieniores reddi ab Euangelio. Decretum apostolorum, quod Hierosolymis presente Paulo factum erat, liberabat gentes ab onere legis. Totius autem legis professio, quasiq; symbolum erat circumcisio. Iudæi uero nondum erant palam liberati ab onere legis, quæ oportebat paulum aboleri. Itaque quoniam constabat omnibus Timotheum matre Iudæa esse natum, patre ethnico, & ex patris autoritate non fuisse circumcisum, perspiciebat Paulus utcumque probabili de causa tumultuatos Iudæos, si Timotheus semijudæus natus, absque circumcisione non solum admissus esset ad Euangelij consortium, uerum etiā ad doctoris Euangelici munus asciiceretur. Hoc Euangelij prouehendi studio ei tempori dedit Paulus, tranquillitati consulens omnium, qui Christum pacificum fuerat amplexi. Nec hoc solum fecit, uerum etiam per quasque ciuitates faceret iter, ne quid offenderentur Iudæi, tradebat ihs, qui ex paganismo uenerant ad Christum, ut seruarent ea quæ Hierosolymis erant decreta ab Apostolis ac senioribus, cuius rei gratia legati fuerant Antiochiam, Iudas & Syllas. Aderat Pauli conatibus fauor diuinus. Nam ecclesiæ discipulorum & confirmabantur in fide Euangelica, & indies augescebant, accrescente numero credentium. Quum autem peragrasent Phrygiam & Galatiam Asiæ minoris regiones non sine magno fructu, tametsi gens esset magnopere crassa barbaraq; cuperentq; proficisci in eam partem, quæ proprie dicitur Asia, uetiti sunt à spiritu sancto ibi loqui sermone Euangelicum. Atque illi paruerunt occulto dei consilio, cui non decet hominem relinqui. Itaque mutato consilio, flexerunt iter ad Mysiam, cui proxima est Asia proprie dicta. Inde tentabant proficisci in Bithyniam, reflectentes ad septentrionem. Erat enim illa celebris Romanorum prouincia, & ideo sperabant illic amplum lucrum. Sed, incertum qua de causa, non passus est spiritus Iesu, cuius ductu agebantur, illuc proficisci. Itaque reflectentes ad occasum, peragrata prius Mysia, uenerunt Troadem. Ea ciuitas est litoralis Phrygiæ, eadem dicta Antigonia. Ibi Paulo per quietem ostensa est uisio, quæ doceret, quò deberet proficisci. Visio uero talis erat: Adstabat illi uir quidam speculatus Macedonis, qui deprecabatur illum, dicens: Proficiscere in Macedoniā, ac succurre nobis. Is erat angelus, illius regionis protector. Eam uisionem simulatq; uidit Paulus, qui iam semel atque iterum prohibitus fuerat à spiritu sancto prædicare sermonem Euangelicum, gauisi sumus illius comites. Nam & ego qui hæc scribo, tum comes eram illius peregrinationis: statimq; curauimus, ut proficisceremur in Macedoniā, cum quod eò uocasset nos Dominus, ut illis prædicaremus Euangelium, ac rem Deo fortunante successuram. Itaque soluentes Troade, præternauigata Chersoneso, peruenimus ad insulam Samothracen Thraciæ oppositam. Atque hinc proximo die Neapolim, quæ ciuitas est maritima in confinio Thraciæ & Macedoniæ. Hinc Philippos. Ea ciuitas Colonia, prima occurrit à Neapoli petentibus Macedoniā. In hac ciuitate commorati sumus dies aliquot expectantes occasionem auspicandi negotij, cuius gratia ueneramus. Porro die sabbati egressi sumus ciuitatem, in locum qui erat extra portas, uicini fluminis, ubi solebat esse conuentus hominum ad precandum. Hic sedentes loquebamur mulieribus, quæ eò cōuenerant, annunciantes illis Iesum Nazarenū. Inter has erat una religiōi dedita, nomine Lydia, purpurarū uenditrix, oriunda e ciuitate Thyatirorū. Hæc est Lydiæ regionis. Inter multas autem quæ Paulum de Christo differentem audiebant, huic deus aperuit cor, ut animum aduerteret ad ea quæ dicebantur à Paulo. Itaque postea quam accepisset baptismū unā cum sua familia, deprecata est Paulum & illius comites

mítes, dicens. Si me iudicatis hoc honore dignam, ut per baptismum ac doctrinam uestram in Euangelij cōsortium reciperetis, habete mihi uicissim hoc honoris, ut diuertatis in domum meam, nec aestimetis me ut ethnicā, qualis modo fui, sed qualis nunc per fidem Euangelicam uestro ministerio facta sum. His precibus coegit apostolos ut apud ipsam aliquandiu diuersarentur. Interim uero doctoribus Euangelicis exemplum praebitum est, ut nec refugiant officiū ultrò delatū ab his, qui nuper conuersi sunt ad Christum, si prompte & perseveranter offerant, ne uideantur illos parum pro suis agnoscere: nec rursus ingerant sese illis, ne uideantur pro cōmunicata doctrina Euangelica praeuium reposcere. Sed qui spirituale beneficiū accepit, debet benemeritos ad corporale beneficiū recipiendum, si forsan opus sit, compellere. Accidit autem, ut euntibus nobis ex more ad precationem, occurreret nobis puella quaedam habens spiritū Pythonis, quae diuinando magnificum quæstum adferebat dominis suis. Hæc affectata Paulum ac nos, clamabat dicēs: Isti homines serui sunt dei altissimi, qui annunciant uobis uiam salutis. Id quum faceret diebus compluribus, Paulus ægre ferens, ne uideretur agnoscere laudem à phanatica puella tributam, conuersus ad illam, dixit spiritui. Impero tibi per nomen Iesu Christi, ut discedas ab ista. Ac protinus exiit spiritus. Porro domini puellae, uidentes sibi perisse quæstum suum, apprehensum Paulum & Silam, pertraxerunt in forum ad primores ciuitatis, & sistentes illos apud magistratus, accusauerunt eos, dicens: Hi homines aliunde profecti perturbant totam ciuitatem, quum sint Iudæi, & inuehunt nobis peregrinam religionem, nouaq; instituta, quæ nobis fas non est neq; recipere, neq; exercere, quum uiuamus legibus Romanorum, quæ uetant recipere peregrinos deos, aut nouos decorum cultus. His auditis, quoniam inuisum erat apud illos Iudæorum nomen, populus concursu facto ferebatur in apostolos: ac magistratus, quo populo furmenti satisfacere, difficilis illorū tunicis, iusserūt eos uirgis cædi. Nec hac poena contenti, posteaquam illis impigissent multas plagas, coniecerūt eos in carcerem, mandantes carcerario, ut diligenter seruaret eos. Qui quum tale mandatū accepisset, quo tutior esset, detrusit illos in carcerem interiorem: nec hoc contentus strinxit pedes eorū ligno. Hæc erant auspicia Macedonicæ prædicationis. Semper autem aut quæstus, aut ambitio, aut superstitio rebellat Euangelio. Porro quū atrocissime sæuit mundus in membra Christi, tum maxime adest cœleste solatium. Media nocte Paulus & Silas, oblitī uerborum, oblitī carceris, precabantur, & hymnos canebant deo, gratias agentes illi, quod famulos suos dignaretur hoc honore, ut ob ipsius nomen hæc pateretur. Ceteri uero, quos idem carcer habebat, audiebāt illos lætis uocibus modulantes laudes deo, & filio illius Iesu Christo, demirantes, unde in rebus tam non lætis tanta lætitia. Ac subito terræ motus factus est ingens, adeo ut totus carcer à fundamentis concuteretur, simulq; patefacta sunt omnia ostia carceris, & omniū uincula soluta sunt. Hoc tumultu expergefactus carceris custos, quum accurrisset, ac reperisset omnia carceris ostia patefacta, atq; hinc cōficeret fugisse uinctos: memor quale mandatū accepisset à magistratibus, educto gladio parabat sibi necem consciscere, malens suapte manu perire, quàm post multa tormenta per carnificem occidi. Id Paulus etiam per tenebras cernens, uoce magna clamauit, ut uel attonitum hominem redderet attentum, dicens. Caue ne quid tibi ipsi feceris mali, quādo nihil à nobis tibi mali uenturū est. Sumus enim hic omnes, neq; quisquam nostrum effugit. Ad hanc uocem sibi redditus custos, iussit ministros adferre lumen: quumq; deprehendisset ita rem habere, cognouissetq; rem non arte factam humanam, sed potentia diuina: simulq; considerans, quod Paulus per tenebras uidisset, quid ageret, quāobrem id ageret, intrauit in interiorem carcerem, & accidit ad pedes Pauli & Silae. Neglectoq; mandato quod acceperat à magistratibus, eduxit eos e carcere in locū commodiorem, dicens: Domini, quid mihi faciendum est, ut saluus fiam? Vult permutare salutem. Consuluit illorū uitæ, uult & animæ suæ uitæ consuli per illos. Aiunt illi: Certe in dominum Iesum, & saluus eris unā cum familia tua. Atq; inibi statim apostoli exproauerunt illis congregatis in unū, doctrinā Euangelicam. Vides nullum tempus, nullum locum non esse idoneū Euangelicæ pietati. Teterimus ille carcer templum erat apostolicis. Non obstabat intempesta nox illorū hymnis. In carcere prædicatur Euangelium, præda attrahitur Christo. Carcer Euangelij cathedra est. Nec mora, statim custos in techumemus

techiu menis gratiam referre festinat catechista suo. Mox enim abduxit illos seorsum, & abluuit plagas illorū. Nouerat hoc officij carcerarius. Deinde ablutus est ipse à plagis animi sui, simul cum tota familia sua. His ita gestis, deduxit illos in aedes suas, ubi cōsueuerat interdiu degere, & apposuit illis mensam, ut reficerent corpora sua. Post baptisum enim conuenit mensæ communio. Ac sibi gratulatus est custos carceris, quod tales uinctos habere contigisset, per quos crediderat Euangelio cum tota sua familia. Hæc noctu facta sunt. Vt autem diluxit magistratus re diligētius perpensa miserunt uiatores ad custodem carceris, mandātes ut Paulum & Silam sineret abire liberos. Custos his auditis, & suo & apostolorū nomine gaudens, renunciauit hæc uerba Paulo, quod magistratus iussisset illos abire liberos. Nūc igitur, inquit, quoniā res bene cessit, abite bonis auiibus. Paulus autem cupiens & suam innocentiam reddere testationem, & occasionem quærens plurimorum legibus non liceat quenquam afficere supplicio, nisi auditum & conuictū, nos homines Romanos nec auditos & indemnatos publicitus uirgis ceciderūt: & quasi parum uantes innocentiam, postulant ut quasi nobis male conscij profugerimus e carcere, clanculum hinc nos subducamus. Non ita fiet, sed ueniant ipsi, & quo iure coniecerūt nos in carcerem, eodem iubeant abire. Hanc orationem Pauli uiatores referunt magistratibus. Qui simul atq; audissent quod essent ciues Romani, uenerunt ipsi ad Paulum & Silam, deprecantēq; sunt illos, ut ignoscerent, quod per populū tumultū, præter iuris Romani morem factum esset: & honoris gratia deducētes illos e domo carcerarij, rogabant ut obtulerent apostoli, & egressi de carcere, profecti sunt ad domum Lydiæ, cuius hospitio fuerant. Quæ cum tota familia receperat sermonem Euangelicum. Hæc igitur reliquisq; fratribus uisis, consolati sunt eos, narrantes quid accidisset noctu in carcere, & exhortantes ut in eo quod cœperant, perseverarent. Eo facto relicti Philipps, aliō profecti sunt.

CAPVT XVII



Vum autem fecissent iter per Anhipolim & Apolloniam Macedoniæ ciuitates, peruenerūt Thessalonicam. Ea est Macedoniæ metropolis. Hic ob urbis celebritatem erat synagoga Iudeorum, atq; hac occasione spes uberioris profectus ostendebatur. Paulus igitur ex more suo ueniebat in cōuentum synagogæ, ac per tria sabbata disserabat apud eos, proferens e scripturis oracula prophetarum, & aperiens ænigmata figurarum, & allegans testimonia legis; hisq; collatis cum his quæ gesta fuerant, docuit ita decretum fuisse deo, ut Christus pro salute mundi sic pateretur ac resurgeret à mortuis. Quoniā autem omnia, quæ prædicta fuerant de futuro Messia per ora prophetarū, quæq; figuris fuerant adumbrata, congruerēt in Iesum Nazarenum, docuit Iudæis non alium Messiam esse expectandū, sed hunc esse Christum, quem annuntiaret illis. Hæc quū Paulus tribus sabbatis disseruisset in synagoga, nonnulli Iudæorum crediderunt, & adiuncti sunt Paulo ac Silæ: quin & ex gentibus magna multitudo deum timentū credidit, & in hac mulieres primariæ non pauca. Contra, Iudæi quidam nimīū studiosi legis Mosaicæ, quibus aliquando fauerat Paulus, accessu zelo, & adiunctis sibi circumforaneis aliquot uiris malis (talitū enim opera opus est, quoties res per tumultum geritur) coacta turba concitauerunt ciuitatem. Ac per tumultum adorti aedes Iasonis, conati sunt Paulum & Silam producere ad populū. Quum autem ingressi domum non inuenissent quos quærebāt, protraxerunt ipsum Iasonem, cumq; hoc discipulos aliquot ad præfectos ciuitatis, uociferantes (sic enim olim actum est aduersus Christum) ac dicentes: Hi qui hæcenus multis in locis concitauerunt orbem terrarum, huc quoque uenerunt, ut idem facerent. Et hos tales clam excepit Iason. Atqui hi omnes, & qui talia moliantur, & qui talia molientes hospitio iuuant, faciunt aduersus decreta Cæsaris, dicentes alium esse regem præter Cæsarem. Prædicant enim Iesum quendam, ob hoc ipsum crucifixum à præside Cæsaris, quod se faceret regem Iudæorū. Vide ut Cæsaris nomine hic quoq; abusi sunt aduersus Euangelium. Hæc oratio audita cōmouit populum, & præfectos ciuitatis, quemadmodū commouerat & Pilatum aduersus Christum.

Tom. 7

Z

Tum

Tum enim clamabant infelices Iudæi: Non habemus regem nisi Cæsare. &: Si dimittis hunc, non es amicus Cæsaris. &: Quicumque se facit regem, contradicit Cæsari: Contra, ueri Iudæi clamant: Non habemus regem nisi Iesum Nazarenum. &: Quicumque Cæsari sededit, non est amicus Christi. Solus enim ille regnum obtinet totius orbis: Ceterum quum laeson, ceterique fratres idoneam excusationem attulissent, dimissi sunt à magistratibus. Fratres autem ubi senserunt rem magnis odijs agi in Paulum & Silam, nihil contati, noctu clam emiserunt illos Beroeam. Ea ciuitas est Macedoniæ, non procul à Pella patria Alexandri Magni. Sic fugiunt duces Euangelici, ut nihilo secius fugientes pugnent. Etenim simul atque uenissent Beroeam, ingressi sunt synagogam Iudæorum, nihil deterriti tot iam seditionibus à Iudæis concitatis. Hi uero generosiores erant Thessalonicensibus. Nam sermonem Euangelicum receperunt summa cum animi promptitudine, quotidie uacantes scrutandis diuinis uoluminibus, ut cognoscerent quemadmodum ea quæ didicerant ex apostolorum narratione, conuenirent cum oraculis prophetarum ac figuris legis. Itaque multi crediderunt Beroensium, non solum Iudæi, uerum etiam Græcæ mulieres honestæ, ac uiri non pauci. Porro ubi rumor pertulisset Thessalonicam ad Iudæos, qui illic concitauerant tumultum, quod Beroea prædicatus esset sermo Euangelicus à Paulo, quem expulerant, eo profecti sunt, suorumque more & illic concitauerunt multitudinem aduersus apostolos. Fratres ubi senserunt imminere periculum, protinus emiserunt Paulum, cui potissimum timebant, ut iret ad mare, cui uicina est Beroea. Silas autem & Timotheus remanserunt Beroea. Fratres uero qui deduxerant Paulum, ingressi cum illo nauim, perduxerunt eum usque ad Athenas. Illic relicto Paulo, reuersi sunt Beroeam, sed acceptis ab eo mandatis ad Silam & Timotheum, ut quum primum liceret, eo sequerentur. Paulus itaque tametsi solus esset, & collegas suos desideraret, tamen quum uideret ciuitatem tam celebrem & eruditam deditam esse simulachrorum cultui, incanduit in ipso spiritus, adeo ut non expectatis collegis, in synagogam ingressus, disputaret cum Iudæis ac religiosis. Præterea in foro diserebat cum omnibus qui ipsum adissent, siue Iudæi essent, siue Græci. Inter hos erant Epicurei quidam & Stoici, inter se longe dissidentes decretis. Nam Epicurei summam felicitatem hominis uoluptate metientes, aut nullos credunt esse deos, aut illis nullam esse curam rerum humanarum. Stoici præter alia paradoxa, felicitatem hominum solomentis habitu metiuntur, quam illi uirtutem siue honestum appellat. Hi cum Paulo conflictati sunt, ueluti cum philosopho quopiam nouæ sectæ autore. Quum autem Paulus illis exposuisset philosophiam Euangelicam, ab omnibus philosophorum placitis longe distantem, quidam ludibrij causa dixerunt: Quid uult dicere spermologus iste? Nam hoc conuicio Græci notabant hominem inepte loquacem ac rabulam. Siquidem sapientia celestis uidebatur illis esse stultitia. Alij uero dicebant: Videtur nouorum dæmoniorum genus aliquod inuehere, propterea quod Iesum autorem salutis, & filium dei, ac resurrectionem mortuorum prædicaret. Athenienses enim ex Platonis doctrina dæmones deorum filios appellabant, quibus tribuebant quidem corpora, sed immortalia. Proinde quum in foro de Paulo uariarent sententia, uisum est illum abducere in uicem Martium. Is locus Athenis est celeberrimus, in quo nocturnis iudicijs causæ capitales cognoscebantur. Conueniebat autem is locus huic disputationi, quæ credentibus offerebat salutem, incredulis exitium. Dicebant enim: Licet ne scire, quod nam sit istud nouum doctrinæ genus, quod memoras? Quum enim omne philosophiæ genus apud nos tradatur, tu tamē nouum quoddam & hæcenus inaudita inuehis auribus nostris. Cupimus igitur ex te plenius discere, quorsum ista tendant quæ differis, aut quid sibi uelint. Quoniā autem ea ciuitas erat præter ceteras Græciæ ciuitates disciplinarum & eloquentiæ studio dedita, quò doctrinæ gratia plurimi ex omnibus orbis regionibus confluabant, & ciues Athenienses, & qui illi uisabantur hospites, ad nihil aliud uacabant, nisi ut aut audirent aliquid noui, aut dicerent idque magis animi causa, quam ut per cognitionem rerum euaderent meliores. Deus autem inuidus humanæ salutis, more piscantium aut uenantium unumquemque captat ex oculis rerum quibus delectatur. Paulus itaque qui nouerat omnia fieri omnibus, & eloquentiam suam ad omnium mores attemperare, nactus theatrum suum, in medio uici Martii, circumfusa frequenti multitudine, sic exorsus est: Viri Athenienses, quum hæc ciuitas omni

note

nere literarum ac disciplinarum præ cæteris floreat, tamen animaduerto uos, quod ad religionem attinet ferè superstitiones esse, quum præcipua philosophiæ pars sit uera religio. Quum enim obambulare ut cognoscerent ritus & instituta urbis uestre, considerans ea, quæ uos colitis ac ueneramini, inter cætera reperi quandam aram, quæ in titulo quem habebat insculptum, mentionem faciebat ignoti dei. Proinde falluntur, qui me dicunt inuenerunt nouos ac peregrinos deos, quin potius hunc ipsum quem uos ignotum colitis, id quod ille titulus aræ declarat, ego uobis annuncio, ut posthac religiose colatis cognitum, quem hactenus superstitione coluistis incognitum. Is quum sit mens quædam simplicissima, nusquam non præsens, sed sic, ut nulli includatur loco: non recte creditur habitare in templis hominum manu extructis, aut in simulacris mortalium arte confectis: neque pie colitur uictimis pecudum, quasi ille uel egeat, uel delectetur ulla re, quæ manibus humanis geritur. Is enim quum sit immensus in sese, quumque sit omnipotens, quum sit summe felix ac suapte natura, sic, ut nec lædi possit iniurijs hominum, nec humanis officijs adiuuari, tamē quoniam summe bonus est ac beneficus, mundum hunc admirabilem hominum causa condidit: & quicquid mundo continetur, instituit in humani generis usum. Quum igitur autor domus & gubernator sit cœli terræque, & quicquid rerum in his continetur, nullo tamen ex his omnibus fruatur ipse, propterea quod illius felicitas æterna nullius boni desideret accessorem, sed nobis hanc suspiciendam fabricam prodidit, ut in ea uersantes homines, ex opificio tam admirabili perspicerent potentiam, sapientiam, ac bonitatem opificis: & cognitum amarent, pieque colerent, cuius beneficio tot commoditatibus fruerentur. Quod si ille superior est uniuersa mundi machina, nec eget ulla re ex his quæ condidit, quanto minus censendus est templis, signis, aut nidore uictimarum delectari. Animi puritate colitur, quum ipse sit animus: nec moratur cædes taurorum aut ouium, qui omnibus uitæ est autor, uitam & halitum impartiens omnibus quæ spirant. Vniuersum enim animantium genus ab illo conditum est, ac per illum uiuunt, suum quoque genus sortu propagantia. Sed his omnibus dominaturum, ex uno homine condidit uniuersum hominum genus, ut incolerent per omnes terræ regiones, præscriptis unicuique uitæ spatijs, quæ nemo sibi posset prorogare: ac distributis terræ portionibus, quam quæque incoleret natio. Errant enim, qui mundum à deo conditum, putant illius gubernatione destitutum, temere casusque ferri, quum nihil omnino geratur in mundo neque magnum neque paruum, nisi ex providentia conditoris. Quoniam autem iuxta suam naturam incomprehensibilis est ingenijs humanis, corporum mole grauatis, constituit homines ratione præditos, ut aliud ex alio possint colligere, ex uisibilibus inuisibilia, ex singularibus uniuersalia, ex temporarijs æterna: ex his quæ sensibus percipiuntur, ea quæ non nisi intellectu comprehenduntur, in medio rerum omnium theatro, ut ex rebus conditis, quæ perspicerent oculis, contrectarent manibus, sentirent utilitate, uestigarent ac scrutarentur conditorem: & quemadmodum cæcutientes, palpando tandem reperiunt id, quod uideri non potest, ita illi ex consideratione rerum admirabiliter conditarum, peruenirent ad aliquam dei cognitionem, quem uere cognuisse, summa felicitas est. Quanquam non est necesse, deum in rebus extrinsecis querere, quum cum in nobis ipsis liceat inuenire, si modo seipsum unusquisque contempletur, & in sese consideret opificis uirtutem, sapientiam ac bonitatem. Quum enim deus in orbibus cœlestibus, in terra, in mari, in omnibus animantibus prodiderit uestigia quædam suæ diuinitatis, tamen in nullo mirabilior est, quam in ipso homine. Quod si quis sit hebetiore ingenio, quam ut astrorum motus, maris æstus, fontium scatebras, amnium perennes cursus, ac cæterarum rerum abditas causas queat assequi, non procul abest deus ab unoquoque nostrum. Per ipsum enim omnes uiuimus, mouemur & sumus. Nec enim alij debemus quod sumus aliquid, quam ei, qui mundum hunc condidit ex nihilo: nec alterius beneficium est quod spiramus, ilico morituri, si nos ille destituat: nec alij debemus, quod uiui corporis membra suo quoque officio funguntur, ut oculi prospiciant, pedes ambulent, manus operentur. Est igitur in unoquoque nostrum deus, qui per nos operatur, uelut opifex per organum ab ipso compositum. Refert autem homo deum, non solum ut opus opificem, uerum etiam ut filius parentem, similitudine quadam & cognatione naturæ. Sic enim nobis proditum est sacris uoluminibus, quod deus Adamo humani generis principi corpus finxerit ex uda

argilla, qua parte cognationē haberet cū cæteris animantibus: sed ore suo inspirauit huic luteo simulachro particulam auræ cœlestis, qua deū ipsum parentē propius referremus, & propter naturæ similitudinē facilius eum cognosceremus: quod cæteris animantibus datum nō est. Hoc uobis absurdū uideri non debet, quū quod mysticis literis proditū est, id quidam etiā uestratium poetarū dixerunt: quorū est Aratus, cuius hoc est hemistichium in Phenomenis: Nam huius progenies etiā sumus. Non refert enim quod ille de Ioue loquitur, certe hoc quod Iouem appellat, summū deum, & omnium rerum parentem esse putauit, sed præcipue generis humani. Proinde quum simus genus dei iuxta mentis inditæ similitudinē, parum recte sentimus de parente nostro, si quum ipsi potissimum æstimemus homines ob inuisibilem nostri partē, quæ est ratio, credimus illum simile auro, argento, ligno aut lapidi hominis arte sculpto. Quid enim absurdius, quàm quū homo, tamen nonnullam cognationē habeat cum deo parente, tamē longissime absit à cognomine dei, ipsum manibus suis fingere posse statuam, quæ numen habeat? Debet autem esse multo præstantius quod pro deo colitur, eo qui colit. Iam homo quot nominibus præstātor est simulachro, cui honores diuini tribuuntur? Primum hanc ipsam corporis speciem à deo accepit, deinde spirat, uiuit, mouetur & agit. Postremo mentis uigore similitudinē quandam habet cum deo parente. Nihil horum in statua. Quod si sit impium hominē pro deo colere, quanto longius abest à uera pietate, colere signū artificis arbitrio ex materia confectum, unde si libuisset, poterat & scamnum facere: quod adeo nullam habet cum deo similitudinē, qui est incorporeus, ut præter summam & imaginariam quandam speciem corporis, nihil habeat cum homine simile, ne micam quidem habens eius partis, qua homo dei gerit imaginem. Hæc contumelia quum sit atrox in deum, tamen pro sua erga genus humanum charitate non ultus est, sed uelut dissimulauit hætenus ignorantiam hominū, donec ueniret tempus, quo decreuerat omnibus innotescere, omnemq; caliginem errorum discutere. Hoc tempus nunc adest, quo denunciāt omnibus, ut ab errore pristino resipiscant. Resipiscantibus enim uult esse paratam ueniam, quæ posthac non erit parata contumacibus, eo quod constituit diem, quo iudicaturus est uniuersum orbem iusto exactoq; iudicio, quod nemini licebit effugere. Et ideo præmittit denūciationem, ne quis prætexere possit ignorantiam, & offert resipiscantibus ueniam, ne quis in deo desideret misericordiam. Ad utrumq; delegit uirum eximium Iesum Nazarenum, quem ideo misit in mundum, ut omnes per hunc ad ueri dei cultum conuerterentur: per eundem iudicaturus incredulos, & huius doctrine rebelles. Hunc per prophetas suos multis retro seculis promiserat & seruatorem & iudicē. Et hætenus præstitit bona fide, quicquid promiserat. Sic natus est, sic docuit, sic afflictus & occisus est: denique, sic resurrexit à mortuis, quemadmodum prædictum erat oraculis prophetarum. Nec dubium est, quin simili fide sit præstiturus & alia quæ restant. Hæc orante Paulo, nonnulli ex circumstantibus, quum cætera satis æquis auribus accepissent, posteaquam audissent mentionem resurrectionis, irridebant ueluti rem absurdam & incredibilem, quod nullus philosophorum hanc opinionem prodidisset: tamen essent nonnulli, qui dicerent animas à morte corporum esse superstitēs, quidam etiā prædicarent eas demigrare de corpore in corpus. Alij uero minus præcipitis iudicij, dicebant: Audiemus te alias hac ipsa de re denuo. Sic Paulus dimisit illum cœtum. Erant tamen in eo numero qui persuasi adiungerent se Paulo: in quibus erat Dionysius Areopagita, qui post Athenis episcopum egit, à Paulo institutus, ac mulier quædam nomine Damaris, cumq; his alij nonnulli.

CAPVT XVIII



Hoc qualicumq; lucro profectus Euāgelici parato Athenis, ut in ciuitate longe corruptissima, Paulus inde profectus contulit sese Corinthi. Id est celeberrimū totius Græciæ Emporiū, ut opulentum, ita luxu, libidine, fastu longe corruptissimū. Hic forte repperit quendam nomine Aquilam, Iudæū religionē, patria Ponticum. Ea pars est Asiæ minoris ad plagam septentrionalem. Commodū autē nuper eō uenerat ex Italia simul cum coniuge sua Priscilla, propter ea quod Claudius Cæsar Iudæos omnes, quorum illic magna uis erat, exegisset ex urbe. His igitur adiunxit sese Paulus, ne solus esset, & quoniā erant eiusdem opificij, diuersabatur

in iisdem ædibus, manibus laborans apud eos, ne cuiquam grauis esset. Erat autem illorum ars, è pellibus consuere tabernacula. quemadmodum non puduit Petrum ad piscationem redire, quum urgeret inopia, ita nec Paulum tantum apostolum, tantisque rebus pro Christo gestis, puduit ad intermissas ob Euangelium pelles reuerti. Nec tamen interea cessabat ab Evangelico munere, singulis sabbatis disputans cum Iudæis pariter ac gentibus in synagoga. Interea uenerunt ex Macedonia Silas & Timotheus, quos Paulus sequi iusserat in Atticam. Hoc facto Paulus, quoniam poenitebat profectus, quem illic capiebat, coartatus est spiritu, nihilo segnius tamen testificans apud Iudæos Iesum Nazarenum, quem ipse predicaret esse Messiam à prophetis promissum, nec per alium fore salutem. Cæterum quum illi reclamarent, adeo ut nec blasphemias uererentur euomere in Iesum & Paulum: Paulus memor Evangelici præcepti, excussis uestibus suis, uelut exprobrans quod gratis attulisset ad ipsos optabile nuntium salutis, dixit ad illos: Si mauultis perire quam seruari, ueniat sanguis uester in caput uestrum, qui uobis ipsis estis mortis autores: mihi certe, qui meo officio functus sum, ac proinde mundus, non poterit imputari. Posthac igitur conferam me ad gentes, quemadmodum nobis præcepit dominus. Itaque subducens sese à contubernio Iudæorum, demigrauit in ædes Titi cuiusdam, cognomine Iusti, hominis religioni dediti, cuius domus adhærebat synagogæ. Crispus synagogæ princeps ex occasione uiciniæ, credidit domino cum tota sua familia: cumque hoc complures Corinthii audito Paulo credebant et baptizabantur. Vbi uero nec hic profectus responderet audivit Pauli, Iudæis uehementer oblatrantibus, coepissetque cogitare de relinquenda Corinthe, dominus per uisum in somnis confirmauit illius animum, dicens: Ne terreat te Iudæorum peruicacia, neque propter illos supprimas sermonem Euangelicum: neque enim ob paucorum inuincibilem maliciam, destruenda est multorum salus, perge constanter loqui sermonem Euangelicum, me fretus, quem habes protectorem aduersus quamlibet multos satis idoneum. Me protegente, te nemo morali adoriatur ut affligat. Itaque ne quo discedas, quoniam in hac ciuitate quantumuis corrupta populus est copiosus, quem ego ad salutem æternam destinavi. His auditis Paulus uertit consilium humanum, & obtemperans consilio dei, commoratus est Corinthi annum unum & menses sex, fortiter ac libere predicans sermonem Euangelicum. Quum autem id temporis Gallio proconsul nomine Cæsaris administraret Achaiam, in qua est Corinthus, conspiratis animis coorti sunt Iudæi aduersus Paulum, ac tumultu facto pertraxerunt ad tribunal proconsulis, accusantes eum ac dicentes: Hic contra legem Mosi persuadet hominibus ut colant deum, nouos inuehens ritus. Ad hoc crimen quum Paulus aperiens os suum iam appararet respondere, Gallio ex proposito crimine sentiens esse controuersiam inter eos de religione Iudaica, quærebat occasionem ut liberaretur à cognitione causæ, præueniensque Pauli defensionem, dixit Iudæis: Ego nomine Cæsaris hic proconsulem ago uiri, ut rem ciuilem administrem, ne quid præter leges publicas admittatur. Proinde si quis esset affectus iniuria, si quod facinus malum perpetratum esset, quod oporteret legibus uindicare merito eoque meo officio uos audire. Tali enim causarum cognitio ad me pertinet. Quod si nihil est istius generis, sed peculiaris est inter uos controuersia de nominibus sectarum, aut sermone religionis Iudaicæ, deque lege uestrata: quoniam ista non pertinent ad munus quod gero, nec apud me iudicem recte discuti possunt, qui uestræ religionis sum ignarus, ipsi melius inter uos transigeris. Ego iudex istiusmodi causarum esse nolo. His dictis proconsul abegit eos à tribunali. Solthenem autem synagogæ principem, quia desertis Iudæis adiunxerat se Paulo cum tota familia, percutiebant ante tribunal: magis huic indignantes, quam Paulo: quod sibi persuasisset, Paulum nihil acturum fuisse Corinthi, nisi huius fauore fulgentem. Nec huic tumultui se proconsul admiscuit, dissimulans quod fieri uidebat. Quum enim esset inuisum Romanis Iudæorum nomen, neque distinguerent adhuc inter Iudæum & Christianum: non curabat Romanus proconsul, quid Iudæus faceret Iudæo, sciens ubique nationem eam solere rixosam esse. Paulus autem memor admonitionis diuinæ, tametsi uideret Iudæorum rabiem indies gliscere, tamen complures adhuc dies sustinuit. Tandem animaduertens illis satis feliciter auspiciatum Euangelium, statuit ad tempus cedere furori Iudæorum. Itaque discedo uale fratribus, instituit navigationem in Syriam, comitante simul Aquila cum uxore sua Priscilla. Quoniam autem Paulus intellexit Iudæos ob hoc potissimum tumultuari, quod uideretur

deretur negligere titus legis homo natus in Iudaismo, priusquā solueret Cenchreis, is est Corinthi portus, totondit sibi caput, suscepto uoto iuxta morem Iudaicum. Erat hic non fraudulenta simulatio, sed obsequium charitatis. Cupiebat enim omnes adiungi Euangelio, & ideo semet omnium affectibus quo ad licuit attemperauit, ut omnes Christo lucrifaceret: Iudæis factus Iudæus, incircuncisis incircūcisus. Datum est hoc ad tempus inuolubili quorundam superstitioni, donec se clarius proferret Euangelica ueritas. Neque enim tondere caput ex uoto, per se malū est: sed huiusmodi Iudaicis ceremonijs fidei, malum est. Quemadmodum nec circuncisio lædit fidentē in Christo, nec præputium, in quibus nonnunquā obsequi, charitatis est, sed ad tempus, sed ubicunq; datur opportunitas reclinando. In alijs quæ per se mala sunt, non oportet obsequi cuiusquam imbecillitati. Neque enim in scortationibus aut cultu simulachrorū, Paulus unquā obsequutus est gentibus: in cōmercio, in negligendo ciborū delectu, in citādis illorum poetis, nonnunquā est obsequutus. Primū itaq; peruentū est Ephesum. Ea ciuitas est maritima Asiæ minoris in ea parte, quæ proprie nulloq; additamēto uocari solet Asia. Ibi reliquit Aquilam & Priscillam, cupientes Ephesi sedem figere. Ipse uero ingressus synagogam Iudæorū, qui illic habitabant, disputabat cum illis. A quibus cum rogaretur, ut diutius secū commoraretur, excusauit: sed dixit illis uale, speq; maturi ad ipsos reditus consolatus est animos illorū, dicens: Oportet omnino festū quod instat agere Hierosolymis, sed denuo reuertar ad uos, si deus ita uoluerit. Hæc loquutus soluit Epheso, nauigaturus Hierosolymam: quumq; appulisset ad Cæsaream Palæstinæ, ascendit Hierosolymā, & salutauit congregationē. Hinc profectus est Antiochiā Syriæ. Hic aliquandiu cōmoratus, pergit iter quod cœperat, perambulans deinceps Galaticā regionem, ac Phrygiam, ubiq; confirmās discipulos, ubicunq; sese offerret aliqua congregatio. Tanta sollicitudo tenebat animum Pauli erga gregem, quem Christo lucrificerat. Interea quidā nomine Apollos, religione Iudæus, patria Alexandrinus, uir eruditus, & diuinarum scripturarū peritia non uulgariter pollens, deuenit Ephesum, ubi Paulus reliquerat Priscillam & Aquilā. Hic Apollos erat semichristianus. Didicerat enim à Christianis rudimenta doctrinæ Euangelicæ, feruentiq; studio quod didicerat, alijs communicabat, ac diligenter docebat, quæ cognouerat de Iesu, quum nondum esset baptizatus baptismo Christi, quo conferebatur uberior gratia, sed tantum nouerat baptismum Ioannis, quo docebatur poenitentia. Id existimabat sufficere, non dum ad plenum edoctus de his, quæ tradiderat Christus. Quem quum audissent Priscilla & Aquila magno spiritu loquentem de Iesu, sed nondum perceptis omnibus Euangelicæ philosophiæ mysterijs, adiunxerunt hominem sibi, quem perspiciebāt eiusmodi donibus instructum, ut uideretur egregius Christi præco futurus, ac priuatim exactius illi tradiderunt mysteria religionis Euangelicæ: quemadmodum ipsi à Paulo didicerant. Non repulerunt illi doctorē, sedulum quidem illum, sed imperfectum: nec hic uir alioqui præstant, dedignatus est à quouis admoneri. Ab illis præbitum est exemplum, eos in quibus refulget bona spes melioris profectus ciuilitate adiuuandos. In hoc data est forma, libenter à quouis esse discendum, quod non citra salutis dispēdium ignoretur. Tinctus est Apollos in nomine Iesu, & accepit spiritum sanctum. Porro postquam Euangelij prædicandi studio cuperet adire Achaïam, in qua est Corinthus, fratres eò propensum ultrò etiam eximularunt, ac literis ad Achaicos scriptis cōmendarunt illum discipulis, ut exciperent eū. Qui quum eò uenisset, multam utilitatem attulit his qui crediderant, strenuū propugnatorem agens Euangelici negocij. Nam eloquentiam cum eruditione sacra coniūctam adiuuabat spiritus cœlestis. Quibus armis instructus, acriter reuincebat Iudæos, sine fine belligerantes aduersus subolescentem Euangelij frugem, palam ac publice demonstrans scripturarum testimonijs quod Iesus esset ille Messias, quem Iudæi tot seculis expectarant, quodq; in hunc competere omnia, quæ fuerant à prophetis ante prædicta.

CAPVT XIX



Aeterum quemadmodū Priscilla & Aquila in Apollo correxerant imperfectum Christianismū, ita Paulus idem in alijs aliquot deprehensum correxit. Interim enim dum Apollos uersaretur Corinthi, quæ metropolis est Achaïæ, accidit ut Paulus peragratis cæteris minoris Asiæ regionibus, quæ

magis

magis uergunt ad Septentrionem & Orientem, rediret Ephesum. Illic reperit quosdam de discipulis imperfecte Christianos, cetero gregi fratrum admixtos. Hos igitur ut corrigeret percontatus est Paulus, num spiritum sanctum acceperissent, posteaquam credidissent. Illi, quoniam non malicia, sed simpliciter errabant, ingenue confitentur id quod erat, dicentes: Imò ne auditum quidē est nobis unquā, an sit aliquis spiritus sanctus, qui confertur credentibus. Tum Paulus: Quo igitur baptismo baptizati estis, quandoquidē habemini pro Christianis? Hic illi: Ioannis, inquit, baptismo. Id nobis sufficere credebamus. Tum Paulus: Nihil quidē admissum est piaculi, quod olim ante prōditā Euangelij lucem acceperitis baptismum Ioannis. Verum is non sufficit ad salutem aeternam. Quemadmodū enim doctrina Ioannis non erat absoluta, sed tantum testificabatur de Iesu. uero salutis autore, qui erat ipsi successurus, preparans animos illorum, ut uenienti crederent: ita baptismus Ioannis non conferebat perfectam iustitiā, sed tantum hortabatur homines, ut poenitentia uitae superioris prepararent animos suos medico mox uenturo, qui suo baptismo per fidem aboleret uniuersa peccata, quicquid per suum spiritum coelestibus dotibus locupletaret animos credentium. Tradidit hoc suis apostolis dominus Iesus, ut qui credidissent Euangelico sermoni, eos baptizaret in nomine patris & filij & spiritus sancti. Hunc in modum doceri merebantur, qui simpliciter errabant. Atque illi moniti, prompte obtemperauerunt monitori, moxque baptizati sunt in nomine domini Iesu. Hoc peractio quā Paulus imposuisset illis manus, uenit spiritus sanctus super eos, ac signum oculis exhibitum res ipsa consequuta est. Nam & linguis loquebantur, & prophetias adebant de rebus occultis ac futuris. Erat autem numerus uirorum ferme duodecim. Hoc facto Paulus ueluti renouata autoritate sua, quod doctor gentium, per impositionem manuum suarum impartiret spiritum sanctum, quemadmodum & ceteri apostoli, ingressus synagogam Iudaeorum illic agentium, palam ac libere loquebatur omnibus, praedicans in solo Iesu salutis esse spem: idque fecit non paucis diebus, sed totos tres menses, disputans de regno Dei, quod est Euangelicum ac spirituale, aduersus eos, qui legis regnum carnale mordicus tenebant. Posteaque uero quidam de synagoga non crederent his, quae disputabatur a Paulo, sed obstinatis animis obliterent, adeo ut coram multitudinem palam conuictis incescerent doctrinam Euangelicam: Paulus animaduertens periculum, ne qui crediderant, illorum malicia corrumperentur, subduxit sese a synagoga Iudaeorum, & ab eis segregauit discipulos: nec interim tamen desijt praedicare sermonem Euangelicum. Sed quotidie differebat in schola Tyranni cuiusdam, iam ueluti puram ecclesiam meditantis, synagogae fermento non uitiatam, quae non reciperet nisi dociles, obstreperos ac blasphemos non admitteret. Id factum est per biennium, tanto successu, ut non solum Ephesum, uerum etiam alij multi, partim Iudaei, partim ethnici, qui confluebant ex ea Asiae minoris parte, quae proprie Asia dicitur, & in qua est Ephesus, audirent sermonem Euangelicum. Sermo enim fidem adstruebant miracula, quae tum multa, tum insignia deus adebant per Paulum, adeo ut non solum dictis aut attractu propelleret morbos, uerum etiam sudariola ac semicinctias, quae contigissent corpus Pauli, deferrentur ad aegrotos, qui Paulum adire non poterant, atque ad horum contactum abirent morbi, malique spiritus effugerent. Tanta erat fiducia erga Iesum, quem praedicabat Paulus. Id ubi uidissent Iudaei quidam ex eorum numero qui circumeunt, & ad quastum certis ritibus ac uerbis conceptis eijciunt noxios spiritus, artem hanc iactantes sibi a Salomone traditam, tentauerunt & ipsi per inuocationem domini Iesu pellere malos daemones: non quod fauerent gloriae nominis illius, aut benefaciendi studio ducerentur, sed quod inde sibi plus quastus & gloriae prouenturum crederent. Itaque mutatis uerbis, quibus exorcismos peragere solebant, dicebant daemonibus: Adiuro uos per Iesum, quem Paulus praedicat. Hoc potissimum faciebant septem filij Iudaei cuiusdam nomine Sceuae, primarij sacerdotis. Quum autem ad hunc modum tentassent exorcismum in quendam malo daemone obnoxium, respondit exorcistis impius spiritus: Iesum, per cuius nomen me terrere paratis, noui, & Paulum Iesu praekonem noui, uos autem qui tandem estis, qui Iesu Paulique nomine ad quastum abutimini, quum neque Iesu discipuli sitis, neque Pauli. Simulque cum dicto homo malo daemone obnoxius insit in exorcistas, & inualuit aduersus illos, adeo ut agere nudi sauciique profugerent ex aedibus illis. Ea res diuulgata est

per uniuersam ciuitatem Ephesiorum, & apud Iudæos illic agentes, & apud gentes. Unde timor ingens corripuit omnes, ac magnificabant nomen domini Iesu, quod sic esset saluiferum omnibus sincere credentibus, ut nullius quæstui aut gloriæ seruire uellet. Paucorum calamitas multis fuit saluti. Nam exemplo filiorum Sceuæ territi complures, qui iam credere cœperant Euangelio, quum uiderent ultionem paratam his, qui parum synceris animis inuocarent nomen domini Iesu, ueniebant ad Paulum, confitentes ac proferentes admissa sua, ut per poenitentiam effugerent diuinam ultionem. Erat enim Ephesiorum ciuitas præ cæteris dedita superstitionis artibus, uel ipsorum prouerbio teste, quo dicunt: Ephesias literas. Proinde complures illic erant, qui per errorem uel exercuerant Iudaicos exorcismos, uel illis crediderant. Quin etiam multi ex ipsis, qui Magicas & curiosas artes exercuerant, comportatis in publicum libris, exusserunt eos coram omnib. Quorum tanta fuit multitudo, ut supputatis illorum precijs, reperta sint denariorum quinquaginta milia. Pecuniæ iactura, lucrum erat Euangelij. Siquidem his modis uehementer augefcebat & confirmabatur sermo domini salutaris his, qui simplici fide amplecterentur: formidabilis illis, qui minus sincere in eo uersarentur. His per biennium satis feliciter Ephesi gestis, Paulus admonitus spiritu, statuit ut peragrata Macedoniæ & Achaia, proficisceretur Hierosolymā, dicens: Mihi Roma quoq; uidenda est, sed non prius quam reuifero Hierosolymā. Hoc igitur animo quum esset, præmisit in Macedoniam duos ex his qui sibi ministrabāt, uidelicet Timotheum & Erastum, ut & eleemosynarum aliquid illic colligerent, subleuandis pauperibus qui erant Hierosolymis, & animos illorū in aduentum Pauli præpararent. Ipse Paulus interim remansit ad tempus in Asia. Hoc tempore coorta est grauis tempestas aduersus Euangelium apud Ephesios, non iam à Iudæis, ut fere solet, uerum ab his, qui deorum superstitionem à maioribus traditam nimium imbibebant. Erat, ut diximus, Ephesiorum ciuitas magnopere dedita curiosis artibus, & Diana credita est apud gentes in ueneficijs habere numen aliquod, unde & triformis ab illis dicitur, quemadmodum Hecate. Eoq; summa religione colebatur apud Ephesios. Quæstus igitur primus erat fons huius tumultus, auxilia petita sunt à superstitione populi. Erat enim tum Ephesi quidam nomine Demetrius, arte faber argentarius. Is quum delubra faceret argentea Dianæ, quod argenti colorem luna referat, non mediocrem quæstum adferebat eius artis peritis. Quotquot igitur ex fabricandis Dianæ simulachris quæstum faciebant, tum quotquot erant eiusdem opificij, quos ob artis consortium oportebat fauere, Demetrius conuocauit in unum, apud quos seditiosam habuit orationem hūc in modum: Viri, tempus est ut communi ope commodis nostris consulamus. Non est opus ut uobis commemorem, uos ipsi scitis opificium nostrum apud Asianos uberrimè quæstus esse ob religionem Dianæ: quæ si labefactetur, necesse est simul & quæstum nostrum frigescere. Atqui uidetis simul & auditis, res enim in propatulo est, quod Paulus iste iam totum biennium hic prædicat non esse deos, qui manibus hominū fiunt: neq; quicquam habere numinis, quod ars sculptorum aut fusorum ex quacūq; materia fabricatur. Atq; huiusmodi prædicatione persuasit multis, non solum hic apud Ephesios, uerum etiā per totam Asiam, ac numerosam hominum multitudinem auertit à cultu deorum. Quotnam autem hoc opificium alit nos, ac familiā nostram, quid superest, nisi ut sublato quæstu redigamur ad famem? In tanto uero periculo dormire nos, insignis cuiusdam foetidiæ fuerit. Quod si quem parū mouet hoc periculum, ne neglecta arte nostra, decedat nobis quæstus, quem nunc luculentū capimus: certe publica religio debet omnes commouere, quando, si hæc impune patiemur agere Paulū, periculum esse uidemus, ne templū quoq; magnæ deæ Dianæ, quod nunc celebre est ac religiosum, magnisq; donarijs locuples, pro nihilo habeatur. Quis enim ueneretur templū, si persuasum fuerit templi præsidē nullum habere numen? Itaq; futurum est, ut tantæ deæ maiestas, ob quam merito dicitur magna, quamq; nunc non solum hæc ciuitas & Asia, uerum etiā totus orbis religiose colit, paulatim aboleatur. Itaq; si prudentiā esse iudicatis, consulere quæstui uestro: si pium esse iudicatis, ab iniuria uindicare patrios deos, hic præstate uos fortes uiros, et ueniēti malo occurrere. Hæc oratio sic cōcitauit superstitionis multitudinis animos, ut omnes uociferari cœperint: Magna Diana Ephesiorum. Ad hūc clamorē seditiosum tota ciuitas Ephesiorum impleta

impleta est tumultu: & concursu facto, promiscua multitudo magno consensu procurrit in theatrum, ubi solet regnare populi furor: atque eodem arripuerunt duos Macedones, Gaium & Aristarchum, Pauli comites. Porro quum Paulus, audito quod acciderat, uellet prodire ad populum, simul & opitulaturus suis comitibus, & populo persuasurus, discipuli non permiserunt, inconsultum esse iudicantes, si sese traderet furenti populo, nulum inde fructum relaturus Euangelio. Quin & alij quidam ex Asia primoribus, qui tamen Christi nomen nondum essent professi, tamen bene uolebant alioqui Paulo, miserunt ad illum, qui uerbis ipsorum rogarēt eum, ne se committeret concitatae multitudinī. Interea uariis erat fremitus populi, alijs aliud, ita ut sit, uociferantibus. Erat enim concio ex uarijs hominum generibus, diuersisq; studijs confusa, plerisq; etiam ignaris, qua nam ex causa eo conuenissent. Res itaque popularem quempiam oratorem poscebat, qui quocunque modo praesentem tumultum sedaret. Igitur e conferta turba, protractus est quidam Alexander, propellentibus eum Iudaeis, ut oratione sua compesceret tumultum. Nullus enim audebat apud furiosam, & uarijs ex studijs confusam multitudinem uerba facere, ubi quicquid dictum esset, oportebat aliquos offendi. Is igitur protractus, mota manu postulauit audientiam, tamq; parabat reddere rationem. Caeterum simul atque multitudo cognouisset Alexandrum esse Iudaeum, quae natio quoniam unum deum colit, detestatur deos ethnicorum, renouatus est tumultus, expectantibus ut aliquid diceret aduersus maiestatem Dianae. Proinde una uoce omnes uociferari coeperunt: Magna Diana Ephesiorum. Is clamor perdurauit ad duas ferme horas. Tandem quum scriba ciuitatis silentium impetrasset a multitudine, dixit Alexander: Viri Ephesij, quorum pertinet ista uociferatio? Quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnae Dianae, & ab Ioue delapsi simulachri? Quum igitur nemo contradicat his, quae uos confirmatis, non est quur hunc tumultum excitetis, sed oportet uos sedatos esse, neq; quicquam praecipitanter agere. Adduxistis enim duos istos uiros, neq; sacrilegos, neque blasphemos in deam uestram. Ob haec enim uindicanda merito fortasse concurreret populus. Quod si Demetrius argentarius, caeterique huic adherentes opifices, per quos tumultus hic ortus est, habent aliquid aduersus aliquem quod accusent, nihil opus est hoc theatro, neque concursu populi, neque tumultu. Sunt enim in hac ciuitate leges, sunt conuentus forenses, sunt proconsules, qui causas cognoscant, ac lites dirimant, & in maleficos animaduertant. Apud hos inuicem accusent sese, qui dederunt occasionem huic concursui, quandoquidem illorum causa nihil ad populum attinet. Quod si causa priuata non est, sed ad populum etiam pertinet, tamen non est necesse rem sic per tumultum geri. Si quid enim flagitatis, poterit expediri legitima concione, conuocata per quos oportet, & quemadmodum oportet. Nunc periculum est, ne propter tumultum hodie factum arguamur seditionis apud magistratus, quum nullam idoneam causam adferre possimus, quur hic concursus populi factus sit in theatrum. Haec quum dixisset, dimissa est concio.

CAPVT XX

Posteaquam sedatus est ille tumultus, Paulus conuocatis in unum discipulis, exhortatus est eos, ut constanter pergerent in his quae coepissent: & amplexus illos, ac uale dicto, profectus est ut iret in Macedoniam. Vbi uero peragrasset Macedoniae regiones, & ubicunque esset congregatio, multis uerbis eos fuisse exhortatus, ut in Euangelica synceritate perseuerarent ac proficerent, uenit in eam partem, quae proprie dicitur Graecia, in qua est Achaia. Vbi quum fuisset menses tres, atque hinc pararet nauigare in Syriam, sensit sibi in eam nauigationem structas insidias a Iudaeis. Itaque uisum est tutius mutare portum, & repetita Macedonia, ab eo litore repetere Syriam, in quod appulerat, quum primum adiret Macedoniam. Huius itineris comites erant nobis Sosipater Beroënsis Pyrrhi filius, Thessalonicensium uero Aristarchus & Secundus, cumq; his Caius Derbensis ac Timotheus. Rursus Asiani Tychicus ac Trophimus. Hi quum, Paulo in Macedonia commorante, praecessissent, procuraturi quod ad tutam nauigationem pertineret, expectarunt nos Troade. Nos per Macedoniam peruenimus Philippis. Hinc post dies Azymorum qui festo Paschae contigui sunt soluimus, & intra dies quinque peruenimus ad illos Troadem, ubi commorati sumus

sumus dies septem. Hic accidit quiddam memorabile. Quodam enim die sabbatorum, quum discipuli conuenissent ex more ad frangendum panem, Paulus ubiq; pastore agēs, reficiebat animos illorum sermone sacro, postridie profecturus, eumq; sermonem produxit in multam noctem. Ea ne dirimeret gratissimum colloquium, erant multæ lucernæ in coenaculo, in quo tum eramus congregati. Erat in hoc numero adolescens quidam nomine Eutychus, sedens in fenestra. Is quum grauaretur profundo somno, Paulo diu differente, adeo tandem depressus est ui soporis, ut à tertio coenaculo pronus decideret in terram. Accursus est, sed repertus est mortuus, ac sublatu in domū. Id ubi cognouit Paulus descendit, atq; ad exemplum Helix propheta, incuruato corpore incubuit super eum, ueluti complexu suo fouens exanimem. Hoc factio uertit sese ad discipulos, ob inopinatum casum turbatos: Nolite, inquiens, turbari: adhuc anima eius in ipso est, nondum enim tota corpus reliquit. Hac oratione consolatus illos, rursus ascendit coenaculum, fregitq; panē ac degustauit: deinde rursus diu colloquutus cum illis usq; ad diluculum, ita demum profectus est. Adeo durum est, amanuissimum patrem à suis filijs distrahi. Porro qui remanserant apud adolescentem, adducunt eum in coenaculum uiuum & integrū. Quæ res non mediocriter refocillauit animos omniū. Non enim decebat, ut sermo, qui salutem adfert omnibus, adolescenti mortis esset occasio. Nos autem, conscensa nauī Troade, soluimus Asson. Ea ciuitas est maritima infra Troadem. Sic enim ordinarat Paulus, ut eò nauī præcederemus, ipse terra pedibus facturus iter, uel quia tutius erat, uel ut plures saluaret. Quum autem conuenissemus Asson, Paulo recepto, unā deuenimus Mytilenem. Ea ciuitas est littoralis Lesbi. Hinc soluentes, postridie peruenimus contra Chium insulā. Rursus hinc postero die appulimus ad Samum insulam, atq; hinc traiecimus Trogyllium. Ea ciuitas est littoralis Asiæ, Samo opposita. Hic eam noctem commorati, postridie peruenimus Miletum. Ea ciuitas est maritima Cariæ. Quanquam autem præter legentibus Asiæ littus, prius occurrebat Ephesus, quàm Trogyllium aut Miletus, tamen ita decretum erat Paulo, præternauigare Ephesum, ne tempus tereret in Asia, si per insidias non licuisset illinc tuto soluere in Syria. Properabat enim, ut, si fieri posset, diem Pentecostes ageret Hierosolymis. Ne tamen uideretur Ephesios ob neglectum aut odio præterisse, misit e Miletō, qui presbyteros congregationis Ephesiorum accerferent, quibus eam congregationem curandam commendarat. Qui cum uocati uenissent, hunc in modum loquutus est illis: Non est necesse fratres, ut meam synceritatem in Euangelico negotio uobis commemorem. Vos ipsi scitis, qui uidistis, quomodo me per omne tempus apud uos gesserim à primo die, quo sum ingressus Asiam, non meam gloriam, aut meum compendium uenans à quoquam, sed in tradendo Euangelio domini Iesu iussis obtemperans, eiusq; uoluntati per omnia seruiens, nimium ipsius inhærens uestigijs, qui se deiecit, qui se tradidit in afflictiones ac mortē, ut ecclesiam suam purgaret ac constabiliret. Ita & ego cum multa humilitate & ignominia, quā passus sum ab hostibus Euangelij, cum multis lachrymis, quas pro sollicitudine congregationis fudi, cum multis afflictionibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum, qui non patiuntur Euangelij gratiam gentibus communicari, uersatus sum in negotio Euangelij. Et tamen nihil horum malorum commouit animum meum, ut territus afflictionibus, quicquam omiserim, quod pertineret ad uestram salutem, aut quicquam esset in rem uestram, quod nō cum periculo mei capitis indicarem uobis, ac docerem uos, tum publice in synagogis, tum priuatim ac domestice, utcunque sese dabat opportunitas, non prædicans uobis, id quod Iudæi uolebant, circuncisiones, sabbatismos & lotiones: sed poenitentiam uitæ superioris, quam deus requirit ab omnibus, ut salutem det omnibus: & fiduciam erga dominum nostrum Iesum, cuius Euangelio quisquis credit, saluus erit, siue Iudæus sit, siue Græcus, siue circuncisus, siue incircuncisus. Et ideo gratiam omnibus oblatam, omnibus promiscue prædicaui, non habito personæ dilectū, nec deterritus Iudæorum odio, qui studio legis oppugnat Euangelium, nec seruita gentium, quæ superstitionem à maioribus traditam tuentur. Nam si quid afflictionis hic incidit mihi, magis me commouit congregationis periculum, ne quis offensus meis malis alienaretur ab Euangelio, q̃ ignominia aut dolor mihi inflictus. Quod si quando subduxi me periculis, uestro animo morem gessi, uestris commodis consului, potius quàm meæ

mea incolumitati. Nec me poenitet huius animi. Quin & nunc, tamen si corpore liber, tamen spiritu iam alligatus, proficiscor Hierosolymā, in qua quæ res mihi sint obuenturæ, nondū liquido cognoui, nisi quod spiritus in singulis ciuitatibus, tum per ora prophetarum, tum in me ipso prædicit, futurum ut uinciar & affligar. Id quum sciam & credam, tamen nihil harum rerum me deterret, quo minus fungar apostolico munere, etiam si mors sit oppetenda. Neq; enim hæc mihi uita mea chara est, quæ Christo protectore perire non potest, sed uita charius est, ut domini iussis obediam, utq; cursum hunc Euangelicæ prædicationis, quemadmodum hætenus alacriter sustinui, consummem cum gaudio. Gaudium est ingens animo meo, si per meas afflictiones crescit Euangelij prouetus. Nihil enim aliud mihi cordi est, nisi ut in stadio Euangelico, in quod me dominus induxit, semper progrediar, donec ad metam peruenero, securus de præmio, quod suo tempore pro suo arbitratu repensurus est Agonotheta, qui non potest fallere. Non ingessi memet huic muneris, sed dominus Iesus hoc mihi delegauit, ut Iudæis ac gentibus prædicem lætissimū nuntium, per fidem Euangelicam deo uisum esse salutem gratis dare omnibus. Hanc functionem uolens ac lubens obo, siue uiuere contingeret siue mori. Quandiu licuit adesse uobis, præfens consului uestræ salutis, docens, admonens, exhorrans, consolans, increpans, subinde reuolvens. Nunc autem scio spiritus instinctu, quod posthac non estis uisuri faciē meam, nec uos Ephesij, nec ceteri omnes qui minorē Asiam incolitis, ad quos deueni prædicās regnum dei. Quod mei muneris erat sedulo bonaq; fide præstiti. Quapropter nūc digressurus à uobis absq; spe reditus, illud uos hodie contestor, quod si quis perierit sua aut aliorum culpa, ego sim purus à sanguine omnium. Ostendi cunctis ueram uiam, qua peruenire licet ad uitam æternam. Aperui uobis omne consilium dei, & quomodo placeat illi seruari genus humanum, & quid præstandum sit his, qui perstiterint in fiducia sincera erga dominum Iesum, ne quis ignorantiam ualeat prætexere. Exemplum ex me præbui, nihil non & faciens, & patiens, ut omnes perseueretis in Euangelij sinceritate. Nullius mors mihi poterit imputari. Neq; nunc mea spōte diuellor à uobis, aut meū persecutionum memet subduco, sed ita uolente spiritu Christi, prudens ac sciens in certum uitæ discrimen proficiscor. Quod igitur mea præsentia uobis præstare non poterit, id uestra diligentia penset oportet. Videte ne uobis ipsi desitis, ne uē ab his quæ bene cœpistis relabamini: sed uos qui seniores estis, quibusq; curam multitudinis commendauī, uigilate, tum uobis ipsis ne corrumpamini per insynceros apostolos, tum toti gregi, quem pascendum suscepistis. Ego summa sinceritate perfunctus sum meo munere, quod à domino delegatum erat. Vos item simili studio similiq; integritate curā agite gregis, cui uos spiritus sanctus præfecit episcopos, hoc est, inspectores, ut curetis, ne quid salutaris pabuli desit ouibus Iesu Christi, utq; nō lupos, sed ueros pastores agatis erga congregationem dei, quæ uobis ostentanter curanda non est, ut quam deus adeo charam habuerit, ut unigeniti sui sanguine libitā parauerit. Non est igitur committendū, ut merx tam chare empta deo, uestra periret negligentia. Non hæc sine causa tam sollicitè moneo. Scio enim, quod non semper habebitis Paulos, sed post abitum meum, uelut in caulas à pastore destitutas, ingerēt sese in uos lupi graues, qui non parcent gregi, sed omnia molientur ut dissipent congregationē uestram. Hic periculum erit, ne qui sunt imbecilles, fracti malis recedant ab Euangelio, sed imminet aliud periculum multo maius. Non solū aliunde uenient, qui terroribus ac minis, qui callidis persuasionibus, qui fucata specie sanctimonie conabuntur corrūpere sinceritatem uestram, ac labefactare libertatem, quā habetis per Euangelium Iesu Christi: uerum etiam ex uobis ipsis exorientur uiri, qui prodita uestra concordia loquentur peruersa, & à rectitudine ueritatis Euangelicæ discrepantia, non hoc agentes ut Iesu Christo grex suos sit incolumis, sed ut ipsi discipulos abducāt post se, quo uideātur aliquid esse, nimirū mouentes ne parum egregij doctores uideantur, si nihil doceāt noui. Atqui peruersa non uita est, quā homines addūt Euangelio, quod sibi sufficit. Qui uerus est pastor, Christi discipulos esse mauult q̄ ipsius. Et ab eo pabulum sumit, quo pascat illos. Isti ob gloriam & quæstū, ex Christi discipulis suos faciunt: & auctores esse uolunt Euangelicæ doctrinæ, cuius nos reuera nihil aliud sumus quā dispensatores. Quo plus imminet periculi, hoc attentius uigilate, memores quod per triennium quum agerem in Asia, noctu dieq; non cessarium

cessarium admonere cum lachrymis unusquisque uestrum. Quod superest fratres, nunc quoniam auellor à uobis, cōmendo uos deo, qui suum gregem nō destituet, ac sermoni Euangelico, in quo qui sincere uersantur, & Dei gratuitam erga cunctos homines beneficentiam prædicant potius, quàm legis iustitiam, opitulabitur fauor diuinus. Nos pro delegato munere fundamenta iecimus. Cæterum deus, qui per nos agit hæc omnia, potest superstruere ut quod cœptum est, ex ipsius uoluntate perficiatur, & quemadmodum hæcenus uobis contigit per Euangelij professionem cooptari in numerum filiorum dei, ita perseuerantes in sancto proposito, perueniatis ad hæreditatem promissam omnibus sanctificationis per dei gratiam, siue ex Iudæis sint, siue ex gentibus. Vidistis sollicitudinem meam, uidistis labores meos, uidistis pericula mea, quæ uestra causa suscepi, nihil interim præmij captans à uobis, nec honorem, nec lucrum, adeo ut quod à cæteris fit apostolis, quodque iure meo poteram, ne necessaria quidem à uobis acceperim. Non aurum, non argentum, non uestem cuiusquam concupiui. Nam, ut ipsi scitis, necessitatibus meis, & comitum meorum, manus hæc, quod opus fuit suppeditarunt. Poteram hoc à uobis sumere, non ignarus operariū esse dignum mercede sua, sed ego mercedem omnē malui expectare à domino, & exemplum modis omnibus absolutum studui uobis exhibere, ut qui in gregis curam successistis, intelligatis hoc esse boni pastoris officium, ut quum nullū defugiat laborem in prouehendis gregis cōmodis, tamen ob infirmos abstineat ab omni mercede humana, ne quis ob hoc alienior sit ab Euangelio, quod Euangelistam suum cogatur alere: aut idem minus obtemperet monitis pastorum, quod existimet eos sibi ob accepta beneficia factos obnoxios. Sic enim est hominum ingenium, ut nescio quomodo minoris faciant eos, in quos beneficium contulerunt. Quanquam autem æquum est, ut qui uobis Euangelicas opes impartiunt, his uicissim de longe uilioribus opibus subueniantis, tamē ego sciens inter uos multos esse imbecilles, nullam cuiquam uolui dare peius de nobis sentiendi occasionem. Hoc exemplum meum studete pro uiribus æmulari, simulque memineritis, quod dixit dominus Iesus: Beatius est dare quàm accipere. Hæc loquutus Paulus, flexis genibus precatus est ex more cum omnibus illis. Fletus autē omnium ingens coortus est, adeo ut efflusi in collum illius, oscularerentur eum, uelut auide copiam rapiētes mox auellēdi. Discruciabatur enim animos omnium uerbum hoc, quod dixerat Paulus, illos nō amplius uisuros faciem ipsius. His peractis, euntem ad nauim officij gratia deducebāt, oculis etiā quoad licuit prosequentes nauigantem.

CAPVT XXI.



Quum autem illinc soluissēmus, iamque spacio longiore diuulsi essemus ab illis littore prospectantibus, recto cursu peruenimus ad insulam Cōm, post die Rhodum, atque inde Patara maritimam Lyciæ ciuitatem. Illic nacti nauim, quæ solueret in Phœnicen, ea consensa nauigauimus. Vbi uero cœpit nobis apparere Cyprus insula, relicta ea ad lauam, cursum institimus in Syriam, & appulimus Tyrum, quæ ciuitas est in littore Phœnicis, quemadmodum & Sidon. Nos quidem malueramus rectā in Palæstinam, sed quoniam Tyrus emporium est, hic nauis erat exponendum onus. Porro cum & illic reperissemus discipulos, mansimus apud illos dies septem: Hic erant qui afflati prophetico spiritu Paulo dissuaderent, ne proficisceretur Hierosolymam. At nihilo secius, expletis septem diebus, cœpimus à Tyro proficisci, discipulis omnibus unā cum liberis & uxoribus deducētibz nos extra ciuitatem usque ad litus. Hic quum flexis genibus simul orassemus, moxque inuicem dixissemus uale: nos nauim conscendimus, illi redierunt ad sua. Inde nauigatione explicita à Tyro, uenimus Ptolemaidam. Ea ciuitas occurrat in littore uicina monti Carmelo. Hic salutatis fratribz, mansimus diem unū apud illos. Postero uero die profecti nos, qui Paulū comitabamur, unā cum ipso peruenimus Cæsaream Palæstinæ, ac deuenimus in ædes Philippi, qui primus Eunuchus & Samaritanis prædicarat Euāgelium, unus ē septem diaconis, quos Hierosolymis instituerant apostoli. Apud hūc commorati sumus. Huic erant filiae quatuor adhuc inuermes, quæ pollebant spiritu prophetico, iuxta prophetiam Iohelis. Quum igitur huiusmodi diebus aliquot uteremur, superuenit quidam à Iudæa propheta nomine Agabus, quem diuertisset ad nos, tulit zonam Pauli, qua quum ipse sibi pedes alligasset, ex ueterum prophetarum more, qui solent signo quopiam repræsentare, quod prædicunt, diuisit eam spiritu

spiritu: Hæc ait spiritus sanctus: Virum, cuius est cingulum hoc, sic alligabunt Hierosolymis Iudæi, tradentq; in manus gentium. Hoc sermone territi, tum nos, qui Paulo ueneramus comites, tum eius loci discipuli multis cum lachrymis rogabamus eū, ne se committeret Hierosolymæ. Hic erat pius affectus, nolentium perire tam eximium pastorem. Paulus autem, cui certius oraculum spiritus sanctus ædiderat in pectore, ut iret Hierosolyma, postea uisurus Romā, ait illis: Quorū inanibus lachrymis uestris affligitis cor meū? Neq; enim me mouet periculum quod denunciant prophetae, sed uester mœror mœrorem conciliat animo meo. Certum est persequi, quod ad Euangelij profectum fieri uult spiritus. Neq; me territāt uincula, iam istorū malorum nequaquā rudem. Tantum enim abest, ut metu uinculorum sim deserturus negocium Euangelicum, ut mori quoq; paratus sim Hierosolymis pro nomine domini Iesu. Vinciatur Paulus, modo libere discurrat Euangelij sermo. Occidatur Paulus, modo uiuat apud omnes uigeatq; gloria nominis Iesu. Quod uitam opto, nō ob aliud opto, nisi ut prosim Euangelio. Alioqui mihi lucrum fuerit, pro Christi nomine cito finire uitā hāc. Proinde uos nolite deplorare, quod mihi etiam optabile est, si uelit deus, uestrisq; fletibus desinite mœrore afficere animum meum, qui nō possum non dolere cum dolentibus amicis. Ad hæc quū non haberemus quod responderemus, uideremusq; illi certū esse decretum, ut pergeret Hierosolymam, passi sumus illum abire, dicentes: Fiat uoluntas domini. Nam hæc est uox uere Christianorum, quam omnibus, etiā si non sit in ore, tamen oportet semper esse in animo, quicquid imminet seu lætæ rei, seu tristis: Fiat uoluntas domini. Itaq; dies aliquot cōmorati Cæsareæ, parabamus nos itineri, ut iremus Hierosolymā. Comitati sunt aut Paulū unā nobiscū e ciuitate Cæsareæ quidam e discipulis, secū ducentes Mnasonem quendam Cyprium, cuius hospitio Hierosolymis uteremur. Erat enim ille uir spectatæ pietatis, ut qui iam olim credidisset Euangelio, diuq; perstitisset in synceritate fidei. Quum aut peruenissemus Hierosolymā, libenter & alacriter exceperunt nos fratres. Postridie Paulus nobis ipsum comitantibus adiit ædes Iacobi iusti, qui dictus est frater domini. Nam hic ab apostolis institutus fuerat episcopus Hierosolymorū. Eodem conuenerūt omnes seniores. Quos omnes cum salutasset Paulus, referebat illis ordine, quæ deus per ipsius ministerium gessisset inter gentes, inter quas iam aliquot annis prædicarat Euangelium. Hæc illi quū audissent, glorificabant dominū, qui gratiam suā effudisset etiam in gentes. Cæterum quoniā Paulus apud multos Iudæos delatus erat, quod os esset legis Mosaicæ, sic prædicās euangelij gratiā, ut minus q̃ oportet tribueret legis obseruationi: quo huic etiam incōmodo mederentur, dixerūt: Vides frater Paule quot sint hic milia Iudæorū, qui crediderunt Euangelio, atq; hi omnes magno legis studio tenentur. Rumor autē ad hos perlatus est, quē nos scimus esse uanum, quod Iudæos qui sunt apud gentes doceas desciscere à Mose, sic ut nec circūcidant filios suos, neq; seruent instituta maiorū, in deleu ciborū, in sabbatis, in lotionibus, cæterisque, quæ Iudæi hi, qui gentibus admixti non sunt, magna religione seruant. Hi utcunq; ferunt, maiorū decreto coerciti, gentes non onerari iugo legis. Cæterū Iudæos natos ab obseruatione legis ad ritus gentiū abduci, non ferunt. Nunc itaq; uidendum est, ne quid hinc tumultus exoriat. Quid igitur faciendum? Primū illud dissimulari non potest, quin cōuocetur multitudo. Audient enim te uenisse. Ut igitur te liberares hac suspitione, sequere consilium nostrū. Sunt nobis uiri quatuor, qui iuxta consuetudinem Iudæorū obligarūt se uoto, hos tibi adiunge, simulq; cum illis expleas ritus solennes, ijs qui se post uotū sanctificari curāt: & si quid præterea impendendum in hostias aut donaria, impende unā cum illis, donec raserint capita sua. Ita fiet, ut oēs sciant esse uana, quæ de te iactauit rumor: sed intelligent, te quoq; sic prædicare gratiā Euangelij, ut non damnes eos, qui ritus legis à deo traditæ, maiorumq; consuetudinem obseruant, quū conspexerint eadem abs te fieri, quæ quidam iactarant abs te damnari. Hac ratione cōpescetur murmur Iudæorum, qui plures sunt, q̃ ut non sit illorum habenda ratio. Cæterū de his, qui crediderunt ex gentibus, nos iam pridem scripsimus ex decreto apostolorū ac multitudinis, ne cogerentur ad obseruationē legis Mosaicæ, tantū abstinerent ab his, quæ immolantur simulachris, à sanguine, à suffocato & foricatione. Paulus aut obtemperās Iacobi ac fratrum consilio, adiunctis sibi quatuor illis

uiris, qui se uoto obstrinxerant, purificatus est unâ cum illis, & ingressus templum, professus est dies purificationis expletos esse: neq; quicquâ omisit ceremoniarum, donec ex more offerretur pro unoquoq; illorū oblatio. Totum hoc septem diebus erat peragendum. Quibus iam penè expletis, Iudæi quidam increduli, qui uiderant illum in Asia, quicq; tumultum illic excitauerant, ubi conspexissent Paulum in templo, concitauerunt totum populum, & iniecerunt manus in Paulum, clamantes: Viri Israëlitarum succurrite. Hic est uir ille, de quo rumore cognouistis, qui peragrans omnes regiones, ubiq; docet nouam doctrinam aduersus hunc populum deo peculiarem, aduersus legem à deo traditam, aduersus hoc templum toti orbi religiosum. Nec hoc huius impietati satis erat, insuper & Græcos homines atq; incircumcisos induxit in templum, & cōtaminauit locum hunc sanctum. Viderant enim Trophimū Ephesium in comitatu Pauli, cum esset in ciuitate, atq; hinc coniectabant, quod Paulus hunc induxisset in templum. Ad hūc tumultum cōmota est tota ciuitas, factusq; est populi cōcursus. Ac Paulum apprehensum protraxerunt e templo, uelut obijciendum furenti populo: moxq; clausæ sunt fores templi, ne esset quò se in tutum reciperet. Quærebāt enim eum occidere. Id in templo facere religio erat, quasi usquâ non sit impiū innocentem interficere. Interea nunciatū est tribuno cohortis, quod tota ciuitas Hierosolyma tumultuaret. Qui statim, adiūctis sibi militibus ac centuriōibus, decurrit ad illos. Iudæi uero posteaq; uiderūt tribunū cum militibus ac currentē, destitere percutere Paulum. Tribunus itaq; quū uenisset propius, iussit apprehendi Paulum, ac uinciri catenis duabus, suspicans eum esse maleficum quempiam, in quem sic sauiet multitudo. Eo facto, tribunus interrogabat Iudæos, quis nam esset, & quid admisisset. Quum autem ob tumultum aliunde aliud uociferantis turbæ non posset certū cognoscere quod uolebat, iussit Paulum, ut erat uinctus, duci in castra, ut intra præsidij septa posset, exclusa turba, rei ueritatem intelligere. Quumq; iam uentum esset ad gradus castrorum, Paulus à militibus portabatur ob turbæ uiolentiam. Metuebant enim, ne uim adferrent illi, priusquam ueniret in castra. Etenim ad ipsos usq; gradus sequebatur populi multitudo, clamans ac uociferans: Tollite istum de medio. Vbi uero iam uentum esset ad ingressum præsidij, Paulus cupiens satisfacere tumultuantibus Iudæis, dicit tribuno: Permittis ne mihi, ut loquar tibi? Tum tribunus: Græce nostis? Nam id Græce dixerat Paulus. Nōne tu es, inquit, Aegyptius ille, qui antehac quoq; tumultum cōcitasti, atq; hinc eduxeras in desertum quatuor milia uiroꝝ sicariorum? Ad hæc Paulus: Non sum is quē tu putas, sed sum homo genere Iudæus, patria mihi est Tarsus, Ciliciæ non obscura ciuitas. Verū illud interim te rogo, permitte mihi uerba facere ad populum. Id quū ille permisisset, Paulus stans in gradibus, manu mota significabat populo, se uelle loqui. Moxq; magno facto silentio, sic loqui cœpit lingua Hebraica.

CAPVT XXII



Iri quotquot hic adestis, uel genere fratres, uel ætate dignitateq; patres, præbete mihi uos attentos, dum me uobis purgo super his, de quibus apud uos falso defatus sum. Hæc præfato Paulo, multitudo, quum audiret quod Hebraice loqueretur, magis etiam præstitit silentium, siue quod hæc linguam intelligebāt omnes, siue quod suæ quisq; linguæ magis fauet. Tum Paulus ita pergit dicere: Vt intelligatis, me nec aduersus populum Iudæorum, nec aduersus legem Moisi, nec aduersus templum quicquâ impie fecisse: Ego sum homo Iudæus, ex Iudæis natus Tarſi Ciliciæ. Cæterum educatus in hac ciuitate, ad pedes uobis non ignoti uiri Gamalielis, diligenter institutus à primis annis in patria lege, magno studio deditus isti cultui ueri dei, quē uos quoq; omnes seruatis hodie, adeo ut amore legis hanc Euangelicam uiam, quam nunc profiteor, persequerem, nō solum usq; ad carceres & uincula, uerum etiam usq; ad mortem, nihil aliud spirans quàm minas ac cædes aduersus Euangelij professores, uinciens & in carceres pertrahens, tum uiros, tum mulieres. Hæc ita se habere, mihi testis est is, qui tum erat summus sacerdos, simulq; cum eo totus seniorum ordo, à quibus acceptis literis ad Iudæos, proficiscebam Damascum, ut inde uinctos adducerem Hierosolymam, qui Christi nomen profiterentur, ut ex arbitrio sacerdotum ac seniorum punirentur. Hoc animo tum eram in illos, non ob aliud quàm ob studiū legis ac religionis

ac religionis à maioribus traditæ, qua de causa uos quoque nunc in me fauistis. Nunc quæ res uerterit animum meum accipite. Id ubi cognoueritis, fortasse uos quoque uertetis istum nostrum animum. Accidit enim ut dum eo proficiscerer, iamque non procul abessem à ciuitate Damasco, circiter meridianum diei tempus, subito ex cælo circumfulserit me lux ingens, qua percussus decidi in terram, & audiui uocem de cælo dicentem mihi: Saule Saule quid me persequeris? Cui quum respondissem: Quis es domine? rursum audiuit Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Porro qui mecum erant comites eius uia, lucem quidem uiderant, atque expauescunt, uocem autem mecum loquentis non audiebant. Tum ego: Quid uis ut faciam domine? Dominus autem ita retulit: Surge ac uade Damascum. Ibi tibi de singulis præscribetur, quid tibi sit faciendum. Quumque haberem oculos lucis illius claritate sic perfrictos, ut nihil omnino uiderem, manu ductus à comitibus perueni Damascum. Illic Ananias quidam uir pius ac religiosus obseruatione legis, & omnium qui Damasci uersantur Iudeorum testimonio probatus, uenit ad me, & astans mihi dixit: Saule frater recipe uisum. Ego uero protinus recepto uisu uidi illum. Tum ille: Deus patrum nostrorum in hoc delegit ac præparauit te, ut cognosceres ipsius uoluntatem, & uideres iustum illum unicū omnia iustificantem, & audires uocem ex ore eius. Iesus enim erat in illa luce, quæ perfrinxit oculos tuos, & eiusdem uox erat, quam audiebas, quoniam eris illi testis apud omnes homines eorum, quæ uidisti & audisti. Et nunc posteaquam ita uisum est deo, quid contaris? Surge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine eius quem persequeris. Quum his actis Damasci, post aliquantulum temporis reuersus essem Hierosolymam, iam factus alius, & orarem in templo, raptus sum extra me, ac uidi Iesum dicentem mihi: Festina, ac uelociter exi Hierosolymis, quoniam hic non recipient testimonium tuum de me. Tum ego hunc in modum respondi: Domine mihi bona quædam spes est, futurum ut proficiam apud hos, propterea quod ipsi sciunt, quod antehac studio legis fauierim in discipulos tuos quoscunque possem pertrahens in carcerem, ac uirgis cædens in singulis synagogis, eos qui crediderant Euangelio tuo. Nec his contentus eram. Quin etiam quum funderetur sanguis Stephani, qui suo sanguine fidele testimonium constanter perhibuit tibi, ego quoque adstibatam lapidantibus consentiens in mortem innocentis, adeo ut seruari uestimenta illorum, qui illum detulerant, quique primi lapides in illum iacere cœperunt. Ex his quum intelligant omnes quanto legis studio ferbuerim aliquando, facile perspicient me non temere mutatum esse, multique reperientur, qui meum exemplum hoc libentius imitabuntur, quo maiori zelo pristinae religionis fauam in tuos. Hæc ubi dixissem, respondit dominus: Vade, inquam, mihi obtempera, quoniam iam tempus adest, ut euangelium meum per uniuersum orbem incipiat propagari. In hoc te delegi, ut mittam hinc ad gentes procul semotas. Hactenus Iudæi tulerant Paulum dicentem, usque ad hoc uerbum, ad gentes longe distitas mittam te. Hoc dictum refricuit dolorem omnium, propterea quod Iudæi miro quodam odio gentes abominentur, eoque plerique etiam ex his, qui non aspernabantur Euangelium, uolebant gentes omnino submoueri ab Euangelij gratia: aut si admitterentur, non admitterentur nisi circumcisi, quasi purus deoque gratus esse non possit, nisi qui Iudæus esset. Itaque quum audirent gentes prælatas Hierosolymitanis, magnis clamoribus interruperunt uocem loquentis Pauli, dicentes tribuno: Tolle de terra uirum istum, quoniam non est fas eum uiuere. Quumque Iudæi multis indicijs declararent impotentem animi dolorem, uociferantes ac proicientes uestimenta sua, denique puluerem iactantes in aera, tribunus suspicans aliquod indignum esse facinus admissum, ob quod totus populus sic nouo more tumultuaretur, præsertim quum data loquendi facultate, nihil esset profectum nisi in peius, iussit militibus suis, ut Paulum inducerent in castra, ac flagris eum examinarent, quo uel ex ipso extunderent, quamobrem populus sic uociferaretur aduersus illum. Quumque iam iussu tribuni loris astringeretur mox cædendus Paulus, dixit Centurioni sibi astanti, cui negotium erat delegatum, ut præesset quaestioni: Quid an uobis ius est hominem Romanum, & indemnatum flagris cedere? Quod simulatque audiuit Centurio, celeriter adiit tribunum, renunciando illi, quod audierat, dicens: Quam rem paras? Nam hic homo, quem iussisti cædi uirgis, ciuis Romanus est.

Hoc audito tribunus ipse uenit ad Paulum, & ait illi: Dic mihi num uerū est, quod Centurio mihi nunciat: An ciuis es Romanus? Quumq; Paulus affirmasset esse se ciuē Romanum, tribunus respondit: Rem magnam narras. Nam ego magna pecuniæ summa mihi comparauī, ut ciuis essem Romanus. Tum Paulus: Hac quidem in parte mea potior est conditio, qui ciuis Romanus natus sum, iure ciuitatis à parentibus ad me profectus. Protinus igitur discesserūt à Paulo qui parauerant illum tormētis examinare. Quin & tribunus ipse sibi metuit, ubi rescīuit eum ciuem esse Romanū, eo quod lorīs alligasset eum. Tantius tum erat apud omnes terror Romani nominis. Postridie uero cupiens certo cognoscere, quam ob causam accusaretur à Iudæis, soluit illum à uinculis, iussitq; conuenire primores sacerdotum & uniuersum cōcilium, ac deductum Paulum sistebat coram illis, ut absq; tumultu populi, res per principes ageretur.

CAPUT XXIII



Hic Paulus intentis in concilium oculis, sic uerba facere cōepit: Viri fratres, ego in omnibus sincera cōscientia uersatus sum, usq; in hodiernum diem, in conspectu dei, qui solus recte iudicat. Summus autē sacerdos Ananias, quum audisset tam confidens tamq; liberum procemium, quo statim absoluit seipsum, iudice cæterisq; à quibus deferebatur damnatis, indigneq; ferens, quod nihil honoris præfatus esset ipsi, nec ullam rei speciem præ se ferret, præcepit adstantibus, ut percuterent os dicentis. Nimirum hoc erat, quod Paulo prædixerat dominus: Non recipient testimonium tuum de me. Ad hanc contumeliā, quæ nec in Ethnici eorum iudicijs fieri solet, Paulus indignatus spiritu, pœnamq; denunciāns à deo post ad futuram tam manifestæ tyrannidis, dixit: Percutiet te deus paries dealbate. Itane tu sedes, ut cognita causa iudices me secundum legē, & contra legem nondum audita causa iubes me cædi, quæ uetat quenquam punire nisi legitime condemnatum? Hic qui astabant dicebant Paulo: Itane summo sacerdoti dei maledicis? Eo tyrannidis tum uenerat Iudæorum sacerdotū, ut postularent sibi licere contra ius fasq; cuius malifacere, nec liberam aliorum linguam paterentur. Nimirum hoc erat argumentū sacerdotij mox abolendi, posteaquam ad summum maliciæ uenerat. Tum Paulus, uidens se nihil acturum sub tali iudice, tantum occasionem quærendam putauit, ut ille conuentus dissolueretur. Itaq; respondit: Nesciebam fratres quod esset summus sacerdos. Alioqui scio scriptum esse in libro Exodi: Principi populi tui non maledices. Hoc dicto quum utcunq; placasset admonito res, quæ sita est ansa, qua tumultum ab ipso auerteret. Licet enim arte uitare periculum, quum non apparet fructus. Quum itaq; Paulus sciret concilium illud constare è sectis duabus, quarū altera erat Sadducæorū, altera Phariseorū, quorum alteri ab alteris dissidebant, uoce clara dixit in concilio, ut ab omnibus posset exaudiri: Viri fratres ego pharisæus sum, & pharisæi filius, & ob prædicatam mortuorū resurrectionem iudicor. Hæc ubi dixisset, orta est dissensio inter Phariseos & Sadducæos, atq; his dissidentibus scinditur & multitudo quæ aderat, in diuersa studia. Nam Sadducæi quoniam credunt animas unā cum corporibus interire, neq; probant resurrectionem, neq; putant esse spiritum ullum aut angelum: Pharisei contra & resurrectionem credunt, & angelos ac spiritus esse asserūt. Cœpit igitur multitudo magno clamore tumultuari. Interim surrexerunt scribæ quidam ex factione pharisæorum, atque in Pauli fauorem depugnabant, dicentes: Nihil mali comperimus in hoc homine. Quod si spiritus aut angelus ei loquutus est, non est nostrum pugnare cum deo. Hoc idcirco dicebāt, quia Paulus pridie narrauerat sibi per uisum apparuisse dominum in templo. Tantum in præiudicijs ualet huius aut illius esse factionis. Cumq; contra uociferantibus Sadducæis tam incaluisse dissensio, resq; uideretur ad extremum tumultum spectare, tribunus metuens ne Paulus discerperetur ab illis, iussit milites descendere, qui raperent Paulū è medio eorum, ac reducerent in castra. Iam tempus erat, ut deus athletam suū inter tam sauos tumultus, præsertim quum instarent etiam sauiiores, aliqua consolatione subleuaret. Itaq; nocte proxima rursus adstitit ei dominus, dicens: Forti animo esto Paule. Hi tumultus non absorbebunt te, nondum enim instat tempus mortis tuæ, sed superest, ut quemadmodum Hierosolymis fortiter præbisti mihi testimonium, ita testificeris & Romæ. In urbe quæ

urbe quæ caput est Iudææ, functus es officio tuo: restat ut & id facias Romæ, quæ caput est mundi. Cæterum ubi iam diluxisset, conspirarunt inter se quidam Iudæi, ac diris deuouerunt sese, si prius sumpsisset cibum; aut potū, quàm Paulum interfecissent. Tantum odium in eum conceperant. Nec erant pauci numero, qui coniurationem hanc fecerant, sed erant plures quadraginta. Hi adierunt summos sacerdotes ac seniores, eisdq; exposuerunt animum ac propositum suum dicentes: Arcuissima deuotione deuouimus nos ipsos, si quicquā gustemus cibi potus ue, priusquā occidamus Paulum. Nunc oportet uos huic animo nostro subseruire, quo facilius fiat, quod factū esse uolumus omnes. Er uestro & cōcilij nomine significate tribuno, ut rursus sistat apud uos Paulū, hoc prætextentes, quasi uelit aliquid certius de eo cognoscere, quod heri per tumultum non licuit. Nos uero non cōmittemus ut incolumis redeat in castra, quemadmodum heri: sed priusquam accedat ad locum concilij, parati sumus illum interficere. Has tam capitales insidias quum audisset adolescens quidam, Pauli ex sorore nepos, non putabat amplius dormitandum, sed protinus ingressus castra nunciauit Paulo, quod erat præ manibus. Eo cognito, Paulus uocato ad se cuidam e centurionibus ait: Adolescentē hunc perduc ad tribunum, habet enim quod illi significet. Centurio, sicut erat iussus, assumptum adolescentem perduxit ad tribunum, dicens: Paulus ille uinctus rogauit me, ut hunc adolescentem adducerem ad te, quod diceret illi esse quiddam, quod tecum uellet loqui. Tribunus autem amplexus manū adolescentis, secessit cum eo seorsum, ac percontatus est illum dicens: Quid habes, quod uolebas significare mihi? Tum ille: Iudæi coniurati in necem Pauli, hoc inter se statuerunt, ut rogent te, quo crastino die rursus adductum Paulum sisti iubeas in cōcilio: illud prætexturi, quasi cupiant aliquid de eo inuestigare, quod heri non potuerunt liquido cognoscere. Cæterum aliud agunt. Quare tu caue, ne postulationi illorum obsequaris imprudens: Nam destinatis animis moluntur insidias capiti Pauli, uiri plus quàm quadraginta, qui se diris deuotionibus obstrinxerūt, si uel ederint uel biberint quicquam, priusquam interficiant illum. Et iam nunc ad hoc facinus parati sunt, expectantes quid tu promissurus sis. Tribunus his auditis dimisit adolescentem, præcipiēs illi, ne quis ex ipso sciret, quod hæc indicasset tribuno. Sic enim cupiebat consulere uitæ Pauli, ut tamen uitaret inuidiam Iudæorum. Itaq; uocatis ad se duobus centurionibus, dixit: Parate milites ducentos, cumq; his equites septuaginta, & lancearios ducentos, ut eant Cæsaream statim ab hora noctis tertiæ: simulq; parate iumenta, ut his impositum Paulum saluum deducant ad Felicem præsidem. Hac tanta diligentia nō ob id tantum usus est tribunus, ut unius hominis uitæ consuleret (nec enim erat usq; adeo religiosus) sed absolui cupiebat à Paulo, quem neq; tueri poterat aduersus tam obstinatum odium totius concilij, nec audebat illorum odijs dedere ciuem Romanū. Atq; ideo noctu iussit eum educi magnā manu militum, metuens ne si interdiū, aut paucis comitatus exisset, Iudæi in itinere raperent eū & interficerent, atq; hinc deinde calumniā recideret in ipsum, qui prodidisset ciuem Romanū. Addidit autē & epistolā ad Felicem in hanc sententiam: Claudius Lysias optimo præsidi Felici salutem. Virum hunc comprehensum à Iudæis, quum esset iam interficiendus ab illis, superueniens cum exercitu eripui, cognito quod ciuis esset Romanus. Cupiens autē scire causam quamobrem accusarent illum, deduxi illum in concilium illorum. Quem comperi nihil habere criminis, quod uel morte dignum esset, uel uinculis, sed tantū obijci quædam de quæstionibus legis Iudaicæ. Mox ubi mihi fuisset indicatum de insidijs, quas illi parauerant Iudæi: protinus misi eum ad te, simulq; denunciaui Iudæis qui accusant eum, ut si quid haberent quod illi obijciant, dicant apud te. Vale. Milites uero iuxta Tribuni iussu, Paulum in suam tutelam receptum, noctu perduxerunt Antipatrida. Postero uero die quoniā non longe aberat Cæsarea, iamq; minus periculi uidebatur, milites redierunt Hierosolymam in castra, equites comitati sunt Paulum Cæsaream usq;. Quò cum uenissent ac reddidissent epistolam præsidi, simul & Paulum statuerunt coram eo. Porro præses literis perlectis, percontatus est Paulum, cuius esset prouinciæ. Cognito uero quod Cilix esset: Audiā, inquit, te quum accusatores tui uenerint, iussitq; ut seruaretur in prætorio Herodis.



Ost dies autem quinq; Casaream descendit Ananias sacerdotū princeps cum senioribus aliquot, unā cū oratore Tertullo, qui causam ageret. Adeo tenebat illos obstinata quēdam cupiditas occidendi Paulum. Hi cum adissent præsidentem, flagitantes exhiberi reum, Felix iussit citari Paulum ac sisti. Ibi Tertullus malæ causæ non optimus patronus, hunc in modum cœpit accusare Paulum. Cum tibi debeamus, quod rebus admodū pacatis ac tranquillis iam pridem fruimur, quūq; & alia permulta feliciter ac recte gerantur in hoc populo, per tuā providentiam, nos tuā in nos beneficentiam & semper & ubiq; agnoscimus ac prædicamus præstantissime Felix, quantoq; possumus studio gratias agimus. Atq; ista tua dexteritas nobis certam spem facit, te & in hac causā, quam nunc deferimus, nostrę gentis tranquillitati consulturū. Verum ne prolixiore procemio te plurimis ac maximis negocijs occupatum remorer, oro te, ut nos pro tua humanitate paucis audias. Comperimus hunc virum, pestiferum nostrę genti, propterea quod seditionē concitat inter Iudæos, non solum in Syria, uerum etiā in omnibus totius mundi regionibus, quocunq; Iudæorum natio dispersa est, dum se facit autorem nouæ sectæ, quæ dicitur Nazarenorū. Nec his contentus, ausus est uenire Hierosolymā, & inductis in templum hominibus incircumcisis, non ueritus est profanare templum nostrum, quem in ipso factio comprehensum uolebamus secundū legem nostrā iudicare: uerū superueniens Lysias tribunus cum magna militum uī, eripuit eum ē manibus nostris, causæ cognitionem ad te reijciens, iubensq; accusatores adire te: proinde uel ex ipso tribuno poteris cognoscere hæc omnia sic habere, de quibus accusamus eum. Sic orator ille nō minus mendax quā frigidus: Iudæi uero qui aderant accusationi, confirmabant rem ita se habere, ut narrabat Tertullus. Post hæc ubi præses innuisset Paulo, ut pro se diceret, sic defensionem suā exorsus est: Aequiore animo pro meipso causam dico, quū sciam te iam multos annos uersatum in hac gente, & in cognoscendis Iudæorū causis non esse rudem. Quo nuperius actū est quod isti obijciunt, hoc certius potes cognoscere, quod non sunt nisi duodecim dies, ex quo pro more Iudaicę religionis ascendi Hierosolymā, adoraturus, meq; pro suscepto uoto solenni ritu purificaturus. Hoc si est uiolare templū, crimen agnosco. Neq; me compererunt in templo cum quoquā disputantem: aut populi concursum facientem: ac ne in synagogis quidem, aut in ciuitatis ullo loco. Nec ullis idoneis argumentis probare possunt ea crimina, quæ mihi obijciunt. Quod autem obijciunt de secta Nazarenorum, non inficias ibo quod uerū est. Quanquā ea res nihil attinet ad accusatores, quando nec ea secta damnata est apud Iudæos, nec ego huius sectæ sum princeps. Quod si tibi curæ est cognoscere, quam sectam profitear, dicam. Ego iuxta institutū pharisæorum, quam uocāt sectā, colo patriū deum, nequaquā autor nouæ religionis, sed à maioribus traditæ diligens obseruator, credens omnia uera, quæ in lege & prophetis scripta sunt: quę cum magna ex parte iam deus ita ut promiserat præstitit, certam spem habeo illud futurum, quod promissit: uidelicet resurrecturos olim mortuos, iustos pariter ac iniustos, iustos ad immortalitatis gloriā, iniustos ad æterna supplicia. Nec ista credo leuiter, uerū adeo penitus habeo persuasa, ut quoniā scio me olim ad dei tribunal sistendum, pro factis reatorum præmia, toto studio contendam, ne qua in re peccem aduersus legem dei, sed conscientiam habeam puram ac synceram, nō solum apud deum, qui scrutator est cordium, uerum etiam apud homines. Idq; in hunc usque diem facio. Proinde non habent quod accusent in uita mea superiore, ut hinc demonstrent & hæc quæ nunc obijciunt, in me probabiliter harere. Multis enim annis sine crimine peractis, tandem ueni Hierosolymam, exhibiturus pecuniam in Asia collectā, ad subleuandam inopiam gentis meæ, si hoc est esse pestilentem, subleuare beneficio gentē meam, agnosco quod obijciunt. Atq; interim ne quid turbæ nasci posset ab his, qui quærebant occasionem, raso capite sum ingressus templum, ac solitis ritibus peregi purificationem, nihil admittens, unde quicquam uel turbæ uel tumultus oriri posset. Nihil enim à me noui factū est, sed iisdem ritibus usus sum, quibus tota gens utitur. Cæterum si quid tumultus tum est concitatum, per Asiaticos quosdam Iudæos concitatum est. Quos, quoniā huius negocij sunt auctores

tores, oportebat in hac causa adesse, & accusare si quid haberet aduersum me. Est autem malæ conscientia signum, quod se subducunt huic iudicio, posteaquã uident rem apud præsidem agi. Si quid admissum est, per illos potissimum poteram reuinci, aut per illos poteram absolui. Quanquam ego nullius accusationem metuo. Vel hi ipsi qui adsunt, proferant, quandoquidem sto in concilio, si quid à me commissum deprehenderunt se, cus quàm ius fasque est. Siquidem in legitimo iudicio licet & obijcere crimen reo, licet & reo suam causam agere. Verum non habent quod obijciant, nisi fortè uolent unicam illam uocem obijcere: qua quum starem inter illos, exhibitus à tribuno, uideremque nihil agi iure, sed manifestis odijs tendi in perniciem meam, clamaui pharisæum esse me, & ob hoc reum agi apud illos, quod prædicarem resurrectionem mortuorum. Nam ad hanc uocem cœperunt ipsi inter se tumultuari, donec tribunus eripuit me ex illorum manibus. Quod uerum erat professus sum; & æquum erat multitudinem scire, quamobrem periclitarer apud concilium, quandoquidem perspiciebã in primoribus nihil esse præsidij. Felix his auditis, quoniam exacte nouerat sectam pharisæorum, quam Paulus profitebatur, uoluit causam in aliud tempus differre, dixitque: Quoniam Lysias totius negotij seriem pernouit, ubi ille ad nos uenerit, audiam uos. Mandauitque centurioni, ut interim haberet eum in custodia, sed mitiore: sic, ut subinde daretur illi relaxatio, neque quisquam ex ipsius familiaribus uetaretur adire eum, aut subministrare, si quid opus esset. Post dies autem aliquam multos, quum Felix uenisset Cæsaream cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa, accersiuit Paulum, cupiens ab eo plenius edoceri de secta quã profiteretur. Ibi, quod Paulus ante dissimularat, aperit ei uiam Euangelicæ salutis, quæ non constat obseruatione legis, quemadmodum existimabant Iudæi, sed fiducia erga Iesum Christum, quem Iudæi tot seculis expectatum crucifixerant: per baptismum autem aboleri semel omnia peccata uitæ superioris, sic, ut in illum renati, deinceps pure sancteque uiuant iuxta regulam Euangelicam, donec idem Iesus, qui ob salutem humani generis semet impenderat, rediret sublimis cum gloria patris, iudex uiuorum & mortuorum. His de rebus quum Paulus multa differeret, de gratia fidei, de iustitia Euangelica, de temperantia sobrietateque uitæ spiritualis, de iudicio supremo, quod nemo possit effugere, Felix inhorruit, & hactenus commotus est, non ut absolveret Paulum (metuebat enim Iudæos, quibus sciebat illum esse uehementer inuisum) sed ut interim haberetur in humaniore custodia, donec sese daret occasio liberandi illum. Suberat & alia quædam causa, quare differret absolutionem: sperabat futurum, ut Paulus aliquam pecuniæ summam numeraret, ac ipsi daret in manum pro liberatione sui. Atque hac de causa frequenter accersebat Paulum ad colloquium, quo daret occasionem offerendæ pecuniæ, ut contracta familiaritas, perspectaque præsidis facilitas, excuteret pudorem, quem suspicabantur obstare, quo minus auderet Paulus offerre pecuniam. Nam & Cæsaris leges damnant iudicium pecunia redemptum. Interea dum Paulus biennium detinetur Cæsareæ, iussu Cæsaris Neronis Felix successorem accipit Portium Festum. Ac tum quidem erat occasio dimittendi Paulum. Cæterum nolens à prouincia decedere, odio sui relicto, malensque gratificari Iudæis, quàm ex sincera cōscientia liberare innocentem, reliquit Paulum uinctum. Adeo difficile est magnatibus huius mundi, quod rectum est ubique sequi.

CAPVT XXV

Festus itaque prouinciã ingressus, post triduum ascendit Hierosolymam à Cæsarea. Ad noui præsidis aduentum recrudit Iudæorū malitia. Mox enim adierunt illum summi sacerdotes ac primores Iudæorum, hoc fauoris à nouo præside flagitantes, ut hactenus sibi faueret aduersus Paulum, ut accerseret eum Hierosolymam, quod incommodum esset Cæsareæ causam persequi. Sperabant enim præsidem, qui nuper uenisset in prouinciã, & ignarus esset eorum quæ gerebantur, hac in re facile gratificaturū ipsis. Cæterum hoc conueniebat inter Iudæos, ut si Festus annuisset ipsorum postulationi, structis insidijs occiderent Paulum in uia. Festus autē æquior quàm illi uolebant, respondit: ut Paulus quidem Cæsareæ seruaretur, se uero propediem eo profecturum, & causam illorum cogniturū. Proinde si qui sunt, inquit, inter uos idonei ad huius causæ persequutionem, descendant una

mecum Cæsaream. Ibi sistetur uobis reus. Et si quod est in hoc uiro, de quo narratis, crimen, accusent eum. Commoratus autem inter eos dies plures quàm decem, profectus est Cæsareā. Ac postridie sedit pro tribunali, iussitq; sisti Paulum. Qui cum productus esset, circumsteterunt illum Iudæi qui uenerant Hierosolymis, intentantes illi multa simul & grauiā crimina, sed quorum nullum poterant probare: quū Paulus pro se respondens, perspicuum faceret se, neq; in legem Iudæorum, quam seruaret, neq; in templum, in quo purē & quiete uersatus fuerat, neq; in Cæsarem quicquā peccasse. Festus autem quum intellexisset & Pauli innocentia, & implacabile Iudæorum in eum odium, sic stitit gratificari Iudæis, ut tamen reo non uideretur fecisse iniuriā, ait Paulo: Vis ire Hierosolymam, & illic iudicari apud me? Suspicabatur enim id fore gratū Iudæis, qui prius hoc flagitauerant. Tum Paulus non ignarus quid molirentur Iudæi, respondit: Non est quur aliō reijciatur hæc causa, quandoquidem nihil obstat, quo minus hic uel absoluar, uel damner. Ad tribunal Cæsaris adsto reus in ciuitate Cæsarea, hic oportet me iudicari. Iudæis nullam iniuriā feci, sicut tu quoq; melius nosti. Nam si qua in re illos læsi, aut si alioqui quicquā admisi capitis supplicio dignum, non deprecor mortem. Quod si uana sunt omnia quæ isti mihi obijciūt, nemo iudicem agens potest me præter ius illorum odijs donare. Neq; enim iudex in gratiam cuiusquam potest damnare reum. Cæsarem appello. Sub hæc Festus cōmunicato sermone cum concilio Iudæorū, respondit Paulo: Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis. Malebant enim Iudæi Paulum ad Cæsarem relegari, quàm absolui, sperantes oblatum iri occasionem, per quam tollerēt illum aliquando ē medio. Interea transactis aliquot diebus rex Agrippa, qui patri Herodi ab angelo percusso, in regnum successerat, unā cum Bernice uxore uenerunt Cæsaream salutaturi Festum nouum præsidem. Cumq; dies complures illic cōmorarentur, Festus per occasionem exposuit regi causam Pauli hūc in modum: Est hic uir quidam relictus à Felice, cui successi, uinctus, de quo quum uenissem Hierosolymam, adierunt me summi sacerdotes ac primores Iudæorum, postulantes ut in ipsorum fauorem pronunciarem aduersus illum sententiam: Quibus respondi, non esse Romanis hunc morem, ut in gratiam cuiusquam donent quenquam hominem in exitium, priusquam reus præsentem habeat accusatores, locumq; accipiat defendendi se de obiectis criminibus. Itaq; quū huc conuenissent accusatores, sine ulla dilatione postridie sedi pro tribunali, iussiq; adduci reum. Quumq; prodissent accusatores, nullum crimen obijciebāt de rebus his, de quibus ego suspicabar. Tantum quæstiones quasdam de sua superstitione mouebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus reuixisse, ac nunc quoq; uiuere. Ego uero uidens eiusmodi quæstiones non admodum conuenire meæ cognitioni, neq; satis certū habens, quid in ea causa pronunciarem, rogauī eum, num uellet ire Hierosolymam, atq; illic experiri iudicium super hisce rebus, quæ notiores essent sacerdotibus, scribis ac Phariseis. Id quum recusasset Paulus, appellans Cæsarem, ut illius cognitioni seruaretur, iussi illum interim seruari in custodia, donec per occasionem mitterem illum ad Cæsarem. His auditis, respondit Agrippa Festo: Audiui iam pridem multa de Iesu isto, deq; discipulis illius, quamobrem uellem & ipse audire hominem istum, priusquam eat ad Cæsarem. Tum Festus: Cras, inquit, audies eum. Postero die quum uenisset Agrippa, simulq; Bernice multo cum strepitu atq; apparatu, introissentq; in auditoriū cum tribunis ac primoribus ciuitatis, iubente Festo adductus est Paulus. Tum Festus, ne tantum in regis gratiam uideretur adduxisse Paulum, hunc in modum loquutus est: Agrippa rex, & omnes quotquot hic nobiscū adestis uiri, uidetis hominem, de quo tota multitudo Iudæorum interpellauit me, tum Hierosolymis, tum hoc in loco, magnisq; uociferationibus acclamarunt, non esse fas eum amplius uiuere. Ego uero disquisitione facta, comperi illum nihil admisisse dignum supplicio capitis. Cæterū quum ipse ultro appellasset Cæsarem, statui illum eò mittere. De quo certum quod scribā domino, non habeo. Quapropter produxi eum ad uos, & maxime ad te rex Agrippa, ut examinatione facta, habeam quod scribam. Iniquum enim mihi uidetur, mittere uinctum, neq; significare crimina de quibus accusatur.



Mic Agrippa rex uersus ad Paulum, qui uinctus astabat, ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso, si quid habes, quo causam tuam defendas. Moxq; Paulus porrecta manu, defensionem sui sic exorsus est: Magni referre puto rex Agrippa, apud quem iudicem reus causam dicat. Etenim qui fidit innocentiae suae, huic nihil optabilius, quam ut contingat iudex, qui causam aut optime norit, aut facillime possit dicere. Nam apud iudicem non intelligentem negocium, de quo agitur, frustra disertus est qui dicit. Quanquam itaque mihi uaria crimina obijciuntur a Iudaeis, tamen hoc nomine me fortunatum iudico, qui causam hanc hodie dicturus sum apud te, cui notissime sunt & consuetudines & quaestiones gentis Iudaicae. Quapropter te rogo ut patienter me audias. Principio, quod quidam obijciunt me peccare aduersus legem, quam sit falsum, omnis mea uita ad hunc usque diem acta satis declarat. Quanquam enim Tarsi natus sum, tamen a primis annis inter Iudaeos institutus sum Hierosolymis, ubi & legem studiose didici ad pedes Gamalielis. Itaque uitam meam pure religioseq; actam inter gentis meae homines, & in omnium celeberrima ciuitate nouerunt Iudaei, qui me ante multos annos cognouerunt, ex quo primum Hierosolymis uersari coepi, si modo uelint id quod sciunt profiteri. Neque enim solum Iudaicae religionis sedulus cultor fui, uerumetiam eam sectam, quae ceteris & religionis studio, & legis exactissima cognitione praecellit, amplexus sum, nimirum pharisaeorum. Impudenter autem accusant me parum esse Iudaeum, qui fuerim & sim pharisaus, quasi quis Iudaeum esse neget, qui Hierosolymis sit natus. Nam ex Iudaeis pharisaeorum secta praecipue credit futuram corporum resurrectionem, & unumquemque prout in uita hac se gessit, praemia sortiturum. Nec unquam desciui a secta pharisaica: quin & nunc ob spem felicitatis quam deus re promissit patribus nostris, his qui pie transegerunt hanc uitam, sto subiectus iudicio. Quod si crimen est sperare quod deus promissit suis cultoribus, mihi crimen hoc cum multis commune est. Etenim duodecim tribus gentis nostrae, quo tandem animo colunt deum instanter nocte ac die, nisi quod sperant sese ad hanc felicitatem ab eo promissam peruenturas? Vix igitur Iudaei nomine dignus uidetur, qui non sperat, quod deus promissit. Atqui ob hanc spem, rex Agrippa, nunc potissimum uocor in ius a Iudaeis. Scio multis absurdum uideri, si quis dicat corpus semel mortuum ac putrefactum reuiuiscere. Sed multa uidentur hominibus absurda, quae post comperiunt esse uerissima. Si quis praedicet hominem ab homine posse reuocari ad uitam, merito uideatur absurda dicere. Verum quur incredibile iudicatur apud uos, si deus, qui potest quicquid uult, suscitare mortuos? An qui uitam dedit omnibus, non potest quibus uult reddere? An illum mendacem esse credimus, ut quod promissit, non sit praestaturus? Quin & mihi usuuenit, ut quod prius uidebatur absurdum, post compererim uerissimum: & quod antea uidebatur impium, & legi nostrae aduersum, post compererim & pietatis & religionis esse caput: adeo, ut quo animo nunc in me sunt Iudaei, hoc ipse quondam fuerim in discipulos Iesu Nazareni: aduersus cuius nomen rebellans totis uiribus, existimabam me religiose facere, si quantis possem malis illius professores affligerem: quod & feci Hierosolymis. Multos enim sanctos conieci in carcerem, impetrata ut id facerem a summis sacerdotibus autoritate, quumq; occiderentur detuli sententiam. Nec Hierosolymis tantum, sed per omnes synagogas, ubicunque conciliabula illorum deprehenderem; puniebam illos, malis huc adigere studens, ut in sanctissimum nomen illud essent blasphemi, quemadmodum ego tum eram. Nec his contentus, maiore etiam insania debacchatus sum in illos, adeo ut in exteris etiam ciuitates, ac procul ab Hierosolymis semotas proficiscerer, ut eius nominis professores afficerem supplicio. Cumq; totus intentus huic crudeli negotio, non ex malicia, sed studio legis patriae proficiscerer Damascum, armatus autoritate summorum sacerdotum, die medio, rex Agrippa, uidi e coelis subito promicare lucem multo clariorem splendore solis. Ea circumfudit & me, & comites meos qui aderant. Quum autem omnes attoniti fulgore luminis decissemus in tetram, audiui uocem loquentem ad me, ac dicentem Hebraica lingua: Saul, Saul, quur me persequeris? Durum est tibi iactare calces aduersus stimulum. Hic ego respondi: Quis es domine? Tum ille contra: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris

& 5 ris

ris. Sed surge, & erige te in pedes tuos. Ideo deieci persequutorem, ut erigam praconem hominis mei. In hoc enim nunc apparui tibi, ut à me deiectus, & hæc quæ uidisti, testificeris atq; exequaris, & ea quæ in posterum per uisiones significabo tibi. In quibus omnibus adero tibi protector, eripiens te de populis ac gentibus barbaris proculq; semotis, ad quas nunc te legatum mitto, ut quemadmodum tu nunc liberatus ab errore, pro cæco factus es oculatus, ita prædicatione ueritatis Euangelicæ, aperias oculos eorum, ut à tenebris errorum acuitiorum, quibus hætenus detinentur, conuertantur ad lucem Euangelicam: utq; qui hætenus idololatriæ dediti, mancipia fuere Satanae, transferantur ad deum, qui dominus est omnium: & qui hætenus omni turpitudinis genere fuerunt inquinati, nunc per fidem Euangelicam gratis accipiant remissionem omnium peccatorum: quiq; hætenus dicti sunt non populus, alieni à deo, alieni ab omni cōsortio sanctorum, nunc sortem accipiant inter eos qui sanctificati sunt, non per circumcisionem aut legis obseruationem, sed per fiduciam erga me, quia credunt Euangelio. Nec enim cuiquam alia uia nunc contingit sanctificari. Hæc, Agrippa rex, neq; noctu, nec in somnis acta sunt, sed clara luce fulgorem conspeximus multi, & uocem clare loquentem audiuius. Vnde certus hæc à deo cœlitus geri, non me præbui inobedientem cœlesti uisioni, sed omisso negotio quod institueram, longe diuersum agere cœpi, prius ac potius ducens exequi quod deus mandarat, quam quod summi sacerdotes. Nam statim Damasci, mox Hierosolymis, deinde per omnes Iudææ regiones, deniq; & inter gentes uarias ac procul semotas prædicabam Euangelium, ut uitæ superioris poenitentiam agerent, et conuerterentur ad idolis mutis ad deum uerum ac uiuum: utq; semel purgati baptismo, deinceps facerent opera digna ijs, qui uere resipuissent. Hanc ob causam Iudæi, quum me uidissent in templo, comprehensum tentabant interficere. Nec armis humanis hætenus me defendi, sed protectore deo, cuius iussu facio quod facio, subsisto usq; in hodiernum diem, testificans tum maximo cuique tum minimo, de his quæ iussus sum omnibus absque delectu personarum prædicare, nullam nouam doctrinam ex me comminiscens, sed nihil aliud prædicans, quam ea quæ Moses ac prophetae prædixerunt futura. Siquidem & Iudæi hæc solent disputare de Christo ex uaticinijs prophetarum, an Messias esset uenturus, malis hominum mortiq; obnoxius, an esset omnium primus auspicaturus resurrectionem corporum, an lumen ueritatis annuntiaturus primum populo Israelitico, deinde & gentibus. Hæc omnia quum prædicta sint à prophetis & Mose de Messia; prædico non esse expectandum alium Messiam, quandoquidem ista iam expleta sunt in Iesu Nazareno: nihilq; iam superesse, nisi ut per poenitentiam uitæq; nouitatem omnes sese præparent in illius reditum, quando uenturus est iudex totius mudi. Quum Paulus hæc aliaq; multa pro sui defensione diceret, Festus, qui nihil intelligebat rei Iudaicæ, pro deliramentis ducens, quæ dixerat de uisione, deq; resurrectione corporis, clara uoce dixit: Insanis Paule. Euenit tibi quod multis solet. Multitudo literarum tibi sanam mentem eripuit. Ad hoc Paulus: Non insanio præstantissime Feste. Siquidem insanía est, per errorem mentis à uero delirare. Ego uero sobrius, quæ uera sunt eloquor: quæ scire, uera sanitas est. Hæc enim ita se habere nouit rex, apud quem his de rebus eo liberius loquor, quod existimē nihil illi latere eorum quæ narro. Neq; enim res in angulo gesta est, sed in propatulo, deinde rumor per uniuersam Iudæam dimanauit. Mox Paulus uersus ad Agrippā, ait: Credis rex Agrippa prophetis? Scio quod credis. His qui credit, non potest non credere Euangelio, prædicanti factum, quod prophetae futurum prædixerant. Agrippa uero sermonem interrompens, dixit Paulo: Modica ex parte persuades mihi ut fiam Christianus. Tum Paulus: Equidem illud optarim à deo, non tantum modica ex parte, uerum etiam magna: nec te modo, sed omnes etiam qui me audiunt hodie, esse tales, qualis ego sum, exceptis hisce uinculis. Hæc ubi dixerat Paulus, surrexit rex ac præses & Bernice, simulq; ceteri qui assiderant. Quumq; secessissent de negotio comunicaturi, discessum est ab omnibus in hanc sententiam, ut dicerent nihil admissum à Paulo dignum morte aut uinculis. Itaque futurum erat, ut dimitteretur Paulus, nisi rex Agrippa dixisset Festo præsidi: Poterat hic homo absoluta causa, missus pellasset Cæsarem.

CAPVT XXVII



Itaque quum ex sententia regis Agrippæ decretum esset, ut Paulus quemadmodum appellaret Cæsarem, iret in Italiam, tradiderunt Paulum, cumque hoc alios quosdam uinctos Centurioni nomine Iulio, cohortis Augustæ. Conscendimus autem nauim quæ uenerat ex Hadrumeto Africæ ciuitate, quæ nos exponeret in Asiam minorem, quod ea iuxta oras Asiæ esset itura, perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi, qui nauigationis etiam comes esse uoluit. Itaque postridie quàm soluissimus Cæsarea, appulimus Sidonem. Hic Iulius Centurio, quoniam Paulum constituerat tractare humaniter, permisit ut egressus nauim, iret ad amicos, si quos haberet Sidone, atque ab illis curaretur. Hinc rursus ubi soluissimus, non commisimus nos spaciofo mari, sed ad læuam præterlegimus littora Cypri, eo quod uenti essent aduersi. Atque ita pelagus, quod est contra Ciceriliam ac Pamphylia, emensi, peruenimus Myram, ea est in littore Lyciæ. Hic Centurio nactus aliam nauim, quæ uenerat ex Alexandria Aegypti, nauigatura in Italiam, transposuit nos in illam. Quumque multis diebus tarde nauigassimus, uixque tandem deuenissemus contra Gnidum, uidelicet reflante uento, defleximus cursum ad insulam Cretam, iuxta ciuitatē eius insulæ littoralem, cui nomen Salmon, siue ut nonnulli uocant, Sammonium. Hanc quum agre præternauigassimus, peruenimus ad aliud Cretæ littus, cui nomen Pulchri portus. Huic loco erat uicina ciuitas Lasæa. Porro quum multum iam temporis in hac nauigatione consumptum esset, Paulus, quum perspiceret quod iam inciperet esse periculosa nauigatio, non solum ob id, quod uentis aduersantibus non possent tenere cursum quem uolebant, uerum etiam quod ultra iustum tempus non curassent corpus cibo, admonuit nautas, dicens: Viri, perspicio quod hæc nauigatio futura est cum iniuria, multoque damno ac periculo, non tantum oneris & nauis, uerum etiam uitæ uestræ, quare præstiterit à nauigando desistere. Porro Centurio magis auscultabat gubernatori & nauclero, quàm Pauli monitis. Quoniam autem illic non occorrebat portus idoneus ad hibernandum, complures hoc cepere consilium, ut si quo modo possent, perueherentur usque ad Phœnicem. Is est portus Cretæ prominens in mare ad uentum Africum & Corum. Interea quum aspiraret Auster, rati se uoti fore compotes, ut Phœnicem peruenirent, soluerant à littore Asi, ea est Cretæ ciuitas, ac præterlegebant oram Cretæ. Verum haud multo post obortus est uentus subitus ac uiolentus, omniumque maxime formidatus nautis, quem uocant Typhonem. Idem à plaga mundi unde fiat, dicitur Euroaquilo, quod inter Eurum flet & aquilonem. Is cum impetu suo corripuisset nauim, nec posset obniti tempestati, dedimus uela uentis, & arbitrio uentorum ac fluctuum ferebamur. In insulam autem quandam delati, quæ Cretæ est ad Austrum nomine Claudæ, agre potuimus obtinere scapham, ut si quid accideret, esset præsidio. Qua tandem sublata in nauem, & alijs item auxilijs utebantur, funibus subcingentes nauim, ne uado illisa facile solueretur: metuebant enim ne uentus impelleret in Syrtim ad Austrum uicinam, quò Typhon ferebat, simulque demisere uas ad retardandum nauis impetum. Atque his præsidijs adiuti ferebamur. Porro quum non conquiesceret tempestas, sed magno periculo iactaremur, sequenti die uenerunt ad extrema præsidia, ac proiectis oneribus in mare, iacturam fecerunt, quò nauem subleuarent. Rursus perseuerante tempestate, tertio die etiam nauis armaimenta nostris manibus proiecimus. Porro quum ad dies complures neque sol appareret neque sidera, ac tempestas semper grauior urgeret, iam omnis ceperat desperatio salutis. Accedebat huc, quod occupati difficultate nauigationis, multo iam tempore non sumpserant cibum. Hic Paulus astans in medio illorum, dixit: Oportebat, o uiri, prius obtemperare cōsilio meo, quo monui uos, ne solueretur à littore Cretæ. Sic enim hoc incommodum & rerum iacturam uitassetis: id quoniam mutari non potest, superest ut uel sero sapiatis. Nolite despondere animū. Nullus enim ex uobis peribit. Tantum nauis erit iactura. Non hæc ex me somnio, sed nocte hac astitit mihi angelus dei, cuius ego sum minister & cultor, dicens. Ne metuas Paule, nō hic peribis, sed oportet te prius sisti Cæsari. Nec tu solus euades incolumis, sed omnes hos qui sunt in nauis tecum, tuis precibus donauit deus. Quapropter bono, inquā, animo estote uiri. Nihil enim dubito.

quā

quín quemadmodum per angelum suum promisit deus sic futurum sit. Quod si queritis, qua ratione possit consuli uita omnium, oportet nos in insulam quandam eijci, ibi nauis fracta seruabimur. Porro ubi decimaquarta nox superuenisset, iamq; nauigaremus in mari Adriatico, nauæ prospicientes circa medium noctis, suspicati sunt sibi apparere regionem aliquam. Qui uolentes experiri, an eò tuto possent appellere, demiserunt funiculum alligato plumbo, quem nauæ à iactu bolidem uocant, ac reppererunt profunditatem passuum uiginti: pauloque longius prouecti, ac rursus demissa bolide, reppererunt passus quindecim. Cæterum ubi sentirent decrescere profunditatem, metuentes ne inciderent in loca aspera ac saxosa, iactis de puppi ancoris quatuor, optabant oriri diem, quo certius dispicerent, quæ nam appareret regio. Nauæ uero, desperata nauis, quoniam senserant se non procul abesse à terra, primum sibi studuerunt consulere, eoque scapham demittunt in mare, dissimulantes se parare fugam, sed prætexentes, quasi ob uim tempestatis uellent & à prora ancoras demittere. Paulus autem non ignarus quid agerent, & sciens ad seruandos cæteros, qui erant in nauis, nautarum opera fore opus, admonuit Centurionem ac milites: Nisi isti, inquit, manserint in nauis, uos seruati non potestis. Hoc audito, milites gladijs inciderunt funes scaphæ pendentis, ac passi sunt illam excidere in mare. Cum autem rarefcente nocte inciperet apparere dies, Paulus hortabatur omnes ut cibum sumerent, dicens: Dies hinc decimusquartus est, quod perseveratis esse ieiuni, nec ullo cibo curastis corpora, quapropter hortor uos, ut sumatis cibum: hoc ad salutem uestram pertinet, ne liberati à tempestate, fame periclitemini. Non est enim quod cogitatis, quorsum attinet sumere cibum mox perituros. Nam hoc promitto uobis, quod nulli uestrum peribit uel capillus de capite. Hæc loquutus Paulus, sumpto in manus pane, gratias egit deo in conspectu omnium: cumq; fregisset, domini Iesu exemplum referens, cepit comedere. Porro Paulum oratione tum exemplo iam omnium recreatis animis, sumperunt et ipsi cibum. Summa autem omnium qui eramus in nauis, erat ducti septuaginta sex. Expleti cibo, subleuabant nauim quo propius posset appellere in terram, eijcietes in mare triticum, quod ex Aegypto uetere Romanorum granario deuehebant in Italiam. Vbi uero iam diluxisset, terram quidem quam uidebant, non agnoscebant. Cæterum animaduenterunt eam habere sinum quemdam hinc atq; hinc porrectio littore, in quem destinabant, si possent, nauim impellere. Sublatis igitur ancoris, mittebant se maris, simul laxatis & gubernaculorum iuncturis, quo possent & his uti ad dirigendum quod uellent nauis impetum. Tum sublatis in altum uelis, antennis ad uentum offlexis, secundum aure flatum tendebant ad littus. Cæterum quum non possent obtinere sinum quem petebant, sed uiuentorum incidissent in locum promissum in mare, huc impeerunt nauim. Ac prora quidem infixæ uado, manebat immobilis, puppis uero soluebatur ui undarum. Itaq; iam nihil supererat, nisi ut natando suæ quisque uitæ consuleret. Hic militum consilium erat, ut uinctos occiderent ne quis quum enatasset, effugeret. Hoc barbarum & immane consilium cohercuit Centurio, cupiens seruare Paulum, cuius consilio ipsi seruarentur. Verum ne quis omnino periret, iussit ut qui natandi essent periti, se primos abijcerent in mare, & natatu in terram euaderent. Qui natare nescirent, partim nixi tabulis, partim alijs nauis instrumentis adiuti, reciperent sese in terram. Hac ratione factum est, ut omnes tandem euaderent in terram.

CAPVT. XXVIII.



Quum appellerent, non agnoscebant quæ nam esset insula, uerum posteaquam euassent in terram, ex incolis cognouerunt, quod Melite uocaretur. Ea est inter Epirum & Italiam, spectans Siciliam ad septentrionem. Barbari uero miseri calamitatis nostræ non mediocrem humanitatē nobis præstiterunt. Nam accensa pyra, recipiebant nos omnes simul & hymbri & frigore afflictos. Vbi uero Paulus congregasset sarmentorum multitudinem, & posuisset super ignem, uipera quæ illic latrans prius frigore torpuerat, excitata calore prorepit, ac mordicus arripuit manum Pauli. Barbari uero Melitæ, ut uidere letalem bestiolam pendentem à manu Pauli, dicebant: Omnino hic homo necesse est ut sit homicida quispiam: quem cum tempestas eiecerit in columen terræ, tamen ultio diuina non sinit in terris uiuere. Paulus autem ut sensit uiperæ morsum, excussit eam in ignem, neq; quicquam præterea passus est mali. At illi existimabant futurum, ut ueneno dilapso

lapso per uenas, incenderetur atque intumesceret, aut repente mortuus cōcideret, uel uenenū recta penetrante ad cor. Tandem quum illi diu expectassent quid accideret Paulo, uiderentque nihil illi accidere mali morfu uiperæ, rursum barbarica leuitate mutata sententia, dicebant illum esse deum. Nondum enim audierant Melitæ de Iesu, qui hoc donarat sui nominis professoribus, ne uis ulla uenenī, quantū uis præsentanea, posset ipsis nocere. Porro iuxta lītus illud in quod appulerāt, erant prædia primatis eius insulæ, nomine Publij, qui nos exceptos in ædes suas, triduo benigniter tractauit. Eodem tempore Publij pater febribus ac dysenteria laborabat, adeo grauiter, ut etiam lecto decumberet. Paulus autem memor præcepti dominici, ingressus est ad ægrotum, ac precibus ad deum fuis imposuit illi manus, ac sanauit eum. Id factum ubi rumor sparsisset per insulam, cæteri quoque qui laborabant, adibant Paulum, & sanabatur. Quāobrē illi donec illic cōmorabamur, plurimū officiorum in nos contulerunt: & dum adornaremus nauigationē, imposuerunt in nauim ad cōmeatum necessaria. Mensibus itaque tribus in insula transactis, nacli sumus nauim alteram Alexandrinam, quæ in Melite hybernauerat. Huic erat insigne Castor & Pollux, quos Græci dioscoros appellant, putantque bene fortunare nauigationē, si cōiuncti insideant antennis. Hanc ingressi soluimus à Melite. Posteaque appulsemus Syracusas, ea ciuitas est Siciliæ maritima, cōmorati sumus illic triduo. Soluentes Syraculis, ac præterlegentes Siciliæ littora, deuenimus Rhegiū Italiæ ciuitatē in agro Brutiorū. Ab ea ciuitate breuissimus traiectus est in Siciliā. Nam hac parte olim Sicilia cōtigua erat Italiæ, donec uis maris intercurrentis diuulsit utranque regionē, interfuso freto non amplius quā M.D.P. in latum, unde & nomē inditū à Græcis Rhegio. Hinc post unū diem, afflante uēto cōmodo, nimis Austro, delati sumus Puteolos. Vbi quum nacli essemus aliquot Christianos, rogati sumus, ut aliquādiu cōmoraremur illic. Itaque morem gerentes illorū uoluntati, subsecdimus illic dies septem, unde rectā profecti sumus Romam. Quoniā autē iam rumor Romam pertulerat ad fratres, nos eō aduētuos (nam Pauli nomē apud Romæ agētes Christianos, cum primis erat celebre ob epistolā ad illos scriptam) prodierunt nobis obuiā ex urbe usque ad Appij forum, ad locum cui nomen tres tabernæ. Horum cōspectu uehementer recreatus est Paulus, intelligens & illic esse, qui sincero pectore fauerent Euangelio: & actis deo gratijs, sumpsit fortem ac bene sperantem animum. Demum ubi peruenissemus Romam, Centurio reliquos uinctos tradidit principi exercitus. Cæterum Paulo permisum est ut maneret solus, unico tantū adhibito milite, qui seruaret eū. Quoniā autē uinctus unā cum alijs perductus est Romam, ne quis Iudæorum suspicaretur eum ob aliquod maleficium ista pati, post tertium diem conuocauit primores Iudæorum Romæ degentium, apud quos ita loquutus est: Ego, uiri fratres, quum nihil admissem aduersus populum meum, aut instituta maiorum, uinctus Hierosolymis, traditus sum in manus Romanorum, delatus Cæsareā ad præsidem Felicem, deinde ad Festum. Qui quā causam examinassent, uoluerunt me absoluerē, eo quod, ut ipsi fatebantur, nihil in me cōperissent capitis supplicio dignum. Verum odiose reclamantibus Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem: non quod ob hanc causam sim offensus gēti meæ, paremque criminationē ullam apud Cæsarem, & odiū quo laborat augeam, sed ut meam tuear innocentiam. Omnibus enim bene cupio, qui deum pure colunt iuxta legem patriā. Hoc enim erga uos affectu ductus, iussi uos huc accersi, quando uinculis onusto non licebat uos adire, ut ex uestro conspectu & alloquio nonnihil solati caperem. Quir autem colit gens Israelitica tanto studio deum, contēptis gentium simulachris, nisi quia sperat in resurrectione pietatis suæ præmiū? Ob hanc itaque spem, quæ mihi communis est cum tota gente mea, circumdatus sum hac quam uidetis catena. Nec aliud mihi crimen potest obijci. Ad hæc Iudæorū primores responderunt hunc in modū. Quod te nobis purgas, quasi delatus ab aliquo, scito quod neque quisquam à Iudæa per līteras nobis significauit aliquid mali de te, neque quisquam inde huc ueniēs quicquam de te male loquutus est. Cupimus tamē ex te ipso discere, quæ sit tua sententiā. Nam quod attinet ad sectam istam nuper natam de Iesu Nazareno, qui resurrexit, cōpertum habemus, quod ubique in omnibus illi reclamatur, tanquam uanæ. Gratum erit igitur, si nos exactius de hac quid tu sentias docueris. Id quum Paulus libenter se facturū respōdisset, præscripto die rursus ad illum cōuenerunt Iudæi, plures quā antea uenerant, in hospitium ita

tium in quo Paulus uersabatur. Quibus exponebat doctrinam Euangelicam, testificantem iam adesse regnum dei, nec amplius expectandum esse Messiam, docens hunc esse Iesum Nazarenum: idque demonstrans ex figuris legis Mosais, ac uaticinijs prophetarum ostendens quicquid erat adumbratum in lege, quicquid pradicatum à Mose & prophetis, in Iesu palam ac plene exhibitum esse. His de rebus cum Paulus copiose dissertisset à mane usque ad uesperam, quidam ex coetu Iudaeorum crediderunt orationi Paulinae, quidam non crediderunt. Quumque inter sese non essent concordēs, coeperunt abire, Paulo prolixae orationi unum adhuc uerbum adijciēte, quo taxaret illorum incredulitatem, qui tam manifestis legis ac prophetarum de Iesu testimonijs non desinerēt dissidere. Bene, inquit, spiritus sanctus de uobis uaticinatus est per Esaiam prophetā ad patres nostros, quorum obstinatam incredulitatem uos refertis. Vade, inquit, ad populum istum, & dic ad illos: Auribus audietis, nec intelligetis: & oculis cernetis, nec uidebitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauerunt, & oculos suos compresserunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, conuertanturque & sanem ipsos. Proinde scitote, quod haec salus quae per Iesum offertur à deo, quando uos respuitis, deferretur ad gentes. Respuit enim qui non credit: nec capax est huius gratiae, qui fidem non habet Euangelio. Vobis primum annūciatum est donum dei. Sic enim iusserat dominus: Oportebat autem uos potissimum credere, qui profitemini legem & prophetas, sed aduersus haec omnia habetis oculos oclusos, aures obturatas, & cor incrassatum, reclamantes manifestae luci ueritatis Euangelicae. Gentes autem, quae nec deum nouerunt, nec legem habent, aut prophetas, à simulachris suis conuertentur, & per fidē assequuntur hanc diuinam benignitatē, quam uos aspernamini gratis oblatam. Haec quum dixisset Paulus, discesserunt ab eo Iudaei, multam habentes inter ipsos disceptationē. Mansit autem toto biennio in aedibus quas conduxerat, excipiens humaniter omnes qui ipsum adiebant, siue Iudaeos, siue incircumcisos, pradicans illis regnum dei, ac docens cum omni fiducia, nemine prohibente doctrinam Euangelicam, proferēs uaticinia olim prodita de domino Iesu: tum illius facta, dicta, promissaque ad ea conferens.

F I N I S

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PA-

TRI AC DOMINO, DOMINICO CARDINALI GRIMANO

Veneto, titulo sancti Marci, Erasmus Roterodamus S. D.



VIBVS nouum uideri solet reuerendissime pater, quor Paulus A/
postolus πολυγλωττατος Romanis Græce, quàm Romane scri-
bere maluerit, mirari desinent, si perpenderint primum, illis tempori-
bus Græci sermonis usum penè tam late patuisse, quàm late Roma-
num patebat imperium. Deinde Romanis ipsis adeo quondam in-
delicijs fuisse Græcicas literas, ut ea res Satyrarum cõuitijs sit ex-
agitata. Siquidem apud Lucilium Sequola ridens Albutium, ut plus
æquo ἐλλίσσας, χαίρει, inquit, prætor Athenis: & apud Iuvenalem
stomachatur quispiam, negans se ferre posse Græcam urbem. Quanquam ita Græce lo-
quutus est Apostolus, ut à mere Græcis non satis queat intelligi, ob passim admixtâ He-
braï sermonis proprietatem. Quod si maxime Græca, ac pure Græca fuisset oratio, mul-
tum tamen adhuc difficultatis superesset lectori, quod quum scriberet rudibus adhuc, &
nuper Christo initiatis, mysteria quædam magis attigit, quàm traclauit, & indicauit ue-
rius, quàm explicuit, uidelicet tempori seruiens. Nunc uero cum Roma tota adeo sit Chri-
stiana, ut illic totius Christianæ religionis sit arx culmenq, ac per uniuersum terrarum
orbem Romane loquantur quicunque Romanum agnoscunt pontificem, uidebar mi-
hi facturum operæ precium, si effecissem ut Paulus iam mere Romanis, ac plene Christia-
nis, non solum Romane, uerum etiam explanatius loqueretur: atq; ita loqueretur Roma-
ne, ut Hebræum quidē non agnoscas, agnoscas tamē apostolum loqui. Solitus est ille mu-
tare linguam, semper obseruata apostoli dignitate. Non hic attollam uerbis, quanti mihi
constiterit hoc quicquid est opusculi, quod id sciam nemini procliue uel æstimare, uel cre-
dere, nisi qui ipse periculum in simili negotio fecerit, quid sit hiantia committere, abrupta
mollire, confusa digerere, inuoluta euoluere, nodosa explicare, obscuris lucem addere, He-
braïsmū Romana ciuitate donare: deniq; Pauli, hoc est cœlestis oratoris mutare linguam,
& ita temperare ἡραρρασι, ne fiat ἡραφρόνους, hoc est sic aliter dicere, ut tamen non dicas
alia, præsertim in argumento non solum tot modis difficillimo, uerum etiam sacro, ac ma-
testati Euangelicæ proximo: in quo cum in lubrico uerseris, & labi sit facillimum, citra gra-
ue periculum labi non possis. Illud modo testabor, ingenue magis quàm arroganter, non
multum laboris accessurum fuisse, si iustum commentarium in hanc epistolam ædere uo-
luissim. Arbitror autem huiuscē opæ præmium abunde magnum mihi persolutum, si
meo studio sensero perfectum esse, ut Paulus primum tibi, deinde per te cæteris Romanis
sit aliquanto commendatior, aut certe familiarior, quibus & commendatissimum & fami-
liarissimum esse par est. Compertū enim habeo quàm multos antehac sermonis peregrini-
tas, quanto plureis tum explicationis, tum rerū difficultas alienarit ab eius lectiōe. Quan-
quam à tam eximio fructu non oportebat ullis incōmodis deterreri. Horum igitur uel fa-
stidio, uel desperationi, hæc nostra industria studuimus succurrere, ita negotium tempe-
rantes, ut ei qui nolit quicquam in sacris literis immutari, commentarij uice sit futurum,
rursus ei qui uacet huiusmodi superstitione, Paulus ipse loqui uideatur. Amplectere Ro-
ma principem, aut certe præcipuum religionis tuæ magistrum. Exosculare priscae lau-
dis tuæ præconem: redama eum, qui te nōdum uisam adamauit. O feliciter commutatam
sortem felicitatis tuæ. Olim sub tyrannīs Cæsaribus mutis simulachris litabas, nunc sub
Petro & Paulo terrarum orbi præsides: olim eras superstitionum omnium ancilla, nūc es
ueræ religionis magistra. In Iouis Capitolini locum successit Christus solus Opt. Max. In
principis locū Petrus & Paulus suis uterq; dotibus summus, in augustissimi illius senatus
uicem successit toti orbi reuerendus Cardinaliū ordo. Si quid te mouent fornices, aut py-
ramides pristinae superstitionis uestigia, cur non magis te capiunt in horum libris recepte
religionis monumenta? Adriani statuā, aut Domitiani miraris thermas. Quin potius Pe-
tri Pauliq; sacrosanctas epistolas amplecteris? Si iuuat in Salustianis aut Liuianis libris fa-
bulosa uetustas, à quibus initijs ad orbis tyrannidem breui ruituram fueris euecta uultu,

Varius in di-
cendo Paulus

Laus Roma/
norum

Cardinalium
ordo

*Sic laudat ut
admoneat*

*Roma Ba
bylon*

rum auspicijs: cur non magis iuuat in apostolorum & Euangelistarum literis agnoscere, quibus primordijs ad ecclesiae monarchiam nunquam cessaturam peruenieris, auspicijs Christi: Vt apud Iudaeos sacrosancti quondam templi, hodie ne uestigiū quidem ullum extat, ita tui Capitolij, quod quondam uanissimi uates aeternum fore pollicebantur, adeo nullae supersunt reliquiae, ut ne locum quidē possis ostendere. Si Ciceronis linguam miraris, de qua uix pronuncies plus ne profuerit, an obfuerit reipub. cur non magis delectat Paulina facundia, cui salutis ac religionis tuae summam debes: Semper auda laudum fuisti, habes tam grauem, tam inclytum gloriae tuae buccinatorem. Quid triumphalius quam apostolico ore laudari? Agnosce Romane, agnosce quid tibi tribuat Paulus, ut intelligas quae laudes tibi sint tuendae. Audi quid moneat, ne nescias quid tibi sit cauendum. Fidem laudat, quae nusquam adhuc fuit incorruptior: obedientiam praedicat, quae fecit, ut cito superstitionē religione mutares. Facilitatē tribuit, cui solet esse comes credulitas, hęc in causa fuit, ut à pseudapostolis in Iudaismū pellicereris. Sed aderat facilitati prudentia, quae fecit, ut mature resipisceres. Subnotat animi celsitudinem, atq; ob id tam sollicitē deterret à fastu & insolentia, à luxu auocat ad sobrietatem, à libidinibus ad castimoniam, à ferocitate ad tolerantiam, à diffidijs ad concordiam, à bellis ad pacē. Hęc est indoles uere Romana, à qua degenerare sit turpe. Vide ne Roma degeneres in Babylonē. Fatetur diuus Hieronymus suis etiam nū temporibus laudatā Paulo religionis extitisse documenta. Vbi, inquit, alibi tanto studio & frequentia ad ecclesias & ad martyrum sepulchra concurritur: ubi sic ad similitudinē coelestis tonitruī amen reboat, & uacua Idolorum templa quatiuntur: Non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi ecclesiae, sed quod deuotio in eis maior & simplicitas ad credendū. Magnificū quidē Hieronymi testimoniū: At idem quid dicturus sit si nunc uideret eadē in urbe tot ecclesias, tot cardinales, tot episcopos, si conspiceret ab uno hoc certissimo Christi oraculo ab uniuersis mundi principibus responsa peti: Huc religionis causa ex ultimis usq; terrarū angulis agminatim concurrere: Parum Christianum sibi quenq; uideri, nisi Romam, nisi Romanū pontificē uiderit ceu numen quoddā terrestre, ut à cuius nutu ac renutu, res uniuersae mortalium pendeant: Deniq; licet neneret sub LEONE decimo cōpositis bellorum procellis, Romanā urbem, non minus literis, quam religione florentē: ut quae una tam multos habeat ecclesiastica dignitate praeminentes, tot uiros omni doctrinae genere insignes, tot mundi lumina decoraq; ut orbem uerius, quam urbē dixeris. Nihil optandū à superis, nisi ut perpetuo suis laudibus respondeat, perpetuo felicitatem suam pietate superet, maiestatem anteat bonitate. Id fiet, si Petri ac Pauli, quorum auspicijs praesidioq; regnat, pectus uitaeq; pro uiribus studeat exprimere. Atqui horū imaginem nusquam expressiorē magisq; uiuam liceat reperire, quam in ipsorum literis. Interea Pauli fragmentū libentius amplectentur, amplissime pater, si tuis istis manibus porrigetur, qui studiorū omnium, praesertim eorum quae cum linguarum peritia coniuncta sunt, mirum quendam Mœcenatem agas, sic nihilominus integritate morum conspicuus, ut inter tot clarissima lumina, tamen eluceas atq; emineas, non ita quidem, ut alijs offundas tenebras, sed ut per se illustribus & ornatis, plurimum addas lucis ac decoris. Bene ualeat tua pietas. Louanij, Anno M. D. XVII. Idib. Nouemb.

ARGUMENTVM IN PARAPHRASA

SIN SEQUENTEM, PER DES. ERAS-

MVM ROTERODAMVM.



AM quo res sit dilucidior, argumentum epistolae paucis explicandum. Atq; ut exordiar ab ipso nomine, quanquam me non fugit Hieronymum in commentarijs, quos scripsit in epistolam ad Philemonem, in hac esse sententia, ut existimet apostolum prius uocatum Saulum. Pauli uero cognomen ceu trophaeum usurpasse à Sergio Paulo proconsule, quem Christo crucifecit, quem admodum legimus in Actis apostolorum, Capite XII. Rursus alios esse quibus placeat in Iudaismo dictum Saulum, mutata religione simul & nomen mutasse: tamen alteram minus probabilē facit, quod Lucas hoc ipso, quod modo citauimus, capite scribit: Saulus qui &

qui & Paulus repletus spiritu sancto, haud obscure declarās, eū binominē fuisse prius q̄ Sergius Paulus esset conuersus: alteram planē refellit, quod cum alijs aliquot locis, tum in eodem capite Saulus dicitur, iam Christi prädicans Euangelium. Dixit illis spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam. Proinde mihi uero propior uidetur Origēnis opinio, quemadmodum in ueteris instrumenti libris, aliquot comperimus diuersis nominibus notatos, uelut Idida dictum, qui aliās uocatus est Salomon: & Oziatm alicubi dictum, qui alibi sit Azarias, Item in Euangelicis literis Lucæ dictum Leui, qui se in suo Euangelio Matthæum nominat: ita Paulo geminum fuisse uocabulum, quanquam ipse in suis epistolis se nunquam Saulum appellat, sed ubiq; Paulum, fortassis ob id, quod Pauli uocabulum Græcorum ac Romanorum, ad quos scribebat, auribus esset familiarius. Saul enim sic à Saul Hebræa uoce deflexum apparet, ut Græci à Ioseph Iosephum deflexerunt. Paulus autem Hebræis sonat mirabilem, si tamen ferendum putamus Romanæ seu Græcanicæ uocis etymologiam ē peregrina lingua peti. Quod tamen Hieronymus cum alicubi in alijs reprehendat, hic sibi permittit, opinor, ut in re non admodum seria. Certe Græcis sonat quietum, Latinis pusillum. Saul Hebræis sonat postulatū: & si Ambrosio credimus, inquietudinem siue tentationem, atq; hoc sonat, sed Græcis σαυλος. Atq; hæc quidem de ratione nominis, ut in argumento penē plus satis. Cæterum dictauit hanc epistolam, excipiente Tertio, quod is quoq; in calce epistolæ testatur, adijciens: Saluto uos ego Tertius, qui scripsi epistolam in domino. Missam apparet ē Corintho, per Phœben foeminam Cenchreensem. Est autem Cenchreæ portus Corinthiorum, haud procul ab urbe diffitus. Quod si tempus quoq; requiratur, scriptam apparet post utraq; ad Corinthios epistolam (unde putant in hac absolutæ iam & confirmatæ pietatis argumenta potissimum elucere) id temporis, cum peragrata iam Achaia, in qua Corinthus est, & huic finitima Macedonia usq; ad Illyricum, ac non solum prædicato ubiq; Christi Euangelio, in his duntaxat locis, in quibus aliorū apostolorum nemo prædicauerat, uerū etiam iuxta Petri monita, collecta à suis aliquanta pecunia in subsidium pauperū, adornaret iter Hierosolymam: ut exhibito quod acceperat, illinc proficisceretur in Hispaniā, Roma iter facurus, atq; illic obiter salutaturus Christianos de quorū fide ac religiōe audierat, cū ipsos nondū uidisset. Acciderat enim illis diuersum quiddā atq; Galatis. Siquidem hi primum recte à Paulo instituti, postea fraude pseudapostolorū circūuenti sunt, & retracti in Iudaismum. Contra Romani primum male instituti à pseudapostolis, simulatq; pro sua prudentia senserant fraudem, resipuerūt: & in eo quod rectum esse cognouerunt, perseuerabant. Nam in ecclesiæ nascentis primordijs erāt, qui existimarent Euangelij gratiam, quoniam Abraham posteris, & Iudaicæ genti peculiariter promissa uidebatur, nō esse statim propagandam in profanas gentes, & simulachrorū ac dæmonū cultui deditas. A qua sententia & Petrum apparet fuisse non prorsus alienū, qui uiso monendus erat, ut Corneliū Centurionē admitteret: quo nomine mox illi exhibitū est negociū Hierosolymis, expostulantibus ijs qui ex Iudaismo cōuersi fuerant ad Christū, quod cū incircuncisis habuisset commercium: atq; in his probabile est & apostolos aliquot fuisse. Sic em̄ legimus in Actis Ca. 11. Audierunt autē apostoli & fratres, qui erant in Iudæa, quoniam & gentes receperunt uerbum dei. Cum autē ascendisset Petrus Hierosolymā, disceptabant aduersus illum qui erant ex circuncisione, dicentes: Quare introisti ad uiros præputiū habētes, & manducaisti cum illis? Erant rursus, qui licet non existimarent gentes prorsus arcendas ab Euāgelij consortio, nō admittēdas tamē ducebāt, nisi circūciderētur ritu Iudaico, perinde quasi Christus egeret ad miniculo legis Mosaicæ, simul ut Euangelij gloriā in gentē suam transferrēt. Et in Actis apostolorū Cap. 11. proditum est, eos qui ob persecutionem, quæ accidit à morte Stephani, profugerant in Phœnicen, in Cyprum & in Antiochiā, nemini prædicasse Christum, nisi solis Iudæis. Rursus Cap. 15. Quidam Iudæi ueniunt Antiochiam, palam aduersus Paulum & Barnabam prædicantes, nō esse spem salutis, nisi iuxta Mosis præscriptum circunciderentur: tantusq; tumultus per hos concitatus est, ut coactio concilio decretū sit, ut Paulus & Barnabas unā cum aduersarijs Hierosolymam irent, & lis apostolorū ac seniorum arbitrio cōponeretur: atq; illic rursus actiter obnitentibus nonnullis, præsertim factionis pharisaicæ Christianis, cuius fuerat et Paulus, coacta est synodus apostolorū & seniorum, ac Petri Iacobiq; autoritate, decretum est, ne gentes onerarentur lege Mosaica,

Binomines in
sacris literisEtymologiā
non recte peti
ex aliena lin-
guaScriba
Locus

Tempus

Argumentum
epistolæOpinio apo-
stolorum in
titio

tantum temperarent ab esu suffocati animatis, à sanguine, à carnibus simulachro immo-
latis, & à stupris: quod tamen pro ratione temporum, inuincibili Iudæorum superstitioni
datum esse, uel illud argumēto est, quod tria illa iam olim uidemus esse sublata, ac prorsus
abolita. Ex eodem fonte nata est illa Pauli cum Petro concertatio Antiochiæ, cum genti-
um Apostolus cernēs suos ob Petri simulationē periclitari, palam illum redarguit, quem
admodum refert ipse in epistola ad Galatas cap. 2. Rursum Hierosolymis autore Iacobo
quo purgaret iam inter Iudæos sparsum rumorem, quod retrahere uideretur à lege Mo-
saica, cum cæteris caluicium induxit capiti, & iuxta ritum Iudaicū purgatus, munus ob-
tulit in templo sicuti refert Lucas Actorū Cap. 21. Quo quidem ex loco uidetur Iacobus,
tamen si gentes prius onere legis Mosaicæ propemodū liberasset, esse tamē in hac sententiā,
ut putaret à Iudæis exigendam esse legis obseruationem, uel in hoc, ut placarentur ij, qui
nondum sic profecerant in Euangelica ueritate, ut possent omnino patrios ritus contem-
nere. Sic enim loquitur Iacobus: & scient omnes quia quæ de te audierunt falsa sunt, sed
ambulas & ipse custodiens legem. Nec alia de causa, opinor, totondit caput ex uoto Cen-
chreis capite decimo octauo. Cōsimili necessitate circumcidit Tīmotheum capite decimo-
sexto, cum esset matre quidem Iudæa natus, sed patre ethnico. Tantæ molis erat ex Iudæo
facere Christianum. Est enim ei genti peculiaris quædam pertinaciā, nec ulla fuit unquam
sua religionis tenacior, ut elegāter docet Iosephus in apologia Iudaicarum antiquitatum.
Ad hæc ut Iudæorum natio tum omnibus orbis nationibus erat peculiariter inuisa, ita ui-
cissim omneis execrabantur illi ceu impuros, profanos & impios, adeo ut nec congressu
dignarentur, & templum suum pollui crederent si quis forte incircuncisus esset ingressus.
Tantum erat præcisæ pelliculæ supercilium. Cum igitur spes non esset, fore ut Græci Ro-
maniq; legem uulgo inuisam reciperent, & incredibili pertinaciā reclamarent Iudæi, Pau-
lus intelligens periculum esse, ne tam exitiabili dissidio magna ex parte periret Euan-
gelij fructus, & Christi gloria Mosaici nominis obscuraretur admixtu, hoc in primis agit
ubiq; ut legis ceremonias abroget atq; antiquet, omnemq; salutis adipiscendæ fiduciam
in unum Christum transferat. Sicut autem Galatas acriter, sed tamen amanter obiurgat,
quod essent in Iudaismum adducti: ita Romanos præmunit & instruit, ne à pseudaposto-
lis, quos sciebat nusquam cessare, illaqueentur incauti, sed in recta doctrina, quam ample-
cti coepissent, persisterent. Erat enim Romæ ingens Iudæorum numerus, siue illuc à Pom-
peio translatus, siue quod iam Romanorū esset prouincia Iudæa, quorum superstitio cre-
bro & apud Iuuenalem atq; Horatium, & apud Senecam notatur. Cum quibus & Paulo
multum negocij fuisse, posteaquā Romam peruenisset, testatur extremum caput Acto-
rum apostolicorum. Ac miro consilio singularis artifex sermonem temperat inter Iudæos
& gentes, dum studet omneis omnibus modis ad Christum pellicere: neque uult, si fieri
possit, quenquam omnino mortalium perire suo duci, cui militabat. Itaque nunc hos ob-
iurgat, nunc illos, nunc rursus erigit, ac subleuat. Gentium superciliū deprimat, ostendens
nihil illis profuisse, neque naturæ legem, neque philosophiam cuius professiōe tuebant,
quo minus in omne scelorum dedecus prolaberentur. Rursum Iudæorum arrogantiam
coercet, qui legis fiducia perdidissent id quod erat totius legis caput, fidem in Christum
Iesum, docens legis ceremonias antiquatas esse iam coruscante Christi Euangelio, quem
legis umbræ deliniarant: abrogata iam ocia sabbatorum, circumcisionis iniuriā, Calen-
darum recursus, ter quotānis redeuntē ferias, delectum ciborum, in singulos dies iterum
sordidanda lauacra, pecudum innoxiarum lanienam, templi religionem assiduū inquina-
ti cædibus: Has rerum umbras emicante luce ueritatis euanescere: Veros esse filios Abra-
hæ, qui fidē Abrahæ referrent: uere Iudæos esse, qui Christū profiterentur: uere circūcisos,
qui mentē haberent à foedis cupiditatibus repurgatam: Veram iustitiā ac perfectā salu-
tem citra legis auxilia per Euangelij ac solam fidem in Christū cōferri ex æquo omnib.
licet ea salus peculiariter olim esset promissa Iudæis, sed ita his promissa, ut propheta non
tacuerint fore ut illis reiicientibus ad gentes prædicatio Christi propagaretur: Per legem
Mosaicā, quam illi carnaliter obseruabant, uerā iustitiā nulli cōtingere, sed per fidem: idq;
docet tum exēplo Abrahæ, tum uarijs ipsius legis testimonijs. Et ad eum modū detractio
utrisq; supercilio, adempta utrisq; fiducia, omneis æquat in negotio fidei Euangelicæ, ita
gratulans saluti gentium, ut suæ gentis cæcitatē paterno deploret affectu, licet illam ubiq;
pertina-

*Iudaice gētis
pertinaciā*

*Sūma doctri-
næ Paulinæ*

Ceremoniæ

pertinacissime infensam experiretur; atq; id per se durum, ita mitigat, ut dicat nec omneis excaecatos, & fore ut aliquando resipiscat Iudeorum tota natio, fide gentium prouocata. Atque hic obiter uaria multiplexq; doctrina de prefinitis, siue predestinatis, de preescitis, de uocatis, de gratia & merito, de libero arbitrio, de diuino consilio nobis inscrutabili, de lege naturæ, de lege Mosi, de lege peccati. Varij quidam allegoriarum fontes, dum duos facit Adam, alterum quo nascimur iuxta carnem mortales: alterum quo renascimur immortales futuri. Duos homines, internum & externum: internū spiritui & rationi parentem, externum cupiditatibus & affectibus obnoxium: quorum priorem aliquando spiritum appellat, posteriorem interim corpus siue membra, interim carnem, aliquoties legem peccati uocat: Duplicē mortē, corporis & animi, & tertiam, qua morimur peccato & peccandi affectibus: Triplicē item uitam, qua uiuimus corpore, qua animo, & qua uiuimus iustitiæ & peccato: Duplicem seruitutem aut libertatem, qua uicissim uel innocentia seruimus, emancipati à peccatis, uel peccatis seruimus liberi à iustitia: Duplicem Iudaismum, duplicem circumcisionem, geminos posteros Abraham: Duas parteis legis Mosaicæ: carnalem, ueluti corpus: spirituale, uelut animam legis: Duplicem baptismum, quo primum abluimur à peccatis pristinis sacro lauacro, & quo Christo commorimur, abdicatis mundi affectibus: Duplicem sepulturam, corporalem, qua triduo sepultus est Christus: & spirituale, qua nos semoti à mundi uitijs, requiescimus in illo: Duplicem resurrectionem, alteram quæ præcessit in Christo, in nobis secutura, alteram qua nos à peccatis pristinis re diuini progredimur à uirtute ad uirtutem, hac parte quoad licet futurā immortalitatem meditantur: Duplicem iustitiam, dei & hominum: Duplex iudicium, dei & hominum: duplicem gloriam, siue laudem, apud deum & apud homines. His dissertis transit ad locum moralem, in primis adhortans ad mutuam concordiam, exemplo membrorum corporis: & quoniam pax constare nō potest, ubi fastus est aut liquor, obsecrat ut obsequijs mutuis, mutuū amorem alant foueantq;. Romanos ut Iudeorum infirmitatem ex diutina legis assuetudine relictam ad tempus ferant: Contrā, Iudeos, ne gentibus in Euangelij consortium ascitis inuideant, sed illorum fidem ac libertatem potius æmulentur: & cum idem sit omnium deus, idem Christus, eadem gratia, idem præmium, omnes in unum corpus coalescant: neque quisquam sibi arroget quicquam, sed si qua dote præcellat aliquis, eam ad fratris opem accommodet. Atque hunc locum uarie tractat, docens quales se præstare debeant erga Iudeos incredulos, quales erga Christianos superstitioniores, siue ut ipse uocat, infirmos: quales, erga superiores, quales erga inferiores, quales erga pares, quales erga principes, ac magistratus ethnicos, sed suo utcunq; fungentes officio: quales in prosperis, quales in aduersis. Deinde rursum laude Romanorum mitigat admonitionis acerbiter, & suam apud illos auctoritatem commendat, cōmemorans quanto plus cæteris promouerit in Euangelio Christi, declarat quanta teneatur illos uidendi cupiditate, & spem facit sui aduentus: curq; eum differre rogatur, aperit, laudans spontaneam Macedonum & Corinthiorum in pauperes sanctos liberalitatem, tacite ac uerecunde Romanos ad æmulandum prouocans. Caput extremum penē totum occupat salutationibus: non frigide congestis multorum nominibus, sed mire suo cuiq; addito elogio. Postremo quoniam penitus nouerat & pseudapostolorum improbam uersutiam, & Romanorum simplicitatem, ac facilitatem, admonet etiam atque etiam caueant, ne illorum blandiloquentia fallantur. Quanquam autem horum pleraque peculiarius ad eam pertinent ætatem, in qua rudis adhuc paulatim suppullulabat ecclesia, Iudeis & gentibus admixta, ac principibus ethnicis obnoxia, tamen nihil est, unde non ad hæc quoque tempora salutaris aliquid doctrinæ possit accommodari: ueluti de fugienda superstitione, quæ dissidiorum est seminarium, & sic habet speciem pietatis, ut nihil sit uere pietati aduersus: de stulta fiducia philosophiæ mundanæ & operum humanorum: de merito fidei: de uitando fastu: de toleranda alicubi minus eruditorum imbecillitate: de mutuis obsequijs alenda concordia: de ferendis aliquousque malis principibus & impijs episcopis, ne turbetur ordo status publici: de malefactis beneficentia superandis: de non iudicando quod ad te non pertineat, de commode interpretando quicquid recto animo fieri potest: de cauenda insidiosa blandiloquentia, alijsq; id genus rebus, in quibus hodieque communis hominum uita uersatur. Sed utilitatem huius epistolæ, æquat ac penē superat difficultas: idque mihi tribus potissimum

Fontes allegoriarum

Moralis locus

Salutationes Pauli

*Pauli sermo
incompositus*

num de causis accidere uidetur, siue quod non alibi sermonis ordo confusior, nusquam oratio hyperbatis magis hiulca, nusquam anantapodotis crebrius inabsoluta, quod subinde queritur interpretis Origenes, in huiusmodi difficultatibus passim lucians ac laborans. Quod utrum interpreti an scribæ Tertio sit tribuendum, an ipsi Paulo, aliorum esto iudicium. Ipse sanè agnoscit sermonis imperitiā, licet rerum inscitiam deprecetur. Rursus adeo non affectauit orationem arte humana compositam, ut eam sibi fugiendam etiam duxerit, ne quid hinc decederet gloriæ crucis. Atque ob id Origenes existimat superuacuum esse sermonis compositionem in eo requirere. Hieronymus aliās illi uindicat orationis artificium, aliās adimit, ingenue confitens, e corrupto Cilicem sermone, nonnihil traxisse uirij. Augustinus etiam rhetorum ornāmēta flosculosq; ex huius depromit epistolis. Quin & in Actis dux uerbi est, & in epistola ad Corinthios priore, supra ceteros omnes linguis loquitur. Quamuis enim, ut testatur Hieronymus, id temporis totus oriens Græce loqueretur, tamen ut consentaneum est, apud Celtas non eandem fuisse Romani sermonis castimoniam, quæ fuit Romæ: ita uerisimile est, nō parum interfuisse inter Cilicem Græce loquentē, & Atticum. Ad hæc orationis incommoda accessit Hebraismus, cuius idiomata passim refert, ita Græce loquens, ut nihilo secius interim Hebræum agnosca. Alteram difficultatis causam arbitror, quod ob rerum inexplicabilium obscuritatem, non alia sit crebrioribus impedita salebris, aut altioribus interrupta uoraginibus, adeo ut ipse alicubi relicto quod instituerat, exclamare cogatur: O altitudo diuitiarū. Quid quod quædam mysteria prudens sic attingit, ut ceu per transfennam duntaxat ostendat, pro temporum illorum ratione, proq; captu eorum, quibus scribit, orationem attemperans. Nouerat & uiderat ille quædam, quæ nefas esset homini loqui, & nouit quatenus esset opus lacte, quatenus cibo solido. Sciebat ætatum in Christo gradus, & quid cui foret adhibendum. Hoc consilio Petrus apostolus apud rudem concionem uerba factururus de Christo, uirum eum nominat, deum tacet: Tertiā opinor, crebrā ac subitā personarū mutationem, dum nunc Iudæos, nunc gentes, nunc utrinque, modo credentes, modo incredulos, respicit: aliās infirmī, aliās firmī, interim pī, interim impij personā sustinet. Quibus rebus sit, ut lector uelut in Labyrinthis ac Mæandris quibusdam inextricabilibus oberrans, nec unde sit ingressus satis uideat, nec quā sit exitus. Vt mihi non minus uere quā eleganter Origenes Paulum adsimilem faciat ei, qui hospitem in opulentissimi cuiuspiam principis palatium inducat, diuersis uiarum ambagibus, & conclauium secessibus perplexum: Quædam autem procul ostendat ex ditissimo opum thesauro, quædam propius admoueat, quædam uideri nolit, sæpe interim per aliud ingressus hostium, aliunde exeat, ut hospes ipse miretur unde uenerit, ubi sit, aut quā sit exeundum. Agnouit hoc & Petrus Apostolus, in epistola secunda testans esse in Paulinis epistolis quædam intellectu difficilia, quæ parum eruditi, parumque firmi deprauarent ad suam perniciem, Nos difficultates has pro uirilī conati sumus amoliri, nisi quod quædam Paulinæ linguæ adeo peculiaria sunt, ut aliquoties mutari non queant, uelut hæc: fides, gratia, corpus, caro, membra, spiritus, mens, sensus, ædificare, aliaque huius generis, quæ ut prorsus mutari non debuerunt, ita quoad licuit emollire studeuimus. Sed iam ipsum audiamus Romanis Romanæ, immo omnibus crassius & explanatius loquentem.

ARGUMENTI FINIS

IN EPISTOLAM PAULI

LI APOSTOLI AD ROMANOS PARAPHRASIS PER
DES. ERASMV M ROTERODAMVM.

AVLVS ego ille è Saulo factus, è turbulento pacificus, nunc per obnoxius legi Mosaicæ, nunc Mosi libertus, seruus autem factus Iesu Christi, haud quidē perfuga, desertorūe pristini instituti, sed accersitus ad huius legationis munus, ac felicius segregatus q̄ eram, cum pharisaicæ factionis propugnator, impie pius, & indocte doctus errarem: sed nunc demum uere Pharisei dignus cognomine, quippe semotus selectusq; ab ipso CHRISTO, ad obeundū negociū longe præclarior, nempe ad prædicandum Euangelium dei, nec id sanè nouum, sed iam olim ab ipso promissum propheta-

rum ipsius oraculis, quæ nunc quoq; extant in libris non quibuslibet, sed sanctis inuoluta fidei, de filio ipsius, qui in tempore natus est è stirpe Dauidica iuxta carnis infirmitatem, sed idem declaratus est æterni dei æternus esse filius iuxta spiritū omnia sanctificantem: declaratus aut cum alijs permultis argumentis, tum præcipue ex eo, quod ipse deuicta morte, resurgens è mortuis, omnibus in ipso renatis, resurrectionis princeps & autor factus est Iesus Christus dominus noster: per quē nos nō solum hanc gratiā, quam legis observatio cōferre non poterat, sumus assecuti, uerum etiā apostolicā functionem, quōquemadmodum per alios apostolos inter Iudæos diuulgatū est Euangelium Christi, ita per me prædicetur inter gentes quascunq;: non ut inuoluantur legis oneribus, sed ut sese fidei de Christo prædicatæ submittant, & huic innitantur, nō inani philosophorum sapientiæ: de quarū gentium numero estis uos quoq;, quantū ad genus attinet, cæterum adoptione asciti in ius, & cognomen Iesu Christi, ne iam sectarū aut regionū uocabula uos dirimant, cum cōmunis sit omnīū adoptio. Quotquot igitur estis Romæ deo chari, & à pristinis uicjs ad sanctūmoniam uitæ uocati, gratiā uobis opto pacemq;: non quā mundus hic uulgato more solet precari, sed uerā nouamq; gratiā, hoc est gratuitū donū Euangelicæ fidei uere iustificantis, & per hanc penitus abolitis omnibus uitæ præteritæ commissis, securæ iam conscientiæ pacem, stabilemq; amicitia cum deo: quæ duo non præstant uel humanæ sapiētiae uires, uel Mosaicæ legis observatio, sed omnibus proficiscuntur à singulari munificentia dei patris, & huius filij, domini nostri Iesu Christi. Atque in primis quidem gratias ago deo patri, uestro omnīū nomine, qui per filiū Christum hoc uobis largitus est, ut qui antehac eratis increduli, nunc fides uestra celebretur, prædiceturq; toto terrarū orbe. Quæ sanè res, p meo erga uos amore nō potest nō esse gratissima. Testis enim est mihi deus ipse pater, quē nunc solutus Mosi lege colo, nō crasis illis & corporalibus ceremonijs, sed spiritu meo, prædicans Euangelium filij ipsius (nam hic illi gratissimus est cultus) quod semper citraq; omnē intermissionē mentionē uestri faciā, in precibus meis, deprecans illū, si quā fieri possit, ut quod iam diu desidero, tandem aliquando cōtingat, ita uolente deo, ut prospero itinere feliciter ueniā ad uos. Magno siquidem teneor desiderio uidendi uos, nō mei cōpendij gratia, sed ut muneris aliquid uobis impartia: nō Mosi crassū, sed Christi spirituale: quo magis etiā cōfirmemini in eo quod institutis, siue ut melius dicā, ut mutua sit utrīq; nostrum consolatio, dum et ipse uobis de uestra fide, & uos mihi uicissim de mea gratulabimini: atq; ita fiet, ut exhortatio mutua, uestra simul ac meā fidem corroboret fulciatq;. Id quo minus sit factū hactenus per me quidē haud quaquā stetit. Imò nolim uos illud latere fratres, mihi frequenter in animo fuisse uos inuisere, uerū ad hunc usq; diem nō licuit per impedimēta, quæ inciderūt: ob hoc aut causæ uos tantopere cupiebā inuisere, ut inter uos quoq; non nihil fructus reportarem, quemadmodū in cæteris nationibus antehac feci. Neq; enim hanc Euangelij prædicandi operā à deo mandatā, huic aut illi genti proprie debeo, sed ut ille deus est ex quo omnium, ita Christi Euangelium æque ad omnes pertinet. Euangelium autē uoco, iustificationem per fidem in Iesum Christū filium dei, quē lex promisit & præfigurauit.

In scripturis
sanctis

Ex resurre/
ctione mort/
uorum

Dilectis dei
uocatis san/
ctis

In Euangelio
filij eius

Itaq; non Græcis modo, uerumetiam Barbaris, non sapientibus & eruditis tantum, sed rudibus quoque & illiteratis operam hanc debeo, quisquis fuerit ille, qui non reijciat & auerfetur. Proinde quod ad me quidem attinet, gestit animus, & uobis qui Romæ agitis, Euangelium prædicare. Nec enim hinc me deterret imperij Romani maiestas, neq; pudendam mihi duco functionem, si prædicem Euangelium Christi. Nam ut impijs & incredulis res ridicula friuolaq; uidetur hoc Euangelium, ita quisquis crediderit, huic uirtus est dei efficax ad conferendam salutem, uereq; tranquillandam conscientiam, quod nec Iudæorum traditiones, nec uestra philosophia, opes ue conferre queant. Ea uis cum æque ualeat omnibus, tamen ita ut iussit dominus honoris causa primū Iudæis oblata est, mox in Græcos & omnes orbis nationes propaganda per Euangelij præcones, ut omnes pariter & suā agnoscerent iniustitiam, & dei quærerent iustitiam, siue Scythæ sint, siue Britannī. Procul autem abest à salute, qui aut morbum suum nō intelligit, aut unde petendum sit remediū, ignorat. Cum enim antehac alijs in rebus alijs sitam esse iustitiam existimarēt, nunc Euangelio Christi palam sit omnibus iustitia, nō Mōsi, sed ipsius dei, quæ non sita sit in superstitioso cultu simulacrorum, aut legalibus Iudæorum ceremonijs, sed ex fide contingat, dum agnoscunt homines, id nunc præstare deum, quod olim ore prophetarum suorum promiserat. Quemadmodum & Abacuc prædixit: iustus, inquit, meus ex fide uicturus est. Nam cum hactenus pleriq; mortales impune, ac ceu conniumente deo peccarint, nūc palam e cœlo declarat iram suam, merito accensam, aduersus omnes homines, quocunq; modo impios & iniustos, etiam istos, qui à Mosaiica lege sunt immunes: eo quod ueritatem utcunq; cognitam non accommodarunt ad pie sancteq; uiuendum, sed perseuerarunt in uitijs, cumq; plus saperent quàm uulgus hominum deum ignorans, nihilo tamen minus impij fuerunt illis. Totus quidem ut est deus, humano ingenio cognosci nequaquam potest, cæterum quod in humanam cadit cognitionem, id illi sunt assecuti, quanquam hoc ipsum illi debent. Neque enim assecuti fuissent, nisi deus hoc illis aperuisset, Aperuit autem si non prophetarum libris, quibus Iudæis modo locutus uidebatur, certe totius huius fabricæ mundanæ miraculo. Quamuis enim inuisibilis est ipse deus, tamen intellectu conspicitur in hoc mundo tam mirifice condito ac tam mirifice administrato. Cuius licet initium aliquod præcesserit, & finis secuturus sit, tamen ex huius opificio perspicitur conditoris uirtus, quæ nec initium ullum nouit, neq; finē est habitura, quin ipsius etiā diuinitas, qua semper in seipso summus fuit etiam ante conditum mundum, ne quid haberent, quod prætexant impietati suæ. Etenim cum deum esse cognoscerent, haud tamen ut deo honorem habuerunt, uelut omnium principij: neq; gratias egerunt, uelut omnium bonorum auctori, cui hoc ipsum scientiæ ferri acceptum oportuit, quo tuebant: sed inanis aura gloriæ turgidi, uaniq; facti, frustrati sunt cogitationibus suis, & arrogantia nebula obtenebratum est insipiens cor eorum: atq; hoc ipso stulti & indocti sunt facti, quod se iactarent esse sapientes & eruditos. Vide autem quō cæcitatē, quocq; stultitiæ deuentum est. Adulterarunt maiestatem immortalis dei, adumbrata imagine mortalis hominis: nec hominis modo, uerumetiam uolucrum, quadrupedum, & serpentium. Atq; ob hunc prodigiosum dei cultum, passus est eos ire præcipites, ut animi sui cupiditatibus obsequentes, eō prolaberentur turpitudinis ac spurciciæ, ut ipsi inter sese dedecorarent corpora sua, probrisq; afficerent. Nec iniuria in hæc uitiorum portenta prolapsi sunt, qui deum cognitū, ob animi fastum tam portentuose colerent, ut qui pro uero deo mendacem & arte confictam statuam adorarent, ac præpostere res cōditas uenerati sunt, colueruntq; supra eū qui condidit omnia, contumeliosi in deum, qui solus laude ferendus est, & hoc honoris solus apud homines meretur in omne æuum, Amen. Has, inquā, ob causas offensus deus, passus est eos prolabi in cupiditates fœdas ac probrosas. Neq; enim ipsi solum uerumetiam fornicariæ illorum, oblitæ sexus sui, naturalem foemine corporis usum mutauerunt in eum qui præternaturam est: nimirum exemplo masculorum, qui, ut dixi, relicto naturali usu foeminarij, mutuis cupiditatibus inter ipsos deflagarūt, adeo ut mas in marem abominandam turpitudinem patraret. Atq; his modis cōtumelia in deū admissa, in ipsos recidit, dignum amentia præmium. Nam quemadmodum ipsis non est uisum, deum cognitum agnoscere, præq; oculis habere: ita uicissim passus est eos deus suis tenebris excæcatos, abire in mentem

Iudeo primū
& Græco

Ex fide in fide

Et mutauerūt
gloriam

Qui est benedictus
in seculum

In mentem reprobam, idque eò usque, ut patrarent flagitia eiusmodi uiris uehementer indigna, quanquam & aliàs omni genere scelerum operi, scortatione, auaritia, uersutia, undique contaminati liuore, cæde, contentione, dolo, malitia; malis præditi moribus, fures, obtrectatores, numinis offores, feroces, superbi, fastuosi, scelerum inuētores, parentibus immorigeri, expertes intelligentiæ, incompositi, uacantes omni pietatis affectu, nescij fœderis, immisericordes. Hi cum deum esse sciant, eundemque summe iustum esse sciant, unde necesse sit eos qui patrant eiusmodi flagitia, dignos esse morte: non solū ipsi committunt eadem, uerumetiam alijs ea committentibus assentientes, indoctis peccandi sunt autores.

CAPVT II



Nec ita magni refert, quod hæc flagitia philosophi uerbis detestantur, magistratus lege prohibet ac puniunt. Assentitur enim quisquis imitatur. Quas ob res nihil habes quo te excuses, quisquis es hominum, qui tibi placens, alterum iudicas. Imò dum alterum iudicas, hoc ipso teipsum condemnas: quandoquidem iudex eadem committis, quorum nomine damnas alium.

Cumque simili culpæ sis obnoxius, in teipsum pronuncias sententiam, dum in alterum pronuncias. Hominibus imponi potest, horum iudicium fortassis effugies, qui coniecturas ac speciem ueri sequentes, pronunciant, cæterum arcana mentis non perspiciunt. At deus, cuius oculis conspicua sunt omnia, non iuxta speciem, sed iuxta ueritatem sententiam feret aduersus eos, qui patrāt eiusmodi flagitia, quæ modo recensuimus. An tibi usque adeo blandiris o homo (se putet appellari, quisquis sibi conscius est) dum iudicas eiusmodi uitæ obnoxios, ut existimes effugere te posse iudicium dei, cum ipse committas eadem: cumque tibi pœnas det homo homini, te non daturum pœnas Deo: & elaberis ab illius iudicio, cum tuum iudicium homines non possint effugere. An dei lenitas tibi spem facit impunitatis, & ob immensam & exuberantem bonitatem suam, quodque pœnam differens multa toleret, tibi uenit in contemptum, quasi uel ad commissā conuiueat, uel faueat etiam maleficijs: Nec intelligis hanc diuinam in te lenitatem, haud quidem impunitatem polliceri nocentibus, sed blande inuitare ad pœnitentiam ac resipiscentiam, ut beneficijs illius obrutus, incipias tandem tibi displicere. Cæterum tute dei in te mansuetudinē ipse tibi uertis in cumulum damnationis tuæ. Dum enim obstinata mente, quæ nullis rationibus ad pœnitentiam queat emolliri, deum ad meliora prouocantem aspernaris ac repellis, recondis & accumulas tibi thesaurum iræ diuinæ. Quæ etsi in præsentia sese nondum proferat, tamen aliquando sentietur: nimirum in tremendo illo die, cum iam cōsumpta lenitate, hoc seuerius afficientur supplicijs impij, quo contumacius reiecerunt ad meliora prouocantem dei mansuetudinē: cumque in conspectu omnium aperiatur iustum dei iudicium, qui nequaquam hominum more iudicabit aut errans, aut fauens, sed ut incorruptissimus, & omnium conscius iudex, quique pro suis factis præmium reponet, alteris quidem uitam æternam: nempe his, qui nunc freti promissis Euangelicis perseverant in pijs operibus, ambiuntque non caduca, uanaque uitæ præsentis commoda, sed uitam in cœlis æternā, pro temporaria ignominia dabit sempiternam gloriam, pro contemptu honorem, pro neglecta corporis uita, immortalitatem. Alteris rursus, qui peruerse contentiosi maluerunt iniustitiæ, quam ueritati obtemperare, digna factis merces erit, nimirum indignatio, iraque diuina, atque hinc afflictio, animique anxietas: eaque pœna manet ex æquo mortales omnes quicunque peccarunt, sed in primis Iudæum & Græcum, ut primas teneant in pœnis, quibus primum oblata est Dei benignitas. E diuerso gloria, honor, & pax, ex æquo rependetur omnibus, quicunque per fidem bene uixerint, sed in primis Iudæo, mox Græco, dein Barbaris omnibus. Nec enim est apud Deum ullus personæ respectus, quemadmodum apud homines iudices solet, sed is idem pariter & æquus est omnibus. Proinde quicunque peccauerunt ex leges, ex leges item peribunt: & quicunque lege accepta peccauerunt, per legem iudicabuntur. Neque enim satis est audisse legem, ut iustus habearis apud deum, ne quid hoc nomine tibi blandiaris Iudæ: sed qui factis ac moribus legem exprimunt, præstātque, hi denique iudice deo iusti habebuntur. Amplectitur deus, approbatque benefacta, etiam si nulla sit lex, & magis auersatur eos, qui cum legem habeant, legi non obediunt, quanquam nullis omnino deest lex. Etenim cum nationes à lege Mosaica alienæ, ultro naturæ ductu, quæ lege iubentur

*Scimus enim,
quoniam iudicium dei est*

*Thesaurizas
tibi iram dei*

Nō enim auditores legis tantum iusti sunt

Qui ostendunt opus legis scriptum iubentur, faciunt, quamvis nullo legis Mosæ præscripto moneantur, tamen ipsi sibi legis uice sunt, propterea quod rem legis exprimunt, non tabulis, sed ipsis mentibus insculptæ, & quicquid apud eos, qui sub lege uiuunt geri solet apud tribunal, hoc in istorum pectore geritur, dum pro te, aut aduersum te testimonium dicit conscientia: dumque altercantes inter se cogitationes, uicissim accusant ac defendunt. Secundum hæc igitur *In die cum iudicabit dominus occulta hominum* iudicabit illos deus olim, cum quod nunc occulte fit in præcordiorum latebris, tum propterea fiet sub oculis omnium, pronunciante eo, cui nihil est occultum. Verum hoc iudicium aget deus per Christum filium, nunc dominum ac seruatorem, olim iudicem futurum totius humani generis. Atque hæc quidē Euangelij, quod uobis prædico, pars est, ne quis fabulam aut somnium esse putet. Quid est igitur quod tibi legis nomine placeas Iudæus? *Si autem tu Iudæus cognominaris* En tu Iudæi cognomento tibi placens, ac legis à deo proditæ priuilegio fretus, deum uelut autorem tuæ religionis iactas, cuius animū uoluntatemque scias ex sacris literis ab eo profectis, ac magisterio legis edoctus, ut non solum ipse dignoscas, quæ fugienda, quæ expetenda sint, quæque in bonis præcipua, uerum etiā confidas te cæcis esse ducem posse, ac præluere ijs qui in tenebris uersantur, hoc est doctorem esse posse stultorum, atque eruditorem parum sapientium, quod hoc tibi præstiterit lex, ut formā, uitæque præscriptum, ac ueri normam teneas, num ob id in Euangelij gratia ethnico præferendus es? Non opinor, imò lex facit, ut deteriore etiam causam sis habiturus apud tribunal dei, nisi secundum legem, de qua gloriaris, uitam institueris. Itaque scientia quam iactas, in te reorquebitur. Quid enim mihi te iactas legis ostentator? qui alterum doces, te ipsum non doces? Qui prædicas non esse furandum, ipse furtum committis? qui denuncias uitandum esse adulterium, ipse committis adulterium? qui simulachrorum cultum execraris, ipse sacrilegio pollueris? Qui de lege deo autore data temetipsum apud homines iactas ac uenditas, idem transgrediendo legem, deum legis autorem dedecoras ac dehonestas, & unde tibi gloriā aucuparis apud alios, hoc illi uertis in probrum, cui soli omnis debetur gloria? Quid enim est istud aliud, quam dehonestare deum, quod quidem in te est, nam ad ipsum nulla peruenit ignominia. De talibus enim & olim questi sunt sacri uates, nominatim autem Esaias & Ezechiel. Nomen, inquiunt, dei per uos male audit, ac probris afficitur, & ignominiosum habetur uestra culpa inter gentes idolis deditas; dum dei legisque titulo gloriantes, impie uiuatis. Neque enim satis est Iudæum esse natum, aut in Iudæorum religionem coopratum esse: sed eatenus profuerit tibi circumcisio, si id præstes, cuius gratia data est circumcisio, scilicet uitā præstes, quod ceremonijs profiteris. Alioquin si legem transgrederis, nihil conferet circumcisum esse, cum apud deum perinde sit, quasi præputium habeas incircumcisum. Iam quemadmodum tibi circumcisio uertitur in præputium, nisi reliqua item legis edicta præstes, quæ ad bonos mores faciunt: ita nihil ob erit ethnico præputium, imò pro circumciso habebitur ipsi deo, si ignoratis & neglectis legis ceremonijs ea præstet, in quibus summa legis finisque situs est, uidelicet integrā puramque uitam: scilicet Christo, qui legum omnium est summa, fidat & obtemperet. Imò non solum æquabitur tibi hac in parte, quin etiā præferetur, ut hoc ipso te melior habeatur, quod circumcisionem nesciat: ideoque huius innocentia damnabiliorem ostendet tuam impietatem, quod is alienus à legis professione, legis tamen finem ac mentem uitæ eximat, cum tu uerbis ac syllabis legis innitens, & circumcisionis nota legem professus, uiolens id quod est totius legis caput Christo reclamans. Apud deum, qui non ex corporeis notis, sed animi pietate iudicat, Iudæi nomen amisisti, nisi Iudæi professionem præstiteris. Neque enim Iudæus est, quisquis manifestā Iudaismi notam corpore circumfert: neque hic circumcisus est, quisquis præputij pelliculam habet amputatam, sed is demum Iudæus est, qui intus & in animo Iudæus est, quem ille solus inspicit, & hinc æstimat omnes. Is demum circumcisus est, qui cor habet circumcisum potius quam genitale membrum, non saxo insculptis literis fretus, sed spiritu ac mente legis. Etenim cui caro est tantum circumcisa, apud homines quidem ut Iudæus gloriari potest: cæterum quem animus à uitijs purgatus, & pronus in Christum uere Iudæum reddidit, ut fraudetur sua laude apud mortales, certe deus hunc agnoscit & approbat, cuius calculo comprobati, solida felicitas est.

Non enim qui in manifesto Iudæus

CAPVT III



Ed dixerit hic quispiā, si summa rei pendet à pietate uitæ & innocentia morum, ac fide in Christum, quid igitur reliquū sit Iudæo, quo præcellat ethnicum: aut quid omnino retulit circuncisum fuisse, si pietas & fides æquat circuncisum & incircuncisum, imò si circūcisio, Iudæi peccantis causam facit deteriorem? Quod ad Euangelij gratiā attinet, nihilo potior est Iudæorum

*Quid igitur
amplius est
Iudæos?*

quàm gentium conditio. Attamen aliquo respectu magni refert omnino Iudaicæ gentis esse. Primum enim hoc nomine iure illis gloriari licet, quod his proprie cōmissa sunt uerba dei, siue quod his peculiariter lex & prophetiæ proditæ sunt, siue quod his solis deus loqui dignatus est. Primum magnificum est, hoc honoris habitum fuisse à Deo ei genti, deinde multo præparatior uidetur ad fidem Euangelicam, qui legis promissa tenet: & uero propior est, qui ueri tenet imaginem. Si quidem Mosi lex & prophetarū oracula gradus est ad Euangelicam Christi doctrinā. Neq; enim credentibus officit, si non-

nulli literis legis male addicti credere noluerunt Euangelio. Num istorum incredulitas fidem diuinorum promissorum redditura est irritam, ut hominum more offensus pacta rescindat, & nulli præstet quod omnibus ex æquo promissum est? Absit hoc, quin potius ita futurum est, ut nemini non præstetur promissum, nisi qui reiecerit oblatū, ut iam promissoris fidem incusare non possit, ut appareat deus uerax, qui cum mentiri nesciat, paratus sit exoluere quicquid est pollicitus, Cæterū mendaciū ab ipsis hominibus pro-

*Nunquid in-
credulitas illo-
rum, fidē Dei
euacuat?*

ficisci, qui suapte culpa frustrantur promissis dei: Deus nec falli potest, nec fallere. In hominem utrunq; cōpetit quatenus homo est. Nam dei fidē certissimā esse testatur & psalmus mysticus Dauid. Vt in dictis, inquires, tuis appareas iustus & uerax, & ipsa re uincas, quoties ut uanū pollicitatorē te incusabūt homines, suspicātes fore, ut ob meū scelus non præstes, quod genti Dauidicę pollicitus es. Merebar ipse frustrari promisso, sed refert tamen fidem ac ueritatē tuā ita cōmendatiorē ac testatiorē fieri mortalibus meo peccato, si cōspexerint te ne tanto quidem admissio offensum uertisse sententiā. At hic alicui forsitan in mentē uenerit. Si dei iustitia cōmendatior spectatiorq; redditur hominū iniustitia, quid sentiendum est? Deum iniquū esse, qui uelit existere peccatū quo magis eluce-

*Omnis homo
mendax*

scat sua iustitia? Iam enim nō meis, sed impiorū hominū uerbis loquor. Sed absit, ut hæc cogitatio pio homini unquā in mentē ueniat. Alioqui quo pacto deus erit iudex summus huius mundi, si iniquus est? Nam si id à deo procuratum est, ut ego sim mendax, quo per meam mendacitatem ueritas illius reddatur illustrior, meumq; probrū cedat in gloriam ipsius, cur mihi peccatū meum imputatur, ac nō potius ita cogitamus, quemadmodum maledici nos calumniātur, sic interpretantes, quasi nos ita loquamur: faciamus mala, ut hinc eueniant bona, siquidē per nostrā iniustitiā cōmendabilior facta est dei iustitia. Sed

*Secundum ho-
minem dico*

procul auertat deus hanc cogitationē à pijs animis. Nam isti iure meritoq; damnātur ob incredulitatem, quoniā ut deo non possunt imputare peccatū suum, cuius ipsi sua sponte sunt autores: ita nihil gratiæ debetur eis, si quod ipsi suo uitio peccāt, deus sua bonitate uertit in gloriā suā. Sed ut ad rem redeā, quid dicemus? Nū Iudæi potiores sumus ethnici? Nequaquā. Sanē quantū ad Euangelij gratiā attinet, etiā si prærogatiua Mosaicæ legis aideamur priores. Iam enim argumētis docuimus Iudæos pariter & Græcos omnes culpæ obnoxios esse. De gentibus quidem manifestius est, q̃ ut negari possit. De Iudæis autem testantur & ipsorum psalmi. Sic enim scriptum est psalmo decimotertio: Non est iustus quisquam: non est qui intelligat, aut exquirat deum: omnes defecerunt, pariter inutiles facti sunt, non est qui exerceat probitatem, nō est, inquam, uel unus. Iterum psalmo quinto: Sepulchrum apertum est guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt, uenenum aspidum sub labijs eorum. Atque item psalmo nono: Quorum os execratione & amarulentia plenum est. Et his consentiens Esaias: Veloces pedes illorum ad effundendum sanguinem, contritio & calamitas in uis eorum, & uiam pacis non cognouerunt, non est timor dei sub oculis eorum. Neque causari licet, hæc ad Iudæos non pertinere: cum palam sit, quicquid lex loquitur, ad eos potissimum attinere, quibus ea data est, & ob hoc habet magis obnoxios. Atque id sanē non alio consilio factum est, nisi ut ex æquo mortalibus omnibus os obstruatur, totusq; terrarum orbis declaretur pariter ob-

*Quorū dam-
natio iusta est*

noxius Deo, quando nec Moyse lex iuxta literam obseruata quenquam omnino mor-

*Quia ex ope-
ribus legis nō
iustificabitur
taliū*

talium potest iustum & innocentem reddere iudicante deo, cui nisi iustus sis, frustra hominibus habere iustus. Sed dixeris: Quis igitur usus legis, si per hanc non contingit homini iustitia? Certe in hoc profuit, quod per eam suum quisque peccatum magis agnoscit. Est nonnullus ad sanitatem gradus, morbum suum intelligere. Porro sicut legis partes erant antehac, prodere peccatum hominum prius minus evidens: ita nunc per Euangelium declarata est iustitia, quæ Mosaicæ legis adminiculo non egeat, tametsi testata est eam lex & prophetæ. Iustitia, inquam, non legalis, sed dei, idque non per circumcisionem aut Iudaicas ceremonias, sed per fidem ac fiduciam erga Iesum Christum, per quem unum uera iustitia confertur, non Iudæis modo, aut his, aut illis nationibus, sed citra delectum omnibus & singulis quicunque illi fidem habuerint. Sicut enim communis est omnium morbus, & omnes pariter huc reciderunt, ut apud deum de sua iustitia gloriari non possint, ita eodem est fonte petenda cunctis iustificatio, quæ quidem haud rependitur ceu debita merces observatæ legis Mosaicæ, siue etiam naturæ, sed gratis donatur beneficentia diuina, non per Moysen, sed per Iesum Christum, cuius sanguine redempti sumus à tyrannide peccati. Erat quidem olim Iudæis suum propiciatorium, nunc uero delictum umbra typusque futuri: cæterum hunc omnibus nunc uerum propiciatorium esse declarauit, quo prius nostris commissis inuisi, nunc reconciliemur deo, non per sanguinem pecudum, uelut apud Iudæos, sed ipsius Christi sacrosanctum sanguinem, omnia omnium crimina diluentem: hoc pacto declarans hominibus suam iustitiam, dum ita per filium superioris uitæ condonat errata, ut nolit eos posthac in uitia recidere. Nec ideo condonat, quod illi meruerint, sed quod ipse promiserit. Nec ideo passus est hucusque peccantes homines, quod illorum uitia uel nesciret, uel probaret, sed ut hoc præfinito tempore palam faceret suam iustitiā, ut appareat ipsum esse natura uereque iustum ex se, & unicum humanæ iustitiæ autorem, idque promiscue omnibus quicunque fidem habuerint Euangelio Iesu Christi. Dic igitur Iudæe, ubi gloriatio tua? Nimirum adempta est tibi, postea quàm diuina uoluntas omnes orbis nationes æquat in negotio Euangelij. Defertur & gentibus salus ac iustitia. At per quam tandem legem? Num ueterem illam Mosaicam, quæ ceremonias præscribit? Nequaquam, imò per nouam legem, quæ nihil exigit nisi fidem erga filium dei. Existimamus enim, id quod res est, posthac quemuis hominem per fidem iustitiam consequi posse, etiam si Mosaicæ legis præscripta non seruet. Lex illa peculiaris erat genti Iudaicæ, uerum hoc beneficium Euangelicæ gratiæ ab ipso deo proficiscitur in uniuersos. An uero deus Iudæorum tantum deus est? Nonne idem æque & gentium deus est? Dubium non est quin ex æquo communis sit gentium ac Iudæorum. Porro cum unus, idemque sit omnium deus, par est & donum illius omnium esse commune. Itaque non est alius, qui iustificat circumcisum, à fide legis seruatorem promittentis, ad fidem Euangelij promissum exhibentis traducens: alius qui iustificat incircumcisum, à cultu simulacrorum ad communem fidem uocans. Verum hic dixerit Iudæus quispiam: Quid ais Paulus? Si uerum est quod ais, omnia nunc per fidem præstari, Moysi legem prorsus ociosam & inutilem facis Iudæis. Bona uerba. Imò a deo non abolemus legem aut labefactamus, ut eam etiam confirmemus, stabiliamusque, id prædicantes factum, quod lex futurum promiserat, eumque nunciantes, in quem ceu scopum, summa legis spectabat. Neque enim id aboletur, quod in meliorem reparatur statum: non magis quam si defluentibus arborum floribus succedat fructus, aut umbra succedat corpus.

CAPUT IIII

Quid ergo dicemus inuenisse Abrahā



Lioqui si quis hunc legis Mosaicæ statū, ut nunc est crassæ & carnalis, mor dicus tenere pergat, & huius fiducia cæteris salutis adipiscendæ spem ostendat, huic ego proponā non quemuis Iudæum, sed ipsum Abrahā, circumcissionis principē, quo stirpis autore præcipue gloriatur & iactat sese gens uniuersa Iudæorum. Quanquam is quidem quod ad carnalem attinet recognitionem, sic Iudæorum pater est, ut non minus tamen pater sit omnium, quicunque uolum fidei similitudine referunt, hoc est animi imagine reddunt, non corporis. Nam et circumcisio, quæ, ut dixi, primū prodita est in Abraham, totius Mosaicæ legis ceu pignus est ac signaculum: & ut ita dicam, peculiare symbolum quo Iudæi, Iudæi sunt. Disputamus igitur, quid is sit consecutus, & qua ratione sit consecutus. Primum epim huic contigisse

igitur iustitiæ laudem testantur diuinæ literæ. Quod si ea laus illi contigit ex circumcisi-
 onē, aut cæteris huiusmodi, quæ Mosis lex præscribit obseruanda, habet ille quidem quod
 gloriatur, uerum apud homines, non item apud deum. Quare apud homines? Nimirum
 quod ex rebus corporeis, de quibus homines iudicant. Quare non apud deum? Quia non
 ex commendatione fidei, quæ nos dei commendat oculis. Sed Abraham cōsequutus est
 iustitiæ laudem apud ipsum deū. Igitur non ex obseruatione præscriptorum legis eam est
 consecutus, sed ex eadem fide, per quam nunc omnibus Iudæis simul & gentibus est laus
 eadem ambienda, uidelicet uere filijs Abraham. Non habeant pondus quæ dico, nisi id cla-
 rissime sacre literæ pronunciant. Sic enim legis in libro Geneseos capite decimoquinto.
 Credidit Abraham deo, & ea credulitas imputata est illi ad iustitiā. Promiserat deus posteri-
 tatem stellarū numero parem ei, cui & uxor esset sterilis, & nullus adhuc hæres extitisset,
 ille nihil contatus fidem habuit pollicenti, non considerans quale esset quod promitteba-
 tur, sed quis esset promissi autor: statimq; ob fiduciæ meritū iustus est habitus, non ex cir-
 cuncisione, quā nondum acceperat, sed ex credulitate: & habitus est utiq; non apud homi-
 nes, sed apud deum, quo uno teste hoc negocij tum agebatur, & à quo illi hoc imputatum
 est ad iustitiā, cum legis Mosaicæ iustitias non præstitisset. Nam imputari, siue acceptū
 ferri proprie dicitur, quod re persoluum non est, sed tamē ex imputantis benignitate pro-
 pto circumcisionis, sed ante circumcisionem cōmendatione fidei, quid est quod legis suæ ce-
 remonijs fidat Iudæus, cui lex hæc ad tempus est data? At multo minus ethnicus, cui lex
 ea data non est. Nā Iudæo legis ceremonijs obnoxio, si quid præmij rependitur obseruati-
 ōi legem, uelut ex pacto debitum rependi uidetur, potius quā ex conferentis fauore: rur-
 sum si quid pœnæ infligitur non obseruanti, ipsius merito infligitur. Siquidem ut accipit
 diuinitum suum seruus, qui pensum operis absoluit: ita flagris emendatur, qui officij sui
 non meminit. Ceterū gentibus, quæ legis ceremonias nesciūt, aut Iudæis etiam qui à legis
 seruitute ad Christi fidem desciscunt: nec iam operantur, uelut ex præscripto, sed pure sim-
 pliciterq; fidunt illi, qui gratis perfectam iustitiā confert, etiam impijs, quorum uniuersa
 scelera sua morte sustulit: his inquā ad exemplum Abraham fides hoc præstat, ut pro iustis
 habeantur nulla legis obseruatæ cōmendatione, sed solius fidei, ad quam nemo cogitur,
 sed inuitantur omnes: ut uoluntatis sit, non seruitutis, quod in Christum credimus, gratiæ
 non debiti sit, quod in iustorū numerum per illum asserimur. Pro nobis facit & Dauid il-
 le propheta regius, & rex propheticus, prima secundum Abraham Iudaicæ gentis gloria,
 & in quo nobis præcipue promissus est Christus, unicus iustitiæ nostræ fons. Nā is psal-
 mo trigesimo primo ad eundem modum describit hanc, quæ nunc per Euangelium ape-
 ritur, hominis beatitudinem, ut declaret eam non contingere ex Mosaicæ legis operibus,
 cū debitorum, sed ex beneficentia diuina, qua ad Christi fidem trahimur. Beati, inquit, quo-
 rum remissæ sunt iniquitates, & quorum obiecta sunt peccata. Beatus uir, cui non impu-
 tarit dominus peccatum. Audis remitti iniquitates aduersus legem Mosaicam commissæ.
 Audis obtegi peccata, aduersus naturæ legem patrata. Audis nullum omnino pecca-
 torum genus imputari, iam beatitudinem adeptos per Christum, & tamē nulla sit usquam
 legis obseruatæ mentio. Non est igitur, quod hanc beatitudinem à Dauid descriptam, aut
 iustitiæ laudem Abraham tributam, Iudæi uelut horū posterij, proprie sibi uindictent, exclu-
 sis gentibus. Alioqui illud mihi respondeant: Felicitas hæc promissa utrum ad eos tantum
 pertinet, qui circumcisi sunt, & ob hoc legi obnoxij: an ad eos quoq; qui nec circumcisio-
 nem norunt, nec legis ceremonias? Certe fatetur ipsi Abraham fidem imputatam fuisse ad
 iustitiā. Atqui hoc cū sit totius gentis Iudaicæ caput, iuxta id reliquū genus oportebit æsti-
 mari. Neq; enim par fuerit nepotes sibi uindicare ius, quod in generis autore non fuerit.
 Constat iustum esse dictū Abraham, sed illud expendant, quā ob causam dictus sit: Num
 ob amputatam præputij pelliculam? an potius ob fidem, citra ullam circumcisionis com-
 mendationem? Palam est ob circumcisionem Iudaicam illi non contigisse iustitiæ laudem,
 cum id temporis nec esset adhuc circumciscus, nec iussus circumcidi. Prius credidit ex suo se-
 mine nasciturū Christum, per quem beatitudinē hanc & paternam iustitiæ laudē asseque-
 rentur omnes gentes, & ob hanc credulitatē iustus est habitus. Deinde accessit circumci-
 sio, non quæ iustitiā conferret, sed quæ symbolum quoddam ac nota foret apud homines, cepit circum-
 cisionis

Si autem qui
 operatur

Beatitudo ex
 go hæc in cir-
 cuncisione
 manet

Et signum ac
 non cisionis

non apud deum, qua dignoscerentur esse filij eius, qui deo credidisset nondum circumcisi, atque incircumcisi etiamnum sola tamen fide deo placuisset. Si circumcisi credidisset, ac iustus esset appellatus, uideri poterat huius nominis felicitas ad solos circumcisos pertinere: nunc contra priusquam circumcidi iussus esset, fidei commendatione iustus est pronuntiatus. Successit autem circumcisio, non ut iustitiae parens, quae iam contigerat, sed partim ut typus quidam uerae circumcisionis, hoc est innocentiae securitatem in his, qui credituri essent Christo, quae circumcisio non solum peragitur, glandis pelliculam refecante, sed spiritu, prauas cupiditates omnes ab animo recedente: partim ut signaculum quoddam ac pignus, quod certa esset Abrahae huius promissi fides, non continuo praestandi in Isaac, qui Christum adumbrabat duntaxat, sed suo tempore exhibendi in filio dei: atque ita demum Abraham primum exemplum fidei, intelligeretur pater omnium, qui ipsius imitatione crederent Christo, citra ullam carnalem circumcisionem: & quemadmodum illi fides fuit imputata ad iustitiam, ita his quoque ceu germanis ac legitimis Abrahae filiis imputaretur fides ad iustitiam. Atque ita fit gentium pater, ut tamen Iudaei non excludantur, si modo non hoc tantum nomine sibi placeant, quod ab Abrahae circumcisi stirpe ducant genus, nota duntaxat corporis cognitionis argumentum circumferentes, sed multo magis fidem illam exprimentes, qua nondum circumcisi deo habitus est iustus. Nullum enim certum argumentum liberos non spuriis parentibus suis asserit, quam paternarum uirtutum aemulatio. Cum enim homines abdicent ex se prognatos, suosque negent esse liberos, qui degenerant a moribus ingenioque maiorum, multo magis deus hac nota nostros a legitimis filiis discernet. Porro quemadmodum Abraham non promeritus est hoc obseruatione legis Mosaicae, quae nondum erat prodita, nec merito circumcisionis, quam, ut dictum est, nondum acceperat, ut eum deus tam magnis promissis honoraret, pollicens fore, ut totius orbis dominium ad ipsum aut posterum illius hereditate deueniret, sed fidei commendatione, qua iusti cognomen meruit: Ita non est quod Iudaei sperent huius pollicitationis diuinae ius, solo circumcisionis, aut legis titulo ad sese peruerturum. Nec enim alia ratione propagari potest in posteros, quam qua primum partum est ipsi generis auctori. Nam si quibuscumque sub lege Mosaica nasci contigit, ad hoc legis titulo pertinet Abrahae posteris promissa orbis hereditas, uidetur irrita facta dei fides, & inanis esse pollicitatio, cum constet legis beneficium non contingere cuiquam, quod deus promissit Abrahae. Tantum enim abest ut Mosaica lex tam eximiam felicitatem praestare possit, ut iram magis & indignationem inducat aeterni numinis, dum grauioris offensa ministrat occasionem. Fides contra, ex impio iustum reddit. Neque enim illic est hereditas, quae filiis debetur, ubi offensa sunt, & indignatio. Quod si roges, quomodo lex iram magis conciliet, quam iustitiam, dicam. Reum agere non potes, nisi prius lege latam poenam denuncies. Porro lex Mosaica plurima praescripsit de circumcisione, de sabbatis, de neomeniis, de ciborum discrimine, de morticinis, de suffocatis, de sanguine, de lotionibus, quae omnia sunt eiusmodi, ut obseruata non conferant salutarem illam iustitiam, & tamen qui transgrediatur reus sit, poenaeque obnoxius. Lex autem haec quoniam non alligat, nisi Iudaeorum gentem tantum, & Abrahae promissa est hereditas omnium gentium, non potest per legem carnalem, dei promissum ad omnes peruenire. Consequitur ergo, ut ex fide contingat hereditas, ut res gratiae ac fauoris non debiti uideatur. Atque ita constabit fides promissi diuini, quo posteris omnibus Abrahae, spes huius felicitatis ostensa est. Posteris autem uoco, non eos qui duntaxat per legis cognitionem ad Abraham pertinent, sed multo magis qui fidem parentum exprimunt. Par est enim ut plus habeat momenti cognatio fidei, per quam ille promissum meruit amicus dei factus, quam cognatio legis, quae offensas gignit, & reos facit. Stulte igitur Iudaei hoc patre ceu peculiari gloriantur, cum is sit pater omnium nostrum, quicumque ex quacunque natione profecti Christi fidem amplectimur. Quemadmodum testatur & ipse deus Genesis Cap. 17. cum adaucto nomine, & pro Abram dicto Abraham ait: Patrem multarum gentium constitui te. Certe uerum sit oportet, quod locutus est deus. At qui tandem pater erit multarum gentium Abraham, si is ad unam circumcisorum nationem pertinet? Imo sicut deus communis est omnium sibi fidentium, ita uoluit Abraham, qui dei typum gerebat ut Isaac Christi, esse patrem non huius aut illius nationis proprium, sed communem omnium, quas illi fidei affinitas copulasset. Non potuit autem Abraham falli credulitate sua, quandoquidem filius est illius promissi, qui non solum effecit dare potest fecundi

*Sed & his qui
sectantur ne-
stigia fidei*

*Non enim per
legem promissio
Abrahae*

*ut per gratiam
firma sit promissio
omni semini*

fecunditatem, uerum etiam mortuis uitam reddere, adeo ut postea iussus occidere filium unicum Isaac, in quo uno spes omnis posteritatis erat sita, nihil tamen addubitarit de fide promissoris, à quo sciebat illum in uitā posse reuocari, & ea quæ mortaliū opīnōne prorsus nihil sunt, perinde quasi sint aliquid, ad hanc felicitatem asciscere. Iudæi sibi uidentur uiuere, uidentur aliquid esse, gentes ceu mortuos, & nulla bona re dignos abominantur, at his plus præstat dei uocatio, quàm Iudæis sua cognatio. Ac sanè digna erat fauore, tam solida, tamq; firma senis fides, qui pollicēte deo fretus, de his rebus certā spem concepit, de quibus iuxta naturæ uires nulla erat spes, agnoscens ac re testans promissoris tum fidem, tum omnipotentiam. Nec dubitauit cum ipse esset effcetus, & uxorem haberet sterilem, se tamen fore patrem multarū gentium, ac posteritatis autorem tam numerosā, ut stellarum multitudinem posset æquare, quod deus educto in agrum cum ostendisset cœlū innumerabili stellarum densitate differtum, dixit: q̄ hos ignes numerare non potes, tam erit innumerabilis posteritas ex te proditura: Id cū haud quaquā probabile aut simile uerū tum uideretur ob ætatis imbecillitatem, tamen infirmus licet uiribus corporis, nō infirmabatur fidei uigore, nec diffidentium more, circumspicere cœpit argumenta, quibus hoc aut fieri possit, aut non fieri, neq; respexit corporis uires iam effcetas, & ad generādum inualidas, ut qui iam accederet ad annum centesimū, nec considerauit ætatem uxoris, cui & ipsi iam per ætatem emarcuerant membra muliebria, ut etiā si ipse gignendi uiribus nondū fuisset defectus, tamen illa ferēdo utero esset inhabilis. Nihil, inquā, horum uenit in mentē, nihil diffusus est, nihil hæsitauit, sed toto pectore fretus promissis dei, & ita fide robustus, quàm corpore inualidus, de sua uirtute desperans, de promissoris uirtute certissimam spem obtinuit, atq; hac in re nihil sibi uindicans, totam gloriā ac laudem unī deo trāscripsit, quem sua tam inconcussa fiducia simul & ueracem testatus est, qui nollet quenquam fallere, & omnipotentem, qui præstare posset quicquid esset pollicitus, quantumlibet illud humanas uires excederet. Hac gloria potissimum delectatur, qui nostris officijs nusquam eget, atq; ob id imputatum est Abrahamæ ad iustitiam, ut inquit diuina scriptura. Neq; uero id uerū Abrahamæ gratia scriptum esse arbitrandum est, quod fides illi sit imputata ad iustitiā: neque enim hoc tantum agit diuina scriptura, ut Abrahamæ gloriæ consulatur: sed ut nobis Abrahamæ nepotibus paretur exemplū, & perspicuum fiat uniuersis, quemadmodū Abraham fiducia cōmendatione, citra legis patrociniū aut adminiculū assequutus est, ut apud deum iustus haberetur, ita nobis hoc nequaquā à legis obseruatione petendum esse. Ille iustus dictus est, quod credidit deo. Nobis non aperitur alius ad iustitiā aditus, nisi ut credamus & ipsi in eundē deum, qui quod Abraham pollicitus est in typo Isaac, id nobis præstitit in Christo Iesu domino nostro, quē suscitauit à mortuis, declarans non frustra credidisse Abraham, eum esse qui uitam daret & mortuis, & ea quæ non sunt, perinde reuocet, quasi sint. Christo igitur nō Mosi iustitiam & innocentiam nostram acceptā feramus oportet, qui sponte sese tradidit in mortē, ut gratis per fidē nostra dilueret cōmissa: atq; idem re uixit excitatus à mortuis, ut à mortuarijs facis abstinere, neq; posthac peccaremus, ea rursus cōmittentes, ob quæ ille mortem oppetisset. Mortuus est, inquā, ut in nobis culpam occideret, & resurrexit à mortuis, ut prius per illū mortui pristinis culpis, mox una cum illo & per illum resuscitati in nouam uitam, deinceps iustitiæ uiuamus, quam illius beneficio accepimus.

Qui uiuificat
mortuos

Sed confirmatus est fide

Non autē est
scriptū tantū

Qui traditus
est propter deum
libera nostra

CAP V T V

Tenim quum sola peccata simultatem pariant inter deum & homines, postea iustificati erimus quam ex impijs & peccatoribus iusti facti sumus, idq; nec per legem Mosaicā, quæ magis augebat offensas, nec factorū nostrorum merito, sed ad exemplum patris nostri Abrahamæ, cōmendatione fidei reconciliati sumus deo patri, cui & Abraham amicus est factus fidei merito: idq; non per Moysen, sed per filium dei unicum, dominū nostrum Iesum Christum, qui noxias nostras suo sanguine diluēs, & morte sua, deum nobis ante ob cōmissa nostra infensum, recōcilians, aperuit nobis aditum, ut intercedente fide, citra legis aut circuncisionis adminiculum ad hanc Euangelij gratiā perducere. In qua quidem fide firmi stamus, neq; stamus solum animis, alacres & erecti, uerum etiam gloriamur nō modo nobis pacem esse cum deo, uerum etiam spem certissimam ostensam, fore ut per fidei perseverantiam fruamur aliquando gloria dei. Nec inuidemus Iudæis, si de sua circuncisione gloriantur. Non pœnitebit nos fidei nostræ, quæ fructum

Gloriamur in
spe glorie si
liorum

adfert tanto uberiores, neque gloriæ nostræ, cuius spe interim fulcitur & erigitur. Ea si nondum apparet, & si ad hanc multa ferendo perueniendum est, tamen has ipsas etiam afflictiones interim nobis gloriæ laudique ducimus, quas & glorioso titulo patimur, quæque ad immortalitatem uiam aperiunt. Siquidem & nouum istud exemplum à Christo sumptissimus, & eximiam doctrinam ab eodem accepimus, quod tolerandis malis, corroboratur tolerantia uirtus, tolerantia uelut aurum igni reddimur deo & hominibus spectatior ac probatior. Rursus quo pluribus malis fuerimus probati, hoc firmior præmij spes nobis nascitur. Neque uero periculum est, ne ea spes nos fallat aut destituat, ut apud impios pudeat credidisse, quandoquidem iam nunc certissimum pignus & arrabonem tenemus, miram & inauditam dei charitatem erga nos, quæ non solum exhibita est foris, uerum etiam abundantissime impressa est cordibus nostris, quæ nos illum redamare compellat, idque per spiritum sanctum, qui pro frigida legis litera datus est nobis, uelut arra promissi. Nisi enim *Pro impijs mortuus est* summa quadam pietate nos adamasset deus, nunquam huius unicus filius Iesus Christus uolente patre descendisset in terras, & assumpto mortali corpore, mortem pro nobis oppetisset, præsertim cum id temporis adhuc imbecilles essemus, cupiditatibus nostris obnoxij, quas lex iritare poterat, coercere non poterat. Et tamen tales adamasuit in spem salutis, immo impios & idolis seruientes adamasuit: & sic adamasuit, ut quo nullum amoris argumentum, nec euidens, nec rarius, mortem etiam uolens nostra gratia subierit. Atqui inter homines uix ullum reperias tam amicum, ut integri promeritiq; amici periculum sua morte redimat. Sed demus inueniri, qui pro bono amico fortassis mortem non recuset adire, deus tamen omnia humanæ charitatis exempla superauit, qui pro impijs & indignis filium suum in mortem tradiderit. Quod si tantum beneficium præstitit impijs ac nocentibus, quanto magis hoc idem præstabit iam purgatis, & emendatis, & filij sanguine reconciliatis, ne de nouo peccantes recidamus in iram, tanto grauius condemnandi, quod ad impietatis cultum, & ingratitude malum accesserit. Christus pro nobis mortuus est ad tempus, sed *Sed et gloria mur in deum* idem resurrexit, semper uiuent. Vt nobis mortuus est, ita nobis resurrexit. Quod si mors illius tantum nobis præstitit, ut cum antea deum haberemus iratum & infensum, postea coeperimus habere propitium ac beneuolum, multo magis hoc nobis præstabit illius uita, ne in ueterem similitudinem recidamus. Mors illius abstulit peccatum, uita tuebitur innocentiam. Mors eruit à potestate diaboli, uita patris erga nos amorem conseruabit. Hæc *Propterea si aut per unum hominem* argumenta diuinæ erga nos charitatis à deo sunt euidens, ut non solum securos reddant, certamque spem præbeant, nos fore tutos ab ira uentura, uerum etiam tantam addant alacritatem, ut gloriari etiam iuuat, haud quidem nostra iactantes merita, sed deo patri gratantes, cuius beneficentiæ debemus hanc totam felicitatem: quam nobis largiri uoluit, non per legem ac circumcisionem, sed per Iesum Christum filium suum, cuius interuentu cum illo reddimus in gratiam, quo uidelicet summa huius beneficii non aliò referatur, quam ad ipsum deum, & eius unicum filium. Idque miro & arcano dei consilio curatum est, ut restitutæ salutis ratio, cum accepti exitij ratione congrueret. Proinde quemadmodum per unum Adam, qui primus prætergressus est dei præscriptum, peccatum irrepsit in mundum, peccatum autem mortem comitem secum traxit, quandoquidem peccatum animæ uenenum est, atque ita factum est, ut malum à principe generis ortum, in uniuersam posteritatem dimanaret, dum nemo non imitatur primi parentis exemplum: ita per unum Christum in quo renascimur omnes per fidem, innocentia inducta est, & innocentia comes uita, atque ea felicitas ab uno noui generis principe profecta, deriuatur in omnes, qui fidei cognitione ad Christum pertinent, & innocentis uestigia sectantur innoxia uita. Porro simul atque peccatum semel in orbem irrepsit, & hominum genus uniuersum occupat, profligari non poterat, nec lege naturæ, nec lege Mosaica, nisi quod hæcenus profectum est legibus, ut qui peccarent, rei iam ac poenam commeriti uiderentur. Nam sicuti pueris, in quibus naturæ lex nondum habet locum, ob ætatem minus adhuc discernentem quid rectum, quid secus, non imputatur adhuc peccatum: ita nec ethnicis imputabatur, si quid aduersus legem Mosaicam commisissent. Ante legem igitur, quæ proderet transgressionem, non aberat omnino peccatum, ob legem naturæ, sed homines sibi indulgebant, ac uelut impune peccabant tanquam exleges. Itaque cum nondum uenisset *Regnauit mors ab Adâ* ille, qui peccatum tolleretur mundi, quique mortis tyrannidem profligaret, mors per Adam ingressa regnauit impune, in eos quoque, qui non peccauerant impie contra dei præceptum, quemadmo-

quemadmodum fecerat Adam, qui iam tum typum & figuram gerebat Christi, multo post uenturi, non quod is simpliciter ad similes sit Christo, sed quod aliquo usque Christi prætulit imaginem. Hoc similis, quod uterque generationis fuerit princeps, sed ille terrenus, hic celestis. Item hoc quod ab utroque quiddam uelut ab autore profectum dimanarit in omnes homines, sed à terreno Adam iniustitiæ & mortis origo, à celesti innocentie uitæ principium. Atqui ut aliqua ex parte similes fuerunt, ita nequaquam pares fuerunt. Siquidem cum alioqui per se sit efficacius seruare quàm perdere, longe potentior est Christus ad seruandum, quàm Adam fuerit ad perdendum, & obedientia Christi multo fuit efficacior ad conferendam uitam, quàm Adæ transgressio, ad inducendam mortem, & omnino noxam Adæ Christi uincit bonitas, ne quis tantum tribuat peccato primi parētis, ut de facienda salute diffidat. Etenim si tantum ualuit ille peccandi princeps, ut tantum hominum numerus ob unius commissam, morti sit obnoxius, plus ualebit, & in plures exundet dei beneficium, ac benignitatis munus, quod nobis per unum item hominem Iesum Christum innocentie principem largitur, per quem non modo mortis & peccati tyrannidem abstulit, sed pro peccato iustitiam, pro mortis tyrannide uitæ regnum contulit, sic ut Adæ damnū, dei benignitate nobis in lucrum cesserit. Rursum licet per unum Adam peccantem inuecta sit perniciēs, & per unum Christum innocentem inuecta sit salus, tamen utrunque alteri par non est. Siquidem perniciēs sic est orta, ut unius peccatum in omnes posteros propagaretur, atque ita tandem omnes redderet obnoxios: contra, dei beneficium sic cōfertur, ut uniuersa omnium delicta iam agglomerata, iam confirmata, semel Christi morte aboleantur, neque solum aboleantur admissa, uerum etiam iustitia gratis cōderet obstrictos, & qui ad primi parentis exemplum peccabant, similiter mortis iugum ferrent, plus tamen largitur exuberantissima dei benignitas, nimirum ut qui ad Christi exemplum innocentiam ac iustitiam amplectuntur, non solum liberi sint à peccati mortisque tyrannide, uerum etiam regnante uita regnent & ipsi per illum, unicum omnis nostre felicitatis autorem. Hoc igitur conuenit, quod sicut per unius hominis commissum irrepsit peccatum, quod omnes morti reddidit obnoxios, ita per unius hominis iustitiā, quæ propagata est in omnes qui credunt, & uitæ regno sese subiiciunt, iustos facit, & uitæ participes. Quæ admodum enim unus Adam, dum non obtemperat præcepto dei, plurimos traxit in peccatum uitæ transgressionis imitatores, ita unus Christus, qui obediit deo patri usque ad supplicium crucis, multos reddet iustos, obedientie sectatores. Sed ut redeamus ad id quod aliquanto superius institueramus, si dei consilio destinatum erat hac uia tollere peccatum, & conferre iustitiā ac uitam, quorsum attinebat legem inducere, quæ nihil conferret? Immo hoc certe contulit lex, ut per hanc clarius & euidentior esset dei erga nos beneficentia. Quo magis enim eminet, & sauit peccatum, hoc magis elucet eius beneficium, qui à peccato liberat. Lex aperuit peccati tyrannidem, dum huic frustra obluatur. Potēs erat & ualida erat tyrannis, sed potētior dei benignitas, quam hoc magis sentimus, quo grauiorem mortis tyrannidem haecenus experti sumus. Atque hoc certe legi debemus, quod intelligimus diuini beneficii magnitudinē, quo factum est, ut quemadmodum diabolus per peccatum tyrannidem adeptus, mortem animarū, quæ uerissima mors est in omnes inuexit, ita deo largiente regnum adeptus innocentia, conferat omnibus uitā, autore Iesu Christo, quo uno domino ac principe gloriamur, iam à mortis seruitute liberi, sub cuius mortis imperio paulo ante militauimus.

Sed non sicut delictum, ita & donum

Nam iudiciū ex una delicta

Sicut enim per inobedientiam

CAPVT VI

T quoniam diximus per legem exuberasse peccatum, idque in hoc profuisse, quod magis exuberauit dei benignitas, ne quis hinc occasionem attripiat in uitis perseverandi, ac secū ita cogitet: Si peccatum illustrat & auget beneficentiam dei erga homines, expedit etiā atque etiā peccare, quo magis ac magis exuberet. Absit à pijs mentibus ista tā impia cogitatio. De pristina uitæ peccatis locutus sum, quæ deus nobis uertit in bonum. Verum absit, ut postea semel à peccati tyrannide sumus asserti in regnū innocentie, rursus à uindice nostro desciscamus, & in ueterem tyrannidē precipites eamus. Pugnant inter se uita & mors a deo, ut uicissim sese profligent, neque simul cohareant iuxta eandem rationem. Itaque cum simul atque coepimus Christo uiuere, mortui simus diabolo, qui conuenit ut adhuc illi uiuamus, cui iam mortui

Tom. 7

bb 3

mortui sumus: Si Christo uiuimus, diabolo non uiuimus. Si diabolo uiuimus, Christo mortui sumus. At nunc Christo uiuentes, mortui sumus peccato, quod is sua morte profligauit. Etenim cum baptismum Christi simus adepti, non est consentaneum fugere uos, quid baptismus ille uel efficiat, uel designet. Cum enim baptizamur in nomine Christi, commorimur unà cum illo pristinis peccatis, illius morte abolitis, neq; solum cōmorimur illi, uerum etiam unà sepelimur, idq; per eundem baptismum: ut quemadmodum ille qui nunquam uixerat peccato, tamen pro nostris sceleribus mortuus, reuocatus est ad uitam æternam, non humanis uiribus, sed patris uirtute: ita nos à morte uitiorū excitati per eundem, pristinis uitijis mortui, iam nouam agentes uitam, uersumur in pietatis uestigijs, semper ab honestis ad honestiora progredientes. Nam cum per baptismū inseramur corpori Christi, & quodāmodo in illum transformemur, quicquid in illo gestum uidemus, qui caput est, id omne in nobis, qui membra sumus, uel exprimendum est, uel sperandū. Resurrexit ille, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris. Hæc iam in Christo peracta, ita demum nobis speranda sunt, si hæc eadem quoad nobis licet, æmulemur, ac ueluti meditemur. Proinde si baptismo accepto peccatis pristinis & noxijs cupiditatib. mortui, Christi mortem ut possumus referimus, par est ut posthac uitæ turpia, & pijs actibus nos iugiter exercentes, resurrectionem item illius exprimamus. Sic autem interim Christi mortem imiramur, non ut uere mortem oppetamus, aut corpus nostrum uiolamus, sed quem admodū optime nostis, si ad pristinas cupiditates omnes sic obstupescamus, ut illis mortui uideamur. Siquidem iuxta duplicem originem, duos in nobis homines oportet imaginari: alterum ueterem & crassiore, & Adæ terrenum similitudine reddentem: alterum nouum & cœlestium appetentem, ut qui à Christo cœlesti duxit originem. Vetus igitur ille noster homo, uelut occisus est, unà cum Christo sublatus in crucem, extinctaq; est omnis illa rerum caducarum cupiditas, quarum uniuersam uim corpus peccati merito quis dixerit. Id salubriter moritur in nobis, quoties extinctis noxijs affectibus, nō amplius seruiamus peccato. Nam qui uere imitatur ad hunc, quem dixi, modum Christi mortē, is iam in iustorum numerum cooptatus, desijt esse peccato obnoxius, à cuius tyrannide iam affertus est. Igitur si, ut sæpe iam dixi, commortui sumus Christo mortuo, à pristinis uitijis liberi, confidimus fore, eiusdem beneficio, ut posthac per uitæ inculpata innocentiam unà cum uiuente uiuamus, & ita uiuamus, ne relabamur unquam in mortem, & in hoc Christi simulacrum quoad fieri potest, referentes. Neq; enim ille sic resurrexit, ut denuo ius aliud quod morti in se permitteret, sed reuixit immortalis deinceps futurus. Nam quod peccato mortuus est, semel duntaxat est mortuus, cæterum quod nūc uiuit, uiuit deo, cuius uirtute reuocatus est ad uitā immortalē. Ad huius igitur exemplū cogitate uos quoq; semel mortuos esse peccato, extinctis pristinis uitijis & cupiditatibus, nunc alios factos, ac ueluti resuscitados, uiuere uitam immortalem deo, cuius beneficio contigit innocentia. Neq; enim deo uiuit, nisi qui uiuit pietati, nisi qui iustitiæ cæterisq; uirtutibus. Cum enim in illi corpori Christi, idem facti simus cum illo, necesse est, ut capiti membra respondeant. Caput autem Christus est. Is cum deo uiuat iugiter, cōuenit ut nos item eidem uiuamus, per eundem Iesum Christum dominum nostrū. Qui quemadmodum semel excitatus à morte, non patitur rursus ullam mortis tyrannidem, ita uobis enitendū est, ne peccatū semel profligatum, tyrannidem amissam in uobis recuperet, mortisq; ius iteret. Id enim fiet, si parueritis impijs cupiditatibus, quibus diabolus uos in pristinā seruitutem illeceat. Neq; committatis, ut mēbra uestra iam Christo consecrata, posthac militent diaboli arbitrio à Christo deuicti, ad patranda iniquitatē: quin potius uos totos posthac tales prestare curetis, ut ex omni uita uestra perspicuum sit, uos unà cum Christo reliquisse quæ mortis sunt, & ad nouam uitam trāslatos esse. Id præstabis, si posthac membra uestra, hoc est animi corporisq; uires omnes militent, non uitijis ad seruiendum diabolo, sed iustitiæ ad seruiendum deo. Aequum enim est, nos totos ei militare, cui semel nomina dedimus, neq; quicquam habere cōmerciij cum eo, à quo iam descuiimus, cuiusq; iugum excussimus. Neq; uero periculum est, ne peccatum uos nolentes in pristinā retrahat seruitutem, quādoquidem iā non estis obnoxij legi, quæ cupiditates iritabat potius q̃ coercebat, sed gratiæ dei, quæ sicuti præstare potuit, ut à peccati tyrānide liberaremur, ita præstare potest, ne reuoluamur in peccati tyrannidem. Verum absit interim, ut quis hæc ita interpretetur, ut quoniam

In nouitate uitæ ambulemus

Si autem mortui sumus cum Christo

Non enim sub lege estis

hiam dixi uos liberos à lege, existimetis sublata lege, impune peccandum esse, aut dei gratiam, quæ pristina commissa condonauit, pariter & in posterum delinquendi indulgisse impunitatem. Immo hoc magis abstinendum est à peccatis, quod iam ad benefaciendum non seruilimore cogimur præscripto, sed ut filij meritis et amore prouocamur. Mutata est seruus, non prorsus adempta. Ita desistis esse serui legis, ut cœperitis esse serui Christi, cui seruire felicitatis est summa. Iam partim in te situm est, utram uelis amplecti. Nam utraq; simul tenere non potes. Liberum erat nulli in seruitutem temet addicere, uerum ubi spon-
 te domino tuius feceris, semelq; parere cœperis, uni pareas oportet, cui te seruum feceris. Proinde qui peccato sese addicunt, ac peccato se in seruitutem dedunt, ipsi seruitij fructus mors est. Contra qui Christo se dicarunt, huic obediât oportet, obediens autem suo hono. Nihil enim acquirit Christo obedientia, sed sibi parant iustitiam, hoc est omnium uirtutum chorum & concentum. Gratulor autem uobis, et hoc nomine Christo gratiam habeo, quod cum olim miserrimam istam seruitutem seruieritis, simulachris & fœdis cupiditatibus addicti, nunc desciscetes à diaboli tyrannide, ultro & ex animo uos Christi imperio dedideritis, uicturi posthac non ex affectuum aut legis arbitrio, sed iuxta nouam Evangelicæ doctrinæ formam, ad quam à pristinis erroribus traducti estis, & ita traducti, ut prorsus in aliud ius transferitis, manumissi quidem è dominio peccati, sed hinc traducti, ut iustitiæ seruiatis & huius imperata faciatis. Neque uero durum uideatur, quod iubeamini seruire uirtuti. Sicut longe alia ratio est peccati, alia innocentiae, ita fructus longe alius, quo fit, ut si rem ipsam spectemus, multo diligentius seruiedum sit deo, quam diabolo. Quisquis enim uitij seruit, diabolo seruit; deo seruit, quicumq; seruit innocentiae. Non exigam tamen interim à uobis, quod meo iure possem. Orationem meam attemperabo in firmitati quorundam, in quibus nondum adoleuit spiritus, & adhuc repullulare meditantur affectus. Illud modo requiram, ut parem habeat apud uos iustitia conditionem cum peccato. Sicut antehac præbuitis membra uestra ad seruendum spurcitijs & uitij, sic ut libidinum arbitrio à turpitudine ad turpitudinem prolaberemini, semper inquinatiores: ita nunc par est, ut itidem exhibeatis membra uestra ad seruiedum iustitiæ, in cuius ius ultro uos asseruistis, à uirtute ad uirtutem usq; proficientes, semper uobis ipsis puriores, emendatioresq; reddamini. Vehementer enim iniquum uidetur, non hoc saltem ius apud uos obtinere Christum, quod pridem obtinebat diabolus: & non idem obsequium præstari dominæ iustitiæ, quod tyranno peccato præstitistis. Siquidem ad excusandam pristinam uitam, utcūq; prætexi posset aliquid, nempe quod quandiu uersabamini in paganismo, quoniam seruiebatis peccato, uidebamini à iustitia alieni, neq; quicquam illi debere, cui nondum eratis addicti. Nunc nihil est quod possit prætexi. Quod si ipsa recti natura parum uos mouet, fructum obsequij longe diuersissimum expendite, qui utrunq; seruitutis genus estis experti. Redeat uobis in memoriam, cum uitij seruieritis, & obscœnis cupiditatibus ceu mancipia obsecundaretis, quod tandem præmium reportabatis: Ipsa uitia secum adferunt suum supplicium, dum statim hominem conspurcant & contaminant, & talibus probis ac dedecoribus deformant, ut nunc posteaquam resipuistis, uelut à uitiorum temulentia, pudeat uos uestri, & animus à cogitatione quoq; pristinorum uoluptatum abhorreat. Videtis quàm hoc statim autoramentum sit non affectandum. Et tamen præter hanc mercedem, supremum stipendium, quod sibi seruientibus persoluit diabolus, mors est æterna. Quanquam & interim uita sic acta, mors est omnium teterrima, non uita. Nunc uidete, quàm feliciter sit uobis commutata seruitus, qui liberati à tyrannide diaboli, deo cœperitis esse serui. Perspicitis nimirum, quàm dispares sint domini. Quod si præmium quoq; uultis, primum pro inquinatis & impiatis, uiuatis innocentes, puri sanctiq; quæ sola uera est uita: deinde expleto breuis seruitij tempore, manet uos summum stipendium immortalitatis. Componite iam cum deo diabolum, cum spurcitie sanctimoniam, cum æterna morte uitam immortalem. Nam planè, sicut dixi modo, res habet. Stipendium diaboli mors est, quod ille pro turpi miseroq; seruitio rependit. Contra qui deo seruiunt pro sua uirilî, his non ut merces debita, sed ut beneficium à propicio patre reponitur immortalitas. Idq; non per Moysen, sed per Iesum Christum dominum nostrum, cui uoluit acceptum referri pater, quicquid nobis largiri placuit, potius quàm per ullam legem aut circuncisionem.

Obeditis autem
tem ex corde

Humanum di
co propter in
firmam car
nis uestre

Cum enim ser
ui essetis pec
cati

Nunc uero libe
rati à peccatis



An ignoratis
fratres, scienti
bus enim legē
loquor

Nam quæ sub
uiro est mulier
licet

Et nos morti
ficati estis legi

Quid ergo di
cemus, lex
peccatum

Christus enim nos non solum à peccato & à morte, uerum etiā à legis ad tem-
pus modo datæ, seruitute liberauit, non gentes tantū, quæ huic legi non fue-
runt obnoxia, uerum ipsos etiā Iudæos, legi Mosaicæ ante hac obnoxios. Id
ita habere uel ipsius legis testimonio doceri potest. Ac uos interim appello
Iudæi, qui quum legis præscripta teneatis, non potestis nescire, hominem le-
gi cuius obnoxium, sicut uos Mosaicæ legi pridem eratis obnoxij, tantisper teneri lege,
donec ea lex uiuat, hoc est uigorem, uimque suam obtineat. Quæ si antiquetur, aut abroge-
tur, definit esse obnoxia. Nec enim aliud seruandū est in legis obligatione, quam in obli-
gatione mulieris uiro iunctæ lex ipsa iubet seruari. Siquidem mulier uiro nupta, & mari-
tali subiecta dominio, tantisper obligata est uiro, quoad uiixerit uir. Is simulatque mortuus
fuerit, eximitur uxor ab eius matrimonij uinculo, siquidem iuris fit ilico ab obitu mariti prio-
ris. Proinde si uiuo marito, in cuius ius semel uenit, tentet alteri nubere, adultera censetur.
tur, quæ reliquerit eum uiro, à quo sola morte liberari poterat. Contra si expectet obitū
mariti, definit illi esse obstricta, sibi que iam reddita, ius habet alteri uiro cui uolet nubendi.
Neque enim ut ius herile transit ad heredem, & seruus morte heri nō mutat statum, sed do-
minum, ita mariti ius in uxore, transit ad alium, sed ultra ipsius uitā non porrigitur. Quod
si maritus esset immortalis, semper maneret obligata mulier. At Mosaicæ lex, quoniam typis ac
ceremonijs Christum adumbrabat, ad tempus aliquod tantum est data, donec exoriens
lucē cederent umbræ, & apparētibz ueris facerentur simulacra uerorum. Atque ob id lex
Mosaicæ, quoniam (ut ita loquar) mortalis erat, non mirum si nunc mortua est. Proinde
quandiu legis tempus durabat, uiguit lex, & ius habebat in eos, qui sese illi addixerāt. Vo-
bis autem cum lege Mosaicæ nihil est commercij, quum illa iam emortua sit uobis, & uos ui-
uissim illi mortui sitis, etiā si illa uiueret. Posteaquam enim Christus, qui est ueritas, exor-
tus est, abrogata est tota Mosaicæ lex, sanè quod ad literam attinet. Quoniam autem estis in-
iuncti in Christi corpus, & illi ueluti sponsa sponso iuncti, & liberi à priore uinculo in noui
sponsi ius cessistis, sponsi in quā immortalis: ut qui semel à mortuis resurrexerit, in æuum
uiuiturus: adeo, ut post hac non sit uobis cogitandum de nouando matrimonio, aut diuor-
tio (alioqui contumelia fuerit in talem sponsum, si adhuc prior ille maritus uobis succur-
rat) illud potius agendum, ut quemadmodum ex lege, ceu marito fructum qualemcumque
& à marito non degenerem produxistis, ita nunc felicius nati matrimonij, fructum ada-
tis, deo socero, Christoque sponso dignum. Quandiu enim eramus legi crassæ carnalique
marito obnoxij, uisa est nobis ueluti maritali iure dominari, dum cupiditates per legis oc-
casionem iritantes, tantum ualebant in membris nostris, ut mancipiorū ritu pertrahere
mur ad peccandum, atque ita ex infelici matrimonio, infelices foetus sustulimus, quicquid
nascetur morti exitioque gignentes. Nunc uero, posteaquam liberati sumus à legis domi-
natio, sub qua uiuimus antea, immo quoniam in peccatis uiuimus, non uiuimus, sed mor-
tui fuimus, & tamen in ea detinebamur ad tempus præfinitum, non est phas adhuc ob-
temperare carnali illi marito, hoc est, literæ legis, sed nouo sponso, qui cœlestis est & spiri-
tualis, seruendum, non per uetustatem literæ, sed per nouitatem spiritus, quem ab illo ceu
nuptiale pignus accepimus. Sed uereor, ne cui interim calumnioso ueniat in mentem, ut
existimet me, cum dicerem nos legi seruientes abiisse in peccatū & mortem, legem ipsam
damnare uelut autorem peccati. Nam sicuti proprium est, inquiet, iustitiæ parere uitam,
ita peccati proprium est parere mortem, si lex mortē adfert, aut ipsa peccatū uideri potest,
aut certe cum peccato coniuncta. Sed absit, ut quisquā ita sentiat. Neque enim lex autor pec-
candi, sed index peccati, quod fallebat ac latebat nos quodāmodo, priusquam lex extite-
rat, dum suis quisque cupiditatibus blandiens, putat sibi licere quod ualde libet, & rectum
esse ducit illud concupiscere, quo frui dulce sit. Igitur indulgēs mihi ueluti nesciebam esse
peccatum concupiscentiam alienæ rei, nisi lex uetuisset, ne concupiscerem. Ac lex quidē
in hoc adhibebatur, ut peccata coherceret. Verum res nostro uitio in diuersum exiit. Dum
enim lex prodit peccatū, nec addit robur, quo uitij repugnemus, factū est, ut hac occasio-
ne libido peccandi magis sit iritata, sic ut est humanū ingenij ad ea propensius, quæ fuerint
interdicta. Itaque cum ante legem prodita quædam peccata nescirem, quædam ita scirem, ut
mihi tamen licere putarem, quod uetita non essent, leuius ac languidius sollicitabatur ani-
mus

mus ad peccandum, ut frigidius amamus ea, quibus ubi libeat, potiri fas sit. Cæterum legis indicio proditis tot peccandi formis, uniuersa cupiditatum cohors iritata prohibitionē, cœpit acrius ad peccandum sollicitare. Atq; hac occasione peccatū robur ac uigorem accepit, *Ego aut̃ uiuebam sine lege* quod priusquam esset lex torpebat, ac ueluti mortuū erat. At ego interim uelut exlex uiebam, seu potius uidebar mihi uiuere, quasi impune liceret peccare. Cæterum ubi inter, *aliquando* uenit præceptum uetans ne peccarem, peccatum non solum coercitum nō est, uerum etiā reuiuiscere uisum & nouū uigorem accipere: sed dum reuiuiscit peccatum, ego qui antea uidebar uiuere, iam mortuus sum, reatum meū agnoscens per legem, & nihilominus peccans. Atq; ita factum est, ut quod ad uitæ subsidiū fuerat institutum, mihi cesserit in mortem, haud tamen legis uitio, sed meo ipsius uitio. Cum enim esset in me propensio ad peccandum insita, animus æger à lege occasionem arripuit, audius peccandi. Atq; ita diabolus bono organo male utens, per legis occasionem inlexit me ad peccandum, & per peccatum occidit, ut iam me reum & alieni iuris agnoscerem. Proinde nihil est hic quod legem calumniemur, quæ ut à bono Deo data est, ita præcepta proponit sancta, æqua & bona. Quod enim malum prohibet, id bonum sit oportet. Sed rursus obiecerit aliquis, cum simile gignat simile, si lex bona est, quomodo mihi mortē peperit, quæ utiq; mala est, & à peccato gigni solet: Recte dicerentur hæc, si lex nobis mortem peperisset. Atqui illud, ut modo dixi, longe secus habet. Neq; enim lex nobis est mortis parens, sed ipsum uerius peccatum exitium nobis dedit: quod adeo malum est, ut rem per se bonam in perniciem uertent: quo fieret euidentius, quàm res esset scelestæ peccatum, cuius uitio, quæ optima sunt, cedant in rem pessimam. Atq; id ut accideret, legis præceptum occasio fuit, in culpa nō fuit. Siquidem illa, quod omnes scimus, spiritalis est, & ad honesta inuitat. Verū quo minus *Ego aut̃ carnalis sum* efficiat, quod studet, ipse in culpa sum, (ut exempli gratia de me loquar) qui carnalis sum, & ad inhonesta procliuis, & longa iam peccandi consuetudine sic peccato obnoxius & obstrictus, ut mancipium emptitium obstrictum est hero suo, adeo ut nesciam ipse, quid debeam agere, uitij excæcatus. Neq; enim hoc ago, quod mens & ratio dicat esse honestum: quanquam hac quidem illud expeto, sed tamen potius quod inhonestum est, & ut inhonestum odi, facio, nimirum cupiditate uictus. Quo fit, ut nocentes etiam intelligāt, legi nihil imputandum. Etenim si praua cupiditate pellectus, committo id quod mens & ratio damnat ac refugit, nimirum testor legem esse bonam, quæ uetuerit ea, quæ ipse iuxta meliorem animi portionem damno. Bonam esse necesse est, quæ prohibet ea, quæ licet faciam, carni obsequens, tamen intelligo esse mala. Sed inquiet aliquis: Cur igitur non obtemperas menti tuæ, si consentit legi ad honesta uocanti, & à turpibus deterrenti? Verum oportet duos in uno me homines imaginari (quandoquidem nunc docendi gratia perfonam suscepi hominis adhuc uitij & affectibus obnoxij) hominē carnalem & crassum, & hominē alium puriorem minusq; crassum. Illum externum dicere licet, hunc internū. Ille affectibus obnoxius, ad uitia procliuis est: hic honesti semina nonnulla retinens, ad honesta utcumq; nititur, & in medijs uitij, ut potest, reclamatione, ac refragatur. Atq; id potius sumus, quod iuxta potiorem nostri portionem dicimur. Quoties igitur mens consentiēs legi, nititur ad honesta, & tamen quod diuersum est agit, non ego uideor agere quod ago. Quis enim agat quod nolit? Sed parti mei crassiori insita est peccandi uis, & ad uitia procliuitas, per quā fit, ut cum uelimus honesta, turpia patremus. Quod si quis hac parte me uelit metiri, fateor in me nihil esse boni. Quamuis enim iuxta rationis instinctum cupio quod honestū est, non tamen adest facultas præstandi quod probo. Fit enim, ut dum plus ualet cupiditas ad turpia pellicens, quàm ratio ad honesta inuitans, non id faciam quod cupio, nempe honestum: sed id potius quod damno, nempe malum. Quod si facere non uidetur, quod quis facit inuitus, cum facio quod iuxta meliorem hominis partem nolo, iam non ego uideor facere quod facio, sed ipsa potius peccandi uis insita crassiori parti mei. Hanc mihi non eximit lex, sed tamen si quando conor illi parere, facit ut intelligam meum malum penitus insitum & infixum animo. Nam rapit quidem ad se uis honesti, quod uideo in lege: sed ex aduerso, comperio aliam legem in membris hominis externi, repugnantem ei legi, quæ placet rationi. Iam cum aliò uocet ratio, aliò cupiditas, præpollet tamen in me quod deterius, uincitur id quod est rectius. Adeo enim penitus insita est carni peccandi procliuitas, tātumq; ualet delinquendi cōsuetudo,

Ego aut̃ carnalis sum

Nunc aut̃ iam non ego operor illud

Scio enim quod non habet in me

Infelix ego iam uelut in naturam uersa, ut ceu captiuus quispiam nolens ac reluctans, tamen ad peccatum pertrahar. *homo* O me hominem infelicem, tam molestæ seruituti obstrictum. Quis me liberabit ab hac carne, tot affectibus, tot uitijs, tot pugnis obnoxia, semperq; ad mortem pertrahente? An non merito sic exclamet, qui tam dura necessitate premitur? Quo plus nos sanè debemus beneficio dei erga nos, qui nos à tantis malis eripuit, non per legem aut circumcisionem, sed per Iesum Christum dominum nostrum. Quod ni esset factum, ipse quoq; cum unus & idem sim homo, ad eundem modum distraheretur, ut mente seruilem legi dei cupiens honesta: carni legi peccati, uincente peccati illecebra.

CAPVT VIII

*Igitur ego me
te seruo legi
dei*



*Qui nō secun-
dum carnem
ambulant*

*Quæ carnis
sunt sapiunt*

*Qui autem in
carne sunt,
deo placere
non possunt*

Quod si nunc nonnullæ etiam reliquæ pristinae seruitutis residet in nonnullis Christianis, tamen eas pio studio superabunt, neque pertrahentur nolentes ad graue crimen ullum, ob quod damnari mereantur ijs, qui semel Iesu Christo per fidem ac baptismum sunt insiti, qui iam desierunt ex cupiditatum & affectuum carnalium arbitrio uiuere, posteaquam lex Christi, quæ spiritualis est & uitæ parens, efficacior ac uictrix, liberauit nos à lege peccati, & à morte huius comite. Id cum lex Mosi quatenus carnalis est, & ob id inefficax, non posset efficere, nouo consilio deus nostræ salutis consuluit. Quemadmodum (ut dictum est) in uno homine, ueluti duo sunt homines, carnalis & spiritualis: ita in una Mosi lege, ceu sunt duæ leges, altera crassa & carnalis, altera spiritualis. Prior illa legis pars Moisen habet latorem, & ut perpetua non est, ita parum efficax ad præstandam salutem. Altera pars est spiritualis, efficax & potens, & immortalis, quam Christus uelut alter Moyses nobis absoluit. Congruerat autem ut caro carnem aboleret, peccatum peccato uinceretur, & mors mortem superaret. Misit igitur Deus humane salutis audax, filium suum, licet ab omni prorsus peccati contagio alienum, tamen eadem indutum carne qua ceteri peccatores induti sunt: communem enim hominum naturam assumpsit, & inter peccatores, ceu peccator uersatus est. Imò inter facinorosos, ut facinorosus crucifixus est. A deo uelut peccati personam in se recepit, ut peccatum peccati specie primum conuinceret, mox aboleret, pro nostris commissis factus hostia: atq; ita mortem secundum carnem assumptam, mortem subegit, quæ nobis per carnis affectus, & legem carnalem dominabatur, fecitq; ut posthac carne legis abolita, succederet pars illa legis melior, quam spiritualement diximus, quæ non gignit iram ut illa, sed iustitiam ueram confert ijs, qui non iuxta literam legis more Iudæorum, sed iuxta spiritum legis uitam agunt, uelut in Christo renati. In illis umbra quædam iustitiæ delineata fuit, in nobis uera perfectiæ pietas absoluta est per Iesum Christum. Mutata studia nouæ uitæ genus declarant. Videmus ijs, qui in ueteri Iudaismo perseverant, quoniam adhuc carnales sunt, ea quæ carnis sunt esse cordi. Contra qui Christo insiti spirituales esse cœperunt, neglectis ijs quæ ad carnem pertinent, ad ea quæ spiritus sunt affectu rapiuntur. Nam talia cuiq; curæ sunt, qualis est ipse. Carnem mortales sumus. At Christus immortalis nos uocauit in uitam, cum ipse sit uita nostra. Porro carnalis illa Iudæorum lex iuxta literam tantum obseruata aduersatur Christo, & à Christo auocat, & ob id mortem parit, uidelicet pugnant cum eo, qui solus autor est uitæ. Iudæi enim studio zeloq; suæ legis, iustitiæ uitæq; autorem occiderunt. Contra qui sprete legis litera sequuntur ea quæ spiritus sunt, hi uitam inueniunt in Christo, nec disgladantur de frigidis obseruatiunculis, sed quæ charitatis sunt sectantes, pacem habent cum omnibus. Rixosa est superstitio, quieta ac tranquilla est uera pietas. Neq; uero mirum, si cum hominibus habet dissidium, cui cum deo pax non est. Nihil est enim aliud, ad hæc legi carnali, quam deus per Christum antiquatam esse uoluit, ut succederet lex spiritualis, quam deo rebellare. Siquidem hic affectus quoniam dissidet à uoluntate dei, non potest illi non repugnare, ad longe diuersa uocanti. Proinde ne quis existimet mediocre periculum, inniti literæ legis, & in hac perseverare. Frustra placemus hominibus, nisi deo placeamus. At qui Mosaicam legem iuxta carnalem intelligentiam mordicus tenent, neq; placeant deo, neq; placere possunt, nisi contempta carne ad spiritum desciscant. Urgeant quantum libet Iudæi neomenias & sabbata, non assequuntur, quod sibi promittunt. Sed hæc nihil ad uos, quibus nihil est negocij cum lege carnali, sed spirituales estis, si tamen ita uiuitis, ut spiritus dei dignetur habitator esse pectoris uestri. Nam qui nihil aliud quam baptizatus est, adhuc ad carnem pertinet, nisi spiritum cōibat Christi, et spiritui illius afflet. Non ceremonijs, sed spiritus

sed spiritu Christo copulamur, quo qui uacat, is a Christo est alienus. Quod si Christus in uobis est, cum is nihil aliud sit, quam castitas, quam ueritas, quam temperantia ceteraque uirtutes, quis est uitae locus? Christum exprimat oportet, qui Christum habet. Is carne mortuus est, ut ante diximus, sed uiuit uitam immortalem. Hunc sic exprimimus, si cor- *Corpus quide*
pus, hoc est, crassior illa pars nostri, quae cupiditatum lenocinijs ad mortifera sollicitat- *mortuum est*
mortua sit, & omni peccandi libidine careat, uiuat autem spiritus, hoc est, melior pars no- *propter pec*
stri, ad honesta sollicitans, & ad ea quae sunt iustitiae, impetu suo rapiens. Itaque si uere spiri- *catum*
tus dei qui excitauit Iesum Christum a mortuis, habitat in uobis, non erit ociosus. Viui-
da quaedam & efficax res est spiritus, idem efficiet in uobis, iuxta captum uestrum, quod
effecit in Christo. Illum excitauit a mortuis, nec sinit denuo mori. Vos item a uitis, quae
uera mors est, reuocabit in uitam extinctis peruersis affectibus, idque per spiritum eius ui-
uae autorem, iam inhabitantem in uobis. Huic igitur spiritui uiuimus, huic obnoxij sumus,
huic parendum, non carni, cui iam mortui sumus. Desimus enim debere carni, posteaquam *Ergo fratres*
idem esse coepimus cum Christo. Absit igitur ut posthac ex illius libidine uiuamus, quae *debitores*
seruire potius debet spiritui. In uitam uocati estis. Porro si iuxta carnem uixeritis ad mor- *sumus*
tem properatis, contra si uigore spiritus, carnis cupiditates extinxeritis, mortuis illis,
uos uiuetis. Nec durum est spiritus imperium. Euocat ad magna, sed uolentes & cupi-
dos. Aspirat enim uim amoris, cui nihil esse potest difficile, nihil non suaue. Ut suo spiri-
tu uiuit corpus, ita suo spiritu uiuit anima. Si languet spiritus corporis, torpet omne cor-
pus, si uiget, est alacre totum corpus. Itaque quicumque aguntur spiritu dei, filij dei sunt. Filij spi-
rant ac reddunt indolem paternam, & alacres ultroque faciunt quod senserint illi placere. Serui
quoniam domino natura coniuncti non sunt, metu continetur, maloque ad acti funguntur
officio. Iudeorum est istud, quos legis delectat seruitus, uos semel ab ea manumissi non rur-
sus in eandem seruitutem reciditis, ut metu coerceamini. Sed accepistis spiritum dei, per *In quo clama*
quem adoptati estis in numerum, non seruorum, sed filiorum dei. Is spiritus eam nobis fi- *mus, Abba*
duciam suppeditat, ut si quid opus sit, uocem illam occinamus auribus dei, quae parenti *pater*
bus solet esse gratissima, compellantes eum pater pater. Non auderemus hanc illi uocem
opplorare, nisi consideremus nos illi esse filios, & illum nobis patrem propitiu, dum non
coacti, sed sponte ex illius nutu uiuimus. Alioqui spiritum hunc suum non impartisset no-
bis, nisi pro filijs haberet. Hoc igitur ueluti pignus ac symbolum paternae charitatis, fidem
facit spiritui nostro, quod eius simus filij, qui pignus hoc dedit. Quod si filij sumus, non ser-
ui, nimirum sumus & haeredes. Haeredes quidem dei, a quo uelut autore proficiscuntur om-
nia, cohaeredes uero Christi, cuius corpori insiti, patrem cum eo cepimus habere comu- *Si tamen copu*
nem, & per hunc in ius communis hereditatis peruenimus. Cuius tamen possessio non ali- *timur ut con*
ter continget, quam si eadem uia ad illam tendamus, qua Christus ipse peruenit. Ille feren- *regnemus*
dis malis peruenit ad bonorum possessionem, Per obedientiam uenit ad regnum, per igno-
miniam uenit ad gloriam, morte peruenit ad immortalitatem. Patiendum igitur nobis cum
illo, ut cum eo bonorum contingat fructio: obediendum, ut cum illo regnemus: ferenda
probra mundi, ut cum illo simus gloriosi: moriendum ad tempus cum illo, ut cum illo sem-
per uiuamus. Hac lege aditur haec hereditas, quae cum sit immortalis, ac tanta, ut omnem
humanam mentis captum, & aestimationem transcendat, si omnes huius uitae afflictiones
in unum hominem conferas, leues erunt, si expendantur ad futurae gloriae praemium, quod
illis paratur ac uelut emitur incommodis. Atque eius felicitatis licet iam pignus habeamus,
ut diffidere non oporteat, nondum tamen ob corpus hoc morti & doloribus obnoxium
absoluta plenaque est. Gustus interim quidam occultus datur intus per spiritum, sed ea to-
ta proferetur, cum resuscitatis corporibus & abiecta omnis mortalitatis iniuria, cum Chri-
sto immortaliter regnabimus immortales. Hoc tempus interim uniuersa haec mundi fabrica
expectat, uelut optans eum diem, quo iam absoluto numero filiorum dei, patefiat illor-
um gloria, qui dum onerati adhuc mortali corpore, fame, siti, morbis, doloribus, uariisque
malis affliguntur, uidetur & ipse mundus aliquo modo particeps infelicitatis humanae,
propterea quod terra, aqua, aer, ipsa corpora coelestia, denique & ipsi angeli, in hoc praeci-
pue condita sunt, ut hominum necessitatibus obseruiant. Proinde nec ipse mundus liber fu-
urus est, donec perfecta libertas contigerit filijs dei, interim fert seruitutem, non uolens.
Quandoquidem etiam in rebus animo carentibus inest natua quaedam perfectionis appetitio,
Fert

Fert autem, obtemperans ei, cuius uoluntate ei seruituti addictus est, & hoc fert tolerabilius, quod intelligat se non in auum addictum, uerum hac lege, ut simul atque filij dei plene liberati fuerint ab omni mortalitatis contagio, tum & ipse mundus desinat esse obnoxius incōmodis mortalitatis. Cum enim uideamus omnia mundi elemēta tot uicibus uariari, tot esse obnoxia corruptelis: solem & lunam, praterquā quod in rebus semper caducis reparādis penē incassum laborāt, sua sentire deliquia, sydera cū syderib. pugnare: cumque dubium nō sit, quin uniuersus angelorū populus nostras calamitates ex alto contēplans, pio quodam erga nos affectu commoueatur, & quoad licet nostris malis indolescat: nōne uniuersa rerum natura unā nobiscum gemit, ac parturientis in morem optat laborū ac dolorum finem? Iam minus mirū uideri debet hoc cæteris accidere, cum nos quoque, qui ipsi primitias bus post seruatoris aduentum, omnium mortalium primis contigit Christi afflari spiritu, neque spiritus habentes id uulgari more, tamē adhuc tot malis simus obnoxij, partim ob uarias huius uitæ necessitates, partim ob impiorū improbitatē, ut se penumero apud nos ipsos ingemiscamus, cogamurque quotidie malis alienis indolescere, optātes diē illū, quo corpus uniuersum Christi suis mēbris absolutum, liberetur ab omnibus incommodis: ex crasso & carnali iam factum spirituale & immortale. Quicquid interim malorum nos affligit, ferimus spe felicitatis à Christo promissæ. A quo licet pignus salutis acceperimus, plenam tamen salutem non hic præstitit, sed in futuro seculo uoluit expectari. Perfecta uero salus nostra sūa est in rebus futuris, quarum certam spem concepimus. Spes autem non est rerum præsentium, & oculis subiectarum, sed earum quæ nondum apparent. Alioqui quis unquam dicitus est sperare, quod oculis cerneret? Nec hic ulla fidei fuerit laus aut spei, si iam extarent omnia, quæ Christus nobis promissit: uerum ita demum fide cōmendamur deo, si ea quæ corporeis oculis cerni non possunt, oculis fidei cernimus, & interim perseuerantes in doloribus, spe pertinaci expectamus quod promissum est. Molesta est interim afflictio iuxta carnem, uerum fortasse sic expedit nobis affligi. Spiritus tamē boni consulit, & cum corporis infirmitate pugnat, sed aspirat dei spiritus adiuuans imbecillitatem carnis nostræ, & spe erigens ad omnia tolerāda, commonstrans quid uotis optandum sit, aut quid deprecandum. Nam ipsi iuxta humanum affectum nescimus quid sit optandum, neque quomodo sit optandum. Vnde non raro fit, ut pro salubribus oremus pestifera. Quod mihi usu uenit, cum ægre ferens corporis afflictionem, improbus implorabam opem diuinam, ter rogans, ut relinqueret me satanas, à quo tum affligabar, & ob id negatum est, quod postulabam, quia non expediebat impetrare. Pro iucundis data sunt salubria. Auidit quidem deus uota suorum, si modo non precentur iuxta carnis affectum, sed iuxta uocem spiritus arcanis rationibus agentis in nobis. Is etiam si ipsi fileamus, tamen pro nobis interpellat deum, idque non humano more, sed gemitibus inenarrabilibus. Spiritus hominis interdum magnis suspirijs deprecatur externam afflictionem, aut precatur corporalia commoda, existimans esse maxima quæ leuia sunt: sed cœlestis ille spiritus insinuat piorum cordibus ea postulat, quæ si absint non referendis gemitibus sint desideranda, si adsint, ueram & absolutam adferunt beatitudinem. Ab hominibus postulandum est oratione, quod uelis impetratum, quibus neque cognitum est, quod optas, nisi didicerint, neque satis discernunt, quid sit optimum. At deus qui intimos etiam cordis sinus rimatur, penitusque introspicit, nouit & silentibus nobis, quid desideret spiritus, qui quoties interpellat pro sanctis, indolens super illorum malis, non iuxta humanum affectum interpellat, sed iuxta dei uoluntatem. Non optat nisi quæ ad salutem æternam, nō optat, nisi quæ ad dei gloriam faciunt, Ea qui ex animo optat, etiam si forsitan errat in delectu, non errat tamen proposito. Largitur ergo deus non quod postulatum est, sed id quod maxime conducit ad hoc, ad quod uotorum tuorum summam destinasti. Nec est quod trepidemus, ne magnitudine malorum uicij deficiamus, cum illud habeamus certissimum, quicquid horum acciderit pijs, omnia cedere in bonum: tantus est dei fauor in eos, quos ex destinata animi sui uoluntate delegit, ac uocauit in hanc felicitatem. Noster conatus est, cæterum euentus pendet à decreto dei. Non temere delegit deus, quos delegit: Nouit ille suos multo antequam uocaret. Nec nouit tantum, quos uocaret, uerum certo animi decreto iam præfinierat, ut infererentur corpori filij sui Iesu, & ad illius similitudinē transformarentur: qui de uicta carne, & morte triumphans adiit immortalitatem, ut idem sperent se mem

se membra, quod in capite iam peractum conspiciunt, atq; ita per unum filium plurimos sibi pararet filios, inter quos Christus Iesus caput ac dux esset, uelutiq; primogenitus, suū ius ceteris quoq; cōmunicans: & quo cerra fides sit nobis deum quod semel instituit, ad plenum usq; prāstiturum, quos ante omnia tempora nouerat, ac delegerat, de quibus ani-
 mi sui decretum iam euulgarat prophetarum oraculis, hos per Euāgelium etiam uocauit, nec frustra uocauit, uocatos sua indulgentia ex impijs pios, ex nocentibus innocētes red-
 didit. Tantum superest gloria, quæ nunc quoq; magna ex parte contigit, nisi forte parum est magnificum, uacare uitij, innocentia gloria florere, affectibus esse incorruptis, sic in si-
 tum esse Christo, ut idem sis cum illo, spiritum illius habere pignus, hæredem esse dei, co-
 hæredem Christi, ut de hoc quod superest suo tempore implendum non liceat diffidere. Hæc cum ita habeant, quid est quod de diffidendo loquatur aliquis? Tot argumentis iam
 declarauit deus suam erga nos charitatem, ac beneficentiam. Qui si à nobis stat, quid pote-
 rit ullus aduersarius? Quid ualebit hominum malicia, protegente nos deo? Aut quid tam
 non expectemus ab eo propicio, qui pro nondum reconciliatis, haud pepercit unico filio
 suo, sed pro nobis omnibus unum exposuit: Exinanauit ac deiecit, ut nos subueheret; pec-
 catum fecit, ut nos à peccatis liberaremur, in mortē tradidit, ut nos reuiuisceremus. Proin-
 de cum filium dederit, in quo sunt omnia, nonne consequitur eo nobis donato simul do-
 nata esse omnia, quæ sunt filij, cui nos fecerit cohæredes? Aut quid non impartiet nobis,
 posteaquam impendit eum qui potior est uniueris creaturis? Nec periculū est, ne hunc
 animū erga nos suum uertat mutetq; deus, opera calumniatoris. Quis enim ausit accusa-
 tionē instituere aduersus eos, quos deus ipse destinato certoq; cōsilio delegit, ac pro suis
 ducit? Num audiet calumniatorem aduersus eos, quibus ipse gratis omnia cōmissa cōdo-
 nauit? Deus omnium iudex, nos à pristina uitæ reatu absoluit, ac pro iustis habet, & quis
 erit, qui condemnet absolutos? modo nos cauerimus, ne in pristinas culpas relabamur.
 Christus est is, qui tam raro sit in nos affectu, ut pro nobis seruandis, mortem etiam oppe-
 tierit, Immo qui & nobis resurrexerit à mortuis, ne suis deesset. Is tātus aduocatus & idē
 iudex assidēs dexter deo patri, cui per omnia par est, causam nostrā apud illum agit. Itaq;
 cum pater morte filij nos absoluerit ab omni reatu, cū filio tam chari simus, quid est quod
 posthac metuamus diabolum, aut diaboli ministrum hominē, uel criminantem, uel con-
 demnantem? Cum tot beneficijs, tot pignoribus obstricti simus deo Christoq;, quis erit
 qui nos ab illorū charitate distrahat, ut non redamemus sic adamati? Num ulla malorum
 humanorum procella? Num afflictio aut angustia? Num fames aut nuditas? Num nau fra-
 gium, aut simili casu quoduis incidens periculum? Num persecutio impiorū, aut gladius
 mortem intentans? Quandoquidem hæc euentura pijs in hoc mundo iam olim prauidit
 mysticus ille psalmographus, cum diuino afflatus spiritu canit: Quoniam propter te mor-
 ti tradimur quotidie, habiti sumus uelut oues cædi destinatae. Hæc quāuis acerba uidean-
 tur, nihil est tamen quod nos terreant. Incidere possunt, opprimere non possunt. Immo
 quo grauius incumbunt, hoc magis ac magis confirmabunt nostram erga Christum, &
 Christi erga nos charitatem, dum ubiq; uictores discedimus, haud quidem nostris ipso-
 rum præsidijs, sed ipsius protectu, cui debemus omnia. Neq; enim ille quando nos sic a-
 mat, sicut uinci: neq; nos memores illius erga nos beneficentia, ullis malorum insultibus
 labefactabimur ab illo redamando. Verum adhuc uulgaria duntaxat commemorauī. Di-
 cam etiam audentius quiddam, sed quod mihi certissimū maximeq; persuasum habeam. Di-
 Magis erant formidanda pericula, quæ poterant ab inuisibilibus substantijs proficisci, et
 mentem etiam oppugnare, non modo corpus, quo semel contempto, non terrent illius di-
 scrimina. Nec hinc uero est quod metuamus, quando neq; angelus ullus gregarius, quor-
 uis tamen homine potentior, neq; inter angelos præcipuus quisquam, quod genus prin-
 cipatus ac uirtutes uocant, nec ulla sublimitas, nec ulla profunditas, hoc est, siue è sublimi
 impetant, siue ex imo, siue honesti specie, siue diuersa, etiam si de cœlo prodeāt miracula,
 siue ab inferis minitentur terrores, neq; instantia, neq; futura, siue præsens inuentetur di-
 scrimen, siue in futuram uitam, quid multis: etiam si quid præterea sit aut existat usquam
 in rebus creatis, siue uisibile, siue inuisibile, quantumuis potens & efficax, haud tamen po-
 terit nos distrahere à charitate, qua cōglutinamur Deo, per Iesum Christum filium illius;
 dominum nostrum.

Quos aut
prædestina-
uit, hos & no-
cavit

Quid ergo
dicemus ad
hec

Quis accusa-
bit aduersus
electos dei?

Sed in his om-
nibus supera-
mus

Certus sum
enim quia ne-
que mors



AD quem utinam & Iudæi omnes sese conuertant, Mose suo relicto, qui nunc sibi persuadent, satis esse ad consequendam salutem, quod filij sint Abraham, quod legem teneant olim à deo datam, cum horum nihil profuturum sit, nisi per fidem se dignos præbeant, qui trahantur ac diligantur à deo. Verum ab his pertinaciter rejicitur Christus lege promissus, quem gentes recipiunt. Neque uero hoc dixerim odio gentis meæ, licet mihi uideatur infestæ. Quod res est loquar, teste Christo Veritatem dico, non metior omnium conscio, neque quicquam mentiar, teste mihi mea conscientia, cuius autor et inspector est spiritus sanctus. Maiorem in modum animum meum discruciat, iugique dolore conficit, quorundam suapte culpa pereuntium interitus. Adeo non odi Iudeos, ut optarim, si qua liceat, meo ipsius exitio illorum salutem redimere, neque recusem ipse à Christo rejici, modo omnes quibus gentis ac generis cognatione iunctus sum, mecum item socientur in fide Christi, & sicut genere sunt Israelitæ, ita cognitione ueri, uere sint Israelitæ, quos omnium maxime conueniebat eum amplecti, quem lex promiserat: cum ea sit natio, quam olim deus à cæteris secretam sibi peculiariter delegerit, ac cæteras gentes tei pro nothis habens, hanc unam ueluti germanos uerosque filios fouerit, cumque penes hanc sit gloria dignitasque præcipua, quod spretis simulacris, deum uerum coluerint. Penes hanc à deo condita legis autoritas, ac prærogatiua. Penes hanc pacta fœderaque cum deo inita, Penes hæc cultus ritusque sacrorum iuxta dei præscriptum, penes hæc uatum oracula multis ante seculis Christum uenturum, & hanc de qua paulo ante gloriabar, felicitatem pollicita. Qui genus ducit ab inclytis illis, ac deo gratissimis gentis nostræ luminibus & autoribus, Abraham, Isaac, Iacob, aliisque, ex quorum stirpe Christus ipse nasci dignatus est secundum carnem, ut hac certe parte iam illi uelint nolint propinqui cognatique sint Christo, qui longe præstantior est patribus illis, quorum titulis sese uenditant. Si quidem illi quantumuis pii fuerunt, nihil aliud tamen quam homines fuerunt. At Christus sic est homo, ut idem & deus sit, non huius aut illius gentis peculiaris, sed uniuersorum deus, & idem cum patre deus: qui præsidet omnibus, cuiusque inscrutabili consilio geruntur hæc omnia, cui soli ob tam inauditam erga genus humanum charitatem debetur laus & actio gratiarum in omne æuum, Amen. Quo magis execranda est quorundam Iudeorum impietas, qui dum maledici sunt in filium, patrem qui per filium uoluit illustrari, contumelia afficiunt. Neque tamen tantum ualeat istorum impietas, ut ideo non præstet deus, quod prophetarum oraculis se præstanturum promissit. Populo Israelitico, ac posteris Abraham promissa fuit ista felicitas, uerum non quibuscumque, sed iis modo, qui uere essent horum posterij. Neque enim omnes, qui genus ducunt ab Israele, ueri sunt Israelitæ, sed qui fidei robore fortes sunt et inuicti aduersus huius mundi incommoda, quibus deus explorat animi nostri pietatem, in hos uere competit cognomen Israelitæ, hoc est potentis deo. Neque quicumque ex Abraham sanguine sunt orti, continuo filij sunt Abraham, ut promissionis hæreditatem sibi uindicet, sed qui fidem Abraham referunt, per quam ille meruit hanc in posteros exhibendam felicitatem. Ac uide, si non id palam aperit dei promittentis sermo: In Isaac, inquit, uocabitur tibi semen. Semini Abraham promissum est, fore ut per illud celebres essent uniuersæ nationes. At non uult quousque Abraham posteros in seminis uenire appellationem, nisi sint in Isaac, qui est fidei filius, & Christi typum gerit. Isaac non iuxta communem natiuitatis rationem editus est, uerum ex patre effœto quidem, sed fide deo, ex anu ite effœta natus. Hunc igitur dei uirtus & patris fides genuit uerius quam caro. Quid igitur sibi uult, quod ait: In Isaac uocabitur tibi semen, nisi ut palam explicaret non quoslibet iuxta carnem natos ex Abraham, esse continuo filios dei, & per hoc hæredes promissorum, sed quibus adest fides, per quam Abraham dei promissum promeruit, hos demum pertinere ad semen Abraham. Quod si deus hac forma promississet, quicumque nati fuerint ex te, ad hos pertinebit mea promissio, iure sibi uindicaret hanc gloriam, quicumque ad progeniem Abraham pertinerent, iuxta sanguinis cognationem. Nunc cum dicitur: Secundum hoc tempus ueniam, & erit Saræ filius, unicum eumque fidei filium designauit, quem sua uoluntate deus ad hoc delegisset, non ex commendatione circumcisionis, cum nondum esset natus, sed ob meritum paternæ fidei. Abraham postea nati sunt liberi ex alijs uxoribus, & tamen solius Isaac nomine promissa est Abraham benedictio. Quod in Isaac euenit & cæteris Abraham liberis, idem euenit in Iacob & Esau. Si corporum sola cognatione

beinéd

benedictionis huius hæreditas obueniret, magis ad Esau maiorem natu pertinebat, quæ ad Iacob. Isaac pater erat amborum cõmunis, mater eadem ambos unico mariti congressu concepit, simul intra matris uterum gestati sunt, simul in lucẽ æditi, & tamen alterũ agnouit deus, ceu partum legitimũ, alterum ceu nothum abdicauit, dicens: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quæ res igitur discreuit hos geminos? Non carnalis propinquitas, nõ legis obseruatio, nõ circumcisiõ. Siquidem de nondum natis, prius quàm omnino quicquam egissent, uel iuxta legem, uel aduersus legem, dictum est, Maior seruetur minori. Cur circumcisiõnis, aut legis fiducia ius huius promissi sibi uindictet, nisi talem se fide præbeat, ut inter electos habeatur, ac talis sit, qualis fuit Isaac & Iacob? Quandoquidem electio dei modum olim auersatus est Esau, nihil profuerit ex Abraham stirpe descendisse. Rursus si Abraham affinitatis carnalis, cum eas agnoscat deus in filiorum ius adoptatas. Nec est quod hæc, quæ diximus, quicquam impius eo detorqueat, quasi iam culpa non sit penes homines, sed penes deum, qui nihil cõmeritos aut promeritos pro sua libidine reiiciat aut asciscat: absit ut eiusmodi cogitatio subeat animũ cuiusquam, neque sic interpretetur quod in Exodo Mosi loquitur deus: Miserebor cuiuscunque misereor, & cõmiserabor quemcunque commiseror: quum non sit uolentis aut currentis assequi salutem, sed misereor dei, quandoquidem frustra cupimus, frustra adnitimur, nisi deus uolens nos attraxerit: attrahit autem, quos illi uisum est, etiam nihil promeritos, & reiicit nihil commeritos. Nec tamen hinc consequitur, deum in quenquã esse iniurium, sed in multos misericordem. Nemo damnatur, nisi sua culpa: nemo seruatur, nisi dei beneficio: eo dignatur quos uult, sed ita, ut sit de quo gratias agas, misericorditer attractus, non sit quod queraris tuæ maliciæ derelictus. Neque enim deus indurat animos hominũ, quo minus credant Euangelio Christi, sed eorum pertinacia, qui suapte malicia recusant credere, abutitur ad illustrandam benedicti sui magnitudinẽ, ac declarandam potestatem suæ gloriæ. Sic enim accipiendũ, quod in Exodo dictum est Pharaoni: In hoc ipsum excitauit te, ut ostendam in te uirtutẽ, & prædicetur nomen meũ in uniuersa terra. Ex huiusmodi dictis ansam arripit impius, & dicit: Si cuiuscunque uult misereor, & quẽcunque uult indurat, quid est in quo nos incuset postea? Quando uoluntati illius resisti non potest, sibi imputet non nobis, si peccemus. Sed audi nunc contrã. Voluntati dei nemo resistit, uerũ illius uoluntas non est tibi causa exitij. Nec sic indurauit cor Pharaonis, ut ipse pertinaciã immitteret, sed cum nosset arrogantiam tyranni subito dignam exitio, tamen paulatim ingrauescentibus supplicijs in eum usus est, quibus ille corrigi potuisset, nisi ipsius malicia obstuisset. Verum diuina lenitas impiã mentem magis exacerbat. Huius igitur malum, deus in suam uertit gloriã. Plura poteram pro deo respondere, sed odit deus omnem arrogantiam. Quid autẽ arrogantius, quàm homo, quo nihil abiectius, cum deo disceptare, uelut ex æquo contendẽtem? Quis enim ferret, si luteum uas cum figulo suo exposculet, dicatque: Cur me sic finxisti? Quod lutũ est in manu figuli, hoc omnes sumus in manu dei: quemadmodum per Esaiam prophetã loquitur ipse dominus. Ille fingit quodcunque animo suo collibuit, aliud uas in sordidos usus, aliud in honestos producens. Quocunque iudicio id facit, suo iure facit figulus, nec cõuenit lutum consilij rationem ab illo exigere. Lutum ex sese nihil aliud est quàm lutum. Ex eo si figulus fingit poculum elegans, quicquid hoc est honoris debet suo artifice: sin matulam, nulla sordido uilius luto sit iniuria. Ita si deus deserit hominẽ in peccatis, sic natus est, nulla est iniuria: sin uocat ad iustitiã, gratuita est misericordia. In illis deus declarat suam iustitiã, ut timeatur: in his patefacit suam bonitatem, ut ametur. Nec est hominis à deo cõsiliij rationem exigere, cur hunc uocet serius, illum maturius, hũc attrahat immeritũ, illum deserat nihil promeritum. Longe uilior est homo collatus cum deo, quàm argilla collata cum homine figulo. Si prodigiosa sit arrogantia, lutum argutari cum figulo: quanto maior arrogantia est, hominẽ de consilijs dei disceptare: quæ tanto supra nos sunt, ut uix umbram aut somnũ possimus assequi. Incipe credere, & desine disceptare, atque ita citius intelligas. Et figulus errare potest, deus non potest. Illud tibi satis est credere, Deum, cum sit omnipotens, posse quicquid uult: sed eundẽ cum sit optimus, non uelle nisi quod opti-

Nunquid ini-
quitas apud
Deum

Dicit enim
scriptura
Pharaoni

O homo tu
quis es, qui re
spondeas deo

mum est. Neque culpari debet, si nostris malis bene utitur. Immo hoc ipsum summæ boni-
 tis est argumentum, quod aliena mala uertat in bonum. Deus non finxit te uas immundum. Tu
 te ipsum conspurcasti, & inhonestis uisibus addixisti. Post hæc, si ille pro sua sapientia, tuo
 malo abutitur ad salutem piorum, sui quoque nominis gloriam, nihil est hinc tibi quod queraris.
 Tutæ maliciæ iustas poenas luis, pñ tuo exemplo cautiore redduntur, & alacrius agunt
 gratias, dum ex tua cæcitate, tuoque exitio magis agnoscunt, quantum debeant diuinæ be-
 neficiæ. Non habebat Pharaon quod incularet deum, suapte malitia subuersus est, & ta-
 men huius maliciæ gloriam dei illustrauit apud Hebræos. Quid uero sit quod incusent, si
 nunc item deus, ut olim distulit exitium Pharaonis, diu multa quoque lenitate sustinet ac tolerat
 incredulos ac pertinaces Iudæos, ceu uasa merita, quæ mox confringantur, quo magis eui-
 dens fiat omnibus, illos esse exitio dignos, qui tot modis prouocati, corrigi non queant:
 simul quoque ut illorum supplicio cæteri metuant deum omnipotentem, quem non oportet sine
 fine peccando ad certam iram prouocare: ut quoque copiosius ostendat gloriæ suæ magnitudi-
 nem erga pios, quos prius uasa immunda purgauit, & honestis uisibus consecrauit, non ex
 circūcisionis aut legis, sed ex fidei merito, cuius unius commendatione asciti sunt ad hoc ho-
 noris. Asciti sunt autem, non solum ex Iudæis, ueluti nos, uerum etiam ex gentibus. Quan-
 doquidem hic non natiuitas, sed dei delectus facit hæredes. Neque mirari debet Iudæi, gētes
 antehac prophanas & à deo alienas, nunc adoptari in numerum filiorum dei, cum ipsi olim
 ob commissâ suâ in deum, spreti reiectique & uelut abdicati, tamen postea resipiscētes & e-
 mendati recepti sint in gratiâ lenitate clementiaque diuina. Testatur hoc ipsorum propheta
 Osee, dicens: Vocabo non plebem, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & misericor-
 diam non consecutam, misericordiam consecutam: futurum quoque est, ut in eo loco in quo prius
 dicebatur, uos non estis plebs mea, ibi uocentur filij dei. Cur damnant in alijs, quod in se
 sunt experti? Cur non potius cauent, ne rursus fiant sua culpa, quod olim fuerunt? Cur
 inuident ijs, quos possunt imitari, nisi mallent contendere, quam obedire? Quod si maxima
 pars hominum sua pertinacia perit, tamen his paucis, qui crediderint, præstabit deus, quic-
 quid omnibus est promissum. Neque deerunt unquam huius hereditatis successores. Non dissi-
 mulauit hoc Esaïas, sed clara uoce testatur prædicans de populo Israelitico: Si fuerit, inquit,
 numerus filiorum Israel par numero arenarum, quæ sunt in marino litore, sique tam multi suo
 uitio pereant, tamen aliqui supererunt semper, qui fide salui fiant. Nulla quâlibet ingens
 turba decidentium, dei promissum irritabit. Fallere fidem in promissis est hominum, At deus
 est is, qui quicquid dixit plene præstet, & quidem compendio, nec dolo, sed uere iusteq.
 Propterea quod quæadmodum idem dixit Esaïas: Sermonem in compendium contractum
 faciet dominus super terram. Fuci non nihil habere uidentur umbræ, ac multiloqua lex est,
 promittens, adumbrans, præcipiens, minitans, consolans. At Christus missus semel exhi-
 buit quicquid erat promissum, expressit, quicquid erat adumbratum, ac præscriptionum
 multiloquiū redegit ad unicum præceptum charitatis Euangelicæ. Sparsit cœlestis doctri-
 næ semen, quod licet infrugiferum sit in multis meæ gentis, non desunt tamē in quibus fru-
 ctum attulerit. Rursus idem superius testatur: Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis se-
 men, sicut Sodoma facti fuissetus, neque secus quam Gomorra fuissetus habita. Proinde licet
 desciscant à Christo Iudæi plerique, non sinet Christus intermori germanum ac legitimum se-
 men Abraham. Hæc ita cum habeant, quid dicemus? Nimirum id quod res est, quod gentes
 quæ uidebantur à iustitia alienæ, & à legalibus ceremonijs immunes, uerā tamen allecutæ
 sunt iustitiam: non enim Iudaicam, quæ rebus corporeis constans, umbram quandam mo-
 do iustitiæ præ se ferebat: sed salutarem efficacemque iustitiam, quæ cōtingit non ijs, qui si-
 bi placent operibus legalibus, sed qui se per fidem simplicem deo submittunt, deduntque. Edi-
 uerso populus Iudæorum, dum iustitiæ legem iuxta carnem sectatur ac mordicus tenet, ad
 ueram iustitiæ legem non peruenit, uidelicet excidentis à Christo, in quæ ceu scopum omnia
 legis Mosaicæ tendebant oracula. Dixerit aliquis, unde tam repentina rerum cōmutatio? qui-
 res sic in diuersum exiit: Nimirum quod deus auersatur elatos, & sese impartit modestis ac
 submissis. Atque idcirco gentes agnoscētes morbum suum, & sese deo submittentem recepit:
 Iudæos rursus erectos, sibi quoque falso iustitiæ titulo plaudentes, fretos sabbatis, lotionibus,
 circumcissione, atque his consimilibus obseruationunculis, fidei iugum dedignantem recipere,
 reiecit, Christum abnegantes, & autorem uitæ morti tradētes: quod ipsum euenturum olim
 præsciuit.

præscijs uaticinatus est Esaias, uidelicet ut Christus, quem lex seruatorem promiserat, illis ob incredulitatē fieret occasio ruinæ, atq; idem lapis, qui pijs erat futurus solido tutoq; præsidio, istis uerteretur in perniciem, dum in illum malunt impingere reluctantes, quam in eo conuiescere credentes. Sic enim apud prophetam Esaiam loquitur deus Christi pater: Ecce pono in Sion lapidem in quem impingant, & saxum in quod incurrant. Ceterū quisquis crediderit in eum, non erubescet, sua frustratus fiducia.

CAPVT X



Ratres, hæc ingenti cum animi dolore loquor, propterea quod illis ex animo bene uolo, si queam pereuntibus succurrere. Nunc quod unū possum, in quotidianis precibus meis, quibus deum sollicitare soleo, precor ut resipiscant aliquando, neq; semper in hac cæcitate perdurēt. Non possum excusare illorum incredulitatem, sed tamē aliquid utcunq; prætexi potest illorum peccato. Nō sunt omnino à deo alieni, ueluti gentes, quo magis optarim, ut quod aliqua ex parte cœperunt habere, perficiatur, & cuius umbram aliquandiu circumtulerunt, eius nunc assequantur ueritatem. Quamuis enim ad summam impietatem prolapsi, dominum omnis gloriæ fontem crucifixerunt, tamen hoc illis tribuo, nec inficias eo, ducuntur aliquo studio zeloq; dei, sed absq; iudicio. Non omnino errant in affectu pietatis, sed uehementer errant in delectu. Præstabat quaecunq; religionis habere studium, quā nullum omnino habere, & merebantur, ut habentibus apponeretur aliquid, nisi sic pertinaciter inhærent rudimentis pietatis, ut ueram pietatem reiiciant, sic premerent &urgerent umbras ac simulacra ueritatis, ut ipsū ueritatis fontem aspernentur. Etenim dum legem Mosaicam sedulo ueridem, sed tamen inscite tuentur ac retinent, prorsus à tota lege excidunt, cum eo pugnautes, cuius gratia lex erat instituta. Nam sabbatū, circuncisio, discrimina ciborum, fuga cadauerum, ieiunia, festi dies, hoc consilio fuerāt ad tempus instituta, ut his ceu rudimentis ad ueram iustitiam præluderent, & ab humana quadam iustitia proficerent ad iustitiam dei summam atq; perfectam. Non conuenit autem amore studioq; eius, quod alterius melioris rei gratia fuerat adhibitum, aspernari ac reiicere id, cuius unius causa cætera omnia adhibebantur. At Iudæi cum publicata iam dei iustitia, debuerint humanam relinquere iustitiā, præpostere faciunt, sic pristinā illam & iam pestiferam etiā non modo superuacaneam iustitiā defendentes ac propugnātes, ut dei iustitiam nolint agnoscere, ac suis freti ceremonijs, repugnent Euangelio Christi, cui per fidē submitti oportuit, si uere iusti uellent esse. Oportet enim imaginari ceu geminā iustitiam, alteram cuius autor fuit Moses, alterā cuius autor sit Christus. Illa constat ceremonijs, altera constat fide & obedientia. Ac prior illa ceu rudimētum est & initium posterioris, perinde ut truncus initium est aliquod futuræ statutz, aut sanguinis coagulum futuri animantis. Stultissimum autem sit, ubi ad id quod perfectum est perueneris, rudimentis inhære. Sed totius Mosaicæ legis per se rudis, & inualidæ, perfectio Christus est, ad consequendam ueram iustitiā non per circuncisionem, sed per fidem. Atq; hic aditus ad iustitiam non Iudæis solum patet, sed cuicunq; credenti. Vtriusq; iustitiæ imaginem Moses ipse depinxit. Nam temporariam illam iustitiā, quæ in ceremonijs ad certum modo tempus seruandis sita erat, describit in Leuitico, dicēs: Custodite leges meas, atq; iudicia, quæ qui fecerit homo, uiuet in eis. Porro ueram & perennem iustitiā, quam uia fidei uiuæ consequimur per Christum, describit libro Deuteronomij, cum ait: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cælum? Nā id est Christum è cælo detrahere. Aut ne quis dicat, quis descendit in abyssum terræ: nam id fuerit Christum à mortuis reuocare. Neuter horū crede re uidetur, cum experimentū flagitet. At qui sincere credit, huic certius persuasum est q̃ ut ullum præterea desideret documentū, Christum & olim descendisse de cælo, & nunc sedere in cælis ad dexterā patris, etiā si rursus utrūq; nō exhibeat oculis. Item Christū descendisse ad inferos, & ab inferis reuersum, reuixisse, licet nihil horū iteret sensibus humanis. Hæc semel esse facta sat est. Super est ut ijs qui uiderunt credamus. Atq; id nō è longinquo petendum est. Viderunt hæc Iudæi, & non crediderunt. Audierunt qui non uiderunt & crediderunt. Nec id tacet scriptura, quæ mox subiicit, prope est quod dicimus, nimirum in ore tuo, & in corde tuo. Quis iste sermo est, de quo loquitur scriptura? Nimirum sermo Euangelij, quod nos huius iustitiæ præcones prædicamus, præsentē adfert salutē. Tu tantum animū per fidem accommoda. Quomodo autē est in ore: quomodo in corde?

Ignorantes enim iustitiam dei

Finis enim legis Christus

Prope est uerbum in ore tuo

*Corde credi-
tur ad iustitiā*

Si ore tuo confitearis & agnoscas dominū Iesum, atq; idem ex animo uereq; credideris, quod deus resuscitauit à mortuis, ut nos cum illo à uitis rediuiui posthac innocēter uiuamus, saluus eris. Nam corde quidē creditur, quæ ianua est ad iustitiā. Cæterum quoniam gloriam debemus Christo, non satis est animo tenere fidē, nisi quoties res postulat, & ore confitearis eum, ad perfectam salutem consequendam. Videtis summā huius negocii nō à ceremonijs pendere, sed à fide. Quod & Esaïas testatur cum ait de Christo: Quicūq; crediderit in eum, non pudebit. Cū ait, quicūq;, nōne tollit omne discrimen Iudæi & Græci? Cum ait, crediderit, non autem ait circuncisus fuerit, aut simile quippiam, nōne legis antiquat ceremonias? Sola fides requiritur. Ea ex æquo communis omnium esse potest. Ac deus is est, qui non tantum dominus sit Iudæorum, sed ex æquo omnīū, cuius beneficentia non sit tam angustis circumscribenda terminis, ut ad solos Hebræos porrecta, mox exhauriatur, imò immensa est illius bonitas exuberans atq; exundans, nō in unam aut alteram gentem, sed in omnes cuiuscūq; nationis populos, modo sincera fiducia numinis, opem ipsius implorent. Affirmat hoc ipsum propheta Micheas: Omnis, inquit, quicūq; inuocauerit nomen domini, saluus erit. Nullum hominū genus excipit sermo propheticus. Quisquis fidēti animo inuocauerit, salutem consequetur, siue Iudæus, siue Græcus, siue Barbarus. Atq; è diuerso, quicūq; non inuocauerit, peribit. Nullus autem inuocat eum, aut opem implorat ab eo, cui non fidit, Sed qui fident ei, de quo nihil audierint? Rursum quomodo audient, nisi sit qui prædicet ignotum? Qui prædicabunt autē apostoli, nisi missi sint ab eo, cuius est Euangelium? de quibus idem meminit Esaïas, cum inquit:

*Annuncian-
tium bona*

Quam decori pedes Euangelizantiū pacem, Euangelizantiū bona. Auditis quid iubeatur prædicare Christi præcones, non circuncisionem & sabbatismos, sed pacem, quæ per fidem abolitis peccatis nos mutua charitate in Christo conglutinet, & ea bona quæ semper bona sint, quia suapte natura bona sunt. Cum igitur nihil sit prætermisum ab eo, qui mortaleis omneis ad salutem inuitat, nulliq; gentium non sit prædicatum Euangelium, non omnes tamen credunt Euangelio. Atq; ita futurum, idem prædixit Esaïas, ita loquens sub apostolorum persona: Domine, quis credidit sermonibus nostris? Siquidem & inter gentes perpauci credunt Euangelio, si cum ijs qui non credunt conferantur. Colligamus igitur rerum, quas diximus, summam: si inuocatio affert salutem, nec inuocat qui diffidit, nimirum fides in primis exigitur, non circuncisio. Porro fides concipitur in animo, nō per experimenta, sed per apostolorū prædicationē, hoc est non per oculos concipitur, sed per aures, per quas in animū obedientem transfunditur Euangelium Christi. Cum igitur iam per uniuersum orbem eluxerit Euangelij fulgor, & innotuerit Christi nomen, quid sibi uult, quod tam pauci Iudæorū credūt? An habent quo se excusent, quod de Christo nihil audierunt? Imò iam impletū cernimus, quod prædixerat Dauid: In omnē terram exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ uerba eorū. Ergo cum olim tot prophetarum oraculis sit Christus promissus, cū nunc palam in omni natione, per apostolos testes idoneos prædicatus, cum prædicationi fidem astruant miracula, num Iudæi prætexere possunt, quod Christum nesciant? Imò uiderunt lucem, sed malicia excæcauit oculos eorum. Audierūt Euangelium, sed liuor obsepsit aureis illorū. Malunt enim gentibus ad salutem uocatis inuidere, quàm fidem illorum imitari. Atq; hoc etiam utrunq;, uidelicet Iudæos reiecturos esse sermonē Euangelij, & gentes recepturas, à Mose simul & ab Esaïa prædictum est: quorū prior Moses libro Deuteronomij in Cantico, sic facit loquētem dominum, offensum incredulitate Iudæorum: Ego uos ad æmulandū prouocabo per gentem contemptissimam, quæ hactenus præ uobis non sit habita pro gente: & cū ipsi uideamini uobis sapere, iritabo uos per gentem uestro iudicio stultam ac brutam, quo magis uos stimulet animi liuor.

*Esaïas autē au-
det ac dicit*

Ac Mosen sequutus Esaïas, nihilq; ueritus testatur aperte, deo gratiore fuisse gentiū obedientiam, quàm Iudæorum pertinaciā. Sic enim ait sub persona Christi: Inuentus sum à nō quærentibus me, palam apparui his, qui de me non interrogabant. Tam magnificū fidei testimonium præbet gentibus. Cæterum aduersus Israeliticum populum, quem magis oportebat amplecti fidem Euangelicam, quid continenter subiecit idem Esaïas? Toto, inquit, die expandi manus meas ad populum incredulum. Misi prophetas, eos trucidarunt: ipse tot miraculis æditis, illos prouocaui, pro gratia dixerunt, dæmonium habet, & præsidij Beelzebub principis dæmoniorū facit ista. Humilitatem despexerunt, uirtutem impie sunt interpretati.

CAPVT XI



Ed quorsum hæc quæ diximus tendūt: An huc, ut doceam gentes ob fidem adoptatas à deo, cum ante ab illo essent alienæ: contra populum prius à deo selectum, nunc ob incredulitatem prorsus esse reiectum: Nequaquam, nam minime consentaneū est, deo nūc prorsus reiectum esse populum, quem hæcenus ut selectum ac peculiariter suum libenter agnouit. Etenim si gentē totam repulisset deus, ipse non prædicarem Christum, quādoquidem genere uerus sum Israelita oriundus ex stirpe Abrahamæ, pertinens ad tribum Beniamiticā. Cumq; ipse non reiecto legis studio prius persequerer pios, adscitus sum ad munus Euangelicum. Certe non fugit uos, quod legitur libro Regum tertio, ubi Helias propheta deū alloquitur, querens & incusans Iudeos impietatis: Domine, inquit, prophetas tuos occiderūt, altaria tua subuerterunt, atq; ego relictus sum solus, & insidiantur uitæ meæ. Post tam impiam crudelitatem, merito uidebatur deus prorsus abiecturus gentem, ceu deploratam. Sed tamē quid diuinitus responsum est Helias: Reliqua feci mihi septem milia uiroꝝ, qui nō curuauerunt genua coram idolo Baal. Quod igitur tum accidit, ut nō in totum deus abijceret populum, sed ex tot impijs aliquem numerum sibi faceret reliquum, idem nunc usu uenit. Neq; enim deus uniuersam Iudæorum gentem passus est alienari. Neq; reliquum omne mortalium genus passus est suis immori uitijs: licet ex utroq; numero pauci credant, præ his qui credere recusant. Sed tamen aliquot deus sua benignitate seruauit, non quod generis sint Iudaici, non quod Mosi legem seruauerint, sed quod hos deus elegerit e multis, quibus suam munificentiam & gratiam impartiret. Id si munificentia est, non meriti, iam non imputetur factis. Nam quod factis rependitur, merces est, non munificentia. Quod ultro defertur immerentibus, id demum est beneficiū. Quod si suppūantur operum merita, iam beneficium desinit esse beneficiū, & in præmij uocabulū abit. Quid igitur euenit? Nempe quod Israeliticus populus legis fiducia quærebat, ob incredulitatē non est consecutus, ij solum consecuti sunt, qui non ad circumcisionē, sed ad electionē pertinent. Cæteris uero nihil profuit circumcisio, aut legis obseruatio: sed malicia sunt excæcati, ut nec uis tot prodigijs fidem habuerint, oculis corporeis cernentes Christū tam diu expectatū, oculis animi nō uidentes. Atq; id quoq; futurum prædixerat Esaias, quod nunc factū uidemus, ac dolemus. Etenim quia spiritū illum sanctum ac lenem Christi reiecerūt, idcirco deus immisit illis spiritū asperū ac spinosum & intractabilē, ut quod oculis cernūt, tamen perinde negent, quasi nō uideant, quod auribus audiūt, tamen nō magis eos moueat, q̃ si non audiant. Tales olim erāt prophetis, tales fuerūt ipsi Christo, tales & in hūc usq; diem sunt Euāgelij præconibus. Vidit hæc & Dauid oculis propheticis, ac dignum tanta perti-
nacia aduersus cœleste numē exitiū imminere uaticinatur: Mensa, inquit, illorū uertatur illis in laqueum, in captionē, & in ruīnam, atq; in pœnā factis debitā: obscurētur oculi eorū, ne uideant, & dorsa eorū semper incurua. Quādoquidem ijs, quæ apposita sunt, frui noluerunt, quæq; oculis & auribus exhibita sunt, auersati sunt: nec curarunt, ut erectis in cœlum oculis, agnoscerēt conditoris erga se benignitatē, sed humili legis literæ affixi, fastidiunt sublimia, aspernātur æterna, temporarijs rebus addicti. Circunferunt Mosi libros, nec eos intelligunt: legunt prophetas, & ab ijs promissum negant. Sed quorsum hæc, inquit aliquis: Excæcati sunt, capti sūt, incuruati sunt, obsurduerūt. Sed num ita lapsi sunt, ut prorsus conciderint, nulla resurgendi spe reliqua? Bona uerba. Imò lapsus hic ad tēpus incidit, & uobis feliciter incidit, quādoquidem illorum lapsus occasio fuit, ut uos ad salutem ascisceremini, quo uicissim Iudæi gentium exemplo, uel in fine mundi ad pietatis ueræ studium perpellantur: & sicut illorum à Christo defectio gentibus ad Christū ueniendi uiam aperuit, ita uestra fides Iudæos extimulet aliquando uel æmulatione quadam ad credendum. Quod si lapsus illorum per occasionem sic profuit, ut Iudæorū defectio, non solum nihil attulerit dispendij, sed fides in multo plures sit propagata, dum paucis deficientibus, ad omnes deriuatum est Euāgelium, & unius gentis iactura, tot nationes lucrifecit Christo, quanto magis ditabitur mundus, cum uestra pietate prouocata, iam et ea natio cæteris adiungetur. Vos appello gentes, ut meos discipulos, quatenus sum gentium apostolus, licet genere Iudæus. Quamuis uestra causa nihil non faciā, tamen magis etiam adnitar illustrare munus apostolicū mihi cōmissum, & quamplurimos uestꝝ ad Christi

Secundum electionem gratia dei

Nunquid sic offenderunt ut caderent

vobis enim dico gentibus

societatem pellicere, pellectos Christo dignos exhibere, si qua fieri possit, ut hac ratione prouocem gentem meā: meam quidem affinitate generis, licet fide alienā, ad æmulandum pietatē uestrā, uel inuidia quapiā ac liuore, ut est zelotypum genus, atq; ita si cunctos non queam adducere, saltem aliquot ex illis seruem. Etenim scio uos hoc ipsum optare, quod *Si enim amif-* opto. Nam si Iudeorū reiectio reliquum mundum per occasionē reconciliauit deo, quod *sio eorum re-* dum illi excidunt à gratia, gentes ad gratiam admissæ sunt, hoc est si malum illorum bene *conciliatio est* cessit mundo: quanto plus boni fuerit, si qui nunc alieni sunt, per fidem assumantur uelut *mundi* mortuis rediuiui, ut impleto fidelium numero, nihil iam super sit, nisi corporum resurrectio: Neq; enim de uniuerſa gente desperandum est, ob quorundam impietatē. Si gentes à religione alienæ, deo uocante ad ueram religionē adduci potuerūt, quid uetat ex ea gente ad fidem reuocari, quæ pios habuerit autores ac principes? Imò magis est consentaneū, ut ex pijs nascantur pii, quod exordium ferè sapiant, quæcunq; hinc proficiſcuntur. Si fermentum sanctum est, oportet & totam massam haberi sanctam, quæ fermento imbuta est. Et si radix arboris sancta est, par est & ramos à radice profectos esse sanctos. Iudæi generis ac stirpis autorem habent Abraham, cuius fides deo probata est. Quid uetet posteros, autoris sui fidem referre? Quod si non faciunt, desinunt esse illius nepotes, non secus ac ramus desinit radicis alii succo, si defringatur. Quod si fieri uidemus, ut rami defringantur e sua natia arbore, in qua primum nati sunt, quanto minus mirum sit, si defringi contingat in alienam insitos arborem? Proinde si uides Iudæos e sancta radice ueræ oliuæ natos, ceu natiuos ramos, defractus, reuulsosq; ob incredulitatē à sua stirpe, sic ut nihil illis prosit radix: te contra cum ex oleastri radice prodieris, nō natura, sed arte ac uoluntate dei insitum oliuæ, & inter illius ramos accitū cooptatumq; sic ut exemptus ab infrugifera stirpe, iam consors & particeps sis factus radicis alienæ, cumq; rami nonnulli in ea nati arbore recisi exarescāt, te alieno succo lætum ac frugiferū esse, caue ne ob id tibi stulte placeas, ac ramos recisos fastidias. Quod si efferris animo, si insolescis, si intumescis, memineris quod radix te portat, nō tu radicem. Caue ne qua huiusmodi cogitatio tibi ueniat in mentem, ut apud te dicas, fracti sunt rami natiui, ut ego insererer. Non in tuā gratiā fracti sunt, sed tamē consecutū est, ut tu inserereris. Recte tamē dicis quod fracti sunt, cū e radice sint nati, uide uero quamobrē fracti sint. Nimirū ob incredulitatem iacent illi & calcantur, tu stas in arbore fulciete fide. Noli gaudere malis alienis, quin potius illorū infelicitas te doceat modestiā, ex illorum calamitate disce quid tibi sit metuendū, si similiter peccaueris. Etenim si uides deum naturalibus ramis nō pepercisse, nec illis quicq; profuisse, quod ex sanctis patribus oriundi, ad populū deo peculiarem pertineāt: periculū est, ne tibi quoq; parſurus non sit, si illum arrogancia & ingratitude alienaris. Ab illorū casu disce, quid uites. Tua felicitas nō tibi cristas addat, sed diuinæ in te bonitatis admoneat. Est quod tibi gratuleris, est unde deo gratias agas: nō est quod insultes abiectis. Illi iure excisi sunt, tu præter meritū insitus. Vtrūq; in deo perpende, bonitatē & seueritatē: quarū altera te gratitudinē doceat, altera superbiā ac supercilium dedoceat. Seueritatis exemplū proditum est in Iudæos, qui à pristino statu prolapsi sunt in hanc cecitatē, ut Christum tot seculis expectatum, cōtumelijs insectentur. Benignitatis exemplū in te ipso expertus es, qui gratis ascitus sis ad tam eximie felicitatis cōsortium, quæ nec generi prophano, nec uitæ impiæ debebatur. Semel gratuito tibi cōdonata sunt admissa uitæ pristina, semel fauore numinis cooptatus es in numerū filiorum, sed ita cooptatus es, ut qui citra tuum meritū ascitus es, tuapte culpa possis excidere. Auferet ab ingrato deus, quod gratis largitus est, nisi beneficium agnoueris, nisi munere diuino recte utaris. Ingratitudo tua perdet, quod bonitas illius donauit. Arrogantia perdet, quod obediētia lucrificat. Quod ni caueris, rursus excideris ab olea, in quam insitus es. Idē & Iudæi, si mutarint id, quod illos alienat à deo, nimirum incredulitatem, denuo inserentur, unde reſecti sunt. Et eò reponet fides, unde deiecit incredulitas. Nam si tu ex prophanis natus prophanus, ceu defectus ex oleastro, præter naturā insitus es oleæ, quanto citius fiet, ut Iudæi ex pijs parentibus orti, redeant ad sui generis indolem, & rursus inserantur nativæ oleæ, unde defecti fuerant? Aperiā uobis fratres *nos ignorare* arcanū quiddam, quod fortasse silētio tegendū erat, nisi uestra referret me loqui, uidelicet *fratres myste* ne uobis arroganter placeatis, quod Iudæis prælati uideamini. Incidit hæc cecitas in gentem Iudaicam, sed nec in uniuerſam, nec in perpetuū. Complures & hinc agnoscūt Christum

stum, & cæteri tantisper in sua tæcitate persistent, donec gentium numerus fuerit expletus, quibus nunc Iudæorum lapsus aditum aperuit. Verum ubi uiderint uniuersum orbem florere professione fidei Christianæ, suum illum Messiam frustra expectati, urbem, templum, sacra, gentem dissipatam ac sparsam, incipient receptis oculis tandem errorem suum agnoscere, & intelligent Christum uerum esse Messiam. Atq; ita totus Israeliticus populus ad salutem restituetur, quamuis nunc ex parte degenerarit. Tum enim uerè dignus erit hoc cognomine, cum Christum deum ac dei filiū oculis fidei cernere cœperit, ac fide robustus, magis q̃ operum fiducia, à domino extorserit benedictionē. Quod quo magis credatis, prædictū est hoc quoq; ab Esaia propheta. Vtrūq; prædictū est, fore ut deciderent, fore ut resipiscāt: alterū uidemus euenisse, atq; ipsa res fidē arrogat uaticinio: alterū expectamus simili fide euenturū. Sic autē habet uaticiniū: Veniet ex Sion, qui eripiet & auertet impietatem ab Iacob, & hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum. Pepigit olim deus scædus cum hac gente, id semel sancitū, nō sinit prorsus irritum fieri, quorundam culpa, qui se præbent promissis indignos. Non deerunt tamen aliqui, qui totius generis personam sustineāt. Neq; enim sic exciderunt à gratia dei, ut reconciliari non queant. Pleriq; qui Christi nō recipiunt Euangelium, literæ legis adherentes, sunt inimici dei, idq; (ne quid insultetis) uobis in bonum celsit, quandoquidem Euangelium illis reijcientibus, citius ad uos delatū est. Cæterum quatenus ex sanctis prognati sunt, & ad gentem pertinent, quam deus sibi ex omnibus unam ut peculiare delegit, horū commendatione chari sunt: proinde facilius in gratiam recipientur, si resipuerint, quod horum patribus deus promiserit id quod nos prædicamus. Neq; enim sic pollicetur se daturū deus, aut sic adoptat, ut post pœnitūdine tactus, mutet sententiā, hominū more. Prorsum immutabilis est, in quē ut non cadit errare, ita nō cadit pœnitere. Meminerit ille sui promissi, si mulatq; isti reijcere desierint. Vices rerū omnium sunt, lapsis non oportet insultare, præsertim si tibi bono fuit, resipiscantibus est gratulandū. Nam quemadmodum uos aliquando fuistis id quod nunc sunt pleriq; Iudæi, hoc est increduli deo: neq; tamen uos destituit in æternū, quando nunc misericordia eius factū est, ut illis fidem reijcientibus, uos in fidei consortium sitis recepti: ita & hos nunc uicissim deus passus est ad tempus à fidei consortio esse alienos, dum uobis datur aditus ad fidē, ut & ipsi postea resipiscantes uocāte deo, unā uobiscum misericordiam consequatur, ut ne uariis alteris exprobrent, sed utriq; alteris gratulentur parē experti misericordiam. Sic enim deus ineffabili cōsilio dispensat ac temperat res humanas, ut nullū sit genus hominū non obnoxium peccato: nō quod ille cuiq; sit autor peccandi, sed quod ad tēpus sinat homines suo uitio prolabi, ut agnito errore, sentiant sese nō suo merito, sed gratuita dei misericordia seruatos esse, ne possint inolescere. Atq; interim dū hæc agit, adeo nemini malū immittit, ut etiā aliena mala, sua bonitate mire uertat in bonū nostrū. Sed altius fortassis ingredimur aditū huius arcani, q̃ par est homini apud homines eloqui: Stupor oboritur contēplanti ineffabilē diuini cōsiliij rationē, & cum explicare nequeam, exclamare libet: O profunditatem exuberantissimæ sapientiæ diuinæ, ut nullis humanis mentibus illius iudicia deprehendā, aut percipi possunt, ut cōsiliōrū rationes nullus creatus intellectus peruestigat: Quis enim cognouit unquam mentem domini, aut quis illi fuit in cōsilio? Aut quis illum prior officio prouocauit, ut quod ab illo profectum sit, præmium uideri possit operæ debitum: Sic ille consulit hominum salutē, ratione nobis quidem inscrutabili, sed ut meliore nō possit fieri: sic uult suum beneficium à nobis sentiri, ut inde nobis nihil possimus uindicare. Quandoquidē si quid est malū, id nostris uitijis imputare licet. Cæterum quicquid est bonorum, ex ipso proficiuntur omnia, uelut e fonte, per ipsum conferuntur uelut autorē: & in ipso sunt, uelut in ipso tutore, custodeq; munerum suorum, ut nullā hinc laudis portionem homo sibi possit arrogare, cum ad illum pertineat & initium, & medium, & finis: cui unū ob id debetur honor, laus, & gloria in omne æuum, unde nephas est homini sibi quicquam asserere.

Secundū Euāgelium quidō inimici

Cōclūsit enim deus omnia

O altitudo diuinitarum

Ex ipso, & per ipsum, & in ipso



Rgo posteaquā uobis dei munere cōtigat, ut à pristina superstitione sitis ad ueram translati religionē, ut ab onere Mosaicæ legis sitis liberi, obsecro & obtestor uos fratres per eas misericordias dei, quas multifariam erga uos præstitit præstatq; cuius gratuita bonitati summam uestræ felicitatis debetis, ut posthæc

posthac immoletis illi uictimam ista professione dignas, non hircos, aut oues, boues uel
Vt exhibeatis corpora uestra quæ ut pura deliguntur animalia, & rebus diuinis apta, quemadmodum mos est ethnicis ac
 ludæis. Hactenus indulgisse sat est crassis istiusmodi sacrificijs, posthac longe alios ritus,
 alium cultum, alias uictimam deus à uobis requirit, nimirum ut offeratis illi uestra ipsorum
 corpora: non mutilandis membris, sed subigendis malis affectibus: hoc est non mortuas
 pecudes, sed uiuentem hostiam, uere puram ac sanctam, deo gratam & acceptam, sacrificium
 rationale, uictimam animi, non brutæ pecudis. Dum lex durabat carnalis, patiebatur deus
 sibi corporeas immolari pecudes. Posteaquæ lex cœpit esse spiritalis, spiritalibus illi ui-
 ctimis litandum est, Pro uitulo immola superbie affectum, pro ariete iram effervescentem in-
 gula, pro hircu exure libidinē, pro columbis & turturibus lasciuas ac lubricas animi cogi-
 tationes deo sacrifica. Hæc demum sunt Christianis digna sacra, hæc Christo gratæ uicti-
 mæ. Deus est animus, & animi donarijs conciliatur. Nec ceremonijs, sed affectibus puris
 coli postulat. Pro præputio, ab animo superuacaneos & indecoros affectus refeca. Sabba-
 tismus tibi sit, mens à tumultu perturbationum uacans. Christus semetipsum obtulit pro no-
Et nolite con- formari huic seculo bis, par est ut ipsi nosmet illi uicissim immolemus. Atque ita fiet, ut quemadmodum exempti
 estis ab hoc seculo professione insiti cœlo, ita uita & affectibus à pristina uita dissideatis,
 ac uelut in nouos homines, hoc est cœlestes transformemini quoad licet, si nondum corporum
 immortalitate, certe nouatis animi affectibus: ut posthac non ea uobis arrideant, quæ
 uulgo prophano, & rebus caducis addicto probantur, sed nihil affectetis, nisi quod deo
 probatum sit, neque ducamini iudaicis præscriptis hominum, sed à nutu uoluntateque diuina
 pendeant omnia uestra studia simul & actiones, qui nihil moratur crassum & imperfectum,
 sed quod uere bonum sit, quod acceptum, quod ad cultum diuinum ac pietatem, legitimum sit & idon-
Vt probetis que sit uoluntas dei neum. Mos est apud mundi cultores, ut felicior fastidiat infeliciorem, ut infeliciorem inuideat
 feliciorem, Ego uero præcipio uestrum unicuique, quicumque ille sit, siue potens, siue plebeius &
 humilis, modo iam sit insitus gregi Christiano, & à mundi consortio exemptus, ne per ani-
 mi fastum plus sibi tribuat quam par est, sed sobrio modestoque sit animo: primum, ne quis plus ar-
 roget sibi quam habeat, deinde ut meminerit hoc ipsum quod habet, sibi non per operum, sed
 per fidei commendationem esse donatum à deo, & in hoc donatum, non ut inde sibi placeat,
 sed ut in communem conferat utilitatem. Varie autem deus suas dotes partitur, ne quis aut fasti-
 diat alium, aut unum se sibi sufficere putet. Sed singulorum dotes fraterna charitas faciat om-
 nium communes. Neque enim cōuenit, ut minus in nobis ualeat Christi gratia, quam in corpore
 cuiuslibet animantis ualeat uis naturæ. Quæ societas est membrorum inter ipsa in corpore
 animantis, eadem est societas singulorum inter ipsos, qui ex uarijs sectis ac gentibus in Christi con-
 sortium sunt cooptati. Nam quemadmodum corpus hoc uisibile, licet sit unum & idem, tamē
 ex multis membris compactum est. Porro non omnium membrorum idem est officium, Alio mu-
 nere funguntur oculi, alio pedes, alio uenter ac manus, & tamen oculus non sibi uni, sed to-
 ti prospicit corpori, Venter non sibi tantum, sed omnibus membris concoquit, Iam quod sunt
 officia singulorum membrorum in corpore, hoc sunt uariæ dotes, alijs atque alijs nostrum ua-
 rie distributæ. Quæ madmodum igitur membra præstabiliora, uelut oculi, non fastidiunt
 humiliora, sed officio suo succurrunt omnibus, alioqui totum corpus collaberetur: ita suam
 quisque dotem siue præclara contigit, siue mediocri, pro sua portione conferre studeat in to-
 tius corporis commodum, posteaquæ semel insiti Christi capiti ceu cōflati sumus in unum
 corpus spirituale. Nec aliud est Christianus Christiano, quam membro membrum eiusdem
 corporis. Sed tamē, ut dixi, uariæ sunt singulorum hominum dotes, non iuxta nostra merita,
 sed iuxta munificentiam dei, quæ partitur singulis, ut uideatur expedire. Ne quis igitur eo
 quod contigit dono efferatur, sed sobrius ac modestus utatur in bonum omnium: siue conti-
 git prophetiæ dos in explicandis arcanis literis, iuxta modum fidei, quæ solam respicit deus,
 non cætera merita, citra supercilium, suum bonum cæteris communicet: siue contigit facul-
 tas opera sua iuuandi fratrem, modeste suo fungatur officio: siue cui obtigit doctrine donum,
 ne fastidiat indoctos, sed citra fastum eruditionem suam alijs impartiat: siue cui datum est,
 ut ex diuinis literis possit ad pietatem ac mores honestos inflāmare dicendo, utatur sua do-
 te modeste: siue cui contigerūt facultates, unde suppeditet egenis, & largiatur illis, quibus
 opus est, hac succurrat cæteris, non ad gloriam, non spe reducturæ cum fœnore gratiæ, sed simpli-
 ter cæciorum: siue cui cura delegata est cæterorum, ut unus præsit alijs, eaque in re ualet, non illum
 honorem

honor reddat elatiorem, sed cura commissa sollicitum, neque sibi gerat munus delegatum, sed
 ijs, quorum curam in se suscepit: siue quis miseris & calamitosis succurrit, absit tristitia, quæ
 premat eum qui subleuatur, & beneficiū uelut exprobrat, sed hilaritate gratiæ officij condū
 plicet: ut quicquid facitis, uelut ex alieno & ex animo facere uideamini. Huiusmodi ma
 lis corrupta sunt ferè prophanorum hominum officia, etiam si quid benigne facere uidean
 tur. A uobis absit omnis fucus, sed sit mutua inter uos charitas, quæ simulandi ac dissimu
 landi iuxta sit ignara, quæ singula cuiusque officia deo commendabit. Ne quid ex uestris cu
 piditatibus metiamini, quod prophanum hominum uulgi facit, sed sola uirtute, aut turpi
 tudine, abhorrentes ab omni malo, adhærentes rebus honestis. Et quoniam fratres estis,
 quotidie communem patrem implorantes, & ad communem hereditatem destinati, sitis fra
 terna charitate erga uos inuicem propensi ac benigni. Inter mundanos de præcellentia di
 gnitatis certamen est, uobis diuersum sit certamen, dum alius alium conatur sibi præferre. Ne
 mo per oculum sibi uiuat, sed pro se quisque studeat suo fungi officio: neque somniculosi ac desu
 des, uelutique carnis infirmitate uideamini languidi, sed alacres ac feruentes spiritu. Carna
 les esse desistitis, spirituales esse coepistis. Torpere carnis est, agilis quædam ac uiuida res est
 spiritus. Ne reluctemini malis, sed temporis seruite, rebus presentibus uosmetipsos acco
 modantes, etsi quid inciderit incommodum, uel declinantes, si liceat commode, uel tolerantes,
 non moesti interim, quod est dissidentium, sed in rebus asperis spe futuri præmij gaudetes &
 alacres. Illud interim cogitantes, si quid cui conceditis aut condonatis, id uos domino condona
 re, nimirum cum scœnore reddituro. Quod si impiorum improbitas grauius affligat, ne parate
 defensionem, ne moliamini uindictam, ne confugiat ad humana præsidia, sed assiduus & im
 probis precibus celeste auxilium imploretis. Si quid opus erit cæteris Christianis, is cui
 suppetit, impartiat non grauatim ac inamœne, quasi stipem egenti porrigat, sed quasi suum
 censum cum illis communem esse ducat. Eamque benignitatem exercete, non solum inter uos, ue
 rumetiam in absentes. In eos uero, qui se peregre ad uos conferunt, hospitales sitis, ne aut
 turpiter egeant, aut ad ethnicos cogantur indecore diuertere. Atque ut oportet manus ha
 bere benignas, ita linguam conuenit habere innoxiam. Eos qui uos odio Christi persequuntur
 & affligunt, adeo non oportet ulcisci, ut nec male precandum sit. Bene precemini & illis,
 bene precemini, inquam, ut resipiscant: tantum absit, ut quenquam deuoueat. Quibus re non
 potestis benefacere, tamen bene optandum est. Sit inter uos uera amicitia, quæ læta pariter
 ac tristitia faciat communia, ut iungatis tum gaudia, tum moerorem ac lachrymas. Concors
 animus, & communis affectus uos in omnibus societ, siue quid læti obtigit, siue quid aduersi
 incidit. Ne sitis elatis animis ac fastidiosus erga uos inuicem: sed qui maior est, humilibus &
 inferioribus sese inclinet & accommodet. Ne uos uobis ipsis placeatis, ut suo quisque iudi
 cio sibi magnus sit & admirandus. Non enim facile cedit cuiquam, qui sic affectus est. Quod
 si quis forte læsit, non conuictum conuictio, nec iniuriam iniuria retalietis. Licet hoc apud Iudæos
 & ethnicos iustum habeatur: apud Christum impium est, malum malo conduplicare: & quod
 in alio damnas, consulto imitari. Vos benefactis certe, & ita certe, ut non solum, teste
 consciencia deo placeant quæ facitis, uerumetiam ut omnibus hominibus probentur, neu
 quem offendant infirmum specie mali. Et usque adeo absit omnis uita, non tantum ab omni crimi
 ne, uerumetiam ab omni suspitione, quoad fieri potest, criminis, ut nec mali queant eam calu
 niari. Id fiet, si quantum in uobis est situm, pacem habeatis, non modo cum Christianis, ue
 rumetiam cum his qui à Christo sunt alieni. Magna uis est heroicæ uirtutis, etiam hostes
 rapit in amorem & admirationem sui. Pax autem constare non potest, si suum quisque do
 lorem perget ulcisci. Ethnicorum ac Iudæorum est ultio: uos, iniuria lacessiti, ne poscite uin
 dictam, quin potius cedite iræ: quæ melius euanesceat tua lenitate, quam si mutua talione ma
 gis ac magis irites. Si lenitate uicisti furem, lucrum est. Sin pergit ille furere, non deerit cui
 det poenas. Tu illum suo relinquito iudici, qui ius ulciscendi nobis adimit, ac sibi seruat, ita
 loquens in Deuteronomio: Mea est uindicta, ego rependam, dicit dominus. Imò tu adeo ne
 lædas legem, ut & pro maleficio reponas beneficiū: et si forte esuriat inimicus tuus, cibo il
 lum subleua: si sitierit, potum porrige. Vix ullum est ingenium tam barbarum, tam efferum,
 tam immitte, quin officijs possit deliniri, quando hac uia mansuescunt & feræ. Hac expu
 gna hostem. Expertus tantam lenitatem, tantam pietatem tuam, fortassis resipiscet, pudebit,
 pigebit, poenitebit feritatis, iamque ceu ulcius tua charitate inflammabitur ad redamandum.
 Haec

Dilectio sine
simulationeBenedicite
& noliteId ipsum inui
cem sentientesNon altas ap
pientes

Hac uia finire possunt similitudines, cum mutua malorum retaliationē propagentur in immensum. Benefactis certare pulchrum, uincere pulcherrimum. Malefactis certare turpissimum est. Verum hoc fatentur & ethnici. Vestra peculiaris laus erit, si malefacta bene factis superetis, si iracundiam lenitate, si maledicentiam benedictiā, si iniuriā officio superetis. Cauendum est autem ne qui malus est, tuam bonitatem expugnet sua malicia, & incipias tui dissimilis esse, iamque illum imitari quem damnas. Quin potius tua bonitas, illius expugnet feritatem, ut uictus in tuas partes rapiatur.

CAPUT XIII

*Omnis anima
potestatibus
sublimioribus
subdita sit*



Quod si principum & magistratuū in uos coorietur ob Christiani nominis professionem persecutio, toleranda quidē est, nullo uestro uitio coorta. Ceterum nō est irritanda, aut accersenda detrectando illis, quod ceu suo iure potestulant, & à nobis deo nō offenso pendere potest. Ordine cōstat respublica pre-textu religionis turbari nō debet. Sunt cupiditates sceleratæ, sunt uitia, in quibus cum ceteris nō oportet congruere: sunt rursum in quibus ob tranquillitatem publici status oporteat etiā cum ethnicis cōuenire pro temporū ratione, ne uestro exemplo peiores fiant, quos expedit utcumque metu coerceri. Totā enim rerum summā, in tria genera diuidamus licebit. In ea quæ uere cœlestia sunt, quæ tanquā Christo peculiaria, sunt ubique rebus omnibus anteponenda. In ea quæ prorsus sunt huius mundi, ueluti cupiditates, ac uitia. Hæc uobis sunt omnibus modis fugienda. In mediū quoddā genus, quod per se neque bonum neque malū, sed necessariū tamen pro totius reipublice statu concordiaque tuenda. Nolumus autē per uos turbari, etiam si quam iustitiæ umbrā, aut speciem mundus hic habet, modone pugnet palam cū Christi iustitiā. Ferenda persecutio, ferendū & mundanū imperiū, etiā si sit aliquanto iniquius, ne cū uos persequuntur, iusto titulo facere uideantur, si publicas leges ab omnibus receptas, soli reieceritis, quas Christus ut non sanxit, ita nec reprobauit, sed uelut ignorauit, nimirū aliud agens. Quisquis igitur est hominū, pareat publicis legibus: obtemperet magistratibus, qui qualemcumque dei gerunt imaginē, et in malis puniendisque utcumque dei negociū agunt. Atque hæc tenus sanē potestas illorum à deo proficiscitur. Prodest potestati inde qui principi aut magistratuū etiā impio & ethnico, suo fungenti officio resistit, is non resistit homini fungenti, sed deo, à quo proficiscitur omnis autoritas. Sicut enim umbra legis Mosaicæ fuit à deo, nec licuit antehac cōtemnere: sic & legalis iustitiā à deo proficiscitur, ut & huic pro tempore cōueniat aliquid tribuere. Quæadmodū enim deus in suo corpore uoluit esse membrorum ordinē, de quo modo diximus: ita in uniuersa republica, quæ malis ac bonis cōstat, uoluit esse ordinē quendā. Atque ipse ordo per se bonum quoddā est, etiā si quis abutatur magistratu. Proinde qui perturbant hunc ordinē, deo auctori repugnant: & qui repugnant deo, merito poenas luunt. Quod si nolis esse legibus aut magistratibus obnoxius, ne putes te id assequi posse contumaciā, sed innocentia potius. Nihil enim illi iure possunt, nisi in eos qui cōmittunt quod non licet. Tu recte uiuio, & lex nihil ad te, nec est quod metuas magistratū. Imò præmiū est & honos per illos suo fungentibus officio. Itaque sicut magistratus dei minister est puniendis flagitijs, sic & eiusdem minister quodāmodo uidetur, dum recte factis habet honorem. Proinde plusquam liber est à legibus, qui recte agit. Ceterū si quid cōmiseris supplicio dignū, tua culpa factum est, ut tibi iam formidandus sit magistratus: siquidē in hunc usum gladium gestat, ut nocentes puniat, atque hac quoque parte diuinæ subseruit iustitiæ, quæ in malis puniendis & malorum abutitur ministerio. Proinde quando publicus rerum status non potest consistere, nisi magistratibus sua deferatur autoritas, ob communē reipublice necessitatē & uos illis obtemperate, non tantū ob id ne contumaciā prouocati, probabili causa in uos sauire uideantur, iam nō uelut in Christianos, sed uelut in seditiosos, sed etiā ob conscientiam: quæ, licet nullum imminet ab illis supplicium, dicat non esse perturbandū, quod deus ordinatum esse uoluit. Et quoniā hac in parte publicū gerunt negociū, quod autē publicū est, ad omnes pertinet, propterea uelut officij præmiū uectigal ac tributum illis pēditis: qui licet impij sint, tamē quia publicā administrant iustitiā, & deus iustitia est, dei ministri sunt, & illius quodāmodo uices gerunt, dum in hoc incumbunt, quod illis publica autoritate mandatū est. Itaque si quid uetat istud, quod per se nephas est patrare, parete, quos oportebat etiam nullo timore propellere, quod rectum est sequi. Sin imperant impia, deo parendum est potius quam hominibus.

Quod

Quod si quid ueluti suo iure exigunt, cuius factura nō adducit pietatis dispendium, non tantū est ut illos ea gratia in uos iritetis, soluīte omnibus, quicquid exigūt, ceu debitum. Ipse Christus nulli prorsus obnoxius soluit Cæsari uestigal, non quod deberet, sed ne quid illos offenderet. Ne committite ut à uobis suo iure fraudati uideantur. Si quis tributum exigit, pendite tributum: si quis uestigal postulat, soluīte uestigal. Si quis reuerentiam efflagitat, qua negata, putet contemptā auctoritatem suā, huic deferre publicam reuerentiam. Si quis honorem ob dignitatis publicæ functionem sibi deferri uelit, huic honorem solennē impendite. Si cum laude funguntur suo magistratu, deo penditur honor: sin secus, tribuitur hoc publicæ tranquillitati. Ne quid fiat reliquum, quod istorum quisquam à uobis exigat, satisfacite necessitati publicæ. Cæterū inter uos nullum sit ius aut debitū, nisi mutuae charitatis. Ea non moratur exactorem officiū, sed ultro præuenit monitorē. Illis si penderis quod exigunt, desinis debere: charitas etiā si satisfaciat alijs, sibi ipsa nunquā satisfacit, semper officia cumulans officijs. Hāc igitur in primis amplectamini, quæ leges omnes compendio cōplectitur. Quisquis enim sincera Christianaq; charitate proximū diligit, is summam habet totius legis Mosaiçæ: si charitas absit, nullæ leges, quamlibet multæ, sufficiunt: si adsit, non alijs est opus legibus, quando hæc una dictat efficacius, quicquid innumeris legum præscriptis iubetur. Vetat lex Mosaiça, ne quis adulterium cōmittat, ne quis occidat, ne quis furtū faciat, ne quis falsum testimonium dicat, ne quis rem affectet alienā, ne quis ad usurā fœneret, & si quæ sunt id genus alia, Atqui horū omniū summa, breui charitatis præcepto cōprehenditur, quo dictum est: Diliges proximū tuum sicut te ipsum. Charitas prodest, quoad potest, omnibus, etiam malis, nocet nemini. Quorsum igitur attinet singulatim uetare, ne lædas his aut illis modis, cum huius natura sit, neminem omnino lædere? An occidet, qui diligit? an stuprabit alienā uxorem, cui alter æque charus est, atq; ipse est sibi? an furto cōpilabit eum quem paratus est & suis opibus adiuuare? an calumnioso testimonio opprimet, quē suo quoq; periculo seruātū uelit? an fœnori daturus est ei, qui cum sibi putet omnia esse cōmunia? an illi damnum optabit, cui precatur eadem quæ sibi? an ulla ratione nocere aut contristare poterit, pro quo sciat Christum esse mortuum? Itaq; quod dixeram, summa legum omnium est charitas. Per hanc cōpendio discitur, quid fugiendum, quid sequendum. Ad huius igitur studium ipsa quoq; temporis adhortatur ratio, uidelicet ut à pristina uitæ somno ac tenebris resipiscantes, expergiscamur. Nox præbere uidetur peccandi licentiam, quod uacet pudore. Cæterum etiam qui noctū lasciuiunt & ineptiunt, tamen simulatq; illuxit, uel pudore componunt sese ad hominum aspectus, ac uelut alij facti, prodeunt in publicum, pro temulentis sobrii, pro libidinosis casti, pro iurgiosis moderati, pro oscitantibus alacres. Rapienda igitur temporis oportunitas, qua si recte uitamur, propius abest nostra salus, quam tum cum lege Mosaiça freti, proximè abesse putabamus. Nox nostra processit uitę pristinae, imminet dies ille, qui reteget etiam occultissima. Respondeamus diei nostro, abijciamus mores actusq; nocturnos, & quorum nos in luce pudeat. Si sole exoriente decentioribus uestibus tegimus corpus, ne quid offendat oculos hominum, multo magis Euangelij luce iam exoriente, mentem uirtutum ornemus amictu, qui luce dignus sit, nec reformidet oculos dei. Posthac ita uitam omnem componamus, ut appareat nos, abiectis pristinae uitę tenebris, clara in luce ambulare, & deo conspicuos & angelis, & hominibus, non luxui indulgentes in comestationibus, aut temulentis compotationibus, non spurcæ Veneri libidiniq; seruiētes, non per contumeliam ac liuorem mutuū turpiter inter nos concertantes, quibus omnibus obnoxii fuistis, dū errantes in pristinae uitæ tenebris uersaremini. Indecore tali cultu uestitur anima. Nunc posteaquā per baptismū Christo estis insiti, hunc ipsum induite. Eluceat in omni uita, quem sitis professi. Exprimite quem imbibistis, ille sobrietas, ille castitas, ille pax est, ille charitas est, istiusmodi amictus decet hanc Euangelij lucem. Quibus haec genus usi estis ad uoluptatem, posthac utamini ad corporis necessitatem, & quibus antehac turpiter indultum est cupiditātū arbitrio, de cætero per sobrietatem eatenus adhibeantur, quatenus naturæ usus postulat. Corpus sic alēdum est, ut ualeat ac uiuāt, non ut lasciuat. Cibū ac potus sitim ac famem arceat, non libidinem inuitet ac nutriet.

Nemini quicquid
quā debeatis

Qui enim diligit
proximū,
legē implet

Et hoc sciētes
tempus quid
hora est

Et carnis curam
ne feceritis
in desiderijs

*Infirmi aut
in fide susci
pite*



PORRO quanquam in harum rerum usu nullum est discrimen aut delectus apud eos, qui plene Christi fidem sunt assecuti, modo his, ut diximus, ad necessitatē utantur, non ad uoluptatem: tamen si quis erit inter uos, fortassis Iudæus genere, qui ob diutnam superioris instituti, uitæq; consuetudinem sit adhuc supersticiosior, nec adhuc sic in eo fides adoleuerit, ut omnē pristinae legis obseruationem excludat: is non est statim reiiciendus contemptu, sed humanitate facilitateq; magis alliciendus ac fouendus, donec & ille proficiat, fideiq; robur accipiat. Id cōmodius fiet beneuolentiā, q̃ contentiosis disputationibus. Siquidem in eiusmodi nō cōuenit protinus in malam partē interpretari, quod citra uitium fieri potest. Quo pax & concordia undiq; constet inter uos, quædam dissimulanda sunt, quædam ferenda, quædam benignius interpretanda. Magnam uim habet ad mutuā uitæ societatem hæc cōmoditas candorq;. Nunquā pax coherebit inter multos, nisi in nōnullis alijs alijs uicissim concesserit, ut sunt hominū uariæ sententiæ. Nam qui uacat omni superstitione, putat sibi fas esse, citra delectum ullum quouis uesci genere ciborū, quippe nihil hic aliud spectās, quā naturæ necessitatem. Rursus qui infirmior est adhuc ac supersticiosior, uescitur holeribus, ne incidat in aliquod piscium aut cæterorum animantium genus, quod uel interdictum sit iuxta Iudaicum institutū, uel simulachris immolatum. Hæc uobis non debent esse tanti, ut ob ea scindatur fraterna concordia. Isqui firmior est, & uescitur quibuslibet, ita fruatur sua firmitate, ut tamen infirmiolem, qui uesci metuit, non spernat. Ac rursus qui animi sui infirmitati obsequēs, abstinet à certis ciborum generibus, ne damnet ac iudicet sine delectu uescientem, quicquid appositū fuerit. Quia potius firmus ferat infirmum, sic interpretans. Error est ex longa pristinae uitæ consuetudine relictus, subito reuelli nō potest, paulatim elabetur, & crescente uera pietate euanesceat superstitio. Item supersticiosus ille, cum uescientem uidet quibusuis cibis, sic se cum cogitet: Mea nihil refert quid agat, & cōsentaneum est bono animo fieri, quando, quidem dominus illum sibi adiunxit, suumq; fecit, cuius arbitrio uiuit, cuiq; peccat uni, si quid peccat in istiusmodi, quæ per se mala non sunt. Quod si crimen est arrogantia, fastidire superstitionem infirmi & simpliciter errātis, quanto intolerabilioris erit arrogantia, si qui fide est infirmior, iudicet ac damnet meliorē se, iuxta uulgarem imperitorum regulam, qui iniustum putant quicquid ipsi nō faciunt, & sanctum existimant, quicquid amant: Nōne huic merito dicetur: Tu quis es, qui iudicas ac damnas seruū alienum? Unus est omnium dominus Christus Iesus, illi stat, si firmus est fide, illi cadit, si quid peccat, ut tu suspicaris. Non enim ob ista cadet, imò stabilietur, ut persistat in suæ fidei robore: Siquidem dominus illius abunde potens est & idoneus, qui seruū suū fulciat, ne quid uacillet. Quod de ciborum delectu dictum est, idem de sabbatorum ac neomeniarum obseruatione accipiendū est. Nam qui infirmus est, ac imperfectæ fidei, is discernit inter diem & diem, quasi sit alius sacer, alius prophanus, & in hoc nephas sit uesci cibis, aut opus facere, quod in alio phas sit. Contrā, qui firmus est, solidæq; fidei, nullo delectu habet omneis dies, uniuersum uitæ tēpus existimans pietatis officijs sacrum esse, ac dedicatum. Ob ista ne scindatur inter uos cōcordia Christiana, sed suo quisq; animo fruatur, non damnata alterius sententia, præsertim cum utrumq; uacet crimine, & in utroq; cōstet hoc, quod est ueræ pietatis caput. Qui sapit & sentit apud se, quēuis diem ex quo sacrum ac sanctum esse, domino suo sapit, nec tua refert, quā ille sapiat. Item qui credit inter diem & diem interesse non nihil, si errat, domino suo errat, ad te non pertinet. Item qui citra delectū quibuslibet uescitur cibis, domino suo uescitur. Siquidem gratias agit deo, cuius beneficio uescitur, & cuius benignitas in usum hominū condidit omnia. Rursus qui ob infirmitatem animi à certis cibis abstinet, domino suo abstinet, nec tua refert, præsertim cū holeribus suis uescens, æque ac tu gratias agat cōmuni domino. Quod si is probat & acceptum habet illius gratiarum actionem, cur tu de eo pronūcias? Causa diuersa est, res eadem, animus idem, & idem dominus. Hic gratias agit, pro libertate uescendi quibus uelit, quod Euangelica lex animos discernat, nō cibos: ille pro fructu continētis, dum occasione infirmitatis fugit crapulam, & intra temperantiæ cancellos coeretur. In huiusmodi pares sumus oēs, neq; quisquā pro sua sententia tuenda debet digladiari

*Alius enim
credit se man
ducare omnia*

*Unusquisq;
autem in suo
sensu abūdet*

diari cum fratre: satis est, si dominus approbat, ad quem pertinet earū rerum iudicium, quæ uel incertæ sunt, uel pro temporum ratione ferendæ. Nullum est ius Christiano in Christianum, nisi ut alter alteri prosit. Neque sibi uiuit quisquam, cum omnes simus illius, qui nos afferuit à uitis ad pietatem, à morte ad uitam. Itaque nemo sibi neque uiuit, neque moritur, non magis quam seruus alieni iuris, in quē hero potestas est & uitæ, & necis. Quod si seruus uiuit, non suo nec alieni, sed domini sui commodo aut incommodo uiuit. Sin moritur, domini compendio, aut dispendio moritur, ut impudenter facturus sit, qui conseruus de conserui negocijs sese admisceat, si modo domino fiat satis. At malum mancipiū inter mortales tam heri sui est, quā nos sumus Christi; qui nos non argento aut auro, sed suo pte sanguine emit. Siue igitur cadimus, illi cadimus, siue statum, illi statum: siue uiuimus, illi uiuimus, siue morimur, illi morimur. Alia mancipia fortassis deſunt esse domini, posteaque mortua sunt. Nos siue uiuimus, siue morimur, domini sumus, cui uiuunt omnia. Christus ius habet, non solum in uiuos, sed etiam in mortuos, qui & uitam suam & mortem suā nobis seruandis impendit. Siquidem idem mortuus est, mea causa factus homo, atque idem à morte reuixit, ut pariter & morientium & uiuentium esset dominus. Si uiuimus pietati, illi debemus. Si mortui sumus uitis, illi debemus. Ille dominus est, ille iudex est. Cur seruus in seruū sibi ius uindicat, quod domini pecunia re est? Tu uero qui superstitiosus es, qua fronte iudicas fratrem tuum, te firmiorem, quia libere uestitur, aut quouis die ex equo utitur? Aut tu peritior, quare spernis ac fastidis fratrem tuum infirmior, perinde quasi dominus illius sis, ac non magis cōseruus? Cur aut hic, aut ille Domini uicem usurpat, & iudicij diem præuertit? Non est alius ab alio iudicandus. Vnus ille qui omnium est Dominus, pronuntiabit de omnibus. Nam apud tribunal Christi aliquando sistendi sumus omnes, illius uoce uel damnandi uel absoluiendi, qui perspicit intimos ac retrusissimos animorum secessus. Interim ne sibi conseruus in conseruum dominatum usurpet. Quandoquidem hoc honoris uhi sibi seruatum esse uoluit, ut ipse testatur apud prophetam Eſaiam: Vuo ego, inquit, mihi curuabitur omne genu, & omnis lingua confitebitur deo. Hoc interim pro sua quisque uirili studeat agere, quo pacto apud hunc iudicem pro se rationem reddat, nec alius alium iudicet in malum. Quod si quid hic iudicandum est, interea hoc magis est iudicandum ac statuendum, qua ratione fieri possit, ut alius alij uicissim auxilio simus, neque cuiquam aut demus malum, aut occasionē mali, quoad licet, præbeamus. Erigamus uacillantes, non deiciamus, & linum fumigans excitemus, non extingamus. Dignitatis ratio poscebat, ut imperitior obtemperaret peritiori, sed charitatis est Christianæ, ut peritior aliquoties cedat & obsecundet imperitiori, nō ut assentiat erranti, sed quo uel corrigat, uel certe ne grauius offendant. Nam ut de me loquar exempli gratia, Moſes olim quosdam cibos designauit impuros, quos ille suo more communes uocat, ceu prophanos, quibus uesti nefas erat, quosdam mundos, quibus uesti fas erat. Nunc scio ac persuasissimum habeo, Christi afflatu, qui carnalem legis partem prorsus abolitam uult, quod nihil suapte natura impurū, nec ullus sit omnino ciborum delectus. Quod si quid impurū est, id ei duntaxat impurum est, qui tale putat esse, hoc est, infirmo & superstitioso impurū est, firmo uereque Christiano nihil est impurum, sed omnia pura puris. Et tamen ab eo quod per se impurum non est, fortassis abstinere præstat aliquoties, non quod ita decernat lex Moſaica, sed quod ita dicet fraterna charitas, quæ peculiaris est Christianorum. Etenim si ob cibum corporis tui læditur, aut mœrore afficitur animus fratris tui, quem oportebat tibi æque charū esse, atque ipse es tibi, uideris tibi uiuere, nec satis meminisse mutue charitatis qui lapsum & offensam infirmi fastidis ac negligis, cum te leuicula possis mederi. Quid enim magni, si paulisper & à licitis abſtineas, quo periclitanti proximo succurras? Ne tibi tam uilis sit frater licet infirmior, licet imperitior, ut tibi tui causa sinas eū perire, pro quo seruando mortuus est Christus. Si tanti fuit dño, qualis qualis est, non est tibi ob rem leuis momenti negligendus. Ne uero satis esse putes, si rectū sit quod tu facis, quin illud etiam curandū, ut quod per se rectū est, non sit obnoxium suspicioni criminis, & quod tibi bonū est, uertatur in malum alienū, si uiderint homines inter uos de cibo porus, aut de similibus rebus exigui momenti esse cōtentiones. Nam quemadmodū seculo futuro in regno dei nō erit esca neque potus, quæ nūc mortalitatis nostræ subsidia sunt, ita doctrina

*In hoc enim
Christus, mortuus est & re
surrexit*

*Omnes enim
stabimus ante
tribunal*

*Si autem propter
cibum fratris
tuus*

euangelica uitaeque uere Christiana, neque ciborum delectu consistat, neque potus discrimine, quae nihil habent momenti ad pietatem. Illa potius nobis meditanda sunt, quae nobiscum trans-
Sed iustitia ferri queant in uitam illam coelestem. Quae sunt autem illae? Nimirum iustitia, pax, & gaudium,
& pax quae non conferuntur ciborum obseruatione, sed spiritu sancto. Disceptatio de cibis parit iram ac dissidium, parit dolorem, parit offensam & querimonias. Spiritus sanctus parit pro dissidio pacem, pro tristitia gaudium, pro offensa & iniuria officium. Vt enim iustitia est, nemini uelle nocere, ita pacis est, cum nemine contendere, & charitatis est, neminem morore afficere. Haec spiritualia sunt, in his quisquis Christo seruit, is simul & deo placet, ea sectans, quae sunt illi gratissima, & hominibus probatur, dum obsequio uitat omnem mali suspensionem aut occasionem. Carni seruiunt, qui de cibis ac diebus inter se digladiantur. Spiritu Christo seruiunt, qui non sua tuentur, sed alijs per charitatem obsecundant, & omnibus fiunt omnia, quo omnes lucrifaciant, & omnibus sese attemperant, ut omnibus placeant. Nos igitur qui spirituales sumus omnis istiusmodi disceptationibus, ea sectemur, quae ad pacem faciunt, quae concordiam alunt, quae mutuam amorem nutriunt, denique quibus meliores reddamur, mutuoque iuuemur officio, non quibus offendatur quisquam. Hoc est nostrae professionis caput. Tu qui firmior es, ne committas, ut ob cibum huiusmodi manu perdat opus dei. Tibi potius pereat cibus, quam ut per occasionem cibi tui pereat id, quod deus morte filij sui redemit. Hominis negotium est cibus, dei negotium charitas, cum alterutrum periclitatur, illud potius cedat, quod leuius est. Non quod in ipsis cibis sit ullum uitium, aut alius purus sit, alius impurus iuxta Iudaeos, aut quod per se culpa sit, cibo quo uelis uesci, sed tamen per occasionem sit culpa, non quod uesceris, sed quod uescendo fratrem offendis infirmum, atque ita cibus natura purus ob neglectum proximi periculum, sit impurus. Quod nobis adeo negligendum non est, ut praestabilius sit, uel in totum abstinere a carnibus, & holeribus uesci, & in totum a uino temperare, quam ut uescens aut bibens, fratri tuo sis occasio ruinae. Neque uero mihi dixeris: Cur ille metuit, ubi nihil est opus? Me non reprehendit mea conscientia, quid mihi cum aliena infirmitate? An uis ut mea relicta sententia, in illius sententiam pedibus eam, & incipiam deligere ciborum genera? Nequaquam. Non istuc postulo, ut illius infirmitatem imiteris, sed ut obsecundes pro tempore, hac spe, ut & ille proficiat. Probo tuam fiduciam, qua negligis ciborum discrimina, uerum istam celatam habes, penes te tamen titudinem animi tui nouit & approbat deus. Ea tamen tantisper dissimulanda est, dum uis temetipsum offendiculum proximi, tuam firmitatem ad illius infirmitatem inclinans atque accom-
Tu fide quam modans. Atque illud etiam uidendum, ut quod ciborum delectum negligere te praedicas, ani-
habes, penes mi firmitas sit, non uoluptatis aut luxus praetextus, neu cum alterum contemnis ac repre-
temetipsum hendis, quod ceu superstitiosus a cibis abstineat, ipse tecum haesites, & oratione firmus sis potius quam fide. Beatus est is, qui tantum fidei robur obtinet, ut in eo quod probat ac defendit apud alios, non sentiat intus reclamantem conscientiam, taciteque in sinu pectoris damnamus, quod palam approbat. Quisquis enim haesitat, putans non licere uesci, is iudice conscientia damnatus est. Quare damnatus est? Quia quod facit, non facit ob robur fidei, animique constantiam sibi bene conscius, sed conscientia refragante. Quicquid autem non proficiscitur a fide, cum uitio coniunctum est. Siquidem cum rem per se non malam, haesitans mala sit necne, faciat tamen, declarat sese & rem per se malam facturum, si inciderit. Etenim uera pietas refugit ab omnibus, quae mali uel speciem habent. Qui malicia peccat, meretur obiurgari, & si se praebeat inemendabilem, uitandus est etiam. Caeterum quoties error ex infirmitate nascitur, doceri moneri meretur, qui errore tenetur, fastidiri aut rideri non meretur.

CAPUT XV

Debemus autem
nos firmiores



Quod si nos firmiores sumus, ut sumus, adeo, ut monitorem non sit opus, tamen cauendum, ne dum alterius leuiculum errorem insectamur superstitionis, ipsi in grauiorem culpam incidamus arrogantiae: quin potius, quo sumus firmiores, hoc magis aequum est aliorum ferre infirmitatem. Vt enim qui natura grandiores sunt, aut corporis robore ualidiores, non ideo protrudunt aut proculcant natu minores, seu uiribus impares, quasi in hoc robur acceperint, ut quibus possint noceant: sed quo magis praecellunt corporis firmitate, hoc turpius sibi ducunt, ledere inuolidam aetatem, aut ob senectutem uiribus defectam: ita nos quoque magis ualemus animi

animi iudicio doctrinaq; hoc magis oportet nosmetipsos imbecillitati alienæ attemperare potius, quàm dum nostra scientia insolescimus, nobisq; placemus fratris imbecillitatem exasperare malimus, quàm uel ferre, uel mederi. Ne quis igitur sua dote sibi placeat, uelut eam ad fastum acceperit, sed hoc potius agat, ut sui cōtempitor, proximo morem gerens illi placeat, haud quidē obsequens ad quiduis, sed in hoc, ut illi prosit, ac meliorem reddat. Atq; hanc sanandi erroris alieni uia Christus ipse nobis aperuit, qui cum fons esset omnium uirtutum, non tamen his usus est ad gloriam suam, ueluti sibi placēs: sed quo subueniret errantibus & infirmis, non solum neglexit suam, quam promerebatur gloriam, uerum etiam probris affici sustinuit, quemadmodum & Dauid eius afflatus spiritu, futurū prædixit psalmo sexagesimo: Improperia eorū, qui tibi improperebant, inciderunt in me. Scriptū est autem hoc in psalmis, non tantum ut sciamus, sed ut imitemur quoq; atq; ex illius exemplo discamus, qua lenitate sit proximus sustinendus ac fouendus, donec in Christo grandescat, & puer atq; imbecillis esse desinat. Quemadmodum igitur ille se deiecit ad humilitatem nostram, ut nos paulatim ad suā sublimitatem proueheret, ita conuenit ab illo petere exemplum proximi ad ueram pietatem pellicendi; atq; id exemplum nobis in sacris literis, uelut in tabula depictum, iugiter oportet habere præ oculis: ut quemadmodum ille non uulgari mundi huius uia, sed tolerantia sua redemit ac seruauit nos, & per humilitatem prouectus est ad ueram gloriam, ita & nos per lenitatem, qua toleramus infirmiores, & subsidia diuinorum uoluminum, ad exemplar Christi prouocantium, confidamus & nos affecuturos præmium, quod manet eos, qui illius uestigijs ingrediuntur. Summa professionis uestre pax est. Itaq; precor deum, autorem patientiæ, quiq; nos per arcanas literas ad tolerantiam adhortatur, sine cuius auxilio nihil omnino possumus, ut uobis largiri dignetur, ut unus idemq; sit omnium uestrum animus summoq; consensu iungamini ad exemplum Christi Iesu, qui nihil nobis æque commendauit, ac mutuum amorem mutuamq; concordiam. Atque ita sanè illustrabimus gloriam Dei, qui est pater Christi Iesu, si quod ille docuit & exhibuit erga nos, inuicem inter nos exhibeamus: atq; ita intelligent homines uos esse uere Christi discipulos, si quemadmodum uno ore deum prædicatis, ita mutuo consensu declaretis, uos animo eodem copulari. Quapropter ne sit ullum disidiū inter gentes ab idolis uocatas ad Christum, & Iudæos ab umbra pietatis ad ueram religionem ascitos; quin potius mutuis obsequijs inuicē suscipite, ac porrectis uicissim dextris promouere: quemadmodum Christus suscepit uos, nec uobis imputauit pristinae uitæ commissa, sed fraterna charitate complexus est, ad illustrandam inter homines gloriam dei patris, ut & per uos inuicem præstantes, quod ille præstitit in omnes, illustretur gloria eius. Christus autem utriq; hominum generi inseruiuit, Iudæis quidem, ut declararet deum patrem ueracem, qui præstaret ea posteris, quæ maioribus fuerat pollicitus, per oracula prophetarum, ut sibi gratulentur, quibus contigerit eorum ueritatē accipere, quæ lex Moysi typis & umbris præfigurarat. Gentibus autem quibus nihil erat promissum: ut præter meritum ac præter omnem spem sola dei misericordia ad communem salutem admissi, diuinam prædicent bonitatem. Illi gaudeant, quod diu expectata tandem affecuti sunt; hi quod non expectatis potiuntur. Atq; id ita fore iam olim destinatū erat consilio diuino. Sic enim patri loquitur ipse Christus apud Psalmographum: Propterea celebrabo gloriam tuā inter gentes, & nomini tuo laudis hymnū canā. Rursus in cantico Deuteronomij: Lætamini gentes unā cum populo ipsius. Et iterū psalmo centesimo decimosexto: Laudate eum oēs gentes, & collaudate eum omnes populi. Idem prædixit Esaias: Et erit in die illo radix Iesse, & qui exorietur ad gubernandas gentes, in ipso gentes spem habebunt. Porro deus qui uobis hanc spem fecit oraculis prophetarū, precor ut nūc præstet effectum, qd olim se faciurū ostēdit, ut secluso mœrore disidiocq; impleat uos omni gaudio cōcordiaq; idq; per fidem: ut spes uestra, quā de deo cōcepistis, indies augescat fiducia bonæ puræq; cōscientiæ, corroborate uos spiritu sancto. Hæc uero loquor, nō quod diffidā de uestra uirtute. Persuasum enim habeo de uobis, quod ipsi uestra sponte summa charitate præditi estis, summa præditi scientia, ut etiam citra me monitorē, possitis uos inuicē super his rebus admonere. Sed tamen familiarius ac liberius aliqua ex parte scripsi uobis, non uelut ignaros docens, uel ut inuitis imperās, sed ueluti cōmonefaciēs,

Quæcunq; autem scripta sunt

Honorificetis deū & patrē

Dico autem Iesum Christum ministrū

quid factu sit optimum, ut id quod intelligitis esse faciendum, & iam uestra sponte facitis, meo hortatu cumulatius faciatis, hac quidem in parte meo fungens officio, mihi licet indigno per dei gratiā delegato, & obsequēs uoluntati Christi Iesu, cuius negocium ago studens pro uiribus, ut illustrando dei euangelio inter uos gentes, purā illi uictimam offeram. Opinor autē illi sacrificium longe gratissimū futurū, si uos illi obtulero dignos ipso, uelut hostiā nō carnalibus ceremonijs, sed spiritu sancto purgatā ac sanctā, qui unus est autor ueræ sanctimonie. Quod quidē cum uideā me in nonnullis assecutum, est *Habeo igitur gloriam in Christo Iesu* quod optimo iure gloriari possim, non memetipsum iactans apud homines, sed apud deum gaudens de felici prædicationis meæ successu: quē mihi tamen, aut meæ industria non imputo, sed Christo Iesu, cuius & uices ago cuiusq; præsidio prædicationis munere fungor. Non enim sustinet animus meus aliena gesta cōmemorare, ne uidear alienorum factorū laudem mihi uindicare, tantū ea cōmemorabo, quæ meo ipsius ministerio effecit Christus, nimirū ut gentes antehac impię & simulacrorū cultui deditę, iam parent & obediunt Euangelio, cōmotę partim uerbis ac factis meis, partim magnitudine uicq; signorū ac prodigiorū, quæ per me sunt ædita, ad confirmandam doctrinā meā fidem: ædita uero non mea uirtute aut uiribus, sed autore spiritu dei, cuius ego nihil aliud quā organū sum ac minister. Ergo dū super successu meæ prædicationis glorior, Christi gloriā prædico, non meā. Atq; hac quidem ratione merito glorior, qui laudem officij mei sic deo tribuo, ut hominū tamen nulli concedā. Non enim uulgarī more prædicant Euangelium, sed hæcenus in his regionibus prædicaui, ubi Christi nomen nondum erat auditū: eamq; laudem ambij apud deum, quo latius iacerentur fundamenta Christianæ religionis, & illius dittonis pomeria longius proferretur: nec uisum est fundamentis ab alijs Apostolis iactis superstruere: quod ut difficilior erat religionis exordia parere, q̃ semel parta tueri atq; augere, ita magis iudicabam ad Euangelij negociū pertinere, maxime quod intelligerē ita iam olim prædictum oraculo sanctissimi uatis Esaie. Quibus, inquit, nihil fuerat annunciatum de eo, uidebunt, & qui non audierāt de eo, intelligent. Atq; hoc proferendæ fidei Christianæ studium magnopere me distinxit, adeo ut nō licuerit hæcenus uos inuifere, licet iam pridem cupidissimo, sed subinde conantem istuc proficisci, remorata sunt negocia, sic opinor uolente spiritu Christi. Nunc uero postea quā peragrata Achaia & Macedonia, nullum in hisce regionibus uideo locum superesse uacuum, in quo non iecerim fundamenta Christianæ religionis, & annis iam copuloribus stimulo cupiditate uisendi uestri, dabitur (spero) occasio satis faciendi desiderio meo, ut cum in Hispaniam proficiscar, istæ faciens uos in transitu uisam, deinde uobis deducenibus eō pergā, quō institueram, at non prius quā aliquot dies apud uos commoratus, uestri consuetudine aliqua saltem ex parte desiderium meum expleuero. Id breui futurum arbitror, uolente Christo. Cæterum in præsentia destinātū est iter Hierosolymam, quo Christianis Iudæis illic agentibus exhibeā beneficium Macedonū & Achaicorum mihi cōmissum. Sic enim illis uisum est, ut aliquanta pecunia promiscue collecta ab ijs, qui sponte conferrent, subleuarent egestatem quorundam Hierosolymis agentium, religione quidem opulentorum, cæterū facultatibus tenuium. Nullus eos ut facerent coegit, sed ita uisum est illis, ac mea sententiā, recte uisum est, quandoquidem illis obligati sunt acceptæ primum ab eis religionis nomine. Proinde cum Hierosolymitani Christi doctrinam gentibus priores impartierint, par est, ut hi uicissim de pecunijs suis aliquid illis impartiat, ut rem omnīū preciosissimā re uilissima utcunq; pensent. Hi communicarunt gratis, quod ad animæ salutem pertinet: hi sponte ac uolentes cōmunicant, quod ad corporis necessitates attinet. Hac igitur in re simulatq; meo fuero perfunctus officio, & hoc quicquid est compendij, quibus est destinātū, tradidero (tradam autem ipse tum obsignatā pecuniā, ne uel per alios dolo fraudetur aliquid, uel ipse possim cuiquam uenire in suspicionem, quasi nonnihil inde arroserim, cum gratis alienū agam negocium) isthac iter facturum proficiscar in Hispaniam. Et quāquā propero Hispaniæ Euangelium prædicaturus, tamen haud poenitebit huius moræ dispendij: nihil enim addubito, quin ubi uenero ad uos, ita uenturus sim, & tales uos offensurus, ut aduentus meus ad amplissimā Christi laudem pertineat, simul & uobis, pro uestra pietate studijs alacribus nos excipientibus, & nobis auxilio dei, per omnia uestris uotis respondentibus. Interim

Interim obsecro uos fratres per cōmunem dominū nostrum Iesum Christum, perq̄ syn-
 teram charitatē, quam ex illius hausimus spiritu, ut quoniā presentibus præsens nondum
 fui possum, certe pijs uotis ac precibus ad dominum effulis, me in tantis rerum difficulta-
 tibus laborantē ac periclitantē adiuuetis, quo eius ope liberer ab incredulis, quos habet
 Iudæa & Euangelio Christi rebellibus, ne quid illorum malicia nostræ predicationis frū-
 ctus impediatur, utq̄ meum hoc in reddenda pecunia officiū, quo functurus sum Hiero-
 solymis, nullo interpellante sit gratum & acceptum sanctis, ut rebus his ex sententia perā-
 ctis, simul & meus aduentus uobis latus sit, ita uolente deo, & ipse post exantlatos ago-
 nes aliquantisper refociller apud uos. Sed ut unde cœpi finiam exhortationē meam, præ-
 tor ut deus synceræ pacis cōcordiaq̄ parens, autor et tutor, semper apud uos maneant, qui
 ut longe refugit ac resilit ab elatis ac discordib. ita mutuo cōsensu cōciliatur ac retinetur.

CAPVT XVI



Aeterum his literis cōmendō uobis hinc ad uos profectā sororem nostram
 Phœbam, cui has dedi perferendas literas, quę modis omnibus inseruiuit &
 suppeditaui congregationi credentiū apud Cenchreenſes, rogans ut illam
 sic excipiat ac tractetis, ut decet à sanctis excipi mulierē optime de sanctis
 meritam, utq̄ illi adſitis, in quocumq̄ negotio ueſtrū deſiderabit officiū.
 Pareſtenim, ut illi adſitis, quādoquidem ipſa frequenter adſuit, cum alijs sanctis complu-
 ribus, tum mihi etiā ipſi. Salutate meis uerbis Priſcam, & huius maritum Aquilam Pon-
 tici generis Iudæum, qui mihi ob Iudæorum inſidias periclitanti, ſunt opitulati, ne prædi-
 catio Chriſti impediretur ſtudio malorū, adeo ut pro tuenda uita mea, ipſi ſubierint uitæ
 diſcrimen, ceu meum caput ſuo capite redempturi: ob quæ merita non ego ſolus illis ago
 gratias, uerum etiam mecum agunt oēs eccleſiæ gentium, partim quod ſimiliter de cæteris
 mereantur, partim quod mei ſeruati beneficiū ad oēs exiſtiment pertinere. Nec hos tan-
 tum ſalutate, ſed uniuerſam etiā illorum familiā. Salutate Epānerū ob laudatiſſimos mo-
 res ſuo dignū nomine, atq̄ hoc etiā nomine mihi præcipue charum, quod hunc Achaia
 præmiſſas merito dicere liceat, ut quem primum omnium apud Achiuos Chriſto lucrifer
 cerim. Salutate dicite Mariæ, quę non citra periculum ac moleſtiam, multū officiū in
 me contulit. Salutare iubete Andronicū ac Iuniam, ut ſanguinis cognatione, ita & captiui-
 tatis mihi aliquando ſunctos, qui ſunt inter apoſtolos inſignes, & in numero ſeptuaginta-
 duorum eminentes ornamentiſ uerę religiōis, qui & meiſum hoc dignitatis titulo præ-
 cedunt, quod priores me Chriſto ſint inſitiati. Etenim ſi iure deferimus honorem, qui prio-
 res nati ſunt à parentibus, quāto rectius deferetur ijs, qui prius renati ſunt in Chriſto. Sa-
 lutate Ampliam, qui rarę pietatis cōmendatione, cum primis charus eſt animo meo. Salu-
 tate Urbanum ſociū & adiutorem ſabborū meorū in negocijs Euāgelij Chriſti, & huius
 confortem Stachyn, mihi magnopere charum. Salutate Apellem multis afflictionibus
 pro Chriſto tolerantis exploratū ſpectatumq̄ & probatum. Salutate quotquot ad Ar-
 ſtobuli familiam pertinent. Salutate Herodionem cognatū meū, Salutate domeſticos
 Narcissi, præferim eos qui iam in Chriſto renati ſunt. Salutate Tryphānam & Trypho-
 ſam, quæ ſuo ſtudio curāq̄ ſuuant rem Euangelicā. Salutate Perſidem unice mihi diſe-
 ctam, ut quæ multum ſudoris impenderit iuando Chriſti Euangelio. Salutate Ruſſum
 pietate ac religiōe eximiū, ſimulq̄ matrē illius, quā mihi cū illo cōmunē eſſe duco. Saluta-
 te Aſyncritū, Phlegontē, Hermen, Patroban, Herman, cæterosq̄, qui illis cōiuncti ſunt
 fratres. Salutate Philologum, & illius coniugem Iuliam, Nereum ac ſororē eius, & Olym-
 pam cæterosq̄ ſanctos omnes, qui in illorum uiuant contubernio. Salutate uos inuicem
 oſculo Chriſtianiſ digno, quod & caſtum ſit, & ſimulatione careat, ſed ueræ concordia
 non mendax ſit argumentum. Salutant uos omnes eccleſiæ Chriſti, quarū omnium ego nō
 uiſi propenſiſſimum erga uos ſtadium. Illud autē rogo uos fratres, ut obſeruetis eos, qui diſ-
 ſidia & offendicula ſerunt inter uos, conantes uos in aliud doctrinæ genus inducere, præ-
 ter id quod iam accepſtis, ac ſtudentes Iudaismo cum Chriſtianismo miſcere. Iſtos ag-
 noſcite, ut agnitos uiretis: Nec erit omnino difficile agnoſcere. Non enim ſyncere, quod
 rectum eſt, docent, nec pure Chriſti negociū agunt, ſed ſuo uentri, ſuiſq̄ cōpendijs ſerui-
 unt, dum blandis ſermonibus & ſuauiſus magis quā ſalutaribus dictis ſeducūt animos
 ſimpliciu quibus facile imponunt ſimulare pietatis pretextū. Nam ueſtra quidē obediētia
 dd 4 . paſſim

Et ante me
 fuerunt in
 Chriſto Ieſu

Matrem eius
 & meam

Deus autē pa-
cis conterat
satanam

Amen
Appendix

passim est diuulgata, quo sanè nomine de uobis gaudeo. Primus enim ad pietatem gra-
tus est obtemperare. Sed etiam atq; etiam circunspiciendum cui obedias. Simplicitas
laudanda est, sed tamen quoniam suspicionem nescit, saepe obnoxia est impostura. Proin-
de uolo uos ita simplices esse, ne cui noceatis, aut ne quem circunueniatis, ut tamen sapi-
entes & oculati sitis, ad ea secunda, quæ bona sunt, & declinanda, quæ pietatis syncerita-
tem uitiant. Non me clàm est esse multos, qui aduersantur Euangelio Christi, per quos sa-
tanus conatur salutem mortaliū impedire. Alij persecutionibus impetunt, alij falso religio-
nis prætextu, à Christo alienant, & ad Moysen pelliciunt. Vos modo perseuerate, non de-
futurus est uestris conatibus deus, quo propugnatore, nihil est quod formidetis. Is enim
ut potentior, conteret, cōminuetq; satanam oppugnatorem, ac uictum prostratumq; pedi-
bus uestris, sua uirtute subiciet, idq; breui. Fautor domini nostri Iesu Christi uobis omni-
bus semper aspiret. Salutat uos Timotheus Derbensis in Euangelij prædicandi munere
collega meus, cūq; hoc Lucius & Iason Thessalonicēsis, & Sosipater Pyrrhi filius, Beroe-
sis, cognati mei. Saluto uos ego nomine Tertius, qui Paulo hāc dictanti epistolam, studio
pietatis scriptoris operam cōmodo. Salutat uos Caius, unus inter paucos, quibus admi-
nistravi baptismum, apud quem nunc diuersor: nec ego solum, uerum etiam uniuersa con-
gregatio credentium, cui illē benignum præbet hospitem, cum est opus. Salutat uos Era-
stus Corinthiorū urbis quæstor ærarius, Præterea Quartus frater. Fautor domini nostri
Iesu Christi uobis omnib. semper adsit, quæ mea uota, rata firmaq; faxit deus. Eī uero, qui
& citra nostram operam potest uos confirmare ac stabilire in isto uitæ instituto, quod iux-
ta meum Euangelium, quo Iesum Christum prædico, accepistis, per quod non lex Mos-
saica prorsus est abrogata, sed arcanum, quod pluribus retro seculis celatum fuit nunc iux-
ta prophetarum præcorum oracula præfertur & aperitur Euangelio coruscante, idq; or-
dinatione iussuq; dei, qui nobis prædicandi munus, & efferendi secreti negotium delega-
uit, ut prouulgato iam apud omnes arcano religionis Euangelicæ, per quam abrogatur
omnis dæmonum cultus, ac cessant Mosaicæ legis cæremoniæ, omnes per fidem obedi-
ant, seseq; deo submittant, qui solus uere sapiens est, gratias agimus per Iesum Christum,
cui gloria in omne æuum, Amen.

Paraphrasis in epistolam Pauli ad Romanos finis.

CLARISSIMO PRINCIPI ET EIDEM REVERENDISSIMO

Præsuli Leodiensi D. Erardo de Marca, nunc Cardinali,

Des. Erasmus Roterodamus S. D.



V M mihi multorum, & literis & oratione tua celsitudo fuerit saepe numero
prædicata, uelut omnibus ornamentis, omnibus affatim cumulatâ dotibus,
quæ magno principe dignæ uideri queant, tamen paucorum dierum con-
suetudine talem eam expertus sum, ut illi per quàm maligne parcesq; ac pro-
pè dixerim inuide tuâ felicitatē, imò nostrâ potius retulisse uiderentur. Itaq;
mutatis in diuersum rerū uicibus, factū est, ut tu iam pridem quorundā prædicatione maio-
rem in modum inflāmatum in nostri uidendī desiderū, à cōgressu moderatius amare cor-
peris, opinor q̃ primum exposulaturus cum his, qui tibi ex tantula musca, tantū fecerint
elephantum: ego contrā, qui prius satis magno tenebar tui desiderio, simulatq; datum est
coram, & cominus te cōtemplari, totus raptus sum in amorē & admirationem tuę magni-
tudinis, moxq; cum his exposulaui, qui te mihi tam maligne depinxerant. Neq; uero hic
cōmemorabo uetustissimā gentis tuæ nobilitatem, clarissimāq; maiorum stēmata, non di-
tionis amplitudinē, non totius corporis prorsus heroicam maiestātē, quæ procul etiam
eximium principem testetur, quāquam haud sum nescius, hisce quoq; rebus animi doteis
cōmendari. Mihi magis admirari libet, quæ magis tua sunt, incredibilem morū suauitatem,
nulli non obuiam atq; expositam comitatem, in qua fit, ut quocunq; te cōuerteris, protinus
hilarescant omnia, ingenium mire deprimi, & in omnia uersatile, nusquam non sibi præ-
sens, nusquam non expromptum, iudicium in omni genere rerum singulare, quod suapte
natura felicissimum, felicius reddidit plurimarum rerum usus, inaudita cōsiliū uim, quo
nomine nostro quoque principi, nostræq; aulæ, cui nuper adiūctus es, gratulor. Ad hæc
haud

haud vulgarem animi propensionem erga pietatem ac bonas literas, quibus utrisq; praemines ipse. Cum primis autem perpetuū pacis studium, qui post tot bellaces episcopos, incredibili prudentia sic moderatus es populum, alioqui satis ad bella praecipitem, ut nec ipse cuiquam praedae fuerit, nec quenquā armis lacessuerit. Arduū ac rarum est, probum agere principē, rarius integrum & incorruptū praefulem. Tu unus utrunq; munus sic praestas, ut uix alius alterutrum possit absolutius, nec minus religionis antistitem geris, quā reipub. ducē. Verum hęc aliās fortasse tempestiuus referentur, & ut arbitror, alijs rectius quā tibi. At interea, ne talē principē, à quo sic essem prouocatus officijs, denuo uacuus, & a symbolo conuenirem, aut ne putares ab hac tua florentissima Academia, praeter aromatum nihil mitti, literarium hoc xenium pauculis hisce diebus adornaui Paraphrasin in duas epistolas ad Corinthios, quo Paulum illū unicū nostrę religionis antistitem, quo cumq; lubitū fuerit circumferas, posthac absq; prolixis cōmentarijs tecum dilucide familiariterq; confabulaturū. Neq; dubito quin huius colloquium sit tibi non minus frugiferum quā uolupte futurum. Primum enim in hisce duabus epistolis aperiuntur permulta de nascentis ecclesię primordijs, de quibus admiror prope nihil esse proditū historia grauiore, cuiq; tuto possis credere, Solus Lucas de paucis apostolis pauca quēdā attingens, Paulum Romam usq; profequitur. Nam Dionysius, qui in Hierarchia secunda, priscos ecclesię ritus satis copiose describit, eruditus recentior quispiam fuisse uidetur, q̃ fuerit Areopagites ille Pauli discipulus. Legi Græcorū Liturgiam, quam illi Chrysostomo tribuunt, cui nihil ferē non tribuunt, mihi non sit uerisimile. Atq; utinam quā Paulus hic attigit, ac ueluti per transennam ostendit, de ritibus ecclesiasticis aliquāto copiosius & explanatius tradidisset. Quā em̃ circūcisse meminit de eucharistia siue synaxi, quasi ueritus, ne quid de tanto mysterio secus diceret quā oporteat, de quo recētiore quidā q̃ illotis, ut aiunt, pedibus, quid non differunt, quid non definiunt. Vt nā illud saltem aperuisset, à quibus, quo tempore, quo cultu, quo ritu, quibus uerbis consecrari soleat panis ille mysticus, ac sacrosanctum dominici sanguinis poculum: e cuius indigna tractatione Paulus crebros morbos ac mortes nasci docet, qui sermo nos quoq; circūspectiores reddere debet, ne forte lues, quę cōpluribus iam annis passim grassatur, hinc nobis orta sit. Tractat aut̃ indigne non solum, qui libidine pollutus accedit, sed multo magis qui liuore, qui odio, qui uirulentia, qui obtrita nōe, qui uindictę studio cōspurcatus, alijsq; hoc genus uitij, quę suapte natura ex diametro pugnant cum Christiana charitate, quā hoc mysterio representamus. Plenus aliquanto differit de dotibus linguarum, interpretationis, prophetię, ceterisq; in quorum locum postea successit cantus ecclesiasticus, sacra lectio & concio. Nam dona sanationum & Apocalypsis, iam olim nos destituerunt, postea quā frigescēte charitate, & languescēte fide, magis ab humanis praesidijs pendemus, quā ope cōlesti. Attingit nonnihil & de iurisdictione ecclesiastica, cum prohibet adiri iudices ethnicos, ac lites per cuniaras per Christianos arbitros transigi iubet. Quin & sibi cognitionem iudiciariā uindictat, cum ait: Vbi uenero, in ore duorum aut trium testium stabit omne uerbum. Rursus in executione demonstrat autoritatē Apostolicam, tradens satana uirum, qui patris uxorem sibi adiunxerat: in cuius rei locū nunc successit excommunicatio, quā hisce tēporibus, mea sententia, plus satis in promptu est, dum passim & quālibet friuolis de causis intentatur fulmen illud terrificum, nec unquā acrius, quā cum pecuniola periclitatur: cum Paulus, si fallor, praeter Hymenæum & Alexandrum, unum modo tradiderit satana: illos quod pertinaciter obliterent Euangelio, cum haberentur Christiani, quos ut damnatos legimus, ita nō legimus restitutos: hunc ob publicum uulgoq; notum incestum: & tamen nec in hunc pronūciauit, nisi ex cōmunibus omnium suffragijs: nec usquam hominis nomen prodidit, in damnando crimen notasse contentus: in reconciliando ne criminis quidem facit mentionē, ut in flagitium scitum intelligas, non in hominem. Neq; tum aliud erat tradi satana, quā ad tempus uitari à ceteris, quo pudor ad relapscentiam adduceret. Nam id admiscet sententię Paulus, in afflictionem carnis, ut spiritus saluus fiat in die domini: ut ipsa quoq; seueritas, qua medetur malo, spiret apostoli charitatē. At mox eundem quanto studio cōmendat Corinthijs, ut correctum blande recipiant in suum consortium, sollicitus ne grauiore moerore absorberetur. Hac poena tum erat contenta lenitas apostolica. Ad hac cum plures essent qui peccarant, in unū modo, quo sit alijs exemplo uoluit

*Ecclesię ritus
per manus uerius
quā per
litteras tradi-
tus*

*Eucharistie
mysterium*

Dotis priſcæ

*Iurisdiclio ec-
clesiastica*

Excommunicatio

uoluit animaduerrere, sed mihi supplicio, immo remedio potius quàm supplicio. Catroes per epistolas crebris minis territat, quo resipiscant, ueluti non habiturus saeuendi ius in eos, qui sua sponte resipuissent. Nunc quàm tyrannice sequimur in plebeculam, ipsi nobis grauiorū scelerum conscij. Sed interim, huius incesti damnati ac recepti argumēto, exploratum est dogma Montani ac Nouatiani, qui lapsum grauiter à baptismo nō recipiūt in gremio Christianum. Quanquā Augustini temporibus semel duntaxat dabatur locus publicæ poenitentis, ne frequenti usu uilesceret remedium, etiāsi relapsis in idem flagitium non adimit ueniæ spem apud deum, hac de re pluribus differens in epistola ad Macedonium, quæ nunc habetur quinquagesima quarta. Ab eodem exēplo natæ sunt canonicæ satisfactioes, quas olim seuerissimas fuisse testantur ueterū pontificū decreta. Ab his rursus ortas apparet, quas nunc uulgo uocant indulgentias, quibus utinam nobis cōtingat tam pietate ditescere, quàm quorundam arcæ nummis locupletantur. Ac primū de poenis solennibus ab episcopo indictis, relaxabatur aliquid, sed ut parce, ita non nisi ob graues piæque causas, nunc passim uenditur purgatoriarum carnificinarum remissio nec uenditur modo, sed obtruditur nolentibus, nō iam dicā ob cuiusmodi causas. Iam pseudapostolos, tamedī Paulus sciret esse pestilentissimos, tamen tolerat ad tēpus, ne sequiens in paucos, publicū ecclesiæ statum perturbaret: non abhorrens ab Augustini sententia, qui quosdam clam, non palam arguendos putat, ne ad maiorem infamiam cōcitentur, & ex flagitiosis fiant uel tyranni, uel hæresiarchæ. Quin & inferendis legibus apostolico munere fungitur. De matrimonio concesso aut inconcesso, pari & impari, de digamia, de diuortio: quorum alia suadet utiilia, rursus alia præcipit ut necessaria. Ex his quædam mea sententia satis, ne dicam plus satis, mordicus tenemus, ueluti de diuortio, quædam porus abrogata sunt, ueluti quod Paulus suadet, ut uxor Christiana adhæreat ethnico marito, si is non querat diuortium. Præscribit & de carnib. idolothytiis, de quib. & in Actis decernūt Iacobus & Petrus, quod nunc fortasse locū non habet, cum nemo iam sacrificet dæmonibus. Etiāsi huic quoque decreto iam derogatū est, quod suffocato & sanguine uesci nefas non habeatur. At Ambrosius sub interdictio sanguinis, omniū animantiū quæ sanguinem habent esum prohibitum interpretatur: & ob id à Græcis ex superuacuo adiectum de suffocato, q̄ qui prohibet simpliciter, ne uescamur pecude, idē prohibet edere de suffocato. Verū an Ambrosianæ sententiæ subscribendū sit, alijs uiderint. Mihi purioris Christianismi uidetur, magisque consentaneum Euangelicæ & apostolicæ doctrinæ, si nulli certū cibi genus præscribatur, sed admoneantur omnes, ut quisq; pro corporis habitu uescatur, quæ maxime conducunt bonæ ualitudini, non ad luxū, sed ad sobrietatem, cum actione gratiarū, ac studio bonæ mentis. Sed ut currat oratio, docet hic obiter Apostolus, quatenus mos gerendus infirmis, & quatenus uitandum offendiculum, uidelicet ubi præsens imminet fidei periculum, & offendiculi occasio penē est inuincibilis, tum reperta & ex pristino uitæ instituto relicta, nō nata ē nobis & accersita. Nam an Augustino sit assentiendū, qui in epistola quadā ad Publicolam, in qua uarias quæstiones tractat huius argumenti, existimat simpliciter esse rectius fame mori, quàm immolatijs carnibus forte repertis uesci, si cōstet esse immolaticias, aliorum esto iudiciū, cum Paulum hic nihil offendat, nisi infirmi offendiculum, palamq; clamitet nec idolū, nec idolothytū esse aliquid: & indignetur quod male audiat ob id, pro quo ipse gratias agit. Quo scrupulo sublato, quid est cur fame moriatur Christianus? Neque enim similia sunt, quæ confert in libro de bono coniugij, suscipere liberos & mori fame. Neque Paulus hanc admiscet circumstantiam, quin potius abstinere pro tēpore iubet, cum unde uis alioqui suppetat, quo uentrem sedare possis latrantem. Si mihi cōceditur furtiuo cibo uitam prorogare, cur ob alienam suspicionem mori iubeor? Atq; hæc quidem tum erant constitutionū ecclesiasticarum rudimenta, cum nondū de dignitatibus ac præbendis, nondū de pallio & usu pallij, nondū de decimis prædialibus ac personalibus, nondū de re præfalijs quæstio uerteretur. Ad hæc aperitur nonnihil de censu, salariisq; sacerdotum, cum palam inculcat equū esse, ut qui seruiunt Euangelio, uiuant ex Euangelio: sed uiuant, non ditescant, non satrapas agant, neq; uiuant tamen, nisi seruiant & assideāt altari. Quamquam ipse ius hoc alijs defendens, sibi non usurpat, etiam si plus omnibus in Euangelij negocio laborans. Hanc egregiam ac uere generosam Pauli mentē tot iam seculis nō uideo qui studeat æmulari. Nihil gratis genitur, imò exigitur præmium, nec præstatur officium, cum

cum apostoli ultro delatis sint usi, Paulus ne delatis quidem. Colliguntur & pecuniae, sed quae sponte conferebantur ab his, quibus supererat, non extorquentur: & colliguntur in usus sanctorum egentium, non in luxum ditiorum: & ita colliguntur, ut hinc nec ad Paulum, nec ad Titum, per quos agebatur negotium, quicquam omnino compendij rediret. Vnde post natum apparet, ut ecclesiae multorum opes committerentur in uiduarum ac senum aliorumque necessitates erogandae, quas postea quorundam improbitas in suam uertit tyrannidem. Mittuntur ultro citroque legati, quibus & suus habetur honos, tum in excipiendo, tum in deducendo: sed opinor pompam fuisse frugaliorē, quam hodie uidemus. De mandatis enim nihil disputo. Gratulandum auctis ecclesiae rebus, si cum splendore strepituque tantumdem creuit religio. Neque tamen id temporis apostolis sua defuit dignitas ac maiestas, non defuere praesidia. Iactat Paulus arma sua non carnalia, sed spiritualia: potentia, non armatis ferro copiis, sed praesidio dei: non ad demoliendas urbes, non ad depredandum populum, aut trucidandos homines, sed ad deiciendam omnem cogitationem erigentem sese aduersus consilium dei. Ea cuiusmodi sint, clarius etiam explicat Ambrosius in libro de uideis: Ecclesia, inquit, non armis secularibus uincit aduersarias potestates, sed armis spiritualibus, quae sunt fortia deo. Ac paulo post: Arma, inquit, ecclesiae, fides: arma ecclesiae oratio est, quae aduersarium uincit. Succinit huic sententiae Nicolaus papa, cuius uerba referuntur in sententijs theologicis lib. 4. dist. 37. 6. His adijciendum. His armis, his copiis, & sic instructo milite Paulus bellator inuictus subacta Graecia, magnaque minoris Asiae parte, Romanum aggressus est, ac cepit imperium, tum nullis regum armis expugnabile. Quicquid autem terrarum subegit, Christo subegit, non sibi: cuius praesidijs hoc ipso ducem inuictum praestitit, quod nullis humanis praesidijs niteretur. Coeleste regnum, coelestibus armis asseruit, & Euangelicam militiam, Euangelicis opibus gessit. Corarius pontifex, peripsema mundi, sed electum organum Christi, cuius humili sublimitate, & facunda infantia, atque eloquenti balbutie suum nomen uoluit per superstitionis Iudaeam, per eruditissimam Graeciam, per regnorum omnium reginam Romam illustrari, in quem uere competit, quod olim in Periclem, nisi fallor, dictum est, Fulgurat, tonat ac miscet, non Graeciam modo, quemadmodum ille, uerum etiam uniuersum terrarum orbem. Caterum illud interim mirari subit, in ipsis statim initijs ac rudimentis periclitatam fuisse doctrinam Euangelicam, ni Paulus omni, quod aiunt, pede contra stetit, non aliter quam foetus quidam de uita periclitatur, priusquam in uitam emerferint. Tanta zizaniorum uis coorta est, quae teneram etiam nunc, & herbescentem Christi sementem penè obruit, mox philosophia mundana, mox Iudaica superstitio, ceu composito iunctis copiis in Christum conspirabat. Philosophia dissuadebat resurrectionem, et humanis argutijs non nihil uitare coepit Euangelij sinceritatem. Iudaismus totum Moysen uel usque ad circumcisionis iniuriam nobis inuexerat, ac coelestem illam philosophiam ad crassas frigidisque ceremonias pertraxerat, nisi strenuissimus hic Isaac noster tot puteos Euangelicae uenae, tot fontes uiui laticis aduersus Philisteos, omnia terra opplentes, aperuisset. Philosophia tum per morosophos suos libris ac linguis, per tyrannos gladijs etiam grassabatur in pusillum ac simplicem Christi gregem, uestigijs & in hac usque temporis relictis. Iudaismus per apostolos personatos, sub umbra praetextuque pietatis perniciosius etiam irrepebat, adeoque totam Christi segetem occupauit, ut ne nunc quidem reuelli possit. Certe diuus Augustinus in epistola quadam ad Ianuarium, quae nunc habetur numero cxi. testatur in Africa tanta superstitione obseruari solere pelluuiam, quorum meminit & Iuuenalis, ut grauius corripere, qui per octauas suas terram nudo pede tetigisset, quam qui mentem uinolentia sepelisset, stomachans & indignans ecclesiam Christi, quam paucissimis celebrationum sacramentis misericordia dei esse liberam uoluit, tot seruilibus oneribus premi, ut tolerabilior uideretur conditio Iudaeorum, qui etiam si tempus libertatis non agnouissent, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumptionibus subicerentur. Sed huiusmodi zizania utcumque tolerat, licet inuitus, illud nullo pacto ferendum putat, utpote palam repugnans fidei sanctaeque doctrine, quod quidam sic ab esu carniū abstinerent, ut eos qui uescerentur pro immundis duceret. Extant & huius superstitionis hisce temporibus non obscura uestigia, plerisque bonam pietatis partem in ciborum delectu ponentibus, quos ex a quo deus creauit ad uescendum, cum gratiarum actione. Nec hic minus praeposterum iudicium, quam apud Aegyptios in pedum lotionem, dum nemo ferè non grauius crimen existimat

Collatio

Legationes
apostolicaePraesidia apo
stolicaPericula no
stra religiois

Gen. 16 et 26

Iuuenalis Sat
yra sexta

*Hæreses anti-
que*

*Vita Chri-
stianorum*

Pseudapostoli

2. Timoth. 2

existimat, die sabbati carnibus uesci, quàm mendaci uirulètia famam fratris incessere, aut etiam hominem ferro iugulare. Erant qui iuxta Pauli uaticinium in totum prohiberēt nubere. Ex qua superstitione relicum uidetur, quod diuus etiam Gregorius Romanæ ecclesiæ usu receptum, præcipit obseruandum, ut uir qui cum uxore propria rem habuisset, abstineret aliquādiu ab ingressu templi, nec ingrederetur nisi lotus, noctem, ut ait ille, flumine purgans, ac rei superstitionis causam adfert: non addam qualem, nimirum hanc, quod licet honestum sit matrimonium, tamen uoluptas, sine qua non constat coitus, nullo modo possit esse sine culpa. Quod dico, refertur in sententijs theologicis lib. 4. dist. 31. 6. Sed forte aliquis. Ficulnum uero auxilium est, quod ibi cōminiscitur magister, hoc intelligendum de congressu per incōtinentiam: qui dicit nullo modo, nihil excipit. Quin & aliarum hæreseon, quamuis sublata sint uocabula, tamen reliquias ac ceu cicatrices quasdam licet hodieq; deprehendere, uelut eorū, qui dicebātur Esseni, qui Ebionitæ, qui Apostolici, qui Psalliani, siue Euchitæ, ne quid attingam de Simoniacis, quæ uox iam olim habetur inter obsoletas. Verum huiusmodi sectarū dissidia, quibus postea totus propè conflagrauit orbis, præsertim Ario duce, rebus tam ambigujs, ut incertum esset utrò se mundus inclinaret, uiuo etiam Paulo pullularunt, non de condonationibus, aut applicationibus, aut id genus alijs, quæ nunc obtorto collo trahimus ad fidei materiam: sed de resurrectione mortuorum, quæ caput ac basis est nostræ professionis. Aduersus hanc pestem, quanquā acerrime depugnat Paulus, tamē adhuc uereor ne spiret etiamnum in quorundā animis hæc excetra: quandoquidē apud Italos quotannis in publicis cōcionib. conantur asserere resurrectionem, existimantes rem in portu fore, si docuerint Aristotelē non sustulisse prorsus immortalitatē animarū. Nihil enim interim dicam de conuiuiorū fabulis. Porro quid credant alij, non est meū diuinare: certe, quod est in propatulo, sic uiuunt quidam, præsertim potentes in hoc mundo, quasi de futuro seculo nihil omnino credant. Atq; utinā hic quoq; Paulus aliquanto plus lucis nobis aperuisset: qualiter extent animæ semotæ à corpore, & ubi nam extent, an fruantur immortalitatis gloria: an impiorū animæ iam nunc crucientur, an eis subueniāt nostræ preces, aut alia benefacta, an indulgentia summi pontificis subito liberentur à pœnis, quādo uideo multos super hisce rebus ambigere, aut certe disputare, quod superuacuum erat, si Paulus aperte definisset. Ad hæc cū in Christū renatos cōueniat ueterē hominē exuere cum actibus & affectibus suis, tamen uidemus adhuc Euangelio recenti, præsidente Paulo, libidinē, auaritiā, contētionē, ambitionē, dissidia, cæterasq; pietatis ac bonorum morū pestes in populū irrepisse, quædam uitia ex superiori uita relicta, nō potuisse prorsus atq; à stirpe reuelli, ne quis admiretur his tēporibus esse, in quibus, quia refrixit charitas, abundet iniquitas. Quin uiuo etiamnū Paulo ingesserant sese pseudapostoli, qui rem Euangelicā in suum quæstū uerterent, qui Christi gloriam in suam tyrannidem transferrent, qui se prædicarent magis quàm deum: qui pro Christo mundum, pro spiritu carnem docerent: qui cœlesti doctrinæ, doctrinas hominum admiscerent: qui fundamento Christo structurā indignam inducerent, hoc nocentiores hostes ecclesiæ, quod hæc agebant sub prætextu Christi, quod apostolorū titulo personaq; commendati. Atq; utinam hodie nullos haberet pseudapostolos ecclesia Christi. Vtinam omnes, qui in Euangelij prædicandi uices successerunt, ad exemplum Pauli, Iesum Christum non ad quæstum, non ad ambitionem, non ad gratiam potentum, non ad odium aut fauorem hominum, sed pure syncereq; prædicarent. Paulus enim ipse uinculis alligatus gloriatur sermonem domini non esse alligatum. Nunc pro dolor cernere est quosdam, qui potentum salarijs in hoc ipsum uelut autoramento redempti, non tam eā prædicant, quæ faciunt ad Christi gloriā, quæq; ad ueram pietatem, quàm quæ conducunt ad uenanda sacerdotia, ad illaqueandas dignitates, ad irretiendos episcopatus: ibi fortes ac uocales, ubi non tuta modo, uerum etiam quæstuosa est adulatio: rursus ubi damnosa ueritas, magis muti uel ipsis piscibus. Quod si sal insulsus esse cœperit, quid superest, unde salietur insipidus popellus? Si lumen uertitur in tenebras, quid discuriat imperitæ multitudinis caliginem? Si pastores uertuntur in lupos, quæ spes gregis? Si cæci sunt qui uia duces agunt, quis reuocabit ab errore? Si caupones sunt, qui patres esse debebant, quis erit usquam synceritatis locus? Adeo ne plus apud nos ualeat hominum terror, quàm timor dei: Plus humanis, quàm diuinis præmijs cōmouemur? Nisi forte nobis ipsis primum adulamur, quo perditius adulemur

adulemur alijs. Paulus non patitur quenq̃ mortale pradicari, non patitur Euangelij laudem in homines transferri. Nunc quidam uelut antiquato Christo, nouum idololatriæ genus inuehūt, ex hominib. ut ita loquar, deos faciētes. Interim imponitur plebi, interim populus nō simplici premittitur tyrāide. Hæc pleriq̃ perspicimus, & tacemus: nec solum tacemus, sed diuersam etiā partem adiuuamus. Fateor, inquit, esse rectum, sed tutum non est. Si apud Christianos tutū nō est Euāgelium p̃tē libereq̃ pradicare, ubinā id tuto fiet? Quod si hic metus apud oēs ualuisse, quis nobis tradidisset Euāgelium? Et ideo fortassis procerum aures ægrius ferunt uera cōsilia, quod nimium illas assuescimus assentationi. Non hæc loquor quo quenq̃ taxem, utinā nulli sint, in quos hæc uere cōpetant. Non prodentur a me, sed ipsi sese libris æditis, ipsi se publicis cōcionibus quotidie produnt, tam impudēter assentātes, ut ipsis etiā mimis sint de ridiculi. Vox ea, quā pietati dicatā esse oportebat, seruit quæstui: quæ docere debebat regnum cœlorum, subseruit regnō mundi: quæ Christi mysteria debebat enarrare, narrat hominū somnia. Euāgelica tuba, quā intendi iubet Esaias ad ebuccinandam dei gloriā, in citharā uersa, delinit aures hominum. Lingua, quam idem gloriatur sibi datā eruditā, ad reuellenda uitiorum plātaria, ad inferenda semina pietatis, ad usum longe diuersum accōmodatur, docens quod non oportet, & insectās quod laudatum oportuit. Lingua canis, qua decuit cum māsuetudine mederi uulneribus nocentis, sæpe lacerat famā innocentum, imō quod est foedius benemerentis. Hæc nobis uice reli est, quo cōfodimus, si quis nos offendat, imō si nec offendat, sed officio prouocet. Dicas medicā illam linguā, uersam in linguā uiperæ. Quin potius Paulinam imitamur linguam, quæ præter dominum Iesum nihil sonare potest. Quin potius meminimus prædicatorem angelum esse domini, e cuius ore populus legem expectat dei, nō conuicta in membra Christi, plurimumq̃ interesse inter hierophantā & sycophantā, inter theologum & spermologū, inter doctorem & delatorem. Hic episcoporum partes desiderantur, quorum est curare, ne passim cui uis detur locus apud populum cōcionandi. Nec satis esse credamus ad munus apostolicum obeundum, gestare cucullam. Non oēs qui linguā habent, cor habent: sed his de rebus aliās fortasse cōmodius dicitur. Nunc ut ad id, quod in manib. erat, redeā: Cum Paulus noster ubiq̃ uaser sit, ac lubricus, in his tamen duabus epistolis sic polypum ac chamaeleontem, sic Proteum, ac Vertumnū quendam agit, ut cum Corinthijs plus quam Græcis agens, quodāmodo iuxta uetus prouerbiū *ἡ ἐκ κεντρῶν κρητίζου* uideatur, in omnia se uertens, quo illos transfiguret in Christum. Adeo ceu per uarios labyrinthi flexus, sese uoluit ac reuoluit, subinde alius atq̃ alius nobis prodies. Quam supplex ac blandus alicubi, obsecrat per mansuetudinem Christi, rogat, ut ferant stultitiam suam aliquantisper, rursus austerus ac minax clamat: An experimentum queritis per mentis Christi? Alibi sese dericiens peripsetma se uocat, abortiuum & indignum apostoli nomine, ac mox ingens & erectus summis etiā apostolis se præfert, hic humi repit, illic è tertio cœlo nobis apparet. Nunc collaudat Corinthiorum pietatem, mox in uita illorum detonat. Quadam palam exigit, quædam ceu per cuniculos insinuat. Alicubi imperitus sermone, nihil nouit nisi Iesum, & hunc crucifixum; alibi sapientiam loquitur inter perfectos. Alicubi cordatum ac sobrium agit, ac rursus alibi sumit sibi stultū parumque sobrii personam. Nunc suum ius sibi fortiter asserit, mox illis blande remittit. Ex animo loquitur alicubi, est ubi *ἐπαυδά*, Condonate, inquit, mihi hanc iniuriā. Reperias ubi sibi parum constare ut deatur, ita sui dissimilis, ut maxime tamen sit sui similis: ita inconstans, ut maxime constans. Nusquam enim non agit Christi negocium: nusquam nō cōsulit gregis sui commodis, fidi medici ritu, nullum remediorū genus non admonens, quo perfectā sanitatem suis restituat. Sudatur ab eruditissimis uiris in explicandis poetarū ac rhetorum cōsilijs, at in hoc rhetore longe plus sudoris est, ut deprehendas quid agat, quod tendat, quid uetet, adeo stropharum plenus est undiq̃, absit inuidia uerbis, Tanta uafricies est, non credas eundem hominem loqui. Nunc ut limpidus quidam fons sensim ebullit, mox torrentis in morem ingenti fragore deuoluitur, multa obiter secum rapiens: nunc placide leniterq̃ fluit, nunc late, uelut in lacum diffusus expatiatur. Rursum alicubi se cōdit, ac diuerso loco subitus emicat, cum uisum est, mittis Mæandris, nunc has, nunc illas lambit ripas, aliquoties procul digressus, reciproco flexu in sese redit. Quo magis admiror quosdam, qui cum uix primoribus labris gustarint rudimenta grammatices, nec omni

Esa. i

Vafricies
Pauli

nino sciant, quid sit dicere, tamē Pauli linguam intelligere, rem facilem, ac penē puerilem existimant. Quid nos præsiterimus, aliorum erit iudiciū. Ambrosiū ac Theophylactum Bulgarientem episcopum potissimū secuti sumus, quorum hic tametsi recētiore est, tamen ueterum interpretū Græcorum cōmentarios legit, qui nobis interciderunt. Et tamen hos duos sic habuimus in cōsilio, ut semper id amplecteremur, quod ex sentētia Pauli maxime uideretur. Fidei meæ Paulum ipsum testem facio. Video præfationem a quo longiorem, nec habeo quo lēmate culpā deprecē, nisi quod hic error mihi cū multis cōmunis est, hac præsertim tempestate, & amor erga te meus me fecit aliquāto loquaciorem. Celsitudinem tuam incolumem, ac florentem nobis quā diutissime seruet princeps ac dominus noster Christus Iesus. Anno 1519. Nonis Feb. Louanij.

IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS PRIOREM ARGV
mentum per Des. Erasmus Roterodamum.



Orinthus Achaia metropolis olim erat, ob portuum cōmoditatē (est enim Isthmos) emporium totius Asiae, tum celeberrimū, tum opulentissimū. Fere fit aut, ut eiusmodi ciuitatum mores multo sint corruptissimi, quod undiq; ex omni natione, non tam mores q̃ uitia solent importari, & magnam uitæ licentiam negotiatorū genus sibi uindicat. Proinde Corinthij, tametsi prædicatione Pauli tam pridem Euangelicā doctrinā acceperant, tamen adhuc ingenij uitæq; prioris uestigia nōnulla, ac reliquiae manebant, adeo ut periculū esset, ne per philosophos crucis prædicationē, ut humilē & indoctā fastidientes, & pseudapostolos ad Iudaismum inuitantes, à Christi sinceritate alienarentur. Vsq; adeo ardua res est, & ab ijs in quibus natus sis, & quib. diu assueueris, in aliū hominē transformari. Quin diuus Hieronymus in præfatione secundi libri cōmentariorū, quos scripsit in epist. ad Gal. testatur: sua etiam num ætate apud Achaicos horum, quæ Paulus Corinthijs obijcit, extitisse reliquias, cum hodie satis esse putemus, aquula modo tingi, ut subito fias absolutus Christianus. Paulus igitur sciens, nō minoris esse uirtutis parta tueri, q̃ parasse: filios suos, quos magno studio Christo genuerat (nam sesquianum apud illos egerat) pari studio ad Christū reuocat, & in Euāgelica doctrina confirmat, nunc apostolica sæuens autoritate, corripiēs, obiurgās, ac minitans deniq; nunc paterno affectu blandiens, atq; exhortās, & necessaria rephensionis acrimoniā laudis admixtu leniens, ac sapientum medicorum exēplo, amarū ablinthij pharmacum prælito melle cōdulcans, singulisq; malis oportuna admouens remedia. Primum opulentiae comes solet esse tumor, ac ferocitas. Et inter feroces plerunq; factiōes oriūtur, dum nullus alteri uult cedere, & se quisq; potiorē ducit. Ad hæc opes comitatur luxus, & gulæ studium. Luxus libidinē comitem trahit. Porro negotiatorū peculiaris est auaritia. Neq; uero solum tumbāt opibus Corinthij, uerum etiā Græcanicę philosophię supercilio, qua destitutos ceteros ut barbaros despiciēbāt. Tumoris erat, quod ex dignitate apostolorum, à quo quisq; fuerat baptizatus, efferrent sese. Hinc illę dissidiorum uoces, ego Apollo, ego Cepha, ego Pauli. Præterea quod ne in cōuenticulis quidem solennibus satis inter eos cōueniret, cum in donis spiritualibus sibi quisq; placeret: & dum in eodem dono sibi nolunt inuicem cedere, tumultus & confusio nasceretur, adeo ut in publico conuentu mulieres etiā loquerētur, ac docerent. Porro luxus simul & tumoris erat, quod quoties ad sacrosanctā coenam cōuenirēt, quam Paulus dominicā uocat, in qua maxime cōueniebat præstare Christianam concordiā, diuites non expectatis tenuioribus cibum caperent, & usq; ad temulentia se ingurgitarent, esurientibus ceteris: ut iam nō solum dissidium illic esset, & intēperantia, uerum etiā indecora quēdā inæqualitas, quam dominica coena nesciebat. Iam partim tumoris partim philosophiæ uitium erat, quod Paulum quidam illorum, ut tenuem atq; humilem, deinde ineloquentem & imperitū fastidirent. Proprium uero philosophię fuit, quod resurrectionē mortuorū, fidei nostrę basim, in dubium uocarent. Luxus erat, quod promiscue uescerentur ijs, quæ tum simulachris dæmonum immolabantur, non uitato offendiculo infirmorum. Libidinis erat, quæ nusquā gentem regnabat impunitus, q̃ Corinthi, q̃ præter alia repertus sit inter eos, qui patris uxorem, hoc est nouercā suā stupro cōtaminarit, nec huius autorem flagitij e suo cōubernio profligant: quodq; cum alijs flagitiosis Christianis cōmercium habuerint, uelut illorū uitia fauentea

uentes. Huc pertinet, quod prater decorum, & uiri essent comati, & mulieres nō uererentur nudo capite cōspici in cōtū ecclesiasticō, uelut ipso corporis habitu mōres efformaret, ac delicias prae se ferentes. Auaricia erat, quod nō de fama, neq; de capite, sed de re pecuniaria inter sese lites agitent, eō gliscente pecuniā studio, ut Christiani rerum eiusmodi cōtemptū professi, apud ethnicos & impios iudices litigarent, magno dedecore Christiani nominis, & adeo nō negligerēt potius pecuniolae iacturā, ut ipsi ultro alios in huiusmodi negocijs circūuehrent. Postremo de matrimonio inter sese dissentiebant, iam tum asseuerantibus quibusdā, Christianis in totum à cōiugio tēperandū, cum uiderent apostolos ab uxoribus suis abstinere. Morbos ostendi Corinthiorū, nō omnium, sed quorundam, qui ne gregē uniuersum cōtagio inficerent, Paulus his remedijs occurrit. Primo loco prae fatus fiduciā suam de futura illorū cōstantia in Euangelio Christi, seuerius obiungit ac docet, ne per cōtentionē humanā in hominib; glorientur, sed per concordia ex a quo gloriantur in Christo, cui uni accepta ferēda sunt omnia, obiter indicās fontem eiusmodi dissidiorum, animi tumorem esse. Proinde à supercilio mundanae philosophiae ad crucis humilitatem reuocat, quae licet ostentationē non habeat, uim tamen & energiā habet. Indicat & autores huius mali pseudapostolos, qui post Pauli abitū sese ingerebant, declarans se recūm iecisse fundamētum, cauendū ne illi superstruerent, quod paulopost esset demolendum, hoc est ne quid discerent Corinthi, quod mox esset dediscendum. Deinde ceu pater cum filijs expostulat, quod huc prouecti sint magnitudinis, ut iam autorem suum uelut humilem contemnant, nihil non perpetientem Euāgelij gratia, cui ob id ipsum magis etiam fauere conueniebat. Hortatur autē filios, ne degenerent à patre, neu ultro se paedagogis inferuitutem dedant. Atq; haec quidem potissimū agit cap. I. II. III. & IIII. Porro quarti finis ad quinti initium mihi uidetur pertinere. De incesto praecipit, & publico cōsilio decernit, uitandā hominis consuetudinē, partim quo pudore correctus resipiscat: partim ne huius contra cū ceteri inficiantur. Admonet autē non hunc modo uitandum, uerum etiā omnes, qui falso titulo Christiani, manifestis flagitijs essent infames. Nam ethnicos non ita oportere uitari, uel quod nostra nō referat, quales illi sint, uel quod passim essent flagitiosi, ut omnes uitadi fuerint ei, qui flagitiosos uellet effugere. Haec agit cap. V. Tertio de litibus admonet, si quid huiusmodi quaestionū inter ipsos nātū esset, quod ipsum tamen inter Christianos foedum uideretur, ob pecuniā, quae nobis debeat esse uilissima, contendere: ne res eō procedat, ut ethnici iudices adeantur, sed ipsi per arbitros quoscunq; rem inter se transigant. Idq; agit cap. VI. cuius magna pars ad septimū pertinet, mea quidē sententiā, nimirum ab eo loco, quo de matrimonio tractaturus, inter cetera uitia, scortationem, adulterium, & masculā uenerem dānat, idq; prosequitur sub initium proximi capituli: Nescitis quod membra uestra templa sunt Christi? Quarto loco praecipit de matrimonio, de uiduitate, de impari cōnubio, de diuortijs, de uirginitatē, obiter admonens ob susceptum Christianismū non esse mutandū externum uitae statū. Totoq; hoc sermone uia hortatur ad cōlibatū & cōtinentiā, ut tamen cōiugij remediū non adimat ijs, quibus opus est. Hoc agit cap. VII. Quinto docet carnes immolatas simulacris, re nihil differre à ceteris carnib; & tamē ab his abstinendū, si periculū sit, ne quis ethnicus aut Christianus infirmior, ex eo quod uesceris existimet te simulacrorū assentiri culturā. Ab his & huiusmodi uitijs ueterum exēplo deterret. Idq; agit cap. VIII. ac rursus cap. IX. Nā in medio ex patiat in cōmendationē suā, tacite se praefereēs ceteris apostolis, etiā summis, qui solus omnium Corinthijs gratis impartierit doctrinā Euangelicā. Sexto docet quid oporteat obseruari in cōuentu publico Christianorū, ne uiri sint comati, ne mulieres nudo capillitio, tū in dominico conuiuio seruetur cōmunitas & aequalitas: neq; enim illis agi negocium uentris, quod domi rectius agatur, sed mysticis epulis repraesentari cōnā dominicā. Praeterea monet, ne quis ob dotem spiritualement sibi placeat, sed suam quisq; dotem in cōmune cōferat cōmodum, exemplo mēbrorum corporis exhortans, ut reliquis quidem donis, quae contigerunt, res se utantur, praecipue tamen enitentur ad charitatem, sine qua reliqua adeo nihil conducant, ut officiant etiā. Porro cum inter dona spiritus charitati primas tribuerit, proximas tribuit prophetiae: sic em uocat enarrationē arcanā scripturę. In hac admonet uitadum esse tumultū & confusionē. Id fore, si uicissim & pauci dicāt, mulierib; interim silere iussis, adeo ut nec discēdi gratia rogare liceat in cōtū. Haec agit cap. X. XI. XII. XIII. & XIII.

Septimo loco uarijs argumentis astruit resurrectionem mortuorum, declarans qualis & quibus modis sit ea futura. Atq; id quidem cap. xv. Postremo capite familiaria quadam subiicit, de collatione pecuniae in subsidia pauperum, de suo ad Corinthios reditu. Postremo Timotheum et alios aliquot illis commendat. Diuus Ambrosius putat hanc non esse primam epistolam, quam Paulus scripserit Corinthijs, illam opinor coniecturam secutus, quod capite quinto: Scripsi, inquit, uobis in epistola, quasi prius alteris literis super hac re ad illos scripserit, etiamsi Graeci interpretes dissentiunt. Hanc missam putant per Timotheum, cuius semel atq; iterum facit mentionem, simulq; per Stephanam, Fortunatum, & Achaicum, quos illis comendat. Rursus alij putant ab Epheso missam, quod in calce scribat: Permanebo autem Ephesi usq; ad Pentecosten. Alij e Philippis, nam hanc inscriptionem habent Graecorum codices. Nec mihi coniectare licet quid secuti sint, qui ita senserunt, nisi colligunt ex itinere scriptam, ob ea quae scribit Paulus: Veniam autem cum Macedonia pertransiero, nam Macedoniam pertransibo. Ac mox: Nolo enim uos modo in transitu uidere.

ARGUMENTI FINIS.

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

PAULI AD CORINTHIOS PRIOREM PER

Des. Erasmus Roterodamum

Vocatus



Sanctificatis
in Christo
Iesu

Gratia et pax

PAULVS non pseudapostolus, nec usurpator apostolici muneris, quales apud uos sunt quidam, sed ascitus ad hanc functionem, ut Christi legatus essem, non legatus hominum. Ascitus autem non meo merito, sed tantum, quia sic uisum est benignissimo deo, patri, ut meo ministerio filij gloria diffunderetur, ne quid forte uos huius apostoli poeniteat, aut alios desideretis. Paulus igitur ille uobis non ignotus, simulq; mecum religione frater, muneris societate collega Sosthenes, epistolam hanc scribimus, non factionibus, ac dissidio decertantibus, sed ecclesiae congregationi, quam dei, cuius iussu fungor hac legatione, bonitas unanimi concordia, mutuaq; sicuti Christianis dignum est, charitate cōglutinauit Corinthi, nouam ac coelestem urbem in ueteri cōdens, & ex humano populo coelestem substituens, uidelicet repurgatam à pristinis uitijs et cupiditatibus, fastu diuitiarum, supercilio philosophiae, reliquisq; morbis, unde solent inter mortales pullulare diffidia ac digladiationes: à quibus oportet longissime abesse, quos idem deus, idem assertor Christus, idem baptismus, eadem religio, idem praemium, tot modis cōnectit & copulat. Pristinam uitam semel gratis abstulit Christus, ut posthac innocentiam restituta, sancte uiuendo tueamini. Non enim uestro merito uobis ea parata est, neq; enim ea debetis, uel opulentiae, uel philosophiae, uel obseruationi legis Mosaeicae, sed Christo Iesu, qui uos semel expurgatos suo sanguine uocauit ad iugem perpetuam uitae integritatem ac sanctimoniam. Neq; uero sermo hic ad uos solos pertinet, pertinet ad oēs, quicunq; ubilibet terrarum profitentur nomen domini nostri Iesu Christi, & suis opibus diffusi, ab huius pendet praesidio, siue apud Iudaeos, siue apud gentes. Eadem est omnis ecclesia, idem cōubernium, uni Christo debent ex aequo cuncti, quod à uitiorum foedissimo seruitio manumissi sunt, & ad sanctimoniam professionem delecti. Nec locus, nec genus discernit Euangelij causam, Christus ex aequo communis est omnium, aequae gratuitum est, quicquid ab illo cōfertur in quoscunq;. Proinde tum illis, tum uobis communem opto gratiam atq; concordiam, quorum utrunq; non alius praestabit, q̃ is cui debetis omnia, deus pater, à quo ceu fonte omnis nostra felicitas proficiscitur, ac dominus noster Iesus Christus, per quem unum is uoluit esse collata omnia. Gratia tuebitur innocentiam, hanc comitatur concordia. Illa uos à peccatis assertos, deo reconciliat, haec uos uobis inuicem conciliat. Per illam ita sentitur beneficium, ut autor non ignoretur: per hanc declaratur, quod non titulo tenus modo, uerum etiā ipsa re Christianismum sitis amplexi. Per illam coelestis beneficentiae participes estis, per hanc quod diuinitus accepistis, promodulo uestro uicissim alij in alios transfunditis. Est per diuinam munificentiam, de quo uobis grauler

gratulet, atq; illi gratias agam. Est rursus quod in uobis desiderē, quodq; correctū malim. Sunt inter uos qui professioni suæ respondeant, sunt in quibus pristinae uitæ reliquias uestigiaq; agnoscas. Nam ut uestra cōmoda pro meis duco, ita si quid secus est, mea referre puto. Proinde nō cesso gratias agere deo meo uestro nomine, quod huius bonitate, sic exuberarit in uobis Christi munificētia, ut qui antehac opes terrenas, fluxas ac tēporarias uenabamini, nūc cōlestibus nec unquā perituris opibus Christi beneficio sitis locupletati, quæ solē uere beatos reddunt. Nullū est enim uel sermonis, uel sciētiæ donum, quod non sitis ampliter assecuti. Dudum inanis philosophiæ supercilio tumebatis, nunc pro falsa ueram amplexi sapientiam, colitis modestiam. Quondam humana eloquentia freti uobis placebatis, nunc cōclitus afflatis linguis, cōlestia loquimini. Atq; in eo quod optimū esse cognostis, constanter perstitistis, unde & Euangelij ueritas, & Christi fides per uos facta est illustrior confirmatorq; dum ipsa re declaratū est omnibus, quod in uobis gestum est, nō esse gestum humanis auspicijs, sed autore deo, qui suis dotibus additis nostrā prædicationem cōprobauit. Quāuis enim nec Petrum nec Iacobum uidistis, quos quidam uel solos, uel præcipuos apostolos esse putant, tamen nihil est earū rerū quibus deus solet apostolorum ministeriū cōprobare, in quo uideamini cæteris inferiores, ut satis liqueat, licet diuersus sit minister, autorē eundē esse, cum idem effectus consequatur. Iam ut ista ceu pignora immortalitatis futuræ tenetis, ita ex his quæ cernitis, fidem eorum colligenres quæ non cernitis, expectatis diem illum quo Christus, qui nunc in membris suis adhuc laborare uidetur, palam aperiat maiestatem suam, segregans impios à pijs, & omnē afflictionem à suis depellens. Huius diei desiderio toleratis incōmoda, huius metus continet uos in officio. Siquidem, ut perperam damnent aut absoluant homines, certe dies ille certis calculis, aut æternis supplicijs addicturus est, aut immortalitati destinaturus. Nec est quod diffidatis. Quem olim estis habituri iudicem, nunc habetis opitulatorem. Huius muneris est, quod ab erroribus pristinae uitæ sitis ad innocentiam restituti: eiusdem munere continget, ut quemadmodum cœpistis piam puramq; uitam agere, ita perseueretis esse moribus inculpati, ne quid reperiat in uobis dies ille formidabilis domini nostri Iesu Christi, quod attritū calculum mereatur. Id ita fore confido, non meis aut uestris præsidijs, sed dei bonitate fretus, qui neminem sua spe destituit, neq; quicquam non præstat, quod pollicetur. Is cum gratuito fauore suo uos ascuerit, & adoptarit in consortium unici filij sui domini nostri Iesu Christi, fauebit & in hoc adnitentibus, ut in adoptionis honore perseueretis, nec excidatis ab hæreditate, cuius iam arrabonē tenetis. Hactenus dictū est, de quibus uobis gratuler, & in quibus cupiam uos uestri similes esse, & in quibus uos usq; progredi uelim. Nāc accipite, quid in quibusdā uestrum desiderē, quidq; mutatū oporteat, & in quo magnopere uelim, ut uestri dissimiles sitis. Nō est opus ut doceam quid deceat professionē uestram, quod ipsi non ignoratis. Tantū obtestor fratres charissimi, per nomen domini nostri Iesu Christi, quod optimo iure sacrosanctum est omnibus illi semel initiatis, ne uestra concordia fœdis dissidijs scindatur, sed animis pariter ac linguis cōsentiat, ut uere sitis unū corpus, membris omnibus inter se cohærentibus integrum. Mundana sapiētia, dogmatis & placitis uarijs discinditur, & hinc familiarum ac sectarum æterna certamina. Christianæ philosophiæ eadē apud omnes sunt dogmata, neq; nouit istos sectarum et opinionū humanarum riuulos. Unus est omnium præceptor & autor. Proinde par est, ut quæadmodum animorum consensu iunguntur huic initiati philosophiæ, ita temperent à uerbis, quæ dissidium sonent. Intus dissentire impium est, uerbis pugnare fœdum. Ac ne me putetis hæc uana suspitione colligere, delata sunt ad me per eos, quorū pietas & integritas fidem meretur. Nostis Chloen, religione spectatā forminam, nostis huius suæ patronæ non dissimiles familiares. Ab his dum & uestris fauent cōmodis, & meis curis auxiliantur, accepi inter uos esse contentiones, ceu factionibus quibusdam inter se decertantibus. Quid enim aliud sonant ista uerba, quæ passim inter uos audiuntur? dum (exempli gratia) hic dicit: Ego sum Pauli: ille rursus, ego Apollo: alius, ego sum Cephæ: alius, ego sum Christi. Quid an non hæc factionum & sectarum sunt nomina? Sic ex his, qui stultam huius mundi sapientiam sectantur, alius Pythagoram, alius Platonem, alius Aristotelem, alius Zenonem, alius Epicurum, alius alium atq; aliū autorem iactat, & pro suo quisq; cum altero belligeratur. Nobis unicus est autor, eadem placita, idem scopus, & unde ista nomina uer-

Gratias ago

Sicut testimonium Christi confirmatum est

Obsecro alii

rietas: Num sectus est Christus, & à seipso dissidens? Cur huius professionis gloriam, quæ tota uni illi debetur, partimur in homines, ex ministris autores facientes? Cui debetis innocentiam? nonne ei, qui lauit vos suo sanguine? Cur igitur aliud nomen prætextitur, quam eius cuius est beneficium? An Paulus pro uobis crucifixus est: ut ita loquar docendi gratia? Si soli Christo debetis hoc beneficium omnes, & ex æquo debetis, quandoquidē pariter mortuus est pro omnib. cur diuersorum hominū titulos uobis asciscitis, uelut illis tribuētes, quod uni Christo acceptum ferri oportuit? Per baptismum inserimur Christo, & huius nomīne baptizamur, unde uis omnis baptismi proficiscitur. Qui uero cōuenit Pauli uos dici potius quā Christī, cū non Pauli nomine, sed Christi nomine sitis baptizati? Si per hanc occasionē gloria, quæ deo debetur, hominum nominibus uindicatur, gratias ago deo, quod neminē uestrum baptizarim, præter Crispum & Caium, qui, ni fallor, nihil hinc arrogant sibi gloriæ, & me ministrum agnoscūt, Christū autorem. Quod si cōplures baptizassem fieri poterat ut existerent, qui se pro Christianis Paulinos appellari uellent. Verum interim succurrit, quod Stephanæ familiam baptizarim. Præterea non satis cōmemini, si quem alium baptizarim. Magis eorū memini, quæ magis ad rem pertinent. Minimum est in baptismo, quod ab homine confertur. Solēnia uerba quicuis proferre potest. Volentem ac promptum aqua tingere, tum procliuē est, tum etiā tutum. Verum efficacē sermone à uitij, quibus diutissime iam assueuit, à patrijs ritibus & institutis, in lōge diuersam & religionē & uitam hominem traducere, idē non sine magno capitis tui periculo, id uero munus est apostolico uiro dignū. Hinc erat iustior gloriādi causa, si fas esset nobis quicquam uindicare. Non quod improbē baptismum, sed quod potiora præferā, præsertim cum hoc potissimū mihi sit delegatū. Nec enim Christus ideo destinauit mihi hanc legationē apud gentes, ut baptismi tantū minister essem, sed ut meo præconio nominis illius gloriam illustrarē apud oēs, & quā plurimos per Euangelicam doctrinā illi adiungerem. Etiā si ne hic quidem est quod humano more gloriē. Neq; enim id fieri uoluit humanæ sapientiæ facundia: uel præsidij, quibus nihil huiusmodi præstari poterat, sed incompósito simpliciq; sermone rem tam arduam geri uoluit, ut tota laus facti deo trāscribatur, cui placuit per cōtemptā & ignominiosam Christi crucem innouare mundū uniuersum. Humilis & abiecta res uidetur Christi crux, sed hæc humilitas uincit omnem huius mundi celsitudinem. Stulta quæpiam & indocta res uidetur sermo rudis & inconditus, quo Christum prædicamus cruci affixum, & in cruce mortuū, sed quibus tandē ita uidetur? Nimirum ijs, qui pristinis excēcati uitij, non audiunt intus sermonē Euangelicū, & ideo pereunt, eo reiecto, unde poterat salus obtingere. Cæterum ij, qui salutē eternā hinc consequuntur, profectio sentiunt non esse rem imbecillā, sed omnib. humanis præsidij efficaciorē, ac prorsus à deo profectam. Ei uisum est noua hac minimeq; uulgari ratione mundum uniuersum instaurare, quod olim se facturum per Esaiam prophetam promiserat, apud quem ita loquitur: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium resellam. An non præstitit quod est pollicitus? Nonne uidemus innouari mundū? nonne uidemus homines pristinae religiōi, pristinae philosophiæ diffisos, Christi crucē amplecti? nonne iam colligunt impiū esse, quod antea pietas habebatur, & stultissimum esse, quod prius sapiens uidebatur? Vbi interim sapiens legis scientia tumens: ubi scriba legis interpretatione superbus: ubi philosophus, qui scrutatur arcana nature, & opificis oblitus, res cōditas admiratur? Magnū quiddam pollicebantur oēs, uerum & falsi sunt, & fefellerūt. Iustitiam & felicitatem promittebant, infelices interim ipsi, & uitij operti. Passus est illos deus (sic merebatur illorū arrogantia) per cæcitatem ire præcipites in omne dedecoris genus, ut illos sibi ipsis ostenderet, ac resipiscentes tandem intelligerent inanem esse sapientiæ professionē & inefficacem. An non igitur deus, huius mundi sapientiam stultam esse declarauit? Declararat & antea suā sapientiā per hoc pulcherrimum spectaculum mundi, summa ratione conditū, ut ex operis admiratione raperētur in amorē opificis. At ea res ipsorum uitio cessit in diuersum. Res conditas admirati ueneratique sunt, autorem uelut incognitum contempserunt, itaq; uixerunt, quasi deus aut faueret uitij, aut quod condidisset non idē modo rareretur. Proinde rem eandē diuersa uia aggressus est. Visum est, ut quibus sapientiā declarata per res cōditas cessisset in deterius, hos restitueret per prædicationē rei, quæ mortalibus stulta & humilis uideretur: ut qui philosophantes, muta saxa pro dijs colebant

Aut in nomi-
ne Pauli bap.

Non enim mi-
sit me domi-
nus baptizare

2/4.29

colebant, iam credentes, salutem ueram assequerentur per cucem Christi, iamq; diffusi
 præsidijs humanæ philosophiæ, per fidem diuinæ fiderent bonitati. Nec enim spes erat
 salutis, nisi fuisset intellectus, unde salutem sperare oportuisset. In primis igitur erat aufe-
 renda cunctis fiducia sui, non solum Iudæis uerumetiam gentibus. Etenim ut Iudæi prodi-
 gia postulant, ac maiorū suorū miraculis sese iaciunt, ita Græci sectantur eruditionem,
 ac philosophiæ cognitionē, ab hac sibi pollicentes felicitatē & gloriā. Vtrosq; sua fefel-
 lit opinio. Nam & Iudæi fiducia legis, exciderūt à Christo: & philosophi sapiētię persua-
 sione turgidi, nō recipiūt humilē in speciē crucis prædicationē. At nos neq; Mosi cum
 deo colloquia, nec angelos hospitio exceptos Abrahæ, nec solem stare iustum, nec hu-
 iusmodi quicquam prædicamus, unde Iudæi cristas tollunt: neq; rursus orbium motus,
 aut syderum uires, aut fulminum causas prædicamus, quarum rerum cognitio Græcis
 addit supercilium. Quid igitur rem prima fronte stultam & humilem prædicamus, ui-
 delicet Christum crucifixum, cuius humilitas Iudæis ruinæ fuit occasio, qui Ionæ pro-
 digium admirantur, Christi tanto Iona maioris facta calumniantur. Græcis uero, qui ra-
 tionibus humanis uestigant omnia, stultum uidetur uirginem cœlitus cōcepisse foetum,
 sub homine latuisse deum, morte uitam esse restitutā, reuixisse qui semel esset mortuus.
 Ita Christus utrisq; uidetur aspernabilis, sed his duntaxat, qui suis adhuc præsidijs male
 fidunt. Cæterum ij, quos diuinus afflatus ad fidem uocauit, iamq; transformati sunt per
 Euangelij prædicationē, siue Iudæi, siue Græci, sentiunt humilem illum Christū crucifi-
 xum, dei uirtutem esse, ac dei sapientiā: ut iam nec prodigia desiderēt Iudæi, qui maiora
 reperiunt in Christo, nec sapientiam Græci, semel reperto omnis sapientiæ fonte Chri-
 sto. Deiecit se quodammodo deus à sua sublimitate ad nostrā humilitatem: descendit à sua
 sapientiā ad nostram stultitiā, & tamen quod in illo stultum est uisum, præcellit uniuersam
 mundi sapientiam: & quod in illo uisum est imbecille, ualidius fuit omnibus huma-
 nis uiribus. Quid abiectius, q̃ inter maleficos ut maleficū tolli in crucē? Atqui hoc pa-
 do mortem, nulli non inuicta, solus deuicit. Quid simplicius aut popularius Euangelica
 doctrina? Hæc orbem totum ingouauit, quod antehac nulla philosophorū professio ua-
 luit efficere, ne quid huius laudis humanis præsidijs ascriberetur. Id erat futurū, si opum,
 aut eruditionis adminiculis, per potentes ac sapientiæ professione celebres res admini-
 strata fuisset. Nunc cum per idiotas & piscatores expugnatum sit humanæ sapientiæ fa-
 stigium, totius huius negotij gloriam intelligimus unī debere deo, cuius occulta uis con-
 trarijs rebus, contraria præstitit. Nec in Christo tantū aut apostolis locū habet, quod di-
 cosidem apparet in uestro grege, quos deus ad hanc gratiā uocauit. Videtis ipsi fratres,
 quā pauci sint inter uos humana eruditione præditi, q̃ non multi potentes iuxta uulga-
 rem æstimationem, q̃ pauci maiorum imaginibus clari. Per humiles orta est Euangelij
 gloria: per humiles dilatatur, ut uersis rerum uicibus, humilitas expugnet altitudinem,
 simplicitas coarguat humanā astutiam. Ac proinde quæ rudia indoctaq; uidentur apud
 mundum, ea potissimū delegit deus, quo magis pudeat humanæ sapientiæ professores
 friuoli conatus: quæq; iuxta uulgarem hominū æstimationem uidentur imbecilla, ea po-
 tissimū elegit, quo magis irrideat istos, qui factiōibus ac opibus, aut tyrannide, aut alia
 quauis facultate sibi potentes uidentur. Quæq; iuxta mundū humilia sunt cōtemptaq;
 imò quæ pro nihilo ducuntur: hæc præcipue delegit, ut antiquaret ea, quæ plurimū ha-
 bere momenti uidebantur, ne quid haberet mortalitas, aut sensus humanus, quo sibi fi-
 dat apud iudicem deum. Nam apud homines inanis est gloriatio. Inter diuina & huma-
 na nulla est comparatio. Vos autem quamuis mundi huius iudicio, uiles estis, minimiq;
 præcij, tamen dei patris beneficio ueram ac summam dignitatem estis assecuti, qui uos
 alciuit in consortium filij sui, per quem alia ratione largitus est uobis omnia, quæ mundi
 celsitudo falso pollicebatur. Per hunc contigit salutaris ac uera sapientiā, ut philosophia
 non sit opus. Per hunc cōtigat innocentia, ut nihil iam sit quod Mosaicæ legis opem de-
 sideretis. Per hunc accessit uitæ sanctimonia, ne quis hanc suis ascribat meritis. Per hūc
 contigit libertas, ut cuius sanguine redempti sumus à uitiorum tyrannide. Breuiter fe-
 licitatis summam uni Christo debemus, & autori patri, quo plane fiat quod scripsit Hie-
 remias: Ne sibi placeat sapiens ob sapientiam suam, ne fidat potens uiribus suis, ne effe-
 rantur diues opum fiducia: nam hæc non præstant felicitatē: uerū si quis uelit uere glorari,
 gloriatur

Quoniam &
 Iudæi signa
 petunt

Quod stultū
 est dei, sapien-
 tius est homi-
 nibus

Ex ipso autem
 estis uos

Qui gloria glorietur hoc nomine, quod deum agnouerit, omnium uerorum bonorum autorem ac fontem: at ita glorietur, ne quam huius negotij portionem mundi præsidijs arroget.

CAPVT II

Et ego cum uenisssem



Non in per/ suasibilibus

In mysterio

Esai. 64

Iderint igitur, qua re uobis præstantiores sint, quos pudet humilitatis Christi, sed legis opum ac sapientiæ titulo sese iactant apud uos: ego certe non his præsidijs uos ad Christum conuerti. Etenim cum primum uenirem ad uos, arcanam & reconditam Euangelij sapientiã uobis traditurus, non ueni admirandæ cuiuspiã eloquentiæ uiribus instructus, aut eximia quadam philosophiæ cognitione suspiciendus, quod hominum genus sciebam apud uos plurimi fieri. Adeo nihil horum quæ mundo præclara uidebantur, professus sum, ut nõ aliud existimauerim inter uos scire me, quàm Iesum Christum, & hunc sanè crucifixum. Hominem prædicaui, sed à deo unctum, & à prophetis promissum ad redimendum genus humanum. Quod in illo est humillimum, inde sum Euangelij prædicationem auspica- tus. Ea quanquam in uobis efficax fuit, tamen hinc nihil mihi laudis arrogauì, sic uiuens apud uos, non ut potens quispiam, sed ut imbecillis ac tenuis, non ut regnum affectans, sed ut insidijs impiorum ac periculis omnibus obnoxius. Potentium uires tolerantia ui- cimus. Porro qualis erat uitæ habitus, talis & oratio. Quemadmodum illa nullis homi- num præsidijs, sed solius dei protectu munita erat aduersus improborum uolentiam: ita sermo meus nequaquam instructus erat rhetorici ornamentis, aut philosophorũ argu- mentis, qui declararet quantũ ipse pollerem, uel eloquentiã, uel eruditione, sed tamẽ efficax fuit ad transfigurandos uos, non ostentatione doctrinæ, sed spiritu ac uirtute dei, qui afflatu miraculisq; nostro, licet incondito, sermoni uim addebat: ne quis hoc, quod à superioris uitæ tenebris ad Euangelij lucem estis translati, re tam incredibili penitus persuasa, existimet uos humanæ doctrinæ aut eloquentiæ debere, quam nobis non ui- dicamus: sed potentiæ diuinæ, per quam sermo noster efficacior fuit, q̃ philosophorum oratio, quamlibet arguta aut cõposita. Vobis humana sapientia tumidis, sed diuinæ sa- pientiæ rudibus proposuimus simpliciora, sed ad salutẽ necessaria. Habemus & recõdi- tiora de Christo, uerũ ea loquimur inter perfectos. Ergo curate ut perfecti sitis, quo my- steriorum sitis capaces. Porro qui stultitiã docere uidemur apud incredulos, Christi cru- cem prædicantes, idẽ apud eos, qui plene credunt, eximiã quandam sapientiam præ- dicare uidemur, sed hanc longe diuersam ab ea, quæ mundi huius causas humanis ratio- nibus frustra scrutatur: nec humanam qua se iactant ac uenditant, qui uulgo summæ habentur: quorum autoritas unã cum ipsa sapientia per Christum abrogatur & antiqua- tur, prodita illorum stultitiã: sed loquimur diuinã sapientiam, non præ se ferentem quod intus non habet, sed occultis uiribus potentem & efficacem. Fastum non habet, nec quibuslibet est obuia. Arcana est, & arcanis afflatibus sentitur, ab ijs duntaxat, quos deus dignatur huius arcani participes facere. Huius secretiora nõ obijcimus uulgo, sed in occulto communicamus idoneis. Eam, licet hisce demum temporibus prodita est, ta- men deus ante omnia tempora, æterno suo consilio parauerat suis: ut quemadmodũ elatus mundus hætenus stulte iactat humanã sapientiã, ita posthac habeant humiles longẽ præstantiorem sapientiam, quam sibi gratulentur. Hæc simplicibus ac puris animis de- lectatur, & ob id nemo principũ huius æui eam est assecutus, nec magi, nec philosophi, nec Pilatus, nec Annas, aut Caiphas, nec Pharisei, nec ipsi dæmones. Alioqui si cogno- uissent futurũ, ut quamlibet humilis aut stulta crux Christi suo fulgore mundi gloriam obscuraret, & quamlibet imbecillis, mortis ac peccati tyrannidẽ expugnaret, nunquã illum principem ac fontem omnis gloriæ cruci affixissent. Quamlibet eruditos in cogni- tione rerum uisibiliũ, quamlibet turgidos scientia legis, tamen hoc arcanũ illos fefellit, solis ijs cõmunicandum, quos animi modestia deo cõciliasset. Id enim fore prædixerat Esaias, declarans hanc, de qua loquimur, sapientiam secreto mentibus inspirari: Quæ, inquit, nec conspecta sunt unquã humanis oculis, nec humanis auribus audita, nec un- quam cuiusquã hominis cogitatione concepta sunt, ea parauit deus ijs, à quibus synce- re diligitur, qui fide philosophantur, nõ ratiocinationibus. Non meruerũt hoc elati prin- cipes, nec tumidi philosophi. Nobis uelut amicis arcanum hoc patefecit deus, non per humanam doctrinam, sed per afflatum occultum sui spiritus. Is quoniam diuinus est, & à deo

à deo profectus, etiā abditissima retrusissimæq; dei secreta rimatur, quo nō pertingit humana curiositas. Faciem hominum cuius promptum est cernere. Cæterū quid lateat in intimis animi recessibus, nemo mortaliū perspicit. Id solus nouit ipse spiritus & animus hominis sibi conscius. Ita res conditas contemplantur ac inuestigant complures, cæterum quæ sunt abstrusa in mente consilioq; diuino, nemo nouit, nisi spiritus æternus, qui deo intimus est, & ob id illi cōscius omniū. Homo impartit homini cogitationes arcanas. *Qui enim scit tacito susurro. Deus impartit p̄is suū consiliū per spiritū, nō hominis, qui præter humanas res nihil adferre potest, sed dei.* Qualis est spiritus, talia docet. Habet & mundus hic spiritum suū, eo qui corripuntur, mundana tum sapiunt, tum amant. At nobis diuini spiritus afflatus cœlestia suggerit, ut intelligamus, quantum bonorū deus nobis largitus sit per Christi crucem. Atq; hæc est philosophia, quam ut à spiritu Christi hausimus, ita uicissim tradimus p̄is ac simplicibus, nō uerbis arte compositis, quemadmodum tradunt philosophiæ professores id quod profitentur, sed uerbis inconditis quidem illis, uerum spiritualem doctrinam tradentibus. Conuenit enim, ut quoniam magnopere diuersum est sapientiæ genus, diuersa sit & tradendi ratio. Humana quæ sunt, humano more traduntur. Quæ cœlestia ac spiritualia, nouo modo tradenda erāt, nec id sanè quibuslibet, *Spiritualibus spiritualia cōparantes* sed ijs duntaxat, qui hausto Christi spiritu iam habiles sunt doctrinæ spirituali, quippe spirituales & ipsi. Auditor enim spiritualis, spirituali philosophiæ cōgruit, purgato per fidem intellectu, & castigato per charitatē affectu. Nam crassus & animalis homo, qui rerum uisibilibus scientia tumet, & humanis affectibus ducitur, non recipit ea quæ sunt spiritus diuini, pro stultitia ducens ac deridens, quicquid ab ijs quæ sapit, diuersum est. Non enim credit nisi quod uel experimento compertum habet, uel humanis rationibus approbatum: nec animaduertit, quod hæc philosophia, quæ docet Christum ē uirgine natum, uerum Deum fuisse pariter & uerum hominem, moriendo deuicisse mortem, à morte reuixisse, idem præstaturum in membris suis, quod in se præstitit, per afflictiones iter esse ad uerā felicitatem, per mortes perueniri ad immortalitatem: Hoc non comprehenditur humana ratiocinatione, sed afflatu spiritus. Ne mihi huc adferas ingenium uafrum & acutum, simplicem potius ac puram fidem adferas. Hoc organum idoneum est artificio spiritus, quod se totum illi præbeat fingendum formandumq;. Cæterum qui spiritualis est, nihil non diiudicat, temporarias res negligens, æternis inhians, nec ipse tamen à quoquam carnalium diiudicari potest, quos fugit hæc cœlestis & arcana sapientia. Vt enim homo non iudicat diuina, ita carnalis homo non iudicat spiritualem. Nam quæ hic traduntur, ex intimis diuinæ mentis arcanis deprompta sunt, non ex humanis ratiocinationibus. Quis autē mortalis ex se nouit mentem immortalis dei, ut ipsi possit esse in cōsilio tanquam arcanorū conscius, quemadmodum dixit Esaïas: Noua ratione diuina mens uoluit asserere suos, quæ falleret omnem hominis curiositatē. Nos autem ideo mentem Christi tenemus, quia spiritum illius hausimus. *Et non potest scire, quia spiritaliter*

CAP. III



Vnt huius philosophiæ rudimenta, sunt profectus, est fastigium. Ad cuiusque captum accōmodandus est sermo. Proinde cum primum uos adirem, non potui uobis summa tradere, tanquam plene spiritualibus, sed deieci sermonem meū ad uestram imbecillitatē, apud rudes rudī sermone sum usus, crassus crassius sum locutus, ac uelut apud infantes balbutij. Habet enim & fides profectus suos. Vos igitur cum adhuc infantes uiderē in philosophia Christi, doctrinæ crassioris ceu lacte uos alui, non solido cibo doctrinæ perfectioris: non quod nos non potuerimus uobis tradere maiora, sed quod uos ob carnalem affectum, ac pristina uitæ caliginem nondum essetis capaces altioris doctrinæ. Ac ne nunc quidem estis oēs. Sunt enim inter uos, qui licet per baptismum Christo dederint nomina, tamen nondum exuerunt omneis affectus humanos. Qui tales sunt, hætenus certe carnales sunt, nō spirituales. Quid uerbis opus? aut cur id uerear de uobis pronuciare, cum ipsa res clamitet: Ex effectu uis rei cognoscitur. Cum Christi spiritus gignat concordia, contra liuor, contentiones ac dissidia non nisi ex humanis affectibus oriantur, nōne hæc inter uos comperta, coarguūt uos adhuc affines crassus & humanis affectibus? Vnde alioqui uoces istæ inter uos audiuntur, quæ dissidium sonant, nisi à mente corrupta? Cum autor ac princeps cōmunis sit omniū, tamen alius apud uos dicit: Ego sum Paulinus: rursum alius *Etego fratres non potui uobis* Cum enim in uobis sint

alius, ego sum Apollonius. nam istiusmodi titulis inter sese decertant humanæ philosophiæ discipuli: Ego sum Aristotelicus, ego Platonius, ego Stoicus, ego Epicureus. Nō quod ex meo aut Apollonis nomine, huiusmodi quicquā sit natum, sed his nominibus abuti uolui, quo rei indignitatem euidentius perspiciatis. Etenim si indignum est, ut gloriam & auctoritatem, quæ Christo debetur, transferatis in nos, qui ueri sumus Apostoli, neque quicquam uobis tradidimus, nisi quod hauserimus ē spiritu Christi, quis ferat, si ascitis hominum qualiumcunq; , fortasse pseudoapostolorum cognominibus, salutis ac religionis auctoritatem uni Christo debitam, homunculis tribuatis? Veluti si Frangilius quispiam, aut Benotius, aut Augulius, aut Carmilius, aut alius quocunq; nomine, nam sint hæc exempli gratia dicta, cōmentus sit aliquod humanam uitæ institutum, an protinus horū cognomentis elati, foedum certamen inter uos suscipietis, & oblitterato Christi nomine, ueræ religionis, cuius unicus autor est Christus, facietis homines autores? Quid superest, nisi ut quemadmodum cognominibus factitijs, ita cultu quoq; ac uictu, totoq; uitæ genere dissidium animorum & declaretis & alatis: ut quemadmodum satellites satraparū, alij colore flauo, alij rubro, alij tessellatim uariegato, alij alijs id genus notis testantur uarios præfectos, quibus seruiunt: Ita uos sic hominibus addicti, quasi ab illis libertatem ac uitam acceperitis, cognomentis illorum gloriemini, quasi parum gloriosum sit dici Christianos? An pudet huius cognominis? An non satis est hunc uitę innocentia profiteri? Dissecatis id quod est unū, & Christi gloriā in homunculos distrahitis. Quales illi sint nondum eloquor. Sint Apollones, sint Pauli, ut summates etiam apostoli sint, quid aliud sunt q̃ ministri Christi cui creditis? Autores nō sunt, & negociū alienum administrāt suo periculo. Atq; hanc ipsam administrandi facultatē Christo debet. Hoc autore cōmuni, alijs alijs partibus funguntur, ut cuiq; delegatū est à deo. Ego, uerbi gratia, primū conserui plantalā iactis Euangelicę doctrinę fundamentis: Apollo rigauit, prijsq; monitis fouit, quod à nobis cōceptum est. Ceterum quod adolescit arbuscula, quod aucta diuitem foetū prouentū effundit, id deo tribuendum est, non nobis. Si quidem frustra laboret qui plantat, frustra qui rigat, nisi cœlum afflet uim suam occultam, sed hoc magis efficacem quod occulta est. Quæ si destituat agricolam, neq; qui plantat quicquā agit, neq; qui rigat: sin fauerit, totus prouentus cœlo deoq; debetur. Nam quod ad hanc laudem attinet, & qui plantat, & qui rigat, pari conditione sunt, cum uterq; iuxta alienum agat negociū, officij præmiū accepturus, nō à uobis, sed à deo, cuius operæ sumus. Nos uelut operarij cōducti, in dei opere laboramus: uos illius estis fundus, quem illi colimus, non nobis: uos ædificium, quod illi surgit, nō nobis. Operam illi debemus, dispiciat quisq; qualem illi præstet operā: si fidelem ac synserā, accepturus est honestum præmiū: sin secus, aut luserit operam, aut mercedem se dignā retulerit. Ego (ut exempli gratia sic loquar) tanquā doctus archiæctus ieci fundamentum ædificio, non meis uiribus, sed eius ope, qui delegarat hoc officij. Alius atque alius fundamentis per me iactis superstruit, sed etiam atque etiam uideat quisque quid superstruat. Nam fundamentum quod à nobis positum est, mutari non potest. Succedant nobis quocunq; nomine prædicatores, nisi Christum Iesum prædicant, & eum crucifixum, audiendi nō sunt. Quod si fundamentum probant, superest ut structuram inducant tali fundamento dignā. Cœleste ac spirituale fundamentum est, non conuenit huic structura carnalis ac terrenæ doctrinæ. Vt hominū iudicium fallat inanis ac fucata structura, dei iudicium nō effugiet. Huic igitur fundamento si quis superstruat eximia solidaq; , uelut aurum, argentū, lapides preciosos, Aut contra, si quis addat friuola uiliaq; , ueluti ligna, fœnum ac stipulam, euentus ipse declarabit, quam quisq; operam commodarit. Dicam crassius, quo magis intelligatis: Ego Christum uobis scopum proposui, si quis huius exemplo doceat, innocenter uiuendum, bene merendū & de inimicis, non fidendum opibus, aspernādos honores, uoluptates fœdas ut pestem execrandas, omnia ad Christi referre gloriā, præter immortalitatē nullum sperare præmiū recte factorū, mortem etiā optandā, si pro Christo sit obeunda, is structuram addit Christo fundamento dignā: sin humanas addit constitutionunculas, de cultu, de uictu, de frigidis ceremonijs, deq; similibus rebus, quas homines cōminisci solent, non in rem Christi, sed in suā ipsorum gloriā, aut etiā in quæstum ut orsi à tam nobili fundamento degenerēt in supersticiosos pro pijs, iam lignū, fœnū ac stipulam

stipulam induxit. Sed uniuscuiusque opus, cum propius admotum fuerit ad lucem ueritatis,
 & regulam Euangelicam, palam arguetur quale sit. Si doctrina que accessit, reddat uos in-
 uictos ad omnes humanos affectus, palam est efficacem esse: sin reddit imbecilles ad ferenda
 incommoda, si iritabiles, si morosos, si contentiosos, si obrectatores, si fucatos, hinc satis
 liquet adulterinam fuisse doctrinam. Quibus dies dictus est apud iudicem hominem, fre-
 quenter elabuntur, Sed exacta sunt dei iudicia, perinde quasi rem explores igni. Rebus
 tranquillis fortasse non apparet inutilis substructio, Ceterum simulatque ingruerint perse-
 cutionum procellae, aut iritamenta cupiditatum, tum labascetes, re declaratis ceremoniis,
 aut humanis dogmatis, non hauriri spiritum, quo qui praediti sunt, haec omnia pro Christo
 uel cum gaudio tolerant. Hic est ignis, qui cuiusque opus quale sit probaturus est. Proinde
 si in hoc incendio perdurarit, quod hic aut ille superstruxit, nihil hinc laudis sibi uindica-
 bit apud homines, sed a deo cui laborauit, mercedem reportabit: sin exustum fuerit huius
 aut illius opus, operarius operae suae iacturam fecerit, praemioque frustrabitur, etiam si ipse fue-
 rit incolumis, sed sicuti qui ex incendio nudi subducunt sese, neque quicquam superest, nisi
 ut nouis impendiis superstruat, quod fundamento respondeat. Primum & optimum erat
 illis, qui Christo fuissent initiati, nihil tradere, nisi Christo dignum. Id si factum non est,
 utriusque conduplicatus est labor, & his qui docuerunt dedocenda, & his qui didicerunt de-
 discenda. Spes tamen est salutis, quandiu manserit fundamentum Christus. Qui con-
 uenit turpi uitae cum ista professione. Qui frigidis ceremoniis cum ignea Christi chari-
 tate. His rebus qui uos sua doctrina inficiunt, dignas deo poenas dabunt. An non memi-
 nistis uos esse templum deo consecratum, quod diuinus ille spiritus inhabitator sanctifi-
 cat? Quod si afficitur supplicio, qui templum ab homine dicatum prophanat, an non hunc
 perditurus est deus, qui suum templum conspurcarit? Cum deus spiritu suo templum hoc
 semel purum sanctumque reddiderit, adniteridum ut a nobis purum sanctumque seruetur. In-
 nocentia, ac moribus Christo dignis seruetur. Ambitione, libidine, dissidio, & his simi-
 libus affectibus ac moribus prophanatur conspurcaturque. Vos igitur cum sitis templum
 dei, e uiuis saxis constructum, in deum impius est, qui mores aut affectus aut doctrinam
 Christo indignam in coetum uestrum inuehit. Neminem fallit Christus, si quis huic in-
 nitatur. At uideat quisque ne praesidiis humanis male fretus, fallat seipsum. Nihil est quod
 felicitatem uestram a philosophiae aut legis praesidiis expectetis. Neque quicquam hoc sese
 ceteris anteponat, quod humana doctrina polleat. Immo qui sibi uidetur esse sapiens, iux-
 ta mundanam aestimationem, sapienter stultescat, ut uere fiat sapiens. Desinat esse stultae
 sapientiae turgidus professor, & idoneus erit, qui sit sapientissimae stultitiae discipulus. Ete-
 nim ut opes huius mundi non reddunt uere diuites, ut honores mundi non efficiunt uere clarum,
 ut uoluptates mundi non faciunt uere felices, ita sapientia mundi huius, non reddit uere sapientem
 apud deum, cuius iudicium nemo fallit, etiam si apud homines sapientiae titulum sibi uindictet. Irride-
 det deus huiusmodi sapientiam, dum eam declarat adeo non esse salutiferam, ut officiat etiam
 ad salutem parandam, dum elatos ac feroces, & ob hoc indociles reddit. Praedictum est autem
 hoc iam olim, in libro qui de patientia Iob conscriptus est, cum ait de deo loquens. Qui
 comprehendit sapientes per suam ipsorum astutiam. At rursus in psalmo LXXIII Domi-
 nus nouit cogitationes hominum qui sibi sapientes uidentur, quod uanae sint & ineffi-
 caces ad praestandum, quod pollicentur. Cum hoc negotium salutis nostrae totum diui-
 num sit, non est quod homines sibi quicquam hinc uindictent, nec est cur ullam gloriae por-
 tionem homini uelut auctori tribuatis, cum tota debeatur deo. Iam cum unum sitis cor-
 pus, mutua charitate compactum, non est quod aliud aliis sibi peculiariter uindictet, cum
 in commune uestra sint omnia. Siue quid ualet Paulus, aut Apollos, aut Cephas, benefi-
 cio dei in uestrum commodum ex aequo ualent: siue quid obstreperit mundus, in uestrum ce-
 dit bonum: siue nobis obtingit uita, uobis doctrina confirmandis uiuimus, siue mors in-
 geritur, uobis exemplo roborandis morimur: siue occurrunt praesentia, neglectum uten-
 dum est momentariis, siue futura, ad haec magno animo connitendum, quae licet non cer-
 natis oculis corporis, tamen oculis fidei cernitis. Facestant igitur partium ac factionum uo-
 cabula, cum per unicum auctorem omnia ex aequo uestra sint, etiam si ipsi uestri non estis, ut
 ius uestri in hominem traducatis, sed Iesu Christi, cui nos pariter ac uos ipsos debetis. Porro Christum deo debetis omnium summo auctori, qui pro illis omnia nobis largiri uoluit.

Ignis proba-
bitDetrimentum
patieturNescitis quia
templum dei
estisNemo se
seducatVos autem
Christi

*Sic nos existis
met homo*



Vius igitur homine gloriatur, qui uere uelit gloriari. Nos uero sic aestimet homo, nō ut autores aut dominos, sed ut aestimari par est, qui ceu ministri Christi negociū agunt, quicq; rem ab alio creditā dispensant, mysteria non hominū, sed dei. Cum igitur in cōfesso sit, quod omnes, quales quales sunt, rem administrent, summam quidem, sed alienam, quod ad horū aestimatio nem attinet, nihil aliud interim spectetur in his, nisi ut quod à deo creditū est, bona fide dispenset aliquis, non alio spectans quā ad Christi gloriam. Qui pro diuinis humana docent, qui uestra obedientia ad quæstum ac fastum abutuntur, qui sub Euangelij prætextu rem suam agunt, qui sub umbra gloriæ Christi, tyrannidem affectant, mala fidei dispensatores sunt, & quamuis imponant humano iudicio, deum non fallunt, cui probari summū est. Nam mihi pro minimo est, si uestro tantum iudicio prober aut improber: imò si quocunq; iudicio humano. Tantum enim abest, ut homines de hominis cōscientia recte iudicare possint, ut nec de me ipso ausim pronunciare, an laudem merear apud deum, neque. Ipse quidem pro uiribus adnissus sum, ut officio delegato satisfacere, nec ullius fraudis mihi sum conscius, at non hinc ausim mihi uindicare iustitiæ laudem. Si quidem fieri potest, ut imprudens, siue excedens, siue deficiens fecerim aliquid secus q̃ oportuit. Id cum soli deo sit cognitum, hunc unum habeo iudicem officij mei. Huic igitur, cuius oculis perspicua sunt omnia, iudiciū omne de occultis deferamus, pronuntiatur de singulis, cum ipsi tempestiuū uidebitur. Proinde uobis cauendum est, ne sententiā domini anticipetis iudicātes ante tempus. Nec enim tempus est de his pronuntiandi, donec aduenerit dominus, iudicaturus & cœlestia & terrestria, & subterranea. Is tum in lucem proferet, quicquid nunc in tenebris abditum est, & oculis omnium conspicuum reddet, quod nunc in sinuosis humani cordis recessibus occultatum, fallit hominum conscientias. Tunc ab eo, cuius certa sunt iudicia, pro meritis cōtingent præmia. Qui sincere functus erit officio, laudem æternā feret à deo, etiam si parum cōmendatus fuit hominibus: qui secus, pudebit ac pœnas dabit condemnante deo, quamlibet apud homines in precio habitus. Cæterum ne quid erretis, hæc uenit sermone in meatus Apollō transfusi, non quod nos simus huiusmodi factionum occasio (nam neq; nos ui dicamus nobis quicquam, neq; quisquam apud uos se Paulinum, aut Apolloniū iactat) sed intelligens inter uos esse uaria partiū studia, ne quem irritarem, malui rem fictis nominibus proponere, ut lecta in cōmune epistola, se quisq; tacitus agnoscat. Idq; uestra causa factū est, ut nostris nominibus res odiosa tractaretur, quo citra ullum tumultū discerneretis, quā indecore gloriantur quidam pseudapostolorū cognominibus, alios præ se despicientes, impieq; tribuentes hominibus, quod est dei: nec ob aliud attollētes sui quicquid apostoli dignitatē, nisi ut ipsi interim præstantiores habeantur: non minus stulte de se iudicantes, quā de illis iudicant, quorū titulis efferuntur. Fortasse ferri poterāt hæc, si stulta tantū essent, nunc cum hinc perniciofa nascantur dissidia, res nō potest dissimulari. Neq; enim plus tribuendum est uiris apostolicis, quā, ut modo dixi, alienæ rei dispensatoribus tribuere par est: neq; cuiquam huius aut illius nomine gloriandum, cum hoc ipsum, etiā quod per illos adfertur, deo debeatur. Hæc cum mecum perpendo, non possum non admirari, unde inter uos ambitio foedissima, uel apostolorum stulte sibi uindicantium, quod est Christi, uel discipulorū, qui malunt de homine ministro, quā de autore deo gloriari. Appello te quisquis es, qui ob fucatā gloriam eius, à quo baptismum rem facili accepisti, tibi uel places uel displices, Quis est istius discriminis autor, ut minus, ille plus accepisse uideatur: Si quis in aureo, aut gemmeo labro baptizetur, ut patris susceptoribus, idq; per apostolum: aut si hoc parum est, per summum apostolum, qui toto strepitu, regum opulentiam superet: quis ausit pronūciare, huic plus esse collatum, quā si per Petri piscatoris, aut medij coriarij. ministrum aliquem in aluo siculo baptizatus esset: Rursus appello te quisquis es, qui stultissimū hunc errorem inseris in animos simplicium, aut certe abuteris errore, quem castigatum oportuit, quid tandem est istuc, unde tollis cristas: Tua tradis an aliena: si tua, te ipsum prædicas, non Iesum Christum. Si aliena, qua fronte uindicas à deo acceptum, quasi à te profectum esset: Si credis tuum esse, quod diuini muneris est, quid te cæcius, Si intelligis, & tamen hinc te clas ac

*Itaq; nolite
ante tempus
iudicare*

*Hec autem fratres
transfusi
gurani*

*Quis te dis
cernit*

etas ac uenditas, perinde quasi nūc esset, quid te impudētius? Ab humili fundamēto quod
 magnitudinis uenistis o Corinthij: Nos famelici, tenues, & egentes apud uos, adeo ut
 torijs cōsuendis nobis diurnum uictū parauerimus, nos humiles & indignis modis af-
 flicti Christum uobis pure prādicauimus. Nunc eō uenistis, ut nobis fastiditis, per alios
 apostolos, & saturitate tam sitis feroces, & opulentia turgidi, & regno seditiosi: Et tan-
 tam rerum amplitudinem possidetis, nobis qui difficillimam istius negocij portionem
 exhaustimus exclusis: An magnū aliquid assecuti sitis, uos uideritis. Optarim certe uos
 uere regnum Christo dignum adeptos esse. Ingereremus nosmet in aliquam portionem
 istius regni, ut qui rudimēta iecerimus, simul quoq; uobiscū regnaremus. Nec enim arbi-
 tror uos usque adeo futuros inciuiles, ut a quibus felicitatis uestre nata fuissent exordia,
 hos prorsus a consortio felicitatis excluderetis. Nisi prorsus hac infelicitate nati sumus,
 aut cum alij doctrina non syncera tantam gloriam sibi comparent, nos prāter contem-
 ptum, famem, infamiam, carcerem, plagas, capitis discrimina, nihil premij reportemus.
 Si prāmijs humanis pensandum erat officium apostolicum, arbitror prācipua deberi
 nobis, qui tantis periculis Christū primi uobis insecuimus. At si recte regnant apud uos,
 qui optimo fundamēto per nos iacto qualiacunque superstruxerint, opinor irato Deo
 nos solos infelices esse. Illis opes & sapientiae titulus auctoritatem, ac tyrannidem apud
 uos conciliat: nos opinor omnium postremos Christus ad apostolicum munus acciuit,
 ut supplicijs ac mortibus obijceret, similes ijs, qui ob maleficia sua bestijs obijciuntur,
 quo plebi spectaculo sint. In quod prātorium non sumus pertracti: Quis est carcer, non
 cōscijs afflictionis nostrę? Quod forum est, in quo non sumus publico ludibrio affecti,
 adeo ut spectaculo fuerimus, non solum huic mundo, qui Christum damnat, non solum
 hominibus, qui terrena sapiunt, uerum etiā ipsis dāmonibus, qui nostris malis oblectan-
 tur. O rerum uices, in diuersum uersas. Nos ceu stulti despiciuntur ob Christū, quod hūc
 crucifixū & humilem prādicauerimus, uos ut sapientes sustulistis animos fiducia Chri-
 sti. Nos ut imbecilles deiecimus nos ob Christi gloriā, Vos ut potentes insolescitis. Nos
 cōtempti & obscuri, uos insignes & clari. Ad nos prāter laborē & molestiā nihil redijt,
 Totus fructus penes uos est. Quid em̄ accessit nobis prāmijs, pro tot periculis ac malis?
 Ad hūc usq; diem adeo non regnamus, sicut quidā apostolorū nomine sese uenditantes,
 ut saepe desit quod edamus, saepe quod bibamus, sepe quo uestiamur, tantū abest ut opes
 collegerimus ex Euangelio. Quin & colaphis subinde cādimur, tantum abest, ut hono-
 rem lucrifecerimus. Adhuc incertis uagamur sedibus, quod quidē extrema tenuitatis
 est, nec adiculas esse proprias, in quibus saltem hoc cōmodius feras pauperiem, quod
 rectius. Adeo non expilamus quenquam, ut opificio manuario nobis uictum paremus.
 Adeo non aucupamur humanam laudem, ut deuouentibus nos bene precemur, ut pro
 cōuicijs, quibus afficimur assidue, benedicta rependamus. Adeo nō opprimimus quen-
 quam, ut persecutorum sēuitiam taciti perpetiamur. Quid multis opus est? Alij gloria
 potantur apud uos, nos uestri causa in hunc usq; diem ut relectamenta habemur huius
 mundi, quibus nihil esse possit abiectius aut conculcatius. Si iuxta morem quorundam,
 meos labores, mea pericula, mea officia uobis imputare uellem, nōne foret expositu-
 landi iustissima ratio? Nunc non hac scribo, uelut alienatus a uobis ob ingratitudinem,
 quo uos afficiam pudore: quin potius ut amantissimus pater, filios charissimos admo-
 neo, non mea causa, sed uestra. Nam si res uobis in bonum cederet meo tantum malo,
 meum incōmodum pro nihilo ducerem, gratularer uobis quorū cōmodis & me ipsum
 non dubitem impendere. Nunc cum uideā uos per nouos apostolos in peius delabi, cor-
 git me pietas erga uos, ut uos admoneā periculi, quod ego sanē meū esse duco. Non est
 uobis hic animus aspernandus Corinthij, uere germaneq; paternus. Immensum discri-
 men est inter pädagogū & patrem: ille pro tempore sēuitiā exercet in aetatem innocen-
 tem, & aut mercedis gratia, aut mali metu facit officiū, si tamen facit: at pater ob insitam
 penitus a natura pietatem, uel suo malo, filiorum cōmodis consulit. Vt contingant uo-
 bis uel decem pädagogorum milia, certe paucos in his experiemini patres. Cur autem
 non appellem me patrem, uos filios? cum primus omnium uobis prādicarim Euange-
 lium, cum per me sitis renati Christo. Nōne ego quodammodo uos genui? Quae ma-
 ior tantum laboris in nixu patitur, quantum ego passus, cum uos Christo parturirem?

Puto enim
 quod deus
 nos apostolos

Nos stulti pro-
 pter Christū

Non ut con-
 fundam uos
 hac scribo

Imitatores
 estote mei

Proinde si patrem hunc agnoscitis, si uere filij estis, obsecro per pietatem mutuā, patrem uitā ac moribus exprimatis. Cur ē nobis prognati, aliorum similes uideri mauultis? Ista quā ad me deferuntur de uobis, unde sint, uos uideritis, certe à me non haufistis. Quod si quid excidit uobis nostri, quando nondū mihi uenire licet, mitto ad uos Timotheum, uelut alterum me, nimirum filium, haud quaquā degenerem, sed dei beneficio fidelem: qui ut primum per me Christum imbibit, ita à paternis uestigijs nusquam discēdit. Is uobis in memoriā reuocabit institutum uitā meā, quod ad exemplum Iesu Christi, & sequor, & trado, non uobis tantum, sed cuius conciliabulo Christum profitēti. Quem admodum is communis est omnium autor, ita debet omnibus eadem esse uiuendi ratio. Qui germanus est filius, is ex animo, non mali metu, suo fungitur officio. At sunt inter uos, qui ob absentiam meam, excusso pudore sic insolenter se gerant, quasi nunquā sim rediturus. Sed fallentur isti: nam propediem adero, si dominus permiserit, ac tum re ipsa experiar, non quantum sermone polleant isti, qui tam insolenter efferunt sese, sed quantum factis. Neque enim in magnificis dictis sita est Euangelij uis, quā cuius in promptu sunt, sed in uis, aut uirtute cōlesti, quā malorū tolerantia, quā concordia, quā totius uitā innocentia, quā miraculis declaratur. Vultis ad uos ueniam? Veniam equidem. Ceterum uos uideritis, ut me, sicuti par est, excipiat. Vobis in manu est efficere, ut uel austerus ac terribilis ueniam, uel lenis ac mansuetus. Est mihi autoritas à Christo tradita, uirga suppliciorum coercendi premendiq; rebelles & intractabiles. Verum ego malim hac nō uri, malim huiusmodi moribus esse uos, ut ceu pius, propitius ac mitis pater, aut gratuler innocentiae uestrae, aut si quid fuerit leuius erratorum, molli paternaq; castigatione emendetur.

CAPUT V

*In uirga ueniam
ad uos an
in charitate*

*Omnino talis
auditur inter
uos*



Erum illud & notius est, quā ut negari possit, & grauius quā ut ferri debeat, & perniciosius, q̄ ut differri expediat, quod inter uos, quos ut templum deo sacrū decebat omnis puritas, fœdus rumor est libidinis, & huiusmodi libidinis, ut eius infamia, nec apud ethnicos, et à Christo alienos cōperiat, uidelicet ut aliquis nouercā suā uxoris loco habeat. Quanto cum probro putatis Christiani nominis, iā huiusmodi flagitia publicus rumor de uobis spargit: Et uos interim perinde quasi tantū uestrae professionis dedecus nihil ad uos pertineret, uobis ipsis placetis, inani sapientiae persuasionē turgidi, cum magis cōueniret, publico luctu testari, uobis turpissimū admissum uehementer improbari, profligato ē contubernio uestro tanti sceleris autore; primū ne fauere turpibus admissis uideamini, si ceu familiarem ac contubernalem agnoscatis, eum qui nondum declarauit se poenitere flagitij. Deinde ne pestis exitialis semel admissa latius serpat apud uos. Postremo ut autor nefarij sceleris, si uideatur à uobis, uelut omnium publico iudicio damnatus, pudore tacitus resipiscat, donec certa poenitudinis signa declarent hominē idoneū, qui in sanctorū consortiū recipiatur. Id à uobis ilico factū oportuit, ubi fœdus rumor hominē (nam adhuc parco nomini) reū ageret nefandi criminis. Hoc ipse facturus eram, si præsens apud uos fuisset. Nūc absens (licet nō totus absum, nam ut absum corpore, ita spiritus autoritate præsens sum) absens igitur, sed perinde quasi sim præsens fero sententiā, quā uos quoq; sequi debetis, ut publico cōtū, frequentiq; cōuentu decernatis (ne quis hoc autoritatis sibi priuatim uindicet) quē oportet nullo humano affectu cōuenire, sed nihil aliud spectantē, q̄ gloriā domini nostri Iesu Christi, in quo simul adero spiritu duntaxat, ut dixi, nec deerit autoritas domini nostri Iesu Christi, cuius nomine cōuenietis, qui nostrā sententiam sua potentia reddet efficacem: ut qui scelus hoc tam turpiter admisit, eiectus à uestro contubernio tradatur satanae, quo iuxta carnē affligatur, pudefactus humano iudicio, ut spiritus & animus sit incolumis apud iudicem Iesum Christum omnia iudicaturum, non hac tantum, aut hunc tantum. Expedit interim hoc etiam isti, ut exactum illud ac seuerū dei iudiciū anteuertat, & temporaria castigatione maceretur potius, quā æternis supplicijs addicatur. Nostrum est medelam parare potius, q̄ poenam: sic enim agendum cum nocente, ut sit qui possit emendari. Nec enim hominē ē medio tollimus, sed extinctio peccato seruamus hominē. Hac poena debet esse contenta Christiana consuetudo. Lapidare Iudæorum est, mederi Christianorum. At nihil horum uobis contigit, neque uos commune dedecus, neque uos commune periculum commouit, perinde quasi

*Ego quidē ab
sens corpore*

*Non est bona
gloriatio*

quasi re bene gesta uosmet efferentes. Multum interest inter gloriationem mundanorum, & gloriationem Christianorum. Ista gloria uobis dedecori est, nec dedecori solum, uetumetiam periculosa. Esto, inquit, unus est qui peccauit, quid hoc ad totam congregationem? An ignoratis, quod ingentem farinæ conspersæ uim, paululum fermenti afficit, & acidam reddit? Fermentum est quod est corrupta massa superest. Si quid igitur ueteris uitæ residet in uobis, diuersum à simplicitate Christi, fermentum est, prorsus à uobis expurgandum, ut per uitæ nouitatē sitis noua conspersio, nec in uniuersa massa quicquam pristinae malitiæ sit admixtum. Sicut enim Christus uos à peccatis semel immunes reddidit, ita uobis dāda est opera, ne rursus irrepāt in uos aliquod superioris uitæ contagium, & innocentia Christiana uiciet synceritatem. Amat deus, qui hoc carent fermento. An non id olim typis mysticis adumbratum est? Hebraei cum emensi mare, liberati fuissent ab Aegyp̄tia seruitute, iussi sunt quotannis in huius rei symbolum ac monumentum stato tempore, maciāto agno anniculo, septem diebus uesci panibus nullo fermento corruptis, quemadmodū fecerant iam fugam adornantes ex Aegypto. Interea farinam puram secum efferunt, fermentū omne relinquunt Aegyp̄tijs. Neq; dignus habetur, qui uescatur agno paschali, nisi qui septem diebus fermentū non attigerit. Imo placulum habebatur id temporis, quicquā usquam fermenti reperiri in domibus Hebræorum. Vmbra rerum habebāt illi, nos uerum phasē tenemus, agnum omnis maculae nescium. Is est Christus Iesus, pro nobis à teterrima mortis uitiorum tyrannide liberandis, in crucis ara immolatus. Non temere est immolatus. Semel Aegyp̄tum euasimus, superest ut iugiter hoc festum celebremus, haud quaquam gaudentes atq; attollentes nos ijs rebus quibus olim capiebamur, cū adhuc haberet nos foeda simul ac dura seruitus, hoc est non fermento legis Mosaicae, non fermento ueteris malitiæ ac uersutiae, sed libis ac panibus nullo fermento uitiat, id est moribus innoxijs, simplicibus, synceris, nulloq; fūco simulatis. At ne quid erretis, quod paulo ante iusserim à uobis uitari consuetudinem infamē libidine contaminatorum: non hoc sentio, quod postulem ut uniuersos huius regionis impudicos deuitetis, nec cum ullo consuetudinem agatis, qui auaritiæ rapacitatis uel infamia laboret, aut simulachrorum cultui deditus sit, quod si conemini, tota hæc Græcia uobis sit relinquenda, cum istiusmodi nusquam non occurrant. Quanquam id quoq; cupiam, si liceat, nunc quod fieri non potest, non exigo: illud exigo, ut si quis titulo Christianus, palam huiusmodi uitijs infectus sit, quæ plurimū absunt ab instituto Christiano, puta scortatione, aut auaritia, aut simulachrorū cultu, aut maledicentiæ morbo, aut temulentia, aut rapacitate, adeo uitetis hominis familiaritatem, ut ne cibum quidem cum illo capere dignemini, donec resipiscat. Id uestra plurimum refert, ut uester cœtus purus sit & incorruptus. Quales sint alij, uiderint ipsi: illorum uitia nec uos inficiunt, nec cedunt in probrū Christiani nominis. Ergo qui tales sunt, nō oportet sinere impunitos, si modo crimen in propatulo est inter uos. Id satis est mihi. Quorsum enim attinet, ut de his quoque iudicem, qui ut sunt à Christo alieni, ita non pertinent ad nos? Nōne domi quisq; suæ censorem ac iudicē agit, nec sua referre putat quid agatur in ædibus alienis? Si quid domi suæ commissum est, id existimat ad totius familiæ rem pertinere. Proinde satis est nobis, si Christiani de Christianis iudicemus. Qui sunt alieni à professione Christiani nominis, hos diuino iudicio relinquimus. Quod si nemo finit domi suæ scelerosum ac pestilentem, uos quoq; tanti facinoris auctore uestro contubernio profligate, hoc & illius refert & uestra, & ad Christiani nominis dignitatem pertinet. Nam & ille pudore correptus ad se redibit, & uos periculum contagij simul ac suspiciōē à uobis propelletis, & intelligent omnes hæc non probari Christo, qui uitæ docuit ac præstitit innocentiam. Pestilens quidem fermentū hactenus ostendi, seditiosæ cōtentionis, ac foedæ libidinis, penitus à uobis reiiciendum.

Pascha nostrum immolatus est Christus

scripsi uobis in epistola

CAPVT VI



Ed alias quoq; comperio in uobis pristinae uitæ reliquias, quæ fermentum auaritiæ sapiunt. Ut uestra non interest de ijs, qui ab ecclesiæ consortio sunt alieni, ferre sententiā, ita uehementer indecorū est Christianos à non Christianis iudicari. Primum illud admiror, quo pacto quis Christū professus, si quid extiterit controuersia de re pecuniaria, possit animū inducere, ut non uereatur ad iudicem prouocare, & quod grauius est, ad iudicē impium potius, q̄ Christianum

Audet aliquis uestrū habens negocium

stianum. An æquum iudicabit, qui tota uita professione iniquus est? An non uidetis quod preposterum sit, ut mundus cuius impietas ex sanctorum fide uitaque sit olim damnanda, nunc ceu iustior ac melior, de sanctis ferat sententiam, & illorum lites dirimat? Quod si tanta res uobis committitur, ut per uos totius mundi, hoc est omnium impiorum uita damnetur, an parum idonei uobis uideamini, qui de rebus friuolis ac leuissimis iudicatis? Vos enim estis lux mundi, quæ coarguat impiorum errores. Hoc quo pacto fiat, si in uobis ipsis sint tenebræ? sitque quod redargutione sit dignum? Nunc causas uestras ad impios iudices desertis, quasi aut plus sapiant illi quam uos, aut penes illos plus sit æquitas, quam penes uos. An ignoratis, quod non homines solum mundo deditos, uerum etiam angelos impios huius mundi tyrannos olim iudicaturi sitis? Ne magnum uideatur si causas infimas de rebus, quæ ad uitæ corporalis usum pertinent, inter uos finiat. Vestra credulitas illorum incredulitatē, uestra pietas illorum impietatem, uestra innocentia illorum impuritatem cōdemnabit, atque hodie cōdemnat, si uitā Christo dignā egeritis. Et obliuiscimini dignitatem uestram, eos iudices facitis rerum uestrarum, de quorum omnium capite per uos pronuntiabitur: Quod si tam estis contentiosi, si tam amantes rerum fluxarum, quarum contemptum profiteamini, ut super his non solum dissideatis inter uos, sed ita dissideatis, ut omnino iudices sint adeundi, uel ad quoslibet, quantum uis in uestro contubernio contemptos & humiles causas istiusmodi deferatis. Non hoc dico quod ita fieri uelim, sed ita loquor, ut uos uestri pudeat, cum apud ethnicos iudices decertatis. Si respondetis professione uestra, qui inter uos abiectissimus est, præstantior est ihs, qui apud impios summi habentur. Usque adeo ne uos ipsos contemnitis? Adeo nullus est inter uos, qui tantum sapiat, ut de rebus tam leuibus arbiter sedeat, & inter duos Christianos litē finiat: inter quos, quoniam fraterna charitate ac rerum cōmunionē cōglutinantur, oportebat facillime conuenire. Nunc adeo non conuenit, ut Christianus cum Christiano contendat iudicio, idque quod est foedius, apud hos, qui à Christo sunt alieni, quasi possint illi ad legum humanarum regulam, quod iustum est pronunciare, uos ad Euangelicam regulam non idem possitis. Videte quot modis hic peccetis. Primum hoc ipsum uobis turpe est, quod istiusmodi controuersiolas non ipsi inter uos cōponatis, citraque tumultum, aut contentionem ullam transigatis, uel mutua concessione, uel certe per arbitros, sed eo perti-
Iam quidem omnino delictum est
 naciae uentum est, ut dum neutra pars alteri uel cedit, uel concedit aliquid, apud publicos iudices, teste populo, res sit agenda. Non carebat uitio, si hæc ageretur apud iudices ecclesiasticos. Nunc quam foedum est spectaculum, apud iudices impios decertare de rebus nihili? Nostra religio pax est, ac per Christum in unum corpus insiti, plusquam germani facti sumus. Adhæc rerum istarum uilium, pro quibus hic mundus depugnat, neglectus, nos reddit Christianos. At cum pro his ipsis tam acriter cōtenditis, ut non pudeat Christianum in ius trahere Christianum, & apud impium iudicem rerum agere, quid creditis in mentem uenire ihs, qui conspiciunt? An non sic apud se cogitabunt? Vbi inter istos Christianus pudor, ubi fraterna charitas? ubi rerum omnium cōmunitas? ubi pax, quam semper habent in ore? ubi pecuniæ cōtemptus? ubi lenitas illa Euangelica, qua iubentur & tunicam ultro relinquere, si quis pallium ademerit? Ecce quantula de re, quam turpiter digladiantur, non solum nobiscum, uerum & inter ipsos. Qui sit o Corinthii, ut adhuc tanti uobis sit pecunia, ut huius gratia tantum dedecus in Christianum nomen asciscatis? Respondebit aliquis: nisi meum ius persequor, non abfuturus sum ab iniuria, nisi quod meum est uindico, futurus sum in damno. At etiam atque etiam uidete, ne dum leuem iacturam timetis rei pecuniariae, graue damnum faciatis innocentiae, bonaeque famae, atque adeo grauem iacturam inferatis Euangelio. Præstabat non euincere rem, quæ hanc ansam præbere incredulis obrectandi Christo. Satius erat leuem iniuriolam negligere, quam dum sic persequeris, animum ulciscendi cupidum profiteri. Iam uero tantum abest, ut Christiana mansuetudine damnum aut iniuriam impune feratis ab alijs, ut ipsi ultro alios afficiatis iniuria, ultro fraudetis ac circumueniatis alios, non incredulos tantum, uerum etiam religionis consortio germanos. An non ista pristinae uitæ fermentum sapiunt? An non ista longissime dissonant, & à doctrina, & à professione uestra? Quisquis Christum profitetur, innocentiam profitetur, & his factis promissum est regnum coelorum. Nec enim satis est tinctos esse liquore, non satis est insiros esse Christo, nisi tota uita Christi doctrine respondeat

Frater cum fratre

respondeat. Ideo à mundo exempti, cooptati estis in corpus Christi, ut posthac integritate uitæ Christo capiti respondeatis. An illud uos fugit, quod iniuste uiuentes, quamlibet baptizati, excludendi sint ab hereditate regni cœlestis? Ne quis sibi imponat, etiam atq; etiã dico, edicoq; uobis, Neq; scortatores, neq; simulacrorũ cultores, neq; adulteri, neq; molles, qui uelut euirati prodigiosæ libidini obseruiũt, neq; qui masculis mulierum uice abutuntur, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; qui per uim inuadunt aliena, consortes erunt regni dei. Nihil proderit nouus titulus, si uita ueteribus uitis sit inquinata, imò Christus his uertitur in occasionẽ grauioris damnatiõis. Atq; hæc quidem dedecora, quæ modo cõmemorauimus, quondam in uos cõpetebant, anteq̃ essetis per Christum renati. Non exprobro quod fuistis, modo ne eodẽ reuoluamini. Abluti estis à pristinis cõmissis, gratis abluti fuistis, cauete ne rursus inquinemini. Neq; solum ablutis suo sanguine restituit innocentiam, uerumetiam ultro sanctimoniam contulit & iustitiam, idq; non præsidio legis, aut meritorũ uestrorum, sed per Iesum Christũ, cuius nomine baptizati estis, perq; spiritũ dei nostri, cuius arcano afflatu efficacia sunt ecclesiastica sacramenta. Quo magis adnitendum, ne tantũ beneficium, quod gratis cõtigat, uestro uitio perdatis, simul & ingrati erga autorem, & in uos ipsos pessime consulentes. In his quæ sunt necessitatis naturæ, mihi licita sunt omnia. Nullus enim me uetat uti eodẽ iure, quo cæteri utuntur apostoli. Sed fortassis non semper expedit uobis, ut utar meo iure. Qui uestro cibo uiuunt, qui uos expilant, uelut empti uestra munificentia, non audent libere uos admonere turpitudinis uestre, ne offensi cõmodum aliò cõferatis. Mihi quoq; ius erat grauare uos sumptu, ius erat accipere mercedem operæ impensæ, præsertim cum plus laborarim, q̃ alius quisquã. Non mihi deerat potestas hæc agendi, sed nolui cõmittere, ut utens hac potestate, redigerer sub alienam potestatem, & cuiquam uestrum deuinctus uiderer: quo magis uobis liqueret, & si quid doceam, me uestrum, non meum agere negocium: & si quid obiurgem, uos patienter audire debere. Nec enim facile offendit libertas admonentis, qui nullo nomine sit obstrictus ei, quẽ corripit. Alio qui non ita magni refert, cuius utare cibo, cum omnino cibo sit opus. Escæ uentri destinatae sunt, uenter uicissim escis dicatus est, age seruiatur interim pro tẽpore necessitati. Nam breui futurũ est, ut & uentrẽ & escas aboleat deus, hoc est ut neq; uenter nos fame torqueat, neq; ullus sit escarũ usus. Cæterum ut necessitati parendũ est nobis, qui Christo sumus initiati, quod habemus cum ethnicis cõmune, ita uitiorũ nulla debet esse cõmunio. De cibis nihil ueto, uescatur quisq; quibus uelit, fœdam libidinẽ interdico. Neque enim ut uenter escis dedicatus est, ita corpus dicatum est spurcæ libidini. Imò corpus nostrum domino Iesu consecratũ est, & ille uicissim nobis adglutinator est. Sic enim illi uisum est, ut nobis membrorum, illo capitis uice fungente, mysticum corpus pariter constituamus. Hæc cõglutinatio temporaria non est. Mors soluit uescendi necessitatẽ, at non dirimit coniunctionẽ cum Christo. Nam quemadmodum deus pater dominum Iesum, caput nostrum, suscitauit à morte, ita nos quoq; illius membra unã cum illo suscitabit, simulq; cum illo donabit immortalitate. Potens enim est ille & idoneus, qui hoc præstet, etiam si quibusdam incredibile uideatur. Igitur ut anima nostra non erit particeps illius immortalitatis, nisi fuerit eam hic per iugis integritatis studium meditata: ita corpus resuscitatũ, nõ erit particeps illius gloriæ, nisi hic à peste uitiorũ fuerit immune. Quam uero prodigiosum spectaculum, si membra capiti innocentissimo dissimillima uideantur? An non uenit uobis in mentem, quod, ut diximus, corpora uestra membra sunt Christi? Quid igitur? Eo ne dementia ueniã, ut cũ hæc sciam, summa cum cõtumelia capitis, tollam membrũ Christi, & ex eo faciã membrũ scortis? Id quidẽ auertat deus. Et tamen quid aliud agit, qui cum scorto rem habet? An uos illud fugit quod est clarissimum, eum qui adglutinator scorto, idem corpus cũ eo fieri? Sic enim legimus in Genesi de marito & uxore: E duobus fiet una caro, idemq; corpus. Nã ut in licito matrimonio honestus cõsensus è duobus animis unũ reddit, corporũ item legitima cõmixtio è duobus unũ efficit: ita in nefario coitu, quisq; fit idẽ cũ eo, cui se turpiter admiscet. Quod si fœdum habetur, si corpus suũ uxor, fraudato marito, cũ adultero misceat: ita nefarium est, corpus semel Christo cõsecratũ putido scorto miscere. Nam qui domino Iesu adglutinator, ob corporis & capitis cõmunionem, unus cũ illo spiritus redditur, cui cũ purissi

Et hec fuistis
quidem

Omnia mihi
licent

Sed ego sub
nullius

Per uirtutem
suam

An nescitis

Gen. 2

Omne enim peccatum mus sit, pessime cōuenit cum spurca libidine, quæ mentis usum adimīt hominī, ac uelut in brutā pecudem transformat. Proinde summo studio fugite nefariā libidinem. Cetera fere scelera quæ patrant impij, licet nascantur ex corpore, tamen cū alieni corporis iniuria cōiuncta uidentur, nec totū, ut uidetur, hominē conspurcāt. Cæterū qui libidine peccat, in suū ipsius corpus contumeliosus est, quod turpi admixtu polluit atq; contaminat. Nec enim adulter adulterā conspurcat, nisi simul cōspurcato corpore proprio, sine quo flagitiū non admittitur. Homicida qui iaculo cōfigit hominē, intacto suo corpore lædit alienū, & una duntaxat sui parte pollui uidetur. Libido totum cōspurcat hominē, quod uulgus etiā intelligere uidetur. Siquidem à coitu solet uti balneis, quo sordes e cōmixtu corporū contractas abluat. Facinus est, in corpus alienū esse iniurium. At demētia similitum uidetur, propriū corpus ignominia afficere. Ne putetis leuem esse culpam libidinis, etiamsi corpus potissimū conspurcaret. Et corpori suus habendus est honos, quod *An nescitis quod* animæ immortalis est domiciliū, quod ablutū sacro liquore, iam ipsum quoq; sic deo cōsecratum est, ut templum sit spiritus sancti, quē haulistis in baptismo, quoq; Christo cōglutinamini, nunquā ab eo diuellēdi. Quod si uestri cōtumelia uos nihil cōmouet, certe moueat, quod istud cū graui iniuria Christi cōmittitur. Semel in ius illius toti cessistis, in cuius corpus estis cooptati. Ille uos à morte redēptos suos effecit, ut post hac uestri iuris non sitis. Ius empti corporis penes emptorē est, id qui alienat, aut qui secus tractat, quàm ex arbitrio domini, iniurius est in eum, cui debet seipsum. Neq; uero uili uos emit Christus, qui preciosum sanguinem suum uobis asserendis impendit. Proinde quando toti deo dicati estis, ne uelit in huius contumeliam polluere corpora uestra, uerū ut animorum innocentia, ita corporum integritate numen inhabitās in uobis circumferatis, & apud homines illustretis. Vtrunq; illius est, utrunq; castum præstate, ne ob uestra decor, apud impios male audiat Christus, cuius nomine censemini. Nam quemadmodum dominorū claritas ad seruos quoq; pertinet, ita seruorū turpitudine dominis gignit infamiam. Proinde deus licet nec gloria clarior, nec ignominia potest obscurior reddi, tamen apud homines quodam modo & infamatur malefactorum, & cohonestatur integritate morum, ac sanctimonia uitæ, dum ex horū uita apud uulgus æstimatur.

CAPVT VII



De quibus aut scripsistis mihi Neque uero hæc dixerim, quod existimem quouis coitu cōtaminari corpus, quemadmodū quidam uobis persuadere conantur, quo sibi, ut hypocritæ, concilient apud uos opinionē sanctimonie. Est & castus quidam ac legitimus usus cōiugij, sed omnibus ex æquo uitandus est illegitimus coitus. Legitimo matrimonio eatenus cuiq; utendum, aut nō utendum, quatenus ad Euangelij negociū expedit, aut officit. Proinde ad quæstiones de quibus me per literas consulistis, paucis respondebo quid faciendū ijs, qui iam matrimonio sunt irresi, rursum quid ijs, qui in cōlibatu degūt ac uiduis. Item quid ijs, qui matrimonio molesto, aut etiā impari sunt impliciti, postremo quid uirginibus elocandis, aut nō elocandis. Primū igitur, ut nūc est temporū status, multis de causis cōmodum erat in totū ab uxorū cōmercio temperare, quo magis liberū esset euangelico negotio, bonæq; menti uacare. Nam quamuis honesta res est matrimoniū, tamen curis mundanis quamlibet nolentē inuoluit hominē, & quantū his additur studiū, tantū rebus sacris decidiť. Deinde huius usus habet crassum quiddam, quod totum hominem ad tempus absorbet, atq; ipsum sibi aliquid quando minus hominem restituit. Video quid maxime sit optandū, sed quod opto non ausim exigere, ne parum feliciter quod est optimum affectantes, per occasionem in deteriora prolabamini. Noui quàm sit indomitus ac uiolentus hic affectus: nec me fugit, q̄ in hūc sitis peculiariter propensi. Tutius igitur arbitror, ut sua cuiq; sit uxor, & suus cuique maritus, ut mutuo officio uterq; alterius intēperantiæ medeatur. Nam hac quidem *Mulier sui corporis* in parte æquū ius est utrisq; licet alicubi potior sit autoritas mariti: siquidē nec maritus hac tenus sui corporis dominus est, ut quod ad usum coniugale attinet, eius copia fraudet uxorem, & alteri copiam faciat. Vicissim ius uxori corporis penes maritū est, quod ad usum matrimoni pertinet, nō penes uxorem, quæ sui copiam nec marito negare debet, nec alteri facere. Mutuum est debitum, & utrinq; bona fide, cū res poscit præstandum. Reddat igitur maritus, quod ex lege coniugij debet uxori. Reddat uxor quod ex iure *matri*

matrimonij debet marito. Cæteris in rebus fortassis imperium & autoritas penes maritum est, hic mutuum obsequium ex æquo debetur. Id negare poscenti, fraus est. Neque enim is solum fraudator est, qui pecuniam debitam non reddit, uerum etiam qui debitum detrectat officiū. Neuter igitur studio castitatis fraudet alterum, nisi si quid inter uos conuenit, utrinque assentientes, ut ad tēpus à congressu temperetis, quo magis defecatis animis uacatis precibus sacris, ac cœlestiū rerum meditationi, quod corporum ille cōplexus nonnihil hebetare soleat animi uigorem. Ergo aut neuter, aut uterque contineat, sed ex parte: nec ob quamlibet causam, sed studio rerum cœlestium: neque nimum diu, sed ad tēpus aliquod, ac mox ad pristinam consuetudinē redeatis: non quod non intelligam optimum esse, si quis iugiter uacet pietati, sed quod periculum uideam, ne satanas, qui nusquam non uigilat in uestram perniciem, uos ad libidinem proclues, per hanc occasionem pelliceat ad deteriora. Malo in uobis quod imperfectius est, modo sit tutum, quàm id quod præclarus est, sed cum magni mali periculo coniunctum. Cæterum non hæc loquor, quo quenquam cogam uxorem ducere, aut uetem amplecti iugem castitatem, si tanto proposito iustum addit robur, & in matrimonio mutuus intercedat consensus, sed conscius imbecillitatis uestre, consulo uestris periculis. Alioqui, si liceat, cupiam omnes mei similes esse, ut aut prorsus liberi sint à uinculis cōiugalibus, aut uxores sororū habeant loco, purique cum puris, casti cum castis degant. Verum quod Christus non exegit à suis, non ausim à uobis exigere. Beatos pronūciat ille, qui se castrassent propter regnū dei: non reijcit, qui iure coniugij caste moderateque uterentur. Eximia quædā res est perpetua castitas, ob Christi negotium suscepta. Sed honesta res est & legitimū connubiū, cuius autor & cōsecrator est ipse deus. Verum ingens est corporum atque animorum uarietas, nec pares sunt dotes omnibus à deo datæ. Fortassis supra uires hominis sit, in totum à coitu temperare. Felices quibus hoc robur à deo cōtigit, sed amauit ille uarietatem hanc in suo populo, ut alij alijs dotibus præminerent: atque ista rerum uarietas ad totius harmoniam ac decorum mire faceret. Proinde neque damnet quisquam alienum statum, neque sui poeniteat quenquam, sed quisque pro sua uirilī dono quod accepit à deo, respondeat. Est castū coniugiū, est impura uirginitas. Habetis meum consiliū de ducendis ac habendis uxoribus. Nunc ad digamiam questionem accipite. Sunt enim, ut audio, qui licet non adimant uobis ius coniugij, tamen nolint iterari matrimoniū, simul atque mors alterius alterum liberarit. His de rebus ita sentio: Si quis à morte coniugis cœlebs est, aut si qua ab obitu mariti uidua est, si uires adsunt ad perpetuam continentiam, præclarum fuerit, si nec ille reperat uxorem, nec illa maritū, sed suam uterque libertatem rebus diuinis consecret. Quod optimum iudicaui id ipse sum amplexus, ne quid me remoretur ab Euāgelij negotio: quod mihi sic cordi est, ut eius studio facile contemniam uoluptatem uxoriā. Quod si sciam omnibus eandem esse mentem, non dubitem omnes ad exemplū mei uocare. Hic igitur, quoniā dispares sunt corporum atque animorū habitus, idem consiliū omnibus dari non potest, sed suas quisque uires consulat oportet: & ad quod uitæ genus natura maxime sit appositus, id amplectatur. Qui semel experti coniugium, sentiunt sese adhuc impares esse uiolentis libidinis stimulis, repetant potius coniugiū, ut legitimo coitu suæ medeantur incōtinentiæ, quàm in cœlibatu grauius ter pruriēte libidinis affectu, grauioris flagitij periculis affines esse uelint. Hic igitur nec cogo ad matrimoniū, nec ueto matrimoniū, sed quid expediāt, ex suo cuique animo perpendendum relinquo. Nihil enim habeo, quod à domino præscriptū uobis tradā. Quamquam illud à Iesu Christo præceptum non dubitem à uobis exigere. Qui carent coniugio, ipsi liberum est, ut dixi, pro suo iudicio, uel amplecti, uel non amplecti coniugiū, modo ne alio spectet quàm ad Christum. Verum ubi semel coijt matrimoniū, nolim id fieri, quod passim fit apud Iudæos & ethnicos, ut quibuslibet de causis dirimatur coniugium. Veritū enim dominus, ne uir uxorem reijciat, ob mediocres offensas, licet hoc indulserit Iudæis olim Moyses, non quod hoc rectū esse iudicaret, sed quod metueret, ne homines naturam uiuētes & obstinati adēpto iure diuortij, atrociora diuortio cōmitterent. Vnam causam excepit dominus, si uxor cū alio rem haberet: siue quod tum exciderit à iure cōiugij, quæ uni pacta sui copiam, se alteri cōmunicauit: siue quod iniquū uideatur à quoquā exigere, ut cū ea domū, lectum, focum, ac mensam habeat cōmunem, quæ prodita cōiugij fide, qua nihil est sanctius, turpi adultero sese admiscuit. Adeo Christus societatem hanc firmam

Dico autem
non nuptis

Melius est nū
bere quàm
uri

His autē qui
matrimonio

mam & indiuulsam esse uoluit. Proinde nisi quid huiusmodi intercesserit, nec uxor diuer-
 tat à marito, nec maritus uxorem eijciat. Quod si per alias offensiones oborto dissidio con-
 tingat uxorem à uiro diuertere, ne sibi spem reditus intercludat, abstineat ab iterando con-
 iugio: intacta fortasse maritus iam placatio recipiet, corrupta quis recipiet? Quod si nec
 tantisper temperat mulier, ut à coitu se cōtineat, det operam ut cum marito redeat in gra-
 tiam. Id si non impetrat, meminerit cuicumque sese adiunxerit, nomine cōiugii fore, re adul-
 terium. Iam ad ea quæ de inpari matrimonio interrogatis, non habeo quod ex autoritate
 domini respondeam, sed est quod pro mea sententia uelut utilius suadeam. Adeo res est
 odiosa diuortii, ut nec ob religionē diuersam dirimi uelim semel initum matrimonium.
 Si contigerit, ut mulier Christiana iuncta sit marito nondum professio Christum, atque is,
 licet alienus à Christi mysterijs, non tamen adeo infensus est, ut ob diuersam religionem
 putet eam repudiandā, si me audiet uxor, nō relinquet maritum. Rursus si obtigerit, ut uir
 Christo initiatus coniunctus sit uxori, quæ à Christo sit aliena (quādo non cōuenit quē-
 quam ad suscipiendam religionem cōpelli) nec ea quærat diuortium offensa diuersa reli-
 gione, meo cōsilio uir non eijciat illam. Nec enim est quod horreat Christianus aut Chri-
 stiana, ne admixtu hominis à Christo alieni, labē sibi cōtrahat. Licet impura sit alterius re-
 ligio, tamen legitimum ac purum est cōiugium, quod illos, licet alijs impares, ex æquo co-
 pulat. Nō inficit deterioris impietas alterius pietatē, quin illud potius præpōderat, quod
 melius est & efficacius. Itaque maritus quamuis religione prophanus, tamen per Christi-
 næ consortiū, quod ad coniugij negocium attinet, sanctus redditur. Item uxor nondū ini-
 tiata Christo congressu mariti Christiani quodammodo sancta puraque redditur, ob legiti-
 mum usum matrimonij. Quod ni esset, liberi uestri communes, uelut ex incesto coitu nati,
 prophani impuriq; haberentur. At nunc constat eos legitimos ac puros esse, tanquam ex
 legitimo congressu progenitos. Siquidem uxor baptizata, cum rem habet cum uiro non-
 dum baptizato, nō admiscetur ethnico, sed obsequitur marito: nec amat impiū, sed tole-
 rat futurum piū. Hanc spem de se præbet, qui licet ipse nondum profiteatur Christum,
 tamen in uxore non horret dei cultum. Nec enim totus ethnicus est, & aliqua ex parte
 Christianus est, qui æquo animo conuiuio uxori, quæ Christi nomen proficitur, qui
 crucis signum communi lectulo præfixum uidet æquis oculis. Nulli tam agre coheret,
 quā quos diuersa seperat religio. Hæc igitur spes retinere debet in conuictu eam, quæ
 prior Christum amplexa est. Quod si diuortium oriatur ab eo, qui nondum credidit, isque
 odio Christi repudiat uxorem, quando iam spes non est illius mutandi, non est cur ampli-
 us cum impio cohæreat. Excidit à iure matrimonij, qui deum horret autorem matrimo-
 nij. Neque enim Christo dicatum hæcenus obstringit matrimonij fides, ut impium ma-
 ritum assidue iurgantem, Christoq; conuiçantem ferre cogatur. Utatur igitur diuortij li-
 bertate, quam ille dedit, ac tranquille Christo seruiat. Nec enim ideo uocauit nos deus ad
 Euangelicam uitam, ut in iurgijs, sed ut in concordia paceq; uiuamus. Proinde si non con-
 uenit inter impares, & diuortium postulat incredulus, non hereat inuito uxor Christiana:
 si cōuenit, spe mutandi mariti maneat uxor, ac uicissim spe mutandæ uxoris maneat ma-
 ritus. Etenim qui scire potes uxor, an domesticis alloquijs, an modestia suauitateque mo-
 rum, an affectu coniugali sis effectura, ut resipiscat maritus, tecumq; seruetur? Aut qui sci-
 re possis marite, an his rationibus sis uxorem seruaturus, & lucrificaturus Christo? Quod
 si contingit, an non ingens est lucrum? Si non succedit, tamen approbabit deus bonam
 mentem tuam, quæ id studuerit. Sed interim dum incertum est successurum sit nec ne, bo-
 na spe cohæreat coniugii, nec mutet diuersa religio uitæ statum. Nec enim baptismus uin-
 dicat uxore à iure mariti, si is eo legitime utatur: nec seruū à iure domini, si is quatenus fas
 est, eo utatur. Ut cuiq; sua sors obtigit à deo, in ea Christo seruiat. In quo quęq; statu de-
 prehenderit Euangelij doctrina, in eo perseueret. Religionis nouitas ueterē abolet uitam;
 non abrogat ueterem statum, eò quod cum quouis conditionis genere cōueniat Christia-
 nismo: qui nequaquam ob id inductus est, ut turbet publicum rerum humanarum sta-
 tum, sed ut in omni statu sancte pieque uiuatur. Hæc est mea sententia, quam non uobis
 solum, uerum etiam omnibus ecclesijs propono. Nec grauabimini sequi quod omnes
 amplectuntur. Itaque si dei uocantis afflatus deprehenderit te coniugatū, non est cur ideo
 rescindas matrimonium: si circumcisum, non est cur pigeat te tuæ sortis, & præputium
 uelis

Si quis frater
uxorem

Sanctificatus
est enim

Non enim ser-
uituti

uells accersere. Nihil enim officit praputium nouæ religioni. Rursus si alienū à circumci-
sione, non est cur optes circumcidi. Nam quantum ad nouatam religionem, nihil refert,
circuncisus sis, an incircuncisus. Illud ex æquo refert utriusq; , ut posthac non iuxta cupi-
ditates carnales, sed iuxta iussu dei, cui iam initiatus est, uitam agat. Satis est uitam mutari,
statum nihil necesse est, quod id absq; rerum perturbatione fieri non queat. Quod de ma-
trimonio, deq; circuncisione dictum est, idem sentiendum de seruitute. Quos Euangelica
doctrina deprehendit obnoxios seruituti, æquo animo ferant sortem suam, nec ideo se pu-
tent manumissos à iure dominorum, quod à tyrannide uitiorum sint manumissi. Rursus
qui ingenuus uocatus est ad Christum, non est quod mutatum uelit statum suum, ac se-
met in seruitutē conijciat. Quin potius illud agendum, ut si detur occasio, libertatē arripi-
at, ac mutet seruitutem. Si dominus odio Christi rejicit seruum, non est cur nouum quæ-
rat herum. Nec est cur sibi displiceat, quod domino careat, cum Christū habeat patronum
ex seruo factus huius libertus. E diuerso, qui ingenuus natus, per baptismum renatus est,
non est quod sibi uel displiceat, uel placeat conditionis nomine, cum is per baptismum fa-
ctus sit seruus Christi: ut rerum uicibus permutatis, libertas cōtigerit seruo, seruitus acces-
serit ingenuo, quo moderatius uterq; suam sortem ferat. Sunt enim hæc ex eorum genere,
ad quæ Christus ueluti conuiuet. Arripiatur ansa commodior, si grauat seruitus, hoc no-
mine te cōsolare, quod licet dominus quaecunq; ius habeat in corpus, tamen animus ex-
emptus à uitijs, Christo manumissus est. Si quid erigit animum ingenuitas, cogita te em-
ptum à Christo, nec emptum precio mediocri. Habes dominum modis omnibus obser-
uandum, ne tibi putes esse liberum ex affectu tuorū arbitrio uiuere. Et qui debet seruitu-
tem homini, eatenus manumissus est per Christum, ut si quid impium iubeat dominus,
Christo potius auscultet nouo patrono, quàm ueteri domino, qui abusu ius suū perdidit.
Æquum erat, ut quos Christus precio sui sanguinis asseruisset in libertatem, non preme-
rentur hominis dominio. Fauco libertati si contingat. Nam Christi seruitus uera ingenui-
tas est. Impio seruire Christianum, uidetur indignum. Et conueniebat, ut domino Chri-
stiano serui abeant in nomen & affectum fratrum ac filiorum ob communem dominum,
à quo communi precio redempti sunt utrique. Verum ne prætextu religionis Christianæ
turbetur ordo reipub. suam quisque sortem ferat, & in ea perduret, sed ita perduret, ut in-
terea meminerit, dei iussa hominum imperatis anteponenda. Parete dominis, sed appro-
bante deo, cui plus debetis, ut à quo pluri sitis redempti, quàm ab istis empti. Quæ de
seruitute ac libertate dicta sunt, quadantenus locum habent in matrimonio & cœlibatu.
Nam qui matrimonij iugo semet implicuit, quodāmodo seruus est. At qui cœlebs uiuit,
huic liberius uiuendi potestas est. Semper igitur id quod cōmodius est oportet sequi, si li-
ceat. Nec enim usq; adeo libertas est affectanda, ut huius studio in grauioris periculi sco-
pulum impingamus. Itaque de hoc quod quæritis, an Christiani filias uirgines elocare de-
beant, an ueluti Christo sacras, in perpetua uirginitate tenere domi, quo liberius ei serui-
ant: licet non habeam domini præceptum, ex quo uobis certo respondeam, habeo tamen
cōsiliū, quo suadeā quod mihi uidetur optimū. Nec opinor uobis aspernandū meum
cōsiliū, quādo mihi quoq; delegata est autoritas apostolica, mihi quoq; licet immeren-
ti, contulit diuina bonitas, ut ex eius animo dem fidele ac salubre cōsiliū, non spectans,
quid in rem meam sit, sed quid uobis expediat. Arbitror igitur ob libertatem optandum
esse, ut uirgo nulli sese addicat nisi Christo: non quod negem sanctam & honestam rem
esse coniugium, sed quod ob affinitates, ob curam educandorum liberorum, multum affli-
ctionum ac sollicitudinum secum trahat. Hanc necessitatem, ac ueluti seruitutem effugit,
qui abstinet à coniugio. Præstat igitur libertatem amplecti, si sit uel integrum, uel tutum.
Integrum non est his, qui sese iam matrimonij uinculis implicuerunt: Tutum non est ijs,
qui sibi non temperant. Proinde si iam alligatus es uxori, ne Christi prætextu quaras di-
uortium. Si contingit tibi libertas, noli affectare matrimonij capistrum. Quod si diffusus
tuis uiribus duxisti uxorem, non est quod te poeniteat, nihil enim sceleris admissum est.
Rem curis obnoxiam, sed legitimam suscepisti. Nec ideo Christo deterior eris, quod uxo-
rem habeas, sed afflictior, & curis mūdānis magis obnoxius. Quin etiā si uirgo malit esse
materfamilias, non peccat si uiro legitime nupserit. Nihil est incommodū, nisi quod ob cu-
ras rei familiaris, minus liberū erit assidere sacre lectioni, ac precibus, aut alijs officijs pie-
tatis

*Seruus uoca-
tus es, non sit
tibi cura*

De uirgin.

Ego aut uobis parco
 tatis. Itaque dum utrumque uobis liberum facio, duplici nomine uobis parco. Qui potest carere coniugio, huius libertati consulo: qui non potest, huius periculo succorro. Laudo coelibatum ut felicior, probo matrimonium ut tutius. Igitur hac de re quid quisque statuat, ipse uiderit. Neque compello quenquam, neque ueto, duntaxat in his, quae dominus nec exegit, nec interdixit. Illud à uobis promiscue exigam fratres, quando tempus hoc angustum est, quod imminet dies ille supremus, pro uiribus ad ea properandum est, quae nos in eum diem praeparant, reiectis istis, quae nos eo festinantes remorantur. Incertus est dies ille, sed certum est non procul abesse. Hunc qui cogitet semper instare, rebus fluxis ac momentariis leuissime tangetur, siue quid molestum obuenerit siue quid experendum obtigerit. Nam ultimus ille dies adimet nobis utrumque. Adimet & mors, si forte diem illum prauenerit. Quorsum igitur attinet in istis, quae mox peritura sunt anxie distorqueri, aut magnopere gestire, cum res eternitatis agatur? Habeant uxores qui uelint, sed habeant neglectum, perinde quasi non habeant, ita leuius affliget matrimonij seruitus, & leuius remorabitur coniugij uoluptas. Quos fortuna rebus aduersis premit, sic plorent, quasi non plorent. Quibus arridet fortuna huius mundi, sic gaudeant, quasi non gaudeant. Qui mercantur, sic mercentur, quasi rem emptam non possideant, utpote mox auferendam, & uelis nolis alio demigraturam. Et quos casus aut necessitas inuoluit mundanis negocijs, sic utantur, quasi non utantur. Sed harum rerum postrema cura, prima coelestium, si solam esse non licet. Umbras modo bonorum ac malorum mundus hic habet, in quibus neque solidum est quicquam, neque diuturnum, quibus haerere toto animo, non est eorum qui contendunt ad immortalitatem. Haec ideo loquor, quod cupiam uos quam minimū distineri curis mundanis, atque hoc uitae genus potissimum amplecti, quod uos quam minimū inuoluat profanis negocijs. Hac in parte potior est coelibis, quam coniugati conditio. Siquidem qui coelebs est, non distrahitur in diuersas curas, quomodo socero, socru, quomodo ceteris affinibus, quomodo uxori ac liberis satisfaciatur, unde uictus familiae indies crescenti suppeditet, unde dotem euincat, sed totus uacat Christo, summā uotorum adeptus, si illi uni placeat. Contra qui duxit uxorem, ut ex parte domino uacet, tamē aliquam sui partem debet uxori, ac rebus uxoris. Idem accidit in muliere. Vxor quoniam sui iuris tota non est, non potest tota uacare Christo, sed in diuersas curas dissecta, dimidiata seruit Christo, dimidiata matrimonio. Rursus uirgo aut mulier alioqui coelebs, unum illud curat, ut Christo sponso placeat, cui non aliter placet, quam si se totam castam & incorruptam seruet, non corpore solum, uerum etiam animo. At quae nupta est, necesse habet, ut se Christo mundoque patriatur, ita satagens placere Christo, ut marito, cui debet obsequium, non displiceat. Totus autem hic sermo meus, quo coelibatum effero ne quis aliorum uertat, huc tendit, non quo uobis libertatem adimam contrahendi, aut non contrahendi matrimonij, aut necessitate adigam in aliquod uitae genus, quod cuiusquam animo non sedeat: sed amico consilio uestris consulo commodis, ut cum sciatis utriusque ius esse uobis, ad id potius uergatis, quod praeter decus honesti, libertatis quoque commodum habet adiuturum, per quam coelibis licet perpetuo studio cultusque sic adherere domino Iesu Christo, ut nullis terrenis sollicitudinibus unquam ab eo diuellatur. Illud expendat quisque secum, an quod honorificum ac liberum uidet, idem sibi iudicet esse tuxum, aut etiam ex animi sententia. Nam qui metuit, ne quid dedecoris aut infamiae sibi contrahat, si filiam uirginem, tam uiro maturam, nec abhorrentem à nuptijs, ultra iustum tempus domi clausam teneat: atque ita res suadet ut nubat, nihil ob sto, quo minus faciat, quod uidebitur factum opus. Quamuis enim matrimonium cum seruitutis & sollicitudinis incommodis coniunctum diximus, tamen cum peccato non est coniunctum. Legitima res est & honesta, quibusdam etiam necessaria. Proinde palam ac mature iungat filiam uirginem marito, ne furtim turpiter faciat, quod in coniugio abest à probro. Verum si quis intelligens sibi liberum esse uirginem elocare, aut non elocare, nec ulla ad utrumuis adigi necessitate, tamen ex animi sui sententia statuit ac decreuit seruare domi uirginem, quae non optet nuptias, recte facit. Etenim ut non est tutum nupturientem à matrimonio arcere, ita pium non est, à castitatis studio uotoque labefacere puellarem animum. Itaque qui metu periculi nuptiarum datam lentem nubere, recte facit. At qui perpetuae castitatis appetentem non impellit ad nuptias, sed honesto uoto puellae obsequitur, rectius facit. Nam praeter honestatem, & hoc lucrativum commodum, quod uocabit uirgini, totam & indiuisam uacare sponso suo Christo. Nec enim in alium

matrimonium usum captanda est coelibatus libertas. Apud deum longe pulchrius est in matrimonio quod necessarijs curis subduci potest, consecrare diuino cultui, quam uirginitatis praetextu ad luxum, aut iners ocium, uiteque licentiam abuti. Tantum igitur abest ut uirgini primas nuptias negē, ut ne uidue quidem ius adimam iterandi coniugij, cum secundis nuptijs nec mundus habeat honorem. Quid cuique expediat, non est meum singulatim praescribere. Hac parte suum quisque animum in consilium adhibeat. Quid citra delictum fieri possit ostendo. Virgini licet nubere, quia sui iuris est. Semel nupta, non idem ius est, iam enim desijt sui iuris esse, sed marito sese astrinxit foedere coniugij, donec ille uixerit. Sola mors dirimit hanc necessitudinem. Qui enim in matrimonium, hoc in animo, ut sit indiuisa copula. Quod si diem suum obierit maritus, redit uxori superstiti postliminio sua libertas, ut si placeant iteratae nuptiae, nubat cuicumque uelit, modo sit Christianum coniugium, hoc est nec turpitudinis gratia affectatum, & cum eiusdem religionis uiro contractum. Attamen ut fateor non esse obnoxiam peccato, quae concessas iterat nuptias: ita feliciorē arbitror, quae studio uacandi Christo, tuetur redditam libertatem. Id igitur non praecipio quidem, ut necessarium, sed consulo, ut commodius. Hominis consilium audis sed non abhorrens a mente Christi, qui multa per se, nonnulla per suos tradit. Huius cum & apostolus sim, & ni fallor, spiritum hauserim, ut apostoli ceteri, non est quod meum consilium leue pondus apud uos habeat.

Mulier alligata est leg.

CAPVT VIII



De matrimonij quaestiones satis responsum arbitror, ne posthac super hisce rebus diuersis opinionibus inter uos digladiemini. Nunc quoniam hoc quoque uerti in quaestionem intelligo, fas ne sit Christiano uesci carnibus peccatis idolis immolatae, quas ethnici pro sacris habent, etiam super hac re meam accipite sententiam. Sunt inter uos, qui quod intelligunt simulacrum nihil aliud quam lignum aut aes, aut saxum esse, proinde carnes huic immolatas reuera nihil a ceteris differre carnibus, nec animum hominis ullo cibi genere pollui posse, male sciti sua scientia, passim nulloque delectu sese ingurgitant carnibus immolatijs, bene quidem iudicantes de re, sed parum memores Christianae charitatis, quae solet offendiculum omne uitare, ac semet accommodare infirmioribus, donec paulatim ad meliora proficiant. Quid autem magnum est, si intelligant simulacra nihil habere numinis? Quis istud Christianus non intelligit, quod intelligunt & inter ethnicos paulo cordatiores? At saepenumero consultius est sequi, quod dicat charitas, quam quod dicat scientia. Scientia frequenter officit, ut quae tumorem ac supercilium adferat. At charitas ubique prodesse studet, laedit neminem. Quanquam magna scientiae pars abesse uidetur ijs, qui nesciunt quatenus sit utendum scientia. Id praescribit charitas, e proximi comodo meriens omnia. Hanc igitur in consilium aduocet oportet, qui uere scientia praeditus uideri uelit. At qui charitatis expers, inani scientiae persuasionē tumet, tantum abest a scientia, ut nec illud etiam sit assecutus, ut sciat quatenus oporteat uti scientia. Quisquis apud deum sapiens est, is uere sapit. Etenim qui sibi placet, suaeque studet gloriae, neglecto fratris periculo, huius scientiam non approbat deus. Ceterum qui deum uere diligit, & proximum diligat necesse est. Hunc igitur ut suum discipulum agnoscit deus, quippe qui quemadmodum ille suam sublimitatem accommodauit seruandis hominibus, ita suam scientiam subiicit, ac seruire cogit comodo proximi. Igitur ut ad id, quod institutum erat, recurrat sermo: nouimus plerique, quod simulacrum, licet adoretur ab ethnicis, perinde quasi numen habeat, reuera tamen nihil aliud sit, quam lignum, aut saxum, neque plus habeat diuinitatis, quam quouis arboris truncus indolatus, aut quoduis rude saxum: atque ideo carnibus huic immolatis nihilo plus inesse uel boni, uel mali, quam ijs, quae in macello ueneunt. Nam quod sculptum uidetis saxum, ad hominis aut alterius animantis imaginem, cum unus sit deus, isque simulacro careat (nec enim effingi potest) quid est quod simulacrum repraesentat, nisi daemonia, quibus infelices pro deo sacrificant? Istos igitur polluunt huiusmodi cibi, quos ut uere sacros capiunt, cum sint profani. Christianum non polluunt, qui non uescitur ut sacris, sed ut a deo concessis, ad sedandam famem. Necessitatis causa uescitur, non religionis, irridens apud se ridiculam ethnicorum deorum turbam, ac certus nullum alium esse deum, praeter unum, cui sacra sunt omnia. Nam ut sint alij, qui uocentur dii, siue in caelo, quos illi coelites uocant, siue in terra, quos inferos illi dicunt

Omnes scientiam hab.

Hic cognitus est ab eo

Nihil est idolum

dicunt, quod genus sanè sunt dñj multi, ac domini multi; nomine duntaxat sunt dñj ac domini, & in ijs duntaxat tales sunt, qui eos per errorem crassissimū tales credunt, & in deos ac dominos adoptarunt. Nobis autem Christianis non est nisi unus deus, nimirū pater ille Iesu, conditor & autor uniuersi, à quo uno nobis proficiuntur omnia, cuiq; soli addi-
Pater ex quo omnia cti, pio cultu placere studemus. Vnus item dominus Iesus Christus, per quem unum omnia nobis contulit pater, & cuius unius beneficio deum uerum agnoscimus, ut iam cum falsis ac profanis ethnicorū dñjs, nihil omnino cōmerciū sit nobis, neq; pluris æstimari debeant, q̃ si omnino non sint. Itaq; quisquis robore Christiano contēnit simulacrū, & simulacris immolatū, recte quidē sentit, & recte uesceretur immolatiōis carnibus, perinde ut quibuscumq; libet, si quod uerissimum est, ex æquo persuasum aut perspectū esset omnibus. Nul-
Sed nō in om- nibus est scien- tia lus enim offenderetur. Nunc accumbunt in conuiuio, quibus ex maiorū institutis à prima pueritia persuasum ac penitus infixum est, simulacrū rem esse sacram, & quicumq; accumbunt in epulis, huiusmodi superstitionis esse consortes, neq; credunt ista tantopere posse contemnī, quæ ipsi tantopere uerentur ac metuunt. Hi quod tu iudicio bonaq; fide facis, sic interpretabuntur, apud se loquentes: Non est tam execrabilis idolorū cultus, quando-
quidem à sacris nostris non abhorrent Christiani. Accumbit aut astat fortassis & Christianus aliquis, qui licet Christo sit initiatus, tamē nondū robore fidei perfectus est, sed ex ueteris instituti cōtagio, quod à maioribus imbibit ex diutina publicaq; cōsuetudine relictis uestigijs laborat, atq; immolatiōis carnibus, non sine religione uescitur, nō nihil sperans aut timens, ne dæmon ille, quisquis est, aut profit aliquā, aut officiat. Quid enim mirum, si hoc accadat Græcorū aliquibus, quod uidemus plerisq; Iudæorū accidere? Arduum est, penitus ac radicitus ex animis hominum reuellere, quod illic primæ ætatis institutio, quod publicus usus, quod diutina cōsuetudo fixit. Nemo repente fit plene Christianus. Habet ut natura, sic & religio gradus suos. Itaq; quemadmodū ætate robustiores, natura magis tra ferimus ac fouemus imbecilles; ita exemplo Christi, qui prouectiores sunt in fide, debent infirmioribus obsequi nonnunquā, donec progressu tēporis, robur iustum colligāt. Verum ut hodie sunt apud Hebræos Christum professi, qui tamen ob haustram à proauis religionem, non possint istiusmodi contemnere, quamuis id palam & sacri uates futurum prædixerint, & Christus ipse fieri iusserit: ita fuerunt apud Græcos primum illucescente euangelio, quin & hodie sunt, qui licet Christum agnoscant, tamen nōdum penitus expulerint ex animo patriæ religionis horrorē: atq; ita uescuntur carnibus uictimæ simulacris immolatae, non quatenus habiles sunt ad medendum latranti stomacho, sed quatenus sacra sunt, huic aut illi dæmoni dicata. Hic cum te, quem existimat doctrina iudiciōq; præcellere, uiderit cum ethnicis in sacris epulis accūbentem, suspiciās te non alio animo uesci, quam uescatur ipse, offēditur exemplo tuo, ac perperam imitatur factum, cuius animum ac iudiciū nō perspicit. Igitur qui paulo ante uacillabat, ac leuiter erat superstitiosus, per occasionē redditur superstitiosior. Nō hæc dico, quod probem huius uel superstitionem, uel suspicionem. Etenim infirmitatem non collaudandā aut alendā, sed ad tempus alicubi ferendam, ac fouendā docet Christiana charitas. Nec enim arbitror ubilibet obsecundandum infirmorū cupiditatibus. Quid enim hoc aliud esset, q̃ superstitionem in immensum alere, & sic obsequi infirmis, ut ipse desinas esse firmus? Docēdus est infirmus ille, monendus est, arguendus est, qui cum debuerit infirmior auscultare firmiori, tamen apud se iudicat ac damnat meliorem se: & cum cōuenerit ex illius exemplo fidei robur colligere, cōfirmat animi sui morbum: cumq; magis oportuerit ad illius perfectionem eniti, cogit illi ad alienam infirmitatē descendere. Verum si non capax est qui monetur, Christiana pietatis arbitror, ut qui firmior est, obsequatur aliquantisper imbecilli, sed profecturo. Præsertim in huiusmodi negotio, in quo duo peculiaria sunt expendenda: primum superstitionis affectum, quem haustrum unā cum lacte longi temporis consuetudo confirmauit, rem esse penē inexpugnabilem, ad hæc nullum periculum formidabilius idololatriæ periculo. Sed infirmiorum causam aliā agemus. Interim quoniam in hanc partem uideo frequē-
Si enim quis uiderit us peccari inter uos, illud potius agendum, ut arrogantem, & charitatis expertem scientiam retundamus. Approbo quod dicis, esca non commēdat nos deo. Cum enim deuorauerit creauerit ad usus humanos, neq; quicquam à nobis exigat præter uitæ pietatē, quid illius refert, piscium an quadrupedum, an uolatilium carnibus uescamur? Nihil enim horum

rum, pietati quicquā uel addit, uel adimit. Horum delectus superstitiosum facere potest, plūm nequaquam, Christus nullum horum discrimen docuit. Proinde temeritatis sit, si quis homunculus conetur quenquā huiusmodi constitutionibus onerare. Pro suo quisque corporis affectu uescatur, quibus uelit, modo sobrie parcat, super omnibus gratias agēs deo, nec damnas quenquam, qui diuersis uescitur, nec sibi placens, quod ob corporis commoditatem illis, aut illis non uescatur. Verū in alijs non perinde magnū periculū est, hic ubi summū est, dandum est aliquid infirmitati quorundam. Siue uescaris ijs, quæ sunt immolata simulacris, nihilo fueris sanctior, siue non uescaris, nihilo fueris impurior. Verum illud interim cauendū, ne ista quibuslibet uescendi potestate sic utamini, ut infirmis præbeatis occasionē ruinae. Quid nī id futurū sit, si quis hac superstitione non nihil adhuc infectus conspexerit te, qui iudicio doctrinaque uideris antecellere, unā cum cæteris, qui sacrificarunt simulacro, in cōmunibus epulis accumbentem, ac licet dissimili animo, tamen non dissimili specie uescentem? Nōne huius animus suapte sponte propensus ad pristinam superstitionem, exemplo tuo fulciatur, & incitabitur ad idololatriā, ut quibus tu bona firmas fide uesceris, ac tranquilla cōscientia, hic insyncera conscientia uescatur? Quid tum postea inquires? Videlicet periculum est, ne per occasionē tuæ firmitatis pereat frater infirmus, quālibet infirmus, sed tamen frater, hoc est Christianus, quem adeo non contempsit ipse Christus, ut pro eo seruando nō grauatus sit mori. Christus pro infirmis suam uitam uilem habuit, & tibi fratris tui salus adeo pro nihilo est, ut ob uilissimū cibū negligas illius periculum: præsertim cum non desit, quo citra fratris offendiculū possis explere uentris necessitatē. At ne leue putetis crimen peccare in hominem, quoties ad istum modum offenditis infirmos, exemplo suspecto uulnerantes illorum imbecillem conscientia, & Christum ipsum offenditis. Quantumuis pusilli sunt, quantumuis imbecilli, agnoscit tamen hos Christus ut sua membra, in his sese lædi putat. quod his impensum est officiū, patitur impurari sibi. Nec abs re tantopere monuit cauendum ab offendiculo pusillorū. Nemo me magis intelligit in cibis nullam esse portionem uel pietatis, uel impietatis, sed tamen si senserō periculum fore, ne frater adhuc superstitiosior, per occasionē pertrahatur ad uescendum his, quibus irrequieta conscientia uescitur, citius per omnem uitam in totum ab esu carniū abstinuero, quā committam, ut mea causa periclitetur Christi membrum. Non poluit uescentis firmam conscientiam, cibus immolatus simulacro, fateor. Sed sic uescentem polluit fraterni periculi neglectus, quem æque diligere iubemur, atque nos ipsos.

CAPVT IX



Non est igitur quod quisquā queratur adimi sibi ius rei concessæ. Non semper spectandū quid liceat, sed quid expediat: neque protinus faciendū quod possit defendi, sed illud potius sequendum, quod suaserit Christiana charitas, quæ non studet suis commodis, sed alienis. Alioquin quā multæ res sunt in quibus meo iure non sum usus. Non mihi deerat iudicium, intelligebā quid mihi liceret, sed potius fuit, quid uobis expediret. Per multa feci, quæ sciebam ad pietatem nihil habere momenti, quo placarem eos, quos nolebam alienari à Christo. Per multa non feci, quæ mihi facere licuisset, nisi diuersum suauisset uestra utilitas. Quid em? An non sum apostolus, quemadmodum cæteri, qui hoc titulo gloriantur? Nōne iussu Christi missus sum ad gentes? Quod si æque sum apostolus atque alij, qui minus mihi ius est Apostolicæ potestatis? An non & mihi datum est uidere dominum nostrum Iesum Christum, si cui magnum, ut est, uidetur, quod alijs à resurrectione sit conspectus? Quod si ex ijs, quæ præstiterunt, ac rebus præclare gestis æstimentur apostoli, quid est quod uel hic in me desideretur? An non facinus est apostolicum, Corinthum olim sic addictam mundanis cupiditatibus Christo lucrifacere? Atqui hoc facinus opitulante domino per me designatum est. An Iudæis sim apostolus, ipsi uiderint, qui Christum cum Mose student commiscere. Certe uobis Apostolus sum, qui meo suasu Christo creditis, qui sensistis uim diuinam adesse meo sermoni. Vos igitur meum opus estis, si facta requiruntur. Licet quicquid hic laudis est, Christo debetur, non mihi. Nōne uos estis diploma meum, per quod docere possim, ad Christi gloriam mihi delegatam apostolicam functionem? Ita soleo respondere ijs, qui rogant, quo argumento me declārem apostolum. Si per me factum est in uobis, quicquid usquam per summos apostolos effectum est in alijs, qui minus sunt

Nō sum liber

Et si alijs non sum apost.

*Nunquid se-
cundū homi-
nē haec dico*

*Sed nō sumus
nisi hac potest.*

*Non autem
scripsi haec, ut
ita fiant in me*

apostolus quā illi: Quod si par est mihi cum illis apostolicae functionis uel autoritas, uel fructus, quid uetet, quo minus parī cum illis iure utar, & aequalis aut fortassis superior in laboribus, aequalis sim & in praeiis? An solis nobis ius nō erat, edēdi bibendiq; sumptu eorum, quibus euangelium praedicamus? An solis nobis fas non est, Christianas matronas circumducere, quae de suo nobis quae uitae sunt necessaria suppeditent, quod faciunt apostoli, non quilibet, sed apostolorum summates, fratres domini, qui uocantur Iacobus & Ioannes, quin ipse etiam Cephas, cuius prima est inter apostolos existimatio. An uni mihi & Barnabae, quia non idem facimus quod illi, non uidetur idem esse ius in ocio uiuendi, & alieno sumptu praedicandi euangelium? Opes ex euangelio adeo non ueniamur, ut quod alioqui iustissimum erat, ne simplicem quidem ac frugalem uictum gratis acceperimus. Quis unquam in bello suis militat stipendijs? Quis colit uineam, ut non edat de prouentu uineae? Quis pascit gregem, non interim edens de lacte gregis? In omni officio, sumptus ab eo suppeditatur, cui datur opera. Quid? an haec humanis duntaxat argumentis assero? Nōne quod naturae ratio dicat, idem & sacra lex iubet? Siquidem Mosaica lex uetat, ne quis obliget os boui, cum ad triturā circumducitur, quod iniquū sit non inde superpetere pabulum in quo laboratur. Sed dixerit aliquis: Quid istuc ad apostolos? An probabile est deum hac lege bubus tantum cautū ac prospectum uoluisse? an potius aliquid altioris sententiae latet, quod ad nos pertineat? Adeo deus non uult operarium fraudari suo uictu, ut ne bubus quidem id fieri uoluerit. Proinde non tam boum, quā nostra causa scriptum est hoc, ut quisquis laboriosam agricolationem exercet in segete domini, non fraudetur spe praemij sui: & qui trituram exercet in area domini, praeter spem aeterni praemij, praesentis etiam mercedis solatio laborem leniat. Neque uero magnū esse putetis, si nos, cum uobis contulerimus ea quae ad uitam attinent immortalem, uicissim à uobis accipiamus quod ad huius uitae necessitatem pertinet, & cum uobis spiritalia seminauerimus, uestra carnalia recipiamus. Non habet cur imputet suum beneficium, qui pro rebus preciosissimis uilissimas commutat. Non sumus uobis obnoxij, si uictum à uobis oblatum recipiamus, sed uos ingrati, si uictum negaueritis ijs, qui uestris comodis defudant. Quod si hoc iure apud uos usi sunt, & utuntur apostoli qualescunq; (nihil enim interim de his pronuncio) quanto iustius nos, qui & omnium primi, & omnium maxime uobis laborauimus, hoc iure poteramus uti? Et tamē scientes ac prudētes non sumus usi iure nostro, nō quia liceret, aut quia nobis aliunde suppeteret, quin potius in graui rei familiaris inopia nihil non pertulimus, ne quid existeret, quod euangelicae doctrinae profectum interromperet. Alioqui nisi magis spectassemus uestrā salutem, quā nostrum emolumentū, sciebamus uobis notissimū esse, quod ut apud Græcos, qui sacrorum ministri sunt, ē sacrificio uictum habent, ita apud Iudaeos, qui assistunt altari, participes sunt altaris. Neque secus ordinauit dominus Iesus, uidelicet ut qui praedicant ac docent euangelium, his ex euangelio uictus suppeditetur. Nam simplici uictu contentus esse debet etiam is, qui in euangelico negotio fidelem nauat operam. Absit enim ut quisquam ex ea re coaceruet diuitias, quae docet diuitiarum contemptū. Videtis quot nominibus, quot argumentis mihi licuerit facere, quod ceteri faciunt, & tamen nihil horū me commouit, ut à uobis quicquam acciperem. Nec est animus id unquam in posterū facere, ne quis arbitretur in hoc tantum argumentorū à uobis adductum esse, quo, quod antehac non feci, posthac excusatus faciam. Adeo me non poenitet huius animi, ut citius emoriar fame, quā committam, ut quisquam hanc mihi adimat gloriam, quam semel amplexus mordicus tuebor. Neque enim moriens haec praefero, quin potius uoluptati est, & gloriae mihi duco, quod gratis praedicem Euangelium, quando sic expedire uideo uestrae salutis, ut & uos meo exemplo nonnunquam & à licitudine peretis, ubi postularit aliorum utilitas. Etenim si more ceterorum Euangelium praedicem, non est quod glorier. Iniunxit dominus hoc officij, cui parere, uelim nolim, oportet. Nihil igitur laudis est, si delegato fungar officio: sed contra, paratum supplicium, si in Euangelij praedicatione. Si uolens & iniussus praedicauerim Euangelium, erit mihi praemium promptae uoluntatis: si inuitus, tamen peragendum quod delegatum est. Si non creditum est Euangelium, non ut apud me conditum seruem, sed ut gentibus impendatur, & comunico, rem domini, nō meam comunico: sin minus, domino facio iniuriā, cuius tantum, quod ille uolebat usuris crescere, sterile apud me detineā. Sed dixeris, si praedicem, non

non fungentem officio suo, nec primum est fungenti, quid igitur est o Paule, unde tu gloriaris? Videlicet, hinc laus debetur, si quis ultra quam iussus est, præstet officium. Præcepit dominus Euangelium prædicare, at non præcepit, ut gratis nostroq; cibo prædicaretur, imò ius fecit ut ederemus ac biberemus de ijs, quæ offerrent ijs, quibus Euangelium traderemus. Quod igitur ille licitum esse uoluit, ipse mihi nolui licere: Nec usus sum potestate concessa, quod intelligere magis in rem uestram, & in rem Euangelij esse, gratis uobis impertiri doctrinam euangelicam, quo maior esset uos admonendi libertas: planeq; perspicuum esset, me non facere quod quidam faciunt, qui ad questum docent, suum agentes negotium, non Iesu Christi. Iam quemadmodum hic iure meo non sum usus, ita alibi me subieci, uelut astrictus ad ea ad quæ non eram obligatus. Etenim cum neq; gentium legibus sum obnoxius, & per Euangelij gratiam à lege Mosaica liberatus, tamen ultro, uelut obstrictus, omnib. obseruio, quo plures lucrificam domino meo. Itaq; Iudæis memet accommodaui, nonnunquam suscepto uoto rasorq; capite: ite circumciso Timotheo, perinde quasi uere Iudæus essem, cum scirem abrogatam esse legem Mosaicam: ut quibus nondum eximi poterat patriæ legis superstitio, eos obsequio meo blande pellicerem ad Christum, aut certe ne grauiter offensos alienarent à Christo. Apud hos igitur, qui se legi putabant obnoxios, sic me gessi, quasi forem & ipse obnoxius. Rursus apud alios, qui liberi sunt & immunes à lege Mosaica, sic gessi me nonnunquam, quasi & ipse nulla lege tenerer, cum prorsus apud deum non caream lege, sed obnoxius legi Christi, quam ego longe præfero Mosaicæ. Et tamē iuxta speciem ad horum captum & affectum memet accommodaui: uelut apud Athenienses non protinus odiose uociferans in deos illorum, quos magna superstitione colebant, sed ex arg. inscriptione captans occasionem insinuandi Christum: de quo primum sic temperaui sermonem, ut eximium quendam hominem fuisse docerem, ac uelut ob egregie gesta in diuos relatū, non deum & hominem asseuerans, quod huius mysterij scirem illos nondum esse capaces. Quin ex ipsorum etiam autoribus adduxi testimonia, nihil non faciens, quo possem illos ad Christum allicere. At nihil horum mea causa feci, nihil uicio leuitatis, sed studio dilatandi euangelij. Poterā uel firmitate mea, meiq; similis esse, sed malui, quod mihi quidē erat inutilius. Ceterum magis expediebat Euangelio, ut memet ad alienam infirmitatem attemperare, perinde quasi simili tenerer imbecillitate, quo lucrificarem infirmos. Quid multis? Apud quosuis in quamuis speciem me uerti, ut nusquam non seruarem aliquos in omnium animos irrepens obsequio. Non est hoc obsequium blanditijs, quo uos captant quidam: at sit sane si quicquā à uobis præmij uel cepi, uel captaui. Euangelij negotium ago, non meum; domini lucrum uenior, non meum. Ab hoc uno præmio expecto, si rem ex illius sententia gesserō. Insigne præmiū non contingit, nisi insigni uirtuti. Huc enitendum in Euangelico stadio, ut non solum officio functi uideamur, uerum etiam palmam gloriamq; feramus. An non uidetis in uulgaribus studijs, in quibus propositio præmio, cursu certatur, certamen esse multorum, sed uni tamen decerni præmium, qui primus omnium metam attigerit. Ne sit igitur uobis satis, ut cunctis uestro fungi officio, ac poenā effugere: ad summa pro uiribus enitendum est, atq; ita currendū in Euangelico stadio, ut laudem apud agonothesiam deum assequamini. Huius gratia nihil non & ferendū & faciendū. Multa toleranda, licet dura, modo conducant ad hoc præmium: à multis temperandum, licet alias licitis, si palman remorentur. Ad metam properanti, quicquid obstat uitandum est. Turpe est, si nos segnius pro tanto brabeo certamus, quam uulgus hominum pro uili præmio. Nam quisquis certat in popularibus istis certaminibus, à cibis, à uoluptatibus, alijsq; multis rebus per se suauibus, se continet, quod ad uictoriam sint inutiles: multa tolerat, licet insuauia, molestia omnem negligens, modo contingat palma, quam unam spectat. Quod si isti nihil non tum faciunt, tum patiuntur, quo ridiculū plebis applausum, quo laudē ab homine, quo uile præmiolum auferant, quanto magis par est eadē facere nos, quo plausum ab angelis, laudē à deo, & æternū immortalitatis præmiū consequamur. Tanta res cum agatur, an cibus interim uilissimus, aut simile quicquā nos ab instituto cursu remorabit? Ipsi uideritis, quo modo geratis uos in hoc pulcherrimo certamine. Ego certe curro non segniter, ut solent ijs, qui ad nullam certā metā properant. Sic pugilem ago, non quemadmodum solent, qui per lusum pugnis aerem feriunt, sed modis omnib. ueris incommodis subigo corpus meum, sic assuefaciens, ut domitū obsequatur spiritui: utq; quoties postularit euangelij negotium, & facile reperet

ut dicitur
ut dicitur
Nam cum li-
ber essem

ut dicitur
ut dicitur

Metam quod
hi qui in st.

Ego sic curro

licitis, neque grauare ferat, si quid est molestum: ne mihi ueniat usu, quod quibusdam accidit, ut cum praconio meo alios ad hoc certamen euocarim, ipse nihil laudis in eodem assequar. Cumque alijs ad laudis studium stimulos addiderim, ipse discedam illaudatus. Certissima spe praemiorum certo, neque quicquam alios doceo sermone, quod ipse uita non praestem.

CAPVT X

Nolo enim
nos ignorare
fratres



C totus hic sermo meus huc tendit, ne nobis sufficere putemus ad salutis brabeum obtinendum, quod per baptismum cooptati sumus in familia Christi, quod huius beneficio exempti à uitiorum tyrannide, libertati sumus restituti, nisi posthac ab omni turpium cupiditatum commercio fuerimus immunes. Baptismus communis est omnium, at praemium non erit omnium commune. Proinde nolim hoc uos latere fratres, quod in nostris proditum est libris: Maiores nostros, cum Pharaonis tyrannidem duce Mose fugerent, omnes ex aequo nubis diuinitus obtenta protectione fuisse defensos ab aestu solis, omnes aequae per discissas maris undas pedibus iter fecisse, ac ferè quicquid donorum in nos collatum est per Christum, id in illis quodammodo praecessisse. Nos autore Christo baptismum eximimur à uitiorum tyrannide: illi dum ductu Moysi tecti nube, mare, quod ad ictum Moisaicae uirgae diffiliit, transeunt, suo quodam modo baptizati sunt, nostrum baptismum adumbrantes. Nos quotquot baptismum purgati sumus, ex aequo sacrosancti corporis cibo uescimur, de calice mystico bibimus omnes. Similiter & illi manna coelitus demissum edebant omnes. De latice, quem ictu uirgae Moyses elicitus è saxo, aequae bibebant omnes. Neque tamen haec uulgaris more, aut fortuito gesta sunt, Christus haec in illis tum praekudebat, quae nobis passam ac uere praestitit. A Christo manna illud deplovebat, Christi uis, quae nusquam suis non adest, ficcum ac sterile saxum aquae secundum reddidit. Christus erat, qui suos tantis beneficijs, tantoque honore dignabatur. Honor & beneficium erat omnium commune, sed non omnes eo, quò destinatum erat, peruenerunt. Nam profuit effugisse Aegyptum, si Aegyptum secum extulerant. Nihil profuit ueterem exuisse seruitutem, si postea suis cupiditatibus turpius quam Pharaoni seruebant. Imò hoc magis illos oderat deus, quod prioribus erratis etià ingratitudinis crimen addidissent. Itaque varijs malis afflicti uindicta deo, prostrati sunt in deserto, nunc incendio, nunc gladio, nunc lue, nunc serpentium incurfu. Sed quæadmodum illorum fuga, nostrum baptismum adumbrat, ita illorum supplicium nobis exemplo est, ne baptismum freti, uitam agamus baptismum indignam: ut nec per luxum, noxiarum carnum desiderio, animo redeamus in Aegyptum, quem admodum illi magno suo malo fecerunt, fastidito manna. Neque per stulticiam atque intemperantiam ad idolorum cultum relabamur, aut relapsi uideamur, quod illis accidit, cum uirtutum fusilem neglecto deo colerent, ritu prophanarum gentium. Sic enim scriptum est in Exodi uolumine: Macatis uictimis, sedit populus ad edendum & bibendum, ac saturati surrexerunt ad ludendum. At mox ultore deo caesa sunt uiginti tria milia. Neque rursus turpiter commisceamur scortis impiorum, quæadmodum illi cum Moabitarum scortis sese miscuerunt. Sed irritato deo conciderunt uno die uiginti quatuor hominum milia. Neque diffidentes per impatientiam tentemus Christum, sicut quidam illorum eum tentauerunt, impio murmure prouocantes ad iram, & immixtis igneis serpentibus extincti sunt: neque obmurmuremus Christo, Christi quæ ministris, quemadmodum quidam illorum deo ac Moyse obmurmurarunt, inita conspiratione duce & autore Chore, quo tempore perierunt quatuordecim hominum milia, exceptis his, quos terra dehiscens absorbuerat uiuos. Atque hæc quidem acciderunt priscis illis, quorum memoria prodita est per annales maiorum. Verum quid illis accidit, non temere accidit, sed magis ad exhibendum exemplar, quid nobis sequendum sit, auerendum, qui in hanc ultimam æratem mundi incidimus. Illi quoniam ad luxum, ad idololatriam, ad turpes lusus, ad scortationem, adque alios morbos, quos hauserat ex Aegyptiorum contubernio, redibant, exciderunt à gratia dei: nec profuit exemptos fuisse quia non responderunt dei beneficijs. Quin hodiennullum hominum genus longius reiectum est à deo, quam Iudeorum. Nobis quo pluribus dei beneficijs ad innocentiam prouocati sumus, hoc magis est metuendum, ne grauissimas poenas demus Christo, si per baptismum semel elapsi ab Aegypto, sub titulo Christi mores obtineamus Aegypto, non Christo dignos. Proinde ne quis sua firmitate male fretus contemnat infirmos: aut baptismum fretus, sibi promittat salutem, nisi uitam adiungat baptismum dignam. Sibi placebant & illi, quod è tot exemplis periculis

Concupiscen-
tes malorum

Exod. 32

periculis, deo peculiariter curæ essent: & tamen hoc grauius in illos animaduersum est, quod semoti à prophanis gentibus, in illorum tamen mores recidissent. Nemo sibi tuto fidit. Imò qui stat, huic maxime cauendum ne cadat. Tutissimum autē semper ad meliora progredi, nec ulli gradui fidere. Multa incidunt arte satanae, quæ nos alienent à Christo. Neq; uero sum usus his horrendis exemplis, quod simile periculum uobis metuam. Pecatum est hæcenus à uobis, & nonnihil à puritate Christiana deflexistis, sed adhuc humanum ac sanabile malum uideo. Imò cōfido futurum ut deus non patiatuŕ uoseò prolabi, ut sitis prorsus inferiores malis uos sollicitantibus: uerum etiam si patietur incidere malorum quippiam, sic temperabit euētum, ut possitis sufferre. Fortasse sunt inter uos qui nos ob tenuitatem negligunt, & alijs apostolis ob strepitum & blandiloquentiam magis fauent, sed nondum peruentum est ad seditionem Chore. Sunt qui nimīū licenter intersunt sacris epulis impiorum, sed nondum eò prolapsi mores, ut ipsi simulacris immoletis, uerum in cōfinio periculum est. Quapropter filij charissimi, modis omnibus resiliŕe à cultu simulacrorum. Quisquis cum illis uescitur, ut maxime firmus sit animo, tamē speciem de se præbet, quasi consentientis illorum superstitioni. Non est quod uobis hæc multis uetbis persuaŕeā, cum ipsi pro uestra prudentia rem probe teneatis. Vos ipsi iudicate, num uerum sit quod dico. Quid commercij tam sacris epulis nostris, cum illorum prophanis sacris? Videtur agnoscere cōmunem religionē, qui cōmunibus cibis uescitur. Nōne potulum illud sacrum, quod nos in memoriā mortis Christi, cum actione gratiarum sumimus & consecramus, consortium arguit, quod pariter sanguine Christi sumus redempti? Rursus sacer ille panis, quem exemplo iussuq; Christi partimur inter nos, arguit fœdus, ac societatem summā inter nos, uelut ijsdem Christi sacramentis initiatos. Panis ex innumeris granis sic conflatus est, ut discerni non possint. Corpus sic ex diuersis membris constat, ut inter omnia sit societas inseparabilis. Nos igitur cum eiusdem panis participes simus omnes, declaramus nos quamlibet multi simus numero, tamen animorum consensu unum panem, & unum esse corpus. Ita qui prophanarū epularum participes sunt, uidentur agnoscere societatem superstitionis. Videte an non idem habeatur apud istos, qui iuxta Moŕi legem adhuc uicimas immolant. Non admittunt ad immolatae pecudis esum nisi Iudaicæ religionis consortes: & qui uescuntur sacris, sacrificijs item illorum assentiri uidentur. Quorsum hæc, inquiet aliquis: An negas Paule, quod paulo ante confirmasti, simulacrum nihil esse, & quod simulacro sit immolatum nihil esse? Haud nego, uerū illud dico, uicimas quas immolant gentes, dæmonijs immolant, non deo. In rebus ipsis nihil est discriminis, animus discrimen facit. Illi dæmones pro dijs habent, & horū numen statuis inesse putant. Itaq; qui cum illis immolaticijs uescitur, erroris impij socius esse uidetur. Nolim autē uos semel deo consecratos, fieri consortes dæmoniorū. Qui pietatē profitetur, abnegat impios cultus. Non cōpetit in eundē tam diuersa religio. Nec potestis simul bibere de sacrosancto poculo Christi, & execrabili poculo dæmoniorū. Nec potestis mensæ dominicæ participes esse, simulq; mēŕe dæmoniacæ, si res agatur uel cū animi cōsensu, uel cum ingēti offensione infirmorū. Nihil cōuenit inter Christū & impios dæmones: utriusq; seruiŕi simul nō potest, nisi cū insigni cōtumelia Christi. Num hunc igitur data opera pro uocamus, cū hostib. illius inito cōsortio? Nulla atrocior cōtumelia. Num illo fortiores sumus, ut iritati domini non metuamus ultionē? Absit, ut quisquā uestŕū hoc sit animo. Sed idololatria res est usque adeo execrabilis, ut oporteat nos nō solū ab ipso crimine, uerum etiā à suspitione criminis longissime abesse. Hæc persuasio fermē infixæ est animis omnīū, religionis esse cōsortiū ijs, qui simul uescuntur immolaticijs. Res quidē ipsa uitio caret, sed ex opinione nascitur offendiculū. Quod hic certe, si aliās usquā, uitandū est. Quod ad cibos attinet, nihil mihi nō licet, at non quiduis expedit proximo, cuius gratia nōnunq; & à licetis tēperandum est. Nihil mihi non licet, at nō quiduis cōducit alijs ad pietatē. Porro Christiana charitas dicat, ne quis suis cōmodis priuatim seruiat, sed potius cōmodis alienis. Utatur quisq; suo iure, sed si id cum fratris periculo futurū sit, magis perpendat, quid illi expediat, quā quid ipsi liceat. Alioqui quicquid uēdi solet in macello, promiscue edite, nihil interrogantes immolatiŕiū sit an secus, idē propter cōscientiā. Vitandū enim est offendiculū, si incidat, non accersendū. Nihil huiusmodi rerum per se impurū est, propterea quod omnia domini sunt. Neq; potest impurū esse, quod ab illo conditū est in usus hominū.

Qui stat, uide
at ne cadat

Fugite ab idola
lorū cultura

Videte Israel
secundū car.

num: sicuti testatur et psalmographus: Domini, inquit, est terra, simulque quicquid usquam terra continetur. Ab animis oritur impuritas, non à cibis. Itaque si quis à Christo alienus ad cœnā uocat, & alioqui uisum est ire, quicquid in mensa uobis apponitur, edite, nihil diu dicātes, aut interrogantes, immolaticia sint ne ne, quæ apponuntur, ne quid offendatis conscientiam. Porro si quis uobis ultro dixerit, hoc simulacris immolatum est, ne uescamini, non uestra causa, sed eius qui admonuit immolaticium esse, ne quid offendatis conscientiam: conscientiam, inquā, non tuam, quæ sincera est ac firma, sed illius akerius qui sentire uidetur, non esse fas Christianis uesci carnibus immolaticijs. Et periculum est, ne huic uel amici dæmonum, uel kurcones uideamini, atque ita secum cogitet: Quantumuis uerbotenus abominantur deos nostros Christiani, tamen non abhorret ab immolaticijs carnibus, haudquaquam facturi si nostrā religionē tam execrarentur animis quā uerbis. Huius igitur conscientiaē consulendū est, & cōsuli potest nō magno negotio. Errat ille, sed cedendū ad tempus errori, quē nō possis tollere. Christus in his summā libertatē nobis esse uoluit, qui nullū cibi genus aut indixit, aut interdixit. Cur igitur mea libertas iudicatur ab aliena conscientia? Cur quod recte fieri potest, rapitur in sinistra suspitionē? Quod si ego uescor his, quæ dei benignitas in usum uitæ nobis indulsit, cur ob id maledictis afficior ab homine, pro cuius usu gratias ago deo, nō dæmonibus? Hac igitur lege uescemini, aut non uescemini, ut siue biberitis, siue ederitis, siue quid aliud feceritis, omnia referatis ad gloriā dei. Ac uitam omnē sic pro temporum atque hominū habitu attemperetis, ne quid sit, quo iure possit offendi quisquā, uel Iudæus, uel Ethnicus, uel Christianus, idque meo exēplo, qui me per omnia accōmodo omnib. uescens, nō uescens: accipiēs, non accipiēs: Iudaissans, non Iudaissans: hæc quæ uel recte fieri, uel recte possunt omitti pro re nata, non ad meā ipsius utilitatem temperans, sed ad utilitatē multorum, quos meo uenore obsequio: non ut prædæ sint mihi, sed ut ad salutem alliciantur.

CAPVT XI

Imitatores
mei estote



Eque pigeat uos apostoli uestri sequi exemplum, cum id non tam meum sit, quā Iesu Christi. Is sese per omnia nobis infirmis accōmodauit, quo nos patri lucrificeret. Hunc ego sequor dominum ac præceptorem, uos patrem filij & apostolorū discipuli sequamini. Atque hæcenus de carniū esu, deque uitandis impiorum sacris satis dissertū arbitror. Nunc quid in uestris cōuentibus sit obseruandum aut uitandū attingā, ne quid hic quoque uel indecore, uel per cōrentionem aut luxū geratur. In primis collaudo uos fratres, quod in cæteris per omnia mei memores, tenetis quæ præscripseram, quæque uobis instituerā obseruanda in solenni conuentu. Illud addam, quod tamen leuius est, & pro tēpore, locoque secus fieri potest. Sed tamen interim nolo uos lateat, quod ut omnis uiri caput Christus est, & omnis uxoris caput est maritus, ita Christi caput est deus. Vir licet imperet uxori, tamen Christū agnoscit dominum: Christus ipse patris autoritatē agnoscit in omnibus: cui quisque subiectus est, eius gloriæ seruiat oportet. Priuatim agatis, ut cuique uidebitur expedire, Caterum uir quicumque in publico cœtu precatur, aut uaticinatur operto capite, dedecorat caput suū regens ceu seruile, cum præter Christū non agnoscat dominū, in cuius gloriā æquū est illi nudari caput, non solū amoto pileo, uerū etiam derafa coma. Siquidē & coma operimentū est corporis uerius, quā pars. Contra mulier, si in solenni conuentu precetur, aut uaticinetur capite reuolto, dehonestat caput suum, quod priuatim in gratiam mariti fortassis aperiendū erat, non in publico conuentu, ubi Christo seruitur, non maritus. Siquidē quod uiro est tonderi aut radi, id est mulieri flammeū abijcere. Quod si decorum est mulieri exēplo uiri, uelum capitis abijcere, eadē opera, iuxta uirilem morē tondeatur etiā aut radatur, ut caluo capite palam precetur seu uaticinetur. Quod si omnium consensu ridiculum ac fœdum sit futurum, operto capite testetur se uiro subditā esse. At nō idem deceat uirū, qui dei gerit imaginem, sic mulieri præfectus, quæadmodum Christus ecclesiæ, & per hunc illustratur gloriā dei, quæ tegi non debet. Ex aduerso, mulier ut subiecta est uiro, ita ad huius gloriā colitur, in quem sit contumeliosa, si palam renudato capite, simul & impudentiam suam testetur, & ceu libera, uiri præfecturam abneget. Honoratur Christus, si uir palam ac reuoluit illi seruiat, illiusque gloriā prædicet. Honoratur uir, si uxor pudore, silentio, cultuque uerecundo, modestiam simul & obedientiam præ se ferat. Dixerit hic aliquis: Quo iure mulier cogitur subdi uiro, non contra? Quoniam cum primum deus conderet genus humanum,

Quoniam imago
et gloria

non

non uir ex muliere prodit, sed contra mulier ex uiro. Primum Adam conditus est e limo, mens diuino afflatu indita: mox e latere subducta est Eua, ceu uiri portio quaedam. prius conditum est quod erat perfectius, idq; contra uulgarem naturae ordinē: mox quod erat imperfectius. Quod enim in homine est ratio, id maritus est in matrimonio: quod in homine affectus, id mulier est in coniugio. Ad hanc uir non est conditus mulieris gratia, sed contra mulier in uiri solatium est addita, atque in generationis adiumentum, ubi pro forma & actu est uir, mulier pro materia. Par est autē, ut penes eum sit autoritas, qui & prior est conditus, & Deo duntaxat conditus est, non mulieri. Hoc igitur iuris cum ipsa naturae primordia dederint uiro, debet mulier suam sortem agnoscere, nec obsequio solum, uerum etiam cultu, mariti sui dominium testari. Vt autem rarus uertex libertatem arguit, ita capitis uelamen seruitutis est insigne. Quod si mulier eo uenit impudentia, ut testes hominum oculos non uereatur, saltem ob angelos testes, qui uestris conuentibus interfunt, caput operiat. Hacenus agnoscit mulier, quid se deceat. Non quod hanc debeat maritus habere uilem, eo quod iussa sit parere, aut uxor sibi displicere, quod uiro subdita sit. Nam quantum ad religionis consortium attinet, utriq; pares sunt. Saepē maritus uxoris indiget officio, saepē uxor mariti. Ad hanc, olim ex uiro mulier prodita est, nūc nec absq; uiro gignit mulier, neq; uir absq; muliere pater fieri potest. Nec tamen est, quod his rebus sibi quisquam placeat, aut displiceat, cum omnia sint ad deum autorem referenda, qui sic temperat ordinem uniuersi. Sed ut redeam ad id, quod coeperam: Si uobis tot argumentis nondum persuadeo, quam sit indecorū mulierem in propatulo nudato capite precari, uel ex suo quisq; sensu animoq; rem expendat. Nullus enim tam stupidus est, opinor, qui naturae iudiciū amiserit. An ne natura quidem ipsa docet uos, uiro probro uerti, si foeminarum more comatus sit? Contra, mulieri decus accedere, si comata sit, quod huic à natura capillitium densius ac copiosius, quam uiro datum sit, ne usquam deesset capitis uelum ei, quae uiro subiecta est. Ostendi quid mihi magis decorum esse uideatur. Quod si uidebitur quispiam apud uos cōtentiosius super hac re tueri suam sententiam, faciat arbitratu suo, modo sciat neq; nobis hunc esse morem, neq; ceteris ecclesijs dei. An decorum sit, uos & ab apostoli uestri institutis exemplis, & a reliquarum congregationū consuetudine dissidere, ipsi uideritis. Minus erat mali futurum, si in hisce rebus utcunq; concordaretis: externa sunt ista, nec perinde faciunt ad euangelicam pietatē. Verum illud à uobis non dubitem exigere, quod quidem à me traditum displicet nō obseruari. Quod in ceteris institutionum mearū memineritis, probo: quod hic ubi maxime conueniebat idem facere non memineritis, non probo. Institueram, ut conueniretis sine tumultu, sine luxu, sine contentione, summa aequalitate, quae uel in primis alit concordiam: & sic ageretur inter omnes, ut suam quisq; domum rediret melior. Nunc eō mores prolapsi sunt, ut praestiterit non conuenire, quam ad istum modum conuenire, idq; multis de causis, neq; enim una in parte peccatur. Ac primum quidem cum solenniter cōuenitis, audio inter uos esse dissidia, quod foedius est profecto, q̃ ut credere libeat: & tamen aliqua ex parte credo, ut uestra sunt ingenia. Vitari nō poterat, quin orirentur inter uos eiusmodi dissidia. Atq; ex re mala illud boni capitur, qd hinc magis illucescit, qui uere probi sint, dum hi, ceteris indecore tumultuantibus, & ingurgitantibus sese, modeste sobrieq; iuxta praescriptū apostolorum, ac ueterē ecclesiae morem agitant sacra cōuiuia, quibus ultimā illam Christi cum discipulis suis cōnā representamus memores initi nobiscū foederis, & ad exemplum mutuae inter nos concordiae. At nunc irrepsit apud uos mos supra modum indecorus, ut quoties conuenitis non uideatur agi cōena dominica, qualē ille cum suis egit, sed tumultuosum aliquod & inaequale cōuiuū, quod per luxum & gulae intemperantiam, non expectatis ceteris, suam quisq; cōenam occupat. Itaq; fit, ut hic tenuis efuriat, uel quia non habet quod edat, uel quia non in tempore uenit: ille diues cōenae occupator, satur sit & ebrius, ac mysticum illud conuiuū duplici nomine dehonestetur: & quod per fastum diuitū pauperes fastidiuntur, quos non fastidiit Christus, & quod cōena domini crapula luxuq; polluit. Hic unanimatis Christianae mysterium agitur, non uentris aut gulae negotium, quod non in publico coetu, sed priuatim in aedibus curatum oportuit. Si libebat explere aluum, an desunt uobis domus, in quibus seorsim hoc agatis? An publicam Christianorum congregationem con-

Vos ipsi iudicate

Si quis autem uideatur cōtend.

Oportet haec res esse

An confundi-
tis eos qui nō

temnitis, ut hac teste gulæ seruiatis, uelut hoc interim data opera agentes, ut uobis publice luxum & apparatus ostendantibus, pudefiant tenues, qui quod offerant, non habent. Quid hic dicā Corinthi? Laudem uos. Optarim quidem id uestro merito posse: & in alijs sanè laudo, hac in re non possum laudare. Mores isti nimium dissonant ab illa cœna dominica, ad cuius exemplum oportet inter uos agitari sacra conuiuia. Demiror qui ritus istos in uos inuexerint, nam ipse, ut Apostolus accepi à domino, quod & tradi di uobis: nimirum quod Dominus noster Iesus sub eam noctem, qua per discipulum proditus est, & captus, accepit panem, & gratijs actis Deo, fregit panem ac dixit: Sumite, edite, hoc est meum corpus, quod pro uobis frangitur omnibus impartendum. Hoc quod me facere uidetis, posthac & uos faciatis in memoriam mei. Videtis hic cum præceptore suo simul omnes accumbere, mensam ac cibum esse communem omnibus, ne Iudam quidem proditorem à consortio mensæ semotum, panem eundem in omnes ex æquo distributū. Dominus sic egit cū suis discipulis, & uos despiciatis fratres, eiusdemq; religionis consortes? Ad eundem modum post distributum panem, & poculum sumpsit in manus, cœna iam peracta, dicens: Hoc poculum nouum est testamentū, per meum sanguinem: ex hoc quoties bibetis, in memoriā mei facite. Hic igitur de eodem poculo bibebant omnes, & inter uos diuites ebrij sunt, pauperes sitiunt. Christus hoc conuiuium mortis suæ commemorationem, & æterni fœderis symbolum esse uoluit, cum nunc per luxum ac dissensionē apud uos celebretur. Mysticus est panis, cuius ex æquo participes esse debent omnes. Sacrosanctum est poculum ad omnes æque pertinens, haud quaquam paratum ad placandam corporis sitim, sed ad arcanæ rei repræsentationem, ne uobis ueniat in obliuionem, quo precio sitis à pristina uitæ uitijs redempti. Proinde quoties ad edendum hunc panem, aut bibendum ex hoc poculo conuenitis, non uentris negotium agitis, sed mortem Domini Iesu mystico ritu repræsentatis, cuius iugis memoria uos in officio contineat, donec ipse rursus aduenerit iudicaturus orbem. Itaque quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini secus, quam illo dignum est, graui crimini se reddit obnoxium, qui corpus & sanguinem Domini secus tractarit, quam ipse tractari iusserit. Siquidem res omnium maxime mystica pure ac reuerenter erat tractanda; uerum ne id accadat, se quisque prius examinet atq; exploret. Itaq; sibi bene conscius edat de pane illo, & de poculo bibat. Parum bene sibi conscius abstineat potius, ac domi gulæ suæ sacrificet. Licet enim res sit salutifera corpus & sanguis Domini, tamen quisquis edit aut bibit indigne, huic uertitur in pestem atque exitium, propterea quod irreuerenter & illoto animo tantum adierit mysterium: non satis perpendens, quanto cum tremore sumendum sit corpus domini. Dabunt hi pœnas profanati mysterij, simul atq; Christus aduenerit. Quanquam & interim quosdam urget pœna commissi: nam hinc est quod tam multi reperiuntur inter uos uoletudinarij, malisq; febribus ac languoribus obnoxij, quin & pereunt ante diem multi. Sunt hæc exordia quædam, ac minæ futuri iudicij. Quod si nos ipsi diiudicaremus ante sumendum, haud quaquam sic iudicaremur à domino. Sed præstat interim hic iudicari, quam in illo die condemnari. Nam cum leuibis malis affligimur iudice domino, non extinguimur, sed plagis emendamur, ne post in æternum cum mundo damnemur: ne quis stulte sibi blandiatur, si indigne tractans hoc mysteriū uergeto uiuaciq; sit corpore. Proinde fratres mei, cum ad has epulas conuenitis, quo sit ad exemplum Christi conuiuium æquabile, uos inuicem expectate. Quod si quis tam audax est cibi, ut dilationem non ferat, domi comedat, non in mystico publicoq; conuiuium, ne quod ad uestram salutem est institutum, uertatur in occasionem damnationis. Atque hac de re iam satis dictum est. De cæteris quæ ad hanc rem pertinent, ipsæ præscribam ubi uenero.

Donec ueniat

Inter uos multi infirmi

De spiritua-
autem

CAPUT XII



Am ut de donis spiritus sancti non nihil dicam, quando nec in his satis inter uos conuenit, uolo uos meminisse fratres, quod aliquando pagani fuistis: ac tum quidem pro superstitione maiorū ad inanima muta q; simulacra utcumque ducebamini, sic ibatis. Tunc errorē habebatis ducem, nunc Christi spiritum. Nunc nō imputatur pristinus error. Superest, ut quemadmodum tum impiam religionem moribus ac ritibus impijs æquiparastis: ita nunc ueræ sanctæq; religioni

gloriæ, pñs moribus respondeatis, ut quicquid inter uos geritur, sic geratur, ut appareat afflatu diuini spiritus geri. Quicquid in gloriam Christi dicitur aut canitur, ex illius spiritu profectum est. Proinde nolim uos illud fugiat, quod nemo afflatus spiritu dei patris execratur Iesum huius filium. Neque quisquam potest ex animo Iesum uocare dominum, nisi per afflatum sancti spiritus. Quicquid igitur in uobis est boni, id huius beneficentiæ debetur, & huius gloriæ conuenit impendi. Verum licet sit idem omnium spiritus, tamen uaria sunt eius dona, quæ pro suo arbitratu alijs alia partitur afflatu suo. Et horum functiones uarie distributæ sunt, cum idem sit omnium dominus, cuius munera dispensantur. Quin & effectus uisq; spiritus aliter in alijs agit ac uiget, cum interim unus sit Deus omnium communis, à quo uis & actus proficiscitur omnium, quæ in singulis hoc aut illo modo geruntur. Vni igitur auctori Deo debentur omnia dona, siue mediocria, siue eximia: nec est quod hinc se quisquam efferat. Alieni muneris est, quod habet, & quicquid contigit afflatu spiritus, in communem utilitatem collatum est, non ad priuatum fastum. Nam huic quidem per spiritum Dei contigit, ut sapienti sermone det fida corda & que consilia. Rursus illi contigit eiusdem beneficio spiritus, ut cognitione rerum ac disciplinarum adiuuet commodum rei publicæ. Huic eiusdem afflatu spiritus contigit fiduciæ robur, quæ iuxta domini promissum uel montes loco dimouet. Illi per eundem contigit uis medendi morbis. Est cui data sit insignis potestas ædendi miracula. Est cui contigit prophetiæ dos, ad explicanda quæ uel futura sunt, uel alioquin abstrusa. Est alius cui datum est, ut sagaci iudicio discernat afflatus hominū, utrum à deo profecti sint an secus. Rursus alius sortitus est hanc dotē, ut idem uarijs linguis loquatur, quæ res non mediocriter conducit ad cognitionem factorum uoluminum: alius, ut uel per afflatum, uel arcanarum literarum peritiam interpretetur & explanet, quod illi locuti sunt. Non enim quisquis linguam tenet, idem tenet sensum arcanum sermonis. Nihil est, quod hic sibi quisquam uel placeat, cum sint aliena quæ habet, uel displiceat, quando distributio pendet ab arbitrio spiritus sancti, qui dotes has omnes, quamuis uarias, & alias in alijs, unus & idem opifex partitur cuique, ut ipsi uisum fuerit, sed sic, ut ob mutuum inter uos charitatem, singulorum dotes sint omnium communes, & ad harmoniam ac decorum faciat uarietas, non ad dissidiū. Nam qui minus fiat in corpore Christi mystico, quod in corpore naturali fieri uidemus? Quemadmodum enim cuiusq; corpus cum sit unum, tamen ex diuersis membris compactum est, sed sic, ut idem spiritus uitæ munus impartiat, membris omnibus, quæ cum multa uariæq; singulatim sint, tamen simul omnium unum corpus sunt: sic esse uoluit Christus in suo corpore. Quandoquidem ex æquo participes baptismi per eundem & omnibus communem spiritum in idem corpus compacti sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi, siue mates, siue foeminae, siue coniugati, siue coelibes, siue potentes, siue humiles. Et eundem spiritum hausimus omnes, licet aliter in alijs uim suā exerat. Neque corpus unico membro cōstat, sed multis quamlibet diuersis. Iam si pes deiciens sese dicat, nō sum manus; nihil mihi cum reliquo corpore, num ideo non est pars corporis? Et si dicat auricula, deplorans sortem suam, non sum oculus, aliena sum à reliquo corpore, num ideo non sit pars corporis? Situs aut usus diuersus, non uergit in contumeliā membri, quando hæc ipsa uarietas ad totius corporis incolumitatem pertinet. Et quicquid cuiq; membro datum est muneris, id toti corpori uiuando datum est. Præclara corporis pars est oculus, sed si totum corpus sit oculus, ubi erunt aures? Rursum si totum corpus sit auricula, ubi erit nasus? Hoc prospiciens deus, diuersis membris compegit corpus, ac membro cuiq; suum locum, suumq; munus attribuit, non ex merito membrorum, sed ex ipsius arbitratu. Quod si quæ nunc multa ac diuersa sunt membra, redigerentur in unum membrum, puta nasum, aut oculum, ubi corporis harmonia? Nunc non ita res habet, sed cum membra singulatim inter se differant, tamen ob consortium eiusdem animæ, nihil aliud sunt, quam unum corpus, ut nullum membrum à cæteris membris fastidiri possit, quamuis humile. Neque enim potest oculus ceu pars corporis excellentior, ac uelut organum animi familiarius, dicere manus, ceu membro crassiori, non est mihi opus tuo præsidio. Neque rursus caput, licet regia sit animi, dicere potest pedibus, uelut extremis, nihil moror uestrum officium. Tantum abest, ut ullū corporis membrū despiciatur, ut contra potius, quæ uidentur membra corporis

Sermo sciētia

Prophetia
Spirituum
discretioGenera lin
guarum

corporis imbecilliora, his ut necessarijs præcipuâ curam impendamus: quæ iuxta vulgi æstimationem minus habentur honesta, his extrinsecus honorem addimus uberiorem, quæq; parum decora videntur, his plus decoris adiungimus, uelut penſantes officio, quod aliàs diminutum uidetur: nec ignari uniuscuiuslibet membri probro totum corpus dehoneſtari. Nam quæ per se decus habent in nobis, non egent aſceticis ornamentis, ueluti facies, aut manus, cum pudenda noſtri, uestitus ornatu tegantur. Hoc confilio conditor Deus mirâ quadam harmonia diuerſarum partium corpus omne temperauit ac miſcuit, ut cui uidebatur aliquid honeſtatis deesse (etiam ſi natura nulla corporis pars eſt inhoneſta) huic ex officio plus honoris adderetur: ne uidelicet diſſidiû oriſetur membrorum inter ipſa, cum nullius uſus non ſit neceſſarius, ſed ut omnia pari ſollicitudine, mutuis officijs ſe ſe uiciſſim tueantur, ne per diſſidium (dum quodq; ſibi priuatim fauet) collapſo corpore, pereant omnia. Quin potius ſi quid commodi, aut incommodi, huic aut illi membro obtigerit, omnia putant ad ſe pertinere: ſiue quid affligitur unum membrum, ſimul affliguntur omnia membra: ſiue quid honoris contigit uni cuiſpiam membro, ſibi gratulantur omnia membra. Num ſaltem hoc exemplo deſinetis inter uos contendere, quos arctius in unum compegit Chriſti ſpiritus, quàm corporis membra compegit idem halitus? Qui ſit, ut plus poſſit natura quàm gratia? Nonne uos eſtis corpus Chriſti, aut certe pars aliqua membrorum illius? Quæ ſic in ſuo corpore digeſſit, quod eſt eccleſia, ut ſuum cuiq; locum, ſuum cuiq; munus attribuerit. Ac primo quidem loco collocauit Apoſtolos, qui diſpenſatores Euangelicæ gratiæ, Chriſti uicibus funguntur. Proximo prophetas, qui uel aperiant futura, uel explicent occulta. Tertio doctores, qui literis ac diſciplinis præditi, quod habent in communem uſum conferant. Quarto loco poteſtate præditos ad coercendum uim dæmonû, & Chriſti nomen miraculis illuſtrandum. Quinto, qui ualent tollendis morbis. Secundum hos, alios, qui poſſint autoritate conſilioque ſubuenire afflictiſ, qui prudentia præpolleant ad multitudinem in officio retinendam. Poſtremo, qui linguarum peritiâ poſſint eſſe uſui cæteris. Hæc uarietas uos ad mutuam concordiam non hortatur modo, ſed etiam compellit, dum aliorum aliquiſ uiciſſim opem deſideratis. Num omnes Apoſtoli? num omnes Prophetæ? num omnes doctores? num omnes poteſtate præditi? num omnibus a deſt medendi uis? num omnes uarijs linguis loquuntur? num omnes interpretandi donum habent? Minime, ſed ſua cuiq; dos contigit. Nemo faſtidiendus eſt, ſed tamen omnibus eſtendendum, ut ad ea quæ in his præcipua ſunt, admitti mereantur, ac ſemper ad meliora proficiant. Neque enim hæc lege ſua cuiq; dos aſſignata eſt, ut ſpes adempta ſit meliorum. Dona ſunt ſpiritus, ne quid nobis hinc arrogemus, ſed iſ ad dandû & quod dedit uiendum augendumq; noſtro conatu noſtrisq; precibus ſolet euocari. Præclara dona ſunt quæ côm memorauimus, ſed quæ poſſint in parum pios competere. Verum aperiam quod his omnibus ſit excellentius, & quò cum primis ſit eſtendendum, quando ſine eo nec iſta quicquâ ualent, quæ diximus, quæq; uos ceu ſola ſectamini.

CAP. XIII.



Præclarum eſt linguis loqui, quo nomine uos uobis præcipue placetis. Sed quamuis linguis omnibus loquar, non ſolum hominum, uerum etiâ angelorum, ut ſic dicam exaggerandæ rei gratia, nō adſit autem ſtudio bene merendi de proximo, ac dei donum in cōmunem uſum cōferendi, non minus inutilis ſim futurus, quàm æs inani ſtrepitu diſcindens aerem, aut cymbalum inuiti tinnitu feriens aures. Quod ſi hoc quoque præclarum quiddam obtigerit, puta donum prophetiæ, per quam arcanos ſenſus omnes diuinæ ſcripturæ teneâ (ſi cuiſquam tamen hoc mortaliū obtigit, ut unus teneat omnia) ſi acceſſerit omnium diſcipularum abſoluta cognitio, poſtremo ſi tantū fidei robur acceſſerit, ut huius præſidio motes quoq; loco dimoueam, deſit autem charitas, fruſtra adſunt illa, quæ nulli proſunt, ſi tanta adſit dos opitulationis, ut quicquid mihi facultatum eſt, id totū alendis ſumam, imò ſi pro ſubleuandis oppreſſis corpus omnibus periculis obijciam, uel uſque ad incendium, deſit autem, ſi fieri poteſt, charitas, hoc eſt, animus uel gratis beneuolentiæ ſitens, nihil fructus ex meis dotibus refero. Hæc una commonſtrat, quatenus utendum eſt dotibus, quas fruſtra teneas, ſi neſcias uti. Cæteras dotes uiciat ambitio, uiciat inuidia, uiciat diſſidium, à quibus omnibus malis plurimum abeſt charitas. Cæteræ dotes ſunt quæq;

quæque habent utilitatem peculiarem, Charitas nec uitiari potest, & usu sui latissime patet, Charitas leni animo est ad tolerandas iniurias, eadem ad uitæ consuetudinem commoda commisit; est. Charitas nescit cuiquam inuidere, quæ sua quoque bona transfundit in alios; non est procax, quæ obsecundat omnibus; non inflatur, quæ se cuius submittit; nihil sibi putat indecorum, modo prosit; non studet suis priuatis commodis, non irascitur iniuria, & adeo non retaliat acceptam iniuriā, ut ne cogitet quidem de ulciscendo: & tantū abest ab iniquitate, ut nec alienā ferat iniustitiā: sed magis gaudet moribus sinceris ac simplicibus, nihil non suffert iuuandi studio, quamlibet durum, nihil nō credit, tantum abest ut de quoquam perperam suspicetur: non facile desperat de quoquam, sed omnes infatigabili spe tolerat, & meliorū expectatione pertinacissime perdurat. Quid multis: nusquam cessat charitas: etiā quum post hanc uitā sublata erit officij necessitas, manebit tamen animorū charitas. Atque hic interim quocumque profeceris, charitas ubique comitatur, ceu perpetuū donum, ac per omnem Christianorū uitam diffusum: siue continget aboleri prophetiam, siue linguæ cessabunt, siue scientia antiquabitur, accessione maioris profectus: nam quod hactenus ex his tenemus imperfectū est, nec ad plenū cognouimus, nec ad plenū per prophetiā tenemus mysteria, Itaque cum contigerit id quod perfectum est, quodam modo abolebitur, quod nunc dimidiatū est. Habet suos gradus. Christiana religio, habet suas ætates, & ætatum accessus, quemadmodum natura. Cum essem puer, ut puer loquebar, ut puer eram affectus, ut puer cogitabam. Cæterum ubi factus sum uir, reieci puerilia, iam animum appellens ad meliora, donec paulatim ad summam prouehar; quod si non contingit in hac uita, tamen hic meditandum est, quo contingat in futura. Quantulum enim est, quod nūc per has dotes cernimus, nec id admodum perspicue, sed uelut in fidei speculo, imagines tantū rerum celestium intuemur, & ex scripturis, ceu per inuolucrum ænigmatis, dei mentem conijcimus. Verum ubi contingerit perfectio, res ipsas coram cōtemplabimur. Nunc aliqua modo ex parte cognosco, tunc præsens præsensem deum cognoscam, sicut ab ipso cognitus sum. Nam ab illo cognosci, diligere est, & quo quisque illi charior est, hoc plenius ac propius illius ineffabili noticia fruetur. Sed interea licet reliquæ dotes uelut inutiles cessaturæ sint, satis iam confirmata fide, cui propagandæ ac stabiliendæ seruiunt illæ, tamen interea manent fides, spes & eharitas. Fides, qua procul cernimus immortalitatem futuram: spes qua cōfidimus nos illius fore participes: charitas, qua deum sic de nobis meritum redamamus, & huius gratia proximum. Hæc tria cæteras dotes omnes antecellunt, sed tamen in his ipsis primas tenet charitas, cui fidem etiā & spem debemus, aut certe sine qua nec illæ sunt ad salutem efficaces.

CAPVT XIII



ATHæc non eō tendunt, quæ tam magnifice prædicamus de charitatis præminetia, quod reliquæ dotes negligendæ sint, aut fastidiendæ: sed ita sectemini charitatē, ut nihilo secius interim probetis ac suspiciatis genera linguarum, aut interpretationem sermonis, ad id tamen quod utilius est magis emergentes, uidelicet ut prophetetis, mysticum sensum ad salutē auditorū explanantes. Etenim qui lingua tantum loquitur, nō hominibus loquitur, quibus nihil adfert sua uoce, sed Deo loquitur, quem uerbis non intellectis laudat. Nam quod ad cæteros attinet, quid refert utrum taceat, an loquens non intelligatur? Velut afflatus spiritu loquitur arcana, quæ ut ipse intelligat secum, certe nemini communicat, & ut proficit, non prodest nisi sibi uni. Frustra igitur loquitur in ecclesia, qui à nemine auditur. Non auditur autem qui non intelligitur, porro non intelligitur sermo spiritualis, nisi retrusorem sensum accipias, quem illis uerbis nobis significauit cœlestis spiritus. Id uero nullus hominum potest, nisi ex peculiari dono spiritus. Contra, qui prophetæ fungitur munere, non deo loquitur solum, uerum etiā hominibus loquitur, non simplicem illis adferens utilitatem, quippe qui simul & malos inuitat ad uitam meliorem, & segnes extimulat ad uigilantiam, & pusillanimes erigit ac solatur. Videte quantum inter donum & donum interest. Qui loquitur lingua, sibi priuatim uni prodest: at qui per prophetiæ donum enarrat scripturæ mysteria, toti prodest congregationi. Porro bonum quo latius patet, hoc est præstabilius, itaque repetam quod modo dixeram: ne fastidiatis donum linguarum, per se magnum est, & à spiritu sancto contingit. Volo uos omnes, uide

*Non est amor
bitiosa*

*Charitas nunquam
excidit*

*Videmus nūc
per speculum*

*Spiritus autē
loquitur mysteria
etc.*

si uidetur, loqui linguis, potius tamen optarim uos in altero, quod præstantius est, præcellere. Maior enim est, qui prophetam agit, quàm qui linguis loquitur uerba sacra, sed nulli intellecta sonans, nisi forte qui prius linguis locutus est, mox quid dixerit interpretetur, quo saltem aliquis fructus redeat ad populum. Sunt enim qui nec ipsi satis intelligunt, quod linguæ plectro sonant. Cæterum ex uerbis intellectis, aliquid fructus utcumque capi poterit: alioqui fingite me nunc primū uenisse ad uos, nec aliud quàm linguis, loqui quid utilitatis sim uobis allaturus, nisi sic loquar, ut mox aperiā uobis arcanum per apocalypsis donum, aut per scientiæ donū erudite differam de ijs, quæ ad cognitionem fidei pertinent, aut per prophetiæ donum aperiā sensus reclusos, aut per doctrinæ donū edisseram aliquid, quod ad bonos mores pertinet. Quin & quæ animæ sunt expertiæ, siue tibia sit, siue cithara, cum non in aliud parata sint, quàm ut sonent, tamen nisi certos ac distinctos sonos dederint, qui certis harmonijs ac modulis testentur, aut cantionis argumentum, aut affectum quò uocat cantio, hoc est si tantum sonent, quid fructus aut uoluptatis accipiet auditor, cum non dignoscāt quale sit, quod cithara tibiæue canitur, lætum an lugubre? Iam si tuba uocem incertam dederit, non ipso cantu distinguens, utrū prælium iniri iubeat, an receptui canat, quid referet tuba clangere, cum miles non intelligat quò uocetur? Itidem & uos, nisi linguis loquentes uocem audieritis, certi quiddam representantem auditoribus, sine fructu loquimini, quando non ualet intelligi quod dicitur. Itaque loquentium uox non penetrabit in animos audientium, sed aerem tantum feriet inani strepitu uerborum. Tam multa uidelicet sunt linguarum genera in mundo, quorum sua cuique uox est. Ea quidem ab omnibus percipi potest, uerū si nihil accedat uocis, frustra uterque alteri loquemur. Etenim cum uterque recte sonet suam linguam, tamen quoniam neuter alterum intelligit, fit ut & ego qui Græce loquor, barbarus sim Afro, & mihi uicissim ille sit barbarus Africe nescienti. Proinde uos quoque Corinthii, quādo uestra sponte sectamini, magnique facitis dotes, quæ uocis habent miraculum, meo hortatui dabitis operam maioribus, quo sitis usui congregationi toti. Itaque cui contigit donū linguarum, precibus à deo flagitet, ut accedat donū interpretandi. Alioqui si precer lingua populo ignota, puta apud Græcos Persica, imò si (quod quidam solent, qui cantionem quam edidicerunt, peregrina lingua gaudent sonare, quam nec ipsi qui sonant, intelligunt) sermonem sonem, non minus mihi, quàm alijs ignotū: spiritus quidem & halitus meus addit uerba precantia, cæterum animus meus fructus est expers, cum & mihi uel nihil, uel minimum prosum, & alijs etiam molestus sim, aut etiam ridiculus, non solum inutilis. Quid igitur mihi faciendum est? Precabor uoce, cum locus postulabit, sed hoc non contentus, precabor & mente animoque. Canam laudes dei uocis organis, sed hoc non contentus, canam & animo, addita linguæ peritiā. Alioqui si tu laudes dei decantas sermonem omnibus ignoto, qui plebis uice fungitur, quomodo succinet solitū illud Amen, ad finitam gratiarum actionem tuā? Nam huius uocis accentu confirmatur id, quod precibus aut hymnis est dictū. Scitis enim hanc ut ita loquar, fabulam agi uarijs personis. Qui docti sunt, præcitant, plebs indocta promiscuamque comprobans quod dictū est, uelut omnium uoce acclamat, Amen. Quis autē acclamabit, si nesciat quid dicas? Sanctū est quod tu pronūcias, & tibi fortasse bono est, uerū interim populus nihilo fit melior: qui in hoc conuenit, ut ex eruditorum sermone domum melior redeat, atque hoc discat in publico, quomodo priuatim sit uiuendum. Porro ne quis me suspicetur, ut linguarum imperitiū, parum fauere dono linguarum, sicuti uulgo quisque miratur & extollit, in quibus ipse ualet, diuersa contemnit & eleuat, gratiā habeo deo, quod hoc dono uos omnes superem, qui hoc præcipue uobis placetis. Nullum enim sermonis genus apud uos est, quod ego non & sonem, & intelligam. Itaque non liuore, sed iudicio, donum interpretationis antepono dono linguarum, quo priuatim magis uti conuenit, quàm in solenni conuentu. Nam in ecclesia cœtuque sanctorum malim quamlibet paucula uerba sic loqui, ut ipse meam intelligens uocem, efficiā ut à cæteris quoque intelligar, quàm decem milia uerborum ita sonare, ut nullus intelligat cæterorum, ac fortassis ne ipse quidem. Proinde fratres quando cum est, pietas habet uelut ætates & accessus suos, date operam, ut relictis inferioribus donis, ad maiora proficiatis, ne perpetuo pueri uideamini. Sunt dotes, quæ congruunt primū initiatis Christo, sunt quæ decentiam prouectiores. Volo quidem uos perhibere

Quoniam enim
lac est spiritus.

Volo quinque
uerba loqui
in sensu

pueros esse, quod ad morum simplicitatem atq; innocentiam pertinet, at animi dotibus uelim uos usq; proficere, donec ad summum perueniatis. Neq; enim iam uobis satis est, si nulli nocueritis, sed enitendum est, ut iam adulti & prodesse ualeatis omnibus. Puero- rum est, quamlibet exigua demirari, atq; his sibi magnifice placere. Sed adfert illis hoc ætas, ut mox negligent quæ prius iactabant, contententes ad maiora. Habet Christiana fides & rudimenta sua, in quibus turpe sit cōsenescere. Id ita esse, testatus est olim & ipse deus, hunc in modum loquēs apud Esaiam prophetam: Varijs linguis ac diuersis labijs *Esai. 28* loquar populo huic, ac ne sic quidem audient me. Itaq; linguarum donum faciebat ad ec- clesiae rudis primordia, ut hoc miraculo commouerentur increduli, cum his qui credunt sit ociosum. At contra, prophetiae donum, non solum incredulis prodest in hoc, ut resipi- scant, uerum etiam credentibus, ut in dies reddantur firmiores, ac seiplis meliores. Itaq; perspicuum esse debet, quam parum utilitatis habeat linguarū usus, cum aliquoties offi- ciat etiam, & offendat. Nam facite mihi iam totam congregationem conuenisse, simulq; omnes uarijs, sed ignotis linguis sonent, alius Hebraica, alius Africa, alius Asiatica, atq; intrent interim in cœtum uestrum alij Christiani linguarum imperiti, aut etiā increduli, linguarū item imperiti, nōne cum audierint confusissimum diuersarum uocum strepi- tum, nihil omnium intelligentes, dicturi sunt quod mente capti lymphaticq; sic ineptia- tis? Contra, si per prophetiae donum, alius doceat, alius admoneat, alius exhortetur, ali- us cōsoletur, & interim superueniat in cœtum uestrum hospes quispiam imperitus, aut etiam incredulus, qui & intelligit sermonem uestrū, & uicissim intelligitur, nōne dum ueram pietatē agnoscit in uobis, damnat apud se suam superstitionem, suosq; mores im- pios detestatur, collatos ad uestram pietatem: totusq; sibi ostenditur, dum audit à uobis ueræ religionis disciplinam, à qua uidet sese hactenus plurimum abfuisse, sibiq; consci- us est eorum uitiorum, quæ sermo uester execratur. Denique fit, ut ille mutatus in alium uirum, ac sui poenitens, prout in terram procumbat, agnoscens, palamq; testificans, quod uere spiritu dei sitis afflati, non more phanaticorū loquamini, qui dæmoniacō fu- rore correpti, uoces effundunt, nec ab ipsis, nec ab alijs intellectas, sonum ædentes sine mente. Quid igitur faciendum est fratres? Quoties in publicum cœtū conuenitis, suam quisq; dotem secum adfert: alius habet canticū mysticum, quo lubet canere deum: alius doctrinam habet, qua possit ad instituendam uitam erudire: alius reuelationē habet, ut eruat abstrusa reconditaq; in sacris literis: alius linguæ dono præditus est. Nihil horum fastidiatur, sed omnia conferantur ad publicam utilitatem in cœtū publico, uerū ita, ne quis existat tumultus, aut cōfusio. Detur & linguarum dono præditis suis locus, sed ita *Omnia ad edifi. fiant.* ut bini duntaxat loquātur in singulis cōciliabulis, aut ut plurimum terni, neq; id tamen simul, sed per uices, neq; rursus soli loquātur, sed adsit qui quod ab illis dictū est, interpre- tetur populo. Vnus interpres duobus aut tribus linguæ dono præditis suffecerit, quod necesse non sit, multum uerborum sonari linguis. Quod si desit interpres linguarum pe- ritus, non est quod in cœtu loquatur, qui præter linguarum donū nihil habet, utatur suo dono, sed priuatim, ubi sibi canat ac deo. In cœtu publicum negotium agitur. Ad eun- dem modum prophete nō omnes, sed bini, aut terni loquantur, idq; uicissim, sed adsint quibus adest donum dignoscendi prophetarum afflatus, ueri sint nec ne, qui reiiciant, si quid dictum est Christi spiritu indignum. Quod si uno quopiam loquente, is qui huic assi- det interloqui cœperit, uelut afflatus deo, ne sit uocum tumultus, prior conticescat. Iam enim apparet alteri patefactū, quod prior quærebat, quandoquidem afflatus & impulsu spiritus interpellauit. Quod si fiat, nihil uetat quo minus omnes prophetetis, modo ui- cissim id fiat, & alter alteri loquendi uices concedat, quo maior doctrinæ fructus ad oēs pertineat, in mediū adferentibus singulis, quod inspirarit deus, & uberiore consolatio- ne reficiantur omnes, dum singuli conferūt in cōmune, quod Christi spiritus inspirarit. Nec est quod excusetis, afflatus numine sui iuris non esse, quemadmodum in lymphat- is uidemus accidere. Longe secus est de afflatu Christi, qui sic addit impetum mentis, ut nihilo secius in tua sis potestate, siue res sermonem poscat, siue silentiū. Sanctus est hic afflatus, nec aliud, q̃ pia mentis impetus ad ea, quæ uidentur ad dei gloriā facere. Is hoc magis seruire debet tranquillitati publicæ, & hoc longius abesse à contentione, quod à deo proficiatur, qui pacis est autor, non tumultus aut dissidiū. Id cum obseruetur in

*Mulieres in
ecclesijs ta.*

omnibus conuenticulis sanctorum, par est, ut itidem in uestris conciliabulis, si sancta uideri uultis, seruetur, ne quid à cæteris uideamini discrepare ritibus, à quibus non dissi-
detis professione religionis. Atque hac ipsa de causa fileant uestre mulieres in solenni conuentu, ne (ut est sexus affinis loquacitatis uitio) tumultus indecorus oriat. Neque enim illis permissum est, ut in publico concionentur, uelut autores rerum, sed præceptum est ut uiris subditæ sint. Sic enim in Genesi deus mulieri loquitur: A uiro pende- bis, & ille tibi dominabitur. Hanc igitur legem agnoscant, non solum tectis capitibus, uerum etiam silentio, quo maxime decoratur ille sexus. Dixerit aliquis, usque adeo linguam ad-
mis mulieribus, ut nec discendi gratia, sciscitandi- que fas sit loqui: Prorsus adimo in publi- co, cæterum si quid erit, quod non satis intelligant, cupiantque discere, domi maritos suos interrogent. Ita fiet, ut nec doctrina fraudentur, nec quicquam indecore geratur. Nam prorsus indecorum spectaculum est, uidere mulierem in publico cœtu sanctorum loqui, cum id etiam in profanis concionibus Ethnicorum fœdum habeatur. Quid est, quare uos grauemini seruare ritum, à cæteris omnibus obseruatū Corinthiis? An à uobis primum profectum est Euangelium, ut cæteri cogendi sint ad uestrum morem? An ad uos solos peruenit Euangelium? Quod si nec primi Christi religionem tenetis, nec soli, cur piget ad aliorum ritus uos attemperare? Si quis apud uos uidetur esse propheta, aut aliqui spi- ritualibus præditus dotibus, agnoscat, quæ scribo uobis, non mea esse præcepta, sed do- mini. Quod si quis per contentionem sic agit quasi ignoret, & hæc uelut humana iussa contemnit, ignoret suo periculo, uicissim ignorandus à deo. Decertare non est meum, satis est admonuisse. Igitur ut hunc sermonem finiam fratres, huc enitami- ni, ut contin-
gat prophetiæ donum, quod longe præclarius est, sed sic, ut interim non prohibeantur loqui linguis, quibus aliud donum non contigit, modo quemadmodum præscripsi cum-
cilia fiant & cum decore, & ordine, ne quid turpitudinis aut tumultus exoriat.

CAPUT XV

*Notum autem
nobis facio*



Am quoniã audio fratres de resurrectione mortuorum à nonnullis uestrum ambigi, quibus humana philosophia etiamnum tumidis, hoc persuaderi nondum potest, non est quod noui quicquam uos doceam, tantum in me-
moriã reuoco uobis Euangelium, quod uobis primum tradidi, quodque semel estis amplexi, & in quo hætenus perseueratis, cuiusque præsidio salu-
tem adipiscimini: ut simul & mihi superuacaneum sit denuo tradere, quod semel recte tra-
ditum est, nec uobis honestum, si per inconstantiam ab eo descisceretis, quod semel estis amplexi, præsertim cum experiamini nostrum Euangelium uobis ad salutem efficax esse.

*Per quod &
saluamini*

Atqui præcipua pars euangelicæ doctrinæ est, credere resurrectionem mortuorum. Qua-
de re non oportet ambigere, nisi quod absit, frustra credidistis. Quorsum enim attinebat euangelium amplecti, si quod est huius rei caput, negatis, uidelicet mortuos olim reui-
cturos? Huius in primis meminisse uos oportebat, quod uobis in primis tradidi sermo-
ne, nunc literis repeto, quodque uos semel accepistis: nimirum illud, quod dominus Iesus
Christus mortuus sit, suaque morte nos à peccatis liberarit, pro nobis dependens, quod
Esa. 53 ipsi cõmiseramus: quod ita futurum multis ante seculis scriptura dixerat, ut tanquã ouis
ad lanienam duceretur, ut suo liuore nostris malis mederetur, ut de ligno crucis regna-
ret ac diaboli tyrannidem frangeret. Ad hæc tenendum est, quod non solum uere mor-
tuus sit, uerum etiam sepultus, ac tertio die reuixerit: quod & ipsum fore iam olim prædictum
fuerat prophetarum oraculis, quo magis credatis factum, quod per sacros uiros deus fore
promiserat. Nam ita loquitur Osee: Post biduum & tertio die resurgemus et uiuemus in
Psal. 15 conspectu eius. Rursus Dauid ita loquitur: Non derelinques animam meam apud inferos.
Super hæc, quo certius crederetis, docui uos, quomodo rediuiuus multis se conspicien-
dum præbuerit, primū Cephæ, deinde duodecim illis, & quod post hæc uisus sit plus quam
quingentis fratribus simul cõgregatis. Quorum plerique uiuunt in hunc usque diem, si quis ad-
dubitet de fide narrationis. Aliquot diem supremum obierunt. Sub hæc conspectus est
Iacobo, qui frater domini dictus, primus apud Hierosolymos episcopi dignitate sum-
mus est. Deinde conspectus est discipulis omnibus, non tantum illis duodecim, à qui-
bus primum ortum apostoli cognomen in plures deriuatum est. Post omnes autem &
mihi conspectus est, uelut apostolo abortiuo, qui post maturos partus tandem im-
perfectus

perfectus foetus, eiectus sum uerius, quam natus. Non queror, quod postremus omnium uiderim dominum. Magnum est, quod uidere meruerim. Nam ego sum infimus apostolorum, nec satis dignus, qui dicar apostolus, propterea quod persecutus sum ecclesiam dei, quam apostoli constituunt. Indignus igitur erā, qui uel postremus in ordinem apostolicum allegerer, sed gratuita Dei bonitas me licet immerentem hoc honore dignata est, ut quicquid sum, illius sit muneris non meriti mei. Neque passus sum illius in me beneficentiam ociosam aut sterilem esse. Quin potius licet postremus sim ordine temporum, tamen in functione muneris euangelici, non gessi me in postremis, sed plus laborum exhausti, quam quisquam alius apostolorum, ne quis hoc nomine mihi minus tribuat autoritatis, quod ultimus sim apostolorum. Quamquam hoc ipsum quod laboraui, non mihi uindico, sed beneficentiae diuinæ ascribo, cuius praesidio factum est, quicquid gestum est. Igitur ut ad rem redeā, siue illis potior est autoritas in euangelico negotio, siue mihi, certe consentientes idem praedicamus omnes, & quod nos magno consensu praedicamus, id uos ueluti certum & indubitatum credidistis. Nos nostri dissimiles non sumus, superest ut uos uestri similes sitis, non iam in dubium reuocantes, de quibus semel statuistis. Quod si omnium apostolorum testimonio praedicatum est, & praedicatur, quod Christus princeps & autor resurrectionis, a morte reuixerit, qua fronte quidā inter uos dicunt, quod nulla sit resurrectio mortuorum? Quod si nulla est, cōsequitur ne Christum quidem ipsum resurrexisse. Quorsum enim attinebat ducem & caput nostrum resurgere, nisi ut prauius membrorum suorum resurrectionem appararet, uiamque nobis omnibus aperiret? Quod si Christus non resurrexit, inanis uidelicet est praedicatio nostra, inanis est & credulitas ac fiducia uestra. Si nobis persuasum est Christum reuixisse, certum sit oportet & nos reuieturos, quibus ad uitam reuocandis ille reuixit. Alioqui futurum est ut non solum utriusque luserimus operam, nos praedicando, uos credendo, uerumetiam iniurijs comperiamur in deum, de quo non recte testati sumus, quod Christum excitari a morte, cum illum non excitari. Non excitauit autem, si ceteri mortui non reuiuiscunt. Aut utrunque credendum est, aut utrunque negandum, cum eadem sit capitis ac membrorum resurrectio. Si mortui non resurgunt, quorum gratia resurrecturus erat Christus, ne Christus quidem resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, frustra credidistis illum resurrexisse, frustra credidistis uos per fiduciam in illum factos immunes a peccatis. Estis igitur adhuc pristinis obnoxij peccatis. Nihil actū est baptismo, quo mystice per Christum interim a peccatis reuiuiscimus. Quin etiam hi, qui cum hac fiducia mortui sunt, atque hac spe suas ceruices carnificum securibus praebuerunt, prorsus interierunt si nulla spes est reuiuiscendae. Quod si tota spes nostra, quam de Christo concepimus, non porrigitur ultra terminum uitae praesentis, non solum non sumus felices, uerumetiam calamitosiores ceteris, qui a Christo sunt alieni. Siquidem illi, uitae praesentis cōmodis ut cunctique fruuntur, nos & hic affligimur ob Christi nomen, & post hanc uitam nihil nanciscemur praemij, si non toti reuiuiscemus. Sed auertat deus ut quisquam tam absurde credat, in suum ipsius malum. Imò si Christum resurrexisse creditis, quod nemo pius non credit, necessario consequitur, & nos resurrecturos. Siquidem in illo coepta est resurrectio, quae perficietur in nobis: & ut ille totus reuixit recepto corpore, ita nos toti reuiuiscemus. Caput non diuelleretur a membris. Ille ceu princeps ac dux primus reuixit, ueluti primitiae quaedam omnium, qui cum resurrectionis spe moriuntur. Ille resurrectionem auspiciatus est, alij secuti sunt, comites dominicae resurrectionis, & nos olim sequemur. Neque enim dubitandum, quin in omnibus suis membris praestaturus sit, quod in seipso, quodque iam in compluribus sanctis praestitit. Oportet enim imaginari duo corpora, unum mortui obnoxium, quod pendet a capite Adam: alterum immortalitati destinatum, quod pendet a capite Christo. Quemadmodum igitur olim mors per unum hominem peccantem irrepsit, ac uelut a capite sparsa per membra, in ceteros omnes grassatur: ita per unum hominem ab omni prorsus peccato immunem, inuecta est resurrectio mortuorum. Siquidem ob unius Adae commissum omnes ab illo profecti, sumus obnoxij mortui: ob unius Christi innocentiam omnes immortalitati restituentur, qui meruerint esse in illius corpore. Reuiuiscunt omnes, sed suo quisque ordine, princeps omnium est Christus, deinde qui Christo adherent, ceu membra capiti, quorum aliquam multi iam egressi e monu-

Siue enim ego
siue illi

Si in hac uita
tantum

mentis, unà cum Christo resurrexerunt, ceteri reuiuiscunt in extremo illius aduentu. Iamq; peracta totius corporis resurrectione, nihil supererit nisi finis humanarum uicissitudinum. Id non ante futurum, quàm cum penitus abolita mortis tyrannide, Christus uictor regnum tranquillum ac pacatum tradet deo patri, cui debellatis hostibus suam ditionē asserit: cumq; prorsus à toto corpore suo depulerit, & in nihilum redegerit omnem aduersariorum potestatem, principatū ac uim. Siquidem tamdiu necesse est filium hoc asserendi deo patri regni negociū agere, donec uniuersos hostes suos internecione deuictos, substrauerit pedibus suis, ne qua sit usquam rebellio, aut metus malorum. Per peccatum regnat mors, per mortem regnat satanas. Peccato extincto desinet regnare mors. Id quanquam interea molimur pro uiribus, tamen ad plenum nō prius continget, quàm extrema resurrectio uim omnem mortalitatis aboleuerit, uelut extremo iam hoste confecto, qui pertinacissime rebellabat. Siquidem ita decreuit pater, omnia subiicienda sub pedes filij, quemadmodū scriptū est in psalmis: Omnia subiecisti sub pedes eius. Atqui cum dicit, fore ut omnia subiiciantur pedibus filij, nō sic accipiendū est, quasi patre excluso, filius solus regno sit potiturus, imò idem est filij patrisq; regnum. Per filium pater regnum hoc nouum ac peculiare, quo deuictis cupiditatibus, nulla est aduersus diuinam uoluntatem rebellio, sibi asserit: quod ita habet commune cum filio, ut penes ipsum maneat autoritas, utpote à quo profectum est filio regni consortium, quod ita plenū ac perfectum est filio, ut nihil interim decedat patri, cum sit eadem utriusq; uolūtas. Ergo cum acciderit, ut filio subiecta sint omnia, tunc & ipse filius totum, hoc est cum corpore se subiecturus est patri, quo autore factum est, ut omnia cesserint in filij ditionem: ut post hac nec in membris sit quod à Christo dissideat, & filius totus cum patre consentiat, à quo ceu summo principio pendebunt uniuersa, & huic uelut auctori feretur ab omnibus acceptum, quicquid usquā præclare gestum est. Hæc cum uobis olim tradiderim, uosq; receperitis, quid est quod rursus quidam ambigunt, num reuicturi sint mortui? Cuius si nulla spes est, nihil egerint isti quidam, qui licet superstitiose magis, q̃ pie, uice mortuorum baptismum accipiunt, metuentes ne nō inter iustos resurgat, qui sine baptismo decessit. Id ne fiat, subornant aliquē, qui mortui loco respondeat se credere, ac baptismum cupere. Fidem probo, factum non probo: Nam ut ridiculum est existimare, mortuo succurri baptismi alieno, ita recte credunt resurrectionem futuram. Neq; enim metuerent mortuo, si crederent eum nō reuicturum. Quin & ipsi nos stulte facimus, ob Christi doctrinam quotidie de uita periclitantes, si post grauissimas afflictiones nō sequetur præmium. Neq; periclitamur modo uerumetiam in singulos dies quodammodo morimur, nouis subinde periculis expositi, neq; simplici morte defungimur. Quod dico non mentior, ita mihi semper gloriari liceat hac gloriatione, quā habeo per Christum Iesum dominum nostrum, in cuius gloriam cedunt etiā ipsa mala, quæ perpetimur. Quod apud Ephesios tantum malorū perpeffus sum ob Euangelium Christi, ut mihi fuerit cum bestijs depugnandum, morti addictissimo, quid fructus fuerit, aut quod præmiū, si mortui non reuiuiscunt: Quæ dementia sit, ultro tot malis immergi, si mox à morte nihil referat, quomodo uixeris? Si tota spes hominis morte finitur, quid superest, nisi ut quod apud Esaiam dicunt impij, diffisi de promissis futuræ uitæ, ac felicitatis summam huius uitæ commodis metientes: Edamus & bibamus, cras enim morimur. Quod ex uita rapuerimus, id demum nostrū est, à morte nihil sumus. Huiusmodi fortasse cantilenas uobis occinūt uel philosophi, uel pseudoapostoli. Sed caute, ne uos suis fabulis in periculosum errorē illiciant, semper memores, quod uere dictum est à comico quodam uestrate: Mores bonos, colloquia corrumpūt mala. Ex ocio luxuq; uitæ nascitur ista diffidentia, dum sibi male conscij, nolunt esse resurrectionem: tanta uitiorū caligine tenentur quidam in diem uiuentes. At uos per iustitiæ studium non uoluptatū, expergiscamini, neq; in tantum diffidentia malum prolubamini cum ceteris. Sunt enim inter uos, qui licet humane sapientiæ supercilio tumeant, tamen quæ præcipua sapientiæ pars est, ea carent, de ignorantibus, cuius uir non credunt mortuos in uitam restitui posse, cum sit omnipotens. Nec animaduertunt facilius esse restituere quod collapsum est, q̃ quod non est, ex nihilo condere. Hæc dico non infensus uobis, sed ut pudore correcti, posthac non auscultetis istis, qui tam stulta, tamq; impia uobis persuadere conantur. Iam cum certū sit futura resurrectio

*Novissime aut
inimica de/
structur mors*

Psalm. 9

*Alioqui quid
facient qui ba
ptizantur*

*Propter ue
stram gloriā*

Menander

*Evigilate
iusti*

resurrectionē, rogabit aliquis curiosior, quomodo futura sit, aut cuiusmodi corpore sint *Sed dicitur*
 resurrecturi: quandoquidē hęc corpora uertuntur in fauillam, aut terrā, aut aliud uilius: *aliquis*
 Stulte qui mireris semel id posse pręstare deū in resuscitandis corporibus, quod quoti-
 die natura facit in eliciendo semine. Tu semen aridum ac mortuū cōspicis in terram, ibi
 rursus putrefactū interisse uidetur, atq; ita demū exiliens ē terra, ueluti renascitur, ac re-
 uiuiscit, nec aliter reuiuiscit, nisi mortuum ac sepultum fuerit. Ac longe alia specie rena-
 scitur semen, quā cōditum fuerat in scrobe. Pusillum, uile, nigrū ac siccum granulum
 infoditur humo, id in limo putrefactū, suo tempore ueluti reuiuiscens erūpit in teneram
 herbā, mox culmi, deinde aristę. At nihil horū apparebat in granulo illo minuto, quod
 terrę credidisti. Sua cuiq; semini uis inest, ea se profert, ubi rursus emerferit, ut iam aliud
 omnino uideatur, cum idem cōspicias, sed renatū in meliorē speciem. Ex quantulo gra-
 mi, quę pompa frondū, quę florum amœnitas, quę radicis ambages, q̄ late sparsi
 cum tu uile ac minutū illud granū insepelires humo. Et tamen hęc omnia audebas spera-
 re, naturę uiribus fretus, & nō audes idem a deo sperare, fretus illius omnipotētię. Gra-
 num est quod seminas, non arbor, & tamen deus excitato grano corpus addit, quale ui-
 sum est ipsi, qui singulis seminum generibus peculiarem uim penitus indidit, ut cum re-
 nascantur omnia, non tamen eadem specie renascantur. Quod idem fit in animantiū ge-
 nere. Suū cuiq; semen est, neq; quoduis animal ē quouis semine prouenit. Et quanquam
 illud est omnium commune, quod corpus habent carneum, tamen nō parum interest in-
 ter carnem & carnem, Siquidem alia est hominum caro, alia pecudum, alia piscium, alia
 uolucrum. Item in his quę carent anima, licet omnia corpora dicantur, tamen alia spe-
 cies est corporibus cœlestibus, alia terrestribus, puta saxi, aut aquę terrę ue. Quin ut
 alia gloria est ac dignitas corporū cœlestium, alia terrestrium, ita inter ipsa corpora cœ-
 lestia discrimen est. Primū non est eadem gloria lunę, quę solis, nec cęterarū stellarum,
 quę lunę. Deniq; & ipsę inter se stellę differunt claritate. Nec enim omnes æquant lu-
 ciferi radios. Itidem in resurrectione suo cum corpore reuiuiscunt omnes, sed dispari di-
 gnitate, nimirum pro cuiusq; sorte, proq; uitę meritis. Nam alia specie reuiuiscēt impij,
 alia pij. Rursum inter pios, prout quisq; se gessit in uita, ita nouati corporis honore præ-
 minebit. Omnibus tamē pijs longe felicius restituetur corpus, q̄ in morte deposuerint.
 Quod in natura est semen humo condere, hoc est in resurrectionis causa sepelire cada-
 uer. Quod est illic enasci, hoc hic reuiuiscere. Ut illic longe præclarius est, quod nasci-
 tur, quā quod erat creditum terrę: ita hic licet idem, tamen longe dissimile corpus ex-
 citatur. Conditū est humo ceu seminis granū, corpus putrefactioni obnoxii, at idem re-
 uiuiscet nulli prorsus obnoxium corruptioni. Contemptum ac uile corpus humo condi-
 tur, at reuiuiscet idem multa præfulgens gloria. Sepelitur corpus, etiā cum uiueret im-
 becille, sed resurget immensis præditū uiribus. Sepelitur corpus, quod ut uiueret, tamen
 crassum erat ac pigrū, & ob id sæpe oneri moderatori animo, Sed resurget corpus non
 animale iam, sed spirituale, quod nusquam in mora sit animo, quocunq; tulerit illius im-
 petus. Nam est hęc quoq; corporū differentia, cum aliud sit animale, quod cibus eget ac
 somno, quod labore fatigatur, quod morbis afficitur, quod ætate cōtabescit, quod cras-
 sis aut uiciatis organis suis frequenter impedit animi conatum, quod ob inlitos affectus
 sæpe sollicitat ad uitia, cui cum inhæret & obsequitur animus, ipse uelut in corpus uerti-
 tur, ē mente degenerans in carnem: aliud spirituale, quod hic paulatim a sensibus & affe-
 ctibus corporeis defecatū, mox per resurrectionem renascens, quodammodo transfigu-
 ratum est in animū, cui sese studio pietatis accommodauerat: ut quemadmodū noster ani-
 mus obtemperans diuino spiritui, rapitur ac quadantenus transformatur in illū, ita cor-
 pus nostrum obsequēs animo, repurgetur & exuat crassitudinem suā, extenuatū in tale
 corpus, ut menti simillimum sit. Corpus hoc crassum ac terreum accepimus a principe
 nostri generis Adam illō priore, qui ut de limo fictus erat, ita terrenis affectibus fuit ob-
 noxius. Verum est alter Adam posterior, non natiuitatis, sed reuiuiscentię princeps, qui
 ut cœlestem habet originem, ita fuit ab omni contagio terrenarum cupiditatum immu-
 nis. Ita legimus & in Genesi: Conditus est primus Adam, ut animę beneficio uiueret. *Gen. 2*
 Sed ita, ut anima, uelut illigata corpori crasso, nihil ageret, nisi per organa corporis aut

*Sed non prius
quod spiritua
le est*

*Ecce myste
rium nobis
dico*

Osee 13

*Deo autem
gratias agi*

*De collectis
autem*

certe aliquid materiale. Sed post hunc datus est posterior Adam, qui ut è spiritu sancto conceptus est, ita suis uitam impartiret, non crassam hanc, & plerisque in rebus communem cum pecudibus, sed uitam spiritualem ac diuinam. Itaque per Christum modis omnibus in melius renascimur. Quod tempore prius est, id & re crassius est, iuxta naturam quoque ordinem. Animale corpus nunc gestamus, olim fruituri spirituali. Quemadmodum crassior ille generis nostri parens præcessit, successit Christus autor nouæ generationis. Qualis fuit parens ille luteus, tales sunt & huius posterii, nempe terrenis addicti cupiditatibus. Rursum qualis fuit Adam ille cœlestis, tales sunt in hunc renati, quibus cœlestia cordi sunt. Nam quod olim perfecte continget, hic iam meditandum est. Quemadmodum ante baptismum, primi parentis ingenium improbis moribus expressimus, ita per baptismum renati Christo, cœlestem autorem uitæ cœlesti referemus. Quod ni fecerimus, nec hic pertinebimus ad corpus Christi, nec tum resurrectionis gloria fruemur. In dei quidem regnum cooptati sumus, uerum illud dico fratres, quod caro & sanguis, hoc est homines primæ generationis, non possunt ad hæreditatem regni dei peruenire. Neque uita corrupta uitæ, immortalitatis hæreditate fruatur. En rem arcanam uobis aperio, ne quid uos lateat de modo resurgendi. Non omnes morituri sumus, nam fortasse dies ille nostrum aliquot uiuos deprehendet, sed tamen omnes ad immortalitatis gloriam immutabimur, qui hic pietatis studio quodammodo meditamur immortalitatem, abstinētes à peccati cōtagio. Ea immutatio non cōtinget paulatim, quemadmodum in rebus naturalibus fieri uidemus, sed in momēto punctoque tēporis ad cantū extremæ tubæ. Clanget enim tuba, ad cuius uocē qui tum mortui fuerint, reuiuiscēt iam immortales. Et nos, quos uiuos reperiet ille dies, subito immutati, iam aliter uiuemus, uidelicet ad eorū morem qui reuixerint. Oportet enim, ut priusquā regno cœlesti plene potiamur, prorsus exuamus omnia quæ terrā sapiunt, & corpus quod nunc habemus corruptioni obnoxium, reddatur incorruptibile, & quod nunc habemus mortale, reddatur immortale. Id ubi contigerit, tunc re præstabitur, quod Osee propheta futurū præfagiens, dicit, exultans aduersus mortem internecione deletam: Absorpta est mors per uictoriā. Vbi nunc tuus o mors aculeus: ubi tua uictoria tartare? Porro mortis aculeus est peccatū. Robur autem peccati lex, quæ per occasionē iritat peccandi libidinem. Lege sublata, languet peccati uis: sublato peccato, cessat mortis potentia, exempto uidelicet aculeo, quo nos ferire solet. Tam uiolētis hostibus prorsus impares eramus, si nostris præsidij res fuisset gerenda: sed tamen est habēda deo gratia, qui fecit ut nobis, si uelimus, in manu sit tam inclyta uictoria per Iesum Christum dominū nostrum, qui sua morte pro nobis mortem expugnauit, quicquid nostra cōmissa in sese recepit expianda. Proinde fratres mei charissimi, quando certum est, futuram resurrectionem, quando certum est tantam felicitatem per eam præstari, quæ tamen non cōtinget, nisi qui hic per innocentiam & peccati fugam cœlestem uitam meditati fuerint: ne uacilletis in eo, quod semel credidistis, neque sinatis uos malorum colloquijs à recta sententia dimoueri: quin potius detis operam, ut in his, quæ uos deo conciliant, indies proficientes, semper uobis ipsis meliores possitis euadere, præparantes uosmetipsos ad futuram resurrectionem. Ne pigeat ullius laboris, cum certum habeatis, quod opitulante Christo, pro temporarijs molestijs æterna gaudio sitis assequuturi.

CAP. XVI



Aeternum quod attinet ad subleuandos benignitate uestra sanctos, qui degunt Hierosolymis, quemadmodum præscripsi Galatis, ut in eum usum pecunia colligeretur, si qui sponte sua conferre uellent, itidem fiat apud uos, ut hac quoque in parte cum cæteris ecclesijs congruatis. Primo die sabbati, hoc est die dominico, quisque uestrum apud se reponat ac recondat, quantumcunque cuique uisum fuerit. Hoc ideo moneo, quo magis in promptu sit, quod quisque largiri decreuerit, ne cum uenero, tum denique sit corradenda pecunia. Cæterum ubi uenero ad uos, quoscunque uos delegeritis ad hoc negocij, hos cum meis literis mittam Hierosolymam, ut perferat uestram munificentiam. Quod si uidebitur operæ precium ut ipse proficiscar illuc, illi mecum proficiscantur, ne quis suspicari queat, ulla ex parte me meum negociū agere. Sum autem inuisurus uos, ubi per Macedoniā iter fecero, nam illos obuium taxat interuisam. Apud uos autem aliquandiu cōmorabor, haud scio an totā hyemem exacturus

exacturus, ut sub proximum uer, uobis deducantibus, proficiscar, quocumq; negocium Euangelij uocabit: alioqui nunc uos adissem, sed nolui uos obiter atq; in transcurso uideri. Nam spero futurum, ut mihi liceat dies complures apud uos commorari, si modo dominus Iesus permiserit. Interea commorabor Ephesi usq; ad quinquagesimum diem. Res more non nihil postulat, quod cum illic mihi sit aperta ianua ingens, & ampla spes illustrandi Euangelij, tamen multi sunt qui aduersentur. Quod si interim contigerit Timotheum adire uos, uidete ne quid illi obtingat ab elatis ac diuitibus quibusdam periculi. Iuuenis est, sed meus est collega, & in Euangelico munere sincere libereq; uersatur ut ego. Proinde ne quis illum despiciat, quod ætate sit iunior, quin potius ut apostolum & collegam meum indemnem & illæsum dimittite, & officij gratia prosequamini abeuntē, ut ad me ueniat. Nam illum expecto unā cum ceteris fratribus, eius comitibus. Porro quod postulaueratis, ut Apollos potius isthuc mitteretur, per me quidē nō stetit, quo minus iuerit. Nam uehemēter hortatus sum, ut adiret uos cum aliquot fratribus, sed frustra. Siquidem ob certas causas non erat ullo pacto animus nunc adire uos, uenturus tamen est simul atq; uocabit. Vigilate aduersus insidias male suadentium. Persistite in fide semel suscepta, infractione animo sitis aduersus ea quæ obsistūt euangelio, sitis robusti ualidq;. Quicquid aut apud uos geritur, non per cōtentionem, sed per charitatem geratur. Obsecro uos fratres, sed quid opus precibus? Ipsi nostis familiam Stephanæ, dignā quam obseruetis, uel quod has ceu primitias ex Achaia Christo lucrifecerim, uel quod sese totos dediderint sanctis officio subleuādis. Par est igitur, ut uos quoq; uicissim talibus honorem habeatis: nec his solum, uerum etiam quicumq; nobiscum adiuuat rem euangelicam, nostriq; laboris participes est. Gratū fuit, quod Stephanam, Fortunatum, & Achaicū huc miseritis. Siquidem hi suppleuerunt officio suo, uenientes omnium nomine, quod adhuc desiderabam uestri, Nam refocillarunt spiritum meum, imò uestrum, quippe qui non aliud spectat, quā uestrum commodum: nec alia re magis exhilaratur, quā uestris profectibus. Tales igitur agnoscite, peculiari quodā honore illos prosequentes. Salutant uos congregationes Asiaticæ. Multam salutem ex affectu pietatis optant uobis Aquila & Priscilla, reliquaq; congregatio Christianorum, quam habent domi suæ. Salutant uos omnes, qui hic Christi nomen profitentur. Sitis & uos mutua inter uos beneuolentia coniūcti, uosq; inuicem salutem sancto purq; osculo, ueræ concordie symbolo. Saluto uos Paulus, atq; id meapte manu subscripsi, pariter testans & meum erga uos affectum, & hanc epistolam non esse subditiuiam. Si quis non diligit dominum Iesum, anathema sit. Maranatha, quandoquidem auersatur eum, à quo solo poterat consequi salutem: & uenisse negat, quem constat uenisse magno bono credentium, sed magno malo incredulorū. Adsit uobis fauor ac beneficentia domini Iesu Christi. Precor ut quæadmodum ego uos Christiano affectu diligo, ita uos inuicē sincere diligatis ea charitate, qua uos conglutinauit Christus Iesus. Amen.

Paraphraseos in priorem Pauli apostoli epistolam ad Corinthios, finis.

IN POSTERIOREM AD CORINTHIOS EPISTOLAM ARGUMENTVM PER DES. ERASMUM Roterodamum.



Primum reddit causas Corinthijs, quare nō reuiserit illos, quemadmodum pollicitus est epistola superiore, prius quædam præfatus de suis afflictionibus, quas ob Euangelium Christi perpetiebatur, ostendens, in tantis malis deum sibi fuisse solatio. Mox reconciliat Corinthijs eum, quem superiore epistola iusserat tradi satanæ, ut amanter reciperent castigatum, quem peccantem eiecerant. Hæc ferme capite primo ac secundo. Deinde commemorat studium suum in Euangelio prædicando, obiter taxans ac norans ceteros pseudapostolos, qui suo seruientes questui, suę studentes glorię, nusquam non pelliciebant ad legē Mosaicam: quam Christo sic conabantur admiscere, quali sine huius accessione, non esset spes salutis. Itaque umbris legis Mosaicæ præfert Euangelij lucem: subinde adhortans illos, non ad caeremonias legis, sed ad conscientiam uitamq; Christo dignam: testans interim, qua

hb 4. sinceri

synceritate prædicauerit Euangelium Christi, quantumq; malorum eius gratia perpeffum sit, spe præmij cœlestis. Ad hæc indicat, quibus in rebus sita sit potissimum Christiana pietas. Hæc tractantur in calce capitis secundi, capite tertio, quarto, quinto, & principio sexti. Nā reliqua huius capitis parte, simulq; initio proximi hortatur illos, ut agnoscere dignitatem & sanctitatem suæ professionis, modis omnibus ab inquinamētis ethnicorum, cum quibus nihil esset illis cōmune. Quarto loco lenit superioris reprehensionis acerbicatem, collaudans illorum obedientiam, quod epistolæ suæ, licet obiurgatrici, per omnia paruissent, gratulaturq; quod is mœror temporarius summum gaudium utriusq; pepererit, uelut cum ex amaro pharmaco consequitur gratissima sanitas. Quinto loco cum exemplo Macedonum, tum uarijs argumentis, ac scripturarum testimonijs prouocat, ut pro sua quisq; facultate, proq; animi propensione, conferat aliquid in subsidij sanctorum, qui Hierosolymis agebant, memor hoc sibi mandatum à Petro, ad hoc negocij missio Titō cum altero collega, ut pleriq; putant Luca, quos commendat Corinthijs. Hæc agit capite octauo & nono. Sexto, quos ante taxauit oblique, palam insectatur pseudapostolos, qui fastu ac supercilio dignitatem ac maiestatem apostolicam præ se ferebant, Paulum in contemptum uocantes, uelut humilem, ut qui cerdonicam exercuerit, uelut imperitum & infantem, ad hæc toties cæsum ac uexatum iniurijs. Aduersus hos auctoritatem suam asserit apud Corinthios, testans nusquam sibi deesse auctoritatem ac potestatem apostolicam, sed qua nolit uti grauandis alijs, quemadmodum cæteri, sed tantum ad commodum suorum & Christi gloriā. Deinde præfatus ueniā stultitiæ, quod de se gloriosius quædam dicere cogeretur, Primum æquat se summis apostolis, deinde præfert etiā, idq; multis nominibus, uel quod latius sparserit Euangelij doctrinam, uel quod unus gratuito eam tradiderit, neq; per se, neq; per suos grauans Achaicos: uel quod plura perpeffus sit Euangelij causa, quàm illorum quisquam, ea sibi gloriæ uertens, ob quæ quibusdā uidebatur contemptior. Porro sermonis imperitiā agnoscens modestiæ causa, rerum scientiā sibi uindicat, ne quid uel hic desiderent. Postremo quoniam pseudapostoli fictis angelorum uisionibus sese uenditabant apud simplices, Paulus ueram & insignem adducit uisionem, se raptum in tertium usq; cœlum, atq; illic edoctum, quæ captum hominū excedat. Hæc ferè capite decimo, undecimo, & duodecimo. Septimo, ne per pseudapostolos relaberentur in pristina uitia, testatur sibi in animo esse inuisere illos, cum auctoritate interminans, ne tales eos offendat, ut sui dissimilis esse cogatur, aut ne sicut epistola sæuire coactus est, ita præsens quoq; sæuire cogatur, quod antehac non fecerit, cum suo iure potuisset. Hæc agit in calce capitis duodecimi, & capite decimotertio. Græcorum inscriptiones testantur hanc epistolam missam è Philippis per Titum & Lucam. Cæterum argumenta, quæ nullo auctore, sed commoda breuitate habentur in latinis codicibus, testantur, per eosdem missam è Troade, nam huius loci meminit capite secundo.

ARGVMENTI FINIS.

IN EPISTOLAM PAULI AD CORIN-

THIOS POSTERIOREM PARAPHRASIS PER

Des. Erasmm Roterodamum

CAPVT I

Benedictus
deus

PAVLVS legatione fungens nomine Christi Iesu ex auctoritate dei patris, simulq; Timotheus frater consortio religionis, collega communionis officij: gregi Christiano qui degit Corinthi, neq; Corinthi solum, uerum etiam omnibus sanctis, qui Christo seruiunt per totam Achaiam, cuius metropolis est Corinthus, precamur uobis gratiam & pacem, concordiamq; largiente domino Iesu Christo, & uiuente patre deo, quem cum illo cōmunem habemus patrem. Verbis bene ominantibus, prædicandus est, ac laudibus uehendus deus, & idem pater domini nostri Iesu Christi, qui fons est & auctor omnis beneficentiæ, ac deus nō formidabilis pijs, sed à quo proficiscitur omnis nostra cōsolatio: qui non cessat refocillare ac subleuare nos apostolos, quicquid undecumq; nobis inciderit afflictionis: idq; facit non nobis

nobis tantum consuletis, ne fracti malis deficiamus, uerum etiā uobis omnibus: qui ut nostris malis pro mutua charitate discruciamini, ita nobis refectis, solatiū & ipsi capitis, nostrorumq; exemplo spe diuinæ refectiois fortiter perduratis in afflictionibus tolerandis, confidentes deum nec uobis afflictis defuturū, quem uidetis nobis oppressis ac penē extinctis presidio fuisse: qui pro modo malorū, quibus premimur, tēperat consolationē suam. Non piget afflictionū, quas ob Christum, et exēplo Christi perpetimur. Is quo grauiora passus est, hoc maiore solatio fruitur. Et nos, quo grauius afflictī sumus huius causā, hoc eodē opulante maiore solatio refecit deus malis exemptos, ut uos in uobis idem speretis, quod in nobis factum cernitis. Proinde siue quid affligimur rebus aduersis, id facit ad animandos uos, uestraq; salutē conducit, ut nostro exēplo cōfirmati, fortiter feratis asperrima quæq; quorū tolerantia, licet amara sit, tamen est salutifera. Siue recreamur depulsa malorū procella, rursus & hoc facit deus, quo nobis subleuatis uestros reficiat animos, ne præ dolore deficiatis, sed uicissitudine malorū ac solatiū possitis & ipsi perpeti, quæ nos perpetimur. Quod quidē ita fore cōfidimus, ut quemadmodū participes estis afflictionū nostrarum, ita sitis & solatiū nostri participes: & quemadmodū nobis diuexatis indoluistis antehac, ita ereptis gratulemini, quādo cōuenit inter amicos bonorū pariter ac malorū esse societatem. Magis autē gratulabimini, si plene cognoueritis, quanto malorū turbine percussi fuerimus in Asia. Nam illic mirum in modū pressi sumus afflictionū pondere, prorsus grauiore, quam pro uiribus nostris. Nam eō uentum erat, ut de uita quoq; desperaremus, nimis impares ferēdis tot tātisq; malis. Tantaq; persecutionū erat uiolētia, ut non solum alij diffiderēt nos posse subsistere, uerum etiā ipse noster animus diffidēs suis uiribus, nihil nisi mortem præ oculis haberet, neq; quicquam præfagiret, nisi supremum exitium. Huc nos deduci passus est deus, ne quid fideremus nostris uiribus, sed ipsius præsidio, quod tum maxime solet esse præsto, cum maxime nos humana præsidia destituunt: qui cū uult, non solum eximit à mortis periculo, uerum etiā extinctos ad uitam reuocat. Quantum ad me pertinebat, iam mortuus, iam extinctus eram, uerum ab hac morte me deus eripuit, & nunc etiam eripit, de quo cōfidimus, quod & in posterū sit erepturus, maxime si uestre preces accesserint, quæ mihi dei fauorem concilient: ut quemadmodum multorum uotis, & in multorū commodum seruamur, ita multifariam per multos agantur gratiæ deo, pro nobis seruatis: quasi beneficium dei, quo mihi contigit incolumem esse, non in unum me qui seruo, sed in omnes quorum bono seruo, collatum uideatur. Alioqui quantum attinet ad me, domi habeo quod me uel in medijs afflictionibus soletur, atq; etiā ad gloriatiōnem usq; erigat exhilaretq;: nimirum hic animus sibi testis ac conscius, quod non, quemadmodum faciunt quidam apud uos, per ostentationem humanæ doctrinæ, quæstum uenantes, sed per simplicitatem ac synceritatem deo dignam uersati sumus in Euangelico negotio, cum in omni Græcia, tum præcipue apud uos: quorū gratia cum tanta perpessi simus, nihil unquam tamen mercedis à uobis uel expectauimus, uel cepimus, ne cui daretur ansa suspicandi, quod ad nostrū quæstū uos captaremus. Hæc non arroganter à me dicuntur, sed uere. Non hæc uane de nobis iactamus, ipsi fecistis periculum: neq; enim nos unquam alijsmodi comperistis, quā quales fuissē nos testamur his literis, quas legitis: nec alios nos facimus in epistola uerbis, quā quales nos apud uos præstitimus factis. Quin etiā spero fore, ut quales nos hæcenus ex parte comperistis, tales semper experturi sitis, ut merito possimus utriq; de alteris gloriari, si ut ego uobis præstiti syncerum apostolum, ita uos tanquam grati docilesq; filij, parentis ac doctoris officijs animoq; respondeatis. Iactent interim alij sese apud homines, qui me uelut hominem reiectum & afflictum aspernātur, Certe cum uenerit dominus, nec ullus erit fuco locus, ibi de uobis gloriabor, quos Christo lucrifecerim: & uos uicissim de me, qui nihil uobis tradiderim, nisi quod Christo dignum esset. Hæc fiducia mei animi sibi bene conscij, simulq; spes de uestro profectu concepta, in causa fuit ut in animo fuerit antehac inuisere uos, quo uos duplici gaudio afficerem: primum ob epistolam, deinde ob præsentiam. Statueram enim, ut in Macēdoniam proficiscens, uos obiter inuiserem, ac rursus è Macedoniā reuersus ad uos me reciperem, id quod proximis literis pollicebar, atq; ita deducētib; uobis proficiscerer in Iudæam. At illud interim ueniet in mentē alicui, cū hæc statuissē in animo, num per inconstantiam mutauerim sententiam, aut humano consilio non præstem, quod præstare uoluerim.

Non enim uolumus uos ignorare

Nam gloria nostra hæc est

luerim, ut cunq; pro re natâ mutatis decretis. Nequaquam, imò cōsulto non obtemperauit cupiditati meæ, quod intelligerē magis esse in rem uestrâ, ut dilato reditu meo castigarentur quidâ, quos impuros uidere nolui. Semper in hoc mei similis & constans, quod ubiq; seruiuo uestris cōmodis, ut hac in parte nusquā uacillem, sed semper præstem, quod uestra suaferit utilitas, semper fugiâ, quod intellexero uobis inutile fore: nō quod in nobis situm arbitrer, ut quicquid decreuerimus expedire, idem præstemus, Sed non fallit deus, cuius præsidio factum est, ut sermo noster, quo uobis illius Euangelii prædicauimus, non uacillarit, sed semper sui similis fuerit. Neq; enim humana uobis prædicauimus, sed rem solidam, efficacem, & immutabilem constanter eodemq; tenore uobis tradidimus, ego, Sylluanus ac Timotheus, uidelicet filium dei Iesum Christum, cuius nomen nō fuit inefficax apud uos, sed potens & efficax fuit: non nostro præsidio, sed ipsius beneficio. Hactenus experti dotes sancti spiritus tenetis arrabonē, nec fallent, quæ in posterum promissa sunt. Etenim quæcūq; sunt promissa, per illum fidelia sunt, & per ipsum indubitata sunt, cui debetur hæc gloria. Neq; enim nostra promissa sunt, quæ uobis proposuimus. Autor est deus, nos tantum ministri sumus ac nuncij. In illius gloriam cedit, si quod illius nomine prædicamus, uerum cōperitur & efficax. Porro quod nos Christum cōstanter prædicauimus, quodq; uos in suscepta Christi religiōe peristatis, dei muneris est: qui quo magis ipsius promissis fideremus, & arcanis dotibus suis unxit nos, ac mentibus nostris sigillū quoddam impressit, quin & spiritum suum indidit cordibus nostris, uelut arrabonem ac pignus in posterum promissæ felicitatis. Itaq; ne quis tribuat inconstantia, quod huc usq; distulerim reditum meum ad uos, deum animi mei testem facio, quod hactenus non ueni Corinthum, haud factū esse odio uestri, sed benigno potius animo, ne si prius uenissem, cogere sæuire in quosdam, qui nondum resipuerant, quos tamen interim emendatum iri confidebam. Malui me uobis aliquanto serius reddere, modo meus aduentus mihi simul ac uobis esset iucundior, quem tristem ac nubilum esse nolebam. Neq; uero hæc minaciter atq; imperosius dicta uideantur, sed emendandi uestri gratia. Non dominamur nisi his, qui peccarunt. Itaq; fidei nomine nullum habemus in uos dominium, in qua perseueratis, sed est in uita, quod in uobis correctum uolebam. A deo uero non comminamur istis, quo nostram in uos auctoritatem ostentemus, ut potius hac uia uestro gaudio consulamus, quod nolebam ob quorundam impuros mores meamq; necessariam seueritatem ullo mœrore contaminari.

CAPVT II

Statui autem
hoc ipsum
apud me



Mo quoniam uos superioribus literis necessario in mœrorem conieceram, damnato incesto, uisum est mihi non committere, ut aduentus quoq; meus nouum mœrorem adferret mihi pariter ac uobis. Optarim uobis semper esse uoluptati, mœrori nunquam, si per uos liceat. At si quando prouocatus admissis quorundam cogor, dum emendo paucos, omnib. mœrorem iniicere, mœrens ipse, quis erit qui me rursus exhilaret, nisi is quē ego mœrore affecero: Id fiet si cōspexero correptionis amaritudine sanatum, uosq; sanato gratulantes, quēadmodum antea mœroris eratis participes. Atq; hac eadem de causa scripsi uobis hanc epistolā, prius quā uenirē, ne si uenero ad uos, dolorē capiā ex his, ex quibus par erat me uoluptatem ac solatium capere: præsertim cum uos sic erga me cōfidam affectos esse, ut siue mœream ob emendationē quorundā, mœror meus sit omnibus uobis mecum cōmunis, siue gaudeam ob castigatos aliquos, gaudium meum sit uobis item omnibus commune. Nihil mihi tristius, quā si uidero in uobis, quæ uestra professione sunt indigna. Nihil lætius, quā si cōspexero nihil esse in uobis, quod uituperari possit. Proinde supra modum percussus tanti flagitij probro, quod inter uos compertum est, has scripsi literas non sine grauī cruciatu animi, & anxietate cordis, nec absq; multis lachrymis, non quo uos contristermini, sed ut intelligatis affectum & amorem meum erga uos, qui quo propensior est atq; uberior in uos, hoc grauius discrucior, si quid turpitudinis in uobis extiterit. Quod si quis mœroris causam dedit, non me tantum cōtristauit, sed aliqua ex parte duntaxat, cum mecum uos omnes cōtristauerit. Verum satis supplicij est isti homini (neq; enim prodonor men, & facinoris non libet meminisse, cuius pœnitet autorem) quod sic palam in conspectu omnium correptus est, ac uitatus ab omnibus. Datū est hoc illi sanando, cæterisq; deterrendis. Nūc superest ne quid à uobis adiiciatur mœroris afflictio, quin potius qui peccantem

cantem horruistis, iidem poenitenti condonate: moerentē cōsolamini, ne quā fiat, ut is immodico dolore absorbeat. Quapropter obsecro uos, quoniam illum charitate, nō odio condemnastis: nec in aliud condemnastis, quā ut resipisceret ac seruaretur, efficite, ut hic quoq; experiatur efficacem in se uestram charitatem, ut alacriter & amanter recipiatis correctum, quem moerentes eiecistis. Nam hoc quoq; fuit in causa, ut hasce literas uobis scriberem, quo uidelicet experirer, an meis iussis in omnibus obtēperetis. Obtēperastis condemnantes, quem condemnari iusseram, Obtemperabitis & in gratiā recipientes, cui uolo uos esse reconciliatos, ut ubiq; nostra uoluntas consentiat. Cui uos condonatis aliquid eidem condono & ego, ratus mihi satis factum, si uobis uidero satis factum. Nam & ipse si quid cui condonauit, uestra causa condonauit, teste & approbante Iesu Christo, ne per desperationem aliquem ē nostris sibi satanas usurpet, nobis ademptū. Nec enim ignoramus illius animum, qui non solum per uoluptates, uerumetiā per moerorem insidiatur nobis, illic ad flagitia pellicēs, hic in desperationis barathrum prācipitans. Ceterū ubi uenissem Troadem prādicaturus filic Euāgelium Iesu Christi, & ostenderetur, fauēte deo, fructus copiosi spes, male discruciatum sum animo, quod ut sperabam, non repperim illic Titum fratrem & collegā meum, cuius auxilio mihi fuisset opus ad sustinendū negocij pōdus. Itaq; dimissis illis abij in Macedoniā, non sine graui periculo: sed gratias ago deo, qui Christia-
ni nominis triumphū semper per nos circumfert, & illustriorem reddit, indies latius corruscante Euangelij gloria, quicq; nusquā locorum non spargit sui noticiā, nostro prāconio, ueluti thymiamatis suaue olentis uice nobis utens. Nam Euāgelij gloriā ubiq; gentiū prādicātes, quid aliud quā Christi spargimus fragrantia, per se quidē gratiam, ac salutarem omnibus, sed multis ipsorum uitio exitiabilem: salutarem his, qui credentes Euangelio salutem consequuntur, mortiferam his, qui reiicientes mortis damnationem sibi conduplicant, pristinis flagitijs, ingritudinis ac pertinaciæ crimen addentes. ad id prāstandum, quotus quisq; est idoneus? Qui hoc uelit fungi munere, nihil aliud spectet oportet, quā Christi gloriam. At sunt qui ad ambitionem aut quæstum docentes Euāgelium, non tam Christi spargunt odores, quā suos fucos, & sibi proficiunt, non Christo: a quorum moribus nos longe abhorremus. Neq; enim nostris cōpendijs seruientes, humana doctrina uitiamus sermonem dei, sed sincero pectore tanquam ex deo, non ex nobis profectum tradimus, idq; deo ipso teste, in gloriam Iesu Christi.

CAPVT III



Sed uereor, ne cui uideamur hæc rursus apud uos iactare, quo uobis simus. Incipimus iterum nosmetipsos commendare. Quid opus commendatione, cum res ipsa commendet hominem? An nobis opus est cōmendaticijs epistolis, quas circumferunt pseudapostoli, uel ab alijs impetratas ad uos, uel a uobis ad alios?

Nihil moramur epistolas huiusmodi. Epistola uiua, qua satis nos commendari putamus, uos estis Corinthij, cordibus nostris inscripta, quo facilius ubique mecum circumfero. Ea passim & intelligitur & legitur ab omnibus hominibus, ut iam alijs epistolis non sit opus, quando per uestram pietatem satis testatum est omnibus, quales fuerimus apostoli: & de uestro in nos animo sic confidimus, ut officio commendati per nos ipsos, non egeamus hominum commendaticijs literis, dum synceritate fidei, uitāq; euangelica declaratis, quod sitis epistola Christi, ab illo quidem scripta, sed nostro ministerio: scripta uero non atramento, quales sunt quas scribunt homines humana docentes, sed scripta spiritu dei uiuentis: neque rursus inscripta tabulis saxeis, quemadmodum inscribuntur leges humanæ, sed tabulis cordis carnis. Animi uestri, quibus euangelicam doctrinam impressimus, nobis membranæ uice fuerunt, lingua calami, sed Christus ipse dictauit per suum spiritum, quod scriberemus. Ceterum quo prāstantior est euangelica doctrina quā lex Mosaica, hoc potior est nostra, quā illius opera. Non hoc tantum facinus arrogamus nobis, sed tamen quod uerū est loquimur, teste deo, qui per Christum nostro ministerio peregit quod dicimus. Alioqui qui nos sumus, ut nostris uiribus uel cogitare quicquam eiusmodi possimus, ne dicam efficere? Sed si quid ualuimus aut ualemus dei beneficio ualuimus ac ualemus: qui ut nobis adest laborantibus, ita munus hoc dispensandi noui testamēti nobis delegauit, ut uobis impartiremus non uetus testamentū, quod apud pseudapostolos crassum est, & in litera sitū, cuius administratio Mosi credita est: sed nouū, quod spirituale est ac cōleste, in affectibus situm, non ceremonijs. Non est diuersus

autor

Vt nō circumueniamur à satana

Incipimus iterum nosmetipsos commendare.

Fiduciam autē talē habemus

autor qui delegauit, sed diuersa functio est, ac longe præstantior apostolica. Nam *lex*, quæ Mosis credita est, præscriptis legibus ad mortem adigit, dum & per occasionem iritat peccandi libidinem, & peccantem capitis supplicio punit. Contra *spiritus*, qui per euangelicam doctrinam confertur, condonatis omnibus superioris uitæ cõmissis, mortem meritis uitæ offert. Quod si lex illa prior, quæ literis insculpta saxo, mortē adferebat prauaricatori, gratiam non cõferebat, tantum maiestatis habuit & gloriæ, ut cum iterum deferret tabulas Moses, Hebræi non possent intueri uultum eius, ob dignitatem ac maiestatem, quæ tamen erat aliquando peritura: cur non potius euangelicæ functioni sua dignitas erit acta maiestas, qua per fidem & spiritus benignitatem æterna salus cõfertur? Si tantus honos fuit legi, quæ damnare potuit, seruare non potuit: longe plus honoris meretur euangelium, per cuius prædicationē non solum aboletur peccatum, uerum etiā iustitia confertur. Quibus in rebus tantum est discriminis, ut si quis propius conferre uelit, quod per se magnificum fuit, nihil omnino dignitatis habere uideatur, uelut obsecratum eminenti gloria dignitatis euangelicæ. Etenim si lex, quæ ad certum modo tēpus data est, mox antiquāda, tantum habuit apud homines dignitatis, multo plus dignitatis habet Euangelica lex, quæ ut omnibus datur, ita nunquam est abroganda. Siquidē nouum testamentum, quo uetus antiquatur, æternum dicitur à Christo, quemadmodum docui superiorēpistola. Huius rei certissima persuasione freti, non utimur inuolucris, sed libere ac palam Euangelij lucem ingerimus, confisi & eā esse gloriā huius legis, ut cæleri non debeat, & uos esse ea firmitate puritatis mentis, ut intueri possitis. Proinde non facimus, quod à Mose factū legitur, qui cum post priores tabulas diffractas secundas inferret, uelo faciem texit, ne in hanc oculos defigeret Israelite, neue illic hærerent perpetuo, cū uel hoc argumēto significaretur eis abolendam illius legis gloriā, quæ ne tum quidē fulgebat insigni gloria, cū ferretur: nam frustra gloriosum est, quod cernere non licet. Hic typus illius populi crassitudinem depingebat, qui uidens nō uidebat, & audiēs non audiebat: ut quod in Mose facie gerebatur, id in illorum mentibus uerissime gereretur, quas uelut hebetudinis uelo obtectas, habebāt excecatas. Quin & hodie manet huic genti uetus illa cæcitas, ut cum legis libros legant, tamen non intelligant: & illum studio legis pertinaciter reiciant, cuius aduentu lex ipsa sese testatur antiquandam. Sic igitur cum legunt uetus testamentum, ut nouum in eo promissum nolint amplecti, nōne manet illis etiamnum uelum illud Mosaicum: nec eo per fidem amoto perspiciunt, quod per Christum antiquatur inuolucrū illius legis? Mosen suum adhuc mordicus tenent, cum uenerit quem Moses audiri iussit. Hunc legunt in synagogis suis, sed crasse legunt, nihil spectantes nisi corporalia, cum lex sit spiritalis, si quis perspicaces adferat oculos. Obstat nimirum illis in hunc usq; diem uelum, quod cordibus illorum opansum est, id tollitur per fidem euangelicam. Verum ubi & illi relicta crassitudine mentis, amplexiq; cōmunem fidem, sese conuerterint ad dominū, tum auferetur uelum, quo cernāt ea, quæ nō cernuntur, nisi purgatissimis oculis fidei. Moses corporalis erat & crassus, at dominus Iesus spiritus est, nō ea docēs quæ corporeis cernantur oculis, sed inuisibilia, quæ per fidē credantur. Mosaica lex, quoniā metu suppliciorū continebat in officio, seruilis erat, & uelum seruitutis est indicium. At ubi spiritus domini Iesu, qui secretos addit stimulos, ut iniussi quoq; feramur ad officia pietatis, ibi libertas est. Nullus ad fidem cōpelli-
tur. At qui uere credidit, ultro uitat turpitudinem, & innocentiam amplectitur, ac longe plus præstat uolens impetu charitatis, quā à Iudæis potuerit extundi poenarum metu. Cæcutiunt igitur illi, qui fidei carent oculis: nos resecta facie, per synceram fidem domini gloriā intuemur, cuius fulgorem dum speculi ritu excipimus, quodāmodo transformamur in eandem imaginē, in alios transfundentes fulgorem à domino acceptū. Quemadmodū olim Mose facies ex colloquio dei, ceu speculum ex obiectu solis reluxit: ita noster animus secretis incrementis indies magis ac magis afficitur, ac proficit à gloria in gloriam, ob familiaritatē dominici spiritus agentis iam nunc inuisibiliter in nobis, quod olim palam perficietur.

CAPVT IIII

Ideo habentes
hanc admini-
strationem



Proinde cum misericordia dei nos tam inclytę felicitatis præcones ac ministros esse uoluerit, delegata functione apostolica, non segniter quod mandatum est, obimus, sed ut uere gloriosam rem prædicamus, ita reiecimus inuolucra, quæ dedecori congruunt, non gloriæ: non per astutię fucos uitam agentis,

neq;

neq; per humanæ doctrinæ uafriem insincere tractantes sermonem dei, sed propalā
 ne libere, citraq; fucum omnem omnibus patefacientes ueritatem nudam, nullo uelata
 nubilo, ita nos gerentes in hoc officio, ut ipsa uita citra humanam commendationem nos
 commendat apud omnes homines, testes & conscios synceritatis nostræ: nec apud homi
 nes modo, qui falli possunt, uerum etiam apud deum, qui nihil nō perspicit. Elucescit itaq;
 per nos Euangelij ueritas, nulli non conspicua. Quod si sint adhuc quibus non patet, &
 ideo non confert salutem, ipsorum uitio fit, non Euangelij, neq; nostro. Siquidem quem
 admodum de Israelitis dictum est, ita hi quoq; uelum habent cordis oculis impositum, ne
 quæ per se clarissima sunt, cernant, ac uelut in medio sole caligent. Nam secum adferunt
 oculos impuros, et mundanis cupiditatib; uitiatos, quibus satanas huius seculi deus (nam
 deum illum sibi faciunt, qui huic magis auscultant, quam deo uero) excæcauit mētes in
 credulorū, obteclis illorum oculis, ne possit illis illucescere lumen ueritatis euāgelicæ, per
 quam declaratur gloria maiestasq; nō Mōsi, sed Christi, qui est imago Dei patris, ut per
 filium æqualem, & patrem liceat cognoscere. Neq; enim iuxta quorundam morem nos
 ipsos prædicamus, ad nostrum quæstum aut gloriam tradentes Euangelium, sed prædi
 camus Iesum Christum dominum nostrum: huius dogmata tradimus, non nostra: huic
 ceti domino laboramus, quicquid laboramus, nobis adeo nihil arrogantes, ut nos fatea
 mur uestros esse seruos, ministrantes uobis in Euāgelio, non metu uestri, aut spe compen
 dij, sed propter Iesum, cuius amore, cum simus liberi, nosmet omnibus ueluti seruos subij
 cimus. Laborauimus & ipsi quondam eadem cæcitate, qua laborant adhuc quidam. Nec
 ipsi nobis lucem hanc peperimus, sed deus, cuius iussu primum cōdita est lux, à quo pro
 fectitur omne lumen, discussis animi nostri tenebris, iussit illic emicare lumen ueritatis
 quin ipse potius, ut est æterna lux, illuxit cordi nostro, quo per nos deinde latius apud o
 mnes elucesceret ipsius maiestas, innotescens per Euangelij prædicationē, quo dominum
 Iesum prædicamus, in cuius facie clarissime refulget imago gloriæ patris. Sed interim
 tanta res in animis duntaxat geritur, cum iuxta corporis speciem abiecti miseriq; uidear
 mur, & thesaurum tam preciosum circumferimus in fictilibus uasculis, hoc est in corpori
 sculis, afflictioni contumeliæq; obnoxij: sic deo uisum est, nec temere uisum est. Nam il
 lud cauit, ne forte beneficij magnitudine ac miraculorum sublimitate, quæ per nos gerun
 tur, elati, nobis aliquid hinc uindicarem, sed cōscij nostræ imbecillitatis, intelligeremus
 eminentem illam potentiam, quæ data est apostolis, non esse nostrarum uirium, sed solius
 dei, dum ipsi quotidie per nostram imbecillitatē malis affligimur, sed dei præsidio in perfe
 rendis malis perduramus inuicti: dum modis omnibus premimur quidem aduersis re
 bus, at non anxij reddimur: redigimur ad egestatem, at non destituimur in egestate: perse
 quutionem patimur, at nō in persequutione deserimur: deijcimus & conculcamur, at sic,
 ut tamē non pereamus, & hac in parte pro uirili dominum Iesum quem prædicamus, imi
 tantes. Is semel mortuus est pro omnibus, nos quotidie mortis periculis expositi, ueluti
 mortem illius in corpore nostro circumferimus, uitam hanc uobis impendētes: ut quem
 admodum morientes pro uobis, Iesu mortem imitamur, ita uita quoque Iesu, qua mor
 tuis reuixit, declaratur nō nostro corpore: siue dum per illum eripimur à morte, siue dum
 contempta corporis uita, palam testamur & asserimus corporum resurrectionem. Neq;
 enim tam uilis esset nobis uita corporis, si crederemus semel extinctum, nunquam esse
 reuicturum. Fit itaq; nouo modo, ut uita Christi immortalis per afflictionem corporis
 nostri mortis obnoxij, uobis fiat testator. Ac mortis quidem impetus in nostrum impin
 git caput, cæterum uitæ fructus, qui nascitur ex morte nostra ad uos redit, quorum gra
 tia nos his malis exponimus. Nec tamen ob id nos poenitet Euangelij, siquidem cum do
 num fidei, qua futuram immortalitatem speratis, quod per nos animis uestris infusum
 est, idem habeamus & ipsi, fit ut quemadmodū Dauid in psalmo mystico testatur, se ideo
 loqui, quia crediderit, ita nos nostra fiducia freti, non dubitemus cum capitis periculo
 prædicare ueritatem Euangelicam, certi nimirum, quod qui suscitauit à morte dominum
 Iesum, nos quoq; pro illo mortuos, per illum suscitaturus sit, simulq; uobiscum exhibi
 turus in communis resurrectionis gloria, quos hic copulat fides communis. Sed siue affli
 gimur interea, siue liberamur ab afflictione, omnia uestra causa fiunt, quo latius apud uos
 spargatur Euangelij ueritas: & quo plures resipiscunt, hoc plures agant gratias, nō nobis,

*Deus huius se
culi*

*Habemus aut
thesaurum*

*Habentes aut
eundē spiritū*

sed deo, ad cuius gloriam pertinet ut fides, quam omnibus communem esse uoluit, quam latissime propagetur. Hac spe, atque hoc animo freti, nullis malis delassamur, imò potius inualescimus, haud ignari, quod licet exterior nostri pars corpus, quotidianis laboribus paulatim conficiatur, tamen animus interior ac melior nostri pars, indies deficiente corpore, uegetior fiat ac ualentior, ueluti malis ipsis repubescens, ac futuram immortalitatem presentiens. Siquidem corporis afflictio, quam Euangelij gratia suscipimus, leuis est ac momentanea, sed hæc leuis afflictio, non leue pondus, imò pondus ineffabile gloriæ parit in nobis, dum ob leuem afflictionem pro Christo susceptam, summa felicitate digni reddimur, & temporaria mors pro Christo obita, parit nobis præmiū immortalitatis æternæ, cuius spe fulti, corporis uitam pro nihilo ducimus, haud spectantes ista, quæ uidetur oculis corporeis, sed ea quæ non uidentur nisi oculis fidei. Nam quæ hic cernuntur, præterquod quod nec uera sunt bona, nec uera sunt mala: quod genus sunt lucrū, honos, uoluptas, uita, damnum, ignominia, cruciatus, mors: ne diuturna quidem sunt, cum ea quæ cernuntur oculis fidei, sint ut uera, ita & æterna.

CAPUT V

Scimus enim
quoniam si.



Ac nimirum fiducia, uitam quoque uilem habemus, certo scientes, quod etiam si contingat in terris animam excuti ex huius corpusculi domicilio (quod etiam bernaculum dixerim uerius, quæ domicilium, ut in quo non liceat commorari diutius, quam uis absit qui exigat) paratam esse domū aliam in cælis, unde nunquam sumus eiciendi. Hæc domus quoniam lutea est, & ab homine condita, uelimus, nolimus, indies collabitur, ut nemo demoliat: non aliter atque cernimus ædificia, quæ manibus hominū construuntur, uetustate corrumpi. Quod ab hominibus conditum est, non potest esse diuturnum: quod à deo restitutum est, iamque cæleste factum, non sentit temporis iniuriam. Nam ex hoc corpusculo adeo non horremus emigrare, ut hic interim suspiremus, optantes exonerari sarcina mortalis corporis, quo grauatur in terris animus alio gestiēs euolare, & glorificati corporis domicilio regi, quod nobis reddetur e cælo commutatum: si tamen hoc exuti corpore, non omnino nudi reperiamur, sed ex bonæ uitæ fiducia, spe immortalitatis amicti. Siquidem interim ingemiscimus, hoc onerati corpore, tot malis obnoxio, non quod per se felix sit hinc emigrare, sed quod optemus hoc corpus in melius restitui, proque mortalitate dari immortalitatem per resurrectionem, ut non expoliati corpore quod ad tempus posuimus, sed melius uestiti uideamur eodem, quod pro caduco recipiemus æternū. Nec est quod diffidamus, qualibet incredibile uidetur, ut pro

Qui autem efficit
nos in hoc
ipsum

mortali corpore resurgat immortale, nullis obnoxio iniurijs. Deus est qui nos in hoc ipsum parauit, ut immortalitatis gloria fruamur, atque idem interim pignoris & arrabonis uice, spiritum suum nobis impartit, qui spem futuri presentis confirmet afflatu. Ita quicquid inciderit tempestatum, semper animo fidenti sumus, non ignari, quod quam diu domi sumus in hoc corporis habitaculo, peregrinamur ac diuulsi sumus à deo, cui nos propius iungit exitus, non quod interim deus non adsit nobis, sed quod nondum clare cernatur, quædam modum tunc conspicitur. Nam interea conspicitur utcumque per fidem, sed uelut è longinquo: tunc cominus, ut est uidebitur, non per inuolucrum. Confidimus igitur, etiam si uelit nos deus in corpore diutius affligi, facile feremus spe futuri præmijs, quicquid obtigerit: sed tamen optabilius nobis est, si contingat ex hoc domicilio demigrare, ut diuulsi à corpore, deo cominus iungamur. Quapropter enitumur, ut siue cogamur perdurare in hoc domicilio, siue quod optamus, contingat emigrare, hoc est siue uiuentes, siue morientes, deo probemur. Neque enim sperare potest immortalitatis præmiū, nisi qui deo gratus hinc decesserit, ne quis existimet ad id sibi sufficere baptismum absque pijs factis. Siquidem impii suo malo recipiunt corpora, quibus hic non ad gloriā dei, sed ad suas cupiditates sunt abusi. Pro meritis uitæ continget cuique suum præmiū. Ea nondum in propatulo sunt, sed tamē oportebit nos omnes palam sisti ad tribunal Christi, ubi nihil erit opertum, quo quisque messem metat, prout sementem fecit in corpore, & recepto corpore tale ferat præmiū, qualia erant, quæ gessit in corpore, siue bona, siue mala. Itaque semper horrendum illum diem præ oculis habentes, damus operam, ut undique placeamus et hominibus & deo. Ut enim hominibus imponamus falsa specie pietatis, deo tamen conspicui sumus, qui mentium intima perspicit, homines non item. Quanquam confido me sic egisse uobiscum, ut sinceritatem nostrā apud uos cognitā ac perspectā habeatis. Nā hæc gloria cōtenti sumus.

Omnes enim
manifestari
oportet

Non

Non enim rursus ob id efferimus officium nostrum, quo pluris fiamus à uobis, aut com-
 modi quicquam à uobis uenemur: sed quoniam alios uideo gloriantes, quod ab eximij
 apostolis sint instituti, damus uobis occasionem, ut de nobis item uobis gratulari possi-
 tis aduersus eos, qui uos hoc nomine derijciunt, quod apostolum abiectum & humilem
 nacti sitis: qui licet non uiderimus dominum in mortali corpore, sicut uiderunt alij, ta-
 men immortalem uidimus, & ab hoc munus apostolicum accepimus, quemadmodum
 ceteri, nec minus præstitimus huius auxilio, quam ceteri. Hæc uestra causa commemo-
 ro, quo sit quod respondeatis, qui non contenti conscientia recte factorum, ex fastu ac su-
 percilio gloriam humanam captant, cum animus sibi male sit conscius. Nihil nostra cau-
 sa loquimur: siue magna de nobis ipsis prædicantes, uidemur insanire, deo insanimus, ad
 cuius gloriam prædicamus, quæ per illum gessimus: siue mediocria de nobis loquentes,
 sani uidemur, uobis sani sumus, ad quorum imbecillitatem sermonem nostrum attempe-
 ramus. Non per iactantiam æquamus nos ceteris apostolis, sed Christi charitas nos com-
 pellit, ut palam eloquamur, quod ad illius gloriam facit. Nam in illius laudem cedit, non no-
 stram, si quid egregie per nos quidem gestum est, sed illius munere, quo magis testatū sit
 omnibus, mortem illius non infrugiferam fuisse, cum omnibus ex æquo pro sit, ut per nos
 etiam uitam suam exerat, non solum per eos, qui Christum in corpore uiderunt, aut quibus
 est cum illo carnalis affinitas. Quin illud magis apud nos perpendimus, quod si Christus
 unus pro omnibus ex æquo mortuus est, omnes æque morti fuerint obnoxij necessum
 est, quos sua morte uoluit à morte redimere. Atque ideo mortuus est pro omnibus, ut om-
 nes ex æquo sibi haberet astrictos, utq; qui illius beneficio uiuunt per illum renati, nō am-
 plius sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, ac pro ipsis reuixit. Ex hisce rebus æsti-
 mandū sumus, non ex carnis propinquitate. Quin & ipsi, licet de genere Israelitico gloria-
 ri possimus, tamē posteaquam Christo sumus initiati, neminem nouimus secundum car-
 nem. Hos cognatos ducimus, qui fidei consortio nobis copulantur. Frustra igitur glorian-
 tur quidam, quod gentem habent cum Christo communem, quod illi sanguinis propin-
 quitate iuncti sunt, quod cum eo corporalem habuerint consuetudinem. Caro ad tempus
 exhibita est. Nunc sublato corpore, ac misso spiritu, iuxta spiritū uult agnosci, eumq; sibi
 proximo gradu cognatum ducit, qui maxime fidei ipsius promissis. Nec est quod nos po-
 stēiores apostolos quāquam hoc nomine minoris faciat, quod Christum mortali corpo-
 re in terris uersantem non nouimus. quando etiam si contigisset nouisse, nunc eam noti-
 tiam quæ obstabat spiritui deposuissēmus, & spiritualem factum, spiritualiter amaremus.
 Proinde quisquis per baptismum insitus est Christo, ponat ueteres affectus, non cogitet,
 hic Iudæus est, ille Græcus, hic seruus, ille liber, sed meminerit unūquēq; renatum in no-
 uum hominem, iam ē carnali factum spiritualem. Vetera præterierunt, & ecce per Chri-
 stum repente innouata sunt omnia. Absint igitur illæ uoces hominum, hic Græcus est,
 hic Barbarus, hic Iudæus, hic modo cultor simulacrorum, hic sacrilegus. Desijt esse quod
 erat, & Christi opificio uersus est in nouam creaturam tam sui dissimilis, ut nulla bestia sit
 homini magis dissimilis. Sed quicquid nobis per hunc collatum est, id à patre profectum
 est, qui nos sibi reconciliauit, deuicto peccato, per filium suum Iesum Christum: atq; huius
 reconciliationis prædicationem nobis idem commisit pater, ut quemadmodum filius pro
 patre legatione functus est apud homines, ita nos pro Christo legatione fungamur. Si
 quidem cum Christus uersaretur inter mortales mortalis, licet homo simplex uideretur,
 tamen deus pater erat in illo, per eius ministerium sibi mundum reconcilians, & per eum
 instaurans in nouitatem, per quem olim condiderat mundum: tantaq; clementia recepit
 homines in gratiam, ut non solum non ulcisceretur uitæ prioris admissa, sed ne imputa-
 ret quidem cuiquam, quod ante baptismum gessisset, perinde quasi iam nō esset idem ho-
 mo, qui prius. Hanc reconciliationis gratiam per filium conferre uoluit, per nos prædica-
 ri. Hæc igitur ab eo commissæ legatione fungentes uice Christi, tanquam deo uos exhor-
 tante per nos, obsecramus nomine Christi, ut omissis pristinis uitij reconciliemini deo.
 Nam is ut semel nos à peccatis eximeret, filium suum, cum sit ipsa iustitia, quodam modo
 uerit in peccatū, ut carne, quæ in nobis peccato est obnoxia, tinctus, fieret hostia pro no-
 stris sceleribus expiandis, quasi facinorosus inter facinorosos, cruci affixus, quo nos, qui
 nihil aliud quàm peccatum eramus, per illum commutaret in iustitiam, nō nostram, neq;

Quoniam si
 unus pro om-
 nibus mor-
 tuus est

Omnia autem
 ex deo

legis, sed dei, cuius clementia condonata sunt admitta, ut posthac nos infitos Christo pro iustis haberet, qui illum pro nobis habuit pro peccatore.

CAPVT VI

*Adiuuantes
autem exhortamur*



Esai. 49

Vpiter hoc Christus, cupit hoc deus, ut ipsius beneficium sit in uobis efficax. Proinde nostra opera simul & dei uoluntatem exequentes, & uestrae salutis consulentes obtestamur uos, ne committatis, ut semel gratis à peccatis exempti, in pristina uitam relabētes, in uanum receperitis gratiam dei. Nunc licet sarcire, si quid labimur, at idem nō semper licebit. Sic enim loquitur deus apud Esaiam prophetam: In tempore acceptabili exaudiui te, & in die salutis succurri tibi. En adest nunc tempus illud à deo promissum, placabile, quo deus non auersatur peccatorem ex animo resipiscētem: en adest dies ille, quo pie uiuendo salutē assequi liceat. Sequetur formidabilis ille dies, quo frustra queretur recōciliatio. Nos igitur studētes in hac parte nostro fungi officio, damus operam, ne qua in re cuiquā simus offendiculo, ne nostro uitio uituperetur Euangelium Christi, cuius ministri sumus. Vituperaretur autē si sic uiueremus, ut quod alios docemus, ipsi non credere uideremur: sed modis omnibus ipsa re nos ipsos cōmendamus, ut dīgnum est ijs, qui dei gerunt negociū, non suum. Quibus autē argumentis nos cōmendamus: non fastu, non opibus, non quāstu, non præscribendis ceremonijs, ut faciunt quidam, sed iisdem rebus, quibus se commēdauit Christus, nimirum multa patientia, quotidianis afflictionibus, necessitatibus, anxietatibus, plagis ferēdis, caecis, tolerandis seditionibus, ieiunijs, puritate uitae, uere apostolica scientia, mansuetudine, suauitate, spiritu sancto, charitate sincera minimeque fucata, sermone ueraci, nihil non audentes, haud quidem præsidijs humanis, sed potentia dei: non instructi armis & opibus mundi, sed hinc atque hinc septi armis iustitiae: à dextris, ut recta conscientia fultos non efferant res secundae: à sinistris ne consternent aduersae. Hac freti, per omnia penetramus ad peragendum Euangelij negocium, per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes: pro impostoribus habiti, cum simus ueraces: pro ignotis habiti, cum simus notati: similes morientibus, cum ecce uiuamus: quasi correpti, cum non occidamur: quasi dolentes, cum semper gaudeamus: quasi pauperes, cum multos locupletemus: quasi nihil habentes, cum per Christū omnia possideamus, pluseque suppediter charitas, quam patrimonium, si nostro iure uelimus uti. Sed quo me rapit sermonis calor? Non mihi tempero, quin effundam quicquid est in animo. Os nostrum apertum est erga uos o Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Tantum fiduciae concepī de uobis, sic audeo de uobis gloriari. Non me poenitet sortis meae, ne uos poeniteat uestra. Si uos meo uoletis animo respondere, est cur de uobis glorier, est cur uobis ipsis de me gratulemini, non est quod mea causa sitis angustia animi. Si quid angustiae mentis in uobis est, ex uestris affectibus nascitur. Ego uestra salutis gratia nihil non tum facio, tum patior, uos non perinde respōdetis amorī meo. Ego spe resurrectionis & amore uestri nihil non fero infra pectore: uos cum idem maneat praeium, quum hactenus paterna charitate uos sim complexus (non hac exprobro uelut hostibus, sed ut apud filios charissimos commemoro) par est ut animi magnitudine patri respondeatis. Audete contemnere frigidas Iudaeorum ceremonias. Audete contemnere mundum hūc, audete fidere bonis uestris. Angusti animi est, rebus praesentibus esse contentum. Angusti pectoris est, nihil ambire, praeter mox perituras bonorum umbras. Christus uobis abunde diues est, abunde gloriosus, abunde potens, abunde felix, is unus uobis sufficiat, hunc amplectamini toto pectore. Agnoscite magnitudinē uestram, agnoscite felicitatē, uosque maiores ducite, quā ut cum incredulis habeatis cōmerciū. Plus est inter uos discriminis, quā ut eodem iugo copulari possitis. Nam quod omnino confortium iustitiae cū iniustitiis: aut quae cōmunio luci cum tenebris: aut quae cōcordia Christo cum Belial? Diuersa numina, diuersa religio, diuersi mores, diuersa spes. Quid conuenit templo dei cum profanis simulachris? Nam uos estis templum dei uiuentis, quā admodum in mysticis literis ipse testatur deus: Inhabitabo in illis, & in illis inambulabo, & ero illorum deus, & ipsi uicissim erunt populus mihi dicatus, ac peculiaris. Quapropter filii dei horrent ethnicum, uelut impurum ac profanū, atque eius fugitant contagium, uos qui deo uiuo uere consecrati estis, exite de medio profanorum, segregate uos ab illorum cōmercio, quemadmodum per Esaiam hortatur dominus: Cum sancti, inquit, sitis, quod potest

*Non angustia
mini in uobis*

Leuit. 25

Esai. 52

lutum

tutum est ne tetigeritis. Impij mores uere polluti sunt, & periculosum habent contagium, quorum cōmercio cauete ne uestra puritas inquinetur. Nō in loco, sed in affectibus est fuga quam sua deo. Quod si feceritis, tum uos agnoscam, ac recipiā sanctius sanctos, tum me patrem sentietis, ego uos ut filios amplectar: Dicit hoc dominus omnipotēs: ne quid diffidatis auctori promissorum.

CAPVT VII



Proinde charissimi, freti promissis huiusmodi dei, demus operā, ut promissis digni uideamur. Purgemus nos ipsos ab omni spurcitie, non corporis solum, uerum etiam animi, quo simul & apud homines innocenter uiuamus, & deo bonam mentem approbemus, plenam ac perfectam sanctimoniam nobis paremus in aduentum Christi, continente nos interim in officio non

Has ergo habentes promiss.

hypocrisis sed timore dei, qui pro suis cuique facit præmium reponet. Ego totos uos, toto complector animo, tāta est amplitudo charitatis erga uos. Vos uicissim me in uestros animos, ut sumus, recipite, quandoquidē alios recipitis, qui cum minus uos diligant, tamen onerant uos sumptibus ac fastu, grauant uos ceremonijs. Nos neminē læsimus, neminem adulterina doctrina corrumimus, a nemine quicquā extorsimus. Nō hæc loquor, quo uos damnam ac reiiciam, sed quo reddam meliores. Siquidem ex superiore sermone meo satis perspicuum est, quod toto pectore uos cōplector, & indiuisa charitate prosequor, paratus & cōmori uobis, & conuiuere. Nihil nō audeo apud uos, tanta est de uobis fiducia: est quod uehemēter glorier de uobis, quos per omnia morigeros reperi. Nō dubitauī libere corripere delinquentes, sed ubi uos emendatos uideo, tanto expletus sum solatio, tam exuberanti gaudio perfusus sum, ut in omnibus meis afflictionibus absterferit animi molestiā, dum uolupte etiā est, pro talibus pati, nam alioqui uarijs malorū procellis faciati sumus. Etenim cum uenissemus in Macedoniam, nulla data est relaxatio a laboribus corpori nostro, sed undique premebamur. Foris bellum mouebant hostes Euangelij: Intus periculum discruciat, ne quos subuerteret astutia pseudapostolorum. Ab illis cædebamur, his interim metuebamur, ne nostris malis consternati diffiderent. Sed deus qui refecit humiles & afflictos, refecit ac refocillauit nos per aduentū Titi, non solum quod aduenerit, quem maxime cupiebamus nobis adesse, uerum etiam quod lætus & alacris a uobis redierit. Eam uoluptatem a uobis haustam in me refudit, cum mihi referret, quantū uos haberet desiderium mei, cum exponeret mihi lachrymas uestras, mœrentium quod offensus nondū uenissem, cum narraret, quo studio mea iussa exequeremini, adeo ut his cognitis per Titū, plus ceperim uoluptatis ex obsequio uestro, uestri correctione, quam mœroris ex commissis ceperam. Inuitus contristo uos, uerum quando bene cessit, non me pœnitet, quod superioribus literis uos ad mœrorem adegerim, etiamsi quid antea pœnituit. Siquidē tristis illa mihi pariter ac uobis epistola, quanquam uos ad tempus mœrore affecit, tamen nunc mihi uoluptati est, non quod per nos sitis affecti mœrore, sed quod hic mœror uos adduxerit ad pœnitentiam. Habet hic mundus suum mœrorem, sed noxium & infrugiferum, cum homines ob iacturam pecuniarum, aut uoluptatum amissionem, aut ob iram, aut inuidiam animo discruciantur. Habet & pietas suum mœrorem, sed frugiferū ac salutarem, quo sic estis affecti, ut bonæ mentis lucrum feceritis, tantum abest, ut ullum ex mœrore sentieritis detrimentum. Nam qui hoc mœret, quod deum offenderit, correctæ mētis præbet argumentum, atque ita dolor adducit ad pœnitentiam, ut non sinat hominem in pristina commissā relabi. Contra mœror, qui ex mundanis cupiditatibus nascitur, exitium adfert, noxius corpori pariter atque animo. An non hoc ipsa declarat res? Siquidem hic ipse mœror, quo secundum deum fuistis affecti, quantum in uobis studium excitauit? Quid dico studium, imò satisfactionem, qua uos apud me purgastis, testati uobis non probari turpe commissum, imò indignationem, qua sic sauiistis in flagitiosum, ut mihi fueritis ad lenitatem ac moderationem reuocandi, imò timorem quasi periculum unius esset omnium commune, imò desiderium ilico corrigendi quod erat admissum, imò zelum & ardorem imitandi nos in profliganda turpitudine, imò uindictam denique, quod ilico pœnas dederit, qui peccarat. Nam modis omnibus declarastis uos esse puros, & immunes in hoc negotio. Proinde tametsi scripsi uobis super hac re, tanquam ad omnes pertineret, non scripsi tantum eius gratia, qui peccatū commiserat, aut eius in quem admissum erat: sed ob id potius, quo uobis esset perspicuū, quanta me teneat cura uestri, teste deo, qui tantopere fuer

ut in nullo de trimentū pat.

rim sollicitus, ne serperet inter uos ista mali lues, & unius aut alterius peccatum torum corpus contaminaret: ac uicissim innotesceret, quo studio sitis erga me, cuius uoluntati tam alacribus animis parueritis. Ea res cum uobis cesserit in solatium, ut qui gaudeatis esse correctos, quos oportuit, gaudeo & ipse ob gaudium uestrum: sed hanc nobis uoluptatem auxit gaudium Titi, qui me commendante sic acceptus est apud uos, ut ab omnibus re-creatus sit illius animus, cum uideret auctoritatem meam tantum habere ponderis apud uos. Vnde fit, ut si quid apud illum gloriatus sum de probitate uestra, deq; obediētia, non fuerim pudefactus. Nam huic periculo sese exponit, qui commendat aliquem. Illum uobis, uos illi commendaram. Vtrunq; bene cessit, nam ut uos Titum comperistis per omnia qualem uobis eum predicaram, ita quæcunq; de uobis iactaram apud illum, uera comperit ille. Itaq; nec apud uos, nec apud hunc, pudet me uanitatis. Is cum & antehac diligere- ret uos, tamen nunc expertus officium uestrum, ex intimis uisceribus uehementius etiam erga uos affectus est, dum reputat ac recolit suo cum animo, quanta cū alacritate uos om- nes parueritis uoluntati nostræ, quam ille detulit, quantaq; cum reuerentia ac timore ue- nientē exceperitis. Gaudeo sanē uos mihi compertos tales, ut nihil sit, in quo non debeam posthac de uobis confidere. Neq; quicquam in posterum uerebor à uobis exigere.

CAPVT VIII

Notum autem
facimus uobis



Et non sicut
sperauimus

Charitatis in
geniū bonum

gitur ut hac quoque parte respondeatis & animo nostro, & reliquarum ec-
clesiarum pietati, certiores uos facio, quemadmodum adfuerit mihi deus in
ecclesijs Macedoniæ. Nam promptis ac propensis animis receperunt Euange-
lium, & adeo non sunt defecti meis, Silæq; afflictionibus, ipsi nobiscum affli-
cti, ut fiducia Euangelij cum ingenti gaudio pertulerint omnia. Deniq; hoc uberius ga-
uisi sunt nobis ereptis, quo grauiora passi sumus. Hi cum sint tenues, extremæq; pauper-
tatis, tamen erat tanta animorum promptitudo, ut ex inanibus etiam scrinijs, quicquid
supererat, depromerent in subsidia pauperum. Vnde factum est, ut quo pauperiores red-
derentur & exhaustiores pia benignitate, hoc magis ac magis ditescerēt promptissimi pe-
cloris candore ac simplicitate. Siquidem adeo non comperimus eos difficiles ad hanc lar-
gitionem, ut uere testis illis esse possim, quod non solum pro uiribus, uerumetiam supra
uires conferre uoluerint, animo superate facultates: adeo ut cum nos ueriti, ne post immo-
dicam liberalitatem, egestas suaderet illis poenitudinē, recusaremus accipere, quod ultro
offerebant, multa cum obtestatione rogarint nos, sineremus & ipsos in huius laudis ueni-
re consortium, ut de facultatibus suis nonnihil impartientes sanctorum inopia, uicissim il-
lorum pietatis fierent participes, non solum respondentes expectationi nostræ, uerumetiam
spem omnem uincentes, qui non tantum obtulerint sua, uerumetiam semetipsos ultro dede-
rint, Primum deo, deinde nobis quoq; deo uolente, cuius afflatu mouebantur, ut nobis
tam alacriter obtemperarēt. Quorum animus adeo me delectauit, ut hortaremur Titum,
ut quemadmodum ipsius hortatu cœpissetis hanc in sanctos munificētiam, ita quod cœr-
ptum esset in uobis consummaret, quo magis etiam illi sitis deuincti, per quē hanc quoq;
pietatis laudem fueritis cōsequuti, ne quid hac in parte sitis inferiores cæteris. Imò quem-
admodum in cæteris dotibus excellitis, dono fidei, dono linguarum, dono scientiæ, dono
diligentiæ in administrando, dono charitatis, quam erga nos declarastis, ita hac etiam in
dote sitis eximij: non quod id exigam à uobis, sed ideo Macedonum promptitudinē com-
memoro, quo uos illorum exemplo prouocati, ultro declaretis charitatis uestræ synceri-
tatem, hac quoq; parte dominum Iesum Christum pro uiribus æmulantes: qui cum esset
diues, & omnium dominus, tamen quo nobis prodesset, ultro pauperem se fecit, homo-
factus dissimulata potentia, quo uos illius paupertate ditesceretis, ueluti permutatione
rerum facta, qua humanitatis nostræ paupertate in se recepta, diuinitatis suæ diuitias nobis
impartiret. Itaq; quemadmodū superioribus literis cœlibatum à uobis non exegi, sed
uestris consulens cōmodis suasi: ita & in hac re cōsulo, nō impero, & ob id cōsulo, quod
existimem in uestrum compendium cessurum, præsertim, cum quod nūc suadeo, uos ipsi
citra meum suatum, non solum facere, uerumetiam ultro uelle cœperitis. Nunc igitur su-
perest, ut quod ultro cœpistis facere, perficiatis: ut quemadmodum iam pridem animum
istum sponte suscepistis, ita Macedonum exemplo perficiatis, non supra uires, quod ab
illis factum est, sed pro facultate cuiusq;. Non est acceptum beneficium, quod conferunt
ab

ab invito. Caterum cum ultro suppetit animi promptitudo, satis est, si iuxta modum facultatū temperetur largitio. Nec enim exigitur ut dones quod non habes. Neque uero sic est exercenda benignitas, ut quibus donatur, suauiter & in ocio uiuāt, qui donāt ad inopiā redigantur. Verum ut æquabilis quædam fiat inter uos commutatio, uidelicet, ut inter rim ex opibus, quibus uos abundatis, succurratur illorum egestati, ac uicissim illorum si des ac pietas, qua superant illi, penset, si quid est in uobis diminutum, itaq; fiat, ut utrisq; communicantibus alteris, neutris desit aliquid, sed sit æquabilitas. Quemadmodum legimus olim accidisse maioribus nostris in colligendo Manna, ut cui multū esset collectum, apud hunc tamē nihilo plus superesset, quā apud eum qui paulum collegisset. Sic enim scriptum est in Exodi libro: Qui multum habebat, huic nihil superfuit: & qui paululum habebat, huic nihil defuit. Pro tempore possidentur ista, ut his uelut in diem uiuamus. Ne quis subductis in longum rationibus æstimer, quid sibi supersit. Alioqui futurum est ut nemo sibi putet superesse quod cuiquam impartiat. Huic interim deest, tibi superest. Quod superest, impartiendū pro præsentī necessitate. Si quid euenerit, ut tibi quoq; desit impoterum, simili benignitatis uicissitudine subleuaberis. Porro gratiam habeo deo, cuius ius instinctu res hæc Tito quoq; sit cordi, perinde atq; mihi, qui cum esset sua sponte pro pensus, facile accepit exhortationem nostram, imò non meo hortatu, sed suapte uoluntate ad uos uenit, licet meis hortatibus alacrior. Misimus autē cum hoc fratre illū, cuius fides & integritas per omnes ecclesias in Euāgelij negocio spectata est, & adeo spectata est, ut ab ecclesijs delectus sit comes & collega peregrinationis nostræ, quo nobis sit adiutor in colligēda pecunia, quā uestra largitur benignitas, ad ipsius domini gloriā, cuius instinctu res agitur, ad declarandam omnibus animi uestri promptitudinē. Refert autem, integros spectatq; probitatis uiros ad hoc adhiberi negocium, ne qua suspicio suboriatur infirmis, neue tantam pecuniarum uim quam ultro uestra benignitas donat, non alijs mor do, sed nobis quoque colligere uideamur, cum hinc præter officium colligendi ac perfe rendi studium, nihil nobis uindicemus. Neque enim fugit nos, uulgo maxime obnoxiam esse suspicioni rapacitatis pecuniā, præsertim ingentem, nec ulla re citius corrumpi mentes hominum. Addidimus his duobus uobis spectatissimis, & tertium, fratrem quendam nostrum, quem tamen si uobis non perinde cognitus est, tamen ipsi sæpenumero sumus in multis experti diligentem ac fidum, sed in hoc negocio, quā in cæteris diligentiorē, ut planē confidam uos non dubituros, his pecuniam etiam quantamlibet credere: siue Titum spectetis, qui collega meus est, quiq; particeps est laborum meorum, quos uestra causa suscipio: siue cæteros huic adiunctos, qui præterquam quod fratres nostri sunt, sus fragijs ecclesiarum in hoc munus delecti sunt, per quos sic illustratum est Euāgelium, ut merito non apostoli solum, sed & gloria Christi dici possint. Cum his igitur sic ageris, ut nunc potissimum declareris, quanta charitate nos prosequamini, quāq; non sine causa de uobis apud illos gloriati simus. Porro quod officij contuleritis in hos, in omnes ecclesias contuleritis, quorum nomine ueniunt legati.

Exod. 16

Gratiis autē
ago deo

CAP. IX



Ihil enim est opus, ut in eo sumā operam, quo uos extimulem scriptis meis, ad munificentiam collocandam in sanctos, cum mihi sit adeo cognita per spectaq; animi uestri promptitudo, ut non dubitem hanc iactare uel apud Macedones, in tantum, ut uestro exemplo plerisq; prouocatis, non Corinthus modo, uerum omnis ferme Achaia ad eandem munificentiam prompta sit ac propensa. Quanquam autem perspectum haberemus animum uestrum, tamen hos fratres nostros præmittere uisum est, ne qua forte fiat, ut uane de uobis uidear apud alios gloriatus, hac quidem in parte, nam hætenus in cæteris meæ de uobis prædicationi respondistis. In hoc autem præmisimus, ut quemadmodum ante scripsimus uobis, mature colligatur pecunia, & in promptu sit quod uisum fuerit donare: ne quo pacto fiat, ut si mecum uenerint Macedones, apud quos de uobis gloriatus sum, uosq; reppererint im paratos, nos erubescamus, tanquam uanē de uobis gloriati: ut ne dicam, ne uos erubescatis, qui hac in parte fueritis uestri dissimiles, cum in cæteris dotibus excellatis. Hac de causa uisum est operæ precium rogare fratres hos, ut priusquam uideam, istuc irent, preparaturi iam ante destinātā ac promissā a uobis contributionē, quo magis sit in promptu quam

Nam de mini
sterio quod
fit in sanctos

Hoc autē dico
qui parce se/
min.

Psal. III

quam Græce loquentes, non abs re uocamus *εὐλογία*, id est benedictionē, quod non gr̃uate, neq; cum murmure & dandum sit beneficium, & accipiendum, sed uerbis bene omñantibus: alioqui uidebitur extorsio, non collatio. Sponte tribuat qui uelit, & quantum quisq; uelit. Tantum illud admonemus, quo quisq; largius cōtulit, hoc est copiosius pr̃m̃ium reportaturus. Qui parce facit semētem, parce item messurus est, & qui seminat alacriter beneq; ominans, pari modo messurus est quod seminauit, nō uelut ex iussu nostro, sed prout quisq; sponte destinauit in animo suo. Largius enim ac libentius dat qui sponte dat. Malignius donat, qui cum mœrore ueluti coactus donat. Atqui hilarem datorē amat deus. Siquidem apud illum nō fungitur officio suo, qui coactus suo fungitur officio. Nec est quod metuatis, ne uobis beneficium istud pereat. Siquidem deus, qui quicquid ipsius amore confertur in sanctos, sibi patitur imputari, abunde potens est efficere, ut etiam si nihil ab hominibus ad uos redeat gratiæ, tamen cum fœnore uestrum ad uos redeat beneficium, si dederit, ut uobis & semper suppetat pecunia, quantum ad usum uitæ satis est, & insuper exuberetis ac ditescatis omnibus pietatis officijs. Siquidem bona pietatis ac iustitiæ pars est, munificentia, qua sanctorum inopiæ subuenitur. Quemadmodum testatur et psalmographus: Dispersit, dedit pauperibus, & ob hoc iustitia eius manet in seculum seculi. Comprecor autem, ut is qui suggerit semen facienti sementem, & panem in cibum suppeditat, quicq; sortem largitus est, unde nunc succurritis inopiæ sanctorum, semper sufficiat facultates uestras, quo subinde possitis illis succurrere, atque ita multiplicet seminem uestram, simulq; augeat prouentum uestre iustitiæ, ut in omni uirtutum genere locupletemini, semperq; proficiatis in omnem animi simplicitatem, atq; candorem, & indies uiliores habeatis pecunias, quæ dum erogantur non in quolibet, sed in sanctos, sit ut uestra liberalitas redundet in gloriam dei, dum uestra munificētia refecti p̃j, per nos gratias agunt deo, ut mihi quoq; non nihil hinc pr̃mij uindicem, qui negocium procuro. Siquidem huius ministerij functione nō hoc solum assequimur, quod uestra largitate refocillatur egestas hominū p̃iorū, uerum etiā quo copiosior est uestra beneficētia, hoc à pluribus aguntur gratiæ deo, qui pietatem uestrā experti, pro ista benignitate uestra laudibus efferrunt deum: quod intelligant uos tanto consensu obedire monitis Euangelicis, quibus obtemperantes, libenter & alacriter impartimini facultates uestras, non his solum, quorum negocium agimus in præsentia, uerum omnibus cæteris. Siquidem ubiq; subueniendum est egentibus. Fit deniq; ut in suis precibus, quas grati deo pro uobis offerunt, optent uidere uos, ut quorum eximia liberalitate reficiūtur, eorum eximiam pietatem coram aspiciant, quam uobis à deo collatā, ex muneris magnitudine perspiciūt. Sed in primis habendæ sunt gratiæ deo, de hoc munere inenarrabili, quo & uobis istam mentē inspirat, ut donetis, & illis, ut uestris beneficijs non ad ocium aut luxum, sed ad laudandum deum prouocentur.

CAPVT X

Ipsē autem
ego Paulus



Erum ut his om̃ssis, ad alia ueniamus, obtestor uos, non qui uis apostolus, sed ille ipse uobis abunde spectatus Paulus, qui uestræ salutis causa tantum malorū & passus sum & patior: obtestor autē per lenitatē ac humanitatē benignitatemq; Iesu Christi, ad cuius exemplū ipse memet apud uos deiciō, sic me gerens iuxta speciē, quasi sim humilis quispiā & abiectus, non pr̃me ferens dignitatem & auctoritatem apostolicam, quam pseudapostoli putant in fastum sitam, & tamen (ut isti calumniantur) cum absūm, audacibus ac sæuis epistolis uos terro, uestra fretus obedientia: Sic componite uitam uestram, ne cum uenero cogar uti rursus eadem confidentia, qua uideor usus in quosdam pseudapostolos, qui me è suo metentes animo, iudicant iuxta carnales affectus uersari uobiscū, quasi præsens uobis blandiar, seu captans uos, seu metuens, idem absens in literis me iactitem, ac nihil nō audeā. Quicquid ago, uestræ salutis & euangelij causa ago, non humano affectu. Nam licet hac mortali carne circumdati simus, tamen non militamus auspicijs, ductuq; carnis, sed spiritus, deiq; præsidijs. Quātuuis humiles & imbecilli uobis uidemur, tamē inermes nō sumus, nec robur nobis deest, ad coercendos hostes Euangelij. Sed arma nostræ militiæ, quæ spiritalis est, non sunt humano more, ferro, aut chalybe ualida, sed dei afflatu ualida sunt, ad demolendum quicquid aduersus illum munitum uidetur. His demolimur ac subuertimur callida consilia, & omnem impiorum cellitudinem, quæ sese erigit, & extollit humane sapientiæ

pientia praesidijs, aduersus scientiam dei, quam per Euangelium profiteamur, neque deieci-
 mus modo, sed & subigimus, & captiuam ducimus omnem humanam cogitationem, ut post
 hac obediat Christo, cui prius rebellis erat. Quod si quis obstinate rebellet, habemus &
 uindictam in promptu, aduersus omnem inobedientiam, qua uestra causa nondum uisi su-
 mus, ne scilicet in eos, qui uobis admixti sunt, & quibus adhuc aliqua ex parte fauet non
 nulli, arbitantes eos praecellosos apostolos esse, tranquillitatem publicam turbem, fortas-
 sis usus in posterum, ubi sensero uestram obedientiam eo profecisse perfectionis, ut at-
 quis animis laturi uideamini tales a uestro cotubernio semoueri, quemadmodum fecistis
 in uindicando incesto. Spiritualis est dignitas ac potestas apostolica, non corporalis. An
 uos adhuc ex ista quae uidentur apostolum aestimatis, quemadmodum uulgius ex ambiru
 strepituque fortunae, aut satellitio principem aestimat? Nihil interim dicam de pseudaposto-
 lis, illud in genere dicam. Si quisquam hoc nomine sibi fidit, quod Christi sit, uel quod hunc *Quae secundum
faciem sunt
uide*
 mortalem uiderit, uel quod huic sanguinis propinquitate iunctus sit, illud item apud se
 perpendat, quod quemadmodum ipse est Christi, ita nos quoque Christi sumus, & hac in
 parte pares sumus, nec illi est, quo sibi placens, nos despiciat. Neque enim carnis commer-
 cium nos Christo coniunctiores reddit, sed spiritus. Nihil aliud interim, quam aequo me
 ceteris apostolis. Quod si uel amplius etiam aliquid mihi uindicem, gloriam de potestate
 mea, imo non mea, sed a domino tradita, uerum in hoc tradita, ut prosum uobis, non ut no-
 ceam, haud opinor, pudeam, quasi uane magis, quam uere sim gloriat. Verum de po-
 testatis magnitudine silebo, ne cui uidear territare uos minacibus epistolis. Sic enim ait
 quispiam, quem honoris causa nondum nomino: Paulus epistolas mittit arrogantes, ac po-
 tentes; ceterum cum adest ipse iam sui dissimilis, & corpore uidetur imbecilli, quod nihil pra-
 seferat maiestatis, & oratio contemptibilis non refert eam auctoritatem, qua tonat ac ful-
 minat epistolae. Quisquis hoc nomine nostram auctoritatem despiciat, illud sibi persua-
 deat uelim, quod qualis est absentis sermo noster in epistolis, quem isti grauem aiunt, talis est
 & praesentis uis atque auctoritas, si uisum fuerit ea uti. Verbis ostentare, quod re praestare non
 possim, aliorum est, non meum. Non enim possumus animum inducere, ut nosmetipsos *Non enim du-
demus nos in-
serere*
 conijciamus in numerum istorum, aut etiam cum talibus nos ipsos conferamus. Nisi se non
 factis, sed fucis, ac magniloquentia commendant, nequaquam intelligentes inter eos, quod
 ipsi sese non suis meritis, sed ignaui ignauorum collatione metiuntur, nec aliter magnos
 sese declarant, nisi suis laudibus attollendis & deprimendis aliorum meritis. Absit autem
 ut nos ad istorum exemplum in immensum gloriemur. Siquidem ad istum modum glo-
 riandi nullus fuerit neque modus, neque finis, si quisque tantus haberi uelit, quantum se facit ar-
 rogantia. Nos nosmet nostro metimur pede, non alienam gloriam nobis usurpantes, sed
 ad mensuram ac modum eorum, quae dei praesidijs gessimus ipsi. Quantum ab illo dona-
 tum est, tantum nobis uindicamus, nec ultra modum hanc dilatamus gloriam nostram.
 Neque uero mediocriter imperatoris nostri ditionem propagauimus, qui usque ad uos etiam
 pertigerimus, non ultro profecti, sed a deo missi. Satis ingens hoc gloriandi argumētum,
 non quocumque modo peruenisse ad uos, sed ita peruenisse, ut uobis predicauerimus euan-
 gelium Christi: ut iam non sit nobis necesse uerbis amplificare laudes nostras, quasi re ue-
 ra non pertigerimus usque ad uos, alioquin non admodum expugnabiles. Nec enim inuisi-
 mus iam persuasos, quod faciunt pseudapostoli, sed ipsi primi persuasimus. Neque sine fine
 nos iactamus de alienis laboribus, laudem alienorum gestorum in nos uerbis transmouen-
 tes, quod quidem ignaui duces facit, arcis aliena uirtute captae laudem sibi uindicant-
 tes. Quin speramus futurum, ut in dies magis ac magis gliscente & augescēte fide, per uos
 maiorem laudem consequamur, iuxta metam nobis a deo praescriptam, ut in alijs quoque
 regionibus, quae sunt ultra uos, praedicemus Euangelium Christi, ac longius etiam quam
 hactenus fecerimus, proferamus Christi uexilla, non alieno Marte atque auspicijs rem ge-
 rentes, ut in rem paratam ingerentes nos, alienis laboribus partam laudem nobis arroge-
 mus: imo tantum abest ut ex alienis factis iactemus nos, ut nec meorum gestorum gloriam
 mihi ascribam. Sed quisquis gloriatur, non suo, sed Christi nomine gloriatur oportet, cuius
 negotium agit. Neque enim qui sui buccinator semet ingerit, uere probatus est, sed qui
 delectus a deo, tanquam idoneus bona fide mandato fungitur officio, is demum uere ipse
 clatus ac probatus est.

*Vtinam susti-
neretis mo-
dicum*



*Nam si is qui
uenit*

*Operarij
subdoli*

Non mihi tempero, quin aliquid magnificentius de me prædicem, quamuis non ignorem argumentum haberi stultitiæ, iactare seipsum, sed utinam feratis me paulisper ineptientem, imò non dubito, quin laturi sitis. Huc enim stultitiæ me cogit non arrogantia, non studium alicuius emolumentum, sed ingens quidam & impatiens erga uos amor, atque, ut ita dixerim, zelotypia. Nam planè zelotypus sum erga uos, nihil non metuens uobis, quos tenere diligo. Diligo autem non humano affectu, sed charitate diuina, nec mihi zelotypus sum, sed Christo. Nā huic uelut unico sponso, uos ceu castam & incorruptā uirginem spiritali coniugio copulauī, à quo nunquā diuellamini. Nihil mihi arrego uestri. Ille sponsus est, ego pronubi modo functus sum officio. Castam ac purā sponsam illi tradidi, sed metuo nequā fiat, ut quæ admodum olim serpentis uersutia, simplicem Euæ mentem corrupit, uitata puritate, in qua fuerat condita, ita per pseudoapostolorū astutiam, uestra quoque simplicitas corrumpatur, ac degeneretis ab illa puritate, qua hactenus estis usi erga sponsum Christū Iesum, qui purus puris uobis per nos traditus est. Etenim si nouus iste apostolus, qui in nostros laqueos irrepsit, alium Iesum prædicaret, quem nos uobis non prædicauerimus, aut si per illum alium spiritum acciperetis, quem per nos non acceperitis, aut aliud traderet Euangelium, quod per nos non sit traditum, merito ferretis illum iactantem sese, ac nobis antepponentem, ut qui contulisset, quod à nobis conferri non quiuert. Nunc si nihil ab istis adfertur, quod à nobis non sit abunde traditum, quid est quod nobis quodammodo fastiditis, illorum perferatis insolentiam? Sint apostoli quamlibet magni, certe quod ad Euangelij fructum attinet, non arbitror me uel præcipuis apostolorum primoribus ulla in re fuisse inferiorē. Sint isti sermone comptiores, certe scientia non illis cōcesserim. Nihil opus orationis lenocinio, cum res adsit. Venditent illi sese uerborū phaleris, nos omnibus officijs declarauimus animū erga uos, & uim apostolicam, neque quicquam passi sumus in uobis desiderari. Nisi forte hoc uos offendit, quo maxime debuerat uobis animus noster commendari, quod non istorū more, fastu meo uos presserim, sed memetipsum apud uos humiliarim, ac deiecerim, haud quaquam subdole, sed ut uos per meā humilitatem exaltaremini in fide: aut quod ad istorum exemplū, non onerari uos sumptu, sed gratuito, meoque cibo uobis prædicauerim Euangelium dei, adeo parcens uobis, ut cum premeret inopia, maluerim alias ecclesias deprædari, quo uobis absque uestris impedijis inseruirem, ne tum quidem cuiquam onerosus, cum apud uos agerem, idque cum urgeret egestas. Nam egestatem meam suppleuerunt tum isti, qui uenerant à Macedonia. Quin non hac re solum, uerum etiam in omnibus caui, & cauturus sum, ne cui sim grauis. Non hæc loquor arroganter, sic mihi semper adsit Christi ueritas, ut in regionibus totius Achaia, non solum Corinthi, hæc mea gloriatio Euangelij gratis prædicati non interrompetur. Quamobrē autem hoc facior? An odio uestri, munificentia quoque uestram aspernor? Deus nouit hoc non esse in causa, uerū quod facio, quodque in posterum facturus sum, ideo facio quo præcipiam occasionem calumniandi me istis, qui captant occasionem: ut isti cum sint opulenti, simulant palam se recusare munera, cum clanculum accipiāt, in hoc quoque, cuius falsam laudem sibi uenantur, comperiantur nihilo præstatiores nobis, qui nec inopia pressi, quicquid à quoquam accipiamus, non committentes ut isti uel hac simulata fucataque specie pietatis nos superent. Nam isti quidem non ex animo, sed ad suū quæstum ac fastum prædicant Euangelium: & cum à Christo missi non sint, neque Christi negotiū agant, tamen falso sibi uideant apostolici cognominis honorem; simulantque sese conductos in uineam domini, opera sua rem illius agere, cum officiant eius negotio, ac sui uentris agant negotium, sub Euangelicæ doctrinae prætextu, sua quadam insulcientes dogmata: uelut faciunt hi, qui letale uenenum, quo magis fallant, admiscunt exquisitissimo uino: sumpta interim apostolorum persona, quo magis etiam imponent simplicibus animis autoritatis prætextum magnique nominis umbra, histriones uerius quam apostoli. Est autem hoc perniciosissimum posturæ genus, fūco pietatis, impietatis uenenū inferere. Christum autem prætextum cum satanae rem agant. Neque mirum, si discipuli exprimunt magistrum. Nam & ipse Iudas tenebrosus, non alia arte uehementius nocere solet mortalibus, quam si discipuli sua specie, sese prestigio transfiguret in angelum lucidum. Qui uere ministri Christi

nihil pet fucum agunt, dominum suum referentes. Nihil autem noui, si satanae ministri, personam alienam sibi sumunt, ut cum iniustitiae seruiant, tamen iustitiae ministri uideantur, sceleratissimi proditores, qui mentientes amicū, hostem agunt. Nondum in hos exerceo meum ius, sed ob publicam tranquillitatem illos suae maliciae relinquo. Ceterum non effugient poenam, siquidem malorum operum, malus erit finis. Rursus a uobis petenda mihi uenia est, ut de me quoque nonnihil uere praedicem, ne quis hoc stultitiae meae tribuat, quod mearum laudum ipse sim buccinator. Quod si non impetro, uel stultitiae meae, si uideatur, concedite, ut cum isti apud uos tam multa de se praedicent, mihi quoque fas sit uel paululum quiddam de me ipso gloriari. Nam quod nunc dicurus sum, non sapiet purum illum Christi spiritum, sed humanā potius stultitiam: quandoquidem super hisce rebus gloriantur sum, quae nos deo nihilo reddunt gratiores, sed sunt huius generis, de qualibus stultum uulgus sese iactitare solet, cum ex his non oriatur uera gloria. Scio, stultitiae speciem habet, quod facio, sed huc me adigit istorum iactantia, quos tamen stulte gloriantes toleratis. Cum igitur tam multi sint apud uos, qui cum apostoli uelint haberi, tamen ea iactitent, quae nihil faciunt ad dotes apostolicas, gloriabor & ipse de me nonnihil, stultitiam istorum imitans. Vos interim hanc nostram ineptiam boni consulitis, siquidem cum sitis ipsi sapientes, non grate fertis alienam stultitiam. Aequum est autem, ut inter tam multos assidue gloriantes, me quoque paulisper feratis, praesertim cum gloriatio mea uos non sit grauiatura, quemadmodum illorum. Ab illis enim suffertis, si quis in seruitutem adigat, cum Christus uoluerit uos esse liberos: si quis sumptibus exedat atque exhauriat uos, cum nos gratis apostolum egerimus: si quis accipiendis xenijs ac muneribus facultates uestras attenuet: si quis fastu turgidus, tyrannidem in uos exerceat: & adeo, ut quod est extremae contumeliae, palma uos cedat in faciem: quod si non faciunt, certe sic tractant alijs modis, ut non leuior sit contumelia. Haec cum illi faciant, uobis magni uidentur apostoli, ex huiusmodi rebus eos aestimantibus, de quibus & uulgo stultum habetur iactare sese. Perinde quasi nos non potuerimus iisdem titulis abuti, ad premendos uos autoritate, nisi maluissemus uestrae salutis, quam nostro dominio consulere. Quid enim iactant isti, aut in quo sibi placent (ut interim stultorum more loquar) in quo non possim me illis aequare? Magnum uideri uolunt, quod Hebraei sint, perinde quasi apud deum quicquam referat, qua gente sis oriundus: & tamen si quid est Hebraei esse natum, Hebraeus sum & ego. Israelita sum, sum & ego: posterius sum Abraham, sum & ego. Nam huiusmodi titulis inanibus sese uenditant, in quibus ipsis tamē illis pares sumus, si libeat gloriari. Ceterum in his, quae uere faciunt ad gloriam apostolicam, etiam praecellimus istos. Ministri Christi sunt isti, demus esse, sed magis ego sum, ut stulte loquar, sed uere. Id ita esse non declarauimus fastu, non capiendis muneribus, non iactanda gentis origine, sed his argumentis, quae uere testentur pectus apostolicum. Plus laborum mihi exhaustum est, quam istis: longe grauius exercitus sum plagis, saepius in carcerem coniectus sum, frequentius capitis aduersus periculum. Quod si uultis & nominatim recenseri quaedam, a Iudaeis quinquies caesus quadragenas plagas una minus accepi, ter licitorum uirgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, totam noctem ac diem exegi in profundo mari, cum summa uitae desperatione. Quid autem pergam enumerare singulatim, cum frequenter Euangelij gratia periclitatus sim, non solum in navigatione, uerum etiam in terrestribus itineribus: crebro uersatus in periculis fluminum, periculis latrociniorum, periculis ex persecutione Iudaeorum, periculis ex uiolentia gentium, periculis in ciuitate obortis, periculis in deserto, periculis in mari, cum parum abesset quin a nautis trucidaremur: periculis ab his, qui falso nomine Christiani, Euangelio nostro resistebant. Ut ne commemorem interim assiduos labores, ac molestias Euangelij gratia susceptas, crebras uigilias, famem ac sitim saepenumero toleratam, crebras in edias, frigoris ac nuditatis toleratam molestiam. Sed quae hactenus recensui, ad corporis duntaxat afflictionem pertinent. At interim non leuius affligebar animo, quem undique quotidie premit, urgetque sollicitudo, quam pro tot ecclesijs gero, quae mihi usque adeo cordi sunt, ut quicquid illis acciderit, mihi putem accidisse. Cuius enim malis non indolesco perinde ut meis? Quis infirmatur, cuius malo non aegrescam & ipse? Quis laeditur, cuius offendiculo non & ipse discrucietur animo? Si gloriandum est, de his potius gloriabor, quae meam imbecillitatem, quam quae magnitudinem arguunt. Iactent alij, quod per Euangelij commendationem habeantur

Iterum dico ne quis patet me

Hebraei sum & ego

habeantur in precio, quod diteſcant, quod ſub prætextu Chriſti regnēt. Ipſe pulchrius & bitror iactare, quod Chriſti gratia deiectus fuerim & afflictuſ. Deus ac pater domini noſtri Ieſu Chriſti nouit me nihil mentiri. Cum eſſem Damalci, is quem Areta rex, Herodis ſocer, ei genti præfecerat, excubias diſpoſuerat in Damalcenorum ciuitate, modis omnibus hoc agens, ut in Iudæorum gratiam me comprehenderet, ac ueluti tumultuſaui- torem occideret. Quid facerem? Didiceram à domino præceptum, ut alicubi perſequu- tionum ſauitiam declinaremus. Diſtabat animus nondum ad eſſe tempus obeundi mar- tyrii, ſed magis prædicandi latius Euangelii, uerum urgebat undique tyrānus: nec aliud eſt effugium, niſi quod ſportulæ incluſus, per fenestram e mœnibus ſune demiſſus ſum, atq; hoc pacto ſum elapſus e præfecti manibus.

CAPVT XII

Si gloriari
oportet



Actenus ea recensui, quæ me calamitoſum & erumnoſum fuiſſe teſtantur, quæq; iuxta iudicium humanum magis contemptum reddunt, quàm glo- rioſum. Ceterum an & alia commemorare debeam, nondum ſtatui, de quibus tamen alij falſo ſe iactant. Gloriandum eſt, an non? Sed non nuſquam expedit gloriari, præſertim cum ſermonis tenor nos deduxerit ad uiſiones ac reuelationes domini Ieſu, quas cum iſti multas conſingant, & insolenter iactitent, ego coactus & inuitus (ne uidear uel hic illis inferior) unam duntaxat recensēbo, non ad meā, ſed ad dei gloriam. Noui quendam, qui ante annos quatuordecim raptus ſit, in corpore, an extra corpus neſcio, deus ſcit, ſed tamen raptus eſt in tertium uſq; cœlum, hinc ruruſum in paradisuſ eſt raptus: & utrobique audiuit uerba quædam ineffabilia, quæ nō ſit ſas mor- tali eloqui. Huiuſmodi hominis nomine gloriabor, cui tanta felicitas contigerit dei bene- ficio. De me nihil interim gloriabor, niſi commemorandis hiſ, quæ me afflictuſ & abie- ctuſ arguunt. Alioqui ſi uoluerō hac etiam in parte prædicare de memetiſſo, quādo nec uane quicquam, nec ad oſtentionem mei dicturus ſum, non poſſim ſtultitiæ condemna- ri, etiam ſi ſtultitiæ nomen agnouī. Sed tamen ab hiſ recensendis mihi tempero ueſtra cau- ſa, non mea, ne quis mihi plus tribuat, meq; maius aliquid ſuſpicetur eſſe, quàm me mea facta, meaq; teſtatur oratio. Quanquam nec mihi fortalſe ſatis tutum fuerit de hiſ gloriari, quæ nos magnos faciunt, & affines arrogantia periculo. Proinde ne plus ſatis efferat ſublimitate reuelationum, aut ne pluris habear apud homines, quàm expedit haberi, per- miſſu propitiij numinis additus eſt ſtimuluſ & afflictio corporis, quæ & me mei commo- nefaciat, & apud omnes me mortalem arguat, communibus obnoxiuſ malis. Additus eſt autem affligendo mihi, qui Chriſti rem ago, nunciuſ ac miniſter ſatanæ, qui meo ob- ſtrepit Euangelio, meq; ſeuiliſſimis perſequeutionibus diuexet, perinde quaſi colaphos im- pingat in caput meū, deiſciens ac deprimens me, ne ſupra modū extollar. Quæ res cum mihi uehementer eſſet moleſta, ter rogauī dominum, ut ab hac afflictione me liberaret: ue- rum iſ mihi magis conſulens, quàm egomet mihi, reſpondit ad hunc modum: Pauce, con- tentuſ eſto mea in te beneficentia, nec ultra quicquā efflagites. Quod afflictionibus tu- deris, ſimul & ad meam gloriam illuſtrandam pertinet, dum meo præſidio tutuſ uinci nō potes, quantiſlibet procellis: & ad tuam ſalutem, qui quo magis affligeris corporis ma- lis, hoc magis diteſcis animi bonis. Ita ſit ut imbecillitas humana perficiat dei uirtutem, et infirmitas abſoluat potentiam. Etenim quum per homines humiles & imbelles aduerſuſ ſatanam ac mundum omni ſauitia genere frementem perſtat & effloreſcit Euangelium, palam ſit hoc negociuſ, non humanis præſidijs, ſed uirtute numinis geri. Porro quō ma- ioribus malis affligimur, hoc illuſtior ſit dei gloria, per nos agentis exerētisq; uim ſuam. Hoc reſponſi cum acceperim à domino, poſthac nulla de re lubentiuſ gloriabor, quàm de afflictionibus, quibus imbecilluſ uideor potiuſ, quàm magnuſ: in quibus etiam ſi quid magnitudinis aut ſublimitatis apparet, id totuſ in dei gloriam cedit, ut qui propter Chri- ſtuſ infirmuſ uideor, per illum uidear potens ac robuſtuſ. Quamobrem mihi potiſſimū placeo, ac plaudo ob afflictiones, ob contumelias, ob egeſtates, ob perſecutiones, ob an- xietates pro Chriſto ſuſceptas. Etenim cum hoc modo maxime deſtitutuſ ſum, ac meoſ diffidens opibus, tum uere potens ſum Chriſti præſidijs. Sed quō me rapit ſermonis impetuſ? Video me planē reuolutuſ in manifeſtam ſtultitiā gloriando, ſed uoſ eſtiſ in cau- ſa, qui me huc adegeritiſ. Siquidē quando quicquid ualuī, ueſtro bono ualuī, ueſtrae pot- tes erant, prædicare de me, quæ nunc indecore cogor de meipſo prædicare. Non amo

Virtus in in-
firmitate per-
ficitur

Factus ſum
inſipiens uoſ

mibi laudem officij, quod non præstiterim: quod si præstiti, quantum alius quisquam, cur alij nobis anteponuntur: Tenuis sum, humilis sum, afflictus sum ac deiectus, infans sum, nihil horum recuso, neque refelio, hæc ad me pertinent, si quid habent incommodi. Cæterum quamlibet nihili sum, tamen quod ad uos attinet, nulla in re sensistis me inferiorem cæteris apostolis, non dicam gregarijs, sed ne summatis quidem. Non iactio de me quod in me non sitis experti, nam ueris argumentis docui me esse apostolum uobis testibus. Primum ac præcipuum argumentum apostolici pectoris est, Euangelij gratia nihil non libenter perpeti, hac certe nota præstiti apostolum. Neque defuerunt illa, quibus ad tempus ob incredulitatem quorundam deus fidem arrogat sermoni nostro: quod genus sunt ostenta, prodigia, factaque potentia. Alioqui proferte si quid habetis, in quo fueritis inferiores cæteris ecclesijs, aut quid ulli ecclesiæ per magnos illos apostolos collatum est quod per me uobis non sit collatum: Nihil est quod in me desideretis, nisi hoc unum desideretis, quod ad apostolorum aliorum exemplum non onerari uos sumptibus: quare si læsi uos, ob hoc quia non læsi, condonate mihi hanc iniuriam, etiam si non poenitet huius animi. Iam bis apud uos fui, neque cuiquam fui grauis, & ecce est animus tertio uos inuisere, nec tamen cuiquam fuero onerosus, nihilo magis, quam antehac fuerim. Non temere hoc facio, nondum enim causam seriam adfero, sed quacunq; causa facio, uestris inferuio commodis, ac uerum ago patrem. Non enim debent filij congerere diuitias parētib; sed contra, parentes filijs. Habet hoc parentum affectus, ut non solum opes suas haud citra sudorem quasitas, uerum etiam seipsos impendant liberis. Tantum igitur abest, ut quicquam à uobis extorqueam, ut non mea solum libentissime paratus sim uobis impendere uerum etiam meipsum insuper, si id postulet salus animarum uestrarum. Mihi satis est, quod hæc pater præsto liberis, etiam si non sim nescius, idem mihi usu uenire in uobis, quod uulgo solet parentibus in liberis, ut cum impensissime uos diligam: non perinde diligar à uobis, posthabitus his, qui non æque uobis beneuolunt atque ego. Sed esto, ipse uos non grauauit, metuens inuidiam, uerum uaser & astutus, dolo uos cepi, per subornatos agēs, quod per me puduit facere. Nam id fortassis cauillabitur quispiam, ex aliorum moribus me æstimans. Agedum, an per quenquam eorum, qui meo nomine uenerunt ad uos, extorsi quicquam à uobis: Rogauit Titum ut adiret uos, huic collegam addidi fratrem illum ecclesijs omnibus spectatum. Num quid à uobis extorsit Titus? An non eadem fuit nobis mens? An non isdem uestigij ingressi sumus? Non enim recuso, quo minus imputetur mihi, quicquid gestum est ab ijs, quod ad uos legauit. Rursum arbitramini, quod hæc loquentes, causam nostram agamus, imò quicquid loquimur, siue deicientes nos, siue extollentes, siue uobiscum expostulantes, in uestrum commodum loquimur charissimi. Testis est deus, qui nouit animum nostrum: testis est & Christus, cuius negotium agimus. Nihil non tento: nullum non moueo lapidem: in omnia me uerto, quo uos plane correctos reddam. Nihil est quod mihi metuam ab istis personatis apostolis: sed uereor, ne quo pacto fiat, ut si contigerit uenire ad uos, non reperiā uos quales uelim: & ipse uicissim reperiā uobis, qualem nolitis. Mihi in uotis est, ut uos undiq; purgatos conspiciam, uobis ut me lætū ac lenem aspiciatis. At metuo, ne si pergatis auscultare quibusdam, reperiā inter uos contentiones, æmulationes, iras, concertationes, obtrecciatiōes, susurros, tumores, seditiones: ac rursus si uenero, fiat, ut quem oportebat integritate uestra festiuum & alacrem conspici, satis hacenus uestris flagitijs contristatū, denuo me deiciat apud uos dominus, proque triumpho cogar luctum sumere multorum nomine, qui iam pridem peccatis sunt contaminati: nec adhuc resipuerunt, ut poeniteat immundiciæ, libidinis, & lasciuiæ, quam pararunt.

CAPVT XIII



Ic erit tertius meus ad uos aduentus: in hunc se quisque præparet, Neque enim amplius conuiebo, sed iuxta ius strictum atque exactum res agetur. Quisquis delatus fuerit, is duorum aut trium hominum testimonio uel absoluetur, uel damnabitur. Iam ante uos monui, iterum admoneo: quod secundo meo aduentu præsens dicebā, id nunc absens scribo: non solum ijs, qui iam tum peccauerant, uerum etiam omnibus, qui delicto fuerint obnoxij, si comperero inmendatos, cum bis iam admonuerim, non parcam, quemadmodum antehac feci. Alioqui quid uobis uultis? An uestro malo queritis experiri, utrum quæ loquor, ex me ipso loquar, an

ex Christi spiritu, per me uobis loquētis: An hunc quoq; uelut imbecillum contemnitur? Is erga uos non fuit imbecillis, etiam si olim talis fuit Iudæis ac Pilato. Imò potētem declarauit apud uos, ad cuius nomen uidistis reuiuiscere mortuos, fugere dæmones, sanari ægros. Nam quamuis olim ex naturæ, quā suscepit, imbecillitate cruci uoluerit affigi, tamen nō debet ea gratia uelut imbecillis haberi. Ex infirmitate suscepti corporis mortuus est, sed uiuit ex uirtute dei patris. Idem & nos apostoli, Christi præceptoris uestigia sequentes, licet incredulis simus infirmi, dum ab illis cēdimur, conijcitur in carcerē, conuijs afficimur, tamen ex uirtute dei cum illo potentes erimus erga uos, si uestra pertinacia uicerit nostram mansuetudinem. Ne uelit experimentum nostri querere, sed ipsi magis uestri sumite experimentum, utrum in fidei dono persistatis, an hinc excideritis. Ipsi uos inter uos explore. Sensistis ædendis prodigijs, sensistis ex donis tam uarijs, ne in uobis quidem Christum imbecillum fuisse. Ea uis si uos destituit, argumentum est, fidem in uobis relanguisse, aut Christum moribus uestris offensum, à uobis alienatum esse. An ipsi uobis estis ignoti, & de me uultis experimentum capere, cum ipsi non intelligatis in uobis esse Christum? Est enim, si fidei uigor in uobis manet, nisi forte fide utcunq; incolumi, uita impura meruistis à Christo reijci. Vtūq; de uobis est, spero uos ipsa re comperturos, quod nos non simus reprobi. Viget in me fides, & per hanc ualebit in me Christus ad castigandos, qui nolunt sua sponte resipiscere. Quid autem dixi, spero; imò contra magis expro, deumq; precor, ut illius beneficio fiat, ne uestris commissis cogar meam declarare potentiam: non quod metumamus, ne si fuerit utendum potestate, deprehēdamur imbecilles, quemadmodum quidam de me iactitant: sed illud optamus potius, ut uos honestate uitæ probati sitis, nos habeamur ueluti reprobi. Etenim si uos in fide, morumq; sanctimonia perstiteritis, nihil erit quod meam potestatem in uos exerceam. Neq; recuso uideri imbecillis, ad istum sanè modum, si ideo iudicer parum ualere, quod uos exercendæ potestatis non dederitis occasionem. Nihil enim possumus aduersus ueritatem: sed quicquid possumus, pro ueritate possumus. Non sumus potentes aduersus innocentiam, sed aduersus admissa potentes sumus. Quod si nihil erit in uobis animaduersione dignum, nos uelut exaraueritis, uosq; potentes innocentia declarabitis, mihi uelut imbecilli adempta fauendi potestate. Pergent obrectatores isti mihi calumniam imbecillitatis impingere, cauillantes me non potuisse meo uitio, quod ob uestram integritatem non potui. Sed mihi uoluptati est, quoties cum ad istum modum uos ualidi fueritis, nos infirmi iudicamur: imò nō solum gaudemus, si id contingat, uerum etiā optamus ardētissimis uotis, ut mihi uideatur aliquid deesse, modo uos sitis cōsummati. Hac de causa putauit uos seuerius per literas admonēdos, ne cum uenero, præsens cogere seuerus. Malo minis emēdari uos, q̃ me puniēdi potestatē in uos exercere, quā dedit mihi dominus in bonū uestrum, nō in malum. Aduersus innocentes nihil possum, sed uestra refert non esse semper impunitos, qui flagitijs cœtum uestrum contaminant. Meo sum functus officio, superest ut uestro fungamini. Date operam, ut sublati dolorum causis, pure gaudeatis: utq; semper ad meliora proficientes, perfecti reddamini, sarcientes ea, quæ uestram lædunt integritatem: utq; peracta castigatione malorum, solatium ex emēdatione capiat. Estote cōcordes, nec diuersis opinionibus inter uos decertate. Sit inter uos pax, ac mutua charitas. Quod si feceritis, deus charitatis ac pacis autor, aderit uobis fauēs, ac propicius. Salutate uos inuicem osculo sancto, nō iuxta uulgi morē, sed ex animo. Salutant uos, qui hic sunt sancti omnes. Fauor domini nostri Iesu Christi ac dilectio Dei patris, & communio sancti spiritus adsit uobis omnibus: ut agnoscentes filij beneficium, patris erga uos charitatem, qui sic dilexit uos, ut unicum filium uobis impenderit, ac bonitatem spiritus sancti, per quem nobis semper impartit suas dotes, ad huius indiuidui ternionis exemplum uiuatis & ipsi concordēs, ac puri, perfectiq;

*Gaudemus
enim cum nos
infirmi sumus*

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM PAULI AD
Corinthios posteriorem Finis.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM AD GALATAS PER
DES. ERASMV M RÓTERODAMVM.



GALATAE Græci sunt, sed ex Gallis oriundi: unde iuxta diuum Hieronymum, originis ingenium ingenij tarditate referebant. Quandoquidem & Hilarius Gallus ipse, in hymnorum carmine Gallos indociles uocat. Et Paulus illos obiurgans *ἀνοήτους* appellat: ad quorum ingenium, suum attemperans sermonem, acerbius illos castigat, quam illos in cæteris epistolis: & reprehendit magis quam docet: ut quibus ratio suadere non poterat, reuocaret autoritas. Agit in hac epistola, quod nusquam non agit, ut à legis Mosaicæ seruitute inuitet ad Euangelij gratiam. Quod idem agit in epistola ad Romanos: nam utrisque idem error acciderat, sed diuersa ratione. Nam Romani primum in Iudaismum inducti, postea resipuerunt. Galatæ recte ab apostolo instituti, pseudapostolorum opera in Iudaismum retracti fuerant. Quod Romani perperam instituti sunt, simplicitatis erat: quod mox admoniti resipuerunt, prudentiæ. Contra quod Galatæ Christum amplexi sunt, facilitatis erat: quod protinus in Iudaismum relapsi, leuitatis atque stultitiæ. ad hos igitur subierant pseudapostoli, uelut à Petro & Iacobo summatis apostolis missi, & Pauli auctoritatē calumnijs eleuabant, negantes illi fidem habendam, qui sibi non constaret, nunc legis utens ceremonijs, susceptis uotis rasoque capite & circumciso Titimotheo, nunc cum ethnicis legem negligens ac damnas: potius audiēdos qui apud Petrum & Iacobum uersati fuissent, quicquid dominum Iesum in carne uidissent, cum Paulus nec uidisset Christum, & discipulorum duntaxat discipulus esset, non Christi. Proinde Paulus uehementi & acri oratione (neque enim ulla epistola concitatio) salubrique austeritate & clementi sapientia, simul & Galatarum errori medetur, & suam asserit auctoritatē, & pseudapostolorum fraudulentiam aperit. in ipso statim epistolæ limine testatus sese uel summis apostolis parem, aut etiam superiorē in hoc, quod Euangelij predicandæ auctoritatem à Christo iam immortaliter coelitus accepisset, atque hoc autore fretum in Arabiam, & Damasci aliquandiu prædicasse Christum, priusquam cum quoquam apostolorum contulisset. Deinde Hierosolymis uidisse quidem Petrum ac Iacobum diebus per paucis, neque quicquam tamen ab illis adiutum esse: sub hac in Syria & Cilicia quatuordecim annis Christi præconem egisse, donec admonitus diuinitus Hierosolymam reuersus, una cum Barnaba ac Tito, cum primarijs apostolis contulit Euangelium suum: non quod de tot annorum prædicatione iam uenisset in dubium, sed ut ex eorum comprobatione, quorum summa erat apud omnes autoritas, magis confirmarentur cæteri: sed ita contulisse cum Petro, ut ab illo nihil accesserit, quod ad Euangelij rem attineret: & adeo non fuisse se compulsus à Petro, ut gentibus legis onus imponeret, ut Antiochiæ Petrum cibus communibus uescientem, ubi se metu superuenientium Iudeorum e conuiuio subduceret, palam in os reprehenderit, docens ex fide contingere salutem euangelicam, non ex obseruatione legis iam antiquatæ. Id uelut Petro dici coeptum latius profequitur uersus ad Galatas, demonstrans legem Mosaicam ad tempus modo fuisse datam, & ad unum Christum illa spectasse omnia: in illa fuisse carnem, in Euangelio spiritum: in illa umbras, in Euangelio lucem: in illa imagines, in Euangelio ueritatem: in illa seruitutē, in Euangelio libertatē. Demetriæ uero esse gustatis potioribus ultro recidere ad deteriora. Hæc agit cap. primo, secundo, tertio, & quarto. Deinde grauiter interminatus eis, ne circumcissione recepta turpiter se dedant in seruitutē legis, ostendit Christianam libertatem non esse peccandi licentiam, sed ultroneam functionē officiorum pietatis, quæ charitate dictante, non lege iubente, præstatur. Postremo hortatur ad Christianam concordiam, ac subleuandos infirmiores, aut lapsos, ad benemerendum de ijs, qui nos fidem edocuerunt. Huiusmodi factis, quoniam spiritus sunt, æterna deberi præmia, cum ceremonijs temporarijs temporaria sit gloria, obiter in odium uocans pseudapostolos, qui non ob aliud studebant circumcidi Galatas, nisi ut super hoc gloriarentur, uelut autores huius facinoris, Cui morbo affines sunt, qui hodie nouos cultus, & prodigiose insignes reperiunt, ut dicatur, hoc hominum genus ille instituit. Hanc epistolam, ut apparet, Paulus quo singularem erga Galatas affectum testaretur, totam sua manu scripsit, cum in alijs soleat duntaxat subscribere. Nostra argumenta scriptam testantur à ciuitate Epheso, Græcorum inscriptiones, ab urbe Roma.

Argumenti Finis.

Tom. 7

kk 1

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM PAVLI

AD GALATAS PER DES. ERASMV M ROT.

CAPVT PRIMVM.



Astorum 13

Gratia
paxQui dedit se
metipsumNisi sunt ali
qui qui u.

PAVLVS apostolus, & apostolus non quilibet, ne quis me ut inferioris notæ apostolum contemnat, aut aliorum apostolorum autoritate premat. Neque enim hæc functio mihi ab hominibus delegata est, quemadmodum alijs quibusdam, qui cum apostolorum discipuli sint, pro eximijs apostolis sese gerunt: aut qui redemptis hominum fauoribus in apostolicum munus ingerunt sese. Neque per ullum hominem quamlibet præminentem mandata est Euangelij prædicationis autoritas, sed per ipsum Iesum Christum dei filium, qui me non humanis suffragijs Euangelij præconem esse iussit, sed suapte uoce iam immortalis cæli: rus euocauit ad hoc negocij, nimirum ex sententiâ & autoritate dei patris, qui filium Iesum excitauit à mortuis. Neque enim ideo uiuere desijt, quod à nobis uideri desierit. Imò si merito pro magnis apostolis habentur, quos ille mortalis adhuc inter homines, hominem agens designauit: certe non inferior habendus uideor, quem è cælis, non ut homo iam, sed ut deus ad apostolicum munus obeundum exciuit. Siquidem in hoc parsum etiam primarijs apostolis, quod ab eodem Iesu Christo sum institutus: illud prærogatiuæ mihi iure possim asserere, quod illos adhuc nostri corporis iniurijs obnoxius delegerit, me seorsum unum seuocarit, posteaquàm omnem humanæ conditionis imbecillitatem exuisset. Paulus igitur ille ego apostolus, & talis apostolus, scribo uobis hanc epistolam, quicumque per omnem Galatiam in Christi doctrinam conspirastis: nec ego solus, ne forsitan unius leuis sit autoritas, sed quotquot hic sunt (est autem immensus numerus) qui mecum unanimes Christi nomen profitentur: & relicta Mose lege, fidem ac doctrinam Euangelicam amplectuntur, optamus uobis omnibus, primum gratiam, deinde pacem & concordiam: gratiam, quæ præstet, ut semel gratis exempti pristinis peccatis, posthac innocentem ac puram agatis uitam: Concordiam ne quid dissentiat à reliquis ecclesijs, aut etiam à uobis ipsis: quorum utrumque nobis sperandum est, non à Mose, aut ab ullo mortali, sed ab ipso Deo patre, unde uelut à fonte nostra salus omnis proficiscitur, & ab huius filio domino nostro Iesu Christo, per quem ille nobis omnia largiri uoluit, cui conuenit acceptum ferri, quicquid malorum effugimus, & quicquid bonorum sumus consequuti. Neque enim circuncisio Mosaica cuiquam restituit innocentiam, sed ipse Christus ultro semetipsum in mortem obtulit, quo nostra commissa dependeret, ut sic per Euangelij gratiam præstaret, quod obseruatio legis Mosaicæ præstare non poterat, ut huius unius beneficio liberati à uitijs ac noxijs cupiditatibus, quibus hic mundus obnoxius est: posthac nec turpitudini, nec humanis ceremonijs seruamus. Ita uisum est Deo, patrique nostro, à quo primum conditi, nunc posteaquàm uitio nostro in ius alienum relapsi fueramus, denuo sumus asserti, ac uelut renati, quodammodo cælestes è terrenis facti, è carnalibus redditi spirituales. Huic igitur, à quo nobis felicitatis nostræ summa proficiscitur, sit honor & gloria, non temporaria, quemadmodum contigit Mosaicæ legi, sed nullis unquam seculis intermoritura. Amen.

Id cum sit à me nuper uobis prædicatum, cumque uos semel amplexi sitis, demiror quid acciderit, ut à tam benigno patre desciscatis, & desciscatis tam cito, alienati ab eo, qui con donatis gratuito commissis omnibus, uocauit & inuitauit uos ad æternā salutem, non per opera legalia, sed per gratiam ac beneficentiam gratuitam Iesu Christi, ac subito in seruitutem legis Mosaicæ, uelut in aliud Euangelium conuersi, cum nullum omnino sit Euangelium præter id, quod à nobis est prædicatum. Vnde tanta inconstância: unde ista leuitas, ut gratis datam libertatē ultronea seruitute uelit commutare? Vestrum ingenium incusare non libet, magis arbitror imputandū pseudapostolis quibusdam, qui Mose præcones uerius quam Christi imponunt simplicitati uestre, uosque magnificis summorum apostolorum titulis perturbant, metum ac terrorem incutientes animis uestris, quasi sine cunctionis adminiculo, nō possitis salutē consequi: nō tam reuocantes præcæ legis ceremonias, quas

quas iam antiquatas atque abolitās esse oportuit, quā hoc prætēxtu subuertentes Euangelium Christi. Quod cum per fidem ac uitæ pietatem perfectā salutem polliceatur omnibus quicunq; uoluerint illud amplecti, uanum ac fallax habebitur, si (quod isti docere conantur) non patet aditus ad æternam salutem, nisi iuxta Mosaicum ritum amputetur. *Sed licet nos* præputij pellicula. Absit ut ullius hominis autoritas uos ab Euangelij synceritate dimoueat. Et adeo uos non commoueat Petri aut Iacobi Ioannisq; quantumuis magna uotabula, quibus abutuntur quidam ad illaqueandos uos legis oneribus, ut etiam si quis angelus è cœlo uobis prædicarit Euangelium diuersum ab eo, quod à nobis prædicatum est, non solum non audiatur, uerum etiam execrabilis & abominandus habeatur uobis. Quod dixi, ne quis per iracundiam animiq; impotentiam mihi putet excidisse, etiam atque etiam repeto, quisquis ille fuerit, siue angelus, siue quātumuis inclytus apostolus, qui uobis prædicauerit diuersum ab eo, quod à nobis accepistis, execrabilis & abominandus habeatur. Nullius enim hominis, imò ne angeli quidē autoritas apud nos ualere debet, quoties de rectitudine fidei agitur. Qui prædicat Euangelium Christi, dei negocium agit, non hominis. Curigitur uerear ullius hominis autoritatē? A deo nō ab homine mihi commissum est Euangelium. Id utrum quæso, sic tractare debeo, ut hominibus satisfaciam, an deo, quem unum autorem ac dominum agnosco? Iudæi quodam affectu humano student omnibus obtrudere ritus suos, quo uidelicet ipsi pluris fiant hoc prætēxtu, ut quisq; præclara uideri cupit, in quibus ipse fuerit institutus. Proinde quidam horum gratiam captantes, circuncisionem suadent, prædicant sabbata ac ciborum delectus; perinde quasi rem eximiam tradant, cum ista tradunt. Sed absit, ut ego eotusq; placere studeam Iudæis, humana magis q̃ diuina sectantibus, ut patiar Euangelij synceritatem admixtu Iudaismi uitari. Olim addidus Iudaismo genti meæ placebam, modis omnibus persequens eos, qui Christi nomen profiterentur. Sed dum hominibus placeo, deo displiceo, qui Moysen antiquari, Christum filium suum illustrari uoluit. Quandiu legi seruiebam, Moysi præscripta seruare curæ fuit, & laudem ab hominibus persequer, nunc aliō me uocauit deus, cui soli probari cupio. Quod si posthac etiam eandem laudem captarem ab hominibus, Christi seruus esse desinere, Nam qui seruus huius uideri possim, si plus tribuam hominum studijs, quā eius præceptis, si magis metuum offendere Iudæos, q̃ deū Christi patrē & Euangelij auctorē? Posteaquā semel addixi me Christo, nunquam seruiui Moysi ceremonijs, quas ob Christi lucem antiquatas sciebam. Quanquam enim semel atque iterum ad sedandum tumultum quosdam ritus patrios apud Iudæos agens obseruauī, nunquam tamen in his ullum salutis præsidium constitui, sed ideo memet ad tempus accommodaui meorum affectibus, quo plures Christo lucrificerem. Cæterum ubi conspicio meum obsequium ab istis aliō detorqueri, ac rem eō uenisse, ut non uereantur legis obseruandæ sarcinam ceu necessariam imponere his quocq; quos à legis onere liberos reperit Euangelium, palam ac libere reclamandum Mosaicis ritibus, & aperte detestandum, quod in Christi damnum cedit. Nec me deterrebit ullius apostoli quamlibet insignis autoritas, fretum autore Christo, cuius præscriptū per omnia discrimina sequor. Porro quo magis intelligatis me non temere descluisse à Mosaicis ritibus, tantaq; fiducia nunc prædicare libertatem euangelicam, nolim uos latere fratres, Euangelium quod uobis tradidimus, nō esse autoritatis humanæ, ut ad cuiusquam hominis uoluntatem debeat immutari, uelut ab homine profectum. Qui uobis prædicant circuncisionem, unde suum sumpserint Euangelium, ipsi uiderint. Meum certe Euangelium nec ab homine sum mutuatus, nec ab homine sum edoctus, ut cogar uel ab autore pendere, uel alicuius interpretationem spectare. Christus ipse mihi dignatus est aperire ueteris abolitæ, nouæq; legis inductæ mysterium, ne quis me putet uel temere mutatum, uel à parum graui autore sumpsisse Euangelium, quod prædico. Christus sic homo est, ut mortalis non sit, nec mortalium affectibus obnoxius. Sic homo est, ut idem sit deus: huius arcana uis, & afflatus me subito mutauit in alium uirum, alioqui addictior eram legi Mosaicæ, cuius uenerationem ac religionem à maioribus imbiberam, quā ut ulla persuasione humana potuerim ab ea distrahi, nisi numen aliquod afflasset animum meum. Quod narro non arbitror obscurum esse, nam opinor id uobis familiaria cognitum, quo studio me gesserim olim in Iudaismo, amore legis, intantum abhorrens ab Euangelio Christi, cuius arcanum nondum acceperam, ut nouam congregatio-

An quæro hominibus placere

Notum enim nobis facio

Andistis enim

nem, quæ tum in euangelicam doctrinam afflatu dei colligi cœperat, modis omnibus inest
 ctarer, ac prorsus hostili animo depopularer, existimans me rem egregiam, deoq; gratissi-
 mam facere, dum inscius aduersus deum gero bellum. Et sanè succedebat res, nam in lu-
 daismo, quem tum solum sanctum ac pium esse iudicabam, tātum laudis assequutus sum
 inter meos, ut plerosq; meæ ætatis antecellerem, hoc habitus religiosior, quo pertinacius
 hærebam institutis à maioribus traditis, Iudicio siquidem errabam, non affectu, studioq;
 legis auctori legis repugnabam. Atq; id quidem deus arcano quodam suo consilio passus
 est ad tempus, uidelicet quo mox è tanto legis propugnatore, repente mutatus in Euan-
 gelij præconem, plures exemplo meo pertraherem ad Christum. Proinde simul atq; ut
 sum est deo, qui me iam olim à matris utero destinarat, ac selegerat in hoc negotium, de-
 clarare suam in me uoluntatem, meq; nihil tale promerentem, sua gratuita bonitate uoca-
 uit ad hoc muneris, ut per me uelut organum, notum redderet filium suum Iesum, Iudæis
 adhuc perpaucis, gentium penè nulli cognitum, inter quas potissimum me uoluit Euan-
 gelij præconem esse, quid me fecisse creditis? Num hæsi maiorum institutis? num contatos
 sum aggredi delegatum munus? num diffusus sum oraculo Christi? num cum meæ gentis
 apostolis ullis contuli meum Euangelium? aut quenquam omnino mortalem consultu-
 rus adij? num Hierosolymam profectus sum, ut eorum autoritate, qui quoniam me prior
 res ad apostolicam dignitatem uocati sunt, plurimi sunt, meum fulciretur Euangelium?
 Minime. Neq; enim existimabam hominis autoritate comprobandum, quod ipsius Chri-
 sti iussu delegatum esset. Quin protinus ubi cognoui errorem meum, ubi mandatum acce-
 pi cœlitus, nihil moratus profectus sum in Arabiam, nihil ueritus Christi nomen adhuc
 uel obscurum, uel inuisum, etiam feris ac barbaris nationibus ingerere: nec minore studio
 prædicare gratiam Euangelij, quàm antea Mosaicam legem prædicaram. Rursus Arabia
 relicta, Damascum reuersus sum, ubi mox à baptismo cœperam Christi nomen profiteri.
 Deinde peractio triennio, ueni Hierosolymam, Petri uisendi gratia, potius quàm cum
 illo conferendi. Commoratus sum autem apud illum dies non plus quindecim; quod is
 inter apostolos primas tenere uideretur. Neq; quenquam aliorum apostolorum studiū
 uisere, præter Iacobum cognomento Iustum, qui ob insignem uitæ sanctimoniam frater
 domini dictus est: nam is ecclesiæ Hierosolymitanæ primus omnium episcopus est datus.
 Tantum abest, ut Euangelio meo diffusus ad humana præsidia confugerim. Nihil horum
 fingere me, testis est ipse deus, cuius iussu negotium Euangelij prædicandi suscepi. Post
 hæc contuli me in regiones Syriæ Ciliciæq;, nusquā non profitens nomen Christi. Nam
 in his quoque regionibus cœperant aliquot Iudæorum greges conspirare in Christi do-
 ctrinam: uerum his de facie quidem parum eram notus, licet ipse natus Iudæus: tantum
 illud rumore cognouerant, me esse illum, qui repente mutatus nutu diuino, ex persecu-
 tore Christianæ fidei, nunc factus essem præco Christianæ fidei, quam pridem pro utri-
 bus oppugnatam, nunc capitis periculo defenderem. Quamobrem duplici nomine deo
 mutationis huius auctori gratabantur: & quod graui persecutionis molestia liberati es-
 sent, & quod professionis suæ talem essent nacti propugnatorem.

CAPVT II

Deinde post
 annos qua-
 tuordecim



Iterum ubi iam per annos quatuordecim gentibus potissimum Euangelij
 doctrinam prædicassem, rursus me recepi Hierosolymam comitibus Bar-
 naba & Tito, quos huius rei testes esse uolebam. Id autem feci, non iam offi-
 cij gratia, quemadmodum prius, sed iussus oraculo diuino, quo magis lique-
 ret Iudæis, non iam è circuncisione petendam salutem, sed ab euangelica fide,
 posteaquā uiderent tam multos è gentibus absq; circuncisionis præsidio uocatos ad com-
 munem salutem. Cum his igitur cōtuli meum Euangelij, quod hætenus autore Christo
 prædico inter ethnicos, sed præcipue cum his qui plurimum apud Iudæos pollebant au-
 toritate: ne quisquā eorum, qui credebant adhuc legem Mosaicam cum Euangelio Chri-
 sti miscendam esse, iactitaret me in euangelico stadio, uel hætenus frustra cucurrisse, uel
 nunc etiam currere, quod absq; mentione circuncisionis per fidei donum illis essem possi-
 citus eandem salutem, quam nos circuncisi, Christo freti speramus. Tantum enim abest
 ut circuncisionis onus gentibus duxerimus imponendū, ut ne Titus quidem cum & He-
 rosolymis, & inter Iudæos circuncisionem mordicus tenentes uersaretur, à Iudæorū pri-
 moribus.

moribus apostolis compulsus sit circumcidi, propterea quod Græcus esset, non Iudæus. Quo minus uobis id est faciendū in uestra Galatia, compellentibus huc pseudapostolis. Qui inter apostolos primas tenebant, non exegerunt à nobis, ut Græcum circumcideremus: nimirū id agentes, ut seruitus legis paulatim antiquaretur, & Euangelij constabileretur libertas. Verum irrepsert in cœtum nostrum quidam falso nomine Christiani, cum id urgeant, quod Christus uoluit obsolescere. Insidiose uero sese insinuarant, ut explorarent libertatem nostrā, quam nobis peperit Euangelij Christi, cui inuidebant, id agentes, ut nos in seruitutem legis per circumcisionem retraherēt. Ab his potius, quoniā instabant odiose, compellendū uidebamus, ne quid tumultus existeret. Quamquam ne his quidē eo usq; cessimus, ut illis uel ad tempus obsequētes, Titum circumcideremus, idq; fecimus uestra causa, ne quod in Tito factum esset necessitate, uos citra necessitatem imitantes, ab Euangelij ueritate excideretis, in Iudaismum prolapsi. Quod si quidam, quorum est præcipua autoritas, aliquando circumcisionem à quibusdam, uel exegerunt, uel permiserūt: recte ne id fecerint an secus, mea non refert: mihi satis est, quod uetere sententiā relicta, nunc mecū sentiūt. Apud homines personæ ualet opinio: apud deum sola ueri ratio est. Sint illi me præcellentiores autoritate: certe, quod ad Euangelij synceritatē atinet, adeo nihil mihi contulerunt, ut à me potius illis aliquid accesserit. Etenim ubi cōmunicato cum illis Euangelio meo, perspexissent mihi æque à Christo commissum Euangelij prædicandī munus inter gentes, atq; Petro delegatum erat inter Iudæos, meamq; prædicationem non minus efficacem fuisse citra circumcisionis adminiculum, quam Petri fuerat adhibita circumcisio, ne, cumq; nobis referentibus, parem Euangelij gratiā mihi quoq; collatam cognouissent, Petrus, Iacobus, & Ioannes, nam hi uidebantur apud illos esse columnæ, tantum abest ut damnarint Euangelium nostrum, ut potius datis dextris mecum & cum Barnaba fœdus ac societatem inierint, ut idem Euangelij concordibus animis in sua quisq; portione prædicaremus: nos inter gentes, illi inter Iudæos. Neq; nobis iniunxerunt, ut quēquam è gentibus ad circumcisionem uocaremus. Tantum rogauerunt, ut inter gentes prædicātes Euangelium, pauperū qui Hierosolymis agebant, memores essemus, si qui quid in eorum subsidium conferre uellent. Qua quidem in re, quoniam non abhorrebat ab euāgelica doctrina, studiose paruimus illorū mandatis, haudquaquā parituri, si de circumcidēdis Græcis nobis mandassent. Neq; enim æquū est, ut tantum apud nos ualeat cuiusquam mortalis autoritas, ut in illius gratiā parum recte consulamus euangelico negotio. Etenim quē admodum initio res ita ferebat, ut his qui ex Iudaismo sese conuertissent ad professionem euangelicam (quoniam à maiorū institutis, quorum religionē à pueris imbiberant, prorsus auocari non poterant) non nihil indulgeretur ad tempus, ne per hanc occasionē complures alienarentur à Christo, ita conandū erat, ut aliquando, monitis nostris edocti, desinerent hac uti indulgentiā, præsertim cum longe plus periculi, quā lucri uideretur allatura. Siquidem per quā exiguus est numerus eorum, qui ex Iudæis Euangelij fidem amplexi sunt, præ his quos ex gentibus Christo lucrifecimus. Atq; ex his in posterum quoq; multo uberior spes arridet, cum gentium tot nationes latissime pateant, Iudæorum genus angustis admodum finibus circumsepiaur. Horū maxima pars sic abhorret à circumcissione, ut citius Christū aspernaturi fuerint, q̃ legis odiosæ iugum subituri. Quin & illud periculi est, ne si diu passimq; hac utantur indulgentiā, fiat ut beneficiū salutis gratuitum, quod deus suę bonitati, nostræq; fidei uoluit acceptū ferri, uideatur magna ex parte debere legis ceremonijs. Quas si conspexerint à primarijs apostolis obseruari, interpretabuntur, qui supersticiosiores sunt, absq; his non satis esse fidem euangelicā ad consequendam salutē. Nam factum uident omnes, animū non uident. Et est fere in peiorem partem suspicax mortaliū animus. Ita quod illi fecerint pro tempore, morem gerentes quorundam inuincibili superstitioni, contraq; animi sui sententiā, id alij iudicabunt religione, non obsequio factū. Tolerata est ad tempus Iudæorū excusabilis infirmitas, à qua paulatim oportebat illos proficere. Ceterū nullo modo permittendū est, ut à gentibus exigatur, quod in Iudæis pro tempore toleratū est. Iudæos primū excusabat à maioribus hausta persuasio, diuturnus usus, cuius uis naturā æquat, autor deus, aliq; permulta, quorum nihil gentibus patrocinari poterit, si Christum cum Mose miscuerint. At gentiū mihi peculiaris cura delegata est, quemadmodū Petro Iudæorum. Conuenit autem ut utriq; sua prouincia

Actorum 15

Actorum 9

*Cum autem
uenisset Ce-
phas*

potissimum cordi sit. Qua quidem in re nullius auctoritati cessurus sum, adeo ut cum Petrus uenisset Antiochiam, quanquam uiderem huius inter apostolos primam esse auctoritatem, tamen non ueritus sim palam & in os obfistere, pluris habens Euangelij negotiū, quam illius dignitatē. Neque dubitavi metum illius ac uacillationem quam prae se ferebat coram omnibus reprehendere, cum ipsa res uel hoc nomine reprehensibilis esset, quod in grauem multorum perniciem uergeret, secus interpretantium, quam ille sentiret, Videlicet quasi superstitione motus id faceret, non studio consulendi Iudaeorum infirmitati. Etenim cum prius accumbens in conuiuio quorundam, qui ex gentibus accesserant euangelicae professioni, promiscuis cibis una cum illis uesceretur, mox ubi superuenissent alii quot ex Iudaeis à Iacobo missi, subducebat sese à conuiuio, dissimulans se communi cum illis usum mensae: uidelicet meruēs, ne quid offenderet animos eorum, quos adhuc superstitiones esse suspicabatur, quam ut in totum ciborum delectum possent contemnere, parumque pium esse ducentes, Iudaeum cum ethnicis habere mensae quoque communionē. Ea Petri simulatio, quamuis ab animo pio proficiscebatur, tamen inconsultior erat, & in manifestam perniciem multorum uergebat, adeo ut non solum Iudaei ceteri, qui nobiscum accumbebant, assentirentur simulanti Petro, uerum & Barnabas quoque collega meus, motus auctoritate Petri, se etiam una cum Petro subduceret è conuiuio. Quorum simulationem non dubitabam quin ceteri ferè omnes fuerint imitaturi, ni acriter, manifesta quoque oburgatione fuisset itum obuiam. Itaque cum uiderē, quod quidam nunc gentibus, nunc Iudaeis sese accommodantes, ueluti claudicarent: neque satis recte aut constanter ingrederentur ad Euangelij ueritatem, quae iam sic eluxerat, ut tempus esset eam libera fronte constanterque profiteri, legis ceremonias antiquatas esse, neque quicquam conferre ad salutem euangelicam; ut omnium periculo mederer, restiti Petro coram omnibus, ut castigato capite, ceteri ad illius exemplum resipiscerent, ubi conspexissent illum obtemperantem admonitioni nostrae. Restiti autem his uerbis: Quid agis Petre? quo consilio te subducis? Cum dum tuus inconsulto metuis, hos meos in perniciosam inducis superstitionem? Etenim si tu cum natura Iudaeus sis, & tamen contempra gentis tuae superstitione, gentium more uiuis, nihil impurum ducens, quod deo non sit impurum: cumque id & antehac feceris cum centurione Cornelio, ac modo nobiscum, cur nunc tui dissimilis, parumque constans subducis te è conuiuio: perinde quasi quod antehac ciborum delectum ac gentium commercium neglexeris, nō certo consilio iudicioque feceris, sed humana facilitate: nec sentis exemplum istud tuum eò tendere, ut non solum Iudaei in sua superstitione confirmetur, quam abolitam oportuit, uerum etiam ex gentibus adiuncti Christo, tuo qui primus es inter apostolos, exemplo cogantur Iudaicis onerari ceremonijs, à quibus Christus eos liberos esse uoluit. nec hos modo, quos Euangelij gratia liberos reperit, uerum etiam Iudaeos ipsos, quos obnoxios reperit. Nos qui non sumus ex gentibus orti, quas omnes Iudaei pro peccatoribus & impuris ducunt, quosque idololatrias reperit Euangelij praedicationis, sed genere sumus Iudaei nati sub lege cui recte pro tempore seruiuimus, tamen edociti, quod per eius legis observationem non contingat cuiquam homini uera iustitia, sed potius per fiduciam, qua salutem speramus nobis ex Christi gratuita beneficentia, diffusi legi maiorū, ad Christi fidem confugimus, cuius praesidio nobis ueram iustitiam, quae nos non hominibus commendet, sed deo, pollicemur, quam legis observatio, uelut inefficax praestare non potuit. Et post haec gentibus autores erimus, ut Christo diffusi, ad legis praesidia confugiant, cum habeamus ipsa re compertum, neminem omnino mortalium legis beneficio ueram consequi posse iustitiam. Alioqui quid erat opus ad Euangelij fidem transire? Quod si semel amplexi fidem Euangelicā, nihilo secius comperimus nos adhuc peccato obnoxios, ut rursus alio remedio sit opus, id quod nobis usu uenit in lege Mosaica, ac frustrati spe cogamur ad legem semel relictam denuo refugere, quid dicemus: an quod Christus, quem auctorem perfectae iustitiae credidimus, potius iniustitiae fomes sit, qui non solum non auferat iniustitiam pristinam, uerum etiam per occasionē addat iniustitiae cumulo, & adeo non conferat speratam salutem, ut grauiorem insuper adducat condemnationem, quando quidem huius fiducia legem reliquimus: ad quam si cogimur redire, uidemur eam uitio & inconsulte reliquisse, atque huius mali Christus uidetur occasionem dedisse. Sed absit, ut quisquam ita sentiat, existimetque euangelicae gratiae quicquam deesse, quod à Mosis lege sit petendum, ad

*Nūquid Chri-
stus peccati
minister est*

ad consequendam salutem. Etenim posteaquam Euangelij legem amplexi sumus, rursus ad Mosi legem recurrere, defectio quædam est à Christo, & Euangelij contumelia: imò quisquis Iudæus aut profelytus id facit, declarat sese Mosaicæ quoque legis transgressor rem. Nam si ea pertinebat ad consequendam salutem, cur reliquit? si non pertinebat, cur repetit? Si demolitus ædificium, rursus ab iisdem fundamentis erigo quod destruxeram, nonne uitium meum ipse prodo, qui instaurem quod non recte sim demolitus? Nihil est igitur causæ, cur semel amplexi fidem Euangelicam, per quam Christi benignitas perfectam, & iustitiam, & salutem nobis conferri uoluit, ad crassæ legis præsidia respiciamus, cui iam delinimus esse obnoxij. Nam quemadmodum mors alterius coniugum superstitem liberat à iure matrimonij, ita mihi Iudæo cum lege negocium erat, donec durante iure mutuo, & mihi uiuebat lex, & ego legi. Verum simulatq; per Christi mortem ac sacrum lauacrum addictus sum legi fidei, quæ spiritalis est, quodammodo mortuus sum legi crassæ: nec ita mortuus illi, ut desierim uiuere, sed ut felicius coeperim uiuere. Antehac uiuebam Mosi, nunc uiuo deo. Deus enim spiritus est. Quemadmodum Christus antea uixit mortalis, corpus nostris malis obnoxium circumferens, is mortuus carni, mortuus hominibus, nunc uiuit deo patri, liber ab omnibus mortalitatis iniurijs. At ego per baptismum unà cum Christo sum crucifixus, unà cum illo mortuus, rebus hisce crassioribus, quæ carnem potius quam spiritum sapiunt, adeo non teneor, ut illis sim mortuus. Neq; enim uiuo ego ille quondam crassus & carnalis, & humanis cupiditatib; obnoxius, mortuus est Saulus ille legis propugnator, & Euangelij persecutor, atqui hausto Christi spiritu, melius uiuo. Imò non uiuo ipse, qui ex me quidē nihil aliud quam carnalis sum, sed uiuit in me Christus, cuius spiritus omnia mea suo arbitratu moderatur. Porro quod nondum prorsus ab omni mortalitatis contagio sum immunis, sed adhuc corpus hoc circumfero, non nihil obnoxium humanis affectibus, ac mortalitatis iniurijs, quodammodo tamen uiuo uitam immortalem, certa spe conceptam, idq; fretus promissore filio dei, cuius gratuita beneficentia mihi contigit donum fidei, per fidem iustitia, per iustitiam continget immortalitas, nō ex obseruatione crassæ legis, sed ex inaudita charitate Christi, qui suapte sponte nihil pro meritis dilexit, adeo, ut pro meis peccatis crucis supplicium dependerit, pro mea salute semetipsum in exitium dederit. Gratuitum est totum, quod ille largitus est. Voluit ille nos salutem nostrā suā debere benignitati, non legis obseruationi. Vltro defert ille beneficium hoc omnibus. Aufert peccata, largitur innocentiam. Nōne sim ingratus, imò nōne contumeliosus in Christū, si quod offert, reiiciam? An non reiicit autem, qui post baptismū acceptum, ad legis præsidia respectat, quasi mors Christi non sit efficax sit ad abolenda peccata mundi totius, & omnibus conferendam salutem æternam? Etenim si per innocentiam contingit immortalitas, unde nobis quæso speramus utrumq; à fiducia legis, an ex beneficentia Christi? Si ex huius beneficentia, cur adhuc à lege pendemus? si ex legis obseruatione, Christus frustra mortuus sit necesse est, quandoquidem id, cuius gratia mori uoluit, per illius mortem non assequimur.

Per legē legi
mortuus sum

Quod autem
nunc uiuo in
carne

CAP. V. T. III



Vlgo male auditis stultitiæ, facilitatisq; nomine, sed hac in re ò uere stulti o insensati Galatæ, quibus res usq; adeo absurda persuaderi potuerit, ut cum Iudæos ab onere legis liberaret Euangelij fides, uos liberi nati, ultro dedatis uos in seruitutem? Quicquid est hic mali, non totū uobis imputo: uestrā credulitatem facilitatemq; accuso, sed magis accuso quorundā maliciā, qui uestros animos huc induxerunt, quos utinā sequi maluissetis, quam pestilens aliorum consilium. Quis fuit ille, qui uestre inuidens felicitati, qua hæcenus fruebamini per libertatem euangelicam, fascino uos læsit, ac pristinā mentem Christo dignā excantans, istam incantauit dementiam, ut ueluti Christo diffisi, ad frigida legis præsidia cōfugiatis: ubi nūc illa præclara fiducia, qua per mortem Christi sperabatis perfectam iustitiā ac salutem, absq; legis auxilijs? Quorum animis sic erat impressus Iesus Christus, unicus autor totius salutis, sic illum cernebatis oculis fidei, per crucem suam patri recōcillantem mundū uniuersum, quasi aut depictus fuisset conspectibus uestris, aut uobis testibus res acta fuisset, quæ acta est Hierosolymis. Plus uos uidistis, quam Iudæi, qui pendente in cruce conspicati sunt, & abnegarūt. Inter uos uere crucifixus erat, qui ex illius morte sperabatis æternā salutem.

Ad

Ad aeneum serpentem in stipite præfixum uertebatis oculos, à quo solo sperabatis remedium peccatorum omnium. Nunc subito mutati, quoniam auertitis oculos uestros: Si quid adhuc sanæ mentis superest, uel illud perpendite, quod in pròptu est, quodque uel cæcopol sit esse perspicuum, ne subtilib. ac longe repetitis argumentis uobiscum agā. Meministis uos nuper ad prædicationē Euangelij per baptismū, & manuum nostrarum impositionē concepiſſe spiritum Christi. Nō erat inanis persuasio. Linguarū, prophetiæ, sanationū, cæterarumque doctorum miracula docuerūt rem esse uirtutis diuinæ, nō humani præstigiij. Hunc autem spiritum unde tandē accepistis, ex circūcisione Mosaica, an ex eo quod per me credidistis Euangelio Christi? Alienis à lege Mosaica Christus tamen efficacem spiritum suum ob fidem uobis impartiuit, certum arrabonē promissæ felicitatis. Cur nunc aliunde speratis salutem, quam unde pignus salutis habetis tam euidenter? Si circūcisionē uobis prædicaui, & huius fiducia uobis contigit spiritus cœlestis, nihil obſto, quo minus aliquā salutis portionem acceptam feratis legi Mosaicæ: sin nihil præter Iesum Christum à medicistis, & in hunc unum coniecta fiducia, easdem dotis in uobis experti fuistis, quas per baptismum accipiunt Iudæi, quid est causæ, cur uobis putetis Iudaismum grauem & inutilem accersendum in contumeliam Christi? Cordatorum est, ab utrunque cœptis ad meliora proficere: uos contra, à tam præclaris orſis ad deteriora relabimini. Iudæi sub legis crassæ seruitute nati, relictis maiorum ceremonijs, ad spiritualem Euangelij doctrinam se conferunt. Vos contra, cum ab Euangelio uestram professionem sitis auspicati, in Iudaismum degeneratis. Illi ex Iudæis fiunt Christiani, uos cupitis à Christianis fieri Iudæi? Si lex Mosaica confert salutem, quid opus erat dare nomine Christo? Cur nunc relinquitis eum, cuius gratia tantum afflictionum estis passi ab ijs, quibus inuisum est Christi nomē? Desciscit enim à Christo, quisquis ex circūcisione sibi promittit salutem. Ergo ne committetis, ut tantum malorum ob Christi professionem frustra passi uideamini? Sed abſit, ut frustra pertuleritis ista. Errastis hæcenus iudicio, nō affectu, alieno impulsu uacillastis, non uestra malicia. Mature resipiscetis, nec patiemini pristinæ fidei uestræ perire fructū. Deus igitur qui impartit uobis spiritum suum, qui miraculorum argumentis declarat uim suam per uos, utrum id facit conciliatus uobis obseruatione legis Mosaicæ, an potius ex eo, quod nobis Christū prædicantibus credidistis? Si profelytos, qui cooptantur in Iudaismum, ubi circūcisi sunt comitatur ea uis signorum, quæ uos comitatur, est cur legem putetis expetendam: sin hæc solam euāgelicam fidem comitatur, cur aliunde speratis finem, quam unde uidetis ortum initium? Princeps circūcisionis & autor est Abraham, cuius filios se gloriantur esse Iudæi, qui ad illius exemplum circūciduntur. At ne is quidem ueræ iustitiæ laudem consequutus est ex circūcisione, uerū ex fide habita promittenti deo, cum nondum esset circūcisiſus. Neque enim legimus in Genesi, circūcisiſus est Abraham, & iustus factus est: sed credidit Abraham deo, & imputatū est illi ad iustitiam. Itaque quod posteris Abraham promissum est olim, non pertinet ad istos, qui præter circūcisionē nihil habent Abraham, sed qui tanquam germani filij, fidem parentis referunt, credentes euangelio. Porro qui circūcisione tumidi, filios Abraham iactitant sese, frustra gloriantur, cum nothi sint, non legitimi filij Abraham. Nam apud deum hi demum sunt filij Abraham, qui ad illius exemplum toto pectore credūt, fiduntque deo, nobis per Euangelij loquētē, quocumque genere ducant originem. Siquidem hæc propinquitas non sanguinis affinitate, sed æmulatione mentis censetur. Animaduertite uero, quam id quod nūc dico, iam olim scriptura præſenſerit ac significarit, uidelicet iustitiam omnibus sperandam ex fide, non paucis ex circūcisione. Quod hodie uobis prædicatum est per Euangelij, id tot retro seculis deus promiserat Abraham dicens: Omnes gentes laudem ac benedictionē consequentur in te. At fieri non potuit, ut omnes gentes ex Abraham nascerentur, & tamen omnibus per illum promittitur benedictio, tanquam illius posteris, nō utique ob sanguinis propinquitatem, sed ob æmulationē fidei. Siquidem filiorū est exprimere parentē. Proinde qui diffusi legis ceremonijs atque operibus, fidunt euāgelicis promissis, hi tanque ueri filij Abraham cum parente fidei, benedictionē illi promissam consequentur, exclusis ijs qui circūcisionis fidunt præsidio, seu nothis & adulterinis, & ad quos magis pertinet execratio, quam benedictio. Etenim quicunque pendet ex obseruatione legis Mosaicæ, quā tamen nō obseruant, obnoxij sunt execrationi. Ipsi Iudæi non possunt inficias ire, quādo constat ita scriptum

ptum in libro Deuteronomij. Execrabilis sit quisquis nō perstiterit in omnibus, quæ scri- Deuter. 27
pta sunt in libro legis, ac præstiterit ea, quæ lege subentur. Non promittitur iustitia seruanti
legem, at denunciatur execratio non seruanti. Quis autem est, qui totam legem præsta-
re possit, quæ cum uetando irriter peccandi libidinem, non confert tamē robur ad uincen-
dam animi cupiditatem. Deniq; ut maxime totam præstet aliquis, fortassis hic iustus ha-
bebitur apud homines, apud deum nō item: apud quem si nemo iustitiæ laudem meretur
per legis obseruationē, palam est nimirum esse uerū, quod scripsit Abacuc propheta, Iu- Abacuc 2
stum ex fide uiuere. Siquidem ut peccatum mortis est seminarium, ita uitæ fons est inno-
centia. Lex autem non nititur fide, sed obseruatione præscriptarum ceremoniarū: eas qui
seruari, uitam quidem assequetur, at non æternam uitam, quam pollicetur fides. Qualis
est iustitia, quā præstat lex, talis est uita. Apud homines iustus est, qui legis præscripta nō
uiolat, apud homines uiuit tutus à supplicio: at apud deū nec iustus erit, nec uiuus, nisi fi-
dat Euangelij promissis. Solus omnium Christus execrationi non fuit obnoxius, qui to-
tus innocens legi nihil debebat. Nos eramus obnoxij, ac per hoc execrabiles, uerum ille
nos obnoxios execratione liberauit, noxiam uertens in innocentiam, & execrationem in
benedictionē. Tantum abest, ut uos uoluerit ad legis seruitutem pertrahi. Quomodo au-
tem liberauit? Nimirum nostris admissis debitum supplicium ipse dependit innocens, &
execrationem quæ nos tenebat obnoxios, in se transtulit. ipse alioqui liber, & benedictio-
nis particeps. An non in se transtulit, qui pro nobis inter nocentes, ut nocens ignominio-
sum crucis supplicium nobis redimēdis subiit? Sic enim legimus in libro Deuteronomij: Deuter. 21
Execrabilis est quisquis pendet in ligno. Cur autem id fieri uoluit Deus? nimirū ut subla-
ta execratione quā inuehebat lex, benedictio per fidem succederet quondā Abrahæ pro-
missa. Succederet autē non solum Iudæis, uerum etiā gentibus, nō per legis beneficiū, quā
Christus abolitā esse uoluit, sed per benignitatē Iesu Christi, cuius morte recōciliati deo;
& à crassæ legis onere liberi, per fidem assequamur benedictionē euangelicā Abrahæ po-
steris promissam, posteris inquā non iuxta carnē, sed iuxta spiritū. Tuto fidamus deo, nō
enim frustrabitur quenquā. Quod pollicitus est præstabit. Id quo magis intelligatis, addu-
cam humanū exemplum. Nam cum inter deum & homines nulla sit comparatio, tamē
hominis testamentum aut pactum, ubi semel est comprobatum ac ratum, nemo rescindit, Hoc autem di-
co, testamen-
tū confirmatū
aut addit aliquid propter uoluntatem testatoris, Quo magis oportet esse rata pacta, pro-
missaq; dei. Is Abrahæ pollicitus est benedictionem, quæ contingeret omnibus gentibus
per illius semen. Semē dixit scriptura, non semina, ne per Moysen, aut Dauid, aut alios pro-
missum expectaremus, sed unicū illud semen designauit, ac uerum semen Abrahæ patris
æterni, Iesum Christū, in quem nos insiti per baptisum, & spiritus communionē, eadem
per illum expectamus, quæ illi iam præstitit deus. Sed ut propositum conferamus exem-
plum, quod deus semel pactus est Abrahæ, antequam lex esset lata. idq; pactum ratū esse
uoluit, non potest irritum facere lex succedens promisso. Atqui id fieret, si benedictionis
hæreditas Abrahæ posteris promissa, deberetur ex legis obseruatione, cum in pacto nul-
la sit legis conditio. Nā qui potuit esse, cum lex ipsa nondū esset? Alioqui fingite legē non
successisse, nihilo secius præstitisset Abrahæ posteris deus, quod illi pactus fuerat. Quod si
huius felicitatis hæreditas debetur ex promisso, & promissum ante legem, nullam habet
admixtā legis obseruandæ conditionē, cur ab eo secludimus alienos à lege, sed non alie-
nos à fide? Nam si legis beneficio contingit hæreditas, uidetur irritum reddi pactum dei,
quod præstare nolit, nisi conditio legis accesserit. Perinde quasi quispiā cum homine pa-
ctus se daturū illi filiam suam uxorem, contractū rite peractū, post neget se daturum, nisi
is uicissim sororē suam ipsi locet, cum pacti tempore soror illi nondū esset nata, nec in pa-
cto fuisset ulla mentio mutui coniugij. Gratuitum erat dei promissum, solaq; fidei cōditio
ne ratum erat, eam quisquis præstat, promissi ius habet. Quid igitur
lex
At dixerit quispiā, si hinc erat
speranda salus, quo consilio postea deus addidit legem inutilem? Non profus inutilem:
nam tametsi non confert innocentiam, tamen coercesc peccandi licentiam, dum malas cu-
piditates ceremonijs, ceu cancellis quibusdam cohibet. Nec data fuisset ea lex, nisi com-
pulisset hominum effrenis malicia: nec tamen in hoc data est, ut tota quolibet in æter-
num obstringeret, sed ad tempus à Deo præfinitum, typis interim delinians Christum,
supplicijs deterrens à peccando, & promissis inuitans ad innocentiaē studiū, in hūc usum
instituta

instituta lataq; per angelos autore deo, donec euolutis seculis ueniret semen illud unicum, per quod deus Abrahamæ promiserat salutem omnibus legitimis Abrahamæ filiis. Sic autem lata est per angelos, ut totius legis potestas esset penes Christum, qui sic medius intercessit inter Mosaicam legem & Euangelij gratiam, ut illius esset finis, huius initium: sic medius interponens se inter deum & homines, ut ipse naturam in se utranque complecteretur, utranq; alteri conciliaturus. Atqui conciliator, qui intercedit, inter plures intercedat oportet. Nemo enim secum ipse dissidet. Deus autem unus est, qui cum dissidium erat humano generi. Proinde tertio quopiam erat opus qui nature utriusq; particeps utranq; inter sese reconciliaret, deum placans sua morte, & homines sua doctrina ad uerum dei cultum pelliciens. Num igitur lex pugnat cum promissis dei? Nequaquam. Nec enim succedens irrita reddidit promissa dei, sed homines in expectatione promissorum continuit, quos magis capaces essent euangelicæ gratiæ. Nec ideo nunc cessat lex quod aduersaretur promissis diuinis, sed quod æquum esset umbras cedere ueris, & rem inefficacē efficacī. *Si enim lex data esset* si lex eiusmodi data fuisset, quæ uere uitam largiri posset, tum nec erat futurum cur abrogaretur: nec opus fuisset Euangelij præsidio, cum ex lege uere contingeret hominī iustitia. Satis igitur fuisset huic fidere, quicumq; salutem ambirent æternam. Nunc ne suis operibus freti negligenter Christi gratiam, in hoc data lex est, quæ præscriberet, quid agendū, quid uitandum, ut omnes intelligerent sese peccatis obnoxios, dum quod per legem didicerunt esse nefarium, non uitant tamen, nimirum uicii suis prauis cupiditatibus, atque ita morbum agnoscentes suum auidius amplecterentur oblatum Euangelicæ gratiæ remedium. Nam ante præscriptum legis impune peccabant, cum licere uidebatur, quod liberabat: & habebant quod admissis suis prætexerent. At lex sic eos constrinxit, ut nō possent elabi, quin faterentur se commeruissē pœnam, quādo negari non poterat, honestum esse, quod lex præscriberet. Hoc consilio, cum deus nobis nostri fiduciam ademisset, ac malum nostrum nobis posuisset ob oculos, declaratum est promissum illud, quod pollicitus est deus Abrahamæ, quodq; soli Iudæi, ueluti sibi peculiariter promissum expectabāt, tanquam soli Abrahamæ filij, ad omnes pertinere, quocumq; fiducia erga deum reddidisset ueros Abrahamæ filios, non ex merito legis obseruata, sed ex eo quod sincero pectore crederent Euangelio, per mortem Iesu Christi, & innocentiam omnibus contingere, & uitam ac salutem. Et ad hanc quoq; rem pro tempore seruiebat lex Mosaica, quæ Iudæos partim minoris suppliciorū, partim expectatione promissorum, partim adumbratione uenturi Christi, ceu uallo septos cohercebat, ne prorsum in omnem impietatem dilapsos, neq; dignos, neq; capaces euangelicæ gratiæ Christus adueniens offenderet. Ex legis igitur promissis utcumq; somniabant Euangelij mysterium. Huius igitur custodia tantisper fulciebantur, donec aperiretur quod lex adumbrasset per inuolucra, iamq; uigilantes clara luce cernerent exhiberi, quod ante ceu per somniū expectassent. Lex igitur non præstabat iustitiam perfectam, sed rudi populo ceu pædagogus erat addita, ut quos honesti ratio nondum poterat in officio continere, eos supplicij metus arceret à magnis flagitijs, atque ita paulatim proficientes ad Christum perducerentur, à quo solo ueram expectarent iustitiam, pristinis diffusi ceremonijs. Pædagogus autem non sic additur pueris ut semper adsit, sed tantisper donec adulti iam, suapte sponte ferantur ad honesta: nec opus habeant, ut metu mali coerceantur à flagitijs, sed patris hortatu sponte uolentesq; rapiantur ad ea quæ sunt honesta, uicissim imperantes pædagogo, cuius austeritatem ad tempus salubrē pertulerant. Quemadmodum igitur pater, tametsi liberos habet unice charos, tamē cogit ad tempus seruire pædagogo, cui mox sint dominaturi: ita deus populum suū rudem adhuc & crassum, legis austeritate coercuit, donec concepta fide euangelica iam sibi redditi, desinerebunt esse sub iure pædagogi, sed tanquam ingenui filij, sub benignissimi parentis clementia libere uiuerent. Neq; uero solos Iudæos deus pro filiis suis ducebat, quanquam his solis datus est pædagogus: imò quicumq; per fidem euangelicam inseruntur corpori Iesu Christi, eiusq; spiritum hauriunt, hi redduntur filij dei, posteaquā idem cum Christo facti sunt. Quod si id per quod Christo iungimur, commune est omnium, qui minus deus omnipotens ex æquo filios agnoscet: Per baptismum autem, non per circumcisionē hausistis spiritum Christi. Quotquot igitur baptizati estis, in Christi consortium transistis, hac parte inferiores Iudæis, qui circumcisionis priuilegio sese uenditant. *Ceteris in rebus, quæ sunt hominum*

Quicumq; in Christo baptizati estis

hominum indulgentia pendent, cōditionis, ac personarum discrimen habetur, hoc suum beneficium deus ut gratuitum esse uoluit, ita uoluit om̃ibus esse cōmune. Per baptismum renascimur, ac subito uelut in aliam creaturam transformamur. Nec imputatur cuiquam, quod quidem ad hoc donum pertinet, quid quis fuerit ante baptismum, Iudæus an Græcus, seruus an ingenuus, masculus an fœmina. Omnes per baptismum transitis in Christi corpus, ex æquo participes huius doni, uelut à capite in omnia mēbra dimanantis. Quod si Christus est illud semen Abrahæ per quod deus pollicitus est omnibus gentibus benedictionem, uos quoq; Christo insiti, posteritas Abrahæ sitis oportet. Si posterius Abrahæ, igitur uelut hæredes in ius promissi uenitis. Si nomen filij datur per Christi consortium, & in hoc omnes ex æquo recipiuntur per fidem ac baptismum, hæreditas ad omnes ex æquo pertineat necesse est.

CAPVT IIII

ID ius iam olim quidem debebat ex promisso, sed nunc demum in illud admittimur, quod, ut ante diximus, quemadmodum iuxta leges humanas, hæres quam diu minor est, non exercet ius suum, imò nihil differt à seruo, cum natus sit dominus omnium, sed metu cohibetur, sed alieno arbitrio ducitur, sub tutoribus & actoribus agens, usq; ad ætatem adultam, quam legis aut patris uoluntas præscripserit. Idem & nos olim, cum nondum essemus capaces huius doni, quod animos planè cœlestes requirit, nec mentes nostræ iustum etiamnum robur collegissent, puerorum in morem crassioribus quibusdam legibus cōtinebamur, accommodis uidelicet imbecillitati nostræ: ut qui nondum cœlestem illam doctrinam saperemus, sed his tantum commoueremur, quæ corporeis oculis cerni possent: quod genus sunt ista, quæ constant elementis huius mundi crassioris, uelut dierum discrimina, delectus ciborum, cultus differentia, pecudum uicissimæ, nota corporis. His omnibus ad tēpus paruimus seruatorum ritu, donec maiorum nondum eramus capaces. Verum simulatq; impuberes esse desimus, posteaquàm ad ætatē adultam uenire contigit, exacto temporis modo, quod pater æternus arcano suo cōsilio præstituerat nobis, non passus est nos deus amplius seruire præceptis crassioribus, sed in hoc misit deus, non Moysen, aut prophetam, sed unicum filium suum Iesum Christum. Misit autem non per somnium aut uisum, sed palam omnibus sensibus nostris exhibuit, hominem ex muliere nasci uoluit, nostræ naturæ malis obnoxium, quo præsens nostris calamitatibus mederetur, quem & circumcidi, reliquamq; legis seruitutem pati uoluit, ut Iudæos, quos legi reperit obnoxios, à legis onere redimeret, ne quisquam postea uelut impubes, tãquam sub actoribus seruiret, sed omnes in libertatem filiorum ascisceremur: nam seruitus pugnat cum filij uocabulo. Atq; ut certo argumento doceret diuina bonitas, nos in libertatem filiorum esse assertos, amoto suppliciorum metu, spiritum unici filij sui infudit intimis cordibus nostris, qui nobis certissimus testis est, quod simus filij dei. Siquidem aliud spirat, aliud clamitat spiritus seruilis, aliud filiorum affectus. Ille deprecatur iram domini, hic ingenti fiducia clamitat: Abba, pater. Nec dubitamus quin deus agnoscat pietatis & charitatis, non metus appellationem. Quod si secus esset, neq; Christus suos appellaret fratres: neq; docuisset, ut communem deum patris uocabulo compellaremus: Pater noster, qui es in cœlis. Proinde cuiusq; deus filij sui spiritum impartit, is iam non seruus est, sed filius. Quod si filius est per Christum, per eundem & hæres sit oportet. Quisquis enim adoptat alterum in nomen filij, is in ius hæreditatis asciscit. Sed quemadmodum Iudæi pro tempore crassa religione, uel superstitione magis cohibebantur, ne prorsus ab omni religione dilaberentur: ita uos quondam cum deum uerum ignoraretis, ex maiorum instituto coluistis dæmones, qui cum dii credantur, re non sunt dii: quod propior uideatur ueræ religioni, qui falsa religione tenetur, quàm qui prorsus credens nullum esse numen, nullo religionis affectu tangitur. Iudæis non imputatur, quod pro ratione temporis maiorum institutis seruierint, à quibus tamen ad uerum pietatis studium sese contulerunt, posteaquàm meliora sunt edocti. Nec uobis imputatur cultus simulacrorum, quæ rati numen habere per errorem adorastis, posteaquam per euangelicam doctrinam uerum deum cognouistis: imò ut melius dicam, posteaquam ab eo cogniti estis. Neq; enim ille à uobis repertus est, sed ipse uos ad se pertraxit afflatu, quemadmodum quod illum nunc ut patrem diligitis, non aliunde est, nisi quod ille prior dilexit uos. Errori pristino facile ignotum est, uerum inexpugnabile flagitium sit, post cognitam

*Sed nunc qui
dem nesciunt
deum*

*Estote sicut
ego, quia et
ego sicut uos*

veritatem, ultro ad pristinum errorem relabi. Iudæi cognito uero cultu pietatis, à suis de-
fiscunt ceremonijs: uos ab idolorum cultu reuocati, ac per euangelium ueram edocli pie-
tatem, accepto cœlesti spiritu, rursus ad Iudaicā seruitutē uosmet præcipientes datis: ut cum
liberi sitis, tamen ultro seruire cupiatis elementis huius mundi, quæ nec uim habent ad
conferendā iustitiam, nec efficacia sunt ad salutē. An nō eō relabimini, dum Iudaica super-
stitione obseruatis dies, mēses & annos, aliasq; temporū differētias, perinde quasi sabbatū
fini, neomeniæ, dies festi, aliāq; tēpora, in quibus Iudæi certa quædā exercent, aut à certis
rebus, ceu nefastis abstinent, quicquā conferāt ad ueram salutē, cum omnia tempora libe-
ra sint Christianis ad cultū pietatis. Si uere Christo fiditis, unde ista superstition? Si nō fidi-
tis, uereor ne frustra tantū laboris susceperim, in uobis instituendis. Siquidem exciditis à
Christo, si Iudaismū admisceris. Ne cōmittatis, ut & ego meam operam luserim, qui per
uarias afflictiones uobis euangeliū tradidi, et uos tantum malorū frustra pro Christo passi
sitis. Quin potius tales sitis, qualem me uidetis esse neglecta legis obseruatōe soli Christo
fidentem. Quandoquidē & ipse quondā fui, quales nunc estis, arbitrans eximiam quan-
dam esse pietatem, circumcidī, seruare sabbata, delectū ciborum, pecudum uictimas, qua-
rum rerum zelo tum persequabar ecclesiam dei, quæ omnia nunc ut inutilia negligo. Fra-
tres, quod hæc uehementius uobiscū expostulo, uestrum, mihi credite, non meum ago ne-
gocium. Ipse poterā recti conscientia contentus esse. Non ideo uobis insensus sum, quod
me affeceritis iniuria. Vestri me miseret, si à cœptis tam præclaris degeneretis. Facite ut si-
tis constantes, semperq; ad meliora proficite potius, quàm ad deteriora relabamini. Ego
me, primum prædicans uobis euangelium Iesu Christi, ad uestrā imbecillitatē deieci, uos
uicissim nunc ad meā firmitatē assurgite, nolite præclaram illam fidei uestre gloriam amit-
tere. Nostis enim quod pridem cum uobis traderem euangeliū, nihil magnificū præ me
tulerim, sed humilis & abiecti homunculi speciem gesserim. Videbatis hominem tenuem
obnoxium malis, multis inuisum ob Christi nomen, multis afflictionibus diuexatum, ad
hæc simplici rudiq; sermone, Nihil aliud prædicaui uobis, quàm Iesum Christum pro uo-
bis crucifixum, & tum tanta erat prōptitudo fidei uestre, ut hisce rebus nihil offensus non
releceritis, neq; spreueritis euangelium nostrum, cum ex eius fide immortalitatem polli-
ceremur. Imò summo studio, summoq; cum honore excepistis me, non ut Paulum, sed ut
angelum dei, imò ut ipsum Iesum Christū: propterea quod intelligeretis, non humanam
esse doctrinā, quam ad uos adferebā, sed diuinam neq; me meum ipsius agere negotium,
sed Iesu Christi. Deum igitur in me, Christū in me uenerati estis. Hæc docent fidē uestram
spectatissimam aliquando fuisse, quæ tam prompta fuerit, quæ tam cōstans, ut nullis meis
malis, nulla specie humilitatis potuerit languescere. Gratulabar uobis isto nomine, bea-

*Ubi est ergo
beatitudo ue-
stra* tos iudicabā, me felicem ducebā, qui tales habere discipulos. Quod si pœniret uos cœptor-
um, ubi uestra illa felicitas, ubi mea, cum & ego mihi de uobis, & uos uobis de me gratula-
labamini. Nam illud uere de uobis testari debeo, tanta erat animi uestri erga me propen-
sio, ut uel oculos uestros erutos daturi fueritis, si res ita tulisset. Vnde nunc à nobis alienae-
ti, nouos apostolos uobis asciscitis, à quibus Iudaismum discatis: Illi fucis ac blādiloquen-
tia uos illectant, sibiq; conciliant, non ea prædicantes, quæ uestræ salutī cōducant, sed quæ
ad ipsorum quæstum ac fastū faciant. Ergo ne ob id factus sum uobis inimicus, quod sim-
pliciter ac uere monuerim, quæ uidebam ad uestrā salutē pertinere? Equidem uideo Ga-
latæ quid agatur, ambiunt uos quidam, ac ueluti mihi inuidentes captant, at non sincero
animo. Non enim hæc faciunt, quo uobis consulant, sed ut uos ab euangelij libertate se-
clusos retrahant in Iudaismū, cui ipsi sunt obnoxij. Quærūt enim alios sui similes reddere,
quo uideantur ipsi rem præclaram ac mirificā sectari pariter ac docere. Ne putetis quidē
*Aemulamini
in bono sem-
per* uis in quouis æmulandū esse, uerum quod rectum est, decet æmulari, idq; constanter, non
modo cum præsens sum apud uos, uerum etiā cum absūm. Vidistis me legis ceremonias
negligere, nihil prædicare præter Christum, æmulabamini præsentē. Si id rectum erat, cur
nunc absente me uultis alios æmulari in ijs, quæ recta non sunt? Utinam liceret uobis oculos
uestros in pectus meum inserere, cerneretis nimirum, quanto cum animi dolore scri-
bam hæc. Filioli mei, semel uos genui Christo, nō sine multo nixu ac molestia, nunc descen-
scentes à Christo denuo parturio, donec plene formetur in uobis. Semē bonum ieceram:
unde pure Christianos nasci cōueniebat, sed nescio quo fascino degeneratis in Iudæos, &
in aliam

in aliam formam transitis. Christus coelestis est, spiritalis est, uos terreni ac carnales esse tenditis. Sed affectum animi mei non satis exprimit epistola. Utinam nunc liceat apud uos esse ut quod literis utcumque significo, possim uia uoce uobis aperire. Non nihil adderet uultus, non nihil lachryma, non nihil ipse uocis ardor. In omnia me mutare, quo uos reuocarem ad Christum, nunc blandiens, nunc obtestans, nunc obiurgans. Orationem melius ad uarietates animorum & ad rem praesentem accommodare. Experirer omnes remediorum uias, donec omnes ad sanitatem reuocarem. Nunc cum uideam uos partim ad Iudaismum relapsos, partim huius periculo proximos esse, partim, ut spero, constantes in eo quod a nobis didicistis, in uarias curas metusque mihi distrahit animus, neque satis consilij est, qualibus literis tanto malo queam mederi. Iam ut eos peculiariter appellem, quibus omnino cordi est, in legis seruitute reuolui, quaeso ut mihi respondeatis. Si lex Mosi placet, cur non huius auctoritate sequimini, si parum creditis euangelio? Siquidem ipsa quoque lex Mosi, uult eos qui cooprantur in societate Christi, liberos esse a seruitute legis. Accipitis legem, & non audistis legem, aut si audistis, non intelligitis, quoniam haerentes in cortice literae non penetratis ad medullam spiritus. Scriptum est enim in libro Geneseos, Abraham, qui princeps ac pater credentium fuit, duos fuisse filios, quorum maiorem, uidelicet Ismaelem, sustulit ex ancilla Agar, minorem Isaac, ex uxore legitima Sara. Verum is qui natus est ex ancilla, iuxta morem hominum communem natus est, nec quicquam aliud erat, quam filius Abraham, quemadmodum sunt & Iudaei, quamlibet a Christo alieni. Is uero qui natus est ex uxore libera, praeter communem ordinem naturae, ex effœta matre, ex uetulo patre, iuxta diuinum promissum natus est: & quibus aetas & corporis imbecillitas haereditis desperationem ingerebant, his promissio diuina certam fiduciam prolis addidit. Itaque prior ille filius naturae debebatur, hic fidei. Neque uero fabula haec, praeter gestae rei narrationem nihil habet retrusoris mysterij. Nam huiusmodi ferme est lex Mosaica, ut quemadmodum in homine, sub crasso corporis operculo latet animus corporis moderator, ita sub historia penitus quiddam ac sublimius tegatur. Scrutemur igitur, quid nobis significant, per allegoriam duae matres, quid duo filij. Nimirum duae matres adumbrant duo testamenta, quorum alterum addidit populum seruituti legis obnoxium, alterum populum per fidem liberum ab onere legis. Siquidem Sina mons est in Arabia, quae Chaldaeorum lingua Agar ancillae nomen refert, confinis monti Sion, in quo sita est ciuitas, cui quondam erat nomen Iebus, nunc Ierusalem dicitur. Porro qui montem accolunt Agar & hodiernis temporibus seruitutem seruiunt, ueluti gentis auctorem conditione referentes. Caeterum Hierosolyma, quae cessit posteris Isaac, nescit seruitutem. Ea ciuitas quoniam in aedito sita est, coelestem illam patriam, in cuius municipium asciti sumus, adumbrat. Ea mater est non solum Iudaeorum, sed omnium etiam nostrum, qui Christo credimus. Lex Mosaica terrena est, lex euangelica coelestis, nimirum e caelis profecta. Ut corpus seruit animo, ita quod crassum est, seruire est, quod spirituale, cum libertate coniunctum est. Lex Mosaica prior addidit suum foetum, lex euangelica, tamen si serius enixa est, tamen quanto copiosior sobolem genuit deo. Illa duntaxat unicam gentem produxit, nec eandem admodum numerosam. Haec totius orbis nationes complectitur. Atque id ne fortuito quis putet accidisse, iam olim fore praedixit Esaias, qui prophetico spiritu prospiciens gentium multitudinem ad Euangelium Christi undique conuolantem, exultat hisce uerbis: Letare sterilis, quae non paris. Erumpe in gaudij uocem, & clama quae non parturis. Nam longe plures tui filij, quae orba & effœta uidebaris, quam eius quae uirum habet, ac miram posteritatis spem de se pollicebatur. Per paucos Iudaismus olim commendauit deo, plurimos autem fides euangelij deo conciliat, ac sine fine conciliatura est. Videtis duas matres, uidetis duos filios, duarum gentium auctores. Qui legem Mosaicam adhuc mordicus tenent, ad Ismaelem ex ancilla natum pertinent. Nos uero qui relicta legis fiducia, per fidem synceram ab uno Christo pendemus, ad Isaac pertinemus, qui ex libera non secundum carnem natus est, sed iuxta dei promissum. Nec enim ideo recipimur ad salutem euangelicam, quod sub lege nati sumus, sed quod deus olim promiserit salutem omnibus, qui per fidem accederent in consortium filij sui Iesu Christi. Quin hac quoque parte pulchre congruit allegoria, quod utraque posteritas sapit originem suam. Siquidem quemadmodum olim Ismael natus grandior, qui iuxta carnem duntaxat fuit filius Abraham, tenerum adhuc Isaac persequabatur, ex promisso dei natum, iam tunc inter colludendum plus sibi uindicans, quam a quo erat, ita nostris quoque temporibus, qui carnali legi

Confundor in uobis

Gen. 20

Quae sunt per allegoriam dicta

Es. 4. 5

Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem

Gene. 21 harent, inuisos habent eos, qui spiritalē euāgelij legem amplectuntur, ipsq; praeire conantur, quasi uindicantes sibi ius primogenitorum, quod uni debebatur Christo: ac uerustatis prerogatiua, matris ingenuae filios in seruitutem communem pellicere conantur, uidelicet quo ipsi serui maiores, minoribus quodammodo dominantur. At non probat mater ingenua commercium hoc. Non uult misceri dissimiliter natos. Clamat enim protinus indignata, quemadmodum refert scriptura: Eijce ancillam & filium eius, nec enim patiar, ut haeres sit filius ancillae, cum filio meo Isaac. Nimirum haeret synagoga ihs, qui crediderunt euangelio. Nimirum urgent Iudaei Christianos, quorum inuidet libertati. Si mater serua non uult sponte discedere, pellatur potius, quam cōmercio seruili filium corrūpat meum. Isaac promissa est, ac debetur aeternae salutis haereditas. Agar efferat si uelit secū hydriam insipide legis, quam deamat. Meus Isaac efficacem euangelicā doctrinā succū bibens feliciter adolescet usq; donec euadat in uirum perfectum. Proinde fratres mei, sinite ut Iudaei, quibus nimirum pertinaciter placet lex seruilis, suam sibi habeant seruitutē, nec à matris ingenio degenerent, Nos qui & ipsi fuimus aliquando seruituti legis obnoxij, & tanquam filij Agar ancillae, persequuti sumus ingenuos ecclesiae filios, nunc exempti sumus à seruitute pristina, & cooptati in ius filiorum Sarae. Hanc libertatem Christo ferimus acceptam, cui per fidem sumus insiti, sic ut in commune ius haereditatis promissae uenerimus. In eam libertatem, in quam nos Iudaeos Christus suo precio, ueluti postliminio restituit, uos gentes uocauit per euangelium.

CAPUT V



Testificor autē omni circū Nihil superest, nisi ut in eo quod semel estis assequuti, persistatis. Nam quā de mentia sit, à libertate, quā uobis gratuito contigit Christi beneficio, ultro in seruitutis iugum inferere colla uestra. Nos experti seruitutis molestiam, gratulamur nobis, quibus tandem contigerit libertas: uos libertatē perterriti, ultro seruitutem affectatis. Fortassis sic uobis ipsis blandimini. Non desciscimus à Christo, sed legē cum Christo copulamur, quo certior sit salutis expectatio. Christus totū hoc beneficium, ut omnibus uoluit esse commune, ita sibi soli acceptum ferri uoluit: non patitur in hoc negotio consortium. Atq; ut intelligatis quanto periculo meditemini Iudaismū: en ego uobis non ignotus Paulus gentium apostolus, & apostolus institutus ab ipso Christo, palam edico uobis, si circumcidamini, Christus uobis nihil profuturus est. Etenim si uere creditis ab hoc perfectam salutem omnibus praestari posse, cur accersitis circumcisionem? Sin diffiditis, nondū agnoscitis beneficiū Christi, cuius participes esse nō possunt, qui diffidunt: nā soli fidei datur, nō meritis operū. Aut planē Iudaei sitis oportet, abdicato Christo: aut planē Christiani sitis oportet, reiecto Iudaismo. Nō fert ille claudicantes utroq; pede, non uult uinum nouum infusum utribus ueteribus, non uult uerus infusum nouis utribus, Non fert assutum pannum nouum uestimento ueteri, non fert uesti noua ueterem pannum admixtū. Si leuis esset seruitus, fortasse negligi poterat: si grande praemiū esset seruitutis, poterat cōditionis onus mercedis magnitudine pensari. Nunc praeterquam quod onus est molestissimum, adeo nihil est lucri, ut damnum maximum sit capiendum. Neq; uero uobis ipsi blandientes, uos ipsos fallatis. Non illigabimus nos uersae legis sarcinē, tantum aspergemus aliquid ex lege, ne prorsus simus alieni, recipietur circumcisio duntaxat, uiclimē pecudum, ceteraq; id genus non recipientur. Ego contra, ne quid inscientes erretis, clara uoce testor omnibus hominibus: quisquis se circumciderit, siue Iudeus sit, siue secus, obnoxium se facit obseruandae toti legi. Quemadmodū enim per baptismum toti dedicamur Christo, ita qui circumciditur, totus dedicatur legi. Nam hac ueluti tessera, in genus Iudaicum cooptatur. Liberum est ex lege quādam decerpere ihs, qui circumcisi non sunt. Ceterū circumcisos tota lex habet obligatos. Cui circumcisio placet, huic & uiclimae, & sabbata, & neomeniae, & lotiones, & ciborū delectus, et statuta feruonia, aliaq; id genus placeant oportet. Tantum onus ultro accersere, nōne manifestariae cuiusdam dementiae est, praesertim hac mercede, ut ob molestissimā & inuilem seruitutem, à Christo libertatis ac salutis unico autore desciscatis? Etenim, ut saepe iam dixi, si ueram iusticiam expectatis à legis praesidio, quā per operis fiduciam promittit qualemcunq; iusticiam, nimirum alieni facti estis à consortio Christi, qui suum donum gratiae esse uoluit, non meriti. Quod si disceditis à Christi cōubernio, ne lex quidē uobis erit usui, imò perniciem adferet. Etenim si quem usum habebat ante lucem Euangelicā, eum totum amittit euulgato

Enduati estis Christo

euulgato iam euangelij mysterio. Si lex apud uos ualet, Christus est antiquatus. Si ualet Christus, lex antiquata sit oportet. Cum legem dico, crassam illam atq; carnalem Mosaicę legis partem intelligo, quam solam mordicus tenent Iudęi, ex obseruationibus ad corpus pertinentibus sibi pollicentes perfectam iustitiam, existimantes quod pecudum sanguis aspersus, expiet animum à peccatis, aut aquę lauacrum mentium sordes abstergeat, aut cibus purus, aut impurus animū expurget, aut inquinet. Nos cōtra spirituales legis portiones amplexi, non ex huiusmodi rerū corporalium superstitione obseruatione promissam iustitiam expectamus, sed ex eo quod per euangelium credimus, ueram innocentiam ueramq; salutem per Christi mortem nobis gratis donari. Nihil autē refert, utrum circuncisus uenias ad Christum, an incircuncisus, quando totum hoc negocium non ab obseruatione legis, sed à fide pendet, cui licet desint opera legis Mosaicę, non est tamen ociosa, uerum occultos imperus addit ad omnia pietatis officia, nō ex præscripto legis, sed ex charitate, quę nullius iussu, suapte sponte, multo plus præstat, q̃ ulla lex posset extundere uel minis, uel supplicijs. Hęc cū adest, quorsum opus legis præscriptor si non adest, ad quid cōducit legis obseruatio? Bene currebatis in euangelij stadio, ad æternę felicitatis brauium recta properantes, Quis impediuit cursum uestrum? Cur quod semel placuit non probatis constanter? Cur uestro decreto rescisso, in alienam sententiam pedibus itis? Cauete ne cuiusquam hominis autoritas tantū ualeat apud uos, ut ab instituto cursu cessetis. Semel credidistis ueritati, turpissimū est nunc ad umbras deflectere. Quod ego docui uos, autore deo docui. Ceterū qui uobis diuersa persuadere conantur, qui fidei uestre cursum interpellantes, ex transuerso auocant ad Iudaismum, non sequuntur autorem deum (qui uos ad gratiam uocauit per fidem, non ad Iudaismum per circuncisionem) sed sequuntur humanas cupiditates, suo quæstui, suę glorię, suęq; tyrannidī seruientes. Etiam atq; etiā cauendum ab istorum oratione, pauci sunt, sed hi pauci nō uidentur, periculum est, ne totam multitudinem inficiant, ac totius uestre cōgregationis uitient synceritatem, quemadmodum uidetis à paululo fermenti, totam consersionem acidam reddi cui fuerit admixtum paulatim acorem suum per omnem farinam antea synceram diffundens. Quantulacumq; portio Iudaismi, si cum Euangelio misceatur, totius fidei uestre synceritatē uitiat. Sed quandoquidē haftenus alieno impulsu cœpistis uacillare, certam ipem de uobis cōcipio, quod in pristina sententiā perseuerabitis, partim quidem fretus animis uestris pridem mihi perspectis & exploratis, sed multo maxime auxilio Christi. Is dedit, ut alacriter inciperetis: Idem dabit, ut fortiter perseueretis. Ceterum quisquis est ille, qui fidei uestre tranquillitatem puritatemq; noua doctrina perturbat, non effugiet iudiciū dei, quamuis fefellerit homines. In præsentia certis de causis, nec prodo qui sit, nec in illum sæuio: deo tamen cui nō est ignotus, quiq; nullius autoritate cōmouetur, poenas dabit, quem læsit potius, quam me. Neq; uero uos moueat, si quidam iactitant, me quoq; non abhorrire à legis obseruatione, qui sæpenumero Iudæus factus sim Iudæis, ac Timotheum circunciderim. Compulsus id feci, atq; identidem reclamans, illiq; tum tēpori cessi, quo neq; periculi multum adhuc uidebatur imminere, si fecissem, & grauis tumultus, si fecissem. Nunc diuersa temporis ratio, diuersum consilium postulat. Postremo aliud est pati circuncisionē, aliud prædicare circuncisionem. Passus sum, ut Timotheus circuncideretur: nunquā docui oportere circuncidi. Ita frequenter cū Iudæis agens à uetitis lege cibis abstinui, nunquā præscripti cuiquam ciborum delectum. Imò contra docui, nihil referre quibus cibis uescaris, modo sobrie cum actione gratiarum. Erat tempus cum nō nihil dandum esset inuincibili persuasioni Iudæorū, nunc quando satis eluxit euangelium, & pertinacibus animis hoc agunt Iudęi, ut gentes etiam in suam pertrahant superstitionem, neq; rectum est, neq; tutum uacillare, sed libera fronte predicandū est, cessisse legem Mosaicā, amplectendā omnibus libertatē euangelicā. Nam si uerū est, quod isti dicunt, me circuncisionis autorem ac præconem esse, quid igitur est cur me Iudęi tam obstinatis odijs in hodiernum usq; diem persequuntur? Nam hinc omne gentis odiū in me, quod sic prædicē euangelium Christi, ut doceam cessare legem Mosi. Illi putant se pluri habendos apud omnes, si Iudaici ritus admiserentur Christo. Nunc discruciantur inuidia, quod omnib. per fidē ad eam gratiā admissis ipsi circumferunt inuile circuncisionē. Atq; hæc præcipua causa, cur iam pridē obstinatis animis mihi perniciē struunt, quod per Christi crucē omnibus polliceor perfectam

*Currebatis
bene*

*Ego confido
in uobis*

salutem, absq; circuncisionis præsidio. Quod si circuncisionem adhuc prædico, quæadmo-
dum quidam calumniantur, cur non cessant Iudæi me persequi, cū sublata sit causa, cuius
gratia fueram illis inuisus? Mihi credite Galatæ, semper eadē fuit, & futura est mea prædi-
catio. Videte, ut uestra fides itidem sit eadem. Tantum enim abest ut assentiar istis, qui cir-
cuncisionē docent, ut si non queant à sua lege distrahi, distrahantur penitus ab euangelij
consortio, potius quàm uos labefaciant, & à recto statu sua persuasione dimoueāt. Si tam
pertinaciter placet istis circuncisio, faxit deus ut non solum circuncidantur, uerum etiam
prorsus abscidantur, ut affatim habeant quod amant. Præstat illis perire solos, quàm alios
tam multos in ruinam secum trahere. Fruantur sua pudenda seruitute, si tam collubitū est
ipsis. Vos fratres non in seruitutem, sed in libertatem estis uocati per euangelium. Neque
quicquam aliud restat nisi ut caueatis, ne libertatē acceptam per Christi spiritū, per occa-
sionē accōmodetis ad carnis cupiditates. Nam ita sublata est seruitus legis, ut in huius ui-
cem successerit charitas euangelica, quæ plus impetrat à uolentibus, quàm lex exculper-
bat ab inuitis. Nec tamen dominatus aut seruitus est inter amantes, inter quos mutuum est
obsequium. Lex non præcipit, ut pro capite amici tuum caput opponas, ut tuum defrau-
dans geniū, fratris inopiæ subuenias, ut firmus infirmo, doctus indocto, melior deteriori
obsecundes, et tamen hoc imperat charitas, quæ sic ubiq; dicat, quid sit agendū, ut ultro fa-
cias, quod dictauerit. Porro quod lex tot præscriptis, tot minis nō efficit, id cōpendio sola
præstat charitas, totius legis uim ac summam in sese cōplectens. Siquidem quicquid uer-
bosissima lex innumeris præceptis conatur efficere, id totum unico breuiq; sermone cōple-
tur, nimirū hoc, quem legimus in Leuitico: Diliges proximū tuum sicut teipsum. Proinde
si mutua charitate conglutinabimini inter uos, mutuis officijs omnes fulciemini, mutuis
obsequijs adiuuabimini. Rursum si, quod inter carnales fieri solet, mutuis odijs inter uos
dissidentes, nō solum non subleuatis alijs alios, uerum etiā obtreccionibus mordetis inui-
cem, nec mordetis modo atq; arroditis, uerum etiam, quod immanium est ferarū, deuora-
tis, quod quidē in uobis est, etiam atq; etiam metuendum est uobis, ne beluarum ritu uos
inuicem lanientes, ad earundem exemplum mutuis uulneribus conficiamini. Huc prola-
buntur, qui euangelicæ charitatis expertes hærent legi carnali, dum omnia suis cōmodis
metiuntur, cū cōtra Christiana charitas alienis seruiat cōmodis. Horū aut quæ dicta sunt,
huc tendit summa, ut postea quā exempti estis à seruitute legis Mosaicæ, quæ carnalis est,
iuxta spiritualem euangelicæ charitatis legem uitā agatis. Id fiet, si nec ceremonijs Iudaicis
metiemini iustitiam, & à carnis cupiditatibus tēperaueritis. Non desieritis esse legi obnox-
ij, si perseueretis esse obnoxij cupiditatibus. Proinde date operā, ut iuxta spiritus ductū
uitam agatis, id si feceritis, abstinebitis ab his factis, ad quæ sollicitant carnis cupiditates.
Etenim quemadmodum in uno homine corpus est crassum ac graue, animus cœlestis &
immortalis, utq; in eadem lege crassum quiddam est, quam dicimus literam, atq; e diuer-
so cœleste quiddam, quod spiritū appellamus: Ita in eodem hominis animo, uis quædam
inest ad honesta uocans: rursus altera diuersa, cognataq; corpori ac literæ, quæ nos ad di-
uersam uitam incitet. Inter has res perpetuum bellum est, dum caro spiritui, spiritus carni
aduersatur. Caro coerceri potest, prorsus opprimi non potest, quin nitatur aduersus spiri-
tum. Quæ si uincat, fit aliquoties, ut cum iuxta spiritū expetat ea, quæ sunt pietatis, tamen
superatus à carne faciat ea, quæ nouit esse fugienda. Quod si spiritus Christi uos impellit
uolētes ad ea, quæ sunt honesta piæq; nihil iuris in uos habet lex Mosaica. Ac res quidem
inuisibilis est spiritus, res inuisibilis caro, de qua loquimur in præsentia. Neq; tamen diffi-
le est colligere, carnis arbitrio seruiat aliquis, an spiritus ductū sequatur. Cuiusmodi sunt
fontes, eiusmodi sunt ea, quæ proficiuntur à fontibus. Vita, mores, factaq; hominis te-
stantur habitum animi. Ac ne de dubijs, aut occultis in præsentia loquamur, hæc sunt quæ
palàm declarant hominē adhuc carni seruire, etiam si baptismum adeptus sit, ac legis ser-
uitutem effugerit, adulterium, scortatio, immundicia, lasciuia, simulacrorum cultus, uene-
ficiū, simulates, lis, æmulationes, iræ, cōtentiones, factiones, inuidiæ, ebrietates, comes-
sationes. His quisquis obnoxius est, quamlibet baptizatus, tamen nondum uere liber est,
sed cupiditatū malarū seruus est. Nec est quod uobis ob baptismū, aut ædita miracula bla-
diamini. Olim præsens uos monui, ac nunc rursus per epistolam denuncio, quicunq; talia
patrant, secludentur ab hæreditate regni cœlestis. Contra, qui uere liberi sunt, & spiri-
tus

ut arbitrio ducuntur, huiusmodi fructibus dignoscuntur. Siquidem adfunt comites, charitas, gaudium, pax, animi lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Hæc qui suapte sponte præstant, ipsi nihil opus est admouere legis stimulos: nam hos ipsorum innocentia liberos reddit à lege. Porro qui uere Christi sunt, ut spirituales decet, carnem suam crucifixerunt cum suis uitijs & concupiscentijs. Siquidem per baptismum Christo commorimur, simulque cum eo sepelimur. Non conuenit medios inter carnem & spiritum fluctuare. Si corpori uitæ impartit spiritus, æquum est, ut corpus spiritus regatur arbitrio. Si nos uitam accepimus à spiritu Christi, non à lege, iuxta spiritus eiusdem instinctum uiuamus. Si uere hausimus Christi spiritum, huius fructus ædamus, ac procul absumus à carnis operibus. Ne simus inanis gloriæ cupidi, huius gratia nos in uicem prouocantes ad certamen, nobis inuicem inuidentes. Siquidem hæc uitia frequenter obrepunt etiam ipsi, qui pietatis studium profitentur, cum tamen sint præcipua pestis ueræ pietatis.

CAPVT VI.



Stendi fratres, quo sit omnibus enitendum, quicunque semel Christo dedere nomen. Et tamen quando baptismus non aufert nobis, ut homines simus, si quis fuerit per humanam infirmitatem in culpam aliquam prolapsus, uestræ partes erunt, qui spiritu robusti, non celsistis cupiditati carnis, ut hominem huiusmodi blande leniterque restituatis, erigentes, ut resurgat, non se uis dictis proculcantes, ut desperet. Hypocritarum est huiusmodi supercilium ac sæuitia. Christi spiritus, quoniam cupit omnes saluos fieri, mansuetudine pellicit ad resipiscendum. Ac sæpe fleuit & humiles reddit lenis fraternaque correptio, quos prorsus alienat iurgatrix austeritas. Lex Mosaiica sic coercet peccata, ut tollat peccatorem. Christiana charitas medetur uitijs, non extinguit hominem. Quo meliores, hoc clementius accommoda te fraternæ infirmitati. Ad id si te parum hortatur exemplum Christi, qui suos lenissime pertulit, donec resipiscerent, saltem illud te adhortetur, quod intelligis fieri posse, ut in te recidant uices. Accidit huic humanum quiddam, memineris & te hominem esse. Huius lapsus te doceat, non tibi fidere, nec efferre cristas. Sic age cum lapso, quomodo tecum agi cupias, si quid simile tibi uenisset usu. Et homini potest usu uenire quicquid humanum est. Qui uacillarunt impellentibus pseudapostolis, non sunt per sæuitiam alienandi, sed per charitatem reuocandi ad pristinam firmitatem. Nam fieri potest, ut illi uicissim iam robusti, uestræ subueniant imbecillitati. Qui laborat sub onere, subleuandus est, non desiciendus. Quare uicissim aliorum si alij baiulabitis onera, tum uere præstabitis legem charitatis, quæ peculiariter Christi lex est. Is cum nec peccatis esset obnoxius, nec affinis esset peccandi periculo, tamen nostras iniquitates ipse portauit, ac benignitate sua sanauit, non condemnauit austeritate. Nemo sibi placeat tanquam iustus, & hac fiducia despiciat fratrem aliquo delicto præuentum. Nam hoc ipsum argumentum est falsæ iustitiæ, sibi iustum uideri. Proinde si quis sibi uidetur esse aliquid cum nihil sit, ipse sibi imponit. Nec enim ideo quisquæ iustus est, quod alteri lapso se præferat. Nec ideo contaminabitur alieno commisso, si se demittat, ut lapsum erigat. Nec ideo bonus est, quod se conferat deteriori. E suis quisque factis æstimandus est. Neminem tamen oportet suis factis fidere, sed explorandum, num quod recte facere uidetur, sit huiusmodi, ut probari deo possit. Quod si te non remordet animus tuus, ne glorieris ob alienam imbecillitatem, sed ob tuam firmitatem, & glorieris apud te, tibi gratulans de dono diuino: ne uero iactes apud alios, aut eos despicias, qui tuum robur non assequuntur. Succurre si potes: si non potes, suo illum iudici relinquito. Nec delictum illius tuum diminuet præmiū, nec tu pro alieno commisso plecteris, sed apud deum iudicem, sua cuique sarcina tollenda erit. Cæterum quamdiu sumus in hoc seculo, mutuis officijs nos inuicem fulcire debemus. Atque ut eorum qui præcellunt dotibus partes sunt, doctrina, consolatione, atque exhortatione fratris imbecillitati succurrere, ita quibus subuenitur, meminerint se non ingratos præbere de se bene meritis. Ita fiet, ut sit inter uos omnium bonorum communio, si qui doctrina ualent euangelica, erudiāt, erigant, fulciantque rudes, atque hi uicissim de suis facultatibus impartiant doctoribus ac monitoribus suis, ut officiorum fiat commutatio. Videant autem qui docent, ut digna Christo sint quæ tradunt, & Christi spiritum sapiant, alioqui præstat non assentire doctori. Porro qui perperam tradita doctrina euangelica, præmiū accipit ab eo quem

*Fratres et si
preoccupatus
fuerit
homo*

eo quem instituit, hominem quidem fallit, imò seipsum fallit, cæterum deum non fallit. Quare moneo, ut sincere doceatis: nam deus nō irridetur. Sed cuiusmodi sementem fecerit homo, huiusmodi quoque messet facturus est. Qui carnalem tradiderit doctrinam, pro carnali semente fructum demetret periturum. Qui uero spiritualem impertierit doctrinam, ex spirituali cœlestiq; doctrina mercedem ad similem referet, uitam æternam. Itaque perpetuum studium sit nobis, bene mereri de omnibus, nec unquam cessemus à benefaciendo, siue gratos nanciscamur, siue ingratos, siue respondeat præmium ab hominibus, siue non respondeat. Nam suo tempore fructus continget à deo nunquam interiturus, proque temporarijs officijs merces reponetur æterna. Non semper erit sementis tempus, ueniet dies, cum neque nostris benefactis, nec alienis subleuabimur. Quamdiu uersamur in hoc mundo, licet deum benefactis demereri, licet alijs opitulari: In die iudicii nec benefactis locus erit, nec bene merendi de quoquam facultas erit. Proinde dum tempus habemus, utamur tempore, benemereri studentes, cum de omnibus, tum uero præcipue de ijs; quibus cum nobis religionis ac fidei contubernium est. Iudæus non agnoscit nisi suos, Christianus ad exemplum Christi, de nemine non cupit benemereri.

Videte qualibus literis scripsi uobis

Videtis Galatæ, quantopere mihi res cordi sit, qui tam prolixam epistolam uobis me apte manu scripserim. Agnoscitis notulas digitorum meorum. Non est quod suspicemini subdititiam Epistolam, tota mea est, mei pectoris apud uos index. Facite ut hæc plus ponderis apud uos habeat, quam pseudapostolorum oratio. Etenim qui sunt huius animi, ut prius habeant hominibus morem gerere, quam Deo, hi pertrahunt uos ad circumcisionem, ut simul & gentibus inuisi sitis, ob Christum, & Iudæos habeatis infensos, ob præputium. Iudæi sunt, & suæ gentis odia metuunt, si Christum absque præputio profiteantur, ueluti legem abolentes. Hi magis uerentur homines, quam deum, magisque uenantur gloriam apud homines, quam apud deum. Metuunt ne sincera professio crucis Christi, persecutionem aduersus ipsos excitet eorum, quibus Christi nomen est inuisum, ne parum gloriosi doctores habeantur, si præter crucifixum nihil doceant. Neque enim simplici legis studio faciunt ista, quemadmodum ego quondam errans amore patriæ legis, sauebā in gregem Christi, quando ne ipsi quidem Iudæi legem seruant, tametsi circumcisi sunt à maioribus, Sed abutuntur uestra simplicitate, uobis imponentes onus circūcisionis, ut se de uobis iactent apud suos, quod ipsis autoribus ac magistris Iudaismi receperitis. Hac arte placare conantur inuidiam suorum, indigne ferentium, per Euangelium Christi, legem aboleri. Ego nec Iudæorū inuidia deterreor, nec gentium insectatione, quo minus sincere prædicem euangelium Christi. Absit autem, ut alia quamquam

Mihi uero absit gloriari

de re gloriemur, quæ de cruce domini mei Iesu Christi. Scio crucē huius probrosam esse apud gentes, inuisam apud Iudæos, in hac una tamen mihi satis est omnem gloriā meam ponere, quem ne tantulum quidem iam tangit mundi gloria, utpote cui per baptismum in Christi corpus insito, mundus mortuus est, & ego uicissim mundo, nec malis illius territorior, nec comodis titillor, nec odium metuo, nec plausum moror, nec ignomiā formido, nec gloriā affecto. Christus mihi pro omnibus, & aduersum omnia satis est, Ad huius professionē nihil refert circūcisus uenias ex Iudaismo, an incircūcisus ex gentibus. Quisquis enim in illius corpus per fidem cooptatur, ita repente transit in aliū hominem ut noua fiat creatura, eoque renasci dicitur. Facessant igitur humana discrimina. Quisquis Christum profitemur, tantum hoc meminerit, quod Christianus est. Hæc esto regula immobilis, hanc quicumque sequuti fuerint, his pacem precor, ac misericordiam precor: conuenit enim his idem precari, quod Dauid precatur Israelitis, cum ait in Psalmis: Pax super Israel. Verum duo sunt Israelitarum genera. Sunt Israelitæ secundum homines, sunt Israelitæ iuxta deum. Non protinus uerus est Israelita, quisquis præputiū habet amputatum, sed qui mentem habet circumcisam, qui per fidem deo fortis est. His igitur Israelitis, quorū de numero & uos estis, opto pacem ac misericordiam. Valeant autem falso nomine Israelitæ, qui pertinacibus odijs decertant aduersus euangelium Christi. Me certe nunquā dimouebūt ab hac sententia. Quod prædicaui, semper sum prædicaturus. Quare super hac re nemo posthac mihi facessat negocium. Tantum enim abest, ut ab euangelica ueritate probis ullis, aut afflictionibus queam diuelli, ut ignomiā ob Christum inuisam mihi, ut carceres, ut uingas, ut uincula & lapidationes, cæteraque mala, quæ pro Christi

Psal. 124

pro Christi nomine perpeſſus ſum, ceu notas, ſtigmataq; domini mei Ieſu Chriſti, mecum ubique circumferam in corpore meo, ueluti trophea quædam oſtentans, ac gloriæ mihi ducēs, quod quā licet, imitari merear Chriſti crucem, quā prædico. Fauor ac beneuolentia dñi noſtri Ieſu Chriſti ſemper adſit ſpiritu uestro fratres, ut illius præſidio perſiſtatis in euangelij ſynceritate: Quod uotū ut ratū ſit, faxit ille, cuius aſſatu hæc ſcribo.

Paraphraſeos in epiſtolam Pauli apoſtoli ad Galatas Finis.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D.
Laurentio Campegio, S. R. E. TT. S. Thomæ in Parione Cardi
nali, Des. Erasmus Roterodamus S. D.



Voties inconstantiam rerum humanarū intueor Laurenti, Cardinalicij ordinis nō infimū decus, uideor mihi prorsus Euripum quendam uidere, aut si quid Euripo instabilius. Adeo uicibus irrequietis, sursum deorsum uoluntur ac reuoluuntur, nec possunt eodem in statu diu consistere. Cum ad summa uentū est, recurritur ad relicta, donec rursus eò ueniatur, ut à fastigio iam intolerabili cursum deflectere cogamur. Porro si quis mari conet obsistere, aut huius cursum aliò deriuare, nunquā id fecerit sine graui discrimine rerū, ingentiq; tumultu. Sic olim Romanorū monarchiā excepit democratia, aut certe oligarchia, quæ & ipsa tandem eo licentiæ processit, ut tribunis plebis ac dictatoribus foret opus: mox etiam imperatoribus, quorū potestas in immensum euecta fecit, ut rursus pristini reipublicæ status desiderarentur. Sed infinitū fuerit, ad hunc modum cōferre singula rerū genera, surgentiū uicissim ac cadentiū, florentiū, iacentiū, ac denuo reflorescentiū, nouaq; subinde specie repullulantiū. Illud magis mirum, sacris etiā studiis, quæ maxime decebat sibi constare, suas esse uices æstuaras. Olim credebatur philosophia Christiana, non disputabatur. Et pia simplicitas hominū, sacrorum uoluminū oraculis erat contenta. Nec egebat uarijs præscriptis ultro prompta charitas, omnia credēs, nusquā hærēs. Mox Theologiæ patrociniū capeſſebant humanis instructi disciplinis, sed fermè his, quas hodie Rhetoricas uulgo appellat. Paulatim magis ac magis adhiberi cœpit philosophia: primum Platonica, mox Aristotelica. Cœptū quæri de multis, quæ uel ad mores, uel ad cœlestium rerum speculationē pertinere uidebantur. Quæ res primū uisā est propemodum necessaria. At sensim eò succreuit, ut pleriq; neglecta linguarū ac politioris literaturæ peritia, imò neglectis diuinis uoluminibus, in curiosis, superuacaneis, & immodicis quæſtiunculis, uelut ad Sireneos scopulos consenscerent. Iam ars esse cœpit Theologia, potius q̃ sapientia, theatrica uerius, quàm ad uerā pietatem accōmoda. Hanc præter ambitionem, auaritiāq; uitiarunt & aliæ pestes, adulatio, contentio, ac superstitio. Quibus rebus ubi tandē eò uentū est, ut Christus ille purus, propemodū esset obrutus humanis argutationibus, ac limpidissimi quondā euangelicæ doctrinæ fontes, Philistæorū scrobe oppleti, diuinæq; scripturæ certissima regula, nunc huc, nunc illuc detorta, nostris seruiret affectibus magis q̃ gloriæ Christi, quidā pia certe mente conati sunt orbem ad pristinam studiorū simplicitatem reuocare, atq; à lacunis iam ferè turbidis, ad uiuas illas ac purissimas scatebras reducere. Eam ad rem conficiendam, linguarum ac bonarum, ut uocant, literarum cognitio uisā est in primis conducere, quarum neglectu uidemur huc prolapsi. Atq; hic protinus ingens tumultus in ipso rerum confinio, dum altera pars nimium mordicus tenet ea quibus assueuit: altera uiolentiùs irrumpit, hosti, quàm hospiti similior. Ita utriusque malo peccatur utrinq;. Sic olim Euangelicæ doctrinæ mustum auersabantur Iudæi, ueteri uino Mosaicæ legis assueti, & contumeliam interpretabantur, quo prior illa lex & perficiebatur, & ornabatur: ac nouitatē habebant inuisam, cum potius ad priscam uetustatem reuocarentur. Porro sic fit, ut beneficium uertatur in dispendium, cum & medicus inclementer atq; incommode admouet remedium, & ægrotus salutem consulentem pro hoste ducit. Conueniebat magis, ut qui profitentur has literas, quæ uulgo laborant inuidia nouitatis, cum sint antiquissimæ, ciuilitè irreperēt potius quàm hostiliter irrumpere: neq; statim uelut sexagenarios de ponte depellerēt, sed paulatim coalescerēt noui hospites cū ueteribus colonis. Neq; enim in hoc adhibetur literæ politiores, ut aboleātur disciplinæ, quæ cū maximo generis humani bono traduntur in publicis

in publicis scholis, sed ut purgatiores sint, magisque sobria, quam hactenus fuerint apud quosdam. Sit sane regina Theologia, Sed nulla regina tam potens quae pedissequarum recuset officium. Ab alijs admoneri se patitur, ab alijs comi, & ad suam gloriam pertinere credit, si famulas habeat quam honestissimas. Quod si qui bonarum literarum praesidio ueterem eruditionem student ornare, comiter & placide suum adhiberent officium, & hi, qui in pristinis studiis consenuerunt, nec sibi, nec iunioribus inuiderent, sed novos aduenas in ciuitatis suae consortium humaniter reciperent, futurum esset ut utraque res alteri sit, tum ornamento, tum usui futura, nimirum duplicato lucro, mutua commutatione bonorum. Nunc dum nos inuicem luto conspergimus, imò dum inuicem nos lapidamus, perit utrisque suus fructus, & utraque pars magno cum malo discedit. In libellis, quibus alteros alteri lacerant, plus est conuictiorum, quam argumentorum. In scholasticis diatribis plus est dentis, quam eruditionis, plus conuicti, quam iudicii; plus studiorum, quam libertatis. In sacris concionibus euangelica doctrina, quam oportebat esse purissimam, humanis affectibus uitatur. Peccant, qui odiose uociferantur in hactenus recepta studia, licet infantia, Sed grauius peccant, qui consensu suggesto, unde solet audiri tuba euangelica, Christi gloriam personas, seditiose clamitant: Arcete liberos uestros à Graecis literis, hinc nascuntur haereses. Ne tangite libros illius & illius (neque enim à nominibus temperant) qui corrigit precationem dominicam, qui castigat canticum Magnificat, qui emendat Euangelium sancti Ioannis. Adeste praefecti, succurrite ciues, tantam pestem arcete rebus humanis. Quae cum dicuntur apud imperitam multitudinem, quid fingi possit seditiosius? Si apud eruditos & cordatos uiros dicantur, quid insanius? Et tamen qui haec publice faciunt, haberi uolunt Christianae religionis columina. Nec interea perpescunt, quod Christi doctrinam profitentes, dum incessunt famam benemerentium, aut certe studentium benemereri, ex diametro dissident ab eo quod profitentur. Praeterea non cogitant interim operae suae fructum magna ex parte perire, cum ipsis, tum populo, dum hisce rebus sibi fidem abrogant apud auditores. Quis enim credat odium & simultatem praeseferenti? E diuerso lucubrationes eorum, qui suis uigilijs & studiis & uerae pietati pro sua uirili consulere student, minore cum fructu leguntur. Nisi parui referre putamus, integro animo librum sumas in manum, an inimica persuasione, aut certe imaginatione occupato. Postremo pro semine euangelico, pessima zizania seritur, dissidiorum atque odij, quae ubi semel occupauit hominum animos, haud facile reuellitur. Nec facile quis credat, e quantulis scintillis paulatim gliscentibus quod ingens incendium saepe nasci soleat. Nihil est autem in rebus humanis tam florens, quod non uerrat in perniciem discordia. At eam nusquam magis uitata oportuit, quam in studiis, praesertim sacris, quorum autoritate praecipue tumultus humanarum cupiditatum sedari par erat. Quid enim aliud, quam pacem docet, qui Christum docet? Quod si contigerit salem esse insulsum, quid supererit, quo condiantur insulsa? Si lucem euangelicae philosophiae cupiditates obscurant humanae, quid erit quod discutiat animi nostri caliginem? Quis autem nescit bonam religionis nostrae partem pendere à studiorum ratione? At nunc hanc quoque uitae nostrae paradysum sic suo ueneno uitiauit ueterator ille serpens, ut mihi non paulo praestabilius uideatur, quemuis hortulum colere quam literas, uidelicet cepis & caulibus plus allaturis fructus cultori suo, quam ad lucernam uigilatis noctibus. Sed iam dudum obmurmurat mihi tuus animus: Quorsum tandem haec tam multa? Videlicet, ut tuo tuique similitum admonitu, Leo noster P. M. circulum immortalis suae gloriae, quam feliciter orsus est, absoluat. Iam pridem rem diuinam praestitit orbi Christiano, qui reges ac populos impijs bellis inter se tumultuantes in concordiam redegerit, fortasse non minus insigne beneficium praestaturus, si studiis quoque suam restituat tranquillitatem. Res enim tam amaris odijs, tam uirulentis linguis, tam cruentis conflictationibus agitur, ut mihi nondum liqueat, maiore ne malo constiterit humano generi ille tumultus armorum, an haec dissidia studiorum. Quod serenissimus Angliae rex Henricus, eius nominis octauus, una cum Achate suo R. D. Thoma Cardinale Eboracensi, nec dubito quin te quoque consulto, praestitit suae Britanniae, id Leo praestare debet orbi terrarum, cui praesidet, Christi uicibus fungens, cui nulla res magis cordi fuit, quam concordia. Non opinor cuiquam ueterum regum aut imperatorum titulum speciosiore erectum fuisse, quam hic est nostro Leoni politus, ut ferunt,

Leoni

Leoni decimo ob pacem orbī Christiano restitutam. Quid quod hæc res non solum generali quadam ratione ad illum pertinet, ad quē pertinet, quicquid ad religionis ac pietatis negociū pertinet, sed peculiariter etiam illius refert, ne quiduis quibuslibet liceat in linguas ac bonas literas, quibus ipse suo grauissimo iudicio tantū tribuit, ut tantis impendīs suis conducat undiq; qui Romæ profiteantur, sic existimans, urbi tot ornamentis inclytæ, non mediocre decus hinc etiam accessurum. Nimirū perspicit pectus illius oculatissimū, linguarū cognitionem nō solū ad disciplinarū professionē esse necessariā, uerumetiam ad Christianę ditionis pomœria, uel propagāda, uel stabilienda. Quod enim unquam regnum aut coaluit, aut diuturnū fuit absq; linguarum cōmunium glutino? Iam ipse iudica, quantopere illius intersit, si nouum testamentū, quod illius hortatu suscepi, quod eiusdem hortatu denuo recognoui, quod Christo & ipsi dicaui, licebit cuius rabulæ indocto apud indoctos traducere. Me sanè mei nominis iactura leuiter cōmouet, modo Christo suus cōstet fructus, Leoni sua gloria. Quod si ratio sarcindæ cōcordiæ quaeritur, ita rem confici facillime posse arbitror, si per illius oraculum ædicatur, ut suā quisque professionē ornet efferatq; citra contumeliam alienæ, ut utrinq; coerceatur linguæ calamitq; rabies, potissimū ab his, quos magis decet hæc moderatio. Quod siquid dissensietur, ut est frequenter, quemadmodum in palatis, ita & in ingenijs quoq; dissensio, omnis contentio intra ciuilem conflictū consistat, in rabiem ne exeat. Porro si quid ad fidei sinceritatem magnopere pertinebit (neq; enim huc obtorto collo pertrahenda sunt omnia) primum res agatur per eos, qui uere norunt fidei mysteria, deinde qui nō sint tales, ut sub prætextu fidei suū agant negocium, postremo ut res moderatis iudicijs, nō sed ditiosis clamoribus agatur. Neq; enim omnibus fortasse libet, quorūlibet arbitrio Christianos esse. Hæc non dubitabam, quin tibi facile persuasurus essem, cuius eruditus candor, & eruditio candida, non sum nescius q̄ abhorreat ab omni uirulentia. Nec difficile T. R. D. persuadebit S. D. N. Leoni, siue quod is te ob eximias dotes tuas optimo iure facit plurimū, siue quod ipse suo pte ingenio ad pacem & concordiam mire propensus est. Huius opellæ quam petimus, si parum iustum uidetur præmium, quod omnibus seculis tota literatorū cohors Laurentij Campegij nomen laudibus uehet, en addo & ipse meo nomine qualecunq; auctariū, Paraphrasin in quinq; Paulinas epistolas, quas ex omnibus illius germanis reliquas hoc impetu proximo absolui. Neq; enim ordine labor hic mihi peractus est, nec eodem tempore, nec eodem impetu. Ita factū, ut alias partes alijs dedicarim. Mihi bona spes est, hoc certe uicturū opus, utpote quod probatur & ab ijs, qui uelut ex professo nostra omnia solent arrodere, Simul autem uisum est, fidem meam R. T. D. obstrictā, aliqua saltem ex parte liberare. Neq; enim excidit, & quantū debeam inauditæ tuæ humanitati, & quid illi per literas sim pollicitus. Hunc igitur arrabonem boni consules, donec corrasero, unde summam quoq; resoluam. Brugis à cœna hac oratione (memini) dimisit me R. T. D. quæcunque aula habitura esset L. Campegium, considerem illic esse amicum ex animo bene uolentem Erasmo. At ego uicissim, quæcunque tellus habitura est Erasmus, illic R. T. D. credat esse mancipium sibi deditissimum. Bene ualeat R. T. D. Louanij, Nonis Februarij. Anno M. D. XIX.

Tum dormiebat Bedda

IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS

Argumentum per Des. Erasmus Roterodamum.



Pheſus metropolis quondam erat Aſiæ minoris, ciuitas ſuperſtitioſe dedita cultui dæmonum, & præcipue Dianæ, unde & in Actis Dianæ neocoros dicitur, nō illius uenatricis, cui poetæ ſagittas & arma tribuūt, ſed multimammiæ, quam Græci polymaſton appellant, quam uolebant omnium animantium eſſe nutricē, ut indicauit Hieronymus. Nam de templo Ephesiæ Dianæ, toto orbe celebratiſſimo, paſſim etiam ethnici meminere ſcriptores. Hos curioſarum artium tenebat ſtudio. Vnde legimus, ad prædicationem apoſtolorum magicos libros ab eis comportatos igni traditos fuiſſe, & ſupputato precio, compertū fuiſſe quin quagies mille nummum argenti, ſicuti refertur in Actis capite decimonono. Vt igitur a tantis erroribus illos abduceret, triennium apud illos egit: nihil interim non faciens, quod ad illorū ſalutem cōducebat, magno ſtudio reclamantibus & obſtrepentibus multis, ſicut

sicut ipse testatur alicubi, ubi & bestiis obiectus est: quemadmodum ipse memorat in secunda ad Corinthios epistola. At discedens, Timotheum apud eos remanere iussit. Abundabat autem ea ciuitas, ut curiosis & magia deditis, ita doctissimis uiris. Vnde Paulus, ut ad omnium mores & ingenia sese attemperat, de demonibus ac spiritibus crebro meminit, bonorum ac malorum differentiam indicans. Ad hæc retrusa quædam aperit. Nec enim est ulla epistola, quæ tam abditos habeat sensus, ut ob hanc potissimum Petrus scripsisse uideatur: Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit uobis, sicut in omnibus epistolis loquens in eis de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Hos igitur, quoniam in fide perstiterat, hortatur ut pergant, & ad perfectionem proficiant, comonefaciens cuiusmodi fuerint, cum uitis additi seruirent impijs spiritibus, & quales nunc facti sint, insiti Christo, docens interim Euangelij gratiam consilio diuino, licet Iudæis promissam, in gentes quoque recte propagatam, & huius muneris se ministrum à deo constitutum. Quoniam autem scripsit è carcere, hortatur ne desiciantur animo, ob ipsius afflictiones, uerum eas potius sibi gloriæ ducant. Hæc agit capite primo, & secundo. In cæteris tribus uitæ formam illis præscribit, demonstrans quid sequendum, quid fugiendum, quæ officia maritorum in uxores, uxorū in maritos, quæ parentum in liberos, liberorum in parentes: quæ dominorum in seruos, seruorum in dominos. Scripta est epistola ab urbe Roma per Tychicum diaconum, cuius meminit in calce, fidelem ministrum eum uocans. Ambrosius addit scriptam è carcere, cum Hierosolymis Romam deductus, sub fideiussore degeret extra castra in suo cōductio.

PARAPHRASIS EPISTOLAE PAULI

APOSTOLI AD EPHESIOS PER DES. ERAS.
MVM ROTERODAMVM



PAULVS legatus non Mosi, aut ullius hominis, sed Iesu Christi, cuius ago negocium, legatus autem non meapte occupatione, aut hominum delegatione, sed autoritate iussuque dei patris, qui me per filium suum iussit euangelicę doctrinæ inter gentes esse præconem, hanc epistolam scribo omnibus qui uiuunt Ephesi: & ita uiuunt, ut & ab huius mundi uitis ac sordibus sese tueri studeant immunes, & sincero pectore credant euangelio Iesu Christi, non aliunde sperantes innocentia sanctimoniamque præmiū, quam unde sumplerunt

exemplum: nec ab alio præstolantes felicitatis suæ summam, quam unde profectum est

Gratia uobis exordium. Interim opto uobis, non quę solent iij, qui felicitatem suam huius mundi præ-
et pax sidijs metiuntur: sed opto, ut deus autor bonorum omnium, quem iam patrem etiam nostrum appellare possumus, non solum ob id quod ab eo conditi sumus, uerum multo magis, quod insiti corpori Christi, cooperti sumus in ius filiorum: indies augeat in uobis suam beneficentiam, qua gratis uos à pristina uitæ cōmissis assertos, ex impijs fecit innocentia iustitiaque cultores, uestramque concordiam tueatur, ut inter uos sitis unanimes: & semel deo reconciliati, caueatis ne iterandis peccatis, rumpatur initum cum illo foedus, idque per Iesum Christum illius filium, per quem, & qui cum nobis largitur omnia: quem merito dominum nostrum posthac appellabimus, postea quę precio sacrosancti sanguinis illius, assertos à diaboli tyrannide, sibi nos uindicauit, & ab illius seruitute emancipatos in suum ius asciuit. Felix seruitus qua conglutinamur Christo. Neque casu cōtigat hoc nobis, neque merito nostro, Sed omni genere laudis ferendus nobis est deus, & idem pater domini nostri Iesu Christi, qui gratuito fauore, omnem benignitatem in nos effudit: non solum impartiens nobis hæc, quæ ad huius uitæ usum, quæque ad corporis præsidia pertinent, uerum etiam eas dotes, quæ ad animi salutem & ad uitam faciunt immortalem, quæ uita nos manet in cœlis, idque per Christum, per quem pater nobis aperuit aditum ad superos. Ne uero quærat aliquis, unde hic tantus fauor, unde tam inaudita beneficentia: Sic illius bonitati æterno consilio decretum erat, etiam ante quam orbis conditi fundamēta

menta iacerentur. Iam tum delegerat nos, ut per filium suum, per quem & condidit, & gubernat, & restituit uniuersa, abolitis pristinae uitae uitijs, efficeremur sancti & inculpati, non solum apud homines, sed etiam apud ipsum deum, qui ex occultis animi affectibus aestimat hominem: idque non metu Mosaicae legis, cuius seueritas ad hoc reperta est inefficax, sed euangelica fide & charitate, quae plus imperat à uolentibus, quam lex extundebat à coactis. Non est autem perfectum officium, quod à seruis extorquet metus mali, aut ira domini, sed quod à filiis impetrat ultronea charitas pietasque. Id nostris uiribus praestari non poterat, nisi ille aeterno suo decreto sibi nos adoptasset in uicem & ius illius membra facti, simus unum cum illo, per cuius consortium consequimur, quod nostris meritis non debebatur. Non est quod hinc nobis quicquam laudis tribuamus. Sic illi placuit, qui natura bonus est, quo gratuitam suam in nos beneficentiam redderet oportuerat, quam inimici dei, serui reprobique: sed ille per eum, quem ineffabiliter diligit, nos sibi reconciliauit, & ex odio dignis seruis, filios fecit gratos & charos. Quamdiu sceleribus obnoxij membra eramus diaboli, non poteramus nec amare deum, nec ab illo diligi. Ceterum ubi charissimus illius filius, sacrosancti sanguinis sui precio nos redemit à seruitute uitiorum, sibi que ceu membra conglutinauit, non potest non amare pater, quos filij confortes esse uoluit. Inestimabile beneficium, sed sic uoluit opulenta largitas optimi dei: quae cum nusquam non promittit sese, tum uero in nos peculiariter etiam exuberat: dum aeternae uoluntatis suae arcanum, tot iam seculis orbi coelatum, nunc nobis tanquam propicius pater filiis suis aperit, quod nosse summa sapientia, summaque prudentia est, longe praestantior ea qua haecenus ceteris mortalibus antecelluistis, humanarum disciplinarum eximie periti. Arcana naturae peruestigat humanum ingenium, nec tamen protinus beatos reddunt peruestigata. Hoc arcanum nulla mentis humanae ratio poterat assequi, ni deus ipse nobis aperuisset, & cognitum ad ueram felicitatem adducit. Quod si quis roget, cur hoc tam diu coelatum, nunc demum aperiat: nihil habeo quod respondere, nisi quod sic uisum fuerit illius optimae menti, quae nihil potest uelle, nisi quod optimum est, cum sit ipsa bonitas. Quod nobis nunc nouum est, apud illum nouum non est. Quod nunc misso filio patefecit orbi, hoc ab aeterno decretum erat patri & filio: uerum id certo & inenarrabili consilio secretum & abditum esse uoluit, donec impleretur tempus ab ipso praefinitum, huic arcano mortalibus aperiendo: quo iam abolitis superiorum temporum dispendijs, per quae felicitas frustra quaerebatur, alijs per obseruationem legis Mosaicae, alijs per studium philosophiae, alijs per superstitiosam religionem cultumque daemonum, summa cunctorum, quae ad ueram innocentiam ueramque beatitudinem pertinent, conferretur in unum Christum, extra quem nihil iam esset cuiquam expectandum, cum ab hoc unico fonte peti posset, quicquid bonorum uel coelum habet, uel terra. Hunc enim pater deus caput omnium esse uoluit, ab hoc uno uoluit omnes pendere, ab hoc sperari, quicquid uere sit expetendum, huic acceptum ferri, quicquid nobis sua benignitate largitur. Per quem & nobis contigit tanta felicitas, ut in sortem & hereditatem immortalitatis adoptaremur, non ex nostris meritis, sed quoniam ad id olim destinati fuimus decreto illius, cuius arbitratu, cuiusque ui geruntur, ac temperantur uniuersa, consilio nobis inscrutabili iuxta uoluntatem illius: qui cum sit optimus ac sapientissimus, non potest uelle, nisi quae sint & optima & sapientissima. Sic autem illi uisum est, ut nullis nostris meritis, sed gratuita illius benignitate uocaremur ad hanc hereditatem, Christi quoque consortium, nos qui moniti prophetarum uaticinijs quodammodo spem nostram fixeramus in Christo nobis promisso etiam antequam illucesceret Euangelij ueritas, quo beneficium hoc non ascriberetur obseruatae legi Mosaicae, sed tota laus redundaret in gloriam bonitatis diuinae: cui sic uisum est, ut haec per filium suum nobis gratis largiretur. Neque uero soli nos ludaei uocati sumus ad promissum Christi consortium, qui diffusi Mosaicae legis umbris, ueritatem euangelicam sumus amplexi, unde ueram speramus salutem, etiam citra legis praesidia: quin & uos licet incircumcisi, tamen postea quam eidem credidistis Euangelio, ad idem consortium estis adoptati. Neque enim circumcisioni debemus, quod ad immortalitatis spem recipimur, sed credulitati, quae si uo-

*Predestinans
nos in adopti-
onem*

*Recapitulas
re omnia*

bis est cum Iudæis cōmunis, quid est cur à beneficentia dei sitis alieni? Amputata præputij pellicula, signum est, quo Iudæum ab ethnico dignoscas. At Euangelij signum latius patet, neque corpori imprimitur, sed animo. Hoc ex æquo obsignatur omnes, cuius cuius nationis fuerint, qui doctrinam Euangelicam amplectentes credunt illius promissis. Rogabit quispiam, quod nam hoc signaculum, quod Christianos discernat ab impijs? Nimirum spiritus sanctus, & affectus non seruilis, sed qualis esse solet in pñs filijs, qui hoc agit in nobis, ut toto pectore fidamus Euangelij promissis, etiā si hic nondum appareant. Siquidem hæreditas, in quā sumus insiti, non tota præstabitur, nisi cum erit corporum resurrectio: sed interim tamen spiritum suum nobis impartit, ceu pignus & arrabonem promissæ hæreditatis. Hoc signo certi sumus, nos à deo pro filijs haberi: neq; dubium est, quin is sibi uindicaturus sit suos, quos filij sui morte redemerit. Cupit enim diuina benignitas quā plurimos lucrifacere: cupit suam magnificentiam quā maxime notam & illustrem esse mortalium generi: quæ quo latius patuerit, hoc à pluribus prædicabitur. Olim Iudæi peculiariter erant curæ deo, quod hos ex Aegyptiorum seruitute liberasset. Sed parum erat in una gente celebrari dei bonitatem: uult ab omnibus prædicari, cum omnes à peccatorum seruitute gratis redemerit: idq; existimat ad suam gloriam pertinere, si non Iudæi tantum, sed omnes totius orbis nationes per fidem euangelicam participes fiant salutis. Has ob res nihil equidem moror in uobis circum-

Propterea & ego audiens cisionem, cum uideam manifesta indicia salutis Euangelicæ: primum, quia fiduciam uestram collocastis in domino Iesu: deinde charitatem uere Christianam declaratis erga sanctos omnes, Christi membra. Proinde nō desino gratias agere pro uobis. Facit enim hoc Euangelica pietas, ut alienis bonis, non secus atq; nostris gratulemur, semperq; uestri mentionem facio in precibus meis, quibus quotidie deum interpellor, pro prouehendo euangelij negocio, ut is qui ex æquo deus est omnium gentiū, atque etiā Iesu Christi, iuxta naturam humanam: unde & Christus habet, ut sit deus, cui tanquam auctori, fontiq; bonorum omnium totius gloriæ summa debeat: magis ac magis impartiat uobis arrabonem, de quo dixi, spiritum suum, qui mentibus uestris inspiret cœlestem hanc sapientiam, & huius arcani cognitionem: ut agnoscatis eum, qui largitor est unicus salutis, eumq; interim quodammodo cernatis oculis, non quidem corporeis, sed cordis ac mentis, fidei luce perspicacibus, quibus ea quoq; cernuntur, quæ futura sunt, quæq; crassius oculis cerni non possunt: quo scire possitis id, quod nulla humana docet philosophia, quā felix sit hæreditas, ad cuius spem ille uos asciuit, quātaq; dignitas huius opulentissimæ hæreditatis, quam accepturi sunt sancti, quātaq; sit amplitudo, quātaq; eximia magnitudo potentiæ illius: quam & nunc declarat in nobis, quæ ui quadam occulta & ineffabili, sic à uetere instituto transformauit nos, ut cæteris omnibus spretis, illi soli fidamus, contemptisq; his quæ uidemus, ea speremus ab illo, quæ nō uidemus: & antepalā declarauit in capite nostro Christo, quem potentia sua è mortuis reuocauit ad uitā immortalem, tantumq; habuit honoris, ut eum collocaret sibi ad dexteram in regno cœlesti, prælatū omni reliquo principatui, potestati, uirtuti ac dominationi: aut si quod aliud est dignitatis potentiæue nomen quod dici possit, his etiā quæ dixi magnificentius, siue in hoc seculo, siue in futuro, ut præsideat nō solū omnibus rebus corporeis, ac terrenis, uerumetiā spiritualibus, ac cœlestibus. Adeo citra omnem exceptionem, omnia subiecit pedibus illius. Atque quo certiore nobis faceret spem, nos quoque uenturos ad huius gloriæ consortium, eundem sic uniuersis rebus prælatum, uoluit esse caput toti gregi credentium, qui sic Christo cohæret, ut capiti totum corpus connectitur, nec alterum ab altero potest diuelli. Porro capitis gloria membris item cæteris communis est: quibus sic præsidet caput, ut sua bona transfundat in singula. Nec corpus absolutū est, nisi caput accedat: & capiti uidetur aliquid desiderandum, nisi corpus omnibus membris consummatum accesserit, in quæ singula sic suas doctes transfundit Christus, ut idem impleat omnia, iamq; totus & integer uiuat, ac regnet adglutinat sibi membris omnibus.

*Operatus est
in Christo
Iesu suscitās
eum*

CAPVT II



Tque illud mihi uidete, quomodo pater, quod in Christo completum est, ac post in uobis complendum, iam nunc in uobis quodammodo præstare cœperit. Christus mortuus est & reuixit, nunquā posthac moriturus. Non erat ille quidem obnoxius peccato, sed tamen ob corpus assumptum mortalitati erat obnoxius. Porro ut peccatū mors quædam est animi, æternæ mortis præludium, sic innocentia uita quædam est animi, æternæ uitæ primordium. Vita autem huius princeps est deus, spiritū nobis suū impartiens. Mortis autor est diabolus, habens & ipse suum spiritum, quo afflati rapiuntur ad huius mundi commoda, nimium diffili promissis æternæ uitæ. Christus mortuus est ob nostra commissa, & reuixit, ut nobis fidem faceret immortalitatis futuræ. Ad huius interim imaginē uos quoque per baptismum insiti Christo, mortui estis peccatis, ac uitis uestris: in quibus dum male uiueretis, uere fuistis mortui, nihil amantes, nisi mortiferas bonorum umbras, quibus hic mundus ad tempus imponit his, qui carent spiritu dei, sed aguntur spiritu satanæ, cui nunc interim tyrannis est permissa in hunc aerem inferiorem. Huius, inquam, spiritus, & ipse uim quandā suam exerit, in his qui diffili promissis euangelicis, summā felicitatis collocant in rebus uisibilibus, ac fluxis: nec audiūt Deum patrē ad uerā felicitatē inuitantem, inuolentes impio crudeliq; seruire domino, cui quondam seruistis. at non uos tantū, uerum nos etiā omnes. Quanquam enim lex nos arceret à cultu simulacrorū, tamen omnis uita erat contaminata cupiditatibus noxijs rerum corporalium, quarū arbitrio uiuebamur, facientes non ea, quæ dictabat spiritus ille cœlestis, sed quæ nostra mens turpibus affectibus dedita nobis dictabat. Quibus rebus fiebat, ut quemadmodū qui Christo per fidem adglutinātur, pertinet ad hæreditatē filijs obedientibus promissam: ita nos uelut immorigeri filij, ad diuersam hæreditatē pertineremus: nimirū eius consortes, cui nos iunxeramus. Ea est mors æterna, quæ debetur impijs. Huic igitur eramus & nos addicti, quemadmodum ceteri, quod quidem ad nos attinebat. Nostra sponte nosmet illi addicti eramus, nec erat uiriū nostrarū explicari ab ea seruitute longe miserrima. Mortem nostram audistis, exitiū audistis, sed unde uitā, unde salus? Haud quaquā ex nostris meritis, nec ex legis Mosaicæ beneficio. Vnde igitur? Nimirū ex gratuita largitate dei patris, cuius tam opulenta est benignitas, tantaq; pietas erga genus humanū, ut non solum non animaduernerit in nos, sicut eramus cōmeriti, uerumetiā cum essemus mortui propter peccata nostra, unā cum Christo reuocarit nos ad uitā (non erat, inquā, hoc meritū nostri, gratuitum est quod donat) neq; tantū reuocauit ad uitam cum filio, uerumetiā euexit nos ab his humilibus rebus ad cœlestia, atque ibi nos collocauit per Christum Iesum, per quem habemus cōmuniter, quicquid habet ille, caput nostrū: ac nunc spe posita fidemus, quicquid mox sumus re ipsa possessuri. Idq; ita uisum est illi, quo tempore resurrectionis, cum apparebunt illius promissa, declaret cumulatisimam beneficentiā suam, quā pro sua gratuita benignitate uoluit effundere in nos, nō ob benefacta nostra, sed ob merita Christi Iesu. Sapius enim iterandum est, quod oportet altissime infixum esse uestris pectoribus. Gratuitū est, inquā, quod ab exitio, quo tenebamini, salutem estis consequuti, ne uos occupet quorundam Iudæorum error, qui seruandis Mosaicę legis præscriptis, sibi promittunt salutem. Vos fidei debetis uestrā salutem, qua credidistis Euangelio, atque eam ipsam non est quod uobis arrogetis. Prior ille dilexit uos, & attractis dedit, ut ipsum redamaretis. Idem gratis fidei donum infudit, per quam depulsa caligine, cerneretis ueritatis Euangelicę lucem. Illius igitur munificentia totum est ascribendum: nec est quod quisquam hinc, tanquam de suo gloriatur. Quod conditi sumus, deo debemus. Rursum quod per fidem ac baptismum renati sumus, ac uelut rursus alia ratione conditi, semoti à consortio parentis Adæ peccatoris, & insiti Christo, innocentia principij, ut posthac huius ope atq; exemplo uacemus officijs ueræ pietatis, positoq; uetere homine, nouum hominem nouis actionibus præstemus, adeoq; nostri dissimiles sumus, ut merito neget quis eosdem esse. Nam ideo nobis deus per euangelicam doctrinam ostendit præmium immortalitatis, ut ad eam innocentia uitæ, recteq; factis enitāmur. Nec enim ociosa res est fides euangelica, sed comitem habet indiuiduam charitatem, quæ plus officiorum impetrat ab ultroneis, quā ulla præscripta legis extundere

*Et uos cum
essetis mortui
delictis*

*Et eramus nos
addicti*

*Gratia enim
estis saluati*

queant à coactis. Non uobis imponitur iugum legis Mosaicæ, sufficit una lex Christi-
Propter quod næ charitatis ad omnem officiorum functionem. Nec Iudæi suæ legi debent hanc salu-
memores tem, sed uos tamen hoc magis debetis diuinæ beneficentiæ, quo longius abfuistis à cul-
 tu dei, ueraq; religione. Proinde quo magis intelligatis, quantum debeatis largitati di-
 uinæ, quod nunc tales sitis, meminisse debetis, quales aliquando fueritis. Eratis enim ali-
 quando gentes, certe iuxta corporalem generis distinctionem, quas Iudæorum natio,
 carnali & quæ manu fit, circumcissione glorians, ignominioso uocabulo præputiatos ap-
 pellat, pro profanis & abominandis ducens, & existimans hanc felicitatem, etiam olim
 prophetarum oraculis promissam, ad se peculiariter pertinere: nec intelligens eos de-
 mum apud deum immundos haberi, qui mentem habeant incircūcisam. Sed eratis uos
 id temporis, corporibus simul atq; animis incircūcisi, hoc Iudæis abiectiones ac deplora-
 rationes, quod Christū uobis nec sperabatis, utpote prorsus alieni à iure cōsortioq; gen-
 tis Iudaicæ, cui peculiariter ille uidebatur esse promissus, extorres à pactis dei, quibus
 ille pollicitus fuerat, cum Abrahæ gentis auctori diceret: Per semen tuū benedicentur o-
Gen. 22 mnes gentes. Nec uidebatur ulla spes reliqua seruandi uestri, cum dæmonum cultores
 in hoc mundo uerū deum ignoraretis, cum illi deum suū appellarent, & ille uicissim eos
Nunc autē in suum populū diceret. At simulatq; effulsit euangelij ueritas, rerū uices inuertit Christus,
Christo Iesu efficiens ut uos qui quondā uidebamini nihil ad deū pertinere, nūc sitis illi cōiunctissimi
 non per circūcissionē præputij, sed per sanguinē Iesu Christi, cuius precio liberi à pecca-
Ipsē enim est tis uitæ pristinæ, deo patri fuistis recōciliati. Antea disidiū erat uobis cum Iudæis, dis-
pax nostra sidium cum deo: at Christus auctor pacis & concordie sustulit omne discrimen circūcisi-
 & incircumcisi, sustulit Mosaicæ legis ceremonias, ueluti maceriā quandam, gentiū ac
 Iudæorū concordia dirimentē, ut iam duæ gentes prius inter se disiunctissimæ cōirēt, &
 coalescerent in unū abolita uetere similitudine. Nam ante Christū gentes à Iudæorū obser-
 uatiunculis, ueluti superstitionis uehementē abhorrebant, & Iudæi his adeo sibi placebāt,
 ut horū expertes execrarentur. Christus igitur miro consilio legē inuisam in præscriptis
 ceremoniarū carnaliū sitam aboleuit & antiquauit, ut nec Iudæos alienaret, nec gentes
 eius onere premeret. Ipse enim, cū esset deus, & idem homo, iuxta carnē legis præscripta
 seruauit, & tamen testatus est salutem, quam iuxta spiritum adferebat, ad gentes nō mi-
 nus quā ad Iudæos pertinere: ut iam nec præputium sit abominandum in uobis, nec
 in illis gloriosa circumcisio, sed abolita gentis utriusq; uetustate, ē duabus unam conde-
 ret nouam, quæ in unum nouum hominem Christum coalesceret, seruatore utriusq; ex
 æquo communem. Et quemadmodum Iudæos ac gentes inter se conciliarat, ita simul
 utrosq; deo reconciliauit, ne quid usquam esset, quod pacem dirimeret, sed cœlestia pa-
 riter ac terrena, uelut in unū corpus coagmentarentur. Mors Christi, quā ille pro nostris
 peccatis dependit, nos deo iunxit, qui cum nemo pacē habet, qui peccatis est obnoxius.
 Ea quoniā ex æquo impensa est & gentibus, & Iudæis, non est cur alteris alteri se præfe-
 rant: præsertim cum pignus etiam, & arabo sacri spiritus de quo paulo ante diximus, sit
 utriusq; citra discrimen cōmuniter datus. Iamq; factū uidemus, quod olim Esaias afflatus
 futurū esse prædixit. Christus enim non Iudæis tantū obtulit euangelicam doctrinam,
 quibus hæc beatitudo uidebatur peculiariter esse promissa, quicq; iam suo quodā modo
 dei ueri cultores erant: uerum etiam uobis, qui procul aberatis, & à cognatione Iudaicæ
 gentis, & à ueri dei cultu: docens, per mortem suam utrunq; gregem ouīū in unum ouile
 coiturum, & unicū pastorem agniturum. Is nobis aperuit aditū ad patrem, prius iratum
 nostris cōmissis: nec alius aperuit aditum Iudæis, quā qui gentibus, sed eidem omnes
 debemus, quod audemus utriq; iam ad patrem propitiū accedere, nimirum freti cōmu-
 ni spiritu, qui nostris animis hanc ex æquo inspirat fiduciam. Proinde ne quid uobis di-
Ergo iam non spliceatis, quod iuxta carnis propinquitatē non sitis oriundi ex stirpe David, aut Abra-
estis peregrini hæ, aut quod immunes sitis à lege Mosaica, cum iuxta spiritū sitis ciues, consortesq; san-
ni ctiorum, ad dei donū pertinentes, quæ non ex Iudæis tantum construuntur, uerū ex omni-
 bus, qui pure credunt euangelio. Huius fundamenta sunt apostoli euangelij præcones,
 & prophetæ, qui iam olim suis uaticinijs ostenderūt, euangelij donū omnibus ex æquo
 fore commune. Huic fundamēto uos quoq; innitimini. Porro Iesus Christus huius adifi-
 cii summus ille lapis est, qui in angulo additus, parietem utrunq; iungit & complecti-
 tur; cuius

tur, cuius uel complexuq; tota structura credentium, undecunq; coagmentata, indies augescit, ac surgit in templum spirituale, uere sanctum: nimirum ab ipso domino consecratum. Atq; huius sacrae structurae uos quoq; pars estis, dum ueluti uiui lapides, ipsdem fundamentis superstructi, & ab eodem lapide angulari comprehensi, puritate mentis ac spiritus, Deo praestatis habitaculum sanctum, & ab omnibus inquinamentis uitiorum & cupiditatum immune. Mosi templum non recipit nisi Iudaeos, ad hoc templum omnes ex quo pertinent, qui fidem euangelicam amplectuntur.

CAPVT. III



ID quo firmitus etiam credatis, scitote quod ego Paulus, non aliam ob causam his uinculis oneratus sum: non enim ob maleficium, sed ob amorem domini Iesu Christi, cui Iudaeis indignantibus, uos gentes lucrificare studeo. Si tamen audistis hanc prouinciam ab ipso Christo mihi delegatam, ut euangelicam salutem, quam antehac quidam ad solos Iudaeos arbitrabantur pertinere, dispensare quaqua uersum & inter gentes, quarum de numero uos estis. Hoc arcanum antea coelatum alijs apostolis, mihi potissimum Christus aperuit, quemadmodum & ante paucis coepimus attingere, cum alijs nationibus scriberemus, ex quorum lectione poteritis agnoscere, mihi non esse ignotum Christi arcanum consilium, qui cum Ananiae praedixit fore, ut nomen suum circumferrem inter gentes, tum ipse mihi iussit, ut ipsius legatione functurus irem ad gentes procul semotas. Id prius uidebatur abominandum, ut impij & simulacrorum culturae dediti, uocarentur ad euangelij consortium, licet deo sic decretum fuisset, iam olim ante conditum terrarum orbem, & utcunque prophetis per afflatum patefactum: tamen haud perinde mortalium generi fuerat patefactum, quemadmodum nunc est per me, gentes absq; legis Mosaicae praesidio per solam fidem euangelicam consequi salutem, adeo ut primores etiam apostolorum non ausi sint incircumcisos ad baptismum admittere. Nunc autem palam factum est sanctis apostolis Christi, huiusq; prophetis afflatu sancti spiritus, gentes sic per fidem esse conglutinatas Iudaeis, ut & in eiusdem hereditatis uenerint consortium, & in idem corpus coaluerint, gaudentes communi capite Christo, ac per hoc simul omnium promissorum participes sint facti, quae manent eos, qui fidem habent euangelio Christi, cuius euangelij praedicandi mihi delegata est autoritas: nec desum mandatae prouinciae, usq; ad carceres & compedes, haecenus constanter laborans in euangelij negotio, non quod ipse meis uiribus parum tam arduae prouinciae, sed is qui delegauit hoc munus, idem de suo addit opem suam. Qua fit, ut meis praesidijs imbecillis & inualidus, illius beneficio fortis sim atque intrepidus aduersus omnium malorum procellas. Non iacto meam dignitatem, fateor me minimum esse sanctorum, sed tamen huic minimo, placuit diuinae bonitati, concedere negotium longe maximum, ut inter gentes antehac prorsus ignaras dei, promulgem, ac praedicem inuestigabiles diuitias Christi, quas affatim offert omnibus: utq; quod antea latebat, in lucem proferam, nunc esse dispensandum in omnes nationes Euangelij beneficium, quod ante putabatur solis Iudaeis esse delatum, licet ab aeterno secus erat deo decretum, rerum uniuersarum & conditori & moderatori. Sed hoc diuinae mentis suae consilium, haecenus arcanum esse uoluit, quod hisce temporibus adeo uoluit esse palam, idq; per ecclesiam suam, in quam tantum spiritualium dotium effundit, ut multiplex illius sapientia, quae miris consilijs dispensat omnia, per mortem largiens uitam, per ignominiam adducens ad gloriam, per humilitatem illustrans dei maiestatem, quod olim nemo potuisset suspicari, nunc innotescat, non solum orbi terrarum, uerum etiam principibus, ac primoribus angelicarum mentium, atq; etiam daemonum, qui in coelis, summaq; aeris parte uersantur: quae tametsi suspicari poterant fore, ut genus humanum aliquando redimeretur, tamen illud latebat, quibus rationibus id ab aeternis seculis sapientia diuina facere decreuisset: id quod tum demum innotuit, posteaq; filium suum misit in terras, qui assumpto corpore humano, modis ineffabilibus sibi assereret, atque adglutinalet ecclesiam, cuius ipse caput esset Iesus Christus dominus noster: per quem ut contigit nobis innocentia, nimirum ab olitis peccatis nostris, ita contigit fiducia, ut tanquam filij non uereamur ad patrem accedere, cuius irati uultum antea non fuisset ausi obtueri. Quid enim non audeamus freti tali capite, quod haud quaquam sinist ullum membrorum suorum perire, quantum

Huius rei gratia ego Paulus

Concorporales & coparticipes

Ut innotesceret nunc

uis hic interim affligamur. Hoc arcanum dei consilium, quoniam fortiter ubiq; *prædi-*
Propter quod co, uehementer affligor ab ijs, quibus id nondum persuaderi potest. Sed obsecro uos, *ne*
peto, ne desi- quid uos perturbent, aut desiciant afflictiones meæ, quas uestra causa patior. Nec est
ciatis quod uos pudeat huius apostoli, cōpedibus onusti. Nam quemadmodum Christi crux
 nostra est gloria, ita meæ compedes, quas non ob flagitia, sed ob Euangelij sinceritatem
 gesto, uobis decori sunt, nō probro. Etenim quo plus malorum infraçio animo ferimus
 ob euangelium Christi, hoc pleniorē fidem facimus, non esse uana Christi promissa,
 quorum spe fulti, nullis huius uitæ malis labefactamur. Neq; mihi solum gloriosum est
 ob euangelij negocium affligi, uerum omnibus etiam Christo initiatis, pulchrum fuerit
 autoris & capitis sui exemplum sequi. Atque hac sanè gratia, flexis genibus ex intimo
 mentis affectu deprecor deū patrem nostrū, eundemq; patrem domini nostri Iesu Chri/
 sti, à quo celum summo capite pendet omnis cognatio spiritalis, qua conglutinantur siue
 angeli in cœlis, siue fideles in terris, & à quo uno ceu fonte proficiscitur, quicquid adue/
 ram felicitatem pertinet: ut quemadmodum cœpit exuberantem suam gloriam declara/
 re in uobis, ita magis ac magis augeat suā erga uos munificentia: ut qui per baptismum
 estis insiti Christo, quasiq; denuo nati, quotidianis auctibus robur ac uires colligatis, nō
 iuxta corpus, sed iuxta mentem atq; animum: idq; semper augescēte in nobis dono pa/
 terni spiritus, per quem fortes, & inuicti reddimur aduersus omnia terculamenta per/
 sequutionum: eaq; sit fidei uestre firmitas, ut existimetis Christum nusquam uobis non
 adfuturum, Imò potius habitare in intimis cordibus uestris, idq; qđ fiduciam, qua uos to/
 tos illi creditis. Nam ihs adest maxime, qui suis opibus diffusi, tēp ab ipsius auxilio pen/
 dent. Id fieri eo magis, si fidei euangelicæ iunxeritis charitatem euangelicam, & sic ad/
 iunxeritis, ut ea penitus insideat animis uestris, ac radices agat, ut hoc stabili fundamen/
 to nixi fultiq; grandescatis spiritu uestro, deiq; immenso spiritui aliquo modo respon/
 deatis: ut iam adulti eō proficiatis capacitatis, ut non solum cum Iudæis, uerum etiam
 cum uniuersa multitudine sanctorum, quæ per fidem euangelicam adglutinetur in cor/
 pus Christi, possitis comprehendere, quam in immensum se porrigat dei patris bonitas,
 quamq; non angustis finibus cohibeatur: altitudine ad angelos usq; se proferēs, profun/
 ditate ad inferos usq; penetrans, longitudine ac latitudine ad omnes huius mundi pla/
 gas sese dilatans: simulq; possitis intelligere inestimabilem Christi charitatem, erga ge/
 nus mortalium, cuius cognitio præpollet omni scientiæ humanæ quantumuis excellen/
 ti. Atq; his dotibus sic augescatis, ut ceu robusta perfectaq; membra tam insigni capiti,
 tamq; sublimi patri respondeatis. Quemadmodū enim corporalis natiuitas habet ætatū
 gradus, habet auctus suos, habet & metam, quoad adollescere detur: ita & hæc spiritalis
 generatio habet suā infantia, habet adolescentiam, habet & perfectæ iam & adultæ æta/
 tis robur. Hæc, inquā, flexis genibus peto frequenter à patre deo, magna quidē illa, lon/
 geq; supra uires humanas, sed ab eo peto cuius est tanta potestas, ut nihil à nobis queat
 excogitari tam ingens, quin ille possit longe maiora: tam bonus ac benignus, ut sua libe/
 ralitate nō modo æquet uota nostra, uerum etiā spem superet. Neq; enim hic quicquam
 nostris uel meritis, uel uiribus agitur. Nos nihil aliud sumus, qđ organum potentiæ diuī/
 næ, quæ uim suā exerit in nobis. Huius igitur largitati transcribenda est omnis gloria,
 quæ relucet in ecclesia per Christum Iesum, cuius cōmercio dotes tantas possidet: atq;
 huius gloriæ nullus erit finis, sed per omne æuum perseverabit in æternum, quemadmo/
 dum & ecclesia Christi nullum finem est unquam habitura. Quod dixi certum est, & in/
 dubitatum.

CAPUT IIII



Quoniam igitur intelligitis, à quā abiecta conditione, ad quantam dignita/
 tem, à quanta desperatione, ad quā eximīa prēmīa uocati sitis, obtestor uos
 per has catenas, quibus non ob mea facinora, sed ob dei gloriā, & uestram sa/
 lutem uinctus sum, ut quod superest, uestre professioni, deiq; erga uos beni/
 gnitati, morum innocentia respondeatis. Id fiet, si professionis dignitas non reddet uos
 elatiores ac ferociiores, sed tota uitæ consuetudo præ se ferat in omnibus ueram animi
 modestiam, mansuetudinem, ac lenitatem, neque per fastum alius alium despiciat, sed
 per mutuam charitatem uos inuicem toleretis, potius ad tempus obsecundantes alie/
 næ infirmitati, quā dum suum quisque ius mordicus tueretur, scindatur concordia &
 unanimitas

unanimitas, qua per uinculum pacis estis connexi conglutinatiq. Nec enim conueniunt eos inter se dissidijs animorū distrahi, quibus tam multa sunt communia. Vnum corpus estis omnes, ab uno pendetis capite, eundem Christi spiritum hausistis oēs, quin & ad eandem hereditatis spem ex æquo uocati estis omnes. Vnus est omnium dominus Iesus Christus, eadem est omnib. fidei professio, unū omnib. baptisma, quod ex morte Christi, æqua liter efficax est in omnes qui credunt euangelio, siue præputiati sint, siue recutiti. Postremo unus est deus & pater omnium, qui uelut princeps & autor uniuersorum sic præsidet nobis omnibus, ut interim spiritu suo, quo nos moderatur, fusus sit per omnes. semperq. nobis præsens & opitulans inhabitet in omnibus. Vnius igitur est quicquid in nobis est bonarum rerum. Nec illud officere debet nostræ concordie, quod huius dotes, nec eadem, nec pares eminent in omnibus, nihil magis profectio, quam distrahi uidemus membrorum inter ipsa consensum, quod nec ad usum eundem æque ualeant omnia, nec pariter sentiant capitis influxum. Imò hæc ipsa uarietas magis inuitare debet ad cōcordiam. Etenim dum nulli cuiquam membrorum omnia sua præsidia constant ex sese, sit ut singula alterius egeant officio, nec sit quod aliud possit aliud cōtemnere. Cæterum hæc donorum partitio à nobis, sed nō à dei pēdet arbitrio, qui cuiq. sua beneficia dispēsat largius aut parcius, ut cunq. perspexerit expedire. Non est cur fastidiatur, qui minus habet: nec est cur cristas tollat, qui plus habet. Illud dispēfantis est dei, hoc largiētis, licet omnia per Christum qui simul hæc largitur cum patre. Nimirum hoc erat, quod olim diuini numinis afflatur prædixit psalmographus. Iam em̄ Christus debellatis inferis, ascendit rediuius in sublimē regnum patris, secum adducens uictoriæ suæ trophæū, captiuorum gregem ē peccati diabolicq. tyrannide liberatum: atq. inde ex liberalitate patris per cœlestem spiritum dedit uaria donorum genera, inter homines dispartiē, quemadmodum triumphantibus est solenne, missilia in populū ē sublimi spargere. E cœlo misit dona, & cœlestia misit. Porro quod dicitur ascendisse: nōne consequitur eum aliquando descendisse? Nec descensus est nisi ē sublimi. Prior est descensus, posterior ascensus. Nam sublimitatem non meretur, nisi humilitas sui q. deiectio. Porro summam humiliationem, summa consequitur sublimitas. Christus ē summo cœlo, quo nihil esse potest sublimius, demisit sese usq. ad inferos, quibus nihil esse potest inferius. Atq. ob id meruit, ut rursus subueheretur ultra cœlorum omnib. fastigia, ita nobis subducēs corporis sui præsentia, ut ē sublimi cœlestibus donis impleteret omnia, & alia quadam ratione, iam nobis adesset efficacius quā adfuerat cum nobiscum in terris uersaretur. Non deseruit suum corpus, sed ita partitus est singulis mēbris suas dotes, ut in uniuerso nihil desiderē, licet alijs dotibus alia præpolleāt. Quosdam enim uoluit esse præcipuos, uelut apostolos, principes, & autores euāgelicę prædicationis, quosdā uero prophetas, qui Moisaicę legis inuolucra norint explicare: quosdā euāgelistas, qui apostolorū fungentes uicibus, obambulantes circumferāt euāgelium: quosdam rursus pastores, ac doctores, uelut episcopos, qui pabulo sacri sermonis, ac salubri uitæ exemplo pascāt Christi gregē: atq. item ceteros, alios alijs dotibus instruxit, ut ex his omnib. in unum collatis, consummaretur sanctorū cœtus, sic instructus ad omnem officij functionem, & perfectum Christi corpus omnibus sui membris coagmentatū, sic interim mutuis præsidijs foueatur, atq. interim membrum ualidius imbecilliori morigeretur, & imbecillius ad robustiorum exemplū enitatur, donec tandem omnes perueniamus ad par fidei robur, similiq. perfectione cognoscamus filium dei. Cuius auxilio sic grandescamus, secretis animorū auctibus, ut tandem euadamus in uirum perfectū, ac iuxta modum nostrum perfectissimo capiti respōdeamus, in quo nihil fuit nec imbecillitatis, nec erroris, nec uitij. Est ætas corporum, quæ plenum robur addit membris omnibus, & omnem puericę molitudinem depellit. Est huic similis profectus in progressu pietatis, quo connitendum est omnibus, ne posthac simus quod olim fuimus, ritu puerorū incertis opinionibus fluctuantes, nec ullis certis decretis de parāda felicitate nixi, sed ueri inanes, nūc in hāc nunc in illam sententiam, quouis doctrinę uento circumferamur, puerili simplicitate præbentes nosmet hominum quorundā uersutia calliditatq. nō hoc agentib., ut nos Christum sincere doceant, sed ut nos callidis artibus adorti capiant illaqueatōs imposturis suis, uel ratiocinationibus philosophorum, uocantes in dubium, quæ per fidem oportet esse indubitata, uel pro ueritate euangelica, Moisaicę legis umbras nobis obtrudentes. Sed potius se-

Vnicuiq. autem
tem nostrum

Quod autem
ascendit

Ad cōsumma
tionem san
ctorum

mel amplexi ueritatem euangelicam, huic iungamus synceram erga mortales omnes charitatem, huc indefatigabili studio contendentes, ut pariter & in cognitione ueri, & in charitatis officijs assidue proficientes, efficiamus, ut omnia membra suo capiti respondeant. Caput autē nostrum est Christus, qui & ipsa est ueritas, & sic dilexit nos, ut semet ipsum nobis seruandis impenderit. Huic membra congruant oportet. Ab hoc enim uitalis ille spiritus defluit in totum corpus, e diuersis membris ordine sibi coherentibus compactum & coagmentatum, per omnes artuum commissuras penetrans, quod non fieret, nisi mutua cōcordia partes corporis sibi iungerentur, ut eis spiritus à membro in membrū possit dimanare. Neque enim manus aut pes amputatus particeps esse possit uirtutis à summo capite proficientis. Verum dum omne corpus sibi conglutinātū est, fit ut in singulis membris pro suo cuiusque captu atque ordine Christi spiritus uim suam exerat: dumque membra omnia mutua charitate sibi uicissim student esse usui, totum corpus augefcit, ualidumque ac uegetum redditur, haud quaquam cessurum uentis opinionum falsarum, huc atque illuc sollicitantibus, ut à uero deflectat. Horum igitur omnium, quæ tot inuolucris significare uolui, summa hæc est. Non solum moneo, uerum etiā obsecro, & obtestor uos per dominum Iesum, cui debetis uestram salutem, ut posteaquam estis illi semel insiti, cōgruatis cum illo, non solum synceritate fidei & dogmatum ueritate, uerum etiam integritate uitæ. Cum de numero gentium essetis illorum gregi respondebatis, nunc alios factos, & in Christum renatos, alij decent mores. Gentes, quoniam euangelij ueritatem non perceperunt, ducuntur uanis opinionibus, muta simulacra colentes pro deo, & huius mundi cōmodis temporarijs felicitatem metiētes, atque ideo mortua colunt, ac perituris rebus inhiant, quod ignorant ueram atque æternam uitam, qui deus est. Atque is quoniam cerni non potest, nisi purgatis oculis animi, idcirco ab illis non cernitur, qui cor habent malarum cupiditatum tenebris ac diffidentiae nebulis obscuratum, imò potius excæcatū: suisque uitijs relictis, tandē eò malorum uenerunt, ut ceu desperātes reditum ad meliorem frugem, & ad sensum felicitatis suæ uelut obsurdefacti, præcipientes abierint in omne probri genus, insatiabili libidine patrandi, quicquid est impudiciæ, etiam usque ad eas species, quas turpe sit uel nominasse. Sed multū ab istis dissidet euangelica doctrina, à qua didicistis non humanas & stultas opiniones, sed ipsum Christum, omnis innocentiae fontem atque exemplū, si tamen uere illum audistis intus loquentem, & uere per illius spiritum estis edociti, ut ipsi pro uiribus sedulo imitemini, quæ uere fuerunt in Iesu: uidelicet, ut quemadmodum ille nulli uitio fuit obnoxius, iamque uictor mortis, fruitur immortalitatis gloria: ita & uos in illū renati, exuatis ueterem hominē primam illam originē malis ac mortiferis cupiditatibus referentem, iamque nouo hominī Christo per baptismū insiti, renouemini & uos cum illo, non quidem iuxta corpus, sed iuxta mentem, in quam potissimum agit spiritus Christi, ac deposita pristinae uitæ uetustate, induatis nouum hominem, qui spirituali quadam ratione conditus est nuper in uobis opificio diuino: conditus autē ceu per metamorphosin quandā, ut abolita iniustitia, succederet innocentia, & ablata immundicia cupiditum humanarum, succederet sanctitas euangelicæ ueritatis. Hanc igitur ubique sectantes, nolite uobis inuicē mendaciorum fucis imponere, sed & apud se quisque quod est uerum sentiat, & ueris agat cum proximo, memor omnes nos eiusdem corporis esse membra, ut nemo iam alteri nocere possit, nisi simul & sibi ipsi noceat. Perfectū est ira nō tangi, sed si ob imbecillitatem humanæ naturæ nonnullus iræ impetus perstringat animū, memores quid admoneat sacer ille psalmographus, sic iram erumpere gestientem cohibete, ut non exeat in conuiuium, aut iniuriā, aut odium. Sit autē non solum innoxia, uerum etiā breuis ira uestra, quæ citius animos uestros relinquat, quā sol terram. Ne cum illa feruere desierit noctis aduentu, uos nihilo secius interim æstuetis iracundia. Sola concordia uos tutos reddat aduersus insultū diaboli, ea si scindetur odijs & offensis mutuis, aperietur hosti rima, per quam irrumpat in uestrum exitiū. Aduersus unanimes imbecillis est, aduersus dissidentes potens. Huic locum dabit, si locus dabitur odio. Qui iuxta pristinum uitæ institutum furto cōpilabat aliorum, iam non solum temperet ab alienis, uerum etiam ultro de suis impartiat. Quod si desit facilitas, ne grauetur honestis laboribus manū parare, unde subueniat egenti. Nec satis est habere manus cōtinētes, nisi & lingua sit innoxia. Varijs modis solet esse pestilens mala lingua, turpiloquio inficit, obreclatione infamat, delatione iugulat, mendacio periurioque fallit. Nullus

Hoc ergo dico et cōtestor

Si tamen illum audistis

Sol non occidat

Omnis sermo malus

Nullus itaq; sermo malus proficiatur ex ore uestro. Mentis imago est oratio. Si mente pura estis, non conuenit exire sermonem impurum. Neq; satis est, ut innoxius sit hominis Christiani sermo, imò talis esse debet, ut in tempore, & ad usum depromptus, fructum adferat audientibus. Quod si secus feceritis, non solum offendetis homines, inutili, intempestiuo, aut noxiò sermone, uerum etiam spiritum dei sanctum, habitatorem mentium Christianarum, per quem animi corporaq; uestra uelut ob signata sunt deo. Decet autē, ut hoc signaculum inconfusum & illibatum exhibeatis in illo die, cum accipietis præmium innocentiae uestre, secreti à grege malorum. Fugatur uero & offenditur hic spiritus omni turpitudine, nec patitur cum ira, cum uindicta, cum turpiloquio commercium. Placidus, benignus, ac beneficus est, quem si uere hauristis, procul faceffat à moribus uestris omnis amarulentia, tumor ac ferocitas. Iracundia, uociferatio, conuiuium adeo faceffat, ut nec in animo resideat ullum malitiæ fermentum, unde solent hæc pullulare mala. Quin potius sitis inter uos comes ac faciles, & ad miserendū propensi, cōdonantes & ignoscētes uobis mutuo, si quid admissum erit per errorē & humanā imbecillitatem: ignoscentes, inquam, ob Christum, quando deus uobis per Christum condonauit semel omnia uestra commissa; atque hac lege cōdonauit dominus seruis suis, ut ipsius exemplo, conseruis uicissim ignosceremus. Nec enim alia ratione constare potest inter mortales concordia, nisi se uicissim in humanis erratis ferant.

CAPVT V

Proinde quando per spiritum sanctum estis filij dei, facite ut parentem uitæ sanctimoniam referatis, quo digni sitis quos ille perpetuo diligat. Sic autem obtinebit ille perpetuam erga uos charitatem, si uos mutuam inter uos charitatem obtinueritis. Quanta fuerit patris erga nos charitas, filius illius declarauit, qui sic impense dilexit nos, ut non solum gratis condonarit omnia peccata, uerum etiam semetipsum exposuerit supplicio crucis, ut hoc sacrificio, uictimaq; fragrantia uere sua uis apud deum patrem, placatus ille ex offenso nobis redderetur propitius. Hanc charitatem si ut decet æmulabimur, non solū faciles erimus, si quid erit in nos admissum, uerum etiam pro salute proximi, si res ita ferat, non dubitabimus capitis adire discrimen. Iam uero quid attinet uos à scēdioribus illis et crassioribus uitijis deterrere, quod genus sunt scortatio & si quod est aliud turpitudinis genus: item pecuniæ studiū infatigabile: à quibus portētis intantum oportet abesse mores Christianos, ut indecorum sit inter illos uel nominari. Sunt enim res quædam adeo execrabiles, ut purus & castus animus etiam à cōmemoratione abhorreat. Decet autē sanctos, ut non solum uita pura sit ab omni turpitudine, uerū sint & ore casto puroq;. Neq; satis esse putemus, si uita & oratio absit à turpitudine, nisi sermo noster abhorreat & à stultis ac friuolis fabulis, & ab inanibus iocis, ac salibus, quæ ut in alijs uel ferantur, uel etiam laudentur, certe Christianis non congruunt, quibus ad cœlum properantibus, assidue bellum est cum uitijis, & bellum tam periculosum, ut ocium non sit similibus nugis risuq; indulgere. Flendū potius, aut si exhilarandus est animus ob bonæ rei successum, hymnis quibus deo gratias agimus est exhilarandus. Neq; uero meliorem est, esse philosophos, qui doceant, Veneris usum extra matrimonium non esse flagitiū, quod humanis legibus non puniatur, Pecuniæ studiū non esse scelus, quod huic malo nulla sit poena. Verum uos illud scire uolo, quod quisquis scortator sit, aut alio genere libidinis inquinatus, aut avaritiæ decitus, qui quoniam in re muta faciliq; præcipuū suæ felicitatis præsidium collocat, non multū abest à cultu simulacrorū, non admittitur ad hereditatē immortalis uitæ, quam suis promisit deus cum Christo cōmunem. Hæc poena si uobis uidetur leuis, credite ijs, qui uobis persuadere conantur hæc esse leuia peccata. Ne finite uobis imponi uanis ac friuolis istiusmodi sermonib. magis auscultate doctrinæ euangelicæ. Siquidē propter huiusmodi uitia, etiā si legibus humanis non puniuntur, tamen ultio diuina sequi solet in filios inobediētes, qui diffisi promissis paternis, in huiusmodi rebus felicitatis præsidia ponunt. Semel ab isto hominum commercio uos semouistis, professi Christū, cauendū igitur, ne uestra uita congruat cum illorū uitijis, quorum professio dissidet ab illorum instituto. Hactenus erratū est ignorantię tenebris, eas omnes discussit exorta ueritas euāgelij: & uos olim in nocte uersabamini, ac nocturna dedecora patrabatis. Nunc deus per euāgelicā lucem illustrauit mentē uestrā, ut quæ prius suauia uidebantur, nunc cernatis quam sint execranda. Nox pudorē nō habet, tegitq; multa, quæ nullo

Omnis amaritudo

Fornicatio autem & omnis immundicia

Nemo uos seducat

lus auderet clara luce facere. Sic igitur uitam omnem cōponite, ut memineritis uos in lu-
 ce uiuere, semper conspicuos oculis dei. Frequēter impingit, qui noctu facit iter, nō enim
 cernit quid uitare debeat. Lux enim hunc habet fructū, quod indicat quid sequendum sit,
 quid fugiendū. Docet enim ubiq; uitandā esse maliciā, maledicentiā, ac simulationē, proq;
 his sectandam bonitatē, iustitiam, ac ueritatem, & in genere semper illud spectādum, non
 quid arrideat hominib; non quid suauē sit, aut expediat nobis, sed quid acceptū sit uolun-
 tati diuinæ, ad cuius nutum omnis nostra moderanda est uita. Ille fons est lucis nostrę, cui
 sēper adherentes uacabitis frugiferis & honestis pietatis officijs, ac luce dignis, pudebitq;
 posthac habere cōmerciū cum infrugiferis operibus tenebrarum. Tantum autē absit ut
 in pristinas tenebras reuoluamini, ut uestra potius luce prodatis & arguatis ea dedecora,
 quæ illi in suis tenebris perpetrant. Nam quando deum non uerentur, quoties nox aut se-
 cretum ademit pudorem, quæ tum patrant eiusmodi sunt, ut foedum sit etiam cōmemora-
 re. Sed quamdiū nulla luce prodente peccant, licenter & impune peccant. At quoties ad-
 mota luce produntur, tum incipit agnoscī foeditas rei. Proditā uero uertitur in melius, ac
 corriguntur, nocte uidelicet uersa in diem, & animi cæcitate depulsa. Quod si uestra uita
 lux fuerit, pudebit illos suæ turpitudinis uestra innocentia conspecta, atq; ita fiet, ut uestris
 castis ac sanctis moribus excitati expergesiant ad innocentiam, si uiderint in uobis emica-
 re lumen Christi. Nimirum illud est, quod dicit oraculum: Expergiscere qui dormis & ex-
 urge à mortuis, & illucescet tibi Christus. Letalis est somnus, imò mors est, obrutum esse
 uoluptatibus huius mundi, nec attollere oculos ad æterna ueraq; bona. Nec aliter possunt
 expergisci, nec aliter reuiuiscere, nisi Christus mentibus illorū exortus, dispulerit crassissi-
 mas tenebras ignorantia. Vos autem Ephesij, quibus præluet Christus sol noster, etiam
 atq; etiam circumspicite, quibus modis ambuletis, nō iam uiuentes gentium more, quę ob
 mentis cæcitatem non sapiunt quid sit honestum, sed uti decet eos, qui uere sapiunt euan-
 gelicam doctrinam, omnium rerum dispendio redimētes istam oportunitatem parandę
 salutis, quæ hoc auidius est rapienda, quod graue sit hoc tempus, & undiq; multa ingru-
 ant, quæ possint incautos parūq; prouidos à synceritate doctrinæ Christianæ depellere.
 Propterea uobis magis est obseruandum, ne per imprudentiam occasionem detis impijs,
 uel ut ipsi sæuiant in euangelium, uel ut uos auocent à professione uestra. Hæc est uestre
 salutis summa, atque hic prudentes sitis oportet, ad reliqua conuiuentes, ac declarantes
 uos intelligere, quæ sit uoluntas domini. Nam is cupit omnes ad euangelicam salutem ad-
 duci, si fieri possit. Hoc agentibus conueniet sobrietas, nam socors & incircumspecta est
 temulētia, neq; socors tantum, uerum etiam præceps ac temeraria. Nolite igitur inebriari
 mero, quę res ad luxū pertinet, nō ad necessitatem, sed impleamini musto spiritus sancti.
 Hæc enim est felix ebrietas, quæ uos extimulet, non ad lasciuas choreas, aut ineptas cantu
 uncūlas, quibus gentes dæmones suos inclamant, sed ad psalmos, ad hymnos, ad cantica
 spiritualia, quibus inter uos exultetis, cantetis & psallatis domino, non indecoris clamor
 ribus, qui mos est temulentorū, sed intus in animis & cordibus uestris. Hæc est uoluptas,
 hæc charitas, hæc comessatio digna Christianis, ne gentibus inuideāt sua temulenta con-
 uiuiā. Illorum temulenta gaudia mœror excipit, nonnunquā & corporis morbus. Vestra
 iugis est uoluptas. Quicquid enim uobis acciderit, seu latū, seu triste, latū à propicio deo,
 triste à cōsulente uestre salutis, semper oportet pro omnibus gratias agere, certos nihil acce-
 dere, quod uobis non cedat in cumulum felicitatis æternæ. Agendæ sunt autē gratiæ deo,
 qui cūctis est autor honorū omniū, sed idem Iesu Christo dño nostro, & pater est, & deus,
 per quem nobis largitur omnia, qui cum sibi laudem omniū uult esse cōmunem. Ille patris
 se subiecit, nos item illi subditos esse cōuenit, non quod cōueniat Christiano Christianum
 esse terrori, sed qui Christū ex æquo reuerentur, non grauantur sibi uicissim cedere, cum
 ille summus omniū, omnibus sese submiserit. Agnoscat inferior auctoritatē superioris. At
 uicissim superior inferioris modulo semet accommodet, quo magis queat prodesse. Nam
 qui inter Christianos præcellit honore, non in aliud præcellit, nisi ut uberius proſit. Vx-
 ores igitur agnoscant maritorum suorum auctoritatem, eisq; subditæ sint non aliter quā
 ecclesia subdita est domino Iesu. Nam quemadmodū Christus est caput ecclesiæ, ita ma-
 ritus est caput suę quisq; uxoris. Sed quemadmodum caput sic dominatur corpori, ut
 ab hoc pendeat corporis salus: ita maritus sic prælatus est uxori, nō ut in illam exercent ty-
 rannidem

Magis autem
 & arguite

Videte ergo
 quomodo
 caute

Propterea no-
 lite fieri im-
 prudentes

Mulieres ui-
 ris suis sub-
 dite

tyrannidem, sed ut illius saluti consulat, nimirum prudentior, ac firmior. Nec ideo debet uxor aduersus maritum insurgere, quod ille se præbeat amandum magis, quam formidandum. Imò hoc magis oportet esse subiectam in omnibus, quemadmodum ecclesia hoc magis se subiecit Christo, quo magis ille semet deiecit pro salute sponsæ suæ. At uicissim mariti, ne uestra auctoritate tyrannice abutamini in uxores uestras, sed eas magis ea charitate prosequamini, quam Christus prosequutus est, & prosequitur ecclesiam suam, quam adulteram ac rebellem a deo non repudiavit, ut seipsum pro illius salute redimenda, in mortem tradiderit, ex inquinata puram reddens ac sanctam, ex foeda atque immunda, speciosam ac puram, non exprobrans illi suam turpitudinem, sed abluens illam unda sui sanguinis, ac purgans uitali lauacro inuocatione diuini nominis efficaci, quo suo beneficio sibi sponsam pararet gloriosam, nimirum ecclesiam, quæ iam nec maculam haberet, nec rugam, aut aliud quicquam eiusmodi, quod oculos sponsi posset offendere, sed undique pura foret atque inculpata. Similiter affectu decet maritos esse erga uxores suas, ut nihil non faciant, quo reddant illas Christo dignas, non aliter solliciti pro illarum salute, quam caput sollicitum est pro salute corporis. Siquidem uxor uiri corpus est. Morosa est uxor, impudica est, aut alijs uitijs obnoxia, ne perdas illam sæuitia, sed lenitate corrige ac medere. Sic medere uitijs, ut uxorem interim ames. Quid enim faceret caput, si conspiciat corpus suum habere morbi uitijue non nihil? utrum odisse inciperet, & auersari, an potius mederi, si posset, ferre fouereque, si mederi non posset? Nonne uideatur absurdum, si caput male uelit corpori? Quisquis uxorem suam amat, amat seipsum, nimirum partem sui. Quis unquam sic obsurduit ad naturæ sensum, ut corpus proprium habuerit exosum? Quis non magis, quale quale corpus natus est, nutrit ac fouet illud quo melius reddat ac uegetius? Quod naturæ uis impetrat ab ethnicis, cur non multo magis hoc in uobis efficit Christiana charitas, quæ nos huc uocat exemplo Christi, qui non est auersatus sponsam suam ecclesiam, licet antea foedam, ac multis modis prostitutam, sed purgauit, sed expiauit, sed constabiliuit. Hoc igitur præstate mariti uxoribus uestris, quod in nos præstitit Christus, qui sumus membra corporis eius quod est ecclesia, quemadmodum uxor est corpus uiri, ex cuius carne & ossibus condita est, ut palam esset, non oportere diuelli, quod idem esset & unum. Sic enim legimus in Genesi: *Gen. 2* Vxoritis gratia citius relinquet homo patrem, ac matrem, quam deserat uxorem suam, cui sic adhærebit, ut ex duobus fiat unum, corporum atque animorum summa coniunctione. Secundum deum nulli plus debemus, quam parentibus, & tamen his præfertur uxor. Subest hic ineffabile quoddam, & ingens arcanum, quomodo quod in Adam & Eua sub typo gestum est, in Christo & in ecclesia mystice peragatur. Huius indiuiduam copulam quisquis scrutabitur, intelliget magnū subesse mysterium. Nam quemadmodum ipse cum patre unum erat, ita & suos omnes unum uoluit esse secum. Quod arcanum licet retrusius sit, quam ut in præsentia sit explicandum, tamen in hoc satis est attulisse exemplum, ut suam quisque uxorem non secus diligat, atque seipsum diligit, memineritque secum illam unum & idem esse, quemadmodum Christus admauit ecclesiam suam, quam sibi intime adiunxit. Porro uxoris partes erunt, non solum redamare maritum, ut uitæ socium, uerumetiam reuereri, ut auctoritate præminentem. Optime cohærebit concordia, si utrinque constabunt officia.

CAPUT VI



Auctoritatem temperet charitas, ne qua exeat in tyrannidem, ac rursus infirmitatem cohibeat reuerentia, ne surgat in rebellionem. Nec enim consensus ac tranquillitas esse potest, ubi confusus fuerit ordo. In uxorem solus maritus habet imperium. Liberi debent utriusque parentis auctoritatem agnoscere. Ad hanc igitur regulam filij morigeri dictoque audientes sitis parentibus uestris, honesta præcipientibus, Christi quoque professione digna. Nam id simul & ipsa naturæ æquitas exigit, ut honorem deferamus ijs, quibus ortum uitæ debemus, & grati simus erga eos, quorum beneficio sumus alii educati, denique idem lex dei dicat: Honorem, inquit, habeto patri tuo, & matri tuæ. Neque satis habuit præcepisse, quemadmodum in cæteris facit, non occides, non furaberis: adiecit & præmiū, quo magis inuitaret ad officium. Alioquin quæ sunt honesta, & gratia præstanda sunt. Quod autem præmiū pollicetur, ut bene sit, inquit, tibi, ut sis longeuus in terra. Siquidem indignus uideatur diu frui uita, qui ingratus ac rebellis est aduersus eos, per quos uitæ munus accepit. Patres contra, ne abutamini uestra potestate, ac liberorum obedi-

Viri diligite uxores uestras.

Gen. 2

Sacramentum hoc magnū est

Filij obedite parentibus uestris

Nolite ad iracundiam provocare

*Serui obedite
dominis*

*Et uos domini
eadem facite
illis*

*De cetero
confortamini*

obedientia, existimantes uobis quiduis in illos licere. Filij sunt, non mancipia. Imperium leniat pietas. Cauendū est, ne senili morositate, aut sauis imperijs, aut immoderata austeritate non sanetis, sed exacerbetis illorum animos. Si quid peccant per aetatem, sic admouendi sunt, ut doceantur potius, quā percellantur. Prima curarum esto, sic eos monitis & institutione formare à teneris annis, sic illos inuitare pietatis exemplis, ut appareat Christianis parentibus iuxta Christi doctrinam educatos esse. Sic enim citius perducuntur ad bonam frugem, quā minis aut sapitiā, si doceantur, non cogantur tantum. Serui declarate uos ex euāgelica professione redditos esse meliores, cōmodioresq;. Et officium, quod alij praeſtant heris suis, quibus iuxta tēporariam seruitutis conditionē obnoxij sunt, uos multo praeſtate cumulati. Nec em̄ hoc uobis adferre debet baptiſmus, ut seruire designatis, sed ut officiosius seruiatis: nec ut dominos fastidire uelitis, utpote professione iam fratres factos, sed hoc magis illos reueramini, metuatisq; offendere: neq; quod seruorum uulguſ facit, metu praeſtetis officiū, in animo male precantes & insidiantes illis, sed simplici, sinceroq; corde sitis illis obsequentes, illud uobiscum reputātes, hoc officiū uos praeſtare Christo, cuius uoluntati paretis, si forte illi non merentur obsequium. Ira fiet, ut dissimiles sitis uulgo seruorum, qui praeſentibus dominis obsecundant mali metu, rursus ubi sperant fore clām, ad ingeniū redeunt. Hoc nimirū est ad oculū seruire, non ex animo, hoc est hominibus placere uelle, non Christo, cui nihil gratū est, quod fucatū aut coactū est. Vos uero, ut dignū est seruis Christi, in officijs erga dominos, ex animo bonaq; fide morigeri sitis & officiosi: nō quia cogit necessitas, sed quia sic placitum est uoluntati diuinā: nec uos alienet ab officio, si morosos aut impios habetis dominos. Expedit Euangelij negotio, ut his quoq; sitis morigeri, modo ne ad impietate uergat obsequiū. Existimate uos Christo praeſtare, quod illis praeſtatis Euangelij gratia: deoq; impendi, non hominibus, quod ob amorē dei impeditis hominib;. Quod si illos uestris obsequijs lucrifeceritis Christo, recte collocatum fuerit officium. Sin illi se ingratos praeſbuerint, tamen intelligite, ne mini recte factorum suorum petire praeſmum. Id si non recipiet ab hominibus, certe à domino recipiet olim, non solum seruus, sed etiā liber, si quid officiū bono animo collocarit penes hominē ingratū. Porro quemadmodū decet, ut serui Christi professi cōmodiores se praebeant heris suis, sic æquum est, ut domini Christiani mitius imperēt suis mancipijs, talesq; se praebeant, ut amentur magis, quā formidentur: ut seruis suis iam in fratrum consortium receptis, ex animo bene uelint, non praeſcipientes ad minas ac uerba, quemadmodum uulguſ dominorum solet. Sentiant illi uos mitiores esse factos per euangelium, quo magis inuitentur & ipsi ad cōmunem professionē, si forte nōdum professi sunt, memores potestate herilem tēporarium quiddam esse, ac iuris humani, quod tamen interim per nos turbari non oportet: sed tamen apud deum non est personarū respectus, apud quem nullus ideo minoris fit, quod seruitutē seruiat, nec ideo pluriſ, quod ingenuus sit natus. Iuxta leges hominum domini ius habetis in seruos in terris, sed nihilo secius interim habetis cōmunem dominum in cōlis, cuius uoluntas est, ut seruorū salutē cōſulatis per moderatum imperium, non ut eos prematis tyrannide. Quae hactenus monuimus, eō pertinent, ut & uitae sanctimoniam respondeatis capiti uestro Christo, & mutua concordia consentiatis inter uos. Nunc superest, ut quoniam impij uarijs machinis impetunt tranquillitatem uestram, aduersum hos quoq; forti infractioq; animo uosmet muniatis, haud quaquam freti uestris praesidijs, sed propugnatore domino Iesu, qui nō destituet corpus suum. Membra quidem imbecillia, sed ille potens ac robustus, qui nos tuendos suscepit. Ab hoc igitur petite, quicquid spiritualium est armorū, ut undiq; muniti possitis subsistere aduersus assultus diaboli. Neq; enim nobis bellum est cum hominibus, quorū iniurias oportet tolerantia uincere, uerum est nobis cōſlictatio cum impijs spiritibus, inimicis & hostibus Christi, quorū hi qui nos impetūt, satellites sunt & organa. Per hos enim ē sublimi nos oppugnāt principes ac potestates daemoniae, in mundi huius uirijs addictos sibi tyrannidem occupantes, & in hisce tenebris insidiantes ijs, qui lucem amant euangelicam. Aduersus hos, inquam, nobis colluctandum est, non solum uiribus potentes, uerum etiā spiritali uersutia instructos, atq; id etiam in cōlesti regione, quo & facilius nos impetant, & difficilius nobis queant prehendi. Aduersus hoc genus hostium nihil profunt arma humana, solis armis dei tutos esse licebit. Itaq; semper facite, quod strenui milites solent, quibus cū hoste periculo

periculoso res est, quoties ingruit cum aduersarijs cōflictatio. Omni armorum genere uos munite, nihil non facite, quo cum ingruerit formidabile praelium, possitis tueri locum, si-
 xq; subsistere in solida petra Christo. Qui cum homine conflicuri sunt, primum undiq; se-
 tegunt, ne quā pœant telis hostium. Deinde parant, quo feriant impetentem. Baltheo
 laminis contexto tegunt media corporis, utpote molliora. Thorace superiora commu-
 niunt. Suras itē ac pedes ocreis conuestiunt, caput operiunt galea. Porro clypeus fini-
 stra circumagitur, ad omnem telorum assaultum. Vobis igitur spiritali bello cum scelera-
 tis spiritibus assidue conflicantibus, pro baltheo sit ueritas, quæ lumbos animi uestri præ-
 cingat: quo semper erecti stetis & immobiles, aduersus omnes falsorum bonorū ac dog-
 matum illecebras. Pro thorace uobis sit innocentia iustitiæq; quæ mentis præcordia uir-
 tutum omnium squamis muniat, Pro ocreis, quibus suræ tegantur & pedes, sit uobis pu-
 rus affectus, nihil appetens præter cœlestia, nihil formidans præter turpitudinē, quo sem-
 per possitis esse parati ad ruendum Euangelium, quod non tumultu, sed tolerantia tranquil-
 litateq; defenditur. Vnde & pacis Euangelium dicitur. Hoc qui prædicant, horum pedes
 speciosos olim demiratus est propheta. Sed undiq; in promptu habendum est scutum fi-
 dei, qua nihil omnino diffidamus promissis diuinis. Quicquid ingruerit terriculamento-
 rum, hoc excipietur: quicquid ignitorum iaculorū uersutus hostis in nos torserit, hoc scu-
 to repelletur, nec sinet ullum uitia penetrare. Quid enim uulneret animū, mortis etiam
 contemptorem: Cui si accesserit galea uigilantis animi, nihilq; non prospicientis, nihil est
 quod saluti uestre metuatis. Postremo dexteram semper obarmet gladius ille spiritalis,
 qui & prauas ab animis amputat cupiditates, ad intima cordis penetrans, & obsistentēs
 euangelicæ ueritati refellit, falsitatem iugulans, ut uigeat ueritas. Is est sermo dei constan-
 ti fidei uigore penetrabilis, non humanis argutijs perstringens magis, quā feriens. Dili-
 gus enim est humanus sermo, nimirum de rebus fluxis & inanibus differēs: sed efficax est
 sermo dei, non nisi cœlestia sapiens, penetrans usq; ad artus animæ, ossiumq; ac medulla-
 rum intima perlustrās. Cum his hostibus bellum est Christianis, cum hominibus pax est:
 his armis sese tuentur ac uincunt, haud quidem suis uiribus, sed Christi imperatoris opē,
 cuius auspicijs bellum hoc geritur. Ab hoc igitur semper & assiduis uotis flagitandū, hoc
 nocturnis ac diurnis precibus indefesse postulandum ex intimo mentis affectu, ut hic gla-
 dius spiritalis uincat in sanctis omnibus. Atque etiam me quoque uestris precationibus
 subleuare debetis, illud à Deo petentes, ut ipse mihi sermonem suppeditet euangelicum;
 quoties dicendum erit, meiq; oris organo ad suam utatur gloriā, uestramq; salutē, quo
 fortiter & intrepide proferam omnibus arcanam Euangelij doctrinam, ad quam omnes
 ex æquo uocantur: nec obstitit mihi, qui modis omnibus obnituntur ne late propagetur
 Euangelij gloria, pro quo legatione fungor, etiam catenis oneratus, nihil non perpetuens,
 quo fortiter obeam munus mihi delegatum: utq; hic animus mihi perseueret, & Christo
 fretus, libere loquar, quemadmodum oportet me loqui. Non enim decet Euangelij præ-
 conem ullo metu deterreri, quo minus peragat Euangelij negocium. Porro quod ad re-
 rum mearū statum attinet, utq; mecū agatur, omnia cognoscetis ex Tychico dilectio fra-
 tre: nec fratre tantum ob fidei germanitatem, uerum etiam in Euangelij negotio ministro
 & adiutore: quem huius rei gratia misi istuc, ne nesciretis quo in statu simus, eq; eius præ-
 sentia consolationis nonnihil caperetis, ne quid ob meas afflictiones animo consternemi-
 ni. Sic enim uinctus sum, ut e carcere tamen triumphet Euangelium Christi. Fratribus o-
 mnibus precor pacem & charitatem mutuam, cum sincera fide coniunctam. Ex fide na-
 scitur charitas, & ab hac alitur concordia. Hunc igitur felicem ternionem largiatur uobis
 Deus pater ac dominus Iesus Christus. Fautor ac beneficentia diuina semper adsit omni-
 bus, qui sincero affectu, uitæq; incorrupta diligunt dominū Iesum Christum,

Ideo sumite om-
 nia arma dei

Per omnē orā-
 tionē & obse-
 crationem

In domino

Amen

spretis hisce rebus momentaneis, æterna cœlestiaq; sectantes.

Quod meum uotum, precor ut ille ratum esse uelit.

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM PAVLI
 apostoli ad Ephesios Finis.

Tom. 7

nn



PHILIPPENSES in prima Macedonię parte sunt, ut narratur in Actib. cap. decimo sexto, colonia oriunda ab urbe Philippis, dicta à Philippo conditore. Horum metropolis est Thessalonice. Qui quoniā in fide semel accepta perstiterant, nō admissis pseudapostolis, quibus ausculturant Corinthij & Galatę, merito ab apostolo collaudantur. Ad hos Paulus admonitu spiritus profectus, complures dies apud illos egit, nō sine negocio. Nam hic flagris catus est Paulus, & cum Sila coniectus est in carcerem, quo tempore carceris custos cum tota familia baptizatus est. Hic erat & Lydia purpuraria, quę prima conuersa, Paulū excepit hospitio. Hic & milites cognito, quod Romanus esset ciuis, ultro rogarūt, ut quō uellet abiret, et Christi nomen satis felicibus auspicijs inclaruit. Quin etiam cum Paulus Romę ageret in uinculis, miserunt illi quę ad uitę necessitatem pertinebant per Epaphroditum: quod & ante fecerant, cum ageret Thessalonicę, sicut in hac ipse testatur epistola. Collaudatos igitur eos adhortatur, ut perseuerent ac proficiant, ostendens gloriandum etiam in afflictionibus, quę ad illustrandum Christi Euangelium facerēt. Se uero uel mortem adeo non horrere, ut optet etiam, si Christo uolente contingat. Deinde cum primis hortatur ad mutuam concordiam, quę inter elatos esse non potest, & quo æquiore sint animo, pollicetur Timotheum, atq; etiam ipsum breui ad illos rediturum, interim misso Epaphrodito, qui ex periculossima ægrotatione conualuerat. Hęc agit duobus primis capitibus, nam in tertio confirmat animos illorum aduersus pseudapostolos, ad Iudaismum ubiq; sollicitantes, quos canes appellat, operarios iniquitatis, inimicos crucis Christi: & qui uentrem, dei loco colerent: nusquam apertius in eos stomachatus. Quartū commendationibus & salutationibus occupat, nisi quod monita quędam obiter admiscet, & Philippensibus pro sua in se munificentia gratias agit. Scripsit ex urbe Roma per Epaphroditum, cum iterum esset in carcere: nam post primam defensionem, rursus in carcerem ductus est: cuius rei meminit ipse in epistola ad Timotheum.

Argumenti Finis.

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

PAULI APOSTOLI AD PHILIPPENSES, PER
DES. ERASMV M ROTERODAMVM.



PAVLVS ac Timotheus, in euāgelica functione collegę, ac serui Iesu Christi, toti cœtui sanctorū, Iesu Christi nomen integre pureq; profitentiū, simulq; his qui Christiano gregi præsident, ac ministrant Philippis. Optamus uobis gratiam & pacem à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo, Ego sanē quoties precibus deum interpellō, id autem facio indefinēter, nunquā non facio uestri omnium mentionem, simul & gratias agēs, & magnopere gaudens uestro omnium nomine, quod hactenus ab initio uestre professionis, ad hunc usq; diem, me uestris officijs ac benignitate subleuando, uos ipsos consortes præstitertis Euangelio, precorq; assidue, ut istis uirtutibus magis ac magis abundetis, confidens forte, ut deus, qui ista pietatis exordia uobis donauit, quod cœpit in uobis, perficiat usque ad diem illum, quo aduenturus est Christus Iesus, præmium æternum repensurus recte factis. Par enim est, ut ita sentiam de uobis, fretus auxilio diuino, cum hactenus expertus sim constantem acuere Euangelicam erga me charitatem, ut facile sit ex optimis initijs finem optimū colligere. Quas ob res sic animus meus est affectus erga uos, ut in his etiam uinculis, & apud Neronis tribunal, ubi mihi capitis reo dicenda fuit causa, reliquisq; afflictionibus, quibus nō minuitur aut obscuratur, sed cōfirmatur & illustratur Euāgelij uigor, semper uos prosequutus sim singulari beneuolētia, quod huius gaudij, quo gaudeo, per

*Sicuti est mihi
iustum*

per meam calamitatem inclarescere Christi præconiū, uos omnes semper habuerim par-
 ticipes. Nouit enim deus ipse, quem nihil omnino latet, quanto teneat omnium uestri de-
 siderio, non affectu quoquam humano: siue quod captem aliquid à uobis, siue quod blan-
 diar uobis, ob uestrā in me benignitatem, sed affectu pure Christiano sic amo uos, non ob
 aliud, nisi quod uideo Iesum Christum à uobis constāter ac synceriter diligī. Gratulor uo-
 bis illius munera, precorq̃, ut ista uestra charitas magis ac magis exuberet, accedente om-
 ni cognitione, omniq̃ intelligentia, ut sciatis in quos debeatis officia charitatis collocare.
 Charitas enim hoc præstat, ut uelitis benefacere, Prudentia demonstrat beneficentiæ ma-
 teriam idoneam. Quicquid autem ob amorem Christi confertur in Euangelij præcones
 & prouectores, rectissime collocatur, multo cum fœnore ad uos rediturum. Vtrunq̃ igitur
 ut in uobis semper augeat opto, quo probare possitis, quid sit optimum factū, sitisq̃
 puro affectu, præter Christum nihil spectantes, & euangelicā professionē sic ornantes in-
 tebritate uitæ, ut nulli sitis offendiculo, sed omnes potius allecietis ad cultum dei, atq̃ ita
 perseueretis usq̃ ad diem aduentus Christi, ut tum appareatis diuites ac abundātes pijs ope-
 ribus, quorū hic interim ueluti sementē facitis, tunc fructum uberrimū demessuri. Idq̃ be-
 neficio Iesu Christi, nec ad uestrā meamq̃ gloriam, sed ad gloriam laudemq̃ dei, ad quem
 ceu fontem omnium bonorum referenda sunt omnia. Porro quo magis etiam sitis gaudij
 mei participes, scire uos uolo fratres, carcerem, compedes, tribunalia, cæterasq̃ calamita-
 tes, quæ mihi acciderunt ob euangelium Christi, adeo non offecisse propagandæ confir-
 mandæq̃ doctrinæ euangelicæ, ut potius in profectum cesserint: & adeo non deterruisse
 credentes à suscepta professione, ut magis etiam confirmarint, roburq̃ & animum addi-
 derint: nimirum intelligentibus indubitatum esse quod prædico, cuius gratia non dubi-
 tem hæc perpeti, seseq̃ meo exemplo ad similia audenda prouocantibus. Nam id fere so-
 let usu uenire rebus honestis ac præclaris, ut quo magis premuntur et affliguntur, hoc ma-
 gis inualecant emicentq̃, malorum conatu in diuersum exeunte. Siquidem uincula mea
 dederunt occasionem, ut euangelij præconiū non solum ad paucos, eosq̃ plebeios, quem
 admodum antea, peruenerit, uerumetiam per omnem Neronis regiam, perq̃ urbem uni-
 uersam inclauit, adeo ut complures ex fratribus, qui antea subtimide profitebantur e-
 uangelicā doctrinam: nunc, domino Iesu negotium hoc ita temperante, animati uinculis
 meis, cœperint & ipsi meo exemplo sermonē euangelicum liberius ac fortius, omni trepi-
 datione posita, profiteri. Id quanquā ab omnibus factum non est pari synceritate, quæ ad
 modū pari studio, tamē res per occasionē cessit in Euangelij gloriā. Nam erāt inter hos, qui
 hoc malicioso studio facerent, quo mihi conflarent atrociorē inuidiam, ac Neronis ani-
 mum hoc acrius in nos exacerbarent, quo latius uideret hanc sectam propagari, quā per
 errorem ille iudicat imperio suo perniciosam, existimantes futurum, ut tanto celerius me
 tolleretur e medio. Fortasse nonnulli meæ gloriæ inuidentes, quam ego tamen mihi nō uin-
 dico, sed totam Christo resigno, conati sunt æmulatione meam laudem obscurare, si no-
 strum studium etiam uincere uiderentur. Rursus sunt in his, qui mecū prædicant Christū
 bono sinceroq̃ animo, licet imperfecto. Nam humano fauore mihi nolunt deesse, quem
 amant & uident ob hoc periclitari, quod constanter obeam mihi delegatū munus euāge-
 lij tuendi aduersus impios. Quanquā & qui pessimo animo prædicant, tamen auxerunt
 Euangelij gloriā. Christum enim annunciat, sed animo minime Christiano: nec affectu
 simplici, sed hoc agētes, ut capto uinctoq̃ addant afflictionē, si euangelij acrius defenden-
 do, nos in grauius odium pertraxerint. Ea res utcunq̃ cedet mihi, nō magni retulērūt, mo-
 do uerterit in gloriā Christi, cui sic toto pectore faueo, ut gaudeam illum per omnē oc-
 casionem omnibus innotescere. Amplissimam laudem merentur apud deum, qui eodem
 animo prædicant Euangelium, quo ego prædico. Ferendi sunt, qui priuato quodam amo-
 re nostri, iuuant euangelij partes. Cæterum qui in odium mei prædicant Christum, quod
 sibi nocent doleo: quod mihi male moliantur, contemno: quod illorum peruersa uolun-
 tas cedit in gloriā Euangelij, gaudeo: modo uere doceāt Christum, licet animo insincero:
 neq̃ gaudeo solum in præsentia, uerumetiam in posterum gauisurus sum, si pergant odio
 mei diuulgare Christi doctrinā. Non me mouet, quod ista molitur in perniciem meam,
 cum sciam rem præsidio precum uestrarū, atq̃ auxiliante & negotium hoc moderāte spi-
 ritu Iesu Christi, mihi futurā salutē, siue moriar, siue uiuero. Neq̃ enim me fallēt mea de illo

Et hoc oro, ut
 charitas uestra

Scire autē nos
 uolo fratres

Quidam autē
 et propter in-
 uidiā

Quid enim
 dum omni mo-
 do

fiducia, qua mihi persuasissimum habeo, fore ut in prædicatione Euangelij, quod ille de-
legauit, nusquā sim destituendus, aut pudefaciendus, ut ullis afflictionibus cogar seu ua-
num retractare, uel obticescere, quod uerissimum esse cognoui: quin potius quemadmo-
dum antehac afflictiones, quas iuxta corpus ab hominibus perpeffus sum, cesserunt in lu-
crum euangelij, siue cum lapidarer, siue cum uirgis caderer, siue cum bestijs obijcerer: ita
& hæc afflictio, qua de capite uitæq; periclitor, cessura est in laudem & gloriā Christi, seu
uiuere continget, seu mori. Nam ut superiores afflictionum procellæ, licet corpusculum
hoc afficerent, animū tamen nunquā ademerunt, aut constantiam prædicandi Christū la-
befactarunt, ita neq; nunc hæc tempestas adimet. Si dabitur uiuere, fortiter tuebor euāge-
licam ueritatē: si continget mori, mors ipsa mea, quam ob Euangelij negociū non inuitus
Mihi uiuere Christus est, & mori lucrū suscipiam, illustrabit Christi gloriam. Vtrūcūq; cōtinget, mihi in tuto est mea incolumi-
tas. Et hanc mortem adeo non formido, ut magis optandā existimē, si sic expediat euan-
gelio. Neq; enim me tedet huius uitæ quamlibet afflictæ, cuius felicitatē omnē metior Eu-
angelij successu: neq; mortem horreo, quæ mihi lucro futura sit, quæ me reddet præmiū
cœlesti, tum demum uere uicturū. Quanq̃ & hæc interim uita corporalis nō caret suo fru-
ctu, dum accumulandis pijs factis, accumulatur & præmiū immortalitatis: atq; interim
nostro labore propagatur, ac confirmatur euangelium Christi. Huic in manu est, utrū me
uiuere malit, an mori. Ego sic ad utrumq; paratus sum, ut utrum potius eligam, ignorē. Est
cur optem mortem: est cur non recusem uiuere. Verum ubi mei ipsius commodi ratione
subducta, meum animū cōsulo, uideo mihi longe potius esse, liberatū ab huius uitæ erum-
nis, propius iungi Christo, & ad illam ineffabilem felicitatē mihi, cum in tertiu cœlum ra-
ptus essem, utcūq; gustatam redire. Rursum ubi reputo, quid uestris expediat cōmodis,
intelligo conducere, imō necessarium esse, ut adhuc aliquādiu uerfer in hoc munere meo.
Atq; hoc certum scio, fore ut maneam adhuc in hac uita: & ita maneam, ut uobis omnib.
aliquando sim fruiturus meiq; factururus copiam, quo simul & uos uberius proficiatis in fi-
de, & ego copiosius de fidei uestre gaudeā incremento, uosq; uicissim magis etiā de me
gaudere possitis, postea quā ad uos me recepero, denuo conspiciētes me præsidio Chri-
sti, non modo non cessisse his malis, sed seruatum etiā uestris augendis cōmodis. Vider-
Tantū digne in euangelio Christi tis quantam felicitatem meam uestro lucro posthabeam: Quis non tertij cœli cupidus, su-
stīdiat huius uitæ curas? Quis non paradisi superioris desiderio, gestiat ab his malis euola-
re? Quis non uerborum arcanorum memor, humana negligat alloquia? Quis nō pro tot
exitijs, tot periculis, tot mortibus, eligat tranquillam immortalitatē? Sed tantum apud me
ualet fraterna charitas, ut aliorum profectū meo desiderio præponam. Quo magis erit uo-
bis enitendum, ut huic animo meo respondeatis. Id autē fiet, si curabitis ut uestra uita di-
gna uideatur euāgelio Christi, ob quod hæc cuncta perpetior, ne hoc ipso fructu frustret,
ob quem unum sustineo distrahi ab optatissimo consortio Christi. Proinde date operā, ut
siue uos inuisero, tales reperiam, quales opto: siue quid obstiterit, quo minus reuisam uos,
tamen absens audiam de uobis, quod quemadmodū hactenus fecistis, persistatis uno spi-
Collaborātes fidei euāgelij ritu, quem hausistis communē, eodemq; animo concordēs, simulq; uestris officijs ac prædi-
bus adiuuantes decertantem aduersus impios Euāgelij fidem, nec ullo persecutionum
metu terreamini, quo minus fortiter ubiq; resistatis aduersarijs Christi, quorum improbi-
tas nihil aliud efficiet, nisi ut & ipsis pariat exitiū, & uobis salutē, semper in maius gliscen-
te euangelij gloria, & illorū impijs conatibus in petus usq; prolabantibus. Pulcherrimum
est pro Christo perpeti, gloriosum per hūc uincere aduersarios. Verū hinc nihil est, quod
nobis uindicemus. A deo uobis hoc donatū est, ut nō solū prompte credideritis euāgelio
Christi, quod ego prædico, uerum etiā parati sitis pro illo pati, uidelicet meū exemplū se-
quuti: neq; detrectetis pro euāgelij negocio certamen idem subire, quale & olim uidistis
in me, tot modis afflictio, cum istic agerē, & nūc audistis de me uincto, capitisq; reo. Hæc ca-
su nō fiunt, sed à deo propitio donantur ijs duntaxat, quorum pietatē uult afflictionibus
huius uitæ reddi spectatiorem.

CAPVT. II.



Proinde si qua consolatio est inter illos mutua, qui in eundē Christū conspira-
runt, si quod est solatiū, quod habet fraterna charitas, quæ tristitia pariter ac læta
facit cōmunia, si quam uim habet Christi spiritus, omnibus uobis cōmunis: si
qui sunt affectus, quibus in afflictionibus amicorum tanguntur homines: si
quæ

quæ sunt commiserationes, quibus ipso naturæ sensu ingemiscimus aut indolescimus malis eorum, quos ex animo diligimus, quicquid nostra causa perpetiuntur, per hæc omnia uos obtestor ô Philippenses, ut hanc uoluptatem, quam ex uestro profectu cōcepi, mihi perficiatis. Quicquid quocumque nomine mihi debetis, acceptum feram, si uos concordibus animis conglutinemini, si mutua sit inter uos omnes charitas, si sitis unanimes, si consentientes. Non potest pax concordiaque constare inter feroces & elatos. Siquidem ferox ac tumidus animus parit contentionem, parit ambitionem, parit iracundiam. Atqui hæc charitatis fraternæ, mutuæque beneuolentiæ præsentanea sunt uenena. Ne quid igitur inter uos Christi spiritu conglutinatos, Christi philosophiam profitentes, geratur per contentionem, aut inanem gloriam, ut alius alium prouocet ferocia, dum nemo uult alteri cedere, quibus ex rebus inter mundi discipulos oriuntur iurgia, rixæ, dissidia. Ne sint igitur uobis in consilio ira, aut ambitio, aut superbia, consultores pessimi, sed potius fraterna charitas, & humilior comes, animi modestia, qua nemo se præferat alteri, sed quisque alterum se præstantiorem existimet, sibi nihil arrogans, aliorum dotibus benigne candidèque fauens: neque suum quisquam priuatum spectet commodum, quod ubi sit, ibi publica cōcordia periclitatur: sed quisque per Christianam charitatem, quæ non quærit quæ sua sunt, suis commodis anteponat aliena. Neque uero cuiquam uestrum in mentem ueniat impia cogitatio, cur prudens ac sciens ultro cedam melior deteriori? Ne pudeat uos Iesu Christi exemplum sequi. Cur enim non conuenit uos, qui pares estis & consortes, sic inter uos affectos esse, quæadmodum ille affectus fuit erga nos? Si ille sibi uindicauit primatum, si sua captauit cōmoda, sit & inter uos decora pro rebus hisce contentio. Atqui ille quum natura deus esset, atque ipsis factis se deum esse declararet, dum mortuos nutu reddidit uitæ, dum uertit elementa rerum, dum dæmonibus imperat, dum uerbo pellit quoslibet morbos: tamen quo nobis perfectæ modestiæ pararet exemplum, non sibi per inanem gloriam uindicauit, ut haberetur æqualis deo, sed humiliauit ac deiecit semetipsum apud homines, à patre expectans gloriam, ad quam demonstrauit aditum esse, non per ambitionem, sed per humilitatem. Et adeoque se deiecit, quum esset summus, ut non solum uelut homo uersatus sit inter homines dormituriens, sitiens, esuriens, lassescens, pauper, reliquisque nostræ conditionis iniurijs obnoxius: uerum etiam serui speciem in se suscepit, & serui nocentis, quum ipsa esset innocentia. Quid? An non mali serui est, capi, alligari, cædi flagris, conspui? Atqui non ad hoc tantum sese demisit, uerum etiam usque ad supplicium mortis, ceu facinorosus descendit, ac mortem longe probrosissimam crucis. Sic uisum erat patri, ut ille hæc pro nostris cōmissis dependeret, isque uolens obedientem se præstitit per omnia, nihil detrectans quod ad nostram salutem conducere. Qui mundano sunt affectu, per ambitionem, contentionemque, cum aliorum iniuria grassantur ad falsam gloriam. At Christianus, qui ueram & æternam gloriam quærit, hac uia debet ad illam contendere, qua Christus ingressus est. Per falsam ignominiam iter est ad ueram gloriam, per momentaria dispendia, aditus est ad immortalia cōpendia. Gloriam captare non oportet, sed promereri. Vultis audire, quid meruit humilitas Iesu Christi? Ille quidem non usurpauit sibi apud homines, ut iactaret ante tempus maiestatem suam: sed deus pater euexit filium suum in summam sublimitatem, ac per humilitatem & ignominiam crucis illustrato, largitus est nomen quod excellit omnem humanam gloriam: nimirum, ut iam ad Iesu illius consputi & crucifixi nomen sese flectat ac submittat omne genu, non solum quicquid est in terris, uerum etiam quicquid est uel apud inferos, uel apud superos in cœlis. Nec ulla sit usquam lingua, siue hominum, siue angelorum, siue dæmonum, quæ non confiteatur Iesum omnium rerum principem ac dominum, à dextris assistere deo patri, ut regni cōmunis gloriæque omnis cōsortem, idque in gloriam dei patris, à quo proficitur, & in quem redundat omnis filij gloria. Quæ mortalium ambitio, quæ opes, quod regnum, quod studium humanum unquam talem cuiquam parauit gloriam apud homines, qualem Christo sua parauit humilitas? Atque hæc omnia nostra causa fecit, non sua. Nec enim ille meruit deijci, nec eguit illustrari: quo magis uobis est similis adhibenda modestia, sine qua non possitis esse incolumes. Proinde fratres mei dilecti, hac quoque parte peragite uestri similes esse, ut quemadmodum ad exemplum Christi, semper obedistis Euangelio nostro, ita & in posterum faciatis, non solum cum erimus præsentēs, sed multo magis nunc cum absumus, eam curam quam ipse præsens uobis impensurus essem, in uos ipsos

implete gau/
dium meum

Nihil per con/
tentionem

in gloriam
dei patris

Itaque charis/
simi mei

sos transferentes. Agite negocium uestre salutis, non oscitantes, sed cum omni sollicitu-
 dine ac tremore: non ignari quanta de re certetur, & quibus cum hostibus uobis res sit.
 Non est dormitationi aut securitati locus, sed rursus non est quod diffidatis. Vestrū erit
 pro uiribus adniti, deus autem est is, qui hoc agit in uobis, ut quod ad salutem pertinet, &
 uelitis & perficiatis quod animi bona uoluntas uobis suggessit, ne nesciatis cui tribuen-
 dum sit, si quid illa uobis suggesserit. Curandum est uobis, ut uestris moribus commen-
 detis Euangelij doctrinam, ijs quoque qui ab illa sunt alieni. Id futurum est, si conspexerint
 uos esse summa concordia, parique fiducia, & quicquid agitis, id fieri sine murmure, sine di-
 scipationibus: quorum alterum est, non ex animo facientium, quod faciunt: alterum est
 diffidentium. Sed magis in omnibus synceri sitis, ac moribus adeo puris & inculpatis, ut
 nemo iure queri de uobis possit, utque cunctis perspicuum sit, uos esse uere filios dei, non
 thos aut adulterinos, sed patrem coelestem, coelesti uita referentes, qui sic interim uitam
 agatis in medio nationis asperæ, tortuosæ, & insynceræ, ut nulla tamen ex parte uestra ui-
 tietur synceritas, quin potius inter horum tenebras, innocentia uitæ sic luceatis, ueluti mun-
 di luminaria quædam, oculis omnium exposita. Vos enim estis illi, de quibus in Euange-
 lio dixit Christus: Estis lux mundi, qui in ædito sustinetis uiuificum euangelij sermonem,
 ipsis etiam moribus Christi doctrinam exprimētes, ut confidam uobis perseverantibus,
 me quoque gloriaturum in aduentu Christi, me non frustra laborasse, nec inaniter in hoc
 Euangelij stadio cucurrisse, qui tales discipulos Christo lucrificerim. Et adeo me non po-
 nitet laborum meorum, per quos uos obtuli deo gratissimam uictimam, ut etiam si ipse im-
 moler super hostiam sacrificiumque fidei uestræ, & meo pariter & uestro omnium nomi-
 ne sim gauisurus. Vestro, quos ad euangelium conuersos gratissimam uictimam obtule-
 rim Christo: meo qui peractio tali sacrificio, sim & ipse totus immolandus. Nam quemad-
 modum uideo meas afflictiones cessasse in profectum uestrum, ita scio mortem meam Euan-
 gelio profecturam, atque hac de causa mors quoque mihi grata ueniet. Quod si decet uos in
 omnibus consortes esse gaudij mei, non debet mea mors uobis esse mœrori, quæ mihi est
 futura iucunda. Habetis quo nomine de meo statu debeatis gaudere, sed spero fore, fauen-
 te domino Iesu, ut uos breui per Timotheum inuisam, quandoquidem ipsi mihi uenire non
 dum licet. Hunc igitur uelut alterum me mittam, ut quemadmodum cognito statu meo
 nunc gaudetis, ita & ego gaudeam per Timotheum huc reuersum, cognito statu uestro.
 Nam hic mihi potissimum uisus est idoneus ad hanc legationem, cum nemo sit cætero-
 rum, qui in euangelij negotio sic æquet animum meum: quicquid in curandis uestris nego-
 cijs, fidem ac diligentiam Paulinam magis ex animo sit repræsentaturus, utpote quem
 merito pro filio germano habeam. Sunt quorum ministerio minore dispendio poteram
 hic carere, sed nolui quenquam mittere, nisi probatæ integritatis: nam cæteri fere uenan-
 tur huiusmodi legationes, non perinde ut alijs prosint, atque ut suis lucris consulant po-
 tius, quam Iesu Christi, à quo animo scitis me semper abhorruisse. Non arbitror opus, ut
 eum uobis commendem, quippe iam pridem uobis spectatum ipsa re, qui meminisse pote-
 stis, quomodo se gesserit mecum in Euangelij negotio, meque ceu patrem germanus filius
 per omnia retulerit. Hunc igitur, ut spero, mittam simul atque uidero quò se deflectant res
 meæ: quin & illud fore confido, propicio domino, ut & ipse propediem ad uos ueniam.
 Insuper autem & hoc sum arbitrans operæ precium, ut & Epaphroditus Timotheo com-
 mes iret ad uos, mihi quidem & frater & collega & commilito, uobis autem apostolus,
 ut uobis & meo & uestro ipsorum nomine debeat esse commendatus, denique qui uestram
 benignitatem, qua soletis necessitati meæ subuenire, ad me detulit. Is iam pridem ingenti
 desiderio tenebatur uisendi uos, anxius animi, ne uos grauius discruciet, quod audisse-
 tis ipsum ægrotasse periculose. Nec uanus fuit ille rumor, sic enim ægrotauit, ut de uita pe-
 riclitaretur, mortui uicinus: sed deus illum restituit, misertus famuli sui, imò non illius tan-
 tum, sed & mei, qui simul cum periclitante periclitabar, ne ad dolorem, quem mihi mor-
 bus illius adferebat, accederet ex morte tam fidi commilitonis desiderium. Quo magis
 mihi studio fuit illum ad uos mittere, primum, ut eius conspectus uobis sit uoluptati, ubi
 uideritis illum reualuisse, fortasse famæ non perinde credituri: deinde, ut mihi quoque dolor
 omnis abstergeatur ex animo, si sensero uos de illius ualetudine certo gaudere gaudio.
 Excipite igitur illum affectu Christiano, cum omni gaudio: nec hunc tantum, sed omnes
 huius

huius similes habete in precio. Siquidem huc à uobis missus, adeo non ueritus est saui-
 riam Neronis, quem sciebat infensum mihi, ut ob Euangelium Christi, eo periculi se
 demiserit, ut morti proximus fuerit, prius habens profectum Euangelicæ doctrinæ, *Tradens ani-*
 quam suam incolumitatem, quo uidelicet pensaret id, quod ob absentiam uestro erga *mau suam*
 me officio uidebatur deesse, ac per illum mihi quodammodo fieretis præsentes, qui &
 uestram munificentiam ad me pertulerit, & suis officijs inseruierit periclitanti, ut unus
 quodammodo uos omnes mihi referret.

CAPVT III



Vperest igitur fratres, ut cognitis his quæ hic fiunt, & reddito uobis Epaphro- *De cetero fra-*
 dito incolumi, læto sitis animo, ac neglectis afflictionibus, quibus mundus *tres mei*
 nos exercuit, gaudeatis semper in melius prouehi negotium domini nostri
 Iesu Christi, cui non perinde metuo ab ethnicis, qui palam impugnant Euāge-
 lium: atq; ab istis semichristianis, qui sic Christum prædicant, ut Iudaismum inter-
 rim admisceant. Hac de re uos pro mea sollicitudine frequenter admonui, sed tamen non
 grauabor eadem inculcare literis, quo magis sitis in tuto. Nam aduersus istos, qui nusquam
 non insidiantur, uix unquam satis cautum est, pestilens, improbum, & impudens hominum ge-
 nus. Inuident libertati uestre, oblatrant doctrinæ synceræ, mordent alienam uitam, laborant
 in euangelico negotio: sed sic, ut corrumpant. Iactant sese de pellicula præputij præcisâ,
 cum mentem habeant incircuncisam. *Cauete canes*
 Cauete fratres, ne uobis imponant, obseruate canes
 huiusmodi, obseruate malos operarios, obseruate incircuncisos circuncisos, imò concisos
 uerius. Præter causam isti sese uident, corpore circumferentes scædam suæ nobilitatis no-
 tam, cum animo sint impuro impioq;. Si gloriosa est circuncisio, nos uere sumus circuncisi,
 nos uere Iudæi, nos germani Abraham filij, qui deum colimus, non pecudum sanguine, sed
 spiritu (sic enim ille coli gaudet) qui gloriamur non in pellicula corporis, non in Mose, sed
 in Christo Iesu, qui suo spiritu resecauit omnia uitia ab animis nostris, qui cordibus nostris
 notam pulcherrimam impressit, quo constat nos esse filios dei. Hæc demum est uera glorio-
 saq; circuncisio. Deus posthac non æstimat hominem ex habitu corporis. At isti neglecta
 mentis cura, totam fiduciam collocant in carne, in qua si gloriandum sit, ego sane nec hac par-
 te cuiquam istorum cesserò, ne quid habeant, quod causentur mihi uilem esse circuncisionem
 ob id, quia non habeam. Si quis alius hoc nomine sibi placet, ego magis etiā mihi possim
 placere, nimirum legitime circuncisus octauo die, iuxta legis præscriptum. Israelita non in-
 sitione, sed genere: non profelytus, sed Iudæus ex Iudæis oriundus: nec e quauis tribu, ue-
 rum e præcipua, nempe Benjamin, quæ semper iuncta fuit tribui Iudæ, unde reges & leui-
 tæ, unde & sacerdotes constituuntur, cum plerique se putent Israelitas, quod e concubinis
 Israelitarum ducant genus. Hebræus ex Hebræis iuxta genus, iuxta legis sectas Phariseus,
 cuius ordinis semper fuit prima dignitas. Quod si libeat quenquam ex huius legis studio *Secundū legē*
 atq; obseruatione æstimare: nec his in rebus habent in quo se mihi præferant. Nam patriæ *phariseus*
 legis tantum me habebat studiū, ut ob eam tuendam modis omnibus, persequerer ecclesiam
 Christi: adeo tenax eorū, quæ lex præscribit, ut nihil esset in quo merito culpari possem,
 tanquam præuaricator. Quod si quid ista præclarū haberet, iustius gloriari poteram, quam
 isti, qui se semideos uideri uolunt, quod præputio careant. Ac tum quidē temporis, quo
 niam nondū eram edoctus Christum, pulchre mihi uidebar felix & nobilitate generis, &
 dignitate sectæ, & obseruatione legis: sed ubi per Euangelium Christi didici, quibus in re-
 bus sita sit uera iustitia, atq; his typis & umbris Mosaicæ legis cognoui res longe præcla-
 riores denotari: mox quæ prius, ut uehementer expetenda sectabar, abiecti reliquit, dam-
 nosum esse ducens, quicquid uel tantillum à Christi doctrina remoraretur: non quod le-
 gem damnem, si quis ut oportet utatur, sed quod tantū tribuā euangelio Iesu Christi domi-
 ni mei, ut huius excellenti cognitioni, non solum posthabeā legem Mosaicā carnalē, qua
 gloriantur isti, uerum etiā quicquid usquā mundus hic præclarū habet aut suspiciendum,
 pro dispendio mihi sit. Hanc igitur simul atq; gustare cœpi, nullum est ullius rei lucrum, *Existimo om-*
 quantumuis præclaræ, quod non pro damno, imò quod non pro rudere ducā, aut si quid *nia detrimento*
 rudere contemptius, modo huius dispendio mihi liceat lucrifacere Christum fontem *esse*
 bonorum omnium, quæ uere bona sunt. Pro nihilo habeo meam iustitiam, cuius opinio-
 nem mihi uindicabat apud homines Mosaicæ legis obseruatio, modo mihi cōtingat uera
 iustitia

*Quæ ex deo
est iustitia in
fide* iustitia quam meam non possum appellare, cum haud quaquā nostris paretur meritis, sed
 gratis detur ijs, qui sibi diffusi, simpliciter fidunt Christo. Nascitur & ex lege iustitia que-
 dam, sed inefficax ad præstandam salutem. Verum ea quæ datur à deo, sic nostra nō est,
 ut tamen nobis conferat ueram salutem, si modo credentes Euangelio per fidem cogno-
 scamus Iesum Christū, cuius natiuitas mirabilior est quàm ut ulla mortali sapientia possit
 intelligi, cuius resurrectionis uis maior est, q̃ ut ullis humanis argumētis queat persuade-
 ri. Sola fides hæc nobis persuadere potest, & adeo persuasit, ut spe promissorū fretus, gau-
 deam uenire in consortiū afflictionū illius, uicissim pro illius euangelio uinctus ac moriēs,
 quemadmodū ille pro nobis cæsus est & crucifixus, si quo modo mihi contingat, ut sicu-
 mortem illius imitor, ita perueniā ad resurrectionis gloriam, per illum resuscitatus. Hæc
 certissima spes me consolatur in his afflictionibus, quod fidam Christi promissis, qui re-
 gni sui consortiū pollicitus est ijs qui nō detrectarint crucis consortiū. Neq; hæc dixe-
 rim uelut in me situm sit ut tantum assequar præmiū. Nondū mihi peruentū est ad metam
 cursus, nondū assequutus sum brabeum, nondū perfectum est certamē, sed tamen huc o-
 mnibus neruis adnitor, ut quod sequor assequar. Neq; enim quomocunq; currenti cō-
 tingit præmiū, sed acriter instanti, sed constanter ad laborātī. Bona spes est me apprehēsu-
 rum, quādo in hoc ipsum reprehensus sum à Christo, atq; è medio cursu, quem olim male
 instituerā aduersus illius ecclesiā, retractus, ut in euāgelico stadio bene currens, mererer
 brabeū immortalitatis, ne uos præmij promissi fiducia segnes reddat ac male securos. Fra-
 tres ipse nondū arbitror me assequutū, quod ambio, quodq; spero. Maximū est quod se-
 quor, nō temere quis assequitur. Scio ueracem esse Christum, sed humanæ naturæ fragili-
 tas ac mutabilitas me nondum sinit esse securum. Proinde magna quidē spe, rebus omnib;
 posthabitis, unum illud ago, ut in cursu euangelico, uelut oblitus eorum, quæ à tergo
 relicta sunt, toto nisu ferar in ea, quæ restant à fronte: neq; rursus temere quouis feror: di-
 spedium enim facit, qui male currit: sed recta tendo ad metam euangelicā nobis præfixā
 & ad præmiū immortalitatis, ad quod deus agonotheta noster, è cœlis spectās conatum
*Quicunq; igitur
perfecti sumus
hoc sentimus* nostrum, nos uocat, opitulāte Christo Iesu. Proinde qui legem admiscunt euangelio, quid
 aliud q̃ cursum nostrum student remorari? Quotquot igitur perfecti sumus, ita simus ab-
 secti, ut præter euāgelicum scopum nihil nobis proponamus. Quod si qui sunt inter uos
 aliquanto infirmiores, qui patriam legem, cui assueuerunt, non omnino possint cōtemne-
 re, ferantur, donec et ipsi proficiant. Vobis reuelauit deus legis præsidij nequaquam esse
 opus, fortasse futurum est, ut illis quoq; reuelet idem. At interim sanè cursum eum, quem
 iam cœpimus, iuxta regulam præscriptā pergamus: & in hoc certe simus cōcordes, ne pa-
 tiamur nos ab instituto retrahi, sed pro sua quisq; uirilī properemus ad præmiū immor-
 talitatis. Sunt qui rectum cursum non teneant, eos sequi tutum non sit. Me potius imite-
 mini rectā properantem ad euangelij brabea, & obseruate eos, quos uideritis ad nostrum
 exemplar incedere. Christus optimā formam nobis exhibuit, ad hanc me uidetis eodem
 conuerti, quò peruenit ille. Non omnes qui currunt in hoc stadio præmiū consequuntur.
 Neq; uobis tutum sit quosuis præcurrentes sequi. Sunt enim complures, de quibus & an-
 tea sæpenumero loquutus sum uobis, & nunc rursus cum lachrymis dico, sic Christum
 prædicantes, ut interim inimici sint crucis Christi. Nolunt enim imitari uitam ac mortem
 illius, ut cum illo uiuant in æternū, sed ad quæstum & gloriā suam, pro uera pietate docēt
 Iudaicas obseruariunculas, circumcisionē præputij, ciborū delectum, discrimina dierum,
 ut his alijs oneratis, ipsi interim regnent ac suauiter uiuāt, perinde quasi post hanc uitam
*Quorū finis
interitus* non expectent aliā. Sed ab horum moribus finis illorum nos deterreat. Nam quemadmo-
 dum per infamiā humanam tendimus ad æternā gloriam, & per temporarias afflictiones
 conuitemur ad immortalem felicitatem: ita illi per momentarias uoluptates, asciscunt sibi
 sempiternum exitiū, uentrem habentes loco dei, qui non poterit eis succurrere: et per fuca-
 tam apud homines gloriā, quam collocant non in Christo, sed in rebus pudendis, festināt
 ad æternam ignominiā. Nam temporariū ac fucatum est, quicquid terrenum est: uerum
 atq; æternū, quicquid cœleste. At isti nihil aliud curant, quàm terrestria. In his gloriā, in
 his uoluptatem, in his opes suas collocant, multum aberrantes à scopo euangelico. Cæte-
 rum nos qui Christū uere sequimur, licet corporibus detineamur in terris, tamē animis in
*Nostra autem
conuersatio
in cœlis est* cœlis uiuimus, illuc assidue suspirantes, quò præcessit caput nostrum, unde & per fidem
 expectamus

expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui resuscitatis mortuis palam exhibebit ea, quæ pollicetur, interim transformaturus hoc corpusculum humile, & omnibus iniurijs obnoxium, ac simile redditurus corpori suo glorioso, quo nimirum membra, quæ fuerunt hic afflictionum illius consortia, illic uocentur in consortium felicitatis. Nec istud uidebitur cuiquam incredibile, qui perpenderit uim illius, per quem res geretur. Nihil est enim quod ille præstare non possit, cui in manu est, ubi libuerit, sibi subijcere omnia. Eam potentiam tum aperiet omnibus, quamuis interim sæpenumero dissimulet.

CAP V T IIII



Antarum igitur rerum spe fulti, fratres mei dilecti, ac desiderabiles, quorum successum, gaudium meum esse duco, quorum uictoriam, meam coronam esse iudico, quemadmodum coepistis ita persistite, neque sinatis uos deflecti à Christo Iesu. Iterum atque iterum mihi dilecti fratres Euodia obsecro, ac separatim Sintychen obsecro, ut concordibus animis sint in promouendo Christi euangelio,

Quin & te rogo uera germanaque coniunx, mecum in euangelij negotio consentiens, ut istis mulieribus adsis, quæ participes fuere laborum ac periculorum meorum in Euangelio, una cum Clemente, simulque cum reliquis, qui mihi fuerunt in euangelio cooperarij.

Gaudete in domino semper

Quorum nomina quid attinet à me referri, cum scripta sint in libro uitæ, nunquam abolenda. Ibi scripta sunt omnium nomina, quicunque suis officijs adiuuant rem euangelicam, quorum de numero estis & uos. Has ob res gaudete semper, etiam in medijs afflictionibus, Iterum atque iterum iubeo uos læto esse animo, quantumuis sæuiat in uos improborum iniquitas, tamen uestra æquitas uestraque moderatio nota sit & spectata cunctis mortalibus, non solum fratribus, uerumetiam alienis à Christo, quo citius uestra bonitate prouocati, pelliciantur ad euangelij consortium.

Lenitas enim morum conciliat ac frangit, etiam impios. Ne uelitis illos ulcisci, neue illis suas delicias inuideatis. Instat enim aduentus Christi, qui & uobis pro spretis huius mundi commodis, largietur immortalitatem, & illi sue demerita poenas luent.

Nihil solliciti sitis

Vos in diem uiuite, nulla de re solliciti, tantum illud agentes, ut ille adueniens uos offendant paratos, ab illo pendete totis animis. Quod si qua re fuerit opus, ne fidite mundi præsidijs, sed deum assiduis precibus interpellate: illi uotis ardentibus significantes, si quid postulatis: illi gratias agentes, quicquid euenerit, seu prosperum, seu aduersum, certi fore, ut per illum & aduersa uobis reddantur prospera. Nouit ille quidem, etiam si nihil postuletis, quid uobis sit conducibile: sed tamen amat huiusmodi legationibus appellari, amat prius uotis sollicitari, ac uelut cogi. Sic enim fiet, ut pax qua conciliat

et estis Deo, res felicior, quam ut humana mens queat percipere, muniat corda uestra, atque animos uestros aduersus omnia, quæ hic possunt incidere formidanda. Quid enim metuat, qui se norit deo charum esse per Christum Iesum? Ut igitur harum rerum, quibus

De cetero fratres

uel blanditur, uel terret hic mundus, cura uacuos uos uolo, ita totis animis aduigilandum est, ut uirtutibus ditescatis, quæ uos deo commendat. Itaque quæcumque sunt uera, & à furo ab-

horrentia, quæcumque decora atque honesta, dignaque his, qui res humiles atque ineptas detestantur, quæcumque iusta, quæcumque pura sanctaque, quæcumque ad alendam concordiam accommoda, quæcumque bonam famam conciliant, si qua uirtus, si qua laus uirtutis comes, hæc uobis curæ &

cordi sint, hæc uestris animis obuersentur, hæc, inquam, atque his similia, quæ pridem & didicistis, & accepistis à nobis, nec audistis tantum ex me, sed etiam uidistis in me. Non enim docui uos, quod ipse non præstiterim. Hæc eadem igitur non solum memineritis, uerumetiam præ-

stetis & ipsi nos imitantes. Hæc agentibus aderit deus autor pacis, cui non conuenit, nisi cum uirtutum cultoribus. Porro uoluptati non mediocri fuit animo meo, quod solitus il-

le uestræ charitatis affectus erga me, iam aliquandiu intermissus, aliquando reuiguit, ac ueluti refluoruit. Imò non fuit intermissus affectus, sed quoniam is esset sui similis, deerat uobis oportunitas mittendi, quæ uolebatis. Proinde gaudeo non perinde comodo meo, ac uestra charitate, qua gaudeo uos deo dignos reddi. Neque enim admodum me mouet, meæ penuriæ ue-

stra liberalitate subuentum esse. Nam harum rerum rudis non sum aut insolens. Imò multo iam usui, ad horum malorum patientiam occallui. Didici præsentem fortunam, quæcumque ea fuerit, contentus esse. Noui uel inter pauperculos humilis & pauper esse, noui & inter diuites

excellere. Si deest, contraho me: si superest, effundo in aliorum usum, & magnificum largi-

orem ago. Egestas turior est, abundantia benignior. Ad omne locum, ad omne tempus, ad

omnem

Didici in quibus sum sufficiens esse omnem

*Omnia pos-
sum in eo qui
me confortat*

omnem occasionem memet accommodare noui, sic ad utranq; fortunā factus & edoctus. Nec me corrumpit saturitas, si adsit rerum copia, nec me deficiat esuries, si desit quod edatur. Nec elatum reddit opulentia, si quid obuenerit supra necessitatem, nec exanimat inopia, si minus est, quam postulet usus uitae. Cur enim haec moueant animū meum, qui com-
pedes & flagra contemno euangelij gratia Nihil est horum quod non perpetiar infracto animo, confirmante & corroborante me Iesu Christo, cuius praesidio fortis sum, cum ex me ipso sim nihil. Neq; uero haec dixerim, quod uestram munificentiam habeam cōtemptui; imò uehementer laudo pietatem uestrā, qui uosmet inserueritis in societate afflictio-
num mearum, praemiorum quoq; participes apud deum futuri. Amplector spontaneam animi uestri promptitudinē. Nam ipse nō soleo quicquā istorum officiorum a quoquam flagitare. Estis enim & ipsi testes Philippenses, cum primum in finitimis regionibus praedicarem euangelium Christi, & e Macedonia discederem, nullam ecclesiam mihi com-
nicaſſe: certe quod attinet ad rationem dandi atq; accipiendi. Nec enim illi dedere quicquam, nec ego studebam accipere. Vos soli ultro detulistis, nō solum cum apud uos agerem, uerum etiā cum essem Thessalonice, semel atq; iterum misistis absenti, quae putabatis mihi esse opus. Distior erat Thessalonica, sed uobis animus erat benignior. Nō illos incur-
ſo, sed ueſtro proſectu gratulor, ueſtro lucro gaudeo potius, quam meo. Nam ingens lucrum facit, quisquis ob euangelium Christi rem minuit temporariā, & alienas opes com-
ueris & aeternis opibus commutat. Ipse non requiro munus, sed requiro fructum, qui uobis accrescit ex ista munificentia prompta & ultronea. Paululum decreſcit rationibus ter-
*ſtris pecuniarijs, nonnihil acceditur cenſui domeſtico, ſed plurimum accedit rationib; coe-
leſtium praemiorum.* Et tamen quod ad me quoq; pertinet, non est quod doceatis parum gratam fuiſſe ueſtram beneficentiā. Recepi omnia, ac nunc ueſtra munificētia diues ſumc expletus ſum ijs, quae mihi a uobis pertulit Epaphroditus. Adeo copioſe miſiſtis. Accepi autem non tanquam munus ab hominibus homini miſſum, ſed tanquam hoſtiā deo gra-
*tiſſimam, cui nullus odor ſacrificij gratior eſt, quam ſpontaneū officium euangelicae chari-
tatis.* Porro quemadmodū uos ueſtras fortunas atteritis, ne quid mihi deſit, ita deus meus uiciſſim ſuppleat uobis, quicquid defecerit in hac uita. Quum enim is opulentus ſit, nō ſu-
net, ut quicquam deſit uſibus ueſtris, qui ob eius euangelij paupeſcitis. Hoc ad ipſum et Christi gloriam pertinet. Sit aut omnis gloria Deo patri noſtro, ſeculis aeternis, Amen.

*Deus autem
meus*

Salutate cunctos, qui iuxta Iesu Christi doctrinam, ſanctimoniam, uitaeq; puritatem ſer-
uantur. Saluete uos iubent uiciſſim qui Romae mecum ſunt Chriſtum proſequeſtes. Ne hi
ſolum, qui mecum habent conſuetudinem interiorem, uerum etiā cum ceteri omnes, tum
praecipue qui ex Caſaris familia Chriſti doctrinam amplexi ſunt, nec tam ſaui principis
dominij metu a Chriſti profeſſione deterriti. Fautor & benignitas domini noſtri Iesu
Chriſti ſemper adſit ſpiritu ueſtro, Amen.

IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI AD COLOSSENSES,

Argumentum, per Des. Eraſmum Roterodamum.



COLOSSENSES in Asia minore ſunt, finitimi Laodiceſibus. Hos non uiderat apoſtolus: nā Archippi, ſiue quod addit Ambroſius, Epaphra, quibus hoc delegatum erat, praedicatione conuerſi ſunt ad Chriſtū. Hi uehementer imminebant pseudapoſtoli, conantes in dogma multo peruerſiſſimum inducere, docentes filium dei non eſſe ſalutis autorem, ſed per angelos uiam patere ad patrem. Neq; enim ueniſſe filium dei in hūc mundum, neq; uenturū, quum in ueteri teſtamento per angelos adminiſtrata ſint omnia. Deinde Iudaismū & philoſophiae ſuperſtitionem cum Chriſti doctrina miſcebant, obſer-
uantes quaedam legis inſtituta, & ſuperſtitioſe obſeruantes, ſolem, lunam, ac ſtellas, & ele-
menta huius mundi, quibus docebant nos eſſe obnoxios. Hos igitur ſuae profeſſionis cō-
monefacit, oſtendēs illos quicquid haecenus aſſequuti ſunt, non angelis debere, ſed Chri-
ſto angelorum conditori, hunc unum eſſe caput eccleſiae, nec ab alio quoquam petendam ſalutem: atq; interim autoritatem ſuam aſſerit. Diligenter autem monet, ne pseudapoſto-
lorum magniloquentia, confictisq; uisionibus angelorum ſibi imponi paterentur, & uel
in Iudaismum, uel in philoſophicam ſuperſtitionem prolaberentur. Atq; haec agit duobus
primis

primis capitibus. In reliquis hortatur ad officia pietatis, nominatim præscribens, qualis uxor erga maritum, qualis debeat esse maritus in uxorem, qualis parens erga liberos, liberi erga parentes, serui erga dominos, domini erga seruos. Extrema pars salutationibus occupatur, nisi quod Archippum commonet officij sui. Scripsit autem e carcere ab Ephe-
so per Tychicum, quod ipse palam testatur in hac epistola. Nostra argumenta addunt

Tychico collegam Onesimum, quemadmodum ipse testatur cap. 4. Græcorum inscriptiones ex urbe Roma missam testantur, hinc certe remisit

Onesimum, quem illic in uinculis generat Christo.

Argumenti Finis.

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM PAULI

AD COLOSSENSES PER DES. ERASMV M ROT.

CAPVT PRIMVM.



PAVLVS legatus Iesu Christi, idque non ex institutione hominum, sed ex uoluntate dei patris, simulque Timotheus, qui mihi fratris est loco, ob perfectum in Euangelio consensum, his qui Colossis agunt, fidentes Christo Iesu, & ad huius doctrinam uitæ sanctimoniam sectantes, nobis iam charissimi fratres professionis consortio. Sit uobis gratia & pax à Deo patre nostro, ut quemadmodum illi grati estis reconciliati, ita mutuam inter uos concordiam semper alatis, sicuti decet fratres communi patre gloriantes. Tamen non con-

sanctis fidelibus fratribus

tigit mihi uidere uos, tamen in precibus nostris, quibus assidue compellamus Deum & patrem domini nostri Iesu Christi, simul etiam pro uobis, & gratias agimus pro donis illius in uos collatis, & precamur, ut suas dotes indies augeat, ac tueatur auctas, posteaquam per Epaphram cognouimus fidem uestram, qua confidimus uos fore incolumes, non angelorum præsidio, sed gratuito beneficio Christi Iesu, per quem patri uisum est nobis omnia largiri. Nam & hunc Christum appellari uoluit, ut ex illo salutem haurirent omnes, & Iesum, ne aliunde quis speraret salutem. Neque solum cognouimus fiduciam uestram erga illum, uerumetiam huius comitem charitatem, quam ad Christi exemplum habetis erga sanctos, de quibus studetis benemereri, non ulla spe reducturi interim ad uos cum scenore beneficii, sed spe immortalitatis, quam scitis uestræ pietati reconditam in cœlis. Sic enim uere persuasum est uobis per Euangelium Christi, quod ita uerax est, ut licet ingentia polliceatur, & inaudita proferat, tamen quoniam autore deo nititur, mentiri non possit. Quod ut per uniuersum mundum, indies magis ac magis propagatur, ita ad uos quoque peruenit, quotidie crescens & augescens, latius spargens sese, simulque fructificans prius operibus, quæ gignit ultro Christiana charitas: quod idem accidit in uobis, semper ad meliora proficientibus, ab eo die quo primum audistis & cognouistis uere per gratuitam dei beneficentiam omnibus condonari peccata, qui credunt euangelio, si rectæ credulitati copuletur sincera charitas. Sic enim didicistis ab Epaphra charissimo conseruo meo, bonæque fidei apostolo, quippe qui sincere nostri uicibus functus est apud uos, sic administrans pro Iesu Christo functionem euangelicam, ut in omnibus integre sese gesserit. Sicut igitur per hunc uos docui, ita per eundem intelligimus uestram erga nos beneuolentiam, non uulgarem illam, qua uulgo bene uolunt notis & amicis, sed spiritualem & euangelicam, qua diligimus omnes, per quos illustratur, & confirmatur euangelij gloria, etiam si corporeis oculis nunquam sint nobis conspecti. Nos itidem isti in nos animo respondentes, etiam non uisos amamus, ex eo statim die, quo de credulitate uestra, deque charitate certiores facti sumus, assiduis precibus interpellantes deum pro uobis, ac uotis ardentibus flagitantes, ut sua munera, quæ largiri coepit, perficiat, atque absoluat in uobis, quo & plenius agnoscatis illius uoluntatem, edocti non humana philosophia, aut superstitiosa quorundam hominum persuasione, sed sapientia prudentiaque spirituali, cuius iam bonam portionem estis assequuti, in qua cupio uobis nihil deesse, quo perfecti sic omnem uitam agatis, ut digna deo uideatur, utque illi per omnia placeatis, non

spem quæ reposita est nobis

Fructificātes non prætērmittentes ullum opus bonum, nam his rebus illi placetur. Siquidem credidistis & crescentes se Evangelio, rudimentū est salutis, absoluitur autem ac perficitur p̄ijs actionibus. Neq̄sa in scientia dei tis est per euangeliiū didicisse, deum esse salutis autorem per Iesum Christū filium suum, nisi per hanc scientiā Christianae charitatis officijs adolescat is ac fructificet is, usq̄ & usq̄ in melius proficientes, atq̄ in his constanter perseveret is, omni robore confirmati, ne quavis aut procella persecutionis uos dimoueat à recto cursu, quam ad rem magnis sanctorum opus est. Eas non est quod ipsi nobis ex nobis ipsis polliceamur. Deus illas suppetit oportet, sic ut omnis gloria eorum, quae per nos fortiter geruntur, ad illum redeat, cuius beneficio nobis praestatur, uti summa cum tolerantia, summaq̄ animi lenitate perferamus quicquid interim nobis obstreperit ob euangelium Christi. Neq̄ satis est, ut in his fortes simus & intrepidi, quin potius decet, ut alacriter etiam suscipiamus afflictiones, cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui uos hoc honore dignatus sit, ut cum antea fueritis simulacrorum ac daemonum cultores, dignatus sit asciscere in consortium Iudeorum, qui ob ueri dei cultum pra uobis erant sancti, & ad eandem haereditatem admittere immortalitatis, cuius spe contemnendum est, quicquid hic uel territat, uel blanditur: utq̄ uobis, qui prius in densissimis ignorantiae tenebris uersabamini, lucem euangelicae ueritatis impartierit, & qui prius foedissimam simul & miserrimam seruitutem seruiebatis, sub tyrannide diaboli tenebrarum principis, inde uos exemptos trāstulerit in regnum filij sui, quo nihil habet charius, ut in illius corpus asciti, cum eodem haberetis regni consortium. In quo locus non est ijs, qui peccato sunt obnoxij, eoq̄ per filium dei data est libertas, per quem remissa nobis sunt peccata uitae superioris. In huius igitur ius cessistis, cuius beneficio uis restituti. Ac uidete quam felix commutatio. Prius ad diaboli corpus pertinebatis, nūc insiti estis corpori Christi, cuius tanta est dignitas, ut imago sit dei patris, qui lucem habet inaccessam, nec à quoquam cerni potest, etiam si per filium nobis utcunq̄ cernitur, ipsi ut simillimum, ita etiam æqualem. Neq̄ enim minus sapiens est, aut minus potens, aut minus bonus q̄ pater. Neq̄ hac nuper illi accesserunt, sed antequam quicquam esset conditum, ille ab aeterno fuit imago patris aeterni, non conditus, sed natus ab eo, à quo sunt omnia, quicq̄ solus nullum habet principium. Is ex se genuit filium, ac per filium, simulq̄ cum filio creauit & condidit uniuersa, quicquid usquam est rerum, siue in coelis, siue in terris, uisibile pariter atq̄ inuisibile, nec angelis ipsis exceptis, etiam summatibus, siue thronos dicas, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Quae sic praecellunt ceteris rebus creatis omnibus, ut longe tamen sint infra dignitatem eius, cui uos estis adglutinati. Quod enim cōditum est, inferius sit oportet suo conditore. At per Christū non solum condita sunt omnia, uerumetiam ab eodem gubernantur & seruantur omnia, hac quoq̄ in parte patri compare & consorte. Ipse uero nullo posterior est, sed praecedit omnia condita quae per eundem consistūt, peritura, ni penderent ab illo. Videtis quae sit dignitas ac praereminentia Christi, ne quis nimium tribuat angelis. At ne maiestas illius uos deterreat, audite bonitatem eiusdem, ne putetis alium uobis quaerendum esse, per quem aditum habetis ad patrem. Sic enim est princeps omnium angelicarum mentium, ut idem non de dignetur esse caput ecclesiae, quam sibi sic adglutinauit, ut non aliter cum ipso cohaereat, quam corpus annexum est capiti. Proinde nobis commune sit oportet, quicquid in capite praecessit. Primus ille resurrexit à morte, non ut solus frueretur immortalitate, sed ut nos sua membra ad immortalitatis consortium eueheret. Quod primitijs tribuitur, toti massa commune sit oportet. Ille quidem princeps & autor resurrectionis, sed per illum resurreximus & nos: & quemadmodum primas tenet in rebus conditis, sic tamen, ut ipse conditus nō sit: sic & in restitutione rerum conditarum primas tenet, ut sicut illi debemus quod nati sumus, ita eidem debeamus, quod ad salutem renati. Sic enim patri uisum est, ut in filium transfunderet plenitudinem omnem diuinae potestatis ac bonitatis, quae sic in illo maneret, ut non esset opus quicquā unquam aliunde petere, cum nihil uelit aut possit pater, quod idem nō uelit ac possit filius. Non est nostrum disquirere, cur ita uisum sit patri, cum certum sit optimum esse quicquid ille decreuit. Sic inquā, illi uisum est, & ad nostram salutem & ad suam gloriam conducere, ut omnia sibi recōciliaret, non per angelos, sed per filium proprium, qui suo sanguine supplicioq̄ crucis, pro nostris peccatis poenas daret, ut abolitis peccatis, quae dirimebant concordiam & pacem coelestium ac terrestrium, iam

tam amicitia iungerentur omnia, siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in terris, nimirum in uinum
Christum conspirantia. Quorum de numero uos quoque estis, qui cum olim sic essetis alie-
nati à deo, ut simulacra dæmonum pro illo coleretis, neque solum propria uoluntate dissi-
deretis ab illo, uerum impijs operibus hostes ageretis, tamen ille nunc uos nec expectantes,
nec promerentes reconciliauit sibi, & ex hostibus fecit amicos ac filios, idque non angelo-
rum ministerio, sed per corporalem mortem unigeniti filij, quem in hoc ipsum uoluit mor-
tale corpus assumere. Et quoniam pax non potest esse cum deo nocentibus, gratis con-
dauit omnia commissa uitæ superioris, ut exhiberet uos sanctos & irreprehensibiles &
inculpato in cōspectu suo. Quis enim uobis imputet priora debita, si ipse sibi fert acceptar-
Id futurum est, si semel gratis admissi ad fidem euangelicam, semper in eo perseueretis quod estis
professi, ac solido innixi fundamēto, sic uos prebeat stables, ut nec per homines, nec per
angelos dimoueamini à Christo, unde nobis speranda quæcunque promittit euangelium,
cui semel audito credidistis, quod neque uobis tantum prædicatum est, sed prædicatum est
palam omnibus orbis nationibus, quas cœli ambitus complectitur. Inconstans est desci-
scere ab eo, quod semel est probatum. Impudentis est, pro uano habere, in cuius credulita-
tem consentit orbis uniuersus, postremo cuius ipse Paulus sum prædicator, haud qua-
quam relicturus legem patriam, & cum euangelio Christi commutaturus, nisi compertum
haberem negocium esse cœleste, & à deo profectum. Nunc adeo mihi persuasum est, uerax
esse euangelium, ut non solum me non poeniteat aut pudeat, uerum etiam gaudens patiar,
ac gloriæ mihi ducam flagra, carceres, cōpedes, quas non pro meis facinoribus, sed pro ue-
stra salute tolero, quos reclamantibus Iudæis, doceo non minus ad euangelij beneficium
pertinere & ipsos Iudæos. Cur enim non dicam me pro uestra salute pati, pro qua passus
est Christus? Cur pigeat apostolum facere, quod non grauatus est facere princeps noster?
Ille non solum in suo corpore passus est pro nobis, uerum etiam in nostro quodammodo
patitur, uelut supplens per suos uicarios, quod in illius afflictionibus uideri poterat dimi-
nutum, non quod illius mors per se non sufficiat, sed quod una quodammodo sit afflictio
capitis & membrorum, principis & uicariorum, quæ quo copiosior est, hoc magis redun-
dat in cumulum uestræ salutis. Imò non uestræ solum, sed totius corporis Christi, quod
est ecclesia. Fungor officio delegato, mihi mandata est ecclesiæ cura. Christus suas uices
mihi delegauit, tradidit sui corporis custodiam hac præcipue portione, quæ gentes respi-
cit ad euangelium recipiendas, ut opera mea suppleam, quod huic uidebatur deesse, euul-
garemque quod plurimis retro seculis ac gentibus fuit abconsum, uidelicet non Iudæis tan-
tum, uerum etiam gentibus per fidem aditum patere ad salutem euangelicam. Id iam olim
deo decretum fuerat, sed tamē orbi fuit hæcenus cœlatum, nunc mea prædicatione potis-
simum patefactum est ihs, qui pristina uita relicta, Christi doctrinam amplectitur: quibus
uifum est deo patefacere, quàm gloriosa sit illius in nos opulētia, cum euulgato quod ante
latebat arcano, totus mundus intelligit gratuitam salutem, quam primum credebant solis
Iudæis delegatam, omnium gentium esse communem. Nec requiri Mosaicæ legis obser-
uationem, sed fidem duntaxat, qua non dubitent de promissis euangelicis. Pro cunctis,
quibus stulte fidunt Iudæi, Christus unus uobis satis est. Is si in uobis est, nō est quod uos
poeniteat spei uestræ, & firmæ satis, & gloriôsæ per illum, qui quod pollicitus est, haud du-
bie præstabit ex sese. Hunc nos prædicamus, nō Moysen, aut angelos, admonentes non Iu-
dæos tantum, sed omne mortalium genus, ac docentes, neque omnino quicquid prætermittētes,
quod ad euangelicam sapientiā pertinet. Nimirum ut intelligāt omnes homines, perfectam
salutem non alibi constituendā, & in Christo Iesu, siue circuncisi sint, siue præputiati. Ad
quod persuadendum sic adnitor, ut non pigeat huius rei gratia, tot me periculis ac malis
obijcere, grauioribus utique, quàm ut nostra imbecillitas perferre possit. Sed potens est ille,
cuius instinctu atque ope hæc per me geruntur, nostro sermoni fidem conciliantibus (cum
res postulat) etiam miraculis.

CAP. V. T. II

Nec mihi dicta sunt Colossenses, non quo me iactitem apud uos, sed quod
cupiam uos scire, quanta me teneat sollicitudo, quantumque periculorum ade-
am, non solum pro his, quibus ipse præsens tradidi doctrinam euangelicam,
uerum etiam pro ihs, quibus de facie notus non sum, præcipue pro uobis, ac
Laodicēsis, quos tamen corpore oculis nō conspexerim, animi tamen

Et cum uos es-
setis aliquan-
do alienati

Cuius factus
sum ego Paulus

Nunc autē ma-
nifestū est san-
ctis

In uirtute

Volo enim
uos scire

Nemo uos de/
cipiat in publi/
mitate sermo/
nis

Omnis pleni/
tudo diuinita/
tis

oculis contemplor assidue, gaudens de profectu, trepidans si quid periclitari sensero, aut labascere uestram integritatem. Neque perinde mea refert, ut hæc sciant, qui me non uiderunt, atque ipsorum. Extimulatur enim mea sollicitudine, meisque periculis & afflictionibus, ut magis consentiant & cohæreant euangelica charitate, membrorum in morem inter se compacti & coagmentati: quoque magis intelligant, ac certius credant, opulentiam dei patris beneficentiam, in omne mortalium genus, imò in omnia quæque in cœlis, quæque in terris, sese largiter diffundentem, patefacto iam arcano per Iesum Christum, quod hæcenus cœlatum erat: uidelicet extra unum hunc, nihil nobis expetendum humanæ sapientiæ, siue quid promittunt huius mundi philosophi siue quid pollicentur Mosaicæ legis doctores, siue quid alij iactant sese doctos ex angelorum colloquijs, cum in hoc uno recoditi sint & abstrusi omnes thesauri sapientiæ, & cognitionis fructifera. Ex hoc fonte cōpendio licet haurire, quicquid ad ueram salutem pertinet. Atque hæc quæ dicimus eò tendunt, ut etiam atque etiam caueatis, ne quis humanis artibus instructus aduersus euangelicæ doctrinæ simplicitatem, fucum uobis faciat, & imponat falso sermone, sed in speciem probabili ac ueri simili. Solent enim huius mundi sophistæ captiunculis quibusdam, & argutijs rationum humanarum animos simpliciū illaqueare. Non me clām est, esse quosdam tales apud uos, insidiantes synceritati fidei uestræ. Nam tametsi corpore absum, nec uideo coram, quid apud uos agatur, animo tamen adsum cum gaudio spectans ordinem ac statum uitæ uestræ, simulque cōtemplans soliditatē ac robur fiduciæ uestræ, quā habetis in Christo Iesu, cui semel uos totos cōcredidistis. Superest, ut in eo quod recte cōceptū est, perseueretis ac proficiatis, & quæadmodū semel accepistis, & credidistis Iesum Christū dominū nostrum, nobis esse summā bonorū omniū, fontē ac caput felicitatis nostræ, ita uita omnis professioni fideique respōdeat, ut quæadmodū semel illi estis insiti per baptisum, ita fixis in eo radicibus, robur colligatis. Et sicut semel in uobis factū est euangelicæ doctrinæ solidū fundamentū, ita quæ tali fundamento digna sunt superstruatis. Ne uacillantes ad quēuis uentum nouæ doctrinæ, nunc huc nunc illuc nutetis, sed firmi & immobiles persistatis in eo, quod semel didicistis: neque persistatis tantū, sed indies magis ac magis exuberetis, ut indies augescente fidei & religionis uestræ profectu, semper sit pro quo gratias agatis deo, cui acceptum ferri oportet, quicquid recte geritur. Vigilant qui insidiantur synceritati uestræ, uobis contra uigilandum, ne capti magnifica quadam specie philosophiæ, seducamini à soliditate fidei ad inanes hominum commentatiunculas, ac præda fiatistis hostibus: id fiet, si auersi à præscripto ueritatis euangelicæ, duci cōperitis constitutionibus ac præscriptis humanis, quæ sita sunt in rebus uisibilibus, & in elementis huius mundi crassis, quum Christi doctrina cœlestis sit, ac ueram tradat pietatem, in animis sitam, non in cibo potuue, non in cultu corporis, non in obseruatione dierum, aut lotionē manuum, quæ nihil conducant ad ueram religionem. Ista magis auocant à Christo, distrahuntque à fonte, à quo petenda sunt omnia. Siquidem in hunc non uelut in lacunam dotes aliquot deriuatæ sunt, sed in eo perseuerat atque inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, ut hunc habentes, non sit quod umbras Mosaicæ legis aut humanæ philosophiæ præstigijs sectemini. Veritas palam exhibita est, omnibus sensibus, non est quod iam typos, aut ambiguas pollicitationes spectetis. Christo igitur cum sitis semel insiti, & in unum corpus compacti, non est quod aliunde quicquam desideretis. Illi cum nihil desit, & sua uelit uobis esse communia omnia, uos quoque per illum completi sitis oportet, siue sapientiam desideratis, siue potestatem. Siquidem hic, ut est fons inexhaustus omnis sapientiæ, ita est caput omnis principatus ac potestatis. Nec est ulla potestas inter summos etiam angelos, quæ huic non submittat genua. Fortasse Iudæus, ceu magnum quiddam uobis persuadere conatur, ut ad ipsius exemplum præputij pelliculam amputetis, perinde quasi deo nos commendet habitus corporis. Imò quicumque Christum habent, habent & circumcisionis gloriam. Qui non habent, horum inutilis est circumcisio. Vmbra circumcisionis habent illi, res ipsa penes uos est. Cum enim Iudaica circumcisio significet crassas ac terrenas cupiditates refecandas ab animis, iam nihil nisi cœlestia spectaturis, illi prorsus sunt in circumcisi, qui torquentur habendi studio, qui uentri seruiunt, qui liuore macerantur, qui gloriam aucupantur apud homines, qui cœlestia præmia desperant. Vos contra uerè estis circumcisi per Christum, non ea quidem circumcissione, quæ fit manibus, sed spirituali.

Nec

Neque enim particula modo carnalis hominis resecta est in uobis, sed totum corpus peccatis contaminatum, & carnalibus cupiditatibus uitiatum, detractum est uobis, spiri- *In expoliatio*
tuali circuncisione Iesu Christi. Nam quemadmodum ille moriens, deposuit corpus mor- *ne corporis*
tuo obnoxium, & resurgens recepit corpus immortale: ita uos per baptismum iuxta spiri-
tum, una cum illo mortui estis, depositis omnibus peccatis uitae pristinae, nec mortui so-
lum cum eo, uerum etiam simul cum illo sepulti. Mortificatis enim affectibus sequitur al-
tissima quies mentis. Atque ita deposito corpore, quod erat peccatis obnoxium (pecca-
tum autem animae mors est) per Christum una cum ipso resurrexistis à peccatis liberi, non
per merita uestra, sed tantum quia pure creditis deum, qui sua uirtute resuscitauit Christum
à mortuis, & hoc sua ui in uobis agere, ut per filij mortem gratis condonatis peccatis om-
nibus, posthac cum illo uiuat, nullis obnoxij peccatis, sed innocentiae iugi studio ad ue-
ram immortalitatem properantes. Ergo patri deo debentur omnia, quae uobis largitur
per filium. Non profuit Iudaeis carere praepotio, nec uobis obfuit praepotium corporale.
At mortiferum erat praepotium, quod addicti crassis & impijs cupiditatibus essetis obnoxij
morti. Imò iuxta spiritum mortui, carentes deo, qui uita est mentium. Hoc, inquam, pra-
putium uobiscum erat nobis commune, quod ille suo spiritu amputauit, semel condona- *Et uos cum mor-*
tis nobis omnibus peccatis nostris, & ita condonatis, ut nihil esset periculi, ne nobis in po- *tui essetis*
sterum imputarentur, propterea quod uerbis conceptis in Moisaicae legis obedientiam iu-
rassemus, & ob hoc non seruatae legis reos nos agere posset aduersarius, uelut ex syngra-
pha obstrictos. Imò uetus illud chirographum, per quod nos urgebat diabolus, Christus
antiquauit professione fidei euangelicae, per quam non imputantur ulli uitae prioris com-
missa. Quicquid enim ex hoc chirographo poterat à nobis exigere, id ipse Christus dependit
in cruce, in qua dilaceratum est chirographum, ac penitus sublatum est e medio. Nec est quod
satanae tyrannidem metuamus, posteaquam Christus in cruce sua morte mortis autorem
deuicit, nos ereptos, uelut opima spolia, referens à deuictis ac triumphatis principatibus ac
potestatibus daemonicis. Tunc enim illos libere palamque uictos atque exutos ostendit,
cum hominibus tum angelis, circumferens uelut in triumpho, & ostentans aduersarios
concisos fractosque, non angelorum aut hominum praesidijs, sed sua ipsius uirtute, tam ma-
gnificum trophaeum suspendit in cruce, ut esset omnibus e sublimi conspicuum. Tantum
ne relabamini in pristina peccata. Non est periculum ne quis uos condemnet ob negle-
ctas Moisaicae legis ceremonias, uidelicet ob cibum aut potum mundum aut immundum,
ob discrimen diei festi aut profesti, ob nouilunium non obseruatum, ob otia sabbatorum
uiolata. Siquidem haec fuerunt umbrae, quae portenderent olim ac deliniarent ea quae post
essent uere exhibenda à Christo. Caterum postea quam corpus ipsum tenemus, postea
quam ueritas nobis palam illuxit, quid adhuc umbras metuiamus? Qui Christo capiti ad-
haeret in coelis agens, non curat nisi coelestia, rectaque tendit ad praemium immortalitatis. Ca-
ue te igitur ne quis uos ad terrena reuocans, praemium quod sectari coepistis, uobis in-
teruertat: pro sublimibus docens humilia, pro uera Christi religione superstitiosum quen-
dam angelorum cultum inducens, commenticijs quibusdam uisis sese iactitans apud simpli-
ces, elatus carnali affectu suo, quo gloriam uenerit apud homines, uelut ex oraculis ange-
lorum ea docens, quae ex sese confinxerit: nec animosus in eo, praeter quo decet omnia, quan-
tum uis sublimia contemnere, sic fretus angelis, ut à Christo capite coelesti desciscat, ex quo
totum ecclesiae corpus pendens, ab eodem omni dote spiritali defluente in singula membra
per commissuras artuum ac membrorum, alitur ac augetur usque ad summam perfectionem spi-
ritualem, deo dignam, cui per Christum conectimur. Si Christus huic uisibili crassoque mun- *Si mortui*
do mortuus est, & agit in coelis, & si cum illo mortui estis iuxta uitae studium, elementis *estis cum*
mundi, nihil spectantes praeter coelestia, quorsum attinet obnoxios esse decretis humanis, *Christo*
praescribentibus non quae Christum sapiant, sed elementa mundi: perinde quasi iam non sitis
mortui talibus, sed adhuc uiuat in mundo. Cur auditur Iudaeus haec praescribens, iuxta
carnalem sensum Moisaicae legis? Ne tetigeris hoc corpus, impurum est, ne gustaris hunc
cibum, impurus est: ne contrectaris hanc rem, sacra est, nec fas est à profano tangi. Quasi
uobis non sufficiat doctrina Christi, ita talibus praescriptis auscultatis iuxta constitutiones
ac doctrinas hominum, persuadentium, in ciborum delectu, in obseruatione dierum, car-
terisque Iudaicis praescriptis sitam esse pietatem. Cibus, potus, aut uestis non commendat

nos deo, sed ad necessitatem corporis adhibentur, ipsoque abusu consumuntur, nec refidentur in animis nostris. At qui hæc docent, præ se ferunt nescio quam falsam speciem sapientiae apud stultos & imperitos, atque hoc pluris fiunt, quo magis impleuerint animos hominum superstitione vitiosaque humilitate. Nam plane superstitio est, angelos æquare Christo. Præua humilitas est, per angelum sperare, quod ab ipso Christo petendum erat, aut certe per Christum à patre. Cibi, cæteraque uisibilia non ad hoc data sunt, ut cum corporis iniuria cogamur ab his abstinere, sed potius ut horum adminiculo corpori subueniatur, ueste quacumque defendatur aduersus uetorum aut frigoris iniuriam, cibo quocumque satietetur, citraque discrimen adhibeatur, quocumque loco, quidlibet, quantumlibet opus fuerit ad præsentem necessitatem. Ista curant Iudæi, qui nondum habent mentem à crasso carnalique legis intellectu circumcisam.

CAPVT III

*Igitur si con/
surrexistis*



Vmilia sunt ista, & indigna germanis Christi membris. Vos si uere mortui terrenis rebus, unà cum Christo surrexistis ad studium rerum sublimium & æternarum, contemptis istiusmodi rebus humilibus, sublimia quaerite, coeloque digna, ubi caput uestrum Christus dexter assidet deo patri. Par est enim illuc tendere studia curasque membrorum, ubi iam uersatur caput, ubi &

*Mortificate
ergo membra
uestra*

ipsa post cum suo capite regnatura sunt. Ibi quisque uiuit, ubi amat. Huic mundo uidemini mortui, quibus nec arridet mundana felicitas, neque curæ sunt ea, quibus mundi cultores commouentur. Proinde non uiuitis hic apud homines, sed tamen cum Christo uiuitis apud deum, etiamsi interim uita uestra abscondita est, iuxta iudicium mundi. Cæterum cum Christus rursus aduenerit, orbi declaraturus & suam & totius corporis sui gloriam, tunc & uos unà cum capite conspiciemini gloriæ consortes. Interim curandum, ut totum corpus sublimi coelestique capiti respondeat, cuius membra nisi penitus hic moriantur terrenis cupiditatibus, non poterunt in cælis uiuere cum Christo. Habet & diabolus suum corpus, quod alibi dixi corpus peccati. Huius membra sunt, scortatio, quæ mundi cultoribus etiam laudi datur: immundicia, mollicies, reliquaque genera libidinis, foediora quam ut uel nominari debeant, rerum noxiarum cupiditates, ut gloriæ, ut principatus, ut uindictæ: cum primis autem pecuniæ, quod malum proxime accedit ad omnium sceleratissimam impietatem, cultum simulacrorum. His qui obnoxij sunt, non possunt esse cōsortes gloriæ Christi. Tantum enim abest, ut talibus inquinati possitis esse filij dei, ut ob hæc sequeantur etiam in suos filios Iudæos, tanquam immorigeros abdicans ac perdens. His malis quondam inquinata fuit & uestra uita, cum nondum per baptismum mortui cum Christo, uiuebatis malis cupiditatibus. Nunc per illum renatos, æquum est & uos omnia uitæ prioris abijcere, postea quam Christus nihil mortale aut terrenum sibi fecerit reliquum. Neque solum abijcienda sunt illa enormia, de quibus modo diximus, uerum etiam hæc, in quibus hominum uulgus sibi ignoscit: quod genus sunt ira, tumor, malicia, maledicentia: nec animus tantum purus sit ab his cupiditatibus, uerum etiam os purum sit ab omni turpisloquio. Christus ipsa est ueritas, non decet ut huius membra inter uos mentiamini. Acne singula persequar, postea quam Christum induistis, exuite totum ueterem hominem terrenum, unà cum actibus & cupiditatibus suis, & induite nouum, qui nescit senium, sed indies augescens in ipso cognitione dei, florescit ac subolescit in melius ac maius, ad imaginem Christi, qui ipse nouus homo, & in nobis condidit nouum hominem, extincto uetere. Quotquot enim in Christi corpus insiti sumus, adeo desinimus esse quod fuimus, quasi rursus alio modo conditi, ut hic nullum sit discrimen inter ethnicum & Iudæum, inter uerperum & præputiatum, inter barbarum aut Scytham, & Græcum aut Atheniensem, inter seruum & ingenuum. Ex his æstimantur homines apud mundum, apud deum nullus est harum rerum respectus, sed Christus ex æquo communis omnium, solus omnia suppeditat omnibus. Is seruo est libertas, pauperi diuitie, barbaro cultus, præputiato circumcisio. In summa per hunc inter uos æquatur omnia, ne quis alterum fastidiat. Proinde pro abiectis membris uestris Christo indignis, induite uos alia membra, diuersa ab illis turpibus, quæ supra recensuimus: sed pro illis induite, quæ deceant eos, quos deus selegit ad sanctimoniam, quosque sua dilectione dignatus est. Dicet quispiam, quæ nam sunt ista? nimirum quæ nos docuit, quæque præstitit Christus: affectum inquam misericordiæ, ut faciles sitis ad subleuandam alienam imbecillitatem: comitatem, ut tractabiles sitis ad communem uitæ consuetudi-

*Induite uos
ergo sicut
electi dei*

nem

nem: animi modestiam, ne cui uos per arrogantiam præferatis: mansuetudinem, ne sequi-
tis in errâtes: patientiam animiq; lenitatem, ne præcipites sitis ad ultionē, sed sufferatis uos
in uicem, ac mutuo uobis condonetis, si quid per humanam infirmitatē extiterit inter uos
ob quod aliquis possit alterum incusare. Aequum est, ut uos ignoscatis uicissim peccanti-
bus, cum Christus, qui neminem lædit, omnia nostra peccata nobis condonauerit. Sed
præ cæteris omnib; ornet animos uestros Christiana charitas, q̄ adeo nulli nocet, ut nemi-
ni non studeat prodesse, iniuriā beneficio pensans. Hoc est perfectum illud & indisso-
lubile uinculum, quo Christi corpus cohæret, & conglutinantur inter se membra, alioqui
dilapsura. Charitatis comes erit concordia & pax, non illa quidem uulgaris, sed Christi
glutino constans. Ea semper uincat ac superet in cordibus uestris, illa palmam ferat aduer-
sus liuorem, superbiam, iram, & contentionem. Siquidem ad concordiam uocauit uos de-
us, & hoc consilio uos omnes sibi reconciliauit, & in unum corpus cooptauit, ut inter uos
unanimes uiueretis, uelut unius corporis membra. Ne uero sitis ingrati, parumq; memo-
res diuinæ erga uos clementiæ. Cum illo pax non erat futura nobis, nisi ultro nobis con-
donasset omnia flagitia nostra. Et huius oblitus, frater aduersus fratrem bellum mouet, ob
leuem iniuriā. Ne decertetis inter uos de præcellentia philosophiæ mundanæ. Sermo
Christi, qui docet ea quæ pertinent ad ueram pietatem, habitet ac perseueret in uobis ex-
uberanter, ut in hoc plurimum sapiatis, adeo ut non solum ipsi scire possitis, quid sit Chris-
to gratum, uerum etiam alius alium uicissim docere, si quis erret: commonefacere, si quis
cesset, semper interim hilares spe futuræ beatitudinis, psalmis, & hymnis, & canticis spiri-
tualibus recinētes domino laudes, ac sua beneficia: recinētes aut̄ nō solū uoce corporea
sed potissimum in corde uestro. Nam huiusmodi demum cantilenis delectatur deus, ne
quis magnum existimet, ore superis obstrepere. Postremo, quicquid agitis, seu loquētes,
seu faciētes aliquid, sic agite, ut ad domini Iesu gloriam pertineat, illum sapiat, illum sonet,
illum spiret omnis uestra uita. Atq; interea quicquid acciderit hæc agentibus, seu prosper-
rum, seu aduersum id fuerit, ne quid uos uel deiciat, uel efferat, sed pro omnibus gratias
agite deo patri per filium, per quem nihil non uertit nobis in bonū. Vxores subditæ esto-
te maritis uestris, sicut conuenit his, qui Christum profitentur, quos oportet in omnibus
officijs esse cæteris perfectiores. Contra mariti, diligite uxores uestras, quas ita memineri-
tis uobis esse subditas, ne tamen sitis aduersus illas amarulenti. Filij, morigeros & obser-
uentes uos præbete parentibus uestris, citra ullam exceptionem, etiam si duriora præci-
piant, modo ne impia. Sic enim placitum est Christo. Contra patres, ne abutamini uestra
autoritate erga liberos, neq; sic iritetis illos sequitia, ut animum despondeant. Serui, obedi-
te per omnia dominis, quibus iuxta ius humanum debetis seruitutem, non iam ad ocu-
lum placere studentes, quemadmodum ethnicorum mancipiorū uulgi solet, sat habens
si non offendar herum hominem, sed simplici sinceroq; pectore præstantes officium, non
hominis metu, sed dei, qui respicit quo faciatis animo. Neq; perpēdite, quid mereatur do-
minus homo, sed quicquid obsequiorum illi, qualis qualis est, impenditis, sic habete, quasi
Christo impendatis, non hominibus, certi quod ab illo recipietis præmium hereditatis
æternæ, etiam si ingratus herus nihil indulserit peculi, nec uos agnoscat inter liberos. Si-
quidem dum indignis dominis ob Christum seruitis, Christo seruitis. Nam quemadmo-
dum herus, si quid peccat in seruum, tamen si non punitur apud homines, tamen haud erit
impunitus apud deum: ita seruus, qui recte se gerit, etiam si nullum fert præmium apud
homines, qui seruis officio functis non arbitrantur quicquam deberi gratiæ, tamen non
peribit illi sua merces apud deum, apud quem non est discrimen personarum, sed mentiu-
um: nec est ratio conditionis, sed officij.

CAPVT IIII



Ursus domini, ne iure uestro, quod uobis leges humanæ dederunt, non syn-
ceritas naturæ, abutamini ad tyrannidem in seruos exercendam, sed quod
iustum est & æquum illis exhibete, suppeditantes illis, quæ ad naturæ usum
sunt necessaria: nec pro animi libidine alios in delicijs habentes, alios intole-
rabili seruitio prementes, non ignari, uos iam conseruos illis esse uerius,
quàm dominos, quum & ipsi communem cum illis dominū habeatis in cœlis, quem me-
rito talem experiemini in uos, qualem uos præstiteritis in seruos. Atq; quo magis uobis
contingat, ut membra sitis Christi corpore digna, precationibus instate, non segnes aut

Verbum Ch-
sti habite
uobis

onuisti crapula, sed sobrii ac uigilantes, simul admiscentes gratiarum actionem, ut non solum à deo postuletis, quæ cōducant ad salutem, uerumetiam pro quotidianis illius in uos beneficijs gratias agatis, quo cumulatius sit in uos beneficus, si memores & gratos uiderit. Atq; interim deprecabimini deum & pro nobis, ut dignetur a motis impedimentis omnibus, liberam reddere euangelij prædicationem, ut illo referante per fidem pectora hominum, in omnium animos subeat mysterium, quod hæcenus cœlatum, nunc pater omnibus notum esse uoluit de Christo, per quem sine legis adminiculo salutē offert omnibus, ob cuius prædicationem ego uinctus sum his cōpedibus, ne quid obftet mihi, quo minus euulgem apud omnes Euāgelium Christi, cupido libere & intrepide, quemadmodum ille me iussit euulgare. Cum his, qui à Christi professione sunt alieni, prudenter est agendum, ne quid appareat in moribus uestris, quod illos irritet ad persequutionis sauitiam, aut alienet ab Euangelio. Postquam enim non potestis effugere, quin cum ethnicis commercium aliquod habeatis, uitæq; communis cōsuetudinem, experiantur uos in omnibus commodiores & humaniores facios ex professione nouæ religionis, si quid sit eius generis, in quo possitis illis citra pietatis dispendium gratificari. Nunc hæc potissimum agendum, ut omnes alliciantur ad euangelicam professionem. Huius rei occasio non est ob friuolas contentionem perdenda, imò iactura rerum omnium redimenda. Cedite honorem, cedite pecuniam, remittite iudiciam. Ingens lucrum existimate, si harum rerum dispendio auicta fuerit res euangelica. Sermo uester apud illos non sit contumeliosus atq; asper, sed humanitatis gratiam sapiat, cum prudentiæ sale coniunctam. Nam comis oratio citius flectit feroces animos: & prudentia docet, quid, quibus, & qua moderatione sit respondendum.

• Aliter enim agendum cum principibus mundi, aliter cum mediocribus, aliter cum humilibus, aliter cum mansuetis, aliter cum iracundis, aliter cum eruditis, aliter cum idiotis. Ad cuiusque habitum attemperandus est sermo, ut proficiat Euangelio. Est ubi cedere præstet, quoties furiosis conuitijs reclamationat, quem pares docere, aut dum insidiatur doctrinæ tuæ, cui loqueris. De statu rerum mearum non scribo uobis, uerum de his omnibus certiores uos faciet Tychicus, qui has perfert, mihi frater dilectus, ob professionem communem, & idem fidus minister & conseruus in euangelij negotio: quem hac gratia misi isthuc, ut & per illum sciatis, quid agatur apud nos: & ego per eundem discam, quid agatur apud uos, ut & uestri animi refocillentur ex illius colloquio, & meus recreetur illius de uobis oratione. Tychico comitem addidi Onesimum, quem nolim ex pristina conditione uitæ æstimetis, cum mihi nunc sit fidus ac delectus frater, qui & illo nomine uobis debet esse commendatior, quod uestre gentis sit, ex præputio conuersus ad Christum. Hi duo uobis bona fide referent, quicquid hic rerum est apud nos, quod uestra referat scire. Salutat uos Aristarchus, qui tamen Iudaicæ gentis sit, tamen ob fidei germanitatem, uobis debet esse commendatus. Nam hunc habeo socium & consortem captiuitatis meæ, pro euangelio Christi. Salutat & Marcus, Barnabæ uobis non incogniti consobrinus, quem & aliàs cōmendauimus uobis, præcipientes quod & nunc præcipimus: ut si uenerit ad uos, cum humanitate excipiatis illum. Salutat & Iesus cognomento Iustus. Sunt hi quidem diuersæ gentis, nimirum Iudaicæ, sed tamen digni fauore uestro, quod soli sint socij laborum meorum ad prædicandum regnum dei, atq; in hisce malis quibus affligor, mihi hi fuere solatio. Salutat uos Epaphras, uobis non solum communi Christi cultu, sed gentis etiam cognatione coniunctus, sic uestris commodis ex animo fauens, ut anxie sollicitus nō desinat precari deum pro uobis, ut illius ope persistatis in eo, quod cœpistis, sitisq; non semichristiani, sed perfecti, consumatiq; præstandis omnibus, quæ deo grata sunt. Nam illud de eo testor, quod ingenti studio afficitur erga uos: nec erga uos solum, uerumetiam erga finitimos uobis Laodicenses & Hierapolitanos. Salutat uos Lucas arte medicus mihi unice charus, cumq; hoc Demas, qui adhuc mecum agit. Salutate quum reliquos fratres omnes, qui sunt Laodiceæ, tum præcipue Nymphā, simul domesticā eius uiri congregationē. Hæc epistola cum recitata fuerit apud uos, facite ut eadē & in Laodicensiū congregatione recitetur, ac uicissim uos legetis epistolā, quæ Timotheo scripta fuit ex Laodicensium urbe, quo pluribus prosint. Archippo præfecto uestro, meis uerbis hæc dicite: Vide quam prouinciā susceperis. Domini negotium est, quod tibi delatū est, nō hominis. Cura ut præstes quod suscepisti, domino rationē redditurus. Quo firmior sit apud uos huius epistolæ

stola fides: rursus salutē ascribo vobis omnibus meapte manu, nempe Pauli, vobis non ignota. Memores estote vinculorum meorum, quæ uestra causa gesto: & sic uiuite, ut horum me non poeniteat. Fauor Iesu semper adsit vobis, Amen.

Paraphraseos in Epistolam Pauli ad Colossenses finis.

IN EPIST. PAVLI AD THESSALONICENSES PRIOREM
argumentum, per Des. Erasmus Roterodamum.

Thessalonica Macedoniae metropolis est, unde & regionis incolæ Thessalonicenses appellati. Hi in fide semel accepta tanta constantia perstiterunt, ut & Pauli exemplo, ciuium suorum persecutiones infractio & alacri pertulerint animo: nec ullo pseudapostolorum suasu quiuerint ab euangelica institutione deflecti. Quod ueritus Paulus, quem non latebat pseudapostolorum improbitas, cum ipsi non liceret illos inuifere, misit Timotheum, ex quo reuerso cum didicisset illorum constantiam, collaudat eos, gratias agens Deo. Atque id quidem agit capite primo & secundo. In ceteris tribus instituit eos in uarijs pietatis officijs, subindicans esse inter eos, qui nondum omnino puri essent ab omni libidine: nec deesse qui ocio dediti grauarent alios, item qui inquieti ipsi turbarent ecclesiae tranquillitatem, quos corripit iubet. Præterea qui de resurrectione nondum satis confirmata essent opinione, cum defunctos ita lugerent, quasi perissent, ac non potius ad meliora demigrassent. Hos instituit atque confirmat. Rursus alios disputasse de die aduentus domini, quasi is præsciri prædicique possit, cum incertus sit omnibus, Verum eum ait subitum, & præter omnium expectationem adfuturum, quo magis simus ad omne momentum parati. Scripsit ab Athenis per Tychicum ministrum iuxta Græcorum inscriptionē, cui collegam addunt Onesimum nostra argumenta, quæ incerto autore leguntur in uulgatis exemplaribus. Argumenti finis.

IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI

AD THESSALONICENSES PRIMAM PARAPHRASIS
per Des. Erasmus Roterodamum.

PAULVS & Sylvanus ac Timotheus cōgregationi Thessalonicensium consentienti in deum patrem, & in dominum nostrum Iesum Christum, à quibus contingat vobis gratia & pax. Vestro profectui, sicuti par est, gratulantes, semper agimus gratias deo, uestro omnium nomine uestri mentionem facientes, quoties cum Deo sacris precationibus colloquimur, quod nunquam nobis nō ueniat in mentem, quantum præstiteritis in tuenda fidei uestre professione: deinde quantum laboris exhauseritis ob charitatem, quam habetis erga præcones Euangelij, quàm fortiter & constanter omnia pertuleritis, freti spe & expectatione præmiorum, quæ dominus noster Iesus Christus promisit in uita futura istis, qui ob nomen ipsius huius uitæ negligunt incōmoda. Non peribit vobis merces recte factorum, rependet is, qui spectauit quo animo feceritis, deus & pater noster. Scitis ipsi fratres dilecti, nō humana persuasionē uos esse mutatos, sed uoluntate diuina ad hæc selectos fuisse. Neque enim sic prædicauimus uobis euangelium, ut præter uerba nihili adferremus uobis, imò dei potentia miraculis confirmauit sermonē nostrum. Datus est & per nos spiritus sanctus, neque quicquam omnino defuit, quod plenam faceret euangelicæ doctrinæ fidem, quando quidem per nostrum euangelium consequuti estis, quicquid ad aliorum prædicationem consequuti sunt Iudæi. Atque hic quàm pure, quàm submisse quàm laboriose nos gefferimus apud uos, ipsi testes estis. Nihil enim non pertulimus, quo uos Christo lucrificeremus. Neque uos præbuitis degeneres discipulos, sed nostrum exemplū estis imitati, imò nō nostrū, sed dñi Iesu, qui sic deiecit sese, sic perpeffus est omnia, ut nos sibi lucrificeret. Adeo enim non respuistis euangelium nostrū, ut huius gratia quamuis graues ac multas afflictiones pertuleritis non modo fortiter, uerum

oo 4 etian

*Ipsi enim de
uobis annun-
ciant*

etiam multo cum gaudio, quod animis uestris suggessit spiritus sanctus, quæ accepistis ad nostram prædicationē, arrabonem interim futuræ felicitatis, cuius spe dulce est etiā, quicquid hic malorum infligitur, ob euangelium Christi. Tam insignis fuit fidei uestre fortitudo, ut exemplo fueritis omnibus credentibus in reliqua Macedonia & Achaia. In tantum enim commouit omnium animos exemplum urbis Metropolitanæ, ut euangelij fama, tubæ clangentis ritu, late personuerit: ardorem fidei uestre, quā habetis erga deum, diuulgans nō solum in Macedonia & Achaia, uerū in cæteris quoque regionibus omnibus, ut iam nihil necesse sit à nobis prædicari pietatē uestrā. Etenim si quando tentamus his de rebus narrare, ipsi potius ultro narrant nobis, prius docti celebri rumore, quā nostra oratione, quomodo nos primū uos adierimus, doctrinam euangelicā prædicaturi, quantaque promptitudine nos exceperitis contēptis periculis, quæ nostra causa uidebantur uobis imminere, quantaque facilitate traducti sitis à maiorum superstitione, qua simulacra dæmonum colebatis, ad cultum dei, ut posthac detestantes falsos ac mortuos deos, seruiueritis deo uiuo ac uero, cuius promissis freti, pro nihilo ducitis huius uitæ cōmoda, pariter atque incōmoda, expectātes ut filius eius Iesus, per quē nos asseruit in salutē, ac nobis futuræ uitæ præmia pollicitus est, rursus adueniat e cœlis, exhibiturus palām orbī quæ promissit. Nam hūc in hoc excitauit ad uitā, ut & nos per illū reuiuisceremus, fruituri cū illo bonis immortalibus, qui hic pro illo mala huius mundi perpetimur. Nec erit nobis tum formidabilis huius aduentus, quos ipse suo sanguine purgatos à peccatis deo recōciliabit, & ab æterno supplicio liberabit, quod nostris cōmissis debebatur.

CAPVT II

*Nam & ipsi
scitis fratres*



*Sed facti su-
mus paruuli*

QUID autem attinet cōmemorare, cum ipsi nō ignoretis, licet non accesserimus ad uos, cum fastu & supercilio, grandia quædam uerba trutinātes, aut magnificam aliquam philosophiam profitentes, tamen aditum nostrū non fuisse inefficacem. Imō cum & antea Philippis multa pertulissemus, quemadmodum ipsi nostis, multisque essemus affecti cōtumelijs unā cum Sila, ob Pythonem eiecū à puella, quam tenebat, nihilo secius tamen freti auxilio Dei nostri, non ueriti sumus & apud uos libere prædicare Euangelium Christi, non sine graui discrimine: quod si rem commenticiam & inanem uobis prædicassemus, nunquā eius causa capitis discrimen adissemus. Nam qui ex sese docent, quod à Christo non acceperunt, & docent ad suum quæstum, hoc agentes, ut alijs imponant suo lucro: his nec adest autoritas, & protinus se subducunt, ubi metuunt capitis aut rerum suarum discrimen. At doctrina, ad quam uos inuitauimus, haud fuit cōmenticia fucataque, aut ad imposturam instructa, neque sub eius prætextu cœlauimus artes impuras, quemadmodū faciunt pseudapostoli: neque dolo quicquam gessimus, aliud præ nobis ferentes, aliō spectantes, ac sub Christi titulo, nostrū agentes negociū, eorū more, qui se faciunt apostolos: sed quemadmodum deus per filium suum ad hoc munus nos delegit, ut sincere cōcreditum euangelium prædicaremus, ita prædicamus omnibus, non ut apud homines ineamus laudem aut gratiam, sed ut deo nostram functionem probemus, qui penitus inspicit corda nostra, atque ex his quæque æstimat. Neque enim cuiquam sumus adulati, cuius rei uel ipsi testes estis, neque sermonem Euangelicum uestramque credulitatem uertimus in quæstum nostrum. Testis est nobis huius animi Deus ipse, neque uenati sumus ex Euangelio gloriam humanam, uel apud uos, uel apud ullos alios, cum potuerimus autoritate nostra supercilioque uti, non minus, quā pseudapostoli, qui cum inania doceant, & ad suum compendium, tamen honorem & obsequium à uobis exigunt. At nos memores quid deceat apostolos Christi, qui sese submisit nostræ salutis causa, non uindicauimus nobis fastum ac supercilium, sed placidos nos ac mites præstitimus inter uos, haud sautes uelut in discipulos, sed omni lenitate morigerātes imbecillitati uestre, nō aliter quā si mater nutrix foueat teneram ætatem filiorum suorū, sic & nos affectu propensi in uos, ex animo cupiebamus impartire uobis, non solum Euangelium dei, ueluti pabulum animarum uestrarum, uerumetiam propriam uitam impendere: non quod à uobis quicquā speraremus præmij, sed quod uos ex animo charos haberemus, haud secus ac mater diligit filios suos. Nō exprobramus officium, sed testamur affectū. Nam ipsi meministis fratres, ut uestra causa nullum laborem, nullum sudorem suggerimus: nihil aliud sitientes

scientes aut captantes, quàm salutem uestram; & adeo nihil mercedis uenantes à uobis
 ut opera manuaría, nocturna, diurna; nobis pararemus uicium, ne cuiquam uestrum esse/
 mus oneri. Pseudapostoli suum euangelium in uos ingerunt, & extorquent quantum pos/
 sunt, nos uobis gratuito prædicauimus Euangelium dei. Et uos mihi testes estis, & deus *Vos testes*
 ipse testis est, quàm sancte, quàm iuste, quàm inculpate gesserimus nosmet erga uos, qui *estis & deus*
 credidistis, quod ipsa re cõpertum habetis, quàm sincero affectu cuncta fecerimus, ut
 erga quenq; uestrum sic fuerimus affecti, tanquam pater qui uis erga liberos suos, nunc
 obsecrantes uos, nunc consolantes, nunc obtestantes, non ut nobis daretis quicquã, sed
 ut uitam ageretis deo dignam, qui uos prius alienos ab omni pietate uocauit per fidem
 ad studium ueræ pietatis, & per afflictiones temporarias asciuit in regnum suum, & glo/
 riam immortalem. Bene habet, agnoscitis beneficium dei, quapropter & nos illi gratias
 agimus indefinenter, qui sic afflauit animos uestros, ut cum nos humiles uenissimus ad
 uos, nulla dignitatis specie cõmendati, simul atq; audissetis à nobis euangelij doctrinam,
 non acceperitis tanquã sermonem, aut fabulam humanã, sed tanquã sermonem ab ipso
 deo profectum, sicuti re uera erat. Nam ille uobis per nos loquebatur. Dilutus & ineffi/
 cax est sermo humanus, sed efficax est sermo dei, qui simul atq; haustus est uobis, nõ fuit
 ociosus, sed exerere cõpcepit uim suam in uobis, ita ut satis appareret uos eundem cepisse
 spiritum, qui mox imitari cõperitis reliquas ecclesias dei, quæ in Iudæa profitentur Chri/
 stum Iesum. Quod Christus, quod nos, quod cæteri Iudæi, qui amplectuntur doctrinam
 euangelicam, passi sunt à suæ gentis hominibus, quibus inuisa est hæc doctrina, hoc &
 uos passi estis à contribulibus uestris. Nam ut hi dominum Iesum occiderunt, & ante hunc
 trucidarunt suos prophetas, impatientes ueritatis: ita & nos ueritatis euangelicæ præco/
 nes persequuntur, tanta cæcitate mentis, ut & dei iram in se prouocent, cuius uoluntati
 rebellant, & cunctis hominibus aduersentur, uelut hostes humani generis ac uelut omni/
 bus inuidentes salutem per fidem oblatam, & cupientes omnes secum in exitium per/
 trahere. Neq; enim priuato quopiam odio sic nobis obsistunt, imò gentium omnium bo/
 no inuident, & ea gratia nobis obturbant, ne prædicemus euangelium gentibus, per quod
 seruari queant, quasi parum sit illos antehac trucidasse prophetas, mox à prophetis Chri/
 stum, nisi nobis etiam afflictis & extinctis, absoluant cumulum facinorum suorum, &
 hunc ueluti colophonem imponant impietati suæ, nusquam sui dissimiles, nec unquam *ut impleant*
 ab infania sua relapscentes: quibus rebus adeo prouocant in se diuinam iram, ut despe/*peccata sua*
 randi sint, quippe destinata maliciã propellentes ab sese misericordiam dei, & euange/*semper*
 lium modis omnibus oppugnantes, cuius unius ope poterant ab exitio recipi. Cæterum
 quo magis amo uos, ob alacritatem ac promptitudinẽ fidei uestræ fratres, hoc mihi gra/
 uius fuit uestri desiderium, quod aliquantulum temporis à uobis distractio, non licuerit
 frui conspectu uestro, cuius mira nos habebat cupiditas, licet animo nunquam fuerimus
 à uobis diuulsi. Et tamen hoc non sat erat charitati in uos nostræ, nisi præsens præsentis
 aspicerẽ & corporeis oculis. Quapropter nõ mihi satis est uisum, aliquẽ ad uos mittere,
 aut per literas colloqui, sed ipse Paulus semel atq; iterum conatus sum adire uos, quo ma/
 gis etiam cõfirmarem animos uestros, sed obstet hęc conanti satanas, qui per impios
 Iudæos impediuit meam ad uos profectionem. Quid autem mirum, si tanto teneor ue/
 stri desiderio? Nam quid aliud est in hoc mûdo, quo mihi placeam, quo me iactem, quo
 fretus mihi promittam felicitatẽ? Omnia cõtemno præ euangelio Christi. Quæ nam igitur
 est spes nostra, aut quod gaudiũ nostrũ, aut quæ corona nostra: nõne inter cæteros,
 quos ex gentibus lucrifici Christo, uos quoq; estis? Si non apud mundũ, certe apud do/
 minũ Iesum Christũ. Vbi debellatis hostibus euangelij, palam agetur triumphus in ad/
 uentum illius: quæ tum trophæa: quæ monumenta uictoriæ proferant in illa pompa, nisi uos
 uestriq; similes? interim harũ rerum certa spe fruor: Vos igitur estis in hac uita seges ac
 materia gloriæ nostræ, uos gaudium nostrum, si modo perseueratis in his quæ cõpistis.

CAPVT III



Roinde cū iam impares essemus desiderio uestri, nec tamen daretur aditus *Propter quod*
 ad uos, uisum est nobis, ut quod per nos ipsos facere non licuit, per mihi fi/*non sustinen*
 delissimum sodalem, ac uelut alterum me facerem. Nos igitur soli resedi/*tes amplius*
 mus Athenis, atq; inde misimus Timotheũ fratrem nostrum, ac spectatũ dei
 mini

ministrum, socium & adiutorem officij nostri, quo fungimur in euangelio Christi: ma-
lentes interim tam unici tamq[ue] necessarij college solatio carere, quam committere ut us-
quam in prospiciendo rebus uestris cessasse uideremur. Misimus aut[em] non nostra gratia,
sed uestra potissimū causa, uidelicet ut confirmaret & consolaretur animos uestros: do-
cens his afflictionibus, quibus hinc atq[ue] hinc pulsor, neq[ue] quicquā labefactari meum ani-
mum, & magis etiā prosperari gloriā euangelij, ne quis uestrū ob meas afflictiones, quas
auditis, turbaretur. Neq[ue] enim uobis nouū uideri debet, si hæc accidunt euangelij præ-
conibus, cum me iam pridem sciretis in hoc ipsum delectum à deo, ut mei corporis affli-
ctionibus illustrarem Christi nomen, præceptorem ac dominum hac in parte referens.
Etenim iam tum cum apud uos præsentem essemus, hoc ipsum prædicebamus, fore ut
ob euangelium afflictionem pateremur. Quod tum prædixeram fore, iam fieri uidetis,
quemadmodum & ante nostris factum. Mihi nihil inopinatum accidit, neq[ue] uobis non
prædictum: quo minus est causæ, cur animo labefactemini. Ergo cum pro mea ingenti
de uobis sollicitudine, qua tuta etiam timeo, nō ferrem desiderium uestri, Timotheum;
ut dictum est, misi ad hoc, ut per hunc quodammodo presens cognoscerem fidei uestre
constantiam, & explorarem, si quos ex uobis imbecilliores tentasset ille, qui nunquam
non uigilat ad subuertendos bonos, & in his perisset mihi labor meus. Nuper aut[em] cum
Timotheus à uobis redisset ad nos, nobis lætum adferens nuncium, ac referens & fidei
uestre robur inconcussū, & charitatē pristinā similem, quodq[ue] disunctio nostra non
aboleuisset apud uos nostri memoriā, sed hanc apud uos iugem ac perpetuā esse, uosq[ue]
semper mutuo nostri uidendi desiderio teneri, quemadmodū nos habet desiderium uiden-
di uos: nihil est necessitatū aut malorum, quibus premor, quod non æquo animo feram,
postea q[uam] cognoui uestram fidem esse in tuto, cui metuens, ipse mihi non metuebā. Ego
Quoniā nunc mihi uideor incolumis, si uestra incolumis est fides. Nunc uiuimus, & ab omni discrimi-
uimus ne uidemur erepti, si uos auxilio Christi Iesu persistitis in eo, quod cœpistis. Non piget
horum malorum, si fructus respondet in uobis, quorum gratia hæc perpetior. Quod
quoniam uideo fieri, ut indies latius Euangelium crebrescat apud gentes, quas gratias
tanto beneficio pares, Deo possimus referre, cuius beneficio nobis contigerit, in hisce
malis tam insigne gaudium, quo de uestro profectu gaudemus ex animo, teste Deo no-
stro, cuius bonitati debetis, quod persististis, à quo nocturnis & diurnis precibus & il-
lud maiorem in modum flagitemus, ut eiusdem beneficio liceat aliquando uestro con-
spectu frui. Præstat aliquid præsentia, quod nec literæ, nec nūcius quamlibet fidus præ-
Et compleu- stare possit. Hac igitur gratia cupio uidere uos, ut si quid etiam desit Euangelicæ disci-
mus ea plinæ, id suppleam ac sarciam. Caterum precor ut quando per impios homines non li-
cet, ipse deus ac pater noster, & huius filius Iesus Christus dominus noster, submotis im-
pedimentis, aperiat mihi uiam ad uos, simulq[ue] uos dotibus suis sic interim augeat, ut ma-
gno gaudio uos conspiciere possim. Id erit si uos abundantes & exuberantes reddat mu-
tua inter uos charitate: nec inter uos tantum, uerum erga cunctos homines, quemadmo-
dum & nos erga uos omnes eximiam quandam habemus charitatem, uel mori parati
pro uestra salute: atq[ue] ita confirmet corda uestra, ut integritas uestra nulla ex parte cul-
pari possit, non solum apud homines, sed multo magis apud deum, & patrem, quem ni-
hil fallit, in aduentu domini nostri Iesu Christi, cum in conspectu sanctorum omnium
palam erit, non solum quid quisq[ue] gesserit, uerum etiam quo quisq[ue] animo gesserit.

CAPVT IIII

*De cætero
ergo fratres*



QUOD superest fratres rogamus uos, & exhortamur per dominum Iesum,
quādo tam satis à nobis estis edocti, quomodo uos gerere debeat, & qui-
bus studijs placere Deo, date operam ut in eo, quod didicistis, non solum
perseueretis, uerum etiam quotidianis profectibus uosipsos superetis. No-
stis enim ac meministis, quæ præcepta tradiderim, non meapte autorita-
te, sed domini nostri Iesu Christi. Nihil istorum præcepi, quæ uobis inculcant pseudapo-
stoli, de legis Mosaicæ ceremonijs, de præcellentia uisib[ile]q[ue] angelorum, per quos sit ad-
itus ad salutem, sed ea duntaxat, quæ sciebam esse grata Deo. Nam hæc est uoluntas dei,
ut uos sanctos & incontaminatos præstetis: nec animo solum casti sitis, sed & corpore,
ut abstineatis à scortatione, qua corpora conspurcantur. Corpora domicilia sunt ani-
mi: animus

mi; animus hospitiū est dei. Vt igitur oportet animum esse purum, ob hospitem deum, ita decet corpus esse purum, ob inhabitatorem animum, Proinde nouerit suo quisque corpusculo, ceu uasculo fictili, hunc habere honorem, ut purum seruet & illibatum: neque sinat inquinari morbo turpium cupiditatum ac libidinum, quod adeo Christianis indignum est, ut nec gentium sit omnium, sed earum, quæ non nouerunt Deum: uerum existimant nullo ultore, cuique licere quicquid libet: & honestum esse, quicquid corpori dulce est. Congeminatur autem libidinis malum, si cum fratris iniuria copuletur, ueluti cum alienam uxorem usurpat aliquis. Ne quis igitur aut hic, aut alijs in rebus, sibi plus satis usurpando, fraudem faciat fratri suo, propterea quod Deus nihil horum sinet inultum, & adeo non proderit baptisus ista patrantibus ut grauius etiam sint puniendi, quemadmodum & ante diximus uobis, ac testati sumus. Nec enim ideo Deus nos uocauit ab instituto uitæ prioris, ut semel loti, rursus in easdem sordes reuolueremur, sed ut innocentiam semel gratis datam uitæ sanctimoniam puritateque tueremur. Neque forditate libidinum expellamus à nobis spiritum sanctum castitatis amatorem. Hæc, inquam, & testatus sum, & rursus testor, non esse mea præcepta, sed Dei. Proinde qui aspernatur, non hominem aspernatur admonentem, sed Deum autorem aspernatur, qui ideo spiritum suum sanctum impartit uobis, ut illius afflatu sanctimoniam amplecteremini. In hunc contumeliosus est, quisquis corpus suum turpi libidine polluit. Cæterum de charitate Christianorum erga Christianos, non arbitror necesse, ut uos admoneam hisce literis. Nam ipsi ultro diuinitus docti estis per spiritum Christi, quæ hauistis, ut uos inuicem diligatis. Id enim re ipsa declaratis, Christiana charitate prosequentes cunctos fratres, non solum qui sunt Thessalonicæ, sed etiā qui in tota Macedonia. Nō igitur hortabor, ut quod facitis ultro, faciatis, sed ut quod facitis admonitu spiritus in hoc superetis uosipsos, semper in melius proficientes. Detis autem operam, ne per ociosos, & alienarum rerum curiosos, turbetur uestra tranquillitas, sed suum quisque agat negotium. Quod si cui non suppetant facultates, manibus proprijs sibi paret, unde & sibi suppetat, & alijs egentibus impartiat, quemadmodum & ante præcepimus uobis, ut uos geratis cum decoro erga eos, qui sunt alieni à professione Christi, apud quos mendicare, aut ob inopiam impudentius agere, turpe sit uestre professioni. Quin potius hoc suæ cuique manus præstent, ne qua re sit opus. Et facile suppetit illi, qui paruo contentus est. Porro quod attinet ad resurrectionis mysterium, non patiar uos quicquam latere, ne impotenti dolore lugeatis eos, quasi perierint, qui freti promissis Euangelij obdormierunt, ne lugeatis inquam ad exemplum gentium, ideo lamentantiū mortem suorum, quod non sperent unquam reuicturos. At Christianorum mors nihil aliud quam somnus est, unde expergiscetur in aduentu Christi, longe iam felicius uicturi. Cur enim non speremus in membris fore, quod factum scimus in capite? Nam si uere credimus, quod Iesus mortuus est nostro more, & reuixit ad immortalitatem, sic futurum credamus oportet, ut Deus pater, qui resuscitauit Iesum, & eos qui Iesum professi, & illius promissis confisi obdormierunt, unā cum illo adducat rediuiuos in aduentu filij, ne capiti suo desint membra. Non referimus uobis humanā fabulam, sed quod ab ipso Christo didicimus, uidelicet quod nos, quos aduentus domini residos hic ac uiuos reperiet, non ante sistemur in conspectu Iesu, quam ij qui mortui fuerint unā sistantur. Dixerit quispiam, qui poterunt sisti, qui sepulti sunt & in puluerem reducti: Ipse dominus Iesus, per angeli uocem, diuina tuba de cælo personantem excitabit illos, adhortans, ut expectati properent, ac protinus qui obdormierant hac spe, reuiuiscant, & exurgent e monumentis. Id ubi factū erit, nos qui resides ac uiui reperti fuerimus, in aduentu Christi unā cum illis rediuiuis, subito rapiemur per nubes, ut in aere domino occurramus, atque inde nos secum auhehet in cælum, iugiter secum uicturos. His itaque sermonibus uos inuicem consolemini, ne grauius uos discruciet mors piorum, dignior quam gaudijs & gratulationibus prosequamini, quam lamentis.

CAP. V



Modum & ordinē resurrectionis habetis, quando id scire uestra referebat. Cæterum tempora, temporumque articulos, quando sint hæc futura, nihil attinet uobis scribere, & adeo non cōducit, ut nec dominus tale quiddā à se flagitantibus discipulis, uoluerit aperire. Siquidem ipsi planē nostis, & ante à nobis edocui

Sicut & gentes quæ ignorant deum

De charitate autem frater nitatis

Nolumus autem nos ignorare fratres

edocti, quod dies ille domini, non aliter obrepet orbi inexpectatus, quam fur nocturnus obrepit dormientibus, ac tum potissimum opprimit oscitantes, quum minime expectabitur. Quum enim isti, qui non credunt euangelio, in medijs delicijs dixerint, nihil est periculi, sed pacata tutaq; omnia, non ueniet dominus, tunc illis repente instabit exitium, quemadmodum grauidam mulierem subitus dolor partus occupat, ante diem expectatum. Nec erit effugium prius oppressis, quam senserint. Dies metuendus ijs, qui nunc ex-
Vos autē fratres non estis in tenebris cæcati uitijs suis, nocturnam agunt uitam: uobis fratres non perinde metuendus, ne uos improuisos opprimat. Vos enim omnes, qui Christum sequimini, non pertinetis ad regnum tenebrarum, sed ad regnum lucis ac dei, præsertim si studio pietatis nostræ professioni respondeamus, atq; ita uiuamus, ut appareat nos in luce uigilare, non in tenebris stertere. Proinde si nolimus opprimi, ne dormiamus, quemadmodum faciunt cæteri qui non norunt lucem Christi, sed uigilemus ac sobrii simus, animo semper circumspectantes, ne quid per incogitantiam admittamus, quod oculos hominum ac dei offendant. Nam ut qui iuxta corpus dormiunt, nocte dormiunt, & qui uino temulenti sunt, nocte sunt temulentissimi: ita qui oscitant ac dormitant in uitijs, in animi tenebris uersantur, & qui mundi cupiditatibus, atque illecebris ebrii sunt, in mentis caligine uersantur. At nos quibus illuxit euangelij dies, sobrios ac uigilantes esse decet, semper accinctos ac paratos aduersus subitum insultum hostis, semper in nostrum exitium uigilantis, munitos armis spiritualibus. Nimirum pro thorace fidem induiti & charitatem, pro galea spem æternæ salutis. *Induti lorica* Nec est quod diffidatis. Aderit uigilantibus deus ipse propugnator. Nec enim ideo uocauit nos ad euangelij doctrinam, ut secus, quam illa comonstrat, uiuentes, iram nobis & ultionem dei conduplicemus, sed ut illi parentes salutem consequamur, opitulante domino nostro Iesu Christo, qui ideo mortuus est pro nobis, ut siue contingat uiuere, per pietatem ac spem immortalitatis cum illo uiuamus, siue contingat mori, cum illo uiuamus immortales. Quod ut magis ac magis faciatis, mutuis hortatibus uos inuicem animate, ac uicissim alius alium excitate ad profectum, quemadmodum & uestra sponte facitis. Quin & illud rogamus uos fratres, ut rationem habeatis eorum, qui laborant inter uos, quiq; præfunt uobis in euangelica doctrina, quiq; admonent uos, quibus rebus oporteat placere Christo, ut cum oporteat omnibus deferre honorem, hos tamen præ cæteris habeatis in precio, referentes illis charitatem, quam præstant uobis: tot laboribus ac periculis, uestra causa subeundis. Et si quando uos arguunt delinquentes, tamen habete pacem cum illis. Neq; enim odio dignus est qui arguit ut prosit. Quin uos quoque pro sua quisq; portione, ut illorum partes adiuuetis obsecro. Admonete eos, qui suo uiuentes arbitrio turbant ordinem uestrum. Consolamini pusillanimes, subleuate imbecilles, estote lenes ac patientes erga omnes, non modo Christianos, uerumetiam à Christo alienos. Cauete ne quis iniuriam iniuria repenset, ne quis maleficio maleficio retaliet. Nec enim imitari decet malos in re mala, & illorum similes fieri. Imò magis adnitendum, ut benefaciatis omnibus, non solum Christiani Christianis, uerumetiam quibuscumq; promeritis, & non promeritis, certi non perire uobis officium fidei iussore Christo. Quare quicquid uobis acciderit, incolumi pietate gaudete semper, indefinenter interpellate deum precibus uestris, in qua uis fortuna gratias agite. Sic enim placitum est deo, ut semper sit pro quo gratias agatis patri benefico in uos per Iesum Christum. Quin & illud cauendum uobis, ne ex diuersis dotibus dissidium aliquod oriatur inter uos. Contigit alicui donum linguarum, ut spiritu psallat, quanquam infima dos est, nolite tamen extinguere, fouete potius, ut proficiat ad meliora. Contigit alicui prophetiæ donum, ut enarret sensum scripturæ mysticum, nolite reijcere quicquid dicitur. Illum ferte, ut proficiat: hunc audite, sed cum iudicio, sic tamen, ut ne dicenti molestius obstrepatur. Nemo sic suis dotibus faueat, ut contemnat alienas. Omnia probate, cæterum quod quisq; sibi iudicari accõmodum, id amplectatur. Quicquid boni speciem habet, non est aspernandum. Cæterum à malis sic oportet abhorre, ut ab his etiam abstineatis quæ mali speciem præferunt. Sed ad hæc omnibus conari studijs uestrum erit, Cæterum deus ipse pacis auctor, cui gratus est consensus & concentus totius hominis in rebus honestis, efficiat, ut tot sancti sitis, & illibati, ut anima spiritui, corpus animæ respondeat, spiritus ipse respondeat Deo, ne sit in quo possitis culpari, utq; in hac sanctumonia perseueretis, usque ad aduentum

aduentū domini nostri Iesu Christi. Non est quod diffidatis. Bonæ fidei est, qui uocauit uos ad hanc sanctimoniam & huius præmia: idem perficiet, quod cœpit: præstabit, quod est pollicitus. Fratres, & nostros conatus uestris precibus adiuuate. Salutate fratres omnes, osculo, non quale saluatorum uulgi ex more porrigit, sed sancto & Christiana dignitate. Obtestor uos per dominum, ut recitetur hæc epistola omnibus sanctis fratribus. Fautor & beneuolentia domini nostri Iesu Christi semper adsit uobis, Amen.

Paraphraseos in priorem Epistolam Pauli apostoli ad Thessalonicenses, Finis

IN EPISTOLAM PAULI AD THESSALONICENSES
posteriorem Argumentum, per Des. Erasmus Roterodamum.



QVONIAM non contigit Paulo facultas reuiscendi Thessalonicenses, per epistolam confirmat illorum animos, ut fortiter ferant illatas ob Christum afflictiones, nec ipsis defuturum præmium, nec aduersarijs uindictam. Rursum de die aduentus domini, de quo non nihil attigerat in epistola superiori, monet ne quid commouerentur quorundam dictis, qui asseuerabant illum iam instare, tecte, sicuti putant, significans prius abolendum Romanum imperiū, ac deinde uenturum Antichristum. Attentius etiam inculcat, coercendos esse, qui ocio & curiositate sua turbarent quietem & ordinem publicum, & ad opus adigēdos, cum ipse Paulus apud eos manibus suis laborarit. Scripsit Athenis per eosdem, per quos misit priorem Epistolam, ut nostra quidem docent argumenta.

Argumenti Finis.

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

PAULI AD THESSALONICENSES POSTERIOREM,
PER DES. ERASMV M ROTERODAMVM.



PAVLVS & Syluanus ac Timotheus cœtui credentium, qui Thessalonicæ conspirati sunt, & consentiunt in Deum patrem nostrum ac dominum Iesum Christum. Semper gratias agere debemus deo, pro sua magnifica in uos liberalitate, magnificas, qui non solum illius ope persistatis in his quæ cœpistis, uerumetiam indies magis ac magis exuberetis in fide ac mutua inter uos charitate, in tantum, ut iam non arbitrer necesse uos aliorum exemplis accendere ad studiū pietatis, cum potius ipsi gloriemur de uobis apud alias ecclesias dei, uestro exemplo cæteros ad uirtutem inflammantes, commemorando patientiam uestram, fidei constantiam in omnibus persecutionibus uestris & afflictionibus, quas suffertis, ut in uobis posthac declaretur iustum dei iudiciū: dum uos hic pro ipsius nominis gloria uexatos admittet in consortium regni sui, contra, qui uos ipsius odio persequuti sunt, tradet supplicijs æternis. Siquidẽ erit hoc iustitiæ diuinæ, utrisq; repẽdere præmiū factis dignū: ijs qui affligunt innocētes, afflictionē: & uobis, qui nobiscū affligimini, nobiscum largiri refrigeriū ac solatium in illo die, cum apparebunt Euangelica promissa, palamq; sese orbi ostenderẽ cœlo dominus Iesus, non iam humilis, quemadmodum apparuit aduentu primo, sed stipatus angelico satellitio, sicuti decet potentem principem, non iam mitis ac placidus ad sanandos improbos, sed armatus horrendo flammeoq; incendio, inflicurus ultionem ijs qui hic noluerunt nosse deum, nec obedierunt euangelio domini nostri Iesu Christi, ut experiantur iustum ac potentem, qui misericordem ac mitem despexerunt, ac uel suis supplicijs docti, fateantur esse uera, quæ prædicauit Euangelium. Nam isti, quoniam impietatis suæ finem nullum fecerunt, pœnas luent in æternū, ubi conspexerint diuinam illam domini faciem, ac maiestatem fortitudinis illius, quem hic ut imbecillem ac humilem contempserant. Primum enim uenerat, ut seruaret omnes, tunc ueniet, ut exhibeat se gloriosum, non in seipso tantum, sed in omnibus etiam mem-

*In quo etiā o-
ramus semper* **bris suis, quæ sunt homines pñ, ut admirandus appareat in omnibus qui ipsius credide-
runt Euangelio. Nam tum palam omnibus exhibebuntur in uobis ea, quæ nobis testimo-
nium perhibentibus Christo credidistis, impijs aspernantibus ac diffidentibus: qui dies ut
uobis sit prosper ac lætus, non desinimus dominum precari pro uobis, ut quandoquidem
placuit illi uocare uos ad spem huius gloriæ, idem dignetur adesse uobis eo connitibus,
ut uita uestra congruat professioni, utq; quod pro sua bonitate cœpit in uobis, cōsummet
ac perficiat: addatq; robur animis uestris, ut fortiter tolerandis afflictionibus impiorum,
declaretis quàm ualeat in uobis cerra spes felicitatis æternæ, cuius gratia negligitis & cor-
poris uitam: ut quemadmodum Christus illustrauit patris gloriam morte sua, ac uicissim
ab illo fuit illustratus resurrectione, ita nomen domini Iesu Christi glorificetur nunc ue-
stra tolerantia, uosq; uicissim per illum glorificemini in die aduentus illius, non iuxta me-
ritum uestrum, sed iuxta beneficentiā Dei nostri & domini Iesu Christi, sine quorū ope,
uester conatus futurus erat inanis.**

CAPVT II.

*Rogamus autē
uos fratres*



*Et nunc quid
detineat scitis*

Aeterum illud uos oramus fratres per hunc aduentum, de quo modo dixi-
mus, domini nostri Iesu Christi, perq; consortium gloriæ, per quod mēbra
tunc aggregabimur capiti, ne cito dimoueamini à uestra sententia, si profe-
retur aduentus illius: aut ne consternemini animis, neq; per fictam prophe-
tiam, neq; per asseuerationem probabilem, neq; per epistolā nostro nomine
missā, quasi iam instet aduētus domini. Ne quis uobis imponat ullo modo. Nam domi-
nus non est aduenturus, nisi præcesserit defectio, & ni prius apparuerit homo ille scelerosus,
filius perditus, ut Christo multū dissimilis, ita illi aduersarius, qui effertur, non solum
supra filium dei, sed supra omne quicquid dicitur deus, aut numen religiose colendum,
adea, ut in templo dei sedeat, ostērans se ipsum pro deo. An nō meministis, quod cum ad-
huc essem apud uos, hæc dixerim uobis: Et nunc scitis quid obstat, quo minus adueniat
Christus, nimirum ut ille scelerosus, de quo dixi, suo tempore palam exerceat suam tyrāni-
dem in sanctos. Nā nunc clanculū agit per illū uis impietatis, perq; homines impios dia-
bolus sæuit in euāgelij professores, nec, ut ex me scitis, quicquā in mora est, quo minus pa-
lam aperiat sese Christi aduersarius, nisi ut interim quisq; quod tenet obtineat, donec illud
regnū, quo cætera coercentur omnia, tollatur de medio. Id ubi factum erit, tunc sese
proferet in apertum iniquus ille, omni præstigiōrū & imposturarum genere instructus, in
perniciē humani generis. Sed hunc diabolico afflatu tumultuantē, dominus Iesus confu-
ciet potenti spiritu oris sui, ac falsa diuinitatis specie iactantem sese prorsus obscurabit &
abolebit claritate aduentus sui, non aliter q̃ ex orienti solis iubar cedunt specula noctur-
na, & euanida rerum simulacra. Nam adueniet impostor ille satanę spiritu instructus, qui
per hunc exeret uim suam, quodq; crudelius sæuiat, nō solum armatus erit ingēti potētia,
qua terreat animos hominū, uerum etiā signorum ac miraculorū mendacibus præstigijs,
quibus sic imitabitur Christū, ut olim apud Aegyptios Magi sunt imitati Moysen: breui-
ter, nullo non genere fraudis ad impietatem erit armatus. Sed is nihil proficiet, nisi in ma-
lum eorū, qui & alioqui suapte pereunt incredulitate. Meretur enim hoc illorū pertinax
aduersus Christū rebellio: digni sunt hoc præmio, ut qui Christū, & pro sua charitate ser-
uare cupientem omnes, & pro sua ueritate patefacientē ea, quæ pertinebant ad salutem,
non receperūt, per quem poterāt esse salui: nūc permissū dei ualeat apud illos falsitas pro
ueritate, ualeat tyrannis pro charitate, ualeat extincior pro seruatore: iamq; credant men-
dacijs hominis scelerati, qui filio dei uera prædicanti credere recusarunt. Ita fiet, ut qui &
aliās ob obstinatā incredulitatē suam erant perituri, tūc omnibus palam sit eos merito pe-
rire, qui Christū sint auersati, ac mox approbauerint impostorem ac sceleratū. Hæc tēpe-
stas, ut illos declarabit exitio dignos, ita uestram constantiā magis etiam illustrabit. Quo
nomine semp debemus gratias agere deo, fratres mihi Christiana charitate dilecti, quod
non passus sit uos in errore persistere, sed elegerit uos ab initio seruandos, non per legem
Mosaicam, sed per spiritum suum, largitorē sanctimoniz, perq; obedientiā, qua simplici-
ter credidistis ueritati. Ad hæc ut uos delegerat ab æterno, ita uocauit per euangelium no-
strum, ut uestra salus, qui Iudæis diffidentibus, credidistis, accederet ad gloriam domini
nostri Iesu Christi. Verum ac germanum euangelium tradidi uobis, non est quod aliud
requiratis. Itaque in eo persistite fratres, ac tenete quæ uobis tradidimus, quæq; à nobis
didicistis

*In sanctifica-
tione spiritus*

didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Ad hæc omni uigilantia conuoluit uestrum fuerit. Cæterum ipse dominus Iesus Christus, ac deus paterque noster, qui ultro dilexit nos, uocatos ad salutem, ac per spiritum suum dedit nobis interim in his afflictionibus consolationem æternam, bona spe expectantibus premia uite cœlestis, non nostris meritis fretis, sed beneficentia gratuita ipsius, magis ac magis consoletur corda uestra, uosque confirmet ac stabiliat, ut perseveretis in omni tum sermone, tum facio bono.

CAPUT III



Quod superest fratres, quemadmodum nos nostris apud Deum uotis adiuuamus salutis uestre negotium, ita par est, ut uos uicissim meos conatus uestris apud eundem precibus prouehatis, ut quemadmodum euangelica doctrina ce- De cætero
fratres

leriter ac feliciter apud uos increbuit, ita discurrat ac diuulgetur apud omnes, Id quo fiat expeditius orate, ut illius ope liberemur ab absurdis ac peruersis hominibus, qui modis omnibus obstant, quo minus liceat inoffense disseminare doctrinam Christi. Nec enim omnes credunt euangelio qui audiunt euangelium, nec tamen est quod ob horum impios conatus diffidatis. Oppugnant euangelium, sed non expugnabunt, nimirum fido propugnatorum domino Iesu, qui confirmabit uos aduersus horum improbitatem, & custodiet uos à malo, perficietque quod cœpit in uobis, quoniam uerax est in promissis. Non defuturum est uobis illius auxiliū, modo ne uos illius bonitati defueritis, adiuuabit ille, sed conantes. Atque hæc dicimus, non quod dubitemus de uestra constantia, imò confidimus de uobis, opitulante domino Iesu, quod quæ præcepimus uobis, ut facitis, ita sitis in posterum faciuri. Porro dominus Iesus suo fauore dirigat corda uestra, quo recto cursu semper pergant ac proficiant in charitate dei, & expectatione Iesu Christi. Charitas dabit, ut indefinenter studeatis de omnibus benemereri, quemadmodum deus beneficus est in omnibus: expectatio aduentus Christi præstabit, ut afflictiones omnes fortiter toleretis. Quod si quis est inter uos, qui contempta ratione uiuendi, quam uobis iuxta regulam euangelicam præscripsimus, suo uiuat arbitratu, & ociosus ipse turbet publicum ocium uestrum, atque ipse nihil agens, curiosus sit alienarum actionum, præcipimus uobis auctoritate domini nostri Iesu Christi, ut ab huius consuetudine, si Christianus fuerit, uos semoueat. Neque enim pigebit alios imitari nostrum exemplum, qui licet fungeremur apostolico & honore et onere, tamen non grauati sumus apud uos in ordinem cogi, neque quicquam nobis ultra ceterorum uindicauimus, adeo ut ne panem quidem acceperimus à quoquam, sed obliti dignitatis nostræ, nocturnis diurnisque laboribus, atque operis manuarijs ipsi parauimus nobis, quæ postulabat uitæ necessitas, ne cuique essemus oneri. Non quod existimaremus, id nobis non licere, quod cæteri faciunt apostoli, sed nolimus uti iure nostro, quo nosmetipsos formam atque exemplar præberemus, quod cæteri non grauarentur imitari. Quod re præstitimus, id sermone quoque præciperamus uobis, ut si quis nollet operari, is nec ederet. Meretur alimoniam, qui noctibus atque diebus uigilant pro salute uestra. Cæterum ociosa curiositas, & inertia curiosa non meretur subsidium. Nam audiuius inter uos esse quosdam, qui suo ocio turbant ordinem uestrum, abhorrentes ab opere, & ita nihil habentes proprii negotij, ut interim curent aliena. Adhuc nominibus illorum parco, sed quicumque huiusmodi sunt, eis præcipimus, atque si malunt, obtestamur per dominum nostrum Iesum Christum, ne per ocium suum turbent publicam quietem, neue ipsi nihil agentes obstrepant alijs occupatis, sed ipsi quoque cum quiete operantes, suis ipsorum manibus sibi uictum parent potius, quam alijs molesti sint improbis flagitationibus. Digni quidem illi, quibus negetur quod petunt, sed tamen humanitatis est Christianæ, etiam parum dignis succurrere, uel ob hoc ipsum quod homines sunt, & forsitan aliquando meliores futuri. Vos igitur fratres, nolite defatigari benefaciendo, dignis pariter atque indignis. Quod si quis contemnit obedire monitis nostris, quæ & præsens uobis tradidi, & absens scribo, satis supplicij sit charitati Christianæ, ut alatur quidem, qui talis est, sed tamen notetur, submotus à familiaritate uestra, tantum in hoc, ut pudore correctus resipiscat: neque uelut inimicum prorsus alienetis, sed potius admonete ueluti fratrem errantem, quem sanatum uelit, non perditum, ita uitantes familiaritatem, ut animo tamen diligatis. Nam hoc est charitatis diuortium non nisi ad tempus susceptum, quo resipiscat qui deliquit. Cæterum ipse dominus Iesus pacis autor, largiatur uobis perpetuam pacem in omnibus uestris negotijs. Dominus semper adsit uo-

bis omnibus. Rursum salutē uobis ascribo meapte manu, nempe Pauli. Hoc symbolum obseruabitis in omnibus meis epistolis, siue ad uos, siue ad alios scriptis. Sic enim scribo, ne per subdititias epistolas quisquam uobis imponat. Fauor ac beneuolentia domini nostri Iesu Christi iugiter adsit uobis omnibus, Amen.

Paraphraseos in posteriorem Epistolam Pauli apostoli
ad Thessalonicenses, Finis

DES ERASMVVS ROTERODAMVS

OPTIMO PRAESVLI ET EIDEM CLARISSIMO

principi Traiectensi Philippo à Burgundia s. D.



VM HIS CE mensibus arua passim nuda steriliaq; faceāt, ornatissime praesul, literaria tamen seges nunquam non aliquem fructum aedit. Nec est ulla tam rigida bruma, quin ex studiorum agris prouentus aliquis redeat. Mihi porro uisum est aequum, ut hinc nonnulla portio decideret, tur episcopo, uelut huius agricolationis principi. Etenim cum rem euangelicam pro nostra uirili adiuuamus, aliqua ex parte in uices tuae sollicitudinis succedimus. Id autem eo feci libentius, quod argumentum etiam ipsum ad hoc ipsum inuitaret. Explicauimus enim paraphrasi epistolas diui Pauli, ad Timotheum duas, ad Titum unam, quibus adiecimus, ceu coronidis uice, quam scripsit ad Philemonem, ne sola relinqueretur, cum sit ultima, licet argumento dissimili, quanquam in Paulo nihil est, quod non pertineat ad episcopum. Siquidem in tribus superioribus mire depingit ac repraesentat imaginem germani uereq; Christiani praesulis, & quibus dotibus praeditum oporteat ad tam arduam prouinciam adscisci, & quibus officijs obire munus delegatum. Nam quam sit ardua res inculpatum episcopum agere, quanta rursus pernicies sit humanae uitae parum syncerus custos dominici gregis, uel illud arguit, quod non alia de re Paulus unquam instantius ac magis anxie praeceperit. Quoties enim identidem inculcat & infigit eadem? Quoties obsecrat, obtestatur, adiurat per omnia sacra, nunc blandiens, nunc pollicitans, nunc territans, nunc suo, nunc Christi exemplo prouocans. Iam cum Paulus sic metuat ipsos, quos ipse sua doctrina formarat, quos suis ipsius manibus impolitatis ordinarat, quorum fidem & integritatem tot modis perspectam & exploratam habebat, quanto plus hodie periculi est, tam difficile munus cuius temere crederet? Olim singulis ciuitatibus singuli praesidebant episcopi. Atque in his ipsis sane, quota portio erat Christi religionem profitentium? Ut ne dicam quod illis temporibus feruebat adhuc in pectoribus hominum Christi sanguis, utpote recens effusus: ardebat adhuc ignis ille coelestis, qui dabatur à baptismo. Quorum utrumq; nunc, nescio quomodo refrixisse uidetur in moribus nostris. Has ob res episcopus, non solum paucioribus praesidebat, uerumetiam ultro parentibus. Proinde mihi non paulo difficilius uidetur hodie praesulem fidum & incorruptum agere, non tantum ob hoc, quod unus tot oppidis praesideat, uerum multo magis quod pleriq; praeter dispensationem euangelicae doctrinae, quae praecipua ac peculiaris est episcopi functio, profanae quoq; ditionis administratione sint onerati. At dictum mirum, quam agre inter se cohaereant mundus & Christus, quam difficile conueniat coelestibus curis ac terrenis. Cumq; multo difficillimum sit alterutrum praestare, uel bonum episcopum, uel salutarem principem, quantum negotij fuerit utroq; districtum, sic moderari negotium, ut nec religioni desis, nec ditioni: sic satisfacere principi mortali, ut principem immortalem non offendas: sic placere aulae, ut non displiceas coelo. Olim quisquis suscipiebat episcopatum, huic statim ad omnes persecutionum procellas praeparandus erat animus. Sed haud scio, an horum temporum tranquillitas, si tamen haec tranquillitas est, plus habeat periculi, quam illorum tempestates. Quanquam autem promutato rerum statu fieri non potest, ut per omnia sit eadem gerendi episcopatus ratio, neque proprius damnandum, quod ab illius aetatis exemplo dissidet, nec sinunt rerum humanarum aestus, id semper impetrare praesulem, quod optimum iudicari, quemadmodum penitus etiam ac uigilans gubernator, nonnullum quam frustra clauo affidens undarum ac uentorum arbitrio

arbitrio rapitur, tamen minus aberrabit ab illa sincera perfectaq; boni præfuls imagine, quisquis hanc Pauli formam, ceu scopum quendam semper habebit præ oculis. Vt egregius naclerus, licet non nihil à recto cursu cogatur deflectere, tamen à Cynosura non dimouet oculos, ne toto (quod aiunt) cœlo contingat errare. Si Paulum assequi nō licet, est tamen aliquid, illum utcunq; sequi. Ad optima nitenti, non deerit Christi præsidium, cuius uices gerit tua celsitudo, & sine cuius ope frustra est omnis conatus mortalium. Bene uale. Anno M D XIX.

IN EPISTOLAM AD TIMOTHEVM PRIOREM
Argumentum, per Des. Erasmus Roterodamum.



TIMOTHEVM matre Iudæa, sed Christiana, patre Græco, Paulus in ministeriū adoptarat, probæ indolis iuuenē, & sacris literis eruditum: quem tamē ob Iudeos coactus est circumcidere. Quoniā autem huic ecclesiarum curā delegarat, sicut & Tito, quas ipse nō poterat adire, instituit eum in functione episcopali, & in disciplina ecclesiæ: non sic admonens, ut discipulum, sed ut filiū & collegā. Id quo cum maiore faciat auctoritate, subinde apostolicam auctoritatē sibi uindicat. Admonet autem, ut reiectis, qui Iudaicas fabulas inueherent, ea doceret, quæ essent fidei & charitatis. Deinde principū licet ethnicorū auctoritatem, quoniā hinc pendebat ordo ciuitatis, & tranquillitas Reip. adeo non spernendā Christianis, ut pro his orari iubeat. Quid uiros deceat in cœtu ecclesiastico, quid mulieres, præscribit. Episcopū depingit cum sua familia. Atq; hæc fermè tribus primis capitibus. Deinde admonet ne recipiat Iudaicas fabulas, de ciborū delectu, de uiuendo cōiugio. Mox docet qualem se præstare debeat erga grandes natu uitos, erga iuuenes, erga anus, erga puellas, erga uiduas diuites ac pauperes, & ecclesiæ stipe alendas, erga adolefcētiōres & suspectæ etiānum ætatis. Ad hæc præscribit, qd præcipere debeat dominis, quid seruis, quid diuitibus. Admonēs modis omnib. reijciēdas cōtētiōsas quæstiones sophistarū, inani doctrinæ specie sese uēditatiū. Scribit è Laodicea per Tychicū diaconū.

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

PAULI AD TIMOTHEVM PRIOREM, PER
DES. ERASMV M ROTERODAMVM.



PAVLVS Apostolus, ac legatus, ne quis suspicetur me meū aut humanum agere negociū, & legatus non Mosis, aut cuiusquā alterius hominis, sed legatus Iesu Christi, qui & ipse pridē patris uice legatione fungēs bona fide peregit illius negociū, à quo fuerat delegatus. Porro legationem hanc nec ipse mihi uindicaui, nec ab homine suscepi, sed ad eam nō solum uocatus sum nutu æterni numinis, uerum etiam iussu & auctoritate adactus, adeo ut mihi liberū non fuerit deprecari munus, licet arduū, quod iniungebat autoritas dei, quem habemus unicū omnis nostræ salutis autorem. Quicquid enim nobis iniunxit filius autore patre, id ab ipso patre iniunctum interpretor, per quem & illi debemus salutē, siue dum huius morte sumus ab æterno exitio redēpti, siue dum huius præsidio ab urgentibus afflictionū procellis eripimur. A quibus etiā si non cōtingat interim eripi, tamē nihil est quod de incolumitate nostra dubitemus, uidelicet Iesu Christi præsidio freti, quē pater & exemplum & autorē esse uoluit certissimæ spei nostræ. Siquidē ut ipse cæsus & cruci affixus, mortē corporalem perpessus est, sed mox ad immortalitatē reuixit: ita nos præsentib. malis oppressos, aliquando rediuuos ad eandem immortalitatē restituet. Hoc igitur autore & huius præsidio fortis, & inuictus apostolus Paulus scribit Timotheo, uero germanoq; filio, quem mihi non adoptauit quidem ex alieno grege, sed ipse ex hisce uisceribus genui per Euangelium, cum adhuc esset à Christo alienus: & ipse parentem hunc constantia synoeritateq; fidei, ac pura doctrina euangelica sic refert et exprimit, ut res ipsa declaret illum non esse supposititiū, sed germanū uerumq; & indubitatum partum, & hoc nomine mihi longe chariorem, quàm si iuxta uulgarē morem ex huius corpusculi substantia progeni-

Secundum imperium dei

Dilecto filio
yngrie

tus esset. Illa gignit paulo mox morituros, hic nascimur immortalitati. Si parentes *imper-*
In fide sius diligunt ac peculiariter, ueluti quod uere suos agnoscunt liberos, qui expressius referunt ip-
 forum imaginem: quanto iustius hic mihi complectendus, quem per fidem euangelicam genui
 Christo, & in quo meae fidei sinceritatem, ueluti renatam intueor. Iacent quod uolent Iudaei,
 quod adscito profelyto quopiam, Mosis suo, ceu partum adoptiuum adiuxerint, Ego glorior
 quod hunc talem euangelicae fidei, quod Christo genuerim. Expedi enim posthac synago-
 gam sterile scire. Tempus est, ut se per uniuersum orbem propaget euangelicae fidei fecundi-
 tas. Ut autem mihi multis modis suppetit, quod glorier de tali filio, cui tuto possim euangelij
 delegare uices: ita nihil est opinor, quod illi huius uel apostoli, uel patris poeniteat. Meae
 functionis partem in illum transtuli, sed huius meae potestatis autorem habeo deum, ut
 non sit quod diffidat, de per me mandata cura ecclesiarum, nisi forte diffidit de auctoritate
 dei. Quid autem precer tam unice charo filio, pater amantissimus? Quid aliud, quam eas
 res, quibus hic interim summus ille nostrae uitae moderator diuites ac beatos esse uoluit,
 & in quibus operatur nos indies magis ac magis gradescere, donec ad eum modum adoleueri-
 mus, ut Christus legitimos fratres dignetur agnoscere. Precor igitur gratiam, ut intelligat,
 absque praesidio Moesaicae legis gratuito Christi beneficio cunctis uere credentibus para-
 tam esse salutem, neque gratiam modo, uerum etiam misericordiam, quae illi in tam multis rerum
 discriminibus uersanti, semper praesens opituletur, Neque enim me clam est, quantis tem-
 peratibus obnoxia sit uita doctorum. Postremo, quod est nostrae professioni peculiare, pacem
 opto et concordiam, utque haec bona speret non a mundo, cuius uana sunt praesidia, non a Mo-
 se, cuius umbris fidere pernicies est, posteaque emicuit euangelij ueritas, non ab alio quoquam
 mortalium, sed a deo patre, qui non destituit sibi fidentes, & ab huius filio Iesu Christo do-
 mino nostro, qui ut habet cum patre communia omnia, ita non frustratur eos ope sua, qui sese
 totos semel ipsius fidei concrediderunt, tanquam serui fideles, ab optimo simul & potentissi-
 mo hero, modis omnibus pendentes. Scis fili germane, quanto tumultu, quantoque capitis
 discrimine gregem aliquem lucrifecerimus Christo, nec ignoras nusquam non uigilare
 pseudapostolos, qui recentem adhuc foeturam, quam nos euangelio collegimus, conentur
 ad Moysen traducere, non ob aliud, nisi ut sibi collectis discipulis, & rem faciant, & apud uul-
 gus sint in pretio: ac mihi quidem ita studio est quod latissime proferre euangelicae ditionis por-
 moeria, ut interim nihilo secius tueamur, quod partum est. Porro quando corpore non pos-
 sumus omnibus locis adesse, quod superest, partim epistolarum officio, partim collegarum
 ministerio peragamus oportet. Hoc uidelicet consilio, quum me negotium euangelicum
 reuocaret in Macedoniam, ne prorsus deessem Ephesijs, te istuc, uelut alterum me reliqui,
 ut difficili quidem, sed egregiae provinciae uicarius insignis praesideres. Vides hominum
 genus mire propensum, & ad superstitionem, & ad artes curiosas, sed hoc illustrior euan-
 gelij gloria. At rursus aduersarij quum multi, tum acres, quo magis aduersus hos omni-
 quod aiunt, pede standum est. Proinde quod istinc discedens te rogavi ut faceres, idem ab-
 sens etiam atque etiam obtestor, nimirum, ut istis quibusdam insynceris apostolis, quorum
 nomina nunc prudens supprimo, ne iritati reddantur impudentiores, denuncies, ne puri-
 tatem euangelicae doctrinae, quam Ephesijs tradidimus, sua noua doctrina uitient, ac sub-
 uerant. Rursum fidelium gregem praemoneas, ne periculosa leuitate talibus pseudapo-
 stolis animos atque aures praebant, non ea docentibus, quae conducunt ad salutem aeter-
 nam, quaeque Christi digna sunt euangelio, sed frigidas quasdam ac Iudaicas fabulas inge-
 rentibus, de superstitiosis hominum constitutionibus, quae nihil habent momenti ad ueram
 pietatem, de perplexa serie genealogiae usque ab auis ac proauis, trita uisque repetita, quasi ue-
 ro donum euangelicae salutis per uarias corporum traduces ad nos deriuetur, ac non potius
 coelesti benignitate semel effusum sit in uniuersos, quicumque fidem euangelicam amplectun-
 tur. Atque haec praedicant non ad Christi gloriam, sed partim, ut ipsi apud uos nobilitatis
 commendatione sint in pretio: partim, ut quoniam simplex est euangelica doctrina, uel ob
 hoc ipsum doctiores habeantur, quod perplexas quasdam, & nunquam extricandas difficul-
 tates atque inexplicabiles labyrinthos ingerant, quasi non simplicissima quaeque sint optima.
 Euangelica fides compendio salutem adfert. Ista doctrina hominum, quaestionem ex quaestio-
 nem dei, quae ne gignit, & adeo non confert ad coelestem pietatem, quam deus per fidem nobis largitur, ut
 est in fide euangelicae religionis caput euerat. Quisquis pure credit, non moratur quaestiones. Qui
 quaestionum

quæstionum nodos, alios super alios necit ac reneat, quid aliud docet quàm dubitare? Ex diametro pugnat cum fide, quæstionum curiositas. Si deum credunt, cur causificatur de illius promissis? Si compendio fides & charitas euangelica præstat salutem, quorsum admiscantur humana præscripta de præputij pellicula refecanda, de lotionem manuum, de delectu ciborum, de obseruatione dierum: Iactant uobis legem à deo traditam, & huius molesti magis, quàm eruditi doctores, legis summam ac scopum non intelligunt. Quorsum autem attinet, per tot molestas obseruatiunculas ad salutem contendere, cum liceat præteritis istis, recta ad scopum ipsum aduolare? Sateruditus est in lege Mosaica, quisquis summam legis est assequutus. Porro quod uniuersam legis Mosaicæ uim compendio complectitur ac præstat, est charitas, si modo ea proficiatur ex corde puro, et animo sibi bene conscio, ac fide nescia fuci. Syncera charitas longe rectius dicitur quid sit agendum, quàm ullæ, quamuis multæ, constitutiones. Ea si adsit, quid opus est legis præscriptis: si non adsit, quid confert legis obseruatio? Humana charitas, quoniam sæpe uisitata est affectibus, cum uita parum syncera frequenter cohæret, nec aliquoties plenæ fiduciæ est. At euangelica charitas, nec fallit usquam, nec hæsitat, nec ab officio pietatis cessare nouit. Nec enim aliò spectat, quàm ad Christi gloriã, & ad proximi salutem: nec ab alio pendet quàm à Christo. Ab hoc scopo quoniam aberrant quidam, ideo pro solida doctrina Christi, spargunt fumos inanes, ac nebulas Iudaicarum quæstionum, quo uideantur esse præclari legis doctores, seseq; inani loquacitate uenditant, cum interim caput eorû, quæ loquuntur, & de quibus asseuerant mira pertinacia, non intelligant. Siquidem uniuersa Mosi lex, uaria alioqui & diffusa, in unum Christum colligitur. Huic cum lex ipsa deferat, impudenter legis doctorem proficitur, qui contra mentem illius eam interpretatur. Nequaquam uero hæc dicimus, quod Mosaicã legem damnemus. Et scimus & fatemur legem esse bonam, nisi quis ea parum legitime utatur. Abutitur autem lege, qui eam aduersus ipsius sententiã interpretatur. Summa destinatio legis hæc erat, ut nos deduceret ad Christum. Bonam igitur legem sibi uertit in perniciẽ, qui per eam auocat à Christo. Qui perspicit ac discernit, qua parte lex ad tempus data debeat Euangelio cedere, qua perpetuum tueri uigorem, qui intelligit quomodo oporteat crassam eius literam ad spiritualem Euangelij doctrinam accommodare: qui intelligit ihs, quos Christi sanguis redemit à peccati tyrannide, quiq; charitatis impulsu, ultro plus præstant, quàm lex Mosaica præscribat, non esse opus uel metu, uel admonitu legis, ut uel arceantur à flagitijs, uel incitentur ad officium, huic nimirum lex bona est. Siquidem intelligit legem ad se non pertinere, qui per euangelium didicit, non solum neminem lædere, uerum etiam benemereri de hostibus. Quorsum opus frenis aut calcaribus equo, commode spõteq; currẽt? Quos Christi spiritus agit rapitq;, ultro præcurrunt, ac uincunt omnia legis præscripta, ac semel gratis assequuti iustitiã, abhorrẽt ab omni iniustitia. Proinde lex, quæ metu suppliciorû detetret à flagitijs, non his utiq; condita est, qui uolentes ac lubentes præstant, quod lex exigit, etiam si legis uerba non teneant. Quibus igitur instituta lex? Nimirum ihs, qui ad naturæ legem, obsurduerunt, qui charitate uacant, ad omne facinus propensi, cupiditatibus suis feruntur, ni legis repagulo coerceantur. Quæ si dederit impunitatẽ peccandi, mox ad ingenium redeunt, palamq; fiunt, quod intus erant, uidelicet iniusti, rebelles, impij, ac peccatores, irreuerentes, impuriq;, patricidæ, ac matricidæ, homicidæ, scortatores, pædicores, plagiarj, mēdaces, periuri. Ad hæc propensis Iudæis, merito minæ legis opponebantur, quæ ab his quæ commemorauī facinoribus, seruii præditos ingenio, metu mali coerceret, aut si quod est aliud flagitij genus, quod inclytæ legi euangelicæ aduersatur, quam nobis non Moses, sed beatus ille deus per unicum filium suum Iesum tradidit. Iactant Iudæi legem suam, ut gloriosam, nos habemus gloriosiorẽ. Effertur illi autore Mose, nos iustius deo Christoq; autore gloriamur. Prædicant illi legem Mosaicã, quæ supplicijs immania quædam facinora cohibet. Ego prædico legem euangelicam, quæ semel excludit omnes cupiditates cum uera pietate pugnant. Quis istis sit autor prædicandæ Mosaicæ legis, ipsi uiderint. Mihi certe concreditum est hoc uere magnificum & efficax euangelium, quod legis præsidio non indiget, & concreditum est non ab hominibus, sed ab ipso deo, nõ quod ego ullo pacto dignus mihi uidear, cui res tãta committeretur. Non erat hoc meriti mei, sed bonitatis diuinæ, cui gratiã habeo, quod mihi homuncioni imbecillo, & huic muneri

Finis aut præcepti est char.

A quibus qui dam aberrant

Lex iusto non est posita

Quæ est secundu euangelium

longe impari, robur addidit in gloriam Christi Iesu domini nostri: cuius negotium, ut fidelis seruus bona fide gero, nec aliud laudis hinc mihi uindico, nisi quod quemadmodum ille me fidum administratorem euangelicæ dispensationis existimauit, ita ego syncere contraque dolum uersor in munere delegato, nequaquam istos quosdam imitans, qui in Christi contumeliam Mosaicam legem prædicant, suo compedio suarumque gloriæ seruientes, non Iesu Christi. Fateor olim eadem me habebat cæcitas, dum adhuc patriæ legis studio tene-

Qui prius rer. Eram maledicus in Christi nomen, eram persecutor adeo sauius, ut nec à uolentia blasphemus temperarem: non enim usque ad conuicta solum, uerumetiam usque ad carceres, usque ad capitis supplicia persequabar orientem euangelij gloriā. Hactenus me nihil istis antepono: fortassis hoc nomine sum illis anteponendus, quod hæc simplici legis studio, per errorem & ignorantiam commisi, nondum uocatus ad euangelij consortium. Isti semel professi Christum, tamen huius gloriæ inuidi, & suarum nimium auidi, obstinata malicia, inutile Mosaicæ legis onus ingerunt. Et ob id mei simpliciter errantis misertus est deus, cum isti magis indies ac magis excæcentur. Ego quo tum ardentius pugnabam pro lege aduersus Christum, hoc nunc animosius defendo Christi doctrinam aduersus legis assertores. Pro uehementi illo studio legis abolendæ, successit & exuberauit gratia: pro fiducia legis, successit fiducia erga Christum: pro Iudaico odio, successit charitas erga mortales omnes, quæ & exemplo

Fidelis sermo & dono Christi sumus adepti. Non est quod reclamant Iudæi, si dixi me sine legis auxilio, ex impio & sceleroso factum hunc, qui nunc sum beneficio dei. Imò quod istis uideatur incredibile, certissimis argumentis est indubitatum: & quod isti reijciunt, id est omnino studio & obuijs, ut aiunt, uolens amplectendum: quod Iesus Christus uidens legem inefficacem esse ad perfectam salutem, ipse factus homo uenerit in mundum, ut sua morte nobis conferret incolumitatem, & nostræ iniustitiæ poenas dependens, suam nobis largiretur iustitiam. Porro quamuis patriæ legis tenacissimus fuerim, tamē adeo me non extorcede numero peccatorum, ut inter hos uel primum esse me profitear. Non inficiabor impuritatem meam, quæ redundat in gloriam Christi. Quo minus ego promereor misericordiam, hoc illustrior est illius clemētia. Ego supplicio dignus eram. Et unde tandem uenit, ut

Sed ideo misericordiā cō- non solum condonatis sceleribus meis, Christus summam lenitatem in me declararet, uerumetiam tot gratuitis dotibus locupletaret. Quid aliud: quam ut hoc insigni exemplo,

sequitur ad similem spem ueniæ prouocaret omnes, quolibet prioris uitæ maculis inquinatos, modo diffisi legis Mosaicæ præsidio, fiduciam omnem constituant in bonitate Christi, quæ nunquam destituit nos usque ad uitam æternam. Ingentia promissa, sed autor certissimus. Diffidere desinet, quisquis Christum autorem cogitarit. Quod si hunc ut hominē & crucifixum aliquis posset contemnere, cogitet summum illum seculorum regem Deum patrem immortalem, inuisibilem, solum sapientem, præcipuū huius negocij esse autorem, qui per filiū nobis largitur omnia. Proinde nihil uideri debet incredibile, quod ille tantus pollicetur. Nihil est quod homines sibi uindicent ex hac munificentia singulari, cum illi soli debeatur omnis honos & gloria, non in certos annos, qualis fuit gloria legis Mosaicæ, sed in æuum omne. Decet enim immortalē immortalis honos. Quod dixi uerum est, et ita res

Hoc preceptum habet. Itaque quemadmodum ego bona fide gero negotiū à deo delegatum, ita præceptū hoc unice tibi cōmendo fili Timothee, ut parentis exemplum imiteris, ut officio suscepto per omnia respondeas. Diuinū est negociū quod geris, nec humanis suffragijs ad istud ascensus es, sed oraculo iussuque dei. Sub illius signis meres, ab eodem uirtutis premia relaturus. Vides quæ copiarum tuæ fidei commissæ sint, uides cum quibus aduersarijs res sit, non est cessandi, non est dormitandi locus. Turpissimū autē ac nefariū sit desciscere ab eo, in cuius uerba iuraris, cuique semel nomen dederis. Ille te iudicauit strenuū ac fidum ducem futurum: hoc enim nobis significauit afflatu suo Christi spiritus, cū tibi manibus impositis, presbyterij cōmissimus autoritatē. Fac igitur, ut & dei de te præiudicio, & nostræ de te fiduciæ cōstanter respondeas, quo & ille ducē fortem collaudet, & ego filium germanū agnoscam. Egregia militiā est in qua uersaris, eam fac gnauiter obeas: id fiet, si fidem obtineas sincerā & inconcussam, fideique adiungas bonam conscientiam, ut neque dubites de promissis diuinis, & sinceræ opinioni, uitæ integritas respondeat, Cuius tanta debet esse puritas, ut non solum proberur hominibus cæteris, uerumetiam apud deum animus sibi bene sit conscius. Fidei robur labefactant humanæ quæstiones, conscientiam uitiant humanæ cupiditates.

Et bonam conscientiam

dum

dum qui Christi negocium agere uidentur, aliò spectant quàm ad Christum. Porro, duo hæc ita sibi coherent, ut altero labefactato, alterum quoque periclitetur. Etenim cuius est insincera conscientia, eius non potest esse sincera fides. Qui enim syncerum dici potest, quod mortuū est: Aut qui durable est, quod uita spiritus uacat: Fit enim ut sibi per omnia male conscij, tandē & credere desinant, quæ de præmijs innocenter aut secus actæ uite tradit euangelica doctrina. Huius rei exemplum heu nimis uerū nuper conspeximus in Alexandro & Hymenæo, qui dum in euangelica prædicatione non tenent clauū rectæ conscientia, in perfidia scopulos impegunt, semelq; excusi à salutifera professione, sic abrepti sunt malarum cupiditatum fluctibus, ut manifestis etiā conuictijs in euangelicā doctrinam debaccharentur, adeo ut iam ciuilibus monitis sanari nō possent. Quos ideo, ceu putria mēbra mea sententia resecui à reliquo Christi corpore, ut saltem pudore probroq; correcti discant ab impijs conuictijs temperare, minusq; sint noxij cæteris, si sibi boni esse nō possunt. Austeritate coercendi sunt, quorum eò progressa est impietas, ut lenibus remedijs iam nihil agatur. Proinde, non solum dei de tua sinceritate iudiciū, non solum meum exemplum, nō solum tua professio, datumq; nomen Christo, uerum etiā horum abominandū exemplum debet animum tuum ad officij constantiam inflammare.

*Circa fidem
naufragas
uerunt*

CAPVT II

NE QVE uero satis est, ut ipse uaces crimine, episcopi partes sunt, & alijs quid facio sit opus præscribere. Ea debent esse eiusmodi, ut animo euangelico digna uideantur. Porro, qui Christum profitetur, eos oportet lōgissime abesse à cupiditate uindictæ, à libidine nocēdi, ab omni maleuolētiæ specie. Proinde fac horteris tuos, ut ipso statim diluculo pietatis officij Christi q; cultum hinc auspicentur. Primum deprecetur deum, ut auertat omnia, quæ turbāt, & inquietant statū religionis, ac reipub. Deinde postulent ab eo, quæ faciunt ad negotium pietatis, & tranquillitatē reipub. Sub hæc aduersus eos, qui persequuntur gregē Christi, nihil aliud, q̃ præsidij ipsius implorēt. Postremo pro his, quæ dei beneficio cōtigerunt, agatur illigratiæ: ac uotis implorentur, quæ nondū contigerunt. Atq; hæc quidē fiant, nō solum pro Christianis, uerum etiā pro uniuersis hominibus, ne uideatur angusta Christiana charitas quasi suæ duntaxat fauens factioni, sed exemplo dei porrigat se latissime, ad bonos pariter ac malos, quemadmodum ille perfecte bonus, & omnibus quantum in ipso est benefaciens, solem suum iustis pariter atque iniustis impartit. Per Ethnicos quoque magistratus deus largitur nobis publicam tranquillitatem: par est igitur & pro his gratias agere, ac nobis incertum est an ille simulachrorum impius cultor, breui sit amplexurus Euangelium. Omnium itaque salutem optat Christiana charitas. Iudæus amat Iudæum, Proselytus Proselytum, Græcus Græcum, Germanus Germanum, cognatus cognatum. Non est hæc euangelica charitas, uerum ea est euangelica charitas, quæ pios diligit ob Christum, & impios diligit, ut aliquando resipiscant, & conuertantur ad Christum. Sacrificant illi dæmonibus, ac uobis male precantur. Vos contra, Christi uestigijs inhæretis, qui quum sublati in crucem audiret uirulenta probra, uel ipso crucis supplicio grauiora, non regessit conuictia, non imprecatus est diras, sed ingenti clamore patrem interpellauit, ut illis ignosceret. Nec solum bene precandum est uniuerso hominum generi, uerum etiā pro regibus, licet ethnicis, & à Christi professione alienis, proque cunctis, qui iuxta publicum ordinem mundi, funguntur aliquo magistratu. Nec hoc uos moueat quod ab his affligimur, cædimur, in carcerem conijcimur, occidimur. Miserendum potius illorum cæcitatis, non retalianda malitia. Alioqui, nec illi fient meliores, & nos desinemus esse Christiani. Hæc ratio uelut imprimis efficax, placuit Christo, qua uoluit omnes ad se pellici. Quod si sunt in quos perit nostra charitas, non ideo desinemus esse nostri similes. Habet & hic mundus ordinem suum, quem non expedit à nobis perturbari, quorum est ubique paci consulere. Potestas & autoritas illorum aliquousque seruit diuinæ iustitiæ, dum coercent supplicijs facinorosos, dum metu pœnæ malos utcunque continent in officio, dum latrociniā compescunt, dum armis suis tuentur publicam pacem, dum legibus rempublicam moderantur. Hæc tamen non faciunt amore Christi, tamen non expedit in commune per nos turbari Reipublicæ statum, ne seditiosa uideatur euangelica doctrina, iamque incipiamus esse inuisi, non quod Christum profiteamur

*Primum omnium
fieri obsecrationes*

Hoc enim bonum est & acceptum

mur, sed quod publicam tranquillitatem labefacemus. Quod si quando abutatur in nos sua potestate, Christianum est obliuisci malorum, & meminisse beneficij. Hoc illorum potestati, hoc praesidijs & armis debemus, imò hoc deo per illos debemus, quod à seditionibus, quod à latrocinijs, quod à bellis tutis liceat tranquillam ac placidam uitam agere. Meminisse decet, quantum malorum mare secum inuehat belli tumultus, quantum commoditatum habeat pax. Multa mala suadet egestas rerum necessariarum. Pax adfert ubertatem. In pace locus est pietati, bellum impietatem omnē docet. Amat nostra professio castitatem, in bello cuius est tuta pudicitia. Quod si plerique pacis beneficio ad impias cupiditates abutuntur, nos tamen publica tranquillitate ad dei cultum, ac morum integritatem abuti debemus, interim principibus obsequentes in omnibus, quae uel recte praecipunt pro suo officio, uel afflictos nos tantum reddunt, non etiam impios. Adimunt pecuniam, at nihil decessit pietati. Onerant cōpedibus, at nō distrahūt nos à Christo. Occidūt corpus, transmittunt ad portum immortalitatis. Tum uero noceant, si nos efficiant auros, si mortis pauidos, si uitae audidos, si ambitiosos, si uindictae cupidos, si Christo diffidentes. Principibus igitur nec turpiter est adulandum, nec seditiose repugnandum. Quod si quando pietas euangelica postulabit, ut illorum iussa spernantur, ea moderatione faciendum est, ut intelligant id à nobis fieri, nō ipsorum odio, sed studio pietatis. Neque uero hac eo animo moneo, ne cum simus mundi praesidijs impares, potentiam illorum in nos malo nostro prouocemus, sed ut hac lenitate Christum principem nostrū referamus, qui cum unus plus posset uniuersis huius mundi satrapis ac monarchis, tamen tolerandis malis, quàm repellendis, aut regerendis orbem asserere maluit. Maluit beneficentia uincere, quàm uindicta, maluit mederi, quàm perdere, maluit allicere, quàm opprimere. Hac ratione uicit ille, sic uisum est patri, ut triumphum reportaret filius. Hunc imitemur oportet, si nostras preces, si nostras uictimas illi gratas & acceptas esse uolumus. Nobis ille seruator esse maluit, quàm ultor, magna lenitate tulit impietatem nostram, donec resipisceremus.

Qui omnes homines uult saluos fieri Quod in nobis factum est, idem cupit, ut est immensae bonitatis, in omnibus si fieri possit, accidere. Seruator est omnium, neminem à salute excludit, lucem euangelicam affert omnibus. Qui repellit, qui se subducit, sibi ipsi caecitatem imputet: qui perit, suo uitio perit. Quid enim faciat medicus, si aegrotus reijciat salutiferum pharmacum? Certe per illum non stat, quo minus omnes homines salutem adipiscantur, ac depulsa ueteris uitae caligine, ad euangelicae ueritatis lucem accedant. Christus est ueritas, hunc qui agnoscit, incolumis erit, à quocunque uitae genere huc accesserit. Eadem salus ab uno, per unum offertur omnibus. Nihil est hic quod sibi Iudaeus ceu proprium uindictet. Vnus est deus, nō peculiaris huic aut huic genti, sed omnium ex aequo cōmunis. Vnus est, qui genus humanū deo reconciliat, deus & homo Christus Iesus. Decuit enim, ut qui inter deum & homines arbiter concordiae intercederet, cum utrisque haberet aliquid cōmune, & deus apud deum in

Mediator dei & hominum tercederet, & homines homo reduceret in gratiam. Cur hunc aliquis sibi proprie asserit? Si pater omnium communis misit hunc seruandis omnibus, si is semet impendit redimendis omnibus, par est & nos modis omnib. adniti, ut illius mors ex aequo prosit omnibus. Quod si pro ethnicis quoque mortuus est, cur nos pigeat pro illorum salute litare deo precibus? Quod si quando fuit ambiguū, an Christus etiam gentibus uniuersis redimendis uenisset, certe nunc palam est, & ipsa re comprobatur, Christi mortem nō minus ad gentes pertinere, quàm ad Iudaeos. Datum est olim aliquid pertinaciae Iudeorum, ne causari possent se fuisse spretos aut reiectos, at mox deus uoluit omnibus esse testatissimū, nullū prorsus esse gentis, aut superstitionis, aut conditionis discrimen confugientibus ad euangelicā doctrinam. Huius rei deus me potissimū praconem esse uoluit, In hoc uoluit legatione fungitur sum ego, cum ceteri apostoli prius contanter atque aegre gentes admisserint ad euangelij gratiam. Neque defunt & hodie, qui negent aditum ad Christi beneficiū, nisi per legem Mosaicā. At mihi Christus & praedicatoris & apostoli mandauit officiū, ut omnibus absque legis praesidio praedicem salutem aeternā, quam ipsi soli debeamus acceptā ferre. Non mihi falso summo hanc autoritatē, Christus ipse mandauit. Neque uanū est quod praedico, imò uera sunt quae loquor, ut doctor gentium hac praedico. Nō arrogo mihi fumos magnifici tituli, quod solent pseudapostoli, re ipsa me comprobauit gentium apostolum, non Mosaicarum constitutiones illis ingerens, ut isti, sed fidem euangelicam, non nebulas inanium quaestionum illis offundens

offundens, sed puram ac simplicem ueritatem, ea docens, quæ proprie faciunt ad ueram pietatem potius, quàm ad quæstum, aut inanem ostentationē. Vt igitur ad id quod instituitur, nostra sese recipiat oratio, uiros precari uolo, non solū in ecclesia, uerum etiam ubi, cumq; res postulat. Iudæi non appellant deum, nisi Hierosolymis. Samaritani precantur in montibus, aut lucis: Christianis omnis locus purus ac sanctus est ad immolandas precum uictimas. Nusquam existiment non esse templum deo sacrum, ac ceu uictimā oblaturi, puras manus ubiuis attollant in cœlum. Non est quod desiderent propitiatoriū aut sanctum sanctorum. Vnde cumq; precantes deus exaudiet. Nec est quod morentur hostias Iudæi, aut ceremonias aut sacrificium. In his sacris sibi quisq; sacrificus esse potest. Non expectat deus pecudem, aut suffitum aromatum, gratissimum illi sacrificium est, purum uotum, è puro pectore profectum. Quantum cumq; se lauerint Iudæi, tamē impuræ sunt illorum hostiæ. Deo puræ sunt manus, uel illorū, si pacatus sit animus, si nullius iniuriæ memorem, si nulli male uolens, si nullis libidinis, auariciæ, aut ambitionis sordibus inquinatus. Hæc est puritas & mundicies, quæ diuinis oculis commendat Christiani uictimam. Hæc sibi litari cupit. Iam ad exemplū uirorum precentur & mulieres. Si quid est in animo mulieribus, ad hanc uictimam, animi non corporis cultum adhibeant, non nuditate corporis uiuorum oculis ad libidinem sollicitantes, sed amictu tectæ, & eo amictu, qui modestiā, qui pudicitiam præ se ferat. Absit autem ut Christianæ mulieres, eo cultu prodeant in cœtum sacrum, quo uulgus profanarum mulierum solet ad nuptias, aut theatrum exire, quæ se multo studio prius ornāt ad speculum, arte contortis crinibus, aut auro intertexto, aut pendulis ab auribus collo ue margaritis, aut alioqui holoserica purpurea, uel ueste, quo simul & formam spectatoriū lenocinio cōmendent, & suas ostentantes opes, tenuioribus suam inopiam exprobrent. Quin is sit potius Christianarum habitus, sed quod deus qui uitæ respondeat, qui dignus uideri possit ijs mulieribus, quæ ueram pietatem ac Dei cultum profiteantur, non ostentatione diuitiarum, sed benefacijs, quibus opibus unice delectatur deus. Cuius oculis scdum est, quod mundo uidetur splendidum ac magnificum. Et quoniam is sexus alioqui uitio loquacitatis obnoxius, nulla re magis ornatur, quàm silentio, decet ut quod habitu profitentur, re quoq; præstent, & in cœtu uirorum discant, non doceant, sequantur non præeant, neq; quicquam autoritatis ostendent apud maritos, quibus debent modis omnibus esse subditæ: ne si semel relaxatis pudoris habenis cœperint in publico cœtu perstrepere, congressus ille uester, quē moderatissimū esse decet, tumultu confundatur. Virorum est in cœtu loqui, præsertim si quid habent, quod docere possint conducibile ad pietatem. Porro quantum suæ quisq; uxori domi permittat, ipse uiderit. Ego in cœtu promiscuo non permitto mulieri cuiquā, ut docendi partes sibi uindict, etiam si habeat quod doceat, ne semel aperta fenestra, sexus imbecillis audaciā sibi sumat: neq; concedo, ut quicquam autoritatis usurpent in maritos, quos sic amare debēt, ut nihilo secius reuerentur. Sileant igitur, et quod à uiris dicitur, reuerēter auscultent. Agnoscant ordinem naturæ. Vt animi est imperare, corporis parere, ita uxor debet à mariti nutu pendere. Cur inuertimus ordinem Dei? Prior conditus est Adam, mox huius gratia condita est Eua. Cur quod deus prius esse uoluit, impudentia faciat posterius? Deinde quod ad lapsum attinet, Eua prior est seducta, serpenti credens, & illecebra pomi lenocinio, neglexit præceptum Dei. Vir neque serpentis promissis, neq; pomi illecebra decipi potuisset, sola charitas uxoris pertraxit ad perniciosum obsequium. Qui conuenit autem, ut quæ semel marito fuerit magistra præuaricandi, nunc sibi in pietatis doctrina priores uindicet? Agnoscat potius ueterem illam imbecillitatem sexus, cuius non sunt penitus abolitæ reliquæ, etiam si culpa per baptismum est condonata. Agnoscat et dignitatem & robur masculi pectoris, ac sat habeat, quod quæ olim fuit dux ad impietatem, nunc comes sit ad pietatem: & quæ olim præcessit ad exitium, nunc sequatur ad salutem. Neque enim sic derijcimus muliebrem sexum, ut illum à consortio salutis excludamus. Est & mulieri autem sua functio, in qua si sincere uersabitur, consors erit salutis. In concione non est quod agat. At domi est quod agat, quoq; salutis præmium emereatur. Quod olim in seducto marito commissum est, id liberis gignendis, recteq; educandis faciat. Id fiet, si totis uiribus adnitatur, ut quos semel marito genuit, rursum per fidem gignat Christo. Si sic formet

Similiter
mulieres

Sed quod deus
cet mulieres

Docere autem
non permittit
mulieri

Saluabitur
autem

formet primam ætatem, ut charitate, ut sanctimonia, ut pudicitia, cæterisque uirtutibus Christo digni uideri possint. Magnam rem præstiterit mulier, si probam ac uigilantem matrem familias præstiterit. Quod dixi, pro indubitato debet haberi.

CAPVT III

*Si quis episcopus
patum desir-
derat*



*Oportet enim
episcopum ir-
reprehensibi-
lem esse*

*Vnius uxoris
uirum*

*Qui domus
bene præsit*

Tque hæc ferme sunt, quæ præscribes citra discrimen omnibus. Porro maiora spectanda sunt in his, quos iudicabis esse præficiendos multitudini. Par est enim, ut qui honore præcellit, præcellat & uirtutibus. Fortasse dignitatem appetunt multi, sed interim non secum expendunt, quantum sollicitudinis ea dignitas habeat adiunctum. Qui munus episcopi non ob aliud concupiscit, quam ob ambitionem, aut quæstum, aut tyrannidem, rem perniciosam sibi concupiscit, non satis animaduertens quid sibi uelit Episcopi uocabulum. Siquidem episcopus non tam dignitatis est nomen, quam functionis, quam officij, quam sollicitudinis: sonat enim inspectorem & commodis aliorum uisibusque prospicientem. Itaque hoc qui intelligit, & episcopi munus expetit, non alio spectans, quam ut prosit quam plurimis, honesto quidem ille desiderio ducitur, exercendæ uirtutis materiam concupiscens, non honorem. Quem tamen illi non committes, nisi compereris dotibus præditum episcopo dignis. Quod quo certius iudices, en tibi simulacrum ueri episcopi paucis adumbrabo. Primum oportet ea esse uitæ integritate, ut nihil omnino criminis illi possit impingi. Non enim conuenit, ut qui se cæteris profitetur magistrum & exactorem innocentia, ipse uita moribusque non præstet quod docet: & qui pro suscepto officio debet libera fronte peccantes arguere, committat in quo sit arguendus. Quis enim credit doctori, cuius oratio pugnet cum uita? Quis feret increpantem, in quo uidet, aut eadem, aut etiam grauiora flagitia? Ut omnes integri sint & innocentes, optari citius potest quam sperari. Certe magni refert, ut unus, à cuius magisterio pendet populus, uacet omni crimine. Deinde quoniam in episcopo pudicitia magnam habet commendationem, si non continget qui uoluptatem hanc in totum contemnat, illud certe spectandum, ut fuerit, aut sit unius uxoris maritus. Primum matrimonium gignendæ proli datum uideri potest, at repetitum coniugium, non caret etiam apud ethnicos intemperantis animi suspitione. Cæteris nihil obsto, quo minus iterent matrimonium, si minus sibi temperant. Durius est hoc, quam ut ausim exigere à tota multitudine. At decet episcopum in tantum abesse ab omni crimine, ut uacet etiam omni criminis suspitione. Præterea, qui unus tam multis prospicit, eum oportet esse sobrium ac uigilantem. Speculator est, & periculum undique imminet. Non licet esse socordem, quoquo uersum uigiles oculos circumagat oportet, ne quid insidiator ille, duce dormitante, de Christi castris intercipiat. Ad hæc in omni uitæ consuetudine præ se feret grauitatem, alienus ab omni leuitate, ac morum ineptia, quæ minuit, & eleuat doctoris reuerentiam, & auctoritatem. Neque uero satis sit, si se comē ac benignum præbeat erga suos, curare debet, ut hostes etiam illius humanitatem ac beneficentiam experiantur, quo latius sese spargat honestæ famæ fragrantia. Verum ut has uirtutes habet cum plerisque communes, ita illud in episcopo peculiariter spectandum est, ut appositus promptusque sit ad docendum, non fabulas Iudaicas, ac superciliosam turgidamque mundi huius philosophiam, sed ea quæ uere pios, uereque reddant Christianos. Primum autem boni doctoris munus est, ut sciat quæ sunt optima. Proximum, ut libenter, ut placide, ut assidue, ut amanter, ut absque supercilio, ut tempestiue doceat. Talis est enim euangelica doctrina, quæ lenitate uincat, non clamoribus, quæ si quando etiam irritata peccatis malorum non nihil sauire cogitur, tamen nunquam obliuiscitur Christianæ charitatis. Absit autem, ut doctor euangelicus ad exemplum eorum, qui uino feroces debacchantur, sauiat impotentius in errantes, aut lingua conuiuatrice percellat animos eorum, quibus paterna lenitate mederi potius debuit: sed in his omnibus mansuetudinis ac moderationis Christianæ meminerit, quæ non paulo est efficacior ad corrigendos homines, quam sauitia. Abhorreat autem à contentione, ne uideatur odio, non amore facere, quod facit. Charitas emendat, contentio iritat. Abhorreat ab avaricia, ne uideatur pietatem ad quæstum simulare. Postremo uis scire quomodo se gesturus sit in negotio publico: considera quomodo domum priuatam administret. Si illi lic præstat uigilantem patrem familias, si omnia in officio continet, si liberos habet moresque dictosque audientes, si sic institutos, ut ingenuo pudore, moribusque compositis restentur

tur sanctam educationem parentis, bona spes est fore, ut publicam omnium curam gna-
 uiter gerat, qui in administratione rei domesticæ specimen egregiū suū præbuerit. Nihil
 enim aliud est domus quam parua respublica, nec aliud pater familias, quam exigua ci-
 uitatis regulus. Sic & mundana prudētia, eos demū censet idoneos, quibus maiora reip.
 munia committantur, si qui minora cum laude gesserint. Porro qui sperare possis hunc
 totius ecclesiæ curā bene gesturū, qui priuata domui suæ nō nouerit præesse: quomodo
 curabit tam multas, qui unī curandæ nō suffecerit: quo pacto prospiciet multitudini tan-
 tā, qui tam paucis nescierit prospicere: an is bona fide curabit alienos, qui suos indili-
 genter habuerit: an utilis erit congregationi dei, qui humanæ congregationi nō potue-
 rit esse utilis: Iam & illud spectandum in deligendo episcopo, non solū quā integre se
 gesserit in priuatis officijs, uerum etiā quā pridem ad Christi professionem accesserit. *Non neo-*
 Baptismus quidem inserit hominem corpori Christi, sed perfecta pietas non ita repente *phytum*
 contingit homini. Baptismus aperit aditū in ecclesiam: uerū hic superest, ut pro se quis-
 que certatim cōtendat ad sanctimonix metam. Per baptismū renascimur, sed reliquum
 adhuc est, ut multo temporis progressu, magnitudinē & robur colligamus, quotidianis
 auctibus pietatis grandescētes in adultam ætatem. Proinde cauendum, ne neophytus,
 hoc est, nuper in fidei contuberniū ascitus, tanto negotio præficiatur. Bona plantula est,
 sed etiam nū tenera, & grandi fortassis oneri sustinēdo impar. Periculū est aut, ne si rudi,
 nec satis adhuc in religione cōfirmato, nouus honos accesserit, efferat in superbiā, sibiq;
 perniciose incipiat placere, uelut ob hoc ipsum cooptatus in gregē religionis, ut religio-
 ni præesset: fiatq; ut irretitus diaboli laqueis, quos ille uarios tendit, sed nullos insidiosus,
 quā ambitionis, fastidiosius sese gerens in honore mandato, nō effugiat hominum
 maledicorum calumnias: qui sic interpretabuntur, eum hoc consilio ambūisse Christia-
 nismum, ut qui inter suos humilis erat, inter Christianos honore præcelleret. Feliciter,
 inquit, nos reliquit, habet mutatę religionis præmium, maluit episcopus esse Christia-
 nus, quā priuatus apud nos degere. Ab hac suspitione tutus erit, qui multo tempore
 ueræ pietatis ac modestiæ suæ specimen dederit. Nec audiā, si quis mihi dicat, quid mea
 si obtrectēt ethnici: satis est si meis prober. Mihi uero istud in episcopo haud quaquam
 satis est, cuius famā adeo oportet ab omni criminis suspitione puram ac illibatam esse,
 ut parum sit bene audire apud suos, quibus propius ac domesticè notus est, nisi probe-
 tur & exterorum testimonio, qui cum ueram huius pietatem intueri nō queant, quam-
 uis etiam mali speciem rapiunt ad calumniam. Itaq; modis omnibus cauendum, ne uel
 his qui sunt à nostra professione alieni, detur ansa calumniandi, neue non dicam flagi-
 tium, sed falsum etiam probum probabiliter possint obijcere. Siquidem ut & illi de no-
 bis bene sentiant, non solum hoc habet fructus, quod facit ad gloriam Christi, uerum
 etiam quod facilius resipiscant ab impietate sua, si de nostra pietate bene senserint. Iam *Diaconos*
 uero, quoniā admissa ministrorū recidunt in infamiā auctorum, non sat fuerit dispicere, *similiter*
 cuiusmodi sit is, quē asciscis ad episcopi munus, uerum etiā quos habeat aut allegat sibi
 familiares ac ministros, qui sunt uelut episcopi membra. Hos oportet omnibus modis
 respondere suo præfui, toto uitæ habitu graues ac cōpositos, alienos ab his uitjs, qui-
 bus famulorū uulgius esse solet obnoxii. Ne sint bilingues, ne multo uino dediti, ne for-
 didis lucellis inhiantes. Qui sic initiati sint mysterijs euangelicæ fidei, ut ipsa uita testen-
 tur sese non in gratiā dominorū, sed ex animo pureq; Christianos esse: nam professionis
 synceritatē arguit morū innocentia. Nec his tamen protinus uelim cōmitti rerum sacra-
 rum administrationē, uerū ubi multo iam tempore illos exploraris, ubi diu post acceptū
 baptismum uitam innocentē egerint, ac tales se præbuerint, ut nullum crimen illis possit
 impingi, tum demum rebus sacris tractandis admoueantur. Quin & ab episcoporū ac
 diaconorū uxoribus similem exigo uitæ modestiā atq; integritatem, quod hæc quoq; ue-
 niant in aliquam partem ministerij, & harū mores maritorum moribus imputentur, aut
 eorum etiam quibus ministrant. Absint igitur à uulgarium uxorū uitjs, ne sint leues, aut
 ineptæ, ne obtrectatrices, ne intemperantes, sed sobriæ: ne futiles aut lubricæ fidei, sed
 fideles & constantes in omnibus. Porro diaconorū castitas in hoc respondeat episcopo-
 rum uitæ, ut ipsi quoq; sint monogami, ne repetitum matrimonium suspitionē aliquam
 præbeat intemperantiæ: & in liberis honeste instituendis, propriaq; familia diligenter

administranda specimen sui dederint, quales futuri sint in sacro ministerio. Quanquam enim inferior est functio diaconorum functione sacerdotum & apostolorum, tamen quisquis in hoc ordine sese gnauiter integreque gesserit, ad excellentiora munia gradum non mediocrem sibi facit, dum & sibi nota pietas magis fidit suo robori, & ex recte gesto officio ceteri maiorem fiduciam concipiunt, ut euectus ad altiora munera fidei euangelice seipsum etiam uincat integritate, uigilantiaque. Habet enim & Iesu Christi politia magistratuum gradus & ordines quosdam, quorum primus est diaconorum, secundus presbyterorum siue episcoporum, summus apostolorum. Atque ut in republica profana uocatur ad præturam, qui in ædilitate strenue se gesserit: rursus à prætura ad tribunatum, aut consulatam, qui illic quoque uicerit seipsum: ita diaconi functio declarat, qui sit sacerdotis aut apostoli loco dignus. Hæc tibi scribo fili charissime, non quod desperem me rediturum ad uos, imò spes est fore, ut breui reuisam cœtum uestrum: sed tamen si quid inciderit, ut serius cogar uenire quàm sperem, uolui interim te literis meis esse commonitum, ne nescias, quomodo uersari debeas, non in templo Iudaico, sed in domo dei. Cur enim non sic appellem Christianam ecclesiam, quæ deo uiuo consecrata dicataque est, nec ullis errorum, aut persecutionum procellis unquam demolienda, cum sit columna & firmamentum ueritatis. Habuit olim Hierosolymitanum templum suam uenerationem, habuit suos sacerdotes, habuit ritus, & uictimas suas. Hoc est templum illo multo sacratius, non umbris, ac typis cœlæs mysteria, sed pro Cherubim, pro malis punicis, pro tintinnabulis, pro arca, pro similibus ænigmatibus, solidam, uereque Euangelicam ueritatem nobis ostendens. Ne mireris igitur, si nihil hic audis præscribi, qualia magno studio leuitis, ac sacerdotibus præscripsit Moses. Nihil est quod eas umbras desideremus, quum id nobis patefecerit deus, cuius gratia totus ille mysticus apparatus ad tempus fuit institutus. Nihil est quod Iudæi mirètur aut iactent arcam, aut quæcunque clauderent sancta sanctorum, si ad nostra mysteria cōferantur. An illorum secreta præcipuam aliquam uenerationem mereantur, ipsi uideant. Certe extra controuersiam est hoc euangelicæ pietatis mysterium, quod nos semel ab omni superstitione liberat, longe maximū esse in hoc templo, quod per uniuersum orbem patet. Nō ostenditur mensa aut arca aut immolatum pecus, sed ostenditur ac prædicatur ipse Christus, qui antehac ignotus & abiectus, nunc adeo palam factus est, ut homo etiam iuxta carnem conspectus, & contrectatus sit ab hominibus, iuxta spiritum tantam acceperit potestatem, ut abolitis omnium peccatis, per solam fidem cōtulerit, & conferat iustitiam, quam lex præstare non poterat. Et adeo non est cœlatum hoc mysterium nostrum, ut angelis etiam oculis fuerit admirandum, occurrentibus gloriam in excelsis deo, & in terra pacem hominibus, bonam uoluntatem. Cætera mysteria desinunt esse ueneranda, si fuerint euulgata: hoc palam prædicatum est, non solum Iudæis, uerum etiam gentibus. Nec fuit inefficax prædicatio, quod præter naturæ ordinem uidebatur omnibus, quod nulla philosophia, aut facundia mortalis persuasura fuerat, hoc orbi toti prodigijs attestantibus persuasit simplex Euangelij sermo. Postremo post crucis supplicium, propria uirtute reuixit, ac palam famulantibus angelis, ascendit in cœlos: nimirum indicans, quod nostra spes sit omnis conferenda. Quid hoc mysterio sacratius: quid sublimius: quid certius: aut euidentius: Hoc si uere credimus, hoc si digne uiuimus, quid est quod posthac ad Iudaicas constitutionum culas respiciamus: Tenemus uerè pietatis mysterium, cur ad ea desectum, quæ plus habent superstitionis, quàm pietatis: Si peccatis oneramus, hic est certissima peccatorum remissio, si doctrinam requirimus, hic est uerè pietatis regula, quam sequamur: si præmiū spectamus, hic est immortalitas, ad quam euehamur. Hac igitur religione contenti mihi Timothee, ualere sinamus inania Iudæorum præscripta.

CAPVT IIII

Spiritus aut
manifeste



Hæc eò studiosius inculco, quo magis metuo periculum, quod non iam ambiguis colligitur cōiecturis, cum ipse spiritus, futurorum præsciis, per eos quos afflauit, clare certoque significet fore, ut extremis temporibus exoriantur quidam, qui desciscetes à synceritate fidei euangelicæ, ad Iudaismum quendam relabantur, in his rebus constituentes cardinem pietatis, quæ adeo nihil habent momenti ad pietatem, ut frequenter etiam officiant, ac rebelles spiritui Christi, magis auscultent spiritibus impostoribus, auersique à doctrina ueri dei, præbeant aures atque animos doctrinis dæmoniorum, qui fictæ specie pietatis loquentur ea, quæ sunt ab euangelica ueritate

lica ueritate aliena, atq; apud simplices sese uenditabūt persona sanctimoniae, cum apud deum habeant cōscientiam insynceram, multis mundanarum cupiditatū notis foedam ac notatam cōpunctamq;. Huiusmodi cum intus madeant liuore, odio, auaritia, ambitione, cæterisq; morbis, qui uel ex diametro pugnant cum uera pietate, tamen ut noua quadam & admirabili doctrina sibi pariant opinionē pietatis, ad Essenorum exemplum prohibebunt legitimo matrimonio iungi, quasi deo non sit honorabile connubiū caste seruatum, ac thorus immaculatus, seq; pro dñs haberi postulabunt, quod cœlibes agant, alijs innumeris uitiorū pestibus infecti: deniq; non tam liberi à libidine, q̃ ab uxoribus. Quin & ad Iudaicum escaŕū delectum conabuntur homines reuocare, quasi cibus ipse quicquam habeat impuritatis, cum omne ciborum genus deus in hoc parauerit, ut his ad corporis necessitatem, uiresq; sarciendas moderate utamur, pro sua benignitate gratias illi agentes, quicunque pro Mosaica lege euangelicam fidem sumus amplexi, quicq; discussis Iudaicarum superstitionum nebulis, ad lucem ueritatis adducti, cognouimus quicquid ab optimo deo conditum est, id natura sua bonum esse, si quis ut oportet, & ad quod conditum est, utatur. Nec ullum esse cibi genus abominandum, aut reŕciendum, quod uelut à benigno deo datum percipitur cum gratiarū actione. Iudæorū ista uox est, non Christianorum, hoc cibo ne uescitor, hoc corpus ne contingito, hac ueste ne utitor, hoc die ne illud, aut illud agito. Nihil enim in rebus conditis impurū, aut immundum, si purus ac mundus sit utentis animus. Quod etiam si quid impuritatis haberet cibus, tamen hymnis quibus ante cibum laudatur diuina largitas, sacrisq; uerbis, ac precationibus sanctū purumq; redderetur, quod prius erat immundum. Hos fumos offundunt populo, qui Christi negociū insynceriter gerunt, imò qui suū agunt negociū. Tu uero reie

cis huiusmodi nētijs, ea suggerēs fratribus, quæ à nobis didicisti, bonum ac syncerum Christi ministrum agēs, integra fide dispensans illius doctrinam multum abhorrentem ab istorum præscriptis. Idq; eo magis te facere conuenit, quod ad Euangelicam doctrinam uocatus es, nō iam ætate prouecta, quæ solet ad res nouas ægre deflecti, sed ab ipsa adolescētia in fide Euangelica, bonaq; doctrina es uelut enutritus, ut assiduitas habitum ac robur debuerit addere, nec possis tui dissimilis esse in eo, quod hætenus cōstanter es secutus. Hanc igitur dignā euangelio doctrinā proponito tuis, cæterum aliorū friuolas & aniles fabulas, quas, ut alienas à mysterijs euangelicæ fidei, recte profanas dixerim, reŕce, magis hoc agens, ut temetipsum exerceas ad uerā pietatem, q̃ ut cum loquacissimo simul & pertinacissimo hominū genere uerbis digladies. Vera pietas, quæ in animis sita est, rebus exteris crassisq;, nec diffiniri, nec præscribi satis potest. Nam ieiuniū, aut delectus ciborū, aliāq; id genus, etiam si quando pro tēpore locoq; uidentur nōnihil utilitatis afferre, quod corpus præparent ad officia pietatis, ea tamen utilitas neq; perpetua est, neq; ita magni momenti, si cōferatur ad animi pietatē. Imò fere fit, ut ex obseruationibus huiusmodi nascatur pestis uerę germanæq; pietatis. In loco utile est ieiuniū, rursum idem alias pestiferū. Huic salutaris erit uigilia, illi capitalis & noxia. Nonnunquam cōducit quiete transmittere sabbatū. Rursum existet aliquid, in quo sit impietas ociū agere, cum charitatis officium desiderat proximi necessitas. Cæterum Euangelica pietas, quæ nititur sincera fide, ueraq; charitate, nullo non tempore, in nulla uitæ parte non est utilis, quæ compendio proficitur quicquid uel in præŕenti uita sit expetendum, uel sperandum in futura, adeo ut non sit opus ullum aliunde præŕidium uenari nobis. Quod dico uerum est & indubitatum, planeq; dignum quod ab omnibus recipiatur. Re ipsa docemus & sentire nos, & fabulam non esse quod loquimur. Alioqui quæ res nobis persuaderet, ut uolentes ac lubentes perpetiamur erumnas huius uitæ, ut ab impijs illatas plagas, carceres, mortes, forti feramus animo, nisi quod & hic præŕidiū cœleste, & post hanc uitam speramus immortalitatem, atque hanc spem fiximus, non in Mose, aut alio quopiam homine, qui destituere possit spem nostrā, sed in deo uiuo, qui & mortuis possit opitulari, & à quo salus proficiscitur cum uniuerso hominum generi, tum uero præcipue fidem Euangelicā amplexis. Hæc constanter ac fortiter præcipe ac doce, sic ut episcopi præ te feras auctoritatem, certus hanc esse doctrinam ab ipso Christo profectam. Neq; est quod iuuenis, licet in re tanta, uerearis, aut cedas improbitati diuersa docentium. Alibi sit humanitati locus, hic ubi salutis periculum uertitur, proferenda est auctoritas.

Hæc proposita
fratribus

Nam corporalis
exercitatio

tas. Neque spectandum est, quot annos uixeris, sed quod munus geras. Hic senex est, quisque uite integritatem, quisque morum præstat grauitatem. Neque periculum est, ne quis despectui habeat iuuentutem tuam, si talis fuerit tua uita doctrinaque, ut qui Christum profitentur, in hac uideant exemplar euangelicæ pietatis. Si in omni sermone tuo perspexerint sanctæ mentis imaginem, si in uitæ cōsuetudine animaduernerint modestiam ac puritatem, si in præstandis officiis senserint episcopo dignam charitatem, si in perferendis malis conspexerint animum deo fidentem: denique si ubique uiderint te ab humanis cupiditatibus immunem, iam dudum te facile pro sene uenerabuntur. Spes est fore, ut te breui uideam, tibi non solum monitis, uerum etiam officiis auxilio futurus. Interea dum abs sum hoc magis inuigila officio, quo nostram absentiam sarcias. Pro nostra uoce sit tibi sacra lectio, iuxta eam doceto, si quid errabitur: iuxta eandem exhortare, si quos uideris cessantes. Hæc sunt præcipua episcopi munia. Suscepto muneri respondeas oportet, quod tibi non temere mandatū est, quemadmodum quidam seipso faciunt apostolos ac presbyteros. Te non ambitus aut hominum fauor, sed diuinus spiritus per ora prophetarum significans dei uoluntatem ad id muneris designauit, ac mox presbyterorum autoritas rite tibi impositis manibus, episcopi functionem delegauit. Porro diuini muneris est, quod his dotibus instructus sis, quæ te declarent hoc honore dignum. Proinde duplex tibi cura incumbit, ut & dei beneficio & auctoritati mandata respondeas. Non est ociosa aut delicta professio: uigilantiam & assiduitatem postulat. Hæc igitur fac mediteris, in his esto, hæc continenter agito, ut ex uita pariter ac doctrina tua nemo non uideat populū reddi meliorem. Primum ipse talis esto, qualem oportet: deinde doctrinā sanctā, sancta uita commendabit, præsertim si id facies cōstanter ac perseueranter. Veritas enim perpetua est: Simulatio temporaria. Hæc si præstiteris, geminum capies fructum, primum seruabis te ipsum recte fungens officio delegato: deinde seruabis & eos, qui tuæ doctrinæ auscultant. Qui recte docent, & impie uiuunt, ut alij sint utiles, certe sibi perniciosi sunt. Cuius autem & uita & doctrina est insyncera, is bis nocens & sibi conciliat exitium, & alios in perniciem inducit.

CAP. V



Vanquam autem à synceritate doctrinæ nunquam est deflectendum, tamen ad medendum humanis erratis, non mediocre momentum habet lenitas docentis, aut admonētis. Sic enim est tuenda auctoritas episcopi, ut absit tamen ab omni specie tyrannidis, idque ubique præ se ferat, quicquid agit, uiuandi studio agere se, non odio. Proinde quoscunque comitate, lenitate potes sanare, non expedit asperitate percellere. Facilius obsequitur admonenti, qui se sentit amari ab eo, qui monet. Et sic est ferme hominis ingenium, ut malit duci quam cogi, ac non raro blanditijs obtineantur, quæ sæuicia non possis efficere. Itaque pharmacum reprehensionis pro cuiusque ætate statumque est attemperandum. Quoniam autem non solum apud omnes nationes bene moratas, uerum etiam in ecclesijs receptum est, ut ob prudentiam, usumque rerum, & coercendam iuuentutis lasciuia auctoritas deferatur ætati prouectæ, si quid forte deliquerit senior, ne ex suspitione, aut delatione qualibet, sæuis uerbis in hunc detones, ne admonitionis asperitas fructum expetitū excludat. Bis enim molestum erit, si & contumeliosa sit admonitio, & à iuvene profecta. Quin potius seruata reuerentia ætatis, sic exhortare quasi parentem errantē uelis admonere. Iuuenes item iuuenis, ut fratres admone, erga quos debet esse liberior correptio, sed tamen quæ charitatem præ se ferat. Anus tanquam matres, reuerentius ac blandius admonie, nimirum ætati deferēs. Puellas ut sorores amanter castiga, sic te gerens apud omnes, ne quā sinistram suspitionē incurras uel auariciæ, uel impudiciæ, uel adulationis, uel sæuitiæ. Iam & uiduis suis habendus est honos, sed his præcipue, quæ non titulo tantum, uerum etiam re ipsa uiduæ sunt, hoc est, quæ uiri ac liberorum solatio destitutæ sic uiuunt, ut ecclesiæ subsidio mereantur subleuari, cuius præsidium patere debet, non alendis delicijs, sed recreandæ calamitati. Quod si qua sic orbata sit marito, ut filios habeat, aut etiam nepotes, non est cur hæc ueluti destituta confugiat ad ecclesiæ patrociniū. Siquidem domi habet, quorum conuiuium, mariti desiderium leniat, & quibus officium suum debeat. Ne prius igitur se dedicet obsequio ecclesiæ, quam erga familiam suam pietatis specimen præbuerit. Præposterum enim sit, ecclesiæ prætextu defugere naturæ debitum, officium pietatis.

Dis.

eis. Dicitur enim natura, ut parentibus, à quibus uitæ primordia sumpſimus, iam ætate
 destitutis ac defectis, mutuâ pietatem referamus. Quod si hos nobis mors ademit, con-
 ueniet hoc officium in liberos ac nepotes transferre, quos sic debet instituere, ut discant
 suo uicissim officio subleuare benemerentem. Hoc non solum approbat naturæ sensus,
 uerum etiam ita gratum & acceptum est coram oculis dei, ut his peccent, quæ non tan-
 tum deo rebelles sunt, sed & ad cõmunem naturæ sensum obsurduerunt, quo cõmouen-
 tur etiã illi, qui deum ignorant. At dices, quæ nam igitur est uere uidua, si hæc uidua non
 est: Nimirũ ea quæ mariti, quæ liberorũ, quæ nepotum, quæ omni huius mundi solatio
 destituta, totã spem suam collocauit in deo, neq; iam spectat alterum coniugiũ, neq; ue-
 natur ulla voluptates, sed totam se deo dicauit: ad Annæ uiduæ exemplum, nocte dicq;
 precationibus intenta. Hæc demũ meretur, ut ecclesiæ solatio refocilletur, quæ nihil iam
 habet cum mundo cõmune. Nam uidua, quæ sic abstinet ab iterando matrimonio, ut li-
 centius oblectet se delicijs, ne uiuit quidem. Sic enim uiuit uoluptatibus, ut Christo mor-
 tua sit, cui non uiuit, nisi qui uiuit pietati. His igitur præcipies, ut si diligunt uiduitatem,
 sic in ea sese gerant, ut ne cui præbeant ansam male suspicandi, quasi nõ castitatis amore
 ab iterandis nuptijs abhorreant, sed ut liberæ maritali imperio, laxius uiuant, suoq; arbi-
 tratu delicijs indulgeant. Cæterum quo quæq; animo uiduitatem deligat, aut quomodo
 domi uitam agat, ipsarum animo iudicandum relinquito. Porro si qua prætextu uiduita-
 tis, sic ad ecclesiã confugit, ut liberorum, aut nepotũ, aut qui alioqui ad eius familiã perti-
 nent curã excutiat, ea tantũ abest ut mihi uideatur episcopi fauore digna, ut existimem
 potius inter eas habendam, quæ fidem euangelicã abnegarint, hoc ipso deteriores ethni-
 cis, quod grauius est à professione suscepta desciscere, q̃ non professum fuisse. An non
 abnegauit fidẽ, quæ fidei prætextu abutitur, ad eã quæ pugnat cũ euangelica doctrina?
 Certe factis palam abnegat. Atque hæc sane parte infra ethnicas est censenda, quod illæ
 quum à Christo sint alienæ, solo naturæ ductu, curam gerũt suæ familiæ: hæc quæ iuxta
 charitatem euangelicam debebat omnibus pro sua uirili prodesse, domesticis etiam suis
 subtrahit debitum officium, nec ab hac impetrat euangelica pietas, quod à profanis, ac
 impijs impetrat affectus naturæ. Si qua semina uirtutis inseuit natura, ea non tollit euan-
 gelica doctrina, sed prouehit, ac perficit. Omnino decet hoc Christianæ religionis man-
 suetudinem, ut omni solatio orbatas gremio suo foueat alataq; uerum id citra delectũ te-
 mereq; fieri nolim, ne duplex sequatur incõmodum, dum & oneratur supra uires eccle-
 siæ, & officiũ in indignas confertur. Porro in deligendo, duo præcipue spectanda sunt,
 ætas, & uita ante acta, ne semel ad ecclesiæ tutelam alleciã postea magno cum probro re-
 deant ad coniugium. Atq; ætatis quidem facile iudicium est. Ne recipiatur igitur uidua
 minor annis sexaginta. Siquidem hæc ætas suspicionem impudicitie non debet adferre
 clericis, & bonã spem præbet fore, ut matrimonij desiderio non tangantur iterũ. Quan-
 quam nec huic ætati fidendum, nisi eã ante acta uita cõmendet. Spectandum igitur, an
 fuerit unico marito contenta: nam in quibusdam, nec senectus extinguit intemperan-
 tiam: an benefactis sibi pepererit apud omnes honestam opinionem, an in educandis li-
 beris, probe sancteq; se gesserit, an pro sua tenuitate hospitalẽ se præbuerit erga sanctos,
 tecto eos iuuerit, pedes horum lauerit: Nam hæc officia præstare possunt & tenues: an
 afflictijs & egestate pressis de suis facultatibus suppeditauerit. Denique an nullum opus
 bonum prætermiserit, in quo non fuerit assidua. Par est enim ut sic meritã, uicissim in
 suam tutelam recipiat ecclesiã, quæ iam olim hoc benefactis ambijt, ut perpetuis eius mi-
 nisterijs ascriberetur. Porro uiduas iuniores suspectaq; ætatis, ne recipito. Præstat non
 suscipere professionẽ uiduitatis, quàm à suscepta deficere. Non est cõmittendum conti-
 nentiæ uotũ ætati lubricæ, præsertim in eo sexu. Quod si placet illis castitas, domi quid
 possint periclitentur. Vbi si non succedit, licebit citra notam ad coniugij remediũ con-
 fugere. At res ipsa nos docuit fieri, ut cum iuniores uiduæ tẽporario quodam amore ca-
 stratis, aut ocij fortassis, aut honorẽ tituli secutæ, semet addixerint ecclesiæ, abdicatoq;
 iure repetendi connubij, Christo sponso se consecrarint, mox titillante eas pristina libi-
 dine, ferociant ac lasciuiant in contumeliã Christi, cuius iugũ cupiunt excutere, ut rur-
 sus matrimonij iugũ subeant. Atq; interim hanc infamiæ maculam sibi cõtrahunt, quod
 fidem, quã Christo pactæ uidentur, fecerint irritã, duplici nomine notandæ, & quod te-
 mere

Si quis autẽ
suorum

Vidua eligã
tur

Cum enim lu-
xuriatæ fue-
rint in Christ,

mere, susceperint professionem castitatis, non satis exploratis uiribus, & quod à suscepta resilierint. Quod si non eueniat, ut palam redeant ad connubium, certe sic uiuunt in coelibatu, ut ecclesiae sint dedecori, ac satius sit eas imperio mariti premi, reiq; familiaris cura distineri, q̃ sub uiduitatis prætectu peccare licentius. Docet enim hoc illas ocium, ut quoniam ipsae domi nihil habent quod agant, oberrēt per alienas domus, cum uiduae sit indecorū, per publicum aut per alienas aedes uagari ociosas. Nunc non tantū ociosae sunt, uerumetiā garrulae simul & curiosae. Solet enim curiositatis comes esse garrulitas. Siquidem prætectu uiduitatis, & cōmendatione professionis, facile penetrāt in domos alienas, ibiq; secreta rimantur, quae post apud alios effutunt, indecore garrientes de nuptijs, de disidijs, de peccatis aut probris domesticis aliorū. Ob has causas tutius esse duco, ut uiduae iuniores potius nubāt maritis, cuius autoritate & sexus & aetas imbecillior temperetur: dent operā gignendis liberis, curā agant rei familiaris potius, q̃ nihil agentes obstrepant etiā familijs alienis. Vt enim mariti reuerētia coercet licentiam sexus & aetatis: ita curae rei domesticae, non praebent liberū ocium ea curandi, quae ad ipsas nihil attinent. Postremo sic modis omnibus uitā instituant, ne qua sit occasio lapsus in manifestum probrū, neue detur anfa satanae, per quam uitā nostram traducat & infamet apud hostes Christianae professionis. Non recuso quo minus uidear hac in re meticulosior, nisi malum ipsum nos hanc docet cautionē. Non enim tam anxie metueremus, ne quid horum eueniret, nisi iam uidissemus, non semel euenisse. Terret nos exemplum quarundam, quae semel coopratae in gremiū ecclesiae, magno probro nostro, uicē uoluptatibus, & obsequentes satanae, relapsae sunt ad iterandas nuptias. Quod si dotis obstat inopia, quo minus maritum inueniat uidua, cuius aetas coniugium postulat, nihil necesse est, ut egestatis gratia, castitatis suscipiat professionem. Debet enim harū inopia, cognatorum benignitate subleuari, si quos, aut si quas habet Christianae professionis. Non enim par est, ut Christianus, aut Christiana, cuius pietas debebat etiā alienis opitulari, sibi cognata tam uiduā destituat, & alendam obtrudat ecclesiae, quae si grauetur quibuslibet uiduis, futurum est, ut exhaustis facultatibus, non sufficiat ueris uiduis alendis, quibus & debetur haec humanitas, nec aliunde suppetunt praesidia. Sed quemadmodum uiduis ita meritis pro portione suis habendus est honos, ita multo uberius subueniendum est presbyteris, qui grauitate morum, qui senili prudentia, qui uitae integritate, qui aetatis autoritate bene praesunt multitudini, hoc est, qui uere presbyteros agunt, quorum & aetas & pietas meretur, ut ab egestatis iniuria uindicerentur. Sic enim tranquillius praesidebunt populo, & suppetente quod ad uitae mundiciam pertinet, non eleuabitur autoritas. Quamquam haec praesidia potissimum his praestanda sunt, qui non solum integritate uitae praelucent populo, uerumetiā laborant in dispensatione sermonis euangelici, sacrae doctrinae, quod haec sit praecipua functio, longeque saluberrima gregi Christiano. Spectant illi quidem sublimius praemium, sed interim aliqua solatiū pars est, si in ipsis laboribus aliquid praesentis fructus ad illos redeat, nō ut ditescant, sed ut uiuant. Et iniquum est rem longe preciosiorem impartienti, non uicissim aliquid ex rebus fluxis ac uilibus reponere. Adeo uictus debetur laboranti, ut Mosaisca lex uetet infrenari os boui tantisper, dum in tritura circumagitur. Quo nimirum inhumanius est pati, ut in Euangelio defudans, esuriat aut sitiāt. Non uenatur ille mercedē, sed tanto dignior est operarius mercede sua. Illi ad laudem pietatis cessērit, si gratis laboret, at interim populi crimen erit, si grauetur benemerentis inopiā, cui tantulo succurri potest, subleuare. Quin & illud tribues seniorum autoritati, ut non facile recipias aduersus hos delationē eorum, quibus expedit illos esse reuerendos, ne & his aperiatur fenestra temere incessendi uitam seniorum, in quos aegre recipi debet sinistra suspicio, & illorum eleuetur autoritas. Non est audiendus qui defert, nisi duobus aut tribus testibus cōprobet, quod obiicit. Quod si manifestius compertiusque est, q̃ ut dissimulari possit eos peccasse, ita moderanda erit castigatio, ut nec illos dedas accusatorū sauitiae, nec tamen impunitas illorū perniciosum exemplum ministret multitudini. Sed ipse uoce tua palam eos argue, quo magis ceteri metuant censurā episcopi, si conspexerint per hanc nec senioribus cōdonari, si quid admisserint correptione dignum. Profanae leges iudices suos obstringunt religione, ne quid affectibus corrupti perperā pronuncient. Quanto maior integritas decet episcopū, uel in iudicijs, uel in praeficien-

præficiendis magistratibus: Illi sui iurisiurandi cōmonefiunt, pro tribunalibus sessuri, & falsorum deorum religione terrentur, At ego te obtestor Timothee per deum patrē, quo teste & autore res hæc geritur, perq; Iesum Christū, cuius ministri sumus, perq; electos angelos arbitros ac spectatores eorum, quæ gerimus, ut in iudicijs obeundis serues hæc. quæ tibi præscribo, ut integer & incorruptus ad cognitionē accedas, non tecum adferens sententiam, quam tibi seorsum instillauit fauor, aut odiū, aut ira, aut alius quispiam affectus, sed ex ipsa re cognita sumens quod recte pronuncies, nec in hanc, nec in illam partē propensior. Hanc integritatem nō solum oportet præstare in cognoscendis causis, uerū etiam in deligendis his, quibus mandas administrationē ecclesiasticā. Siquidem non alio fonte summa pernicies nascitur populo Christiano, quàm si præficiantur inutiles aut etiam pestilētes. Proinde ne cui temere manus imposueris. Multum diuq; probandus & explorandus est, cui deleges autoritatē episcopi, qui si mandatum honorē indigne gesserit, tibi imputabitur, quicquid ille peccarit. Videberis em̄ illius fauisse uitij, qui cognito mandatis eiusmodi prouinciā. Sin te fefellit, tamen negligentiae culpam non poteris effugere, qui rem tam periculosam credideris inexplorato. Neq; enim in episcopo deligendo satis esse debet, si careat infamia, sed multis modis oportet benefactis insigniter esse cōmendatū. Episcopo nō satis est, si suam præstet innocentia, debet & eorum integritatē præstare, quos ordinat. In his igitur fac castum purumq; te serues religioni, cuius curam geris. Mihi spectatior est tua tēperantia, quàm ut sis meis monitis auocādu a delicijs. Illud tamen admonendus es, sic esse tēperandam abstinentiā, ne corporis imbecillitas non sufficiat obeundis officijs pietatis. Vt corpus obesum & immodice ualidum frequenter degrauat animum aspirantem ad coelestia: ita corporis incōmoda ualitudo sapius obstat animi uigori, quo minus semet exerat, libereq; proferat per obsequia charitatis. Satis igitur arbitror hactenus abstemiū fuisse. Post hac noli aquam potare, sed utere potius moderato uino. Quod hucusq; temperatū est a uino, primæ iuuentutis calori datum est. Nunc ualetudini consulendum, ut possis om̄ib. episcopi munij obeundis par esse. Stomachus uino moderato fulcitur, aquæ potu cū primis offenditur. Vt igitur, & huic subuenias, & minus frequenter quàm soles, incidas in aduersam ualetudinē, uinū tibi pharmaci loco sit, ne post collapsis uiribus cogaris medicorū opem implorare. Verū ut ad id redeam, quod modo cœperam, ne tibi putes omnia peccata tuorum imputanda esse, sunt peccata quorundam ita manifesta, ut non expectēt extremum illud dei iudicium, sed ultro iudicium præcurrant, per se damnata priusquam in iudicium illud afferantur. Nam horum & uita & doctrina palam discrepat a doctrina Christi. Siquidem pro euangelica pietate docent superstitionem Iudaicam, & uita ambitione, quæstu, cæterisq; malis cupiditatibus infecta est. De his, ut tibi licet iudicare, ita reddenda erit ratio. Cæterum quorum improbitas sic est occulta, ut humano iudicio deprehēdi non possit, sed seruetur iudicio diuino, in quo nuda fient omnia, horum culpam deo præstare non potes. Ad eundem modum quorundam opera bona a deo manifesta, ut humana cōprobatione non egeant. His igitur se tuto quisq; adiunxerit, quemadmodum a palam improborū contubernio est abstinentiū. Cæterū eos, qui sic arte moderantur uitam suam, & pietatis specie sic fucant animi maliciam, ut humanū fallant iudiciū, eos deo relinquemus iudicandos. Non est enim odiose suspicax Christiana pietas.

Manus cito
nemini impos
ueris

Noli adhuc
aquā bibere

CAPVT VI



Orro uitam eorū qui sunt a Christiana professione alieni, nō est nostrum in cessere, magis expedit illos officijs ad meliorem mentē prouocare, q̄ conuictijs iritari. Sic est moderanda religio ut nō uideatur occasio aut seminarium seditionis. In cōmercijs, quæ nobis necessario sunt cum ethnicis, sentiāt nos ob religionem officiosiores esse factos, non incōmodiores, aut procaciores. Sic enim facilius prouocabuntur, ut nobis adiungantur. Itaq; quicunq; in seruitute baptis mum adepti sunt, meminerint se a peccati dominio manumissos esse non ab heri iure liberatos. Quare non decet, ut freti professione sua, ferociant aduersus eos, uelut impios, & indignos quibus seruiat initiatus Christo. Tantū meminerint illos esse dominos, & ob hæc omni honore dignos existiment, ne dei nomen & euangelica doctrina reddatur infamis & inuidiosa, si conspexerint per hanc homines immodestiores fieri, & incommodiores. Quin magis addant aliquid pristinis obsequijs, magis sint ad obtemperandum alacres,

Quicunq; sunt
sub iugo serui

Quia benefi-
cij partici-
pes sunt

uelut ex animo seruantes, ut his rebus prouocati domini, facilius admittant prædicationem euangelicam. Multo minus autem, qui dominos habent Christianos, debent eos ob hoc minoris ducere, quod ob communis fidei professionem, pro dominis facti sint fratres. Imò si dominis ethnicis non subtrahunt debitum obsequium, Christianis oportet iam duplici nomine obedire, primum quod domini sint, deinde quod socij religionis, quod pro supercilio sumpserint charitatē, & pro formidatis, coeperint esse dilecti proq̃ minacibus benefici. Plus enim præstandum promerenti, quàm exigenti: amanti quàm imperanti. Neque enim hæc iam proprie seruitus est, sed officiorum commutatio. Hæc doce cum autoritate, ad hæc exhortare cessantes. Hæc est doctrina uere euangelica, quæ facit ad uitæ pietatem, quæq̃ nos & deo gratos, & hominibus amabiles reddit. Si quis doctrinam huic diuersam adducit, nec accedit uerissimis sermonibus domini Iesu Christi, nec obtemperat huiusmodi doctrinæ, quæ consentanea euangelio, uocat, non ad superstitiosas quæstiones, sed ad officia pietatis, is quo minus habet ueræ scientiæ, hoc sibi plus arrogat. Nam ut modesta res est scientia, ita nihil est superciliosius, aut pertinacius inscitia. Quo morbo qui tenetur, is auersus ab euangelica synceritate, insanit circa frivolas quæstiones, uita neglecta, uerbis digladians, quæ in tantum nihil conducunt ad ueram pietatem, ut potius gignant pestem Christianæ pietatis, propterea quod ex huiusmodi rixosis concertationibus nascitur inuidia, dum ex aliorum autoritate eleuata, nobis paramus autoritatem: nascuntur cōtentiones, dum gliscente rixarum calore, nullus alij uult concedere: nascuntur & conuitia, quoties res exit in rabiem: nascuntur & impiæ suspiciones in deum, dum ea, quæ citra disquisitionem credi debent, humanis ratiocinationibus pro dubijs uocantur in quæstionem. Ac multos ueluti contagio inficit affricu suo scabies hæc hominū, qui mentem habent malis cupiditatibus infectam, quibus excæcati, non cernunt ueritatem euangelicā, nec ad hunc scopum conferunt suam doctrinam: quoniam potius pietatem ac religionem quæstu suo metiuntur, atque id uolunt uideri sanctissimum, non quod alios reddat acceptiores deo, sed quod illis plurimum opinionis, plurimūq̃ cōpendij cōciliet. Non est quod speres hos ullis disputationibus posse superari. Pertinax est inscitia, quod si maxime perspiciant ueritatē, non agnoscunt tamen, quippe ad id quod sibi proposuerunt inutile. Cum his igitur ne contendas & indecore & frustra. Verum ab illorum conuictu te subducito. Veniunt illi lucrum suum, cauponentur doctrinā euangelicam. Nobis abunde magnus quæstus sit, si pietate, si ueris animi bonis discescamus, his contenti, quæ ad præsentis uitæ necessitatē sufficiunt, cum properemus ad immortalitatem. Magnum est eas opes accumulare, quæ nos nūquam relicturæ sunt. Quorsum autem attinet in cōgerendis diuitijs esse sollicitū, quæ neq̃ nostræ sunt, & mox alijs relinquere cogimur. Sicut enim nihil horū nobiscum attulimus in hunc mundū nascentes, ita nihil efferemus nobiscū moriētes. Diuitias in uoluptates prodigere, pestis est: cōditas seruare demētia est. Nos usum harū rerum naturæ finibus metimur, & cū suppetit quo uestiamur & alamur, nihil amplius requirimus. Facile suppetit undelibet frugalis uictus & uestitus. Nec enim hæc ad luxum adhibenda sunt, sed ad necessitatē. Necessitati paululo subuenitur: luxuriae gurgres insatiabilis est. Ingens quæstus est, pecuniæ iactura augere thesaurum pietatis. Ingens dispendiū est, ob uile lucellū amittere diuitias immortales. Non cōpetunt in eūdem studium diuitiarū, & studiū pietatis. Etenim quorū animos semel occupauit cupiditas distescendi, sollicitantur ad multa turpia, & incidunt in laqueum, multasq̃ cupiditates, non solum stultas, uerumetiam perniciosas. Si quidem hæc cupiditas nō uenit incomitata, sed ingens malorū agmē secum ducit, superbiam, fastum, ambitionem, uiolentiam, fraudem, iniuriam, luxum, uoluptates, aliasq̃ id genus pestes, quæ paulatim oneratum hominem in exitium ac perniciem demergunt, ut iam non solum sibi, uerumetiam alijs quibus præstet, sit pestilens, & exitiabilis. Quo maior est honor, quem gerit, hoc longius oportet abesse à specie huius mali. Summa potestas, summam requirit integritatem. Nihil autem integre facit, nihil incorrupte, quisquis auaritiā habet in consilio, quæ tantum abest ab honestate, ut radix ac seminarium sit malorū omnium, etiam si diuitiæ miram quandā felicitatē præ se ferre uidentur. Hæc esca illecti quidā, dum has appetunt, deprauati cupiditatibus aberrarunt à synceritate fidei euangelicæ: sibi scopum alium præfigentes, quàm Christi, & dum stulte captant suauem uitā, implicauerūt sese doloribus multis, magnis molestijs parantes, quod

Radix autem
omnium malo-
rū cupiditas

quod anxia sollicitudine custodiant, quodq; si contingat eripi, graui uulnere sauciet aurum pectus. Hæc eorum sunt, qui se Mammonæ deo dicarunt. Tu uero, qui deo consecratus es, hæc indigna tua professione fugito, ueras opes sequens, iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Iustitiam, quæ te seruet ab omnibus uitij immunem: pietatem, qua deum ames & huius gratia proximum: fidem, qua dei præsidio fretus, non crucieris huiusmodi rerum sollicitudine: charitatem, qua pro sis omnibus: patientiam, qua spe futuræ immortalitatis perdures in aduersis ac persecutionum procellis: mansuetudinem qua leniter feras imbecillitatem alienam. Hæc tueri non potest, qui sibi nihil nõ faciendū existimat amore diuitiarū. Tibi multo alius cursus susceptus est. Egregium certamē ingressus es, nõ avaritiæ, sed fidei. Neq; mediocre præmiū est propositum. Nec em̃ hoc agitur, ut hic momētaneis, falsisq; bonis dītescas, sed ut uitā adipiscaris æternam. Ad hūc scopum, ad hanc metā omni studio cōnitere. Ad hāc uocauit te deus agnotheta nõ fallax, qui te suo iudicio delegit, ut episcopus populo præsideres, ad Christi gloriam. Hoc suscepto presbyteri munere professus es, idq; multis testibus. Eximia est professio, sed huic ut respōdeas, magna opus est uigilātia. Si te parū mouet præmiū tam ingēs, moueat spectator deus, moueat tam multorū expectatio, moueat religio susceptæ prouinciæ. Hoc igitur etiā atq; etiā tibi præcipio, obtestans per deum patrē, qui omnib. autor est uitæ, etiā mortuos ad immortalitatē reuocaturus, per huius filiū Iesum Christū, qui sub iudice Pontio Pilato functioni quā à patre suscepit ad crucē usq; nõ defuit, ut tibi delegatam prouinciā sic geras, ut nullam maculā aut reprehensionē tibi cōtrahas, idq; facias constanter non solum ad iudiciū humanū, uerum multo magis spectans aduentum dñi nostri Iesu Christi, quem suis tēporibus rursus ostēdet orbī, beatus ille, solusq; potēs rex regnantū, & dñs dominantū, qui solus habet immortalitatē ex sese, qui solus inhabitat lucē inaccessā, quē nullus hominū adhuc uidit nec uidere potest, cui honor & potestas æterna, Am̃. Tantos habes tuæ functionis autores, ne quid diffidas autoritati tuæ: tantos spectatores ac iudices, ne quid secus q̃ oportet cōmittas: tantos propugnatores, ne quid metuas humanarū persequutionū procellas: tantos remuneratores, ne quid addubites de præmijs promissis. Ad illos tota euangelij gloria referenda est, ne quid hinc homo sibi uindictæ laudis. Declarauī, quā sit periculosum Christum professis, diuitiarū studiū. Quod si sunt inter nostros, quibus opes istæ contigerunt, ob quas mundus hic diuites ac beatos appellat, & ceu semideos quospiam suspicit ueneraturq;, his præcipe, ne, quemadmodum uulgo fit, fiducia facultatum efferantur animis, neq; præsidia felicitatis suæ constituent in rebus, primum inanibus, deinde etiā incertis, ut quas si nõ casus, certe mors eripit. Magis autē fidant in deo uiuo, qui nec uiuos, nec mortuos unquam destituit, cum ipse sit immutabilis, cuius beneficentiæ est, quicquid affatim annuo prouentu mundus hic nobis suppeditat ad præsentē usum, non ad extruendas opes. Quin potius huc suum conuertant studiū, ut se ad bona opera exercent, quo uere diuites fiant, & benefactis potius q̃ prædijs locupletentur: id quod forte obtigit, sic possideant, quasi cōmune sit, non proprium, eoq; faciles sint ad impartiendū egentibus, neq; ceteros, qui retenui sunt fastidiant, sed semet comes placidosq; præbeant ad cōgressum & consuetudinē uitæ cōmunis. Solet enim opulentia comes esse fastus ac supercilium. Ne fidant substructionū molibus. Nihil enim hic diuturnū est, quin potius ueris uirtutibus reponant sibi fundamentū solidum ac bonum in posterum, ut assequantur ueram uitam, id est, æternam. Nam hæc quid aliud est, q̃ cursus ad mortem? Cæteris curis omissis rerum fluxarū: ad hanc omni studio nobis properandū est. O Timothee iterum atq; iterum te obtestor, doctrinā hanc, ut est deposita, bona fide serua, ne sinas humanis dogmatibus uitari. Id fieri non potest, nisi quemadmodum superius admonui, futilem & inanem istorū loquacitatē, qui quæstiunculis & argutationibus humanis falsam scientiæ opinionē sibi uenantur, reiicias, cum humana scientia, cōstans opinionibus inter se pugnantibus, non mereatur nomen scientiæ. Nihil uerius scimus, q̃ quod euangelica doctrina fidesq; nobis persuasit. Cæterū quidam dum humanis ratiocinationibus, dum sophisticis altercationibus, dum nouis dogmatibus, quæ ipsi cōmentī sunt, docti sapientesq; uideri student, aberrarunt ab euangelicæ fidei synceritate, quæ credit, non disputat, nec hominū decretis abducitur à præscriptis dei. Vt intelligas hanc epistolā non esse subditiuiam, hæc mea tibi non ignota manu subscribam. Gratia tecum. Amen.

*Certa bonum
certamen*

*Præcipio tibi
coram deo*

*Diuitibus huius
seculi
præcipe*

IN EPISTOLAM AD TIMOTHEVM POSTERIOREM

Argumentum, per Des. Erasmus Roterodamum




Quoniam in superiori epistola spem sui reditus fecerat Timotheo, apud Ephesios agenti, nec fuit eius præstandi facultas, quod Romæ in uinculis haberetur, literis eum confirmat, ne persecutionum processibus deiciatur, sed suo exemplo animum ad martyrium præparet: instare enim tempora periculosa ob quosdam, pietatis prætextu ueram pietatem subuercentes, itaque sese iactantes, quasi in uerbis sit Christiana religio, ac non potius in animi puritate. Deinde testatus imminere diem obitus sui, seq̃ iam à plerisq̃ destitutum, iubet ut Timotheus unâ cum Marco propere ad se Romam ueniat. Scripsit Romæ, cum iterum ad Neronis tribunalisteretur.

Argumenti finis.

IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI

LI AD TIMOTHEVM SECUNDAM PARAPHRASIS

Des. Erasmi Roterodami.



PAVLVS Legatus Iesu Christi, ad hoc ascitus uoluntate dei patris, ut declararem, quanta sit felicitas futuræ uitæ, quam nobis pollicetur per filium suum Iesum Christum, ne uitæ huius iacturam magni faciamus, Timotheo dilecto filio, gratiam, misericordiam, pacem à deo patre & Christo Iesu domino nostro: Deo cuius non nuper cultor esse cœpi, sed cuius religionem à maioribus traditam, perpetuo sincera puraq̃ conscientia seruauit, seruoq̃ (siquidem eundem nunc colo Christianus, quem pridem colui Iudæus, licet aliter) gratiam habeo, cuius beneficio tu talis nobis contigeris, sic imitans nos sincera prædicatione doctrinæ euangelicæ, ut tuo merito te non aliter animo complectar, quam germanum uerumq̃ filium, adeo ut nec absentis unquam possim obliuisci. Siquidem in nocturnis diurnisq̃ precationibus, quibus deum interpellare soleo, & qui mihi uere chari sunt illi commendare, tu nūquam non occurris memoriæ meæ, magnoq̃ teneor desiderio uidendi tui, præsertim quoties recordor lachrymarum tuarum, quas in discessu meo sudisti, locupletissimas testes tuæ in me pietatis, mutuq̃ amoris. Quæ res facit, ut gaudio totus perfundar, cum in mētem uenit, quàm nos synceritate fidei referas, ut germanus filius parētem.

Atq̃ ut religionis integritas in me uelut hæreditaria fuit, ita uidetur & ista fidei synceritas tibi à maioribus per manus tradita. Siquidem ea constanter habitauit, primum in auia tua Loide, mox Eunica matre tua, neq̃ dubito quin & nepos religiosissimæ auis, & filius optimæ matri sis responsurus, quando has, quàm paternum genus referre maluisti. Hæc commemoro, quo & nostro, & maiorum tuorum exemplo reddaris alacrior, ut donum dei, quod per impositionem manuum mearum episcopus ordinatus accepisti, suscites tua industria uigilantiq̃, fortiq̃ & infracto animo peragas tibi delegatū munus, nihil expauescens quorundam oblationes, aut persecutorum sauitiam. Iudæorum est ista formidare, quæ præsens intentat uita: nobis qui per fidem euangelicam facti sumus filij dei, dedit deus longe alium spiritum, non qui nos pauidos reddat ac deiectos ob metum ac diffidentiam, sed innocentiæ fiducia, speq̃ promissæ immortalitatis fortes atq̃ erectos, charitate liberos & animosos, ut quæ simul & dei præsidio tota fidit, nec metuit proximi gratia subire discrimen. Postremo qui nos non sinat animo perturbari, sed efficiat, ut semper præsentem & infracto pectore perseueremus. Hūc igitur spiritum cū acceperis, exere uim illius, magnoq̃ animo declara, quod habes. Ne quid pudeat professionis tuæ, qua prædicas crucem & mortem domini nostri Iesu Christi, neq̃ te huius apostoli pudeat esse discipulum, quamquam his uinculis sum oneratus. Nihil gloriosius cruce Christi, quæ salutem dedit orbi, quæ diaboli tyrannidem fregit, quæ nobis immortalitatem peperit. Christi crux nostra est gloria. Neq̃ me catenæ, quas uolens perpetior ob euangelij negocium, faciunt infamem, sed

Non enim de/
dit nobis deus
spiritum timo/
ris

sed gloriosum magis. Proinde ne refugias ea pati, quæ passus est Christus, quæq; ego illius gratia perpetior. Quin & tu paratus esto uenire in societate afflictionum, quæ ob euangelium Christi nobis infliguntur. Quicquid ingruerit, non est quod trepidemus, res enim non agitur nostris uiribus, sed præsidio dei. Nos quidē imbecilles, sed ille potens, qui nos cum essemus perditī, seruauit per filij mortē, abolitis pristinae uitæ cōmissis, ac uocauit ad sanctimoniā, non ob ulla merita nostra, sed suapte uolūtate impulsus, spontaneaq; beneficentia, quā nō nupero consilio nobis largitus est: sed ab æterno, & ante tēpus omne, ante cōditum hunc mundū, hoc illi decretum fuit, hæc nobis conferre per Iesum Christū filium suum. Res apud illum noua non est, sed quod semper fuit in arcano mētis illius, id nuper declarauit orbi, per aduentū seruatoris nostri Iesu Christi, qui sumpto mortali corpore, per crucem aboleuit mortē, & per resurrectionem aperuit uitam atq; immortalitatē, per euangelij prædicationē, quæ Christi crucem imitātibus, similia præmia pollicetur. Huius euangelij prædicatio mihi delegata est, ut apostolo ac doctōri gentiū, ut per me discant, ad hoc dei donū non solum Iudæos esse uocatos, sed uniuersum hominū genus. Ob euangelium igitur quoniam alligatus sum catenis, adeo nō pudet huius afflictionis, ut etiā gloriæ mihi ducam. Ob maleficia pati, probrosum est, ob Christi gloriam affligi gloriosum est. Nihil me terret hæc tempestas, nam quamuis ipse sum imbecillis, tamen scio & certū habeo, quod is, in quo collocaui meam fiduciā, abunde potēs sit, ut in extremū usq; diem seruet quod illi concredidi. Illius præsidio & euangelij negociū, & mea salus, & Christiani gregis incolumitas in tuto est. Et si quid hic ad tēpus perire uidebitur, tamen ille, ubi uenerit ille dies, quo proferet suam magnificentiā orbi, multo cum foenore restituet. Ego apud illum deposui uitam ac salutē meam, ille mihi dispensationem euangelicæ doctrinæ cōcredidit. Si ego bonæ fidei depositarius fuero, ille non fallet fiduciā nostram. Quod ab illo accepi, tibi uicissim credidi. Ergo cum habeas formam atq; exemplar euangelicæ dispensationis, sinceræq; doctrinæ, quam ex me didicisti, non nitentem friuolis ac perplexis quæstiunculis, sed fide & charitate, quā nos & docuit, & exhibuit Christus Iesus, cura ut serues quod penes te depositū est. Rem sincerā ac puram deposui, tu uide ne tua negligentia uitietur. Scio multos adniti & adnixuros, ut euangelicā doctrinā corrūpant, sed tu fortiter ac constanter tuere quod accepisti, fretus præsidio spiritus euangelici, qui habitat in nobis. Hoc opitulatore fortes, quicquid inētabitur discriminū, facile negligemus, atq; etiā uincemus. Eo qui carent, territi malorū procella, deserunt euangelij negocium. Nam opinor tibi notuin, quod omnes ceteri, qui mihi adherebant in Asia, post sint auersati me, & cui fictis animis adfuerant, mox ad occasionem erumpente simulatione, Romæ cœperunt auersari. Quorum de numero est Phygellus & Hermogenes, ne prodam omnīū nomina. Vterq; ipso uocabulo declarat inconstantiam. Nam priori à fuga, posteriori à uersatili Mercurio uocabulum est. Non est meum illis imprecari quod meruerunt. Illud precandum, ut deus pie factorum remunerator, quiq; sibi uult imputari, quicquid officiorū famulis ipsius impenditur, benefaciat Onesiphori familiæ. Siquidem is cum sape aliās mihi fuit solatio refrigerioq; in his afflictionum æstibus, tum hoc tempore non puduit illum uinculorū meorum, intelligentem gloriosum esse pro Christo affligi: nec metuit consortium periculi, fretus promissis euangelicis: imò Romæ cum esset, adeo non refugit colloquium captiui, ut magno etiā studio me uestigarit, nec conquieuerit donec inuenisset. Inuenit ille materiam exercendæ misericordiæ, det illi dominus Iesus, ut uicissim inueniat misericordiam apud ipsum in illo die, quo cuiq; pro suis gestis merces reponetur, & deum erga se beneficū experiatur, qui beneficus esse studuit in afflictum. Non enim hic referam, quā multis in rebus mihi fuerit opitulatus Ephesi, cum tu id melius noris, q̃ ipse. Qualē istic se præstitit, talis erga me fuit & Romæ. Non em̃ terretur uera charitas ullis afflictionū procellis.

*illuminauit
autem uitam*

*Bonum depo-
situm custodi*

CAPVT II



Vius igitur ac meo exemplo tu quoq; robur animi sumas, fretus beneficio dei, quod habemus per Christum Iesum, & ad omnia pericula paratus ac munitus, sinceram euangelij doctrinam, quam ego tibi non furtim, sed coram multis testibus palam tradidi, tu uicissim fili charissime per manus alijs trade propagandam, non quibuslibet, sed quos bona fide dispensaturos iudicabis, quiq; usi fuerint idonei, ut non solum ipsi sequantur, quod hauserunt, sed etiam pure

*Tu ergo fili
mi cōfortare*

pure transfundant in alios. Vides ut qui militiæ sacramentis sunt addicti, rebus omnibus omissis, nihil non & ferant & agant quo cum laude munij suis defungantur. Habet et Christus suam militiam, huic nomē dedisti, in huius uerba iurasti, is te suis castris præfecit. Fac igitur, ita ut fortem ducem decet, aduersus omnia mala ingruentia strenuum te præstes, dignūq; imperatore tuo Iesu Christo, qui ad crucem usq; perstitit in officio delegato. Ne sis sollicitus de præsidij humanæ uitæ. Totam hanc curam in imperatorem reijce, tutus in hoc sis, ut quod ille mandauit, gnauiter obeas. Non oportet nos segniores uideri in militia Christi, quàm militum uulgus esse uidemus in profana militia. Quis enim horum ubi se semel ascripsit militiæ regis aut imperatoris, de uestitu aut uictu sollicitus est? Harū rerum prouisionem imperator in se recipit. Militi nihil aliud curandum est, quàm ut operam suā probet imperatori, à quo ceu strenuus ac fidus miles ad hoc negocij delectus est. Scit enim præmium esse paratum penes imperatorem, si modo promereatur. Quin & inter hos qui sese certaminibus Pancraticis addixerunt, quisquis decertat, non sat habet, ut quomocunq; decertet, sed nihil non facit, ut uincat, certus coronam quidem esse paratam, sed ei, qui gnauiter ac strenue se gesserit in certamine. Eundem ad modum industrius agricola, dum proscindit, dum stercoret, dum sementem facit, dum repurgat, totus est in opere suo, nec ullum laborem sibi grauem ducit, spe fructus, quem suo tempore fidelem terram scit esse reddituram. Quo magis oportet idem facere nos, qui in euangelij negocio uersamur, ut immortalitatis præmio cōmoti, nihil hic non uolentes perpetiamur, præsertim cum imperatorem habeamus, qui fallere nec uult, nec potest. Perpende quid his parabolis significem. Det autem tibi dominus non solum in his, uerum in cæteris omnibus intellectum. Nihil est dispendij, imò crescentibus afflictionibus, crescit lucrum euangelicæ salutis. Sic enim uisum est deo, suam declarare potentiam. Vidimus in capite, quod speremus in nobis. Quod scis, oportet meminisse, uidelicet, quod Christus Iesus, factus homo mortalis ex progenie Dauid, ferendis contumelijs illustrarit gloriā euangelij, & post crucis supplicium euectus sit ad immortalitatis præmium. Hoc est euangelium, quod hæcenus constanter prædico nec Iudæorum odio, nec gentium metu deterritus. Atq; huius gratia multis malis affligor ab utrisq; usq; ad carcerem & uincula, quasi facinorosus quispiam. Ac ne sic quidem ab euangelij prædicatione desisto. Corpus hæcenus alligatum est. Lingua Christi prædicatrix, alligari non potuit. Et captiuus quantū licet ad Christum quoscunq; possum allecō. Mea nihil refert quid patiar, modo lucrum aliquod adiungam euangelio Christi. Huius rei gratia uolens omnia perpetior, de mea quidem salute securus, sed ut ij quoq; per euangelij prædicationem cōsequantur salutem, quos deus ad hanc felicitatem destinauit, quæ salus offertur omnibus non per legem Mosaicam, sed per Iesum Christum: qui sicuti pro nobis est passus, ita uicissim decet, & nos pro illius euāgelio, et fratrum salute perpeti: & sicut ille per afflictiones uarias & ignominiam ad coelestem gloriam euectus est, ita nobis eodem eadem uia est enitendum. Multis hoc durum uidetur & incredibile, sed nobis indubitātū esse debet. Etenim si per baptismum unā cum Christo mortui sumus huius mundi cupiditatibus, aut si etiam in baptismi professione perseuerātibus obtigerit affligi malis huius mūdi, futurum est ut cum Christo uiuamus, uidelicet immortalitatis socij, qui mortis socij fuerimus: & si cum illo perpetimur, atq; ob illius gloriam, nimirum cum eodem etiam regnabimus. Aequissimus enim est deus, nec sinet à regni confortio secludi, quos malorum consortes esse uoluit. Si hic illum fortiter profiteamur apud homines, agnoscat & ille nos in maiestate sua, Sin illum abnegabimus (abnegat autem, qui crucem recusat) futurum est ut in extremo die formidabilem illam uocem audiamus, nescio uos. Si fidimus illi, nostrę salutis consulimus. Sin diffidimus, nihil decedet illi. Siquidem ex nostra de illo opinione, neq; profectus est illi, neq; dispendium. Ille natura uerax est, nec potest sui esse dissimilis. Siue credimus, siue non credimus, eueniet quod ille promissit, pijs immortalitas, impijs mors æterna. Hæc est basis euangelicæ doctrinæ. Huius omnes commonefacito, non disputans ac digladians humanis argutijs, sed obtestans per dominum Iesum, huius doctrinæ autorem & tuæ admonitionis testem, & ultorem impietatis, nisi moniti resipuerint. Huiusmodi cōtestatiōe graui seriāq; magis profeceris, quàm argutationibus. Noli sophistarū more, uerbis contendere, & humanis ratiocinationibus uelle asserere, quod fide percipiendū est. Siquidem ea res adeo non confert ad profectum pietatis

*Intellige
quæ dico*

*Verbū dei nō
est alligatum*

*Hæc cōmone
testificatus*

pietatis, ut labefaciet etiam fidei firmitatem, ac tandem subuertat animos audientium, nihil non uocari in quæstionē, & philosophicis rationibus, nunc afferi, nunc destrui de quo dubitare nefas, sic quæstione quæstionem propagante, ut nullus quæstionū neq; finis sit, neq; modus. Tu potius omīssis istiusmodi digladiationibus, stude te ipsum exhibere operarium euangelicum, non disputatorem, & probatum operarium, non hominibus, sed deo, & sic in euangelico negotio te geras, ut illi, qui te delegit non sis erubescendus. Id fiet si recisus superuacaneis disputationibus, ad fidei compendium uoces euangelicam doctrinam, & discussis perplexarum quæstionū spinetis, recto iudicio feces, trahesq; sermonem dei, ea tantum proponens, quæ ad salutis ac pietatis negotiū propriis pertinent. Cæterum inanes uerborū disceptationes fortiter reijce, quæ si semel receptæ fuerint, paulatim gliscet uenenum & semper ad maiore proficiunt impietatem, & tandem res eò deueniet, ut in ualescentibus humanis dogmatibus ac dissertationibus, obruatur, obscuretur, & obsolescat uigor euangelicæ doctrinæ. Siquidē sermo istorū, si semel aures & animos simpliciū occuparit, semper latius serpet, non aliter, q̃ cancer in corpore animantis, nō desinit paulatim occupare partes uicinas, donec exitiū attulerit. Quæ magis statim in ipsis initijs occurrendum est malo, ac refecandum est potius, q̃ fouendum, priusquam radices agat. Hæc putam te temere formidare, nisi iam in Hymenæo ac Phileto, quod metuo cōspeximus. Hi dum humanis disputationib. tractant rem fidei, adeo aberrarunt ab euangelica ueritate, ut quod est huius caput ac fundamentū, abnegarint, dicentes, resurrectionē iam in Christo peractam esse, neq; nobis aliam expectandā resurrectionem, q̃ qua in liberis nos referentibus quodāmodo renascimur, ac reuiuiscimus. Nec interim animaduertūt sublata resurrectione, tolli metum ac spem præmiorū, quæ diuersa manent pios & impios. Tolerabilius erat hoc malum nisi ipsi subuersi, & aliorum quorundam fidem sua doctrina subuerterēt. Sed periculum non est, ne istorū perversitas ueritatem euangelicā prorsus evertat. Ut fursum ac deorsum fluctuent opiniones humanæ, certe fidei fundamentum ope Christi factum ac defensum, stat firmum & nullis hæreticorum oppugnationibus labefaciendum. Cui cetero solido saxo insculptum est, nusquam eluendum elogium: Nōuit dominus, qui sint ipsiusti & discedat ab iniquitate, qui profitetur nomen Christi. Mirum non est, si desciscant a Christo, qui non erant illi sincere iuncti. Sed ab horū doctrina debent abstinere, quicunq; pura fide semel euangelio crediderunt. Optandū quidem uotis omnibus, ne quid oboriretur huiusmodi pestium in ecclesia. Sed fieri non potest, quin in tanta hominū multitudine, quosdam improbos feramus bonis admixtos. Quin & horum malicia uertitur in bonum piorum, dum ab his agitati magis declarant fidei suæ constantiam. Sic in ampla diuitis domo non solum habentur uasa aurea & argentea, uerum etiā lignea fictiliaq; quorum illa honesto usui deputata sunt, hæc inhonesto. Hoc tantum interest, quod quæ natura argillacea, aut lignea sunt, in aurum argentumue uerū non possunt: hic quoniam res uoluntatis est, non naturæ, qui se uitio suo uas fecerit ignominiosum, potest optulante deo efficiere, ut rursus incipiat esse uas honorificū. Ac rursus, qui pietatis cultor, uas aureum fuit in domo dei, si sua culpa relabatur ad impietate, uas erit probrosū. Incredulitas, ambitio, crudelitas, libido, & his cōsimiles animorū morbi faciūt ut aliquis uas sit ignominiosum. Ab his si quis se penitus repurgarit, & ad innocentiam pietatemq; resipuerit, nimirū uas erit honorificū ac purum, accommodum ad gloriosos usus, semper dño suo paratū, quoties opus erit. Scio iuuenturē uarijs cupiditatibus sollicitari, quæ pertrahant hominem ad impuritatem. Sed tu, qui senioris officio fungeris, omnia iuuenilia desideria fugito, sectare potius quæ te digna sunt, iusticiā, fidem, charitatē, pacem cum his, qui puro corde Christum profitentur. Cum Hymenæi similibus, nihil tibi sit cōmerciij. Non peccat innocētia, non disputat fides, non effertur charitas, non contendit pax. Porro stultas, & ineruditæ quæstiones, quæ plus habent ostentationis, q̃ sapientiæ, ne recipito, nō ignarus ex his nihil aliud nasci, quàm iurgia & rixas, dū semper in maius glisciente disputationis calore, res tandem in rabiem exit, adeoq; nullus alij uelit cōcedere, ut malit & agnitam falsitatē pertinacissime tueri, q̃ minus eruditus haberi. Cum hoc igitur hominū genere non conseres matrum, quando uinci nō possunt. Christus non hac uia persuasit mundo: Modestia, ac mansuetudine uicit, nec audita est uox eius in plateis. Decet itaq; seruū domini sui uestigijs inhaerere, nec esse pugnacem, sed placidum, ac mitem erga omnes: facilius enim persuadet,

Ut cancer
serpit

Subuerterunt
quorundam
fidem

Si quis ergo
emū dauerit se

Iuuenilia autem
desideria

qui charitate modesti ac cōmendatur, paratus ad docendum magis, q̄ ad obiurgandum: in malis tolerandis lenem, minimeq̄ irribilē, qui grauius magis, q̄ aspere corripiat eos, qui reluctantur, declarans sese nihil aliud agere his rebus omnib. q̄ ut illis medeatur. Neq̄ enim temere de quoquam est desperandū. Nam fieri potest, ut per modestam & amicam correptionē, det illis deus superioris errati pōnitudinē, iamq̄ discussa mentis caligine ueritatem agnoscant, & amplectantur, quam prius impugnabant, ac resipiscētes tandē, uelutiq̄ ab ignorantie graui somno expergiscētes excutiant sese à laqueo diaboli, quā nimirum sunt cupiditates prauae, quibus antea capti ad ipsius uoluntatem circumagebantur, etiam usq̄ ad impugnationem Euangelicæ ueritatis.

CAPVT LII

*Hoc autem
scito*



Non solum igitur aduersus Iudaeorum & ethnicorum persecutiones, uerum etiam aduersus horum maliciam nos muniamus oportet. Neq̄ enim dissimulandum est, sed uincendū, quod uitari non potest. Illud certū habere, quod spiritus futurū praeclit: extremis diebus instabūt tēpora grauissima, quum degenerante sincera pietate, & euangelica charitate refrigescēte, erunt homines sui tantum amantes, pecuniae studio dediti, fastuosi, superbi, maledici, parentibus inobedientes, ingrati, impij, carētes affectu erga suos, & propinquitatem cōiunctos, nescij fœderis, calumniatores, intēperantes, immites, bonorū osores, proditores sodalitatis & amicitiae, temerarij, turgidi, uoluptatū amantiores, quā dei. Titulo, cultu, ceremonijs, & hypocrisis prae se ferentes speciem pietatis, cum id quod est caput uerę pietatis abnegent, hoc pestilentiores, quod sub persona religionis, & uita sint contaminatissima, & sinceritatem euangelicæ doctrinæ Iudaicis fabulis & humanis inuentiunculis utient. Fortassis & hodie cernere est quosdam, ad hęc morū exitia tendentes. Proinde hos quoq̄ fac auerferis. Id quo certius facias, mores illorū ex parte tibi depingā. Siquidē huius generis sunt isti, qui cōmendatiōe simulatae religionis, sordidis uestibus, ficta seueritate uultus, pallore arte inducto insinuant semet in domos alienas, atq̄ illic primū uenantur stultas mulierculas, quo facilius per has imponant uiris, haud secus, q̄ serpens per Euam decepit Adam. Nam primum sexus imbecillior magis idoneus est imposturæ. Deinde non captant graues ac uere probas matronas, sed leues mulierculas, quæ sic Christum profitentur, ut interim onusta sint peccatis, quæq̄ quoniam non innituntur solidę pietati, fluctuant ac circumaguntur uarijs cupiditatibus, non contentæ semel à nobis didicisse, quod ad ueram pietatem satis est, sed noua subinde discere gestiūt, & ob id asciscūt sibi doctores accōmodos ad suas cupiditates, qui doceant illas nihil scire, nec unquam perducant ad cognitionē ueritatis. Imò sub prætecto doctrinæ euangelicæ, coelant impurissimam uitam, ac palam profitētes Christum, clām ea docent, quæ cum Christi doctrina ex diametro dissident ac pugnant. Mirum uideri non debet, si nūc exoriuntur, quorum improbitas aduersetur euangelio, Vetus exemplum est. Quemadmodū enim olim in Aegypto, Iambres & Mambres suis prestigijs conati sunt abrogare fidem ijs prodigijs, quæ Moses uirtute dei designabat: ita & hi sub falsa quadam imagine pietatis, aduersantur euangelicæ ueritati, homines deplorati, quippe non solum turpissimis animi cupiditatibus infecti, uerum etiam euangelicæ doctrinę fideiq̄ sinceritatē ad suos affectus deprauantes. Atq̄ hactenus quidem imposuerunt quibusdam, ceterū posthac, haud ita multum promouebunt suis technis. Siquidē futurū est, ut istorum amentia perspicua fiat omnibus, quemadmodum et magorum detecta fraus, reddidit illos contemptos, ac ridiculos. Etenim quorum mores & animus est insincerus, eorum doctrina nō potest esse sincera. Porro fucata non durat perpetuo. Quod aliquandiu texit simulatio, tempus in apertum profert. Tu uero longe dissimilis istorū, doctrinam euangelicam, quam tibi pure tradidi, pure item & constanter trāsfundes in alios. Qualis fuit mea doctrina, talis fuit & uita. Cuius rei testis optimus esse potes, qui diu mecum uersatus, nihil non expertus es, sinceritatem doctrinæ, & huic congruentem morum institutionem, alacritatem animi nihil refugientis, fidei robur nullis malis perturbabilis, lenitatem erga hæreticos: charitatem, qua prodesse cupiebam & hostibus: tolerantiam in persecutionibus & afflictionibus, quæ mihi te teste acciderunt Antiochiæ, Iconij, & Lystris. Scis quā hic graues persequutionum procellas sustinuerim supra uires humanas. Sed tamē ex omnibus his eripuit me dominus, cuius præsidijs eram infractus. Neq̄ uero hæc mihi uel meo peculiari quodam fato acciderūt, uel ob malefacta mea sunt inflicta. Ob sinceritatem

Homines mentes corrupti

Tu autē affectus es meā doctrinam

ceritatem Euangelicæ doctrinæ pariter ac uitæ, tot malis exercitus sum. Imò quicumque uolent ad exemplum meum & Christi sequi uerā pietatem, ad illius ac meū exemplū ad tolerandas afflictiones se præparent oportet. Nunquā enim non habiturus est mūdus, qui quo suam fictā religionem tueantur, affligant & opprimere nitantur ueræ pietatis cultores. Sed hæc afflictio nobis cederet in lucrum, quemadmodum improbis illis, & impostoribus, sua prosperitas cederet in cumulū dānationis, duplici nomine daturis poenas, & quod ipsi descuerint à ueritate, & quod alios suis erroribus inuoluerit. Sed illos si minus resipiscūt, suæ poenæ relinquo. Tu uero fac perseueres in his, quæ à me didicisti, & in officio tibi delegato. cōstanter esto syncerus, cū scias indubitātā esse doctrinam & institutionē quam habes, si modo meministi, & à quo profecta sit autore, et à quo magistro didiceris, nec tibi ex ciderunt sacræ literę, quas olim rudibus annis primæ pueritiæ, à maioribus didicisti, quæ recte quidē intellectæ, uel circa nostrū magisteriū, possunt te eruditū reddere, quantū attinet ad cōsequendā salutē, quam nobis p̄mittit euangelīū, non per obseruationē Mosai- cæ legis, sed per fiduciā, quā credimus Christo Iesu. Quod euangelīū ex parte docet esse factū, hoc literæ ueteris testamenti futurum prædicunt ac deliniant. Nec aliud docent, quā euangelīū, sed aliter, si modo nāscantur piū & eruditū lectorē. Nō est cur prophetarum aut Mosi libros post euulgatū euāgelium existimemus esse superuacaneos, si per spiritua- lem intellectum ad Christum & pietatem accōmodentur. Imò tota scriptura quæ nobis non humano ingenio, sed diuini spiritus afflatu prodita est, magnam habet utilitatem, uel ad docendum ea, quę cum periculo salutis nesciuntur, uel ad redarguendū eos, qui ueritatē repugnant, uel ad corrigendos ac reuocandos in uiam eos, qui simpliciter errant, uel ad institutionem & eruditionem, non in Iudaismo aut humana philosophia, sed in uera inno- centia integritateque uitæ: adeoque cuncta suppeditat, quę faciunt ad officia pietatis, ut homi- ni deo dicato, nihil iam desit quo minus consummatus sit, pleneque instructus ad omnia ui- tæ Christianæ munia.

*Omnis scri-
ptura diuini-
tus inspirata*

CAPVT IIII

Etiam atque etiam te obtestor, per deum patrem, perque Iesum Christum, qui iudicaturus est uiuos ac mortuos, cuius sententiam nullus hominum effugi- et, perque huius aduentum, quo non iam humilis, sed sublimis ac formidan- dus ueniet iudicaturus, qui hic passus est se iudicari, perque regnum eius, cui nulla potestas possit resistere, ut euangelicum sermonem fortiter prædices, nec aduersis deterritus, nec prosperis delinitus. Insta & urge opportune, inopportune. Nullum enim tempus tibi non uidebitur opportunum, quo spes sit profectus in euangeli- cō negocio. Argue delinquentē, hortare cessantem, increpa perseuerantem in errore, quo seueritate corrigatur, qui placida admonitione correctus non est, sed ita, ut acrimoniæ ob- iurgationis admisceas omnem & lenitatem & doctrinam, ne uel odisse uidearis si tantum intones conuitijs, uel temere litigare, si tantum increpes ac non doceas etiā. Facilius ob- tēperat, qui persuasus est, & libentius obtemperatur amanti quā inimico. Hoc magis occu- pandū est, ut confirmemus animos nostrorū, eo quod posthac erit tēpus, ut dixi, graue ac periculosum, quo quidam ab euangelica professione desciscētes, non ferent ueram ac sa- lubrem doctrinam Christi, pugnantem cum huius mundi cupiditatibus: sed ut ipsi sunt affectibus corruptissimis, ipsique uarijs, ita sibi uarios ac subinde nouos doctores eoacera- bunt, nō qui doceant pietatē, sed qui Iudaicis fabulis aut humanis inuentiūculis titillent aures quas habebunt stulta libidine prurientes, noua & arguta magis audiendi, quā uti- lia. Ad horum fabulas sese conuertent, & ab euāgelica ueritate auertent aures, quo magis tu in diuersum nitere. Ad uigila, euangelij gratia nihil non ferens, re ipsa te præbeas euan- gelij præconem. Nam qui sua docent, ut dicantur, certe euangelistæ nō sunt. In ministerio quod mei uice geris, fac ita uerberis, & plene persuadeas ea, quæ doces, infigasque penitus animis, ne facile labefiant ab his qui diuersa conabuntur docere. Id eo diligentius tibi conandū est, quod non sim diutius conatibus uestris opitulaturus. Nam ipse ceu uicima destinata Christo, iam immolari incipio, nec procul abest dies obitus mei. Volēs ac libens immolor, & bene mihi conscius antea cæ uitæ, & de præmio certus. Certamen egregium decertauī, cursum euangelicū consummatū, summa fide, quod delegatū erat peregi. Meis partibus sum defunctus, iam quod superest, scio esse in tuto. Scio mihi repositam esse coro- nam innocentie debitam, quam mihi redditurus est dominus imperator, cui militauī. Red-

*Testificor
coram deo*

*Opus fac eua-
geliste*

det autem non in hac uita, in qua certandi tempus, sed in illo die, quo iustus iudex reperi-
det unicuique primum pro uitae meritis. Nec enim mihi solum parata est haec corona im-
mortalitatis, sed & omnibus qui freti promissis eius, se seruant integros & incōtaminatos,
cum gaudio praestolantes illius aduentum, quorum de numero cōfido te cum primis esse.
Cura, ut quā primum uenias ad me. Carcer obstat quo minus liceat huc & illuc ambu-
lare in obeundis euangelij negocijs, & ab omnibus penē sum destitutus. Denique sunt quae
tibi ante decessum cupiam uiua uoce cōmendare. Demas me deseruit, malēs huius mun-
di delicijs frui, quā spe immortalis praemij, mearum afflictionum esse socius. Hoc animo
recepit se Thessalonicam: Crescens eō uocantibus negocijs, abiit in Galatiam: Titus in
Dalmatiam: Lucas solus mihi adest, indiuisus omnium fortunarū comes. Cum uenies,
Marcum comitem adducito, nam illius officio mihi est opus. Tychicum enim ipse obeer-
ta negocia mihi Ephesum. Penulam quam Troade reliqui apud Carpum, ubi uenies affer
tecum, usui mihi futurā & hyeme & in carcere, simulq; libros, cum reliquos, quos ibidem
reliqui, tum maxime descriptos in mēbranis. Alexander faber aëriarius, non solum me de-
stituit in his procellis, uerum etiā multis malis me affecit. Non est meum ulcisci, sed domi-
nus illi referet gratiam, ut meritis est, à quo tu quoq; cauebis tibi. Nam mihi in tantū non
adfuit, ut uehementer etiam aduersatus sit sermonibus nostris. Cum primum mihi esset a-
genda causa pro tribunalibus Caesaris, nemo mihi adfuit, omnes metu territi, me deserue-
runt. Humanū quiddā illis accidit, nolim hoc eis imputari, quanquā humano destitutum
auxilio, dominus non destituit, sed adfuit, & uires addidit ut per me praconium Euange-
licae fidei ad plenum persuaderetur, & huius fama ad omnī gentium aures permaneret.
Nam hoc, opinor, consilio uoluit me per uarias regiones circumactū tandem & Romam
deportari, quo latius spargeretur Euangelica doctrina. Huius ope, qui quouis tyranno po-
tentior est, sum ereptus ē faucibus leonis saeuissimi. Quin cōfido fore, ut idem dominus
me & in posterum sit erepturus ab omnibus impiorum malefactoris, ne quid ulla occasione
deflectam ab euangelij synceritate. Et si hic mors infligetur, ille tamen seruaturus est famu-
lum ac militem suum in regnum suum coeleste, cui gloria sit in aeternū, Amen. Saluta Pri-
scillam & Aquilam hospites meos, & optime de me meritam Onesiphori familiam. Era-
stus remansit Corinthi. Porro Trophimum reliqui Mileti, parum firma ualitudine. Da
operam ut huc te cōferas, prius quā hyems intercludat iter. Saluere te iubet Eubulus &
Pudens & Claudia, ceteriq; fratres omnes. Dominus Iesus Christus, qui mihi semper ad-
fuit, adsit & tuo spiritui. Gratia uobiscum, Amen. Id mea manu subscripsi, quo certior
sit epistolae fides.

Paraphraseos in post. epistolam Pauli Apostoli ad Timoth. finis.

IN EPISTOLAM AD TITVM ARGVMENTVM
per Des. Erasmus Roterodamum.



Titum discipulum suum, ac filij loco habitum ob eximias dotes, insula nobi-
lissimae Cretae praefecerat apostolus, & illinc abiens archiepiscopum con-
secratur. Huic scribit ex urbe Nicopoli, quae est in Aetiaeo littore, rebus ut
apparet, adhuc tranquillioribus. Siquidem afflictionum, aut persequutio-
num nulla mentio. Monet autē, ut quod ipse apud cretenses coeperat, con-
summet absoluatq; & per singulas ciuitates, quas centum habuisse memoratur ea insula,
episcopos instituat, quos & presbyteros uocat, idonei episcopi formam praescribens, Et
quoniam huc quoq; penetrant pseudapostoli, qui Iudaismū suum omnibus ingerebant,
animat eum, ut eos fortiter rejiciat ac refutet. Deinde personarum & aetatum praescribit
officia, quemadmodum Timotheo praescribit, illud addens, ne quisquam Christianae re-
ligionis praetextu principibus aut magistratibus resisteret, suo fungentibus officio, quam-
uis essent à Christi fide alieni, quin magis eos leniter ferendos, si quādo forte, uolente deo,
& illi resipiscant. Postremo iubet Titum ad se uenire Nicopolim, sed non prius quā ipse
Arteman, aut Tychicum illuc misisset, ne Cretenses destituti uiderentur episcopi solatio.

Argumenti finis.

IN EPISTOLAM PAVLI AD TITVM

PARAPHRASIS DES. ERASMI ROTERODAMI



PAVLVS ego seruus & cultor addidicius, non iam Mosaicæ legis, ut olim, sed dei patris, atque idem legatus filij eius Iesu Christi. Porro legationis hæc summa est, ut eos quos deus elegit ad consequendam euangelicam salutem, inuitem non ad legis obseruationem, aut operum fiduciam, sed ad fidem, quæ sola cunctis aperit aditum ad æternam salutem, ex gratuita beneficentia Iesu Christi: nec ad fidem tantum, uerum etiam ad agnitionem ueritatis, quæ apud ethnicos humane sapientiæ commentis obruta fuit, apud Iudæos umbris ac typorum uolucris obtecta. Veritas, inquam, non quam profitentur huius mundi philosophi, de causis rerum naturalium differentes, sed quæ compendio commonstrat, quibus in rebus sit sita uera pietas, cuius & scopus & præmium sit uita æterna. post hanc momentaneam uitam secutura, quam hoc maiore fiducia sperare debent, in quamlibet grauibus huius uitæ malis. Primum quod hanc illis promissit nō homo quispiam, qui & falli possit, & fallere, sed deus, qui tam nō potest mentiri, quā non potest nō esse deus. Deinde quod promissit non casu aut nuper, sed ante mundum conditum diuino & immutabili mentis ipsius decreto, fixum ac certum erat facere quod nunc facit. Nihil accessit noui decreto illius, sed quod hæcenus ob arcanas causas ipsi soli cognitæ, tectum atq; occultum esse uoluit, id hoc tempore, quod æterna sapientia huc negotio destinarat, toti mundo uoluit esse manifestum: neq; Iudæis tantum figurarum ænigmatibus obscuram quandam umbram ostendi, sed aperta sermonis euangelici prædicatione patefieri cunctis mortalibus, citra discrimen ullum generis aut linguæ. Hæc est summa euangelicæ doctrinæ, cuius prædicatione mihi non usurpata est, sed delegata, & delegata non ab hominibus, sed à seruatore nostro deo, qui non solum uocauit me ad functionem apostolici muneris, uerum etiam sic iniunxit, ut mihi liberum non sit detrectare quod mandatum est, ne cui leuissimum sit nostra auctoritas, aut illius etiam, cui meas uices delegaui. Talis igitur Paulus, hanc epistolam scribo Titō, uero germanoq; meo filio, non iuxta corporis, sed iuxta fidei propagationem: quam in illum transfudi, & in qua ille sic me refert, ut in eo, ueluti pater in filio non supposititio renatus uidear. Huic opto, ut cōtingat gratia & pax ab eo, à quo quicquid est uerorum bonorum proficiscitur, nempe à deo patre, & Iesu Christo unico nostræ salutis autore. Nam his opibus cupio filios meos dirigere. Atque ut iam ad te sese nostra uerrat oratio, Cum nossem ingenium istius insulæ, neque dubitarem, quin opus esset fideli pariter ac uigilante curatore, ea gratia te uelut alterum me reliqui in Creta, Euangelij negocijs aliō me uocantibus, ut quæ per nos cōcepta sunt corrigi, tu nostras ibi uices gerens absoluas. Et quoniam solus tot ciuitatibus, quibus abundat insula, curandis par esse nō potes, cōstitues in singulis ciuitatibus episcopos singulos, quemadmodū & istinc abiēs tibi mandabam: sed ad tantum munus caue ne quem temere admoueas. Spectatissimus sit oportet, cui tantam prouinciā deleges, non solum notæ testatæq; probitatis, uerum etiam alienus ab omni suspitione criminis. Quem quo certius deligas, notis aliquot eum tibi depingā. Si quem cognoueris ijs moribus, eaq; uitæ integritate, ut nihil criminis illi probabiliter possit impingi. Si quis unico matrimonio contentus, non præbuerit speciem incontinentiæ, si liberos habeat sic institutos & educatos, ut non solum professione religionis Christianæ, uerum etiam uitæ innocentia testentur se uere Christianos, hoc est, non ob luxum infames, quemadmodū solet uulgus adolescentum, non parum morigeros suis parētibus. Oportet enim eum qui dignus habeatur episcopatu, in tantum abesse à flagitijs & flagitij suspitione, ut familiæ quoq; suæ integritatem & famam sibi præstandam esse intelligat. Nam & liberorum admissa parentibus solent imputari. Porro quicquid lædit famam Episcopi, hoc redundat in infamiam euangelij. Oportet igitur eum, qui dei uicibus quodammodo fungitur, cuiq; ille thesaurus euangelicæ doctrinæ, ueluti selecto dispensatori cōcreditus est, undiquaq; inculpatum esse, longe semotum à uitijs istorum, qui uulgo magistratus gerunt: ut qui lubentibus ac uolētib; imperet, quiq; præter gregis sibi commissi salutem nō

Secundum fidem electorū

Que credit est mihi

Si quis sine crimine est

hil spectet, qui mederi studeat nō opprimere, docere nō cogere, ducere non trahere, quicq̃
 persuadeat potius, q̃ exigat, beneficijs ac lenitate uincat magis, quā imperio. Hæc qui
 spectat, eum nō oportet esse præfractum, non iracundū, non linguæ procacis, quibus re-
 bus citius alienantur homines, quā sanantur: non turpiter auidum lucri, quæ res cum in
 profano magistratu & fœda sit & pestilens, multo magis in episcopo erit detestanda. Nihil
 enim incorrupte gerit, quem morbus habet avariciæ. Quin potius talis esse debet, ut sua
 quoq̃ liberaliter effundat in hospites refocillandos. Ad hæc bonarum rerum auidum ac
 bonorum hominum amantem esse decet magis, quā pecuniarū. Idem sobrius sit oportet,
 iustus innocentia uitæ, pius cultu religionis euangelicæ, nullis animi perturbationibus
 obnoxius, sed omnibus cupiditatibus, quibus uulgus mortalium sursum ac deorsum agi-
 tur, superior. Sed in primis constanter tenax euangelici sermonis, quō sit instructus ad
 docendum imperitos, quæ ad rem pertinent, simulq̃ possit sana doctrina exhortari ces-
 santes, deniq̃ & cōtradicentes coarguere. Non temere hæc moneo. Sunt enim multi intra-
 ctabiles, inaniloqui, ac mentium seductores, qui doctrinæ euangelicæ non auscultantes,
 pro hac friuolas quasdam & inutiles Iudæorum fabulas adferunt, quo sibi famam erudi-
 tionis & quæstum pariant: per has mentium simplicium aliquot in fraudem illiciunt, sub-
 prætextu religionis irrepentes in animos auditorum, adeo ut aliquoties non unum aut
 alterum corrumpant, uerum etiam totas familias subuertant, docentes absurda quædam
 & ab euangelica ueritate uehementer abhorrentia, sed tamen euangelij Christi-
 que titulo ad quæstum, quem turpiter uenantur, abutuntur. His igitur acriter increpitis, oportet oc-
 cludere os. Sunt autem nonnulli ex gentibus, qui huic malo sint obnoxij, sed potissimum
 tales eos reperiēs, qui ex Iudaismo conuersi quidem sunt ad Christum, sed insincere, sic
 profitentes euangelium, ut Mosaicam legem admisceant, nec Iudaicæ superstitionis ui-
 tium penitus relinquunt. Nec mirum est in Creta reperiri, qui uaniloquio & noxijs arti-
 bus uentrem pascant, cum id ante multos annos Epimenides ipse Cretensis de suis Cre-
 tensibus sit uaticinatus. Vaticiniū apud hunc sic habet: Cretenses semper mendaces, ma-
 læ bestię, uentres pigri. Hoc adeo uerū est elogium, ut oraculum uideri possit. An non na-
 tura mendaces sunt, qui clarissimam euangelicę ueritatis lucem non uerentur suis fabulis
 obscurare? An non noxiæ bestię, quæ uenenum suum passim afflant incautis? An non pi-
 gri uentres, qui malunt per falsam doctrinā in ocio luxuq̃ uiuere, quā pro tuendo euan-
 gelio nobiscum esurire ac malis affligi? Quam obrem redarguito istos seueriter, quo reli-
 piscant, & relicta fiducia legis, puram euangelij fidem amplectantur, neq̃ præbeāt aurem
 istiusmodi fabulæ Iudaicis, quibus omissis Christi præceptis, ingerunt constitutiones
 hominum, de neomenijs, de sabbatismis, de circuncisione, de lotionibus, de ciborum de-
 lectu, de uestitu, de non contingendis certis rebus, de domo septem diebus impura, alijsq̃
 his cōsimilibus, quæ deus pro tempore præcepit olim Iudæis obseruanda: partim, ut gens
 alioqui rebellis & intractabilis, multitudinem præceptorū coerceretur, partim, ut ista ueris
 rebus uelut umbræ præluderent, sed quæ nunc adeo nullū usum habent, si quis Iudaico
 more pergat obseruare, ut nulla res magis auertat ab euangelica ueritate. Nec enim ullum
 genus pertinacius rebellat euangelio, quā Iudeorū, non ualentium istas nugas relinquere.
 Hic, inquit, cibus impurus est, ne uescitor. Hoc corpus immundū est, ne contingito. Fa-
 cessant apud Christianos ista discrimina, quibus puris omnia pura sunt, nihil execrabilis,
 quod optimus deus ad usum hominum cōdidit. Vt autem pure Christianis nihil est im-
 purū, ita Iudeis animo impuris, nihil est purū, ne ea quidē, quę lex ut pura permittit. Cum
 enim diffidant ei, qui post euangelij proditum uoluit hæc omnia non iuxta carnalem sen-
 sum obseruari, sed ad animi negocia referri, quid istis potest esse purū, quorū & mens est
 inquinata diffidentia, & uita contaminata luxu, ambitione, avaricia, cæterisq̃ morbis: Le-
 gem mordicus tenent, & legē non intelligunt: præputiū habent circuncisum, mentē incir-
 cuncisam: lotis manibus ac pedibus ingrediuntur, animū & conscientiam habent illotā. Ob-
 seruant ocia sabbatorū, sed interim peccus habent odio, ira, ambitione, cæterisq̃ perturba-
 tionibus irrequietū. Metuūt inquinari, si gustent carnē suillā, & mundos se putant, cum
 auide hauriunt turpiloquium, obreclationemq̃. Impiātos se putant, si contigerint cada-
 uer, nec interim abhorrent à contactu scorti, aut rei furtiuæ. Nefas esse ducunt ut uer-
 ste lino lanaq̃ permixta, nec sibi displicent, cum peccus habeant tot sceleribus opertum.

Impudenter

Impudenter igitur iactant se solos nosse deum, cum illum præ cæteris mortalibus, factis abnegent. An non abnegant, dum ueris animi sordibus oblitī, sunt abominabiles: dum per incredulitatem intractabiles? Denique dum ad omnia ueræ pietatis officia, quibus deum demeremur & agnoscimus, peius se gerunt, quàm mortales cæteri.

CAPVT II



Ed ualeant illi cum suis fabulis, te nihil commoueat istorū improbitas, quo minus memineris officiū tui, eaq; loquaris, quæ digna sunt uere euangelica doctrina, hoc est, quæ nos puris affectibus, purisq; moribus deo commendent, & Christi declarent esse discipulos. At quæ sunt ista inquires? Nimirum seniores admonēbis, ut sobrii sint, aduigilantes ad officia pietatis, &

Tu autem loquere

ætatis torporem, fidei alacritate uincant: ut graues sint, neue indecore præter ætatis rationē iuueniliter ineptiāt, & moribus compositis ac modestis, quo reuerendi sint iuuentutī: ut moderati, ne quod uulgus senum solet, morosi sint, & ad iram faciles: ut spectati sint & inculpati, non solum integritate fidei, uerumetiam in obeundis charitatis officijs, in tolerandis incōmodis, præsertim ob Euangelium Christi. Anus ad eundem modum admonēbis, ut eo cultu habituq; utantur, qui doceat religionē professos deoq; dicatos: ne sint calumniatrices alienæ uitæ, qui morbus esse solet & sexui illi & ætati peculiaris: ne multo uino deditæ, etiam si illi ætati cōcedendus est uini usus, sed moderatis: & puellas honesta doceant, non lenocinium: easq; sic instituunt, ut prudentes sint, ut maritos suos diligant, ut liberos ament, ut sobriæ sint, ut castæ, ut domi assiduæ sint, rei familiaris curā agentes. Hæc enim præcipua mulierum laus: ut maritis suis subditæ sint, ac morigeræ, ne ob harū mores infametur nomen dei, cuius religionē profitentur. Cum enim in his officijs uideamus & ethnicorum uxores probe se gerere, quid dicturi sunt, si conspexerint Christi religionem profitentes, in eisdem esse deteriores, quas decebat omnibus modis antecedere? Iam quod anus ex tua institutione docent puellas, idem tu docebis adolescentes, exhortans illos, ut sobrii sint, ac moderatis affectibus, ne calor ætatis illos præcipites agat. Atq; quo hæc persuadeas efficacius, in primis præbe teipsum exemplar honestarum actionum, idq; in omni pietatis officio. Neq; enim quisquam facilius persuadet, quàm qui cōstanter id facit, quod faciendum esse docet. Sic igitur docebis iuuentutem, ut interim inter docendum præstes integritatem uitæ, nullo uitio corruptæ: grauitatemq; quæ commendet auctoritatem docentis. Itaq; sermonem omnem modereris ac uitam, ut nihil sit, quod possit contemni: ut non solum ij, quibus præscribis, obtemperent, uerumetiam fiat, ut eos qui antehac aduersabantur Euangelio, iam pudeat suæ maledicentiæ, ubi uiderint omnia sic esse integra, ut etiam obseruantes ac uenantes quod calumniētur, nihil tamen reperiant, ob quod uobis merito obtrecent. Seruos hortare, ut heris suis subditi sint, ac morigeri sint in omnibus, ne professione religionis facti uideantur incōmodiores, & incipiat imputari Euangelio, quod hominum uitio peccatur: Ne sint igitur responsatores, ac detrectantes iussa dominorum, ne suppilatores, quemadmodum uulgus seruorum solet, ut qui fidem Euangelicam profitentur, in omni officio præstando dominis fidos sese & integros declarent, etiam si illi parum promereantur, ut suis honestis moribus commendent & ornent doctrinam seruatoris nostri Dei, quo plures ad eam amplectendam alliciantur, si conspexerint hanc professos, ad omnia uitæ commercia reddi commodiores ac magis amabiles. In hoc enim per Euangelium illuxit antehac ignota beneficentia clementiæque seruatoris nostri Dei, & illuxit, non Iudæis modo, uerum ex æquo cunctis hominibus, non ut legis onere liberati, nostro uisueremus arbitrio: sed erudimur, ut posteaquàm per baptismum condonata nobis sunt superioris uitæ commissa, & iurantes in uerba Christi, semel renunciauimus impiæ religioni, cultuiq; simulacrorum, simulq; mundanis cupiditatibus uniuersis, posthac ita uitam agamus in hoc mundo, ut appareat nos uere renatos in alios homines, & qui prius seruiebamus impietati, flagitijs, uarijsq; cupiditatibus, quæ nos inescabant ad turpia, deinceps præstemus temperantiā, ut nullis humanarum rerum cupiditatibus perturbemur, præstemus iustitiam, ut benemerentes, quod in nobis est, de omnibus, neminem lædamus: ut cultum, quem præstabamus dæmonibus, nunc sincera professione puraq; uita præstemus Deo. Quod si interim paupertate, nu-

Vt non blasphemetur nomen dei

Apparuit enim gratia dei

ditate, infamia, conuiitijs, carceribus, cruciatibus, uarijsq; malis affligimur, ne putemus sterilem esse pietatem nostrā, neq; uenemur huius uitæ præmiola, quæ nec magna sunt, nec diuturna, sed expectemus eximium illud præmium immortalitatis, quæ tum continget, cum peracto hoc seculo, quo per afflictiones & ignominias exercentur adhuc membra Christi, Deus pater profligatis omnibus malis, aperiet gloriam ac magnificentiam suam in suis cultoribus, iam non humilis apparens, sed gloriosus, & impijs formidabilis, simulq; cum patre apparebit eadem gloria cōspicius, dominus ac seruator noster Iesus Christus, membris suis eandem immortalitatis gloriam impartiens, qua præfulget ipse. Is ne quis diffidat huius promissis, in hoc uolens ac sciens tradidit se in mortem, seq; totum nobis impendit, ut ipse ab omni peccato immunis, precio sui sanguinis nos redimeret à tyrannide diaboli, cui nostris flagitijs eramus obnoxij, & abolitis semel superioris uitæ maculis, pararet sibi nouū quendam ac peculiarem populum, qui ad ipsius exemplum, contemptis huius mundi malis, calcatis huius uitæ illecebris & autoramentis, bonis operibus ambiret immortalitatis hæreditatem, quam ille pollicetur omnibus Euangelicam professionem pure casteq; seruantibus.

CAPVT III

Hec loquere
& exhortare



HAEC tu mi Tite loquere, multum à Iudaicis illis fabulis dissidentia, ad hæc exhortare, ab his desectentes redargue summa cum autoritate, ut quibus doctrina non persuadet, quos non mouet blanda exhortatio, eos coerceat acris ac seuera reprehensio. Sunt enim quædam uitia, quæ seueritate sananda sunt. Hic grauitatem & autoritatē episcopi profer, & ita te gere, ne quis te merito possit contemnere. Fastus & supercilium abesse debet, autoritas quoties res postulat, est adhibenda. Porro quales modo uolebam seruos esse erga heros suos, licet ethnicos, tales uelim te monitore, esse Christianos omnes erga eos, qui principatum gerunt, aut magistratibus funguntur, licet à Christiana professione sint alieni. Siquidem illud modis omnibus agendum, ne quis ex nostris moribus ansam possit arripere, alienandi se ab Euangelio. Id autem fieret, si qui funguntur publicis muneribus, sentiāt nos ob professionem susceptā cæteris esse seditiosiores ac ferociores, minusq; dicto audientes. Mox enim imputantes hoc Euangelio, magis etiam alienabūtur ab illius professione. Admone igitur eos, qui Christum professi sunt, meminerint non ideo se liberos esse à publicis legibus, & autoritate principum ac magistratuum: imò tanto magis conuenit illis subditos obtemperare, dictoque audientes & ad omne opus bonum paratos ac promptos esse, ut non coacti metu pœnæ, sed sponte quod honestum est exequi uideantur. Si recte imperant illi, iniquum est, imò pessimi exempli est non obedire publicæ potestati: sin durius imperant, si premunt inclementius, si exigūt immoderatus, nullos magis decet lenitas ac tolerantia, quàm Christi discipulos. Quicquid imperant, quod non adimat nobis pietatem, in eo obtemperandum est. Adimunt facultates, crescit pietatis thesaurus: eijciunt in exilium, nusquam nō adest Christus. At dixerit aliquis, impij sunt, simulacrorum cultores, manifestis sceleribus inquinati, hostes nostræ religionis. Suo periculo tales sunt, non est nostrum illos condemnare, sed si licet emendare. Melius autem obsequijs lenitateq; & exemplo bonæ uitæ emendantur, quàm rebellione aut conuiitijs. Illos suo iudici relinquamus, nos quid nobis dignum sit meminerimus. Christus deprecatus est etiam pro conuiuantibus, tantum abest ut maledicta regesserit. Qui conuenit igitur, ut huius discipuli in quenquam sint contumeliosi: ut litium amantes? Quin potius ad exemplum eius, cuius nomen profitentur, præbeāt sese humanos, omnem mansuetudinem exhibentes, nō solum erga probos ac promeritos, uerum etiam erga omnes homines. Erga probos, quia merentur: erga improbos, ut resipiscant, & ne probabiliter iritati, peius sentiant de religione Christiana. Omnia suffert, omnia sperat Christiana charitas. Miserandi nobis magis sunt, quàm abominandī. Id eò magis faciemus, si recordemur nos aliquando tales fuisse, quales illi nūc sunt. Ne auersemur illos, quod sunt impij, sed adnitamur, ut desinant esse quod sunt, & incipiant nostri similes esse. Quis nos uocauit à cæcitate nostra: nōne clementia gratuita dei? Eadem potest & illos immutare, cum uolet. Quanquam enim nos, qui ex Iudaismo uenimus ad euangelium, non colimus idola, tamen eramus olim grauib; alioqui uitijs obnoxij. Stulti, inobedientes, errantes

Eramus enim
aliquando &
nos

errantes, ferulentes cupiditatibus ac uoluptatibus uarijs, pleni inuidiâ, pleni maliciâ, si-
 mulatibus ac mutuis odijs decertantes. His, inquam, tantis malis, etiam sub lege Mosai *Inspicientes,*
 ca eramus obnoxij. Porro quod nunc pro stultis & uecordibus, sobrij sanique sumus: quod *increduli*
 pro rebellibus, mites ac tractabiles: pro errantibus, ueritatis gnari: pro mancipijs cupidi-
 tatum ac uoluptatum, spontanei cultores iustitiâ: pro maliciosis, simplices ac benigni:
 pro inuidis, benefici: pro osoribus, etiam ipsi bene uolentes, qui nobis male uolunt, non de-
 bemus legi, neque nostris meritis, sed gratuite bonitati dei, per quam cupimus si fieri pos-
 sit, omnes nobiscum gaudere cõmuni salute, utque omnibus illucescat Euangelij ueritas,
 quemadmodum illuxit nobis. Nam antea cæci uersabamur in tenebris quemadmodum *Cum autem be-*
 & illi: at ubi iam patefactum est per euangelij lucem, quam ingens esset bonitas, quantaque *nignitas et*
 erga cunctos homines charitas dei patris, qui est autor nostræ salutis, tum demum de- *humanitas*
 pulsa caligine uitæ prioris ueram salutem sumus adepti: non ex obseruatione legis, quæ
 suam quandam habebat iustitiâ, sed partem efficacem ad præstandam salutem, uerum ex gra-
 tuita sua misericordia. Siquidem per lauacrum sacrum renati sumus & insiti Christo illius
 filio, perque huius spiritum innouati, desiuimus esse carnales, ac coepimus esse spirituales.
 Quicquid igitur sumus, id totum illi debemus, qui spiritum suum, quæ lex dare non po-
 terat, affatim effudit in nos, nihil promeritos: effudit autem per Iesum Christum serua-
 torem nostrum, per quæ nobis omnia largiri placuit: ut illius beneficio purgati à pecca-
 tis pristinis, bonis operibus nitamur esse idonei qui capiamus hæreditatē uitæ immor-
 talis, cuius certam spem nobis facit euangelica doctrina. Posteaquā igitur & nos aliquan-
 do fuimus miserabiles, solaque dei misericordia liberati à peccatis, speramus æternæ uitæ
 coronam cum Christo, debemus & nos aliorum misereri, ac modis omnibus adniti, ut
 & illorum misereatur Deus. Hæc pro Iudaicis fabulis inculcet episcopus Christianus:
 sunt enim certa & indubitata. Nihil autem superest nobis, nisi ut ipsa deinceps uita beneficio
 dei respondeamus, alioqui nihil nobis profuerit euangelica professio. Quare de his quo-
 que confirmes & asseueres uolo, quæ uehementer ad rem pertinent: ut qui semel credide-
 runt deo, quod illius gratuita clementia sint redempti à peccatis, quod is immortalitatis
 coronam daturus sit omnibus, qui pietate uitæ Iesum Christum pro uiribus student æmu-
 lari, sic uitam transigant, ut & professione, & tantis promissis non indigna uideatur. De-
 clarabunt autem se uere Christianos, non si exereantur aut maledicant ethnicis aut Iu-
 daeis, sed si benefici sint erga omnes, si misericordiarum affectu studeant omnibus opitulari.
 Hæc enim non solum ornabunt & cõmendabunt euangelicam professionem, ut per se ho-
 nestâ, uerum etiam ut utilia ad pertrahendum alios ad Christum, & ad opitulandum ipsis,
 qui premuntur aliqua calamitate. Christianismi caput est, prodesse omnibus: & benefi-
 cius uincuntur ac mansuescunt & feræ. De his igitur ita differes, non tanquam addubitans,
 quemadmodum faciunt isti, qui omnia uocantes in quæstionem, nihil sibi persuasum
 habere uidentur: sed magna uultus fiducia, magnaque sermonis constantia, ut omnes in-
 telligant tibi persuasissimum esse, quod alijs suades. Ex his fructus est pietatis. Cæterum
 stultas & indoctas quæstiones, ac perplexas genealogias, & contentiosas dissertatio-
 nes, aut pugnas uerius de lege Mosai, quas excitant quidam Iudaissantes ad gloriam,
 ad quæstum suum, tu rejice, uelut inutiles ac superuacaneas ad Euangelicam pietatem.
 Quid enim officit ad pietatem, si nesciam quare Mosi sepulchrum nusquam reperiatur:
 an ob id, ne, quod aiunt Iudæi, à Magis excitaretur? Quot annos uixerit Metusalem?
 Quoto ætatis suæ anno Solomon genuerit Roboam? cur Moses uetuerit uesci carne suil-
 lar? sed hæc curiosa tantum. At quid prodest quærere, cur Iudæi sanguinem mustelæ tanta
 cura putent expiandum? aliaque his etiam stultiora. In quibus explicandis quæstum atti-
 net immorari eum, qui properat ad premium pietatis? Resecanda sunt ista magis, quam
 explicanda, & qui hæc profitentur ut rem eximiam, increpandi sunt potius, quam dispu-
 tatione uincendi. Si simpliciter errant, admoniti resipiscunt. Sin destinata malicia pec-
 cant, ob gloriâ, aut quæstum, aut aliam turpem causam, parati erunt & illa tueri, quæ sci-
 unt esse falsa. Hos ubi semel atque iterum corripueris, ceu factiosos & insanabiles de-
 uita, ne prouocati magis noceant, quam neglecti, & uertatur in diuersum discrimen,
 ne qui sanari non possunt, monitorem pertrahant in errorem. Quorsum enim attinet fre-
 quentius adhibere correptionis pharmacum, si spes medendi non sit? Humanus error
 una atque

una atque altera admonitione sanatur. Perueritas insanabilis est, & remedijs exasperatur. Proinde qui semel atque iterum increpitus, pergit nihilominus sui similis esse, hunc ut deploratum, ac penitus subuersum, suo morbo relinquo. Nec est ad laborandum, ut illum condemnes, cum ipse suo ipsius iudicio sit condemnatus. Si perit, suo uitio perit. Non enim habet, quod prætexit, insciens erravi, nemo me monuit. Quid autem facias ægroto, qui pharmacum rejicit? Fortasse cōtemptus ac neglectus resipiscet. Sin minus, certe minus multos afflabit sui morbi contagio. Est cur cupiam te mihi adesse dies aliquot. At nolim id fieri dispendio Cretensium ecclesiarum, quæ nuper Christianam professionem amplecti cœperunt, eoq; magis opus est uigilante præfecto, qui iactis utcumque fundamentis superstruat. Cura igitur, ut Nicopoli me conuenias, sed non prius q̃ Artemam, aut Tychicum istuc misero, pro te meis uicibus functurum, ne tuus abitus Cretam destitutam reddat, atq; orphanam. At ne quid uerearis, ne me aliò præfecto frustra huc te cōtuleris, decretum est mihi proximā hiemem agere. Nicopoli, ea ciuitas est Thraciæ. Zenam olim legis Mosaicæ professorē, nunc insignem euangelij præconem, & Apollo uirum in euangelica doctrina spectatum, cum isthinc discedere uolent, omni cum humanitatis studio deducito, curatoq; ne quid illis desit, quod ad necessitatē professionis pertinebit. Si hæc humanitatis officia præstantur ab ethnicis, ut hospitem benemeritum honoris gratia deducant, ac uiaticum comitumq; suppeditent abeunt, æquum arbitror, ut nostri quoq; qui Christum profitentur, discant talibus officijs uti, uerum hæcenus ut benemeritis gratiā referant, non ut illos sua liberalitate locupletent, sed ut quæ ad necessarios uitæ usus pertinent, suppeditent, cū erit opus. Neq; enim conuenit ut cū ijs, qui à Christo sunt alieni, tamen natura magistra norint rependere gratiam ijs, à quibus beneficio sunt adiuti, Christiani steriles & infrugiferi sint erga eos, quorū tantam beneficentiam sint experti. Quotquot hic mecum sunt salutem tibi precantur. Tu uicissim istic saluta meo nomine, quotquot nos amāt, nō affectu mundano, sed euangelica charitate, quam fidei cōmunis professio conciliat. Beneficentia gratuita dei semper adsit uobis omnibus, Amen.

IN EPISTOLAM PAULI AD PHILEMONEM ARGUMENTUM, per Des. Erasmus Roterodamum.



Raci tradunt hunc Philemonem genere Phrygem fuisse, quam nationem intractabilem ac seruilem esse, uel Græco prouerbio iactatum est: Phryx plagis emendatur. Quem tamen Paulus ob pietatem & officia in sanctos, inter præcipuos habuit amicos. Huius seruus Onesimus Romam profugerat non sine furto, quod fere serui solent. Illic audito Paulo, qui tum in uinculis erat, euangelicam doctrinam amplexus est, ac Paulo seruituit in carcere. Verum ne quid herus ob serui fugam animo cruciaretur, remittit eum, sed miro studio miraculi ciuitate seruum & fugitiuū & compilatorem domino reconcilians, se interim sponsorem offerens, depensurus, si quid ille suppilasset in fuga. Scribit autem e uinculis per dictum Onesimum, quem & filium uocat.

IN EPISTOLAM PAULI AD PHILE

MONEM PARAPHRASIS DES. ERASMI ROT.



PAULVS antehac apostolus ac seruus Iesu Christi, nunc etiam uinctus eiusdem, cur enim non illius uinctus esse gloriatur, ob cuius euangelium hæc uincula gesto: non ut pœnam malefactorum, sed ut insigne liberi strenuūq; præconis, simulq; mecum euangelicæ predicationis consortio frater Timotheus Philemoni, cōmunis fidei professione fratri unice diligendo, neq; fratri tantum, uerum etiam pluribus officijs consorti mihi & participi in Euangelica functione, huiusq; uxori Appiæ, mihi ob fidei cognationem sorori plurimum amandæ, & Archippo commilitoni nostro, reliquaq; congregationi, quæ domi illius est, Gratia

est, Gratia uobis & pax à deo patre nostro communi, & huius filio Domino nostro Iesu Christo. In precibus meis, quibus quotidie Deo solitus sum litare, semper illi gratias ago tuo nomine. Nam huic acceptum fero, quod audio prædicari ab omnibus, & fidei tuæ sinceritatem, & charitatem uere Euangelicam, quam obtines erga Dominum Iesum, nec in hunc solum, uerum etiam in omnes sanctos, huius uidelicet membra, quibus quicquid officij fuerit impensum, ille sibi uult imputari. Simul illud apprecor, ut augeat suam in te beneficentiam, utq; tua ista fides, quæ iam in te ociosa non est, indies magis ac magis uim suam exerat, teq; ad pluribus, & uberius opitulandum impellat, adeo ut nullum sit officium Christianæ charitatis, in quo non sis & notus, & probatus. Quæ hæcenus præstitisti nobis addunt fiduciam, ut audeamus nobis & uberiora de te polliceri. Etenim cum existimem Christianorum omnia esse communia, uoluptate non uulgari perfusus sum, atq; in his afflictionibus non mediocri solatio fuit tua ista tam ad benemerendum de omnibus propensa charitas, qua sanctorum animos huius mundi malis afflictos, refocillasti, o mi frater. Nam istis factis te uere fratrem declaras. His igitur tam multis rebus fretus, quibus declaras te uerum esse Christi cultorem, magnopere confidebam me impetraturum abs te quod uolo, etiam si tantum imperarem ut pater filio, ut apostolus discipulo, præsertim in re per se æqua & consentanea doctrinæ Euangelicæ, quam profiteris, quæ iubet ut ipsi domini misericordiam experti in condonando debito, uicissim & alijs condonemus, malui tamen ut hoc abs te impetret charitas, quam nostra autoritas, magisq; uolui rogare, ut frater fratrem, quam præcipere, ut magister discipulo. Nec aspernaberis hunc precatorem. Quid enim neges roganti? Primū Paulo, cum Paulum dico, nō paulū rerū tibi significo; deinde seni. Nō nihil tribui solet & ætati. Sed hæc tibi noua non sunt. Nunc etiam uincto. In precibus nonnihil ponderis habet & calamitas obsecrantis. Postremo uincto Christi Iesu. Sic uincto fauere debent, qui profitentur Christi doctrinam. Tot nominibus obtestanti negare non poteris, etiam si te pro quouis homine deprecaretur. Nunc deprecor pro filio meo, quem ego hoc tenerius diligo, quod illum genuerim, non Mosi, sed Christo, non mundo, sed Euangelio, & genuerim in uinculis, breui hinc abiturus. Solent enim parentes impensius amare liberos, extrema senectute sibi natos. Is est Onesimus, quondam cum hero compilato profugeret, parum suo nomini respondens, hoc est, parum utilis ac frugi; nunc in diuersum mutatus, non solum tibi futurus est usui, uerum etiam mihi suo obsequio fuit utilis in carcere. Eum igitur iam alium factum ad te remitto. Quod si is es, quem esse credo, & si ualeat apud te Pauli senis & uincti commendatio, accipies Onesimum, non iam ut seruum fugitiuum, sed ut charissimos affectus meos, & unice charum filium. Inuitus illum remitto. Malueram enim eum apud me retinere, uel ob hoc ipsum, ut te mihi repræsentaret in his uinculis. Nec enim dubito, quin cum erga cæteros omnes, amore Euangelij tantum charitatis exhibeas, si adesses, mihi quoque sis in hisce uinculis, quibus ob Euangelium sum obstrictus, impensurus officium. At nunc repertus est per quem possis & absens mihi ministrare. Verum id te inconsulto facere nolui, ne si hoc mihi uelut autoritate fretus usurpasssem, etiam si factum meum boni consuluißes, tamen minus laudis haberet tua uirtus, quæ cum aliqua necessitate uideretur coniuncta. Nunc ita remitto, ut tibi liberum sit, uel apud te retinere, uel ad me remittere. Si remittis, hoc plus habebit laudis tuum officium, quod non extortum, sed liberum ac spontaneum fuerit. Noli meminisse quod fugerit. Errorem fugæ pensauit officio, abluuit baptismo, aboleuit lachrymis. Et qui scis an id ita dispensatione diuini consilij factum sit, ut illius error & nobis & illi uerteretur in bonum? Occulta sunt Dei iudicia. Fortassis ideo diuulsus est abs te, ad tempus aliquod, ut pro seruo temporario, neq; enim est diuturnior seruitus ipsa uita, reciperes illum æternum: æternum est enim quicquid gignit Euangelium: reciperes autem non iam seruum, sed pro seruo charissimum fratrem. Mihi certe Apostolo, & frater est, & frater charissimus, ob fidem communem, quæ nos æquat in Christo: ob hæreditatem cōmunem, ad quam ex æquo uocamur, ob patrem cōmunem, ob redemptorem communem, in quibus omnibus non est discrimen Domini & serui, magistri ac discipuli. Quod si mihi ob has causas charissimus est, qui eū nihil illi cōmune præter spiritus cognitionē: quāto magis tibi debet esse charissimus cui præter uincula

ut cōmunicatio fidei tue euident fiat

Vti ne uelut ex necessitate bonum

Quanto autē magis tibi spiritus

spiritus etiam iuxta carnem coniunctus est. Amares alienum, si talem cerneres factum, qualis est Onesimus. Nunc hoc nomine magis amabis, quod tuae familiae cum sit, talis euaserit. Quod si me dignaris habere consortem euangelicae functionis, illum recipias oportet uelut alterum me, quem ego ut filium charissimum, ut fratrem eximie charum, ut participem uinculorum meorum & Euangelij complector. Aut uterque tibi reſciendus est, aut uterque complectendus. Qualis antehac fuit, nō decet a baptismo meminisse. Nouum hominem tibi renatum puta. Quod si te mouet alicuius rei dispendium, quod tibi fargiri uelis, prius quam ignoscas, me pro illo sponforem accipe. A me poscito, si quid ille, uel laesit, uel debet. Hoc chirographo meā tibi fidem obstringo. En habes epistolam meapte manu scriptam. Si uideor bonae fidei sponfor, Onesimum omittito, me conuenito, ipse resoluam illius uice quicquid debetur. Haec impetrarem, opinor, etiam si cum alio quopiam agerem. Nunc non libet meminisse, quid meo iure possim abs te exigere. Non enim hic commemorabo, quod cum mea doctrina factus sis Christianus, non tua solum, uerum etiam te ipsum mihi debes, quo minus iniquū tibi uideri debebat, etiam si postularem hoc quicquid est damni, quod debet Onesimus mihi condonari. Verum hoc non postulo, nisi tu uolens ac sponte remiseris, non perinde ut meam liberes fidem, atque ut tuam declares charitatem. Eia mi frater, a fruendo nomen habet Onesimus, qui ut mihi intime charus est, utque tibi illum ex animo commendatum esse cupio, ita mihi contingat te frui, non quemadmodum uulgo amicus amico iucundus est, sed quemadmodum apostolo uoluptati est discipulus, Christi doctrinam exprimens. Vides quam mihi charus sit Onesimus, & suo merito charus est. In hoc igitur amplectendo, refocilla cor meum. Haec pluribus tecum ago, non quod diffidam charitati tuae, sed id facio ex abundanti quodam amore meo erga filium meū. Siquidem ex pristinis officiis tuis, sic mihi perspecta est obedientia tua, ut non dubitem, quin hac in re plus etiam sis praestaturus, quam abs te peto. Interim Onesimū, ut pignus mei benigniter accipe, simulque mihi ipsi paulo post uenturo para hospitium. Nam spero fore, ut deus precibus uestris exoratus aliquando me uobis restituat. Tum praesens agam gratias pro Onesimo clementer recepto. Salutat te Epaphras tibi conterraneus, mihi captiuitatis & uinculorum socius, ob amorem Christi Iesu. Praeterea Marcus, Aristarchus, Demas, ac Lucas collega mei. Quos omnes puta deprecari mecum pro Onesimo. Gratia domini nostri Iesu Christi semper adsit spiritui uestro, Amen.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D.

Thomae S. R. E. TT. S. Ceciliae presbytero Cardinali, Archiepiscopo Eboracensi, Angliae primate, ac totius regni Cancellario summo,
Des. Erasmus Roterodamus. S. D.



VM frequenter circumspexissem, qua nam studiorum meorum foetura magnitudini tuae responderem, quae me hactenus sanè deterruit, ne quid lubricationum mearum, auderem tibi dedicare, tandem mihi uisus sum bis ineps: primum quasi sit aliquid in meis literis, ingenioque, quod etiam si inuenero, tuam amplitudinem possit aequare, siue spectemus dignitatis illius fastigium, siue hoc fastigio dignissimas animi tui dotes, siue officia, quibus quotidie tua benignitas onerat non tam me, quam ipsa bonarum literarum ac uerae Theologiae studia: aut quasi tu is esses, qui librum uoluminis magnitudine magis, quam utilitate soleas aestimare. Quanquam igitur nondum perfunctum provincia paraphraseon, quibus epistolas Paulinas, certo germanas duntaxat explicui, fatigatis etiamnum uiribus, mox exciperet dimicatio cum obtreclatoribus: tamen illis tumultuario milite profligatis, isdem statim copijs aggressus sum duas epistolas Apostoli Petri, & unam Iudae: simul illud mecum cogitans, quod diuis offertur aut uiris summatibus, aptum esse oportere magis, quam aequale. Siquidem olim absurde facere uisus fuisset, si quis Musis offerret hederaceas corollas Marti. Itaque primum illud mihi uisum est congruere, si ad tam eximium religionis antistitem iret Petrus incomparabilis ille Christianae religionis princeps: ut quemadmodum illo duce nata est ac propagata sincera ueritas, & Euangelica philosophia, ita tua pietate, quae se magis ac magis indices exerit, non nihil collapsa

lapsa, restituatur, ut est natura rerum humanarum semper in deterius prolabantium, ni magno studio nitamur in diuersum. Quod si quid etiam commendationis adiungit operis difficultas, multo plus hic fuit negotij, quam pro uoluminis modo. Facit hoc partim Petri Phrasis, multo quam Paulina perplexior, partim, quod in his non perinde subleuamur ueterum commentarijs. Nam quos hodie habet glossa, quam uocant ordinariam, ex Bedae uestri commentarijs ad uerbum desumpta sunt, uiri profecto nec indocti, nec indiligentis, quantum illa ferebat aetas, idque miro artificio factum est. Pars commentariorum subducta est in spacium marginis, pars resecta est in interuallum, quod uersus epistolam dirimit. Titulus in totum fere ademptus est, haud scio quo consilio. Insunt in omnibus loca nonnulla, quae lectorem attentum & cautum requirant, uelut in prima de Christo, qui in spiritu praedica, rit spiritibus in carcere constitutis, qui olim fuissent increduli, Item de euangelio mortuis etiam praedicato: In secunda, de daemonibus in iudicium seruatis, de maledico iudicio, quod nec angeli ferunt aduersum se, tamen si nos locum hunc aliter sumus interpretati, a Beda dissimulatum, de terra ex aqua & per aquam condita, de coelis & elementis incendio soluendis: quibus ex locis nonnulli hauserunt occasionem erroris: In epistola Iude, de iudicio blasphemiae, qui locus desumptus putatur ex apocryphis Enoch, ex quibus & paulo post adducitur uaticinium, cum is non legatur quicquam scripsisse. Hanc autem ideo subiicimus, quod cum epistola Petri posteriore, non solum stilo ac sententijs, uerum etiam uerbis mire congruat, quaedam illius uelut interpretans, quod genus illud, de iudicio blasphemiae. De priore Petri nunquam fuit dubitatum, de posteriore fuit, tamen si mentionem facit transfigurati domini, cui rei non plures tribus discipulis testes adfuerunt. Vnde si Petri non est, oportuit esse alicuius, qui se Petrum haberi uoluerit. Epistola Iudae serius obtinuit auctoritatem, quod adducat testimonium e libro qui inscribitur Enoch, in quo ferunt haberi quaedam non satis consentanea doctrinae catholicae. Sed quid uetat, sic ex apocryphis adducere non nihil in loco, quemadmodum Paulus ex Epimenide citat testimonium. Ceterum cum in priore Petrus testetur se scripsisse per Syluanum, & in posteriore aperte testetur eam esse secundam, Hanc inquit, ecce uobis charissimi secundam scribo epistolam, non uideo, qui res possit explicari, nisi aut posterior Petri non sit, aut Syluanus eam scripserit iussu Petri. Quod si haec ab ipso Petro scripta est, uidetur tres scripsisse, quarum prima intercederit. De tempore ac loco nihil habetur compertum, nisi quod conieciant priorem Romae scriptam, quam in fine Bahylonem appellauit, imperante Claudio Caesare. Sed ne longior sit opere praefatio, magis cupimus, ut hanc industriam nostram, si quo pacto meretur, R. T. D. candido calculo commendet studiosis, non quod ipsi uenemur aliquid apud celsitudinem tuam, cum nec hic animus unquam, nec nunc haec aetas faciat ad ambitionem, sed quod ex eorum fauore iudicioque, qui summa dignitate praeminet, mirus ardor ac stimulus addatur studiosis. Praeter multos absolute doctos subolescunt in uestra Britannia tuae benignitatis auspicijs complures optimae spei iuuenes, qui olim & maiora praestabunt & felicius, si studium illorum inflammaret aura tui fauoris. Atque utinam huc incumbant posthac nostra studia, ut ad optimas disciplinas animi mortalium, & breuitatis & facilitatis illecebra pelliciantur potius, quam dum nos affectata difficultate prolixitateque studemus uideri magnifice docti, optima quaeque ingenia a rebus optimis alienentur. Id praestabunt felicius alij permulti, non dubito: at maiore fide, quam nos fecimus, non adeo multi. Quod si huiusmodi sanctissimis conatibus, ita ut instituit, fauere perget amplitudo tua, tum apud Deum egregiam laudem sibi parabit, tum apud posteros honestissimam sui memoriam relinquet. Eam nobis diutius seruet incolumem Christus Optimus Maximus.

IN EPISTOLAM PETRI PRIOREM ARGUMENTVM,
per Des. Erasmus Roterodamum.

PETRVS quemadmodum & Iacobus Iudaeis scribit sparsim incolentibus gentium regiones, epistolam profecto dignam apostolorum principe, plenam auctoritatis ac maiestatis apostolicae, uerbis parcam, sententijs differtam. Hortatur autem ad tolerantiam malorum, quae ob Euangelij inuidiam perpetiebantur spe praemiorum. Ad haec, admonet ut iuxta prophetarum oracula ad tantam dignitatem uocati gratis, uitam praestent sua professione dignam. Christia-

nissimum enim non in titulo aut baptismo tantum, sed in morū innocentia situm esse, alioqui quod affliguntur malis, non cessurum ad gloriam Christi, si ob malefacta poenas dare uideantur. Insuper admonet, ne freti Christianismo detrectent parere magistratibus, licet ethnicis, ne prouocati illi nec conuertantur ad Christum, & acrius sæuiant. Item ne ferui negent officium suum heris, licet ethnicis. Christianæ bonitatis esse omnia perpeti: Item ne mulieres Christianæ uiros suos, licet ethnicos contemnant, sed moribus suis ad meliora studeant prouocare. Maritos admonet, ut uxoribus suis deferant, ut à coitu non nunquam temperent, quo magis uacet orare. Deinde exemplo Christi prouocat ad tolerantiam malorum, ne contentur iniuriam iniuria pensare, sed mansuetudine & benefactis uincere studeant male meritos. Atque hæc agit tribus primis capitibus, & initio quarti. Post hæc hortatur ad nouitatem uitæ, dehortans à uitijs gentium. Inuitat ad sobrietatem, ad uigilantiam, ad preces assiduas, in primis ad mutuam charitatem, ad hospitalitatem, ad officia mutua. Rursus ad patientiam persecutionum ob Christi nomen illatarum. Mox episcopos instituit, & his subditum populum. In calce testatur sese & alteram epistolam ad eosdem scripsisse per Syluanum, quæ intercidit. Hanc scriptam apparet ex Babylone, nam huius ecclesiæ uerbis iubet eos saluere, si cui de Roma commentum non probatur.

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

APOSTOLI PETRI PRIOREM, PER

DES. ERASMV M Roterodamvm.



PETRVS ille quondam discipulus & conuictor, nunc legatus & apostolus Iesu Christi, omnibus qui sparsim habitant in minoris Asiæ regionibus, Ponto, Galatia, Cappadocia, eaq; parte, quæ est Ephesiorum, ac proprie sibi nomen Asiæ uindicat, Bithyniaq; quos uel olim bellorum procellæ alios aliò dispulerunt, uel nuper eorum sæuitia, quibus Christi nomē erat inuisum, patrijs sedibus exegit innoxios, atq; ideo nūc extorres inter peregrinas nationes, uelut exulāt, exclusi quidē hominū metu à solo natali, at non ideo semoti, nec exules aut abdicati ab euāgelij munere, quod deus omniū princeps ita largitus est primum terræ gentiq; Iudaicæ, ut tamen omnibus uelit esse commune, quoscunq; delegerit ipse. Nam ut frustra nati sunt ac uiuunt Hierosolymis, qui Iesu Christi doctrinā aspernantur, ita nulli futurum est fraudi, quod inter gentes incircuncisas ac profanas habitat, si modo pro lege Mosaica gratiam euangelicam amplectatur. Neq; enim legis observatio qua tumet Iudæorum uulgus præstat ueram salutē, neq; genus, aut locus, sed gratuita nūminis electio. Ille uere Iudæus est, qui quodcunq; solum incolens, quocūq; genere natus, Iesum Christum agnoscit ueræ salutis autorem, qui nō unī genti mortuus est, sed orbiterarum uniuerso. Vt autem hunc agnoscamus, non debemus obseruatæ legis merito, sed gratuitæ dei bonitati, qui ex omni natione delegit, uocatq; ad Euangelij munificentiam, quoscunq; ipsi uisum est asciscere. Neq; enim hoc illi temere nuper uenit in mentē, ut hac ratione seruaret uniuersum genus mortaliū, neq; nostris benefactis impulsus, hoc ceu præmiū nobis ita meritis reponit: sed æterno consilio fuerat hoc deo patri decretū, ut non Iudæis tantum, sed uniuersis gentibus aperiret portum salutis: non per circumcisionem, neq; per sabbatismos, neq; per ciborum delectum, neq; per alias Mosaicæ legis ceremonias, quæ corporales sunt, & rerum spiritualium umbræ duntaxat quædā, ad tempus datæ sunt: sed per ueram sanctificationem spiritus, quem nobis impartit lex euangelica spiritualis, qua uere purgamur ab omnibus peccatis nostris, non ex eo quod obseruauimus legis ueteris præscripta, sed quod simpliciter prompteq; fidimus euangelicis promissis, nō ex asperso uitulī sanguine, quemadmodum hæctenus iuxta legis ritū facitari consueuit, sed ex asperione preciosi sanguinis illibatæ deoq; gratissimæ uictimæ Iesu Christi, cuius & asperione immerita mors nobis semel omnia uitæ ueteris commissa delet, ac per baptismum uelut in ipsum

Electis aduenis

*In obedientia
& asperione*

ipsum renatos, nouę uitę restituit. Quos quoniam baptisumus exemptos huic mundo cęlesti municipio insecuit, nō precabor ea bona, quibus parādis & accumulandis sibi felices uidentur mundi cultores, sed ea potius, quę nos à terrenis cōtagijs purgatos cęlesti principe Christo dignos reddunt: uidelicet gratiā, ut uestris ipsorum meritis diffisi, diffisi etiā legis ceremonijs, ē sola gratuita dei munificentia, fiduciaq; euāgelij, ueram expectetis salutem: ad hoc, pacem, ut deo per Christi sanguinem reconciliati grati, concordia & inter uos habeatis, et cum cęteris omnibus, non solum neminē lędentes, uerum etiam aliorum admissa condonantes, & malefacta benefactis repēdantes: quorum bonorum sortem, ut gratis accepistis à deo, ita pijs studijs adnitendum est uobis, ut bonorū operum usura magis ac magis ditescatis, non modo perersistentes in eo quod cępistis, uerum etiam indies in melius progredientes, donec ille uenerit dies, quo pręmiū immortalitatis exhibebitur, cuius nunc certam spem hausistis ex Euangelio Christi, ne quid hinc laudis nobis arrogemus. Ob hoc tam immensum beneficium laudāda benignitas eius, à quo nobis per Christi *Benedictus* stum proficiscitur, quicquid uere beatos reddit. Is est nō Moyses, sed deus ipse, & idem pater *deus & pater* ter domini nostri Iesu Christi, qui parum feliciter natos ex Adam, nimirum natos peccato, natos morti, denuo genuit nos innocentia, genuit immortalia uitę, nullis meritis nostris prouocatus, sed ultro sua misericordia, qua summus est, extimulatus: idq; fecit non pręsidio legis Mosaicę, sed impendio proprii filij Iesu Christi, quem mortē subire uoluit, ut nos alioqui deploratos, à peccati mortisq; tyrannide liberaret: quem mox à morte reuocauit ad uitā, ut interim mortui cupiditatib; mundanis, & ad illius exemplū morū innocentia resurrectionem ueluti meditantes, certam & alacrem spem habeamus, fore ut nos quoq; aliquando his exempti malis, unā cum Christo pertingamus ad æternam illam hæreditatem: quam ut assequutus est ille caput nostrum, ita consequemur omnes, quicunq; Christi membris insiti, illius imitatione meremur illius dici fratres, & eiusdem patris filij: ut quemadmodum afflictiones sunt nobis cum illo communes, ita sit & cum illo commune pręmium. Quandiu fuimus filij peccatoris Adę, manebat nos infelix hæreditas, Posteaquam facti sumus filij Dei, ad cęlestem hæreditatem properamus. Decet enim ut ē cęlo nati, cęlestia spectemus, ut ex deo nati, non nisi diuina sectemur. Qui mundo militant, caduca pręmia fluxamq; mercedem ambiunt: nos post has temporarias afflictiones manet illa felix hæreditas, quę neq; morte possit corrumpi, neq; tedio molestia ue contaminari, neq; senio sibi ue marcescere. Non est quod metuamus, ne quis hanc tam opimam hæreditatem nobis interuertat. Habemus certę fidei promissorem: apud illum nobis in tuto est, conseruaturq; in cęlis: sed ita, ut interim certa spes ac ueluti pignus quoddam sit penes homines in tetris, nō penes quoslibet homines, sed penes uos, uestriq; similes, qui *Qui uirtute dei custodimini* bus Christi spiritus arrabontis uice datus est: quicq; licet interim uarijs malorum procellis undiq; tundamini, quibus humana imbecillitas prorsus ex se sit impar, tamen dei pręsidio, qui nihil non potest, seruamini, non uestris meritis, sed fide, fiduciaq; qua non dubitatis quin deus, etiamsi patiat uos interim uelut opprimi, tamen incolumes uos sit exhibiturus in extremo tempore, post quod non erit amplius ista rerum humanarum confusio, sed mali addicti suis supplicijs, neminem lędere poterunt, & boni ab omnibus malorum incurfibus tuti, æterno fruuntur ocio. Nunc enim latent pręmia, & sæpe iuxta uulgarem æstimationem peius habent, qui meliores sunt, & petire uidentur, qui maxime sunt incolumes, & florere uidentur, qui maxime pereunt. Hic exercendę pietatis tempus est, pręmio suum pręscriptum est tempus, quod nō oportet anteuertere. Nobis interim sit satis, quod æterna felicitas nobis est in tuto, quam nullus hominum aut dæmonū possit interceptare, modo ne nos deficiat fides, qua neglectis rebus mortalium, toti pendeamus ē cęlo. Sint interim feroces, qui deo rebelles, fidunt mundi pręsidijs: insultent interim quasi uictis ac destitutis: ceterum ubi uenerit ille dies, uersis in diuersum rerum uictibus affligentur illi, uos exultabitis uictores, imò nunc etiam exultare debetis indubitata tantę felicitatis expectatione. Neq; enim debet uobis uideri magnum aut graue, si per breues ac mox desituras afflictiones, molestiasq; petuenitis ad nunquam interituram beatitudinem. For *Modicū nunc si oportet* sitan & persequutionum harum aliquando finis erit, quę tamen quoties ingruunt, spe uitę futurę magno infractaq; animo ferendę sunt ob dei gloriam. Sic enim permittit sapientia dei, uestris consulens commodis, ut fidei uestre synceritas constantiaq; uarijs malorum

rum incurſibus exploretur. Etenim ſi aurum, res alioqui & perdita & peritura, nō ſolum exploratur per coticulam, uerumetiam per ignem examinatur, ut eo magis deinde ſit in precio, quo fuerit exactius repurgatum: multo magis Deus uult fidem ueſtram uarijs experimentis probari, cui tantum honoris debetur, ut cum ex his malorum & afflictionum incendijs emicuerit, longe purior ac fulgentior quoniam auro purgatiffimo, precioſa ſit apud Deum, reſq; omnis tandem in diuerſum exeat: nimirum ut quod hic uidebatur illatum ad dedecus, cedat in laudem: quod ad ignominiam, uertatur in gloriam: quod ad dehoneſtandum uos, uertatur in cumulum honoris eo die, quo Ieſus Chriſtus, cuius uis nunc agit in uobis occultis rationibus, palam ſe proferet omnibus, ſuum cuiq; præmium promeritis rependens. Quid enim glorioſius, quàm ore Chriſti laudari cum audietis: Venite benediſti patris mei. Quid honorificentius, quàm à deo patre recipi in conſortium regni cœleſtis unà cum filiis? Hæc autem gloria, quanquā erit omnium piorum communis, tamen copioſior continget ijs, qui maiora pro Chriſto paſſi ſunt in terris. Quæ præmia ſi nunc apparerent, non eſſet admirabile fidei robur. Nunc in hoc eſt præcipua laus bonorum, quod Chriſtum, quem corporeis oculis nunquā uidiſtis, tamen oculis fidei conſpectum amatis: cumq; dolorū uis palam ac præſens urgeat, præmia uero, quæ ſunt in diem, nondum appareant, tamen illius promiſſis ſiſi, non alio animo toleratis iſta, quàm ſi coram adeſſet parata gloria: nec toleratis modo fortiter, uerumetiā in medijs afflictionibus exultatis inenarrabili gaudio, pleni gloriæ apud deum, uidelicet bene ſperantis conſcientiæ, pleni certa fiducia, quod iſta præter meritū tolerant, uolente deo, reportabitis abunde magnum fructum fidei ueſtræ, nimirum æternam ſalutem animarum ueſtrarū. Ingens enim lucrum eſt, cum iactura caduci corporis ſeruatur immortalis anima. Sic uiſum eſt æterno conſilio dei, ut his rationibus ſaluæ conſequerentur homines, quibus & Chriſtus ipſe peruenit ad æternam beatitudinem. Neq; enim hæc fortuito geruntur, ſed quod nos factum uidimus, id prophætæ ueteres, qui multo ante nos uaticinati ſunt fore, ut per fidē & euangelicam gratiam abſq; legis Moſaicæ præſidio ſeruaremini, diligenter exquiſierunt ac ſcrutati ſunt, non contenti tanquam per nebulam uidere, quod eſſet futurū: ſed illud etiam pia curioſitate ſciſcitati ſunt à ſpiritu Chriſti, qui iam tum illis arcano aſſatu ſignificabat, quid eſſet paſſurus Chriſtus, ac mox ad quātam gloriā euehendus, tum quo uel quali tempore id eſſet futurum: ſiquidē ingenti deſiderio ſalutis huius tenebantur illorum animi. Quibus & illud patefactum eſt, quod hæc quæ futura præſagebant, ipſorū temporibus non eſſent exhibenda, ſed ueſtris: quæq; ſuis uaticinijs prodebat, uobis proderent, non ſibi. Optaſſent quidē illi uidere, quod uobis uidere contigit: ſed ideo præceſſerunt illorum uaticinia, quo certior eſſet fides nobis apoſtoliſ, qui nūc eadem uobis annunciamus facta, quæ prædixerant illi futura. Quoq; minus dubitetis, idē Chriſti ſpiritus tacitis aſſatibus illos docuit olim, quid facere decreuiſſet, qui nos nuper in igneis linguis e cœlo delapſus inſtruxit, ut eorū quæ geſta ſunt, in toto terrarum orbe ſimus præcones. Prædicamus enim Chriſtum noſtræ omnium ſalutis cauſa factum hominē, uerſatum in terris, probris et cruciatibus afflictum, deniq; cruci ſuffixum, pro nobis obſiſſe mortē: mox reuocatum ad uitam, ſubuectum in cœlum, ubi nunc cum patre præfulget maiestate gloriæ, qui prius uidebatur in terris uilis & abiectus, eodem ſubuecturus & ſuos. Hæc tam ineffabili Dei conſilio geſta, non mirum ſi prophætæ concupiſcebant cernere, cum iſtis etiam angelis ſit admodum iucū dum gratumq; ſpectaculum, cuius contemplatione non queunt expleri. Quo maius eſt beneficium quod uobis offertur, hoc auidius eſt uobis amplectendum, ne ueſtro uitio fiat, ut non aſſequamini. Certum eſt præmium, ſed interim ueſtræ partes ſunt, ita uos gerere, ne uideamini indigni promiſſis. Aderit ille dies inexpectatus, qui proferet in apertum piorum & impiorum præmia. Is quādo cūq; ueniet, lætus & felix ueniet ijs, quos paratos offenderit: contra formidabilis ijs, quos diffidētia torpentes repererit & oſcitanter. Quoniam autem Chriſtus incertum eſſe nobis uoluit diem illum, non oportet uos unquam eſſe ſecuros, ſed ſemper accinctos animi lumbis, cū paratos in occurſum aduentantis domini, uigilantes ac ſobrios, certa firmaq; ſemper erectos ac ſuſpenſos expectatione felicitatis æternæ, quæ nunc offertur omnib; qui obtemperant euangelio, ſed tum demum poſſidebitur, cum palam oſtendet maiestatem ſuam cunctis hominibus & angelis ac demonibus dominus noſter Ieſus Chriſtus. Verum ad eam tunc mortalitatem

Inueniatur
in laudem

Quæ cum non
uideritis dili-
gitis

De qua ſalute
exquiſuerunt

Per eos qui
euangeliza-
runt uobis

Propter quod
ſuccincti lum-
bos

mortalitatem non peruenient, nisi qui hic eam quodammodo fuerint meditati, atque ad exemplum Iesu mortui cupiditatibus huius mundi, cum illo reuixerint ad innocentiam, atque in ea constanter perstiterint, tanquam legitimi uerique filij, fidentes promissis Dei patris, & illius præsceptis obtemperantes, nec unquam relabētes in ueterem uitam, tum ob ignorantiam euangelicæ doctrinæ mundanis obnoxiam cupiditatibus. Conuenit enim, ut à quibus dissidetis professione, ab iisdem dissideatis affectibus ac moribus. Mūdus malus est, à quo iam pridē estis exempti, Christo iusto sanctoq; & innocēti insiti, ad hoc dēle-
cti uocatiq; à patre sanctitatis omnis fōte, ut uos quoq; quemadmodū estis sancti profes-
sione, ita sitis & omni uita factisq; puri, integri, & inculpati. Non enim agnoscet pater fi-
lios, nisi sui similes. Nimirum hoc sensit, cum loqueretur maioribus nostris, Leuitici capi-
te xix. Sancti estote, quia ego sanctus sum, dominus deus uester. Non uobis suffecerit
Mosaica puritas, ut abstineatis a cōtractu cadauerū, ut lotos habeatis pedes, ut abstineatis
à concubitu, totam uitam ac totum pectus nostrum deus uult procul abesse ab omnibus
uitiorum inquinamentis. Siquidē hæc sunt, quæ nos uere reddunt impuros coram ocu-
lis dei. Quem etiā si patris nomine compellatis, in omnibus implorantes opem illius, non
est tamen quod impure uiuentes speretis illum uobis fore propitiū, aut pro filijs agnitu-
rum, qui nō æstimat quenquā ex genere, aut fortuna, sed tantū ex uitæ meritis. Nec enim
ille purus erit Iudæus, si uita, si animus fuerit inquinatus: nec hic erit impurus præputia-
tus, si piā, si innocentem uitam egerit. Superest igitur, ut qui patrem hunc cupitis habere
propitiū, illius ineuitabile iudicium semper habentes præ oculis, donec agitis in hoc
exilio, sic moderemini uitam uestram, ne sit ob quod offensus pater, uos ceu degeneres pa-
rumq; morigeros filios ab hæreditate patriæ cœlestis merito secludat. Quo malus est pre-
cium quo uos Christus gratis redemit, hoc magis cauendum est, ne uolentes & ingrati in
pristinam seruitutem reuoluamini. Nulla seruitus miserior, quā mancipium esse uitio-
rum. Qui pauculo ære liberantur à seruitute heri, & ex seruis fiunt libertini, modis omni-
bus aduigilant, ne ob ingratitudinem possint in relictam retrahi seruitutem: & uos com-
mittetis, ut in ueterem tyrannidem recidatis, ut denuo Mosaicæ legis uelitis esse manci-
pia, malitisq; seruire uanis obseruatūculis à maioribus uobis per manum traditis, quā
obtemperare euangelio dei, cum sciatis uos ab illis semel esse liberatos, non precio uulga-
ri, uelut auro argentōue, sed hostia longe sacratione quā norit lex Mosaica: Non enim
asperso sanguine uituli purgati estis, sed precioso cruore Iesu Christi, qui uelut agnus om-
nis maculæ nescius, purus ac ilibatus ab omni uitiorum inquinamēto, pro nostris pecca-
tis immolatus est in ara crucis. Neq; uero id factū est fortuito, sed ab æterno & ante con-
ditū mundum destinatus est huic sacrificio dei filius, ut sua morte nobis recōciliaret pa-
trem. Ceterū diuinę mentis consilium ac decretum, quod multis seculis orbi fuit incogni-
tum, nunc tandem his extremis temporibus patefactum est, & oculis hominū exhibitum
nouum spectaculum, quod in mente diuina nouū non erat. Exhibitum est autē uestræ sa-
lutis gratia, quibus Christus homo factus, mortuus ac prædicatus hoc præstat, ut qui ante
frustra fidebatis legis ceremonijs, nunc uobis diffusi, fidatis deo patri: qui ut eum mori uo-
luit expiandis peccatis uestris, ita suscitauit ex mortuis, proq; toleratis huius uitæ labori-
bus dedit immortalitatis gloriam: ut quod credidistis ab illo factum æmulantes, speretis
& uobis idem præmium. uidelicet autore deo freti, qui quod in filio præstitit, haud dubie
præstaturus est in omnibus, qui sic uiixerint, ut inter Christi membra numerari merean-
tur, in cuius corpus estis insiti, posteaquam per baptismum in eum fuistis renati. Antehac
obtemperastis cupiditatibus uestris, utpote carnales umbras rerum pro ueris amplecten-
tes: nunc posteaquam purificastis animas uestras, non obseruatione lustrationum Mo-
saicarum, sed ex eo quod per fidem obedistis euangelicæ ueritati, quæ spiritu Christi pur-
gauit animos uestros, adnitendum est, ut & innocentia uitæ capitī Christo, & uehementi
planeq; fraterna, minimeq; fucata inter uos charitate, concordia corporis respondeatis:
ut quemadmodum Christus uos dilexit non amore uulgarī, neq; carnali, ita uos inuicem
spirituali charitate prosequamini. Noua cognatio nouū desiderat affectum. Antehac Iu-
dæi Iudæos diligebatis affectu carnali, nunc longe alio modo renati, non ex semine mor-
tali terrenoq; iuxta corpus, sed ex semine immortalī cœlestiq; per sermonē dei uiuentis ac
permanentis in æternum, cuius Euangelio credidistis, fratres cœlesti charitate prosequi-

Non configu-
rati prioribus
ignorantiæ u. d

Et si patrē in-
uocatis cum

Castificantes
in obedientia
charitatis

mini. Moſi lex ad tempus erat data. Sermo dei nobis prodidit euangelicā legem nūquam deſituram. Quod ab hominibus proſectum eſt, temporarium eſt, quod ē cœlo uenit, æternum eſt, quemadmodū prædixit Eſaiās: Omnis caro uelut fœnū, & omnis hominis gloria quaſi flos agri. Exaruit fœnum, & flos eius decidit, at uerbuſ domini manet in æternū. Hic eſt ſermo dei patris æternus æterni, quem olim legis prioris umbræ uobis deliniarūt, cæterū nunc per euāgelij præcones aperte prædicatur, nō uobis ſolum, ſed omnibus, qui Chriſtum ſyncera fide recipiunt.

CAPVT II

Deponentes
igitur



Voniam nuper eſtis per euangelicam doctrinam cœleſti generatione renati, prorſus abiectis omnibus ueteris uitæ uitijſ, ſi quid erat maliciæ, ſi quid doli, ſi quid ſimulationis, ſi quid inuidentiæ, ſi quid obreſtationis aut maledicentiæ, poſthac uelut infantes recens nati, auide concupiſcite lac illud non corporis, ſed animi, lac doli neſcium, & aptum ætati ueſtræ innoxie magis, quā robuſtæ, lac inſtitutionis euangelicæ. Habet enim Euangelica doctrina ſua rudimenta, habet infantiam ſuam, habet pabulum accommodum imbecillæ ætati, habet & proſectus ſuos, demū habet ætatem perfectam. Non ſunt illa prima ſaſtidienter haurienda, ſed auide, ſed ſitienter: nec in hiſ tamen perſiſtendum, ſed ab hiſ uſq; proficiendum ad perfectiora. Siquidem & abſurdum fuerit, ſi quiſ ē matre natus ſemper infans nihil aliud quā lac expetat. Oportet & uos grandefcere donec adoleſcatis ad perfectam ſalutem, neq; ſemper hære in fundamentis, ſed paulatim aſſurgere ad perfectam ſtructuram domus, ſiquidē iuxta pſalmographi conſiliū guſtaſtiſ, quod ſuauiſ ſit dominus Ieſus, oportet hoc guſtu accendi ad appetenda maiora. In humanis ædificiis lapides nec commutant locū ſuum, nec accreſcunt:

Ad quem accedentes

in hoc ædificio (quod conſtat uiuiſ lapidibus, cuius præcipuus & omnia continens lapis eſt Ieſus Chriſtus, uiuus & æternus, pridem iuxta Pſalmographi uaticiniū ab hominibus reiectus, nimirum à phariſæis qui ſuo templo perituro freti, ſtructurā hanc cœleſtem non nouerant, ſed dei iudicio ſelectus, multoq; in precio habitus) nihil obſtat quo minus paulatim ad ſtructuræ perfectionem proficiatur. Igitur ad Chriſtum lapidem uiuum, lapidem electum, lapidem in oculis dei precioſum, oportet uos uirtutum proſectibus accedere, ut ipſi quoq; tali fundamento nixi, paulatim ſuperſtruamini, donec efficiamini templa ſpiritualia, longe ſacratiora templo, quo gloriantur Iudæi, & in quibus ſacerdotiū exerceatur multo ſanctius, quā in illo conſueuit. Siquidem in illo leuitæ & ſacerdotes pecudes immolabant. in hiſ ſpiritualib. templis uos ipſi ſpirituales hoſtiæ offerriſ longe grauiſſimas deo, qui ut ſpiritus eſt, non corpus, ita ſpiritualibus hoſtiis delectatur: ne quid deſideretiſ Moysi ritus per euangelij Chriſti ſam antiquatos, pro uariis animantiū generibus maclatiſ affectus mundanos brutosq; libidinem, ſuperbiam, iram, inuidiā, uindictæ cupiditatem, luxum, auaritiā, pro thymiamate puras preceſ, ē ſynceri pectoris ara ſub uolantes in cœlum. Hæc ſunt ſacrificia, quæ nunquā non immolantur in templo ſpirituali, quæ nunquā non ſunt grata deo. Iam pridem enim Moſaica illa in nauſeam abierunt, ut teſtatur Eſaiās propheta, Horum iugis eſt gratia per Ieſum Chriſtum, cuius commendatione grata ſunt patri Chriſtianorū obſequia. Non eſt quod diffidatiſ donec in hæſeritiſ capiti ueſtro, donec innixi fueritiſ eximio & immobili lapidi Chriſto. De quo dixit olim deus per os Eſaiæ: Ecce pono in Sion lapidem in ſummo collocandum angulo, probatum, electum, precioſum. Et qui filiſ illi fuerit, nō pudeſiet. Quod prædixit ille: tam uidemus exhiberi. Idem ille lapis alijs precioſus fuit ac ſalutaris, alijs noxiſ ac peſtilentiſ.

Per Ieſum
Chriſtum

Vobis merito precioſus eſt, qui illi innitimini, qui fiditiſ, aduerſus omneſ tempeſtatum procellaſ tuti eiſ præſidio. Cæterum iſſ qui Moſi maluerunt inniti, quā huic, qui huic reiecerunt, nolenteſ eum poni in ædificio quod ipſi parabant ædificare, uerſuſ eſt in probrum ac pernitiem. Etenim quem illi ſuo ædificio dignati non ſunt, hunc deus in ſuo ædificio uoluit eſſe caput anguli, quo ceu parietem utrūq; hoc eſt, populum utrūq; Gentium ac Iudæorū complecteretur & contineret, cuiuſ munimento tuta eſſet aduerſus omneſ inſultuſ ſtructura, & in quem ſuo malo impingerent, & incurrerent, quicunq; aduerſarentur huic nouo ædificio. Impingunt autem quoſcunq; offendit ſermo euangelicuſ, neq; credunt illi, cum huc eoſ præpararit lex Moſaica, ut crederent euāgelio ſimulatq; te re præſtaretur, quod adumbraret illa. Proinde qui reprobauerunt Chriſtū, hoſ uiciſſim reprobauit deus. Vos autem quoſ illi cum Chriſto reſciunt, ſecit genuſ illud electum, de quo

is qui offendunt uerbo

quo loquutus est olim Moses, gentem illam sanctam, populum peculiare, quem sibi deus *Populus de-*
eximio precio uindicauit: ut quemadmodum olim populus Hebræorum duce Mose *quisitionis*
beratus ab Aegyptia tyrannide, perq; tot rerum discrimina perductus ad terram diu spe-
ratam, diuinam erga se beneficentiam orbi prædicauit: ita & uos memores illius erga uos
gratuitæ benignitatis, celebretis apud omnes admirabilem dei potentiam: qui noua ratio
ne deuictis hostibus salutis uestre, eruit uos ab ignorantia uitiorumq; tenebris, in admi-
rabilem lucem suam euangelicæ ueritatis, per quam omnes & gentiū errores, & Iudæo-
rum umbræ discutiuntur. Vobis igitur contigit hoc honoris, quod illi sibi promiserant,
qui Christum persequiebantur, ac uersis rerum uicibus euenit, quod Osee futurum prædi-
xit: Populus qui prius erat abiectissimus, utpote à deo alienus, nunc est populus deo pecu-
liaris. Et populus quem deus reiecerat, ut indignum sua misericordia, nunc expertus est
dei misericordiam absq; circumcisionis, aut legis adminiculo, per solam fidem euangelicam
receptus in consortiū filij dei. Postquam igitur agnoscitis dei singularem erga uos benefi-
centiā, quos sanguinis precio redemerit, quos filij morte sibi reconciliarit, quos unigeniti
sui membra, quos coelestis structuræ lapides uiuos esse uoluerit, quos in filiorum ius ado-
ptatos, ad immortalitatis hæreditatem uocarit, obsecro uos charissimi, ut uitæ sanctimor- *Charissimi*
nia, & dignitati uestre, & benignitati diuinæ, & tanto præmio respondeatis. Cælo rena- *obsecro uos*
ti estis, hic uelut hospites ac peregrini: eò properate ubi uobis est patria, ubi reposita est
coelestis hæreditas: ne quid ab hoc studio uos auocent terrenæ crassæq; cupiditates, quæ
machinis omnibus militant ac belligerantur aduersus spiritum, rebus coelestibus inhian-
tem. Congruat uita professioni, ut uestri mores & alios alliciant ad Christum quos habet
paganismus, inter quos uiuitis: quibus in tantū non oportet ullam præbere ansam, ut iu-
re male sentiant de doctrina euangelica, si conspexerint uos ad communē uitæ consuetu-
dinem nihilo meliores cæteris, ut obtreccionem illorum qua de uobis maledicunt odio
Christi quem ignorant, & odio religionis, quam existimant esse maleficam superstitio-
nem, refellat integritas morum uestrorum, atq; in omnes beneficentia: quibus rebus com-
pertis relapsiscent & illi, agnoscetes errorē suum, afflati misericordia dei, cū illi uisum fue-
rit & illos attrahere, qui uos delegit: iamq; glorificet eum ex uestris pijs operibus, quæ an-
te ignotum detestabantur. Habet & hic mūdus ordinē suum, qui per occasionē religionis *Subiecti igitur*
turbandus non est, quatenus id licet, incolumi Christi gloria. Ita Christus uos uoluit esse *estote*
liberos à peccatis, ut tamen ultro nihil non feratis, ob Euangelij negocium obtemperātes
ac submittentes uos non modo Christianis, uerumetiam ethnicis magistratibus: siue rex
sit ille, obediendum est tanquā autoritate publica præminenti, siue præsidēs, per quos in
prouinciā missos rex administrat respub. obtemperandum est. Neq; uos moueat quod
ethnici sunt, quod idolatræ sunt, sed agnoscite functionē illorum necessariā rei pub. quæ
constat ē diuersis hominum ac religionum generibus. Præsidēt enim isti cum autoritate, *Aduindictam*
ut nocentes ac scelerosos suppliciorū metu coerceant, ac probos præmijs inuicent ad offi- *malefactorū*
cium. Non est uobis opus illorum metu, qui sponte præstatis plus quam exigunt leges hu-
manæ: nō est opus humana laude, quos inflammat cœleste præmiū, sed tamen oportet &
hos cum cæteris agnoscere. Sic enim uult deus summus ille princeps uester, ne quam an-
sam præbeat illorum imprudentiæ, qua possint probabiliter in crimen uocare professio-
nem euangelicam, si senserint suam autoritatem à uobis negligi. Quod alij præstant metu
legum, id uos ultro ex animo præstate, cumulatius etiam quam alij, quo uis uerè liberos
declaretis. Nam liber est is, qui sponte ac uolens recte facit. Absit enim, ut euangelicæ li-
bertatis prætextu abutamini ad licentius peccandū. Non debetis seruitutem hominibus,
sed quoniam estis serui dei, ob huius gloriā submittetis uos omnibus lubentes ac uo-
lentes. Si quid igitur officij, si quid honoris debetur etiam ethnicis uel ob munus publi-
cum quod gerunt, uel ob affinitatē, id persoluite omnibus, ne quid offēsi reddantur alie, *Fraternitas*
niores ab euangelij professione, peculiari tamen charitate par est prosequi, quos cōmunis *tem diligite*
professio fratres uobis reddidit. Deū timete, cuius oculos nemo fallit: regem non est qui
metuatis, qui non est formidabilis, nisi maleficis, sed tamen autoritatem illius agnoscite
in ijs, quæ citra iacturā pietatis exigit à uobis. Exposcit uectigal, soluite. Exigit tributum,
date. Quod liberi præstare debent magistratibus, licet ethnicis, hoc serui præstare debent
heris suis, à quorū obsequio non liberat illos baptisus. Imò hoc maiore cum reuerentia
debent

Verumetiam discipulis debent illos agnoscere, non solum si boni sint ac modesti, uerumetiam si difficiles & asperi, ne forte offensi moribus uestris incommodioribus, incusent professionem, & ab ea redantur alieniores. ad quam oportebat illos uestra probitate pellici magis & inuitari. Dicit aliquis: Durum est ferre principū tyrannidem, durum est perpeti sequitā dominorum; illi spoliānt, exigunt, affligunt; hi flagris & colaphis conscindūt innoxios. Recte uiderentur hæc non ferenda, si hoc illis tribueretur, ac non potius deo. Non meretur hoc illorum impietas, ut tolerantur: sed ita est dei uoluntas, ut uestra bonitas illorum maliciā uertat in gloriam Christi. Nam ita demum deo grata est uestra patiētia, cum præter meritū afflicti, tamen æquanimiter toleratis, non metu hominum, sed ob dei gloriā. Vulgo nihil est impatientius contumeliæ, quā innocentia. At inter Christianos longe secus est, apud quos ut quisq; est optimus, ita deo cupit esse gratissimus. Atq; hunc quo diligit impensius, hoc alacrius perpetitur, quicquid ad illius pertinet gloriam. Quid autem laudis fuerit, si, cum ob malefacta colaphis cædimini, suffertis: Docet hoc mali conscientia, ut quisq; commertas pœnas tacitus ferat. Verum cum pro benefactis illata mala patiēter toleratis, gratiam initis apud deum, cuius causa uolentes perpetimini. Indignetur innocentia uestra, nisi Christus innocens grauiora passus est pro nobis. Hæc est uestra professio, hac lege asciti estis in corpus illius, ut exemplum tolerantia, quod ille uobis reliquit, sequamini, & ipsi ingressi, grassemini ad æternam gloriam, quā ille peruenit. Quid ille malorum non perulit, qui cum latronibus crucifixus est? Quid eodem innocentius? qui adeo nullum admisit facinus, ut nec in lingua illius sit ullus unquam repertus dolus? Cum in illum congererent acerba conuitia, non regessit maledicta, quin potius patrem obsecrauit, ut illis ignosceret. Cum uinciretur, cum caderetur, cum crucifigeretur, non minitabatur uindictam, sed omnem uindictam reliquit patri, qui non ex affectu, sed iuste iudicat: ipse deprecatorum interim agens, non instigatorem. Nos tamen si nunc sequimur innocentia, tamen sceleribus nostris commueramus olim ultionem dei. At Christus cum ipse nulli peccato esset obnoxius, tamen sarcinam peccatorum nostrorum, quo nos oneratos subleuaret, sustulit in proprio corpore, & in ligno crucis uelut holocaustum pro nostris sceleribus immolatus est, suaq; morte immerita nobis debitam mortem depulit, ut illius mortem ac resurrectionem interim imitemur, ac mortui pristinis peccatis cupiditatibusq; quibus additi seruiebamus, posthac uiuamus innocentia, cui nos ille consecrauit omnis innocentia fons, qui nostram impietatem in se transtulit, ut nobis suam cōferret iustitiam. Nos offenderamus, ille uapulauit: nostra erat culpa, in illum saeuit animaduersio. Proinde iuxta uaticinium Esaia, nos illius liuore sanati sumus. Huic igitur acceptum ferre debetis innocentiam uestram: quod pristinae uitæ peccata non imputat deus, huius uinculis, huius plagis, huius uulneribus, huius cruci, huius mortui debetis. Nam ante uelut oues palātes absque duce, alij alio aberrabatis, quò quemq; sua ducebat cupiditas, existimantes licere, quicquid liberet: sed ab errore pristino nunc conuersi estis ad Christum Iesum, pastorem & curatorem animarum uestrarum. Hunc si sequamini ferendis præter meritum afflictionibus malorum, illo duce peruenietis ad immortalitatis gloriam.

CAPVT III

Similiter et mulieres



Am quemadmodū liberi, principes ac magistratus publicos, serui dominos priuatos debent obsequio, quod ubiq; parit beneuolentiam, ad euangelij fauorem pellicere, aut certe per occasionem non irritare, si forte sanabiles non sunt: ita debent et uxores maritis suis morigeras præbere sese, nō modo Christianis, uerumetiā ihs, qui doctrinā euangelicā nondū sunt amplexi. Siquidē fieri potest, ut quos non commouet nostra predicatio, eos uxoris integritas, pietas, modestia, temperantia, castitas, tolerantia peruincat, atq; permolliat, ac deniq; Christo lucrificiat. Etenim cum conspexerint eas à baptismo commutatis esse moribus, cum in eis uiderint exemplar ueræ uirtutis, fortassis inflammabuntur, huc etiam nonnihil appellente affectu maritali, ut qui thori consortes sunt, uelint & professionis esse socij. Habet enim perquam acres stimulos sincera probitas, quæ sæpenumero propius animaduersa facit, ut carnalis amor uertatur in spirituale. Illum excitat formæ uenustas, & formæ gratiā adiuuans cultus, hunc excitat mētis integræ pulchritudo relucens in moribus. Quamobrem uxoribus, quæ Christum professæ sunt, non oportet hoc esse studium, ut iuxta uulgatam consuetudinem

consuetudinem compositis arte capillis, ut additis gemmis auroque, & purpureo amictu, reliquoque corporis cultu, qui foris exhibetur, sese commendent oculis uirorum. Quid enim aliud fiat hisce rebus, nisi ut corpus uxoris adament ad libidinis usum? At quota portio hominis est corpus? Illud magis debet esse studio, ut morum ornatu prouocati, mentem animumque latentem adament, si eam conspexerint puram, nulloque uitiorum nauo contaminatam, si praeter morem communem nihil uiderint in muliere muliebrium affectuum, nihil intemperantiae, nihil iracundiae, nihil inuidiae, nihil ambitionis, nihil arrogantiae, nihil procacitatis, sed spiritum mitem, placidum, tractabilem, ac mansuetum. Hic est cultus magnificus ac splendidus in oculis dei. Hoc ornatu potissimum demerendus est maritorum animus. Hoc lenocinio & olim sanctae mulieres aliquot, quae spem suam fixerunt non in rebus fluxis atque caducis, sed in deo, commendabant se uiris suis, non auro gemmisue, aut purpura, sed modestia, et obsequio, quo facillime lenitur uirilis ingenij ferocitas. Sic Sara obediens Abrahæ, dominum eum upcans cum uxor esset illius non ancilla, modestiae causa semet illi subiiciens. Nam quanquam non competit uiro dominatus in uxore, est tamen autoritas, qua etiam si ubi abutatur, est tamen modestiae muliebris, obsecundare in loco. Porro si cut Abrahæ germani uerique filij sunt, qui fide illius sequuntur: ita uos estis Saræ filiae, quae mulieris optimae mores & masculinum animi robur refertis, bonis operibus ornantes uosmetipsas, ac fiduciam omnem collocantes in deo, cuius presidio fretae, non est quod quicquam expauescatis imbecillitate muliebri. Atque ut matronarum officium est, obsequio casto sanctisque moribus, ac mansuetudine deuincire maritos suos: ita uestra partes sunt o uiri, nequaquam abuti uestra autoritate, ueluti tyrannidem agentes in uxores uestras, quod uobis se submittant, imò hoc minus sitis in illas domini, quod se faciunt ancillas. Sociae sunt fortunarum ac rerum omnium. Sentiant uos commodos conuictores, uestraque sapientia subueniat imbecillitati sexus foeminei. Quo plus ualeatis animi corporisque uiribus, hoc magis oportet opitulari mulierum infirmitati, ut uestra institutione, uestraque moderatione reddantur meliores, ac ueluti sexu posito, masculinescant ad euangelicam pietatem. Neque enim Christiani mariti sunt, qui uxores tantum habent ad usum coitus: imò magis adnitendum est, ut sociae fiant ieiuniorum, eleemosynarum, uigiliarum, precationum: quo, quae uocatae sunt ad commune praemium aeternae uitae, communibus etiam studiis huc contendant. In Christiano coniugio nihil, aut certe quam minimum dandum est uoluptati, pietati plurimum. In qua si consensus erit, & subinde temperabitur a coitu, non interruptentur uestrae precationes, quo sacrificio oportet quotidie litare deo. Ut igitur sunt aliorum alia peculiaria officia, ita sui quoniam hoc magis decet meminisse, quod qui Christum professus est, debet in his, quae probitatis sunt, ceteris antecellere. Ceterum, illud est omnium commune officium, ut quemadmodum eadem omnibus est professio, sicut per baptismum eidem estis insitum corpori, ita per concordiam sit idem omnium animus. Non uos aetas, fortuna, conditio, patriaue diuersa disiungat, quae res apud alios saepenumero ministrant odiorum ac dissidiorum seminaria. Vos oportet esse coniunctissimos, quos idem baptismus regenuit deo, qui patrem in caelis habetis eundem, qui pendentes ab uno capite Christo, estis eiusdem corporis membra, quos euangelica professio fratres ex aequo reddidit, & ob id ad idem immortalitatis praemium absque discrimine pater ille coelestis uocauit omnes, siue pauperes, siue diuites, siue seruos, siue dominos, siue maritos, siue uxores, siue Iudaeos, siue gentes. In hac parte nullum est discrimen, ideo non debet esse dissensio, neque supercilium. Multo plus impetrabit Christiana charitas sese submittere, quam autoritas exigens. Neque enim conuenit inter arrogantes, feroces, suique amantes. Si in corpore animantis membra sibi uicissim subsidio sunt, & si quid uni cuiquam accidit commodi aut incommodi, id singula suum esse ducunt: si quos sanguinis propinquitates coniungit, cognatorum commodis atque incommodis pariter gaudent & indolescent: quanto magis conuenit uos tot modis coniunctos hunc praestare consensum, ut alienis bonis ac malis non minus tangamini, quam proprijs. Ita deum praestabitis uere fraternam charitatem, si qui feliciores sunt non fastidiant infortunatos, sed malis illorum indolescentes, pro uiribus opitulentur: si qui potentia preminet & autoritate, non premant ac despiciant humiliores, sed consuetudinis comitate affabilitateque se met inferioribus accomodent: ut sit aequalitas, & quos fortuna separauit, coniungat Christiana charitas. Absit autem a uobis uindictae libido, quorum est alere concordiam, non solum

Qui est in eo,
spectu dei lo-
cuples

Viri similiter

In fide autem
omnes

Fraternitatis
ama. res

cum

cum pijs ac fratribus, uerum etiam si fieri possit, cum omnibus. Cum bonis oportet officijs certare, cum malis tolerantia, aut etiam beneficentia, qua ut uincuntur & feræ, ita mollescit aliquoties deplorata hominū malicia. Ne uelitis igitur iniuriam iniuria retaliare, aut conuitium cōuitio. Sic enim fiet, ut & ipsi mali sitis qui malos imitemini: quin potius iniuriam officio, maledicentiā benedicendo pensate, ut uestra insuperabili bonitate uincatis & obruatis illorum maliciam. Neque enim in hoc uocauit uos deus, ut malefactis ac maledictis superetis, sed benefaciendo omnibus, bene loquendo cunctis mereamini audire uocem illam optabilem: Venite benedicti patris mei, possidete regnum. Bonis malefacere, plus quàm ferinū est, in benedictos esse maledicum, plus quàm scurtarum. De male merentibus benemereri, de maledicentibus & obtrectantibus bene loqui, Christianæ uirtutis est. Hoc si cui durum uidetur, audiat Psalmographum diuino afflatum spiritu idem præcipientem: Qui uult, inquit, uitam diligere, & dies uidere bonos, coerceat linguam suam à malo: cohibeat labia sua, ne loquantur dolum: declinet à malo & faciat bonum: quærat pacem, & persequatur eam. Quoniam oculi domini super iustos, & aures illius intēta sunt ad preces eorum. Rursus aspectus domini super eos qui faciunt mala. Proinde si deum uolumus in nos esse beneficium, simus ipsi benefici in omnes: si uolumus illius ultionem effigere, ne quem omnino lædamus. Nec audio quod hic forsitan obmurmurabit affectus huius manus. Nihil propulsaro iniuriam, impunitas inuitabit plurimos ad lædendum. Imò nihil uos reddet tutiores ab iniuria, quàm si uel toleretis, uel officio pensetis etiā. Nullus est lædendi finis, quoties misera uicissitudine conuitium conuitio, iniuria conduplicatur iniuria. Si nemo repugnet, cōquiescet, aut certe languescet improbitas. Quis enim cupiat uos lædere, si studueritis omnibus benefacere, lædere neminem? Quod si qui reperiuntur adeo cæci, ut odio uirtutis, aut errore uos persequantur, quæso qua in re possunt lædere? Aufferent pecuniā mox alioqui relinquendam, affligent corpus, occident breui alioqui morituros. Hæc omnia quoniam ob pietatem inferuntur, adeo nullum damnū adferunt, ut lucro etiam augeant. His malis augent uobis æternæ felicitatis præmium. Qui bonæ mētis afficitur dispendio, is uere læditur, ea incolumi lucrum est, quicquid mundus putat esse damnum, Beatitudo est, quicquid istis uidetur calamitas. In uobis igitur sitū est efficere, ne qua uis malorum uobis noceat. Quicquid hominum improbitas ademerit, id diuina largitas immenso cum fœnore restituet. Proinde deo fretos, nihil est quod terreant hominum minæ, aut perturbet malorum uiolentia. Ne in medijs quidem afflictionum procellis animo turbemini, tanquam ope diuina destituti. Neque maledicatis hominibus, qui uos per ignorantiam affligunt, quin potius glorificare dominum deum in cordibus uestris, qui suis famulis omnia uertit in bonum, siue læta accidunt, siue aduersa. Semper itaque laudandus est, si uoce non semper licet, certe cordis affectu nusquā non licet. Huius hostes non sunt exacerbandi conuiuijs, uerum ubicunq; offerret se spes aliqua posse illos ad Christū pertrahi, sitis faciles promptiq; ad respondendum quibuslibet cupientibus cognoscere, qua fiducia, quaq; spe contemptis huius uitæ commoda, & incōmoda toleretis. Idq; facite non indignabundi, non contumeliose uelut illis infensi, sed cum omni mansuetudine ac reuerentia, freti timorē uestra conscientia bona, etiā si non possitis illis persuadere. Neque enim satis est Christianis, ut uera loquantur, & Christo digna, sed ita loquantur, ut ipsa sermonis ratio declaret, uos non uestrum negocium agere, sed Christi gloriā, & illorum quibus loquimini spectare salutem. Hoc erit certissimū argumentum, quo pudefiant ij, qui uitam uestram, quam agitis iuxta Christi doctrinā, calumniātur ut fucatam ac maleficam. Nam fucata uirtus quanquam alijs fallit præstigio, tamē ubi uentū est ad afflictiones, erumpit ac prodit sese. Sola mens sibi bene conscia, totaq; pendens à deo, potest alacriter ferre omnia, & adeo non moliri uindictam, ut ijs etiā benefacere conetur, à quibus affligitur. Neque uos moueat, quod innocentes nocentū supplicia patimini, imò hoc nomine leuius ferendum est quicquid infertur. Præstat enim uobis, ut si deo uisum fuerit ista uos pati, benefacientes perpetiamini, quæ malefaciētes. Etenim qui pro malefactis punitur, tantū luit quod cōmeruit: uestræ afflictiones cedunt in gloriā Christi, uestræq; felicitatis cumulū. Gloriosum est uobis imitari principem uestrum. Sic ille gloriā dei patris illustrauit, totus innocens captus est, uinctus est, cæsus est, cōsputus est, crucifixus est, pro nostris peccatis mortuus est, cū ipse nullū haberet peccatū. Iustus pro iniustus, insons pro sonantibus. poenas dedit, libentes

Et quis est qui
nobis noceat

Dominum au
tem Christū

Confundatur
qui calumni
antur

libenter obediens uoluntati paternæ, quò nos, qui peccatores eramus, puros & illibatos exhiberet patri, ut & ipsi sequentes illius exemplum, inter nocentes uiuamus innoxij, ac boni pro malorum salute patiamur. Semel ille duntaxat mortuus est, pro temporaria afflictione uitæ donatus æterna, ne nos semel exempti à peccatis ad eadē relaberemur. Expiavit autem nos Christus, morti traditus ob imbecillitatē humani corporis quod assum- *Quia et Chri*
pserat, sed reuocatus est ad uitam uirtute spiritus, qui nullis afflictionib. uinci poterat. Si *stus semel pro*
quidem eo tempore, quo corpus illius exanime sepulchro claudebatur, spiritu uiuens pe *peccatis m.*
netrauit ad inferos: & quemadmodum apud homines mortali corpore circumdatos, ipse corporeus prædicaui euangelicam doctrinam, cui qui crediderūt, salutem sunt assequu-
ti, qui credere recularunt, damnationis æternæ cumulum sibi accersierūt: ita corpore po-
sito adiit eos spiritus, qui & ipsi corporibus exuti degebant apud inferos, eisq; prædicaui
iam adesse tempus, quo præmium caperent suæ pietatis, quod olim ueriti iustitiā dei, nec
se sint uli de malis, & innoxij uixerint inter nocentes: ac denunciavit, eos se digna pas-
suros, qui temporibus Noe cum appareretur arca, et expectaretur diluuiū immittendum
à deo mortaliū sceleribus irritato, non crediderunt, sed abusi sunt lenitate diuina, cū uide-
rent id, quod minitabatur, in annos aliquot proferri. Itaq; diluuiū irruens perdidit omnes,
exceptis perpaucis, nimirū octo duntaxat, qui se iuxta Noe consiliū commiserunt arcæ,
nec absorpti sunt diluuiō. Et illis itaq; temporibus fides nō caruit suo præmio. Nec enim
fuit deus perire sibi fidentes toto pectore. Nec increduli possunt effugere uindictam dei,
etiā si uos nō sitis ultores. Vobis enim satis est quod obeditis deo, cæterum impiorū ul-
tionem illi relinquire. Iam quod fuit illis arca Noe, hoc uobis est baptisumus, quod illis di-
luuiū, hoc impijs æternum supplicium, prædicatum ijs, qui non obediūt euāgelio. Satis erat
Noe denunciaſſe uenturum diluuiū, satis erat ostendiſſe quo pacto liceret effugere peri-
culum, si poenitētia placassent iram dei, quā in se suis sceleribus prouocarāt. Vobis quoq;
satis sit innocentia uestra, satis sit alijs denunciaſſe, quod præmium paratum sit credenti-
bus Euangelio, quæ poena maneat incredulos. Si pauci seruantur per fidem, uobis non
imputabitur. Si bona pars hominum perit incredulitate, suo pte uitio perit. Sic deo uisum
est, aperire discrimen bonorum ac malorum. Baptisumus rite acceptus, seruat ab exitio, ac
diluuit sordes non corporum, sed animorum, Repudiatus perdit in æternum, ac scelerum
grauioribus undis inuoluit. Itaq; quod alijs salutē est, accedente fide, hoc incredulis ac re-
bellibus adfert exitium. Neq; tamen uobis satis est, quod per baptisumi diluuiū peri-
ere peccata, peri-ere prauæ cupiditates pristinae uitæ, nisi adsit conscientia, per omnem deinde
uitam respōdens beneficio diuino. Mortuus est Christus, sed semel duntaxat: resurrexit, *Per resurre-*
nunquā moriturus, ac nobis per baptisum ita semel occiduntur scelera uitæ prioris per *tionem Iesu*
Christi mortem, ut post in illo rediuiui innocentia, nunquam relabamur in peccata, quod *Christi*
quidē in nobis est. Id fiet si ueluti deposita mortalitate, totis animis ad cœlestē illam uitam
aspiremus, cuius hæreditas manet obediētes euangelio. Sic enim resurrexit Iesus Chri-
stus, ut deinde non sit moratus in terris, sed à mortaliū consortio sese subduxerit in cœ-
lum, atq; illic fruens immortalitatis gloriā, assidet patri dexter, non quidem sine corpore,
sed in quod iam nullum ius habet mors: quæ dum absorbere conatur innocētem, prorsus
absorpta est, dumq; sibi prædam opimam pollicetur, ipsa præda fuit. Porro Christi uictō-
ria, nostra est uictoria, & quod in illo præcessit gloriæ, nobis ostenditur, si modo perseue-
remus in eo quod cœpimus, & illius uestigijs inhæreamus. In illum nihil ualuerūt impro-
borum afflictiones: Imò his tolerādis uicit, triumphat, ac regnat sublimis sedens in cœlis,
superior angelis omnibus, aut quicquid est alioqui uirtutum ac potestātū. Vobis aperuit
uiam in cœlum, ut eadem uia qua ille ingressus est, uos quoq; eodem grassemini. Parata
certaq; est hæreditas, cuius ille pro uobis quoq; possessionem adiit, si modo uos ea præste-
tis dignos: hoc est, si innocentia, quam ille gratis donauit, iunxeritis studium benemeren-
di de omnibus, etiam de malis & affligentibus uos, quod quidem sit in uobis.

CAPVT IIII



Vm igitur Christus princeps & caput uestrum non obsequutus sit huius ui *Christo igitur*
tæ uoluptatibus, sed per temporarias corporis afflictiones peruenerit ad cœ *tur passio*
lestem gloriā, cumq; tolerantie armis deuicerit aduersarios, æquum est, ut
qui profiteamini uos illius discipulos, simili animi proposito uos ipsos arme-
tis

tis. Tutissima est armatura, uitæ innocentia, Inexpugnabile munimentum est, patientia
 Christiana. Hac quisquis cinctus est, non potest à quoquam lædi. Quisquis Christo com-
 mortuus fuerit iuxta carnem, sic destitit à peccatis uitæ prioris, ut humanis cupiditatibus
 planè sit mortuus, ut iam non titilletur auiditate gloriæ, non iritetur uindicandi libidine,
 sed quicquid est reliquum ætatis, quod datur in hoc corpusculo, id totum uiuat uoluntati
 dei, cui uni placere desiderat, à quo expectat bonæ consciæ præmium, cui relinquit im-
 proborum uindictam. Quisquis ad martyrium paratus est, non tangitur huius mundi uo-
 luptatibus. Sic enim apud se cogitat: Absit, ut semel cum Christo meo suffixus in crucē,
 descendā ad reliquia uitæ, semel destinatus æternæ felicitati, reuoluam ad huius mundi non
 minus breues, quàm insanas delicias. Abunde satis est, quod præteritum tempus adhuc
 alienus à Christo impenderim insanis cupiditatibus, quibus gentes profanæ turpiter ser-
 uiunt, addictæ deditæque lasciujs, concupiscentijs, uinolentijs, comestationibus, ac nefarijs
 simulacrorum cultibus. Hac gaudemus à tergo reliquisse Christi beneficio, & quoties re-
 spicimus inhorrescimus tantam uitæ foeditatem, tantam ignorantia caliginem. Nunc pro
 libidine placet castitas, pro luxu frugalitas, pro uinolentia sobrietas, pro supersticioso si-
 mulacrorum cultu uera pietas religiosusque cultus dei uiui, cui gratissimum sacrificium est
 animus ab omni uitiorum inquinamento purus & illibatus. Quos adhuc habent suæ te-
 nebræ, mirantur istam tantam in uobis animorum ac uitæ mutationem, & indignantur ue-
 stra frugalitate damnari luxum ipsorum, uestra integritate notari uitā ipsorum, omni in-
 temperantiæ genere superfluentem. Amarent socios turpitudinis suæ, nunc ob uitæ dissi-
 militudinem obtreant uobis, sed non est quod horum conuitijs commoueamini, nec sunt
 uicissim conuitijs insectandi. Vobis satis sit mens sibi bene conscia apud deum. Si qua po-
 testis illos ad meliora conuerrere, conandum est, sed ita, ut à uestra sinceritate non receda-
 tis. Si resipiscunt, gratulandum est: si obdurati conuitijs etiam insectantur bene uolentes,
 relinquire uindictam deo, cuius iudicium nullus mortalium potest effugere. Is enim suo
 tempore iudicabit omnes, non uiuos tantum, uerum etiam mortuos: uiuos, quos aduentus
 Christi deprehenderit uiuentes in corpore: mortuos, qui ante Christi aduentum, iam ex-
 cesserint à uiuis. Quanquam non uere uiuit, nisi qui uiuit pietati. Qui seruiunt uitijs for-
 disque cupiditatibus, deo mortui sunt. Huic iudici reddituri sunt rationem isti uere mortui,
 si nolint à suis uitijs resipiscere. Ille pro uobis poenā sumet de illis, uobisque uestræ toleran-
 tiæ præmia persoluet æquissimus iudex. Cupit ille quidē omnes reuiuiscere ad pietatem
 euangelicam, & hac gratia uoluit euangelij gratiam prædicari, non modo Iudæis, iuxta
 Moyli legem religiose uiuentibus, non solum gentibus, iuxta naturæ legem probe degen-
 tibus, uerum etiam mortuis, omni que uitiorum genere prorsus sepultis. Et horum tenebris
 uoluit ingeri lucem euangelicam, hos uoluit cum omni mansuetudine tolerantiaque doceri,
 ut & ipsi tandem expurgiscentes, contemptis his in quibus nunc cæci collocant felicitatem
 suam, apud homines quidem habeantur uelut corpore mortui, quod nullis corporis
 affectibus tangantur, sed apud Deum uiuant spiritu. Non enim uere uiuit iudice deo, nisi
 qui sic mortuus est. Nihil autem hic diuturnum, & omnium rerum breui finis aderit. Et il-
 los cito relinquent suæ uoluptates, & uestræ afflictiones mox finientur. Deinde uos ma-
 net æterna felicitas, illos æternum supplicium. Proinde modis omnibus ad uigilandum, ne
 uos ille dies offendat dormitabundos, & oscitantes crapula, socordiaque. Quin magis per-
 petuo præparetis uosmetipsos aduersus eum diem, sobrii ac uigilantes in assiduis pre-
 cationibus. Veniet enim inexpectatus (sic Christo uisum est) sed in his si deprehenderit, non
 poterit non uenire felix. Grata est deo sobrietas, tutum est uigilare, libens audit deus pro-
 ces temperantia uigiliaque commendatas. Sed illud multo omnium gratissimum ut iugue-
 hementique charitate uos inuicem complectamini, mutuis officijs inuicem subleuantes: ut
 qui uigilantior est, expurget oscitantem: qui doctior, erudiat indoctiorem: qui atten-
 tior, admoneat cessantem, qui feruentior, extimulet frigentem: qui perfectior est, con-
 net per infirmitatem erranti. Nam hæc charitas ardens in proximum, operit multitudinem
 peccatorum, quibus obnoxij sumus deo. Quod in illum delinquimus, optimè diluimus col-
 locandis in proximum beneficijs. Vt cuique facultas obtigit, ita hac studeat prodesse fra-
 tri. Cui res est, hospitalem sese præbeat, ac largiatur ijs, quibus opus est, non grauare, neque
 cum murmure, sed libens & alacer, existimans se beneficium accipere cum dat, & huius
 modi

Sufficiat enim
 præteritum
 tempus

Propter hoc
 enim & mor-
 tui

Omnium autem
 finis appro-
 pinquabit

modi facultatum dispendium ingens esse compendium apud deum, omnia cumulatissi-
me remetientē. Quin & illud cogitate, quicquid iuuando proximo impenditis, Dei be-
neficiū esse, in hoc donatū, ut hac ueluti sorte credita ditescatis usura piorū operū. Alijs
alias dotes distribuit deus. Nemo sibi uindictet, quod habet, cogitet dei munus esse, qd
per uos distribui uult in alios, ut ex mutuis officijs magis ac magis adglutinetur inter
uos mutua charitas, & singulis per occasionem crescat præmium pietatis. Nemo sibi di-
spliceat, quod hac aut illa dote non sit præditus. Nemo sibi placeat, quod dotibus præ-
cellat alios. Sic uisum fuit diuini benignoq; deo, uarie partiri sua munera. Nemo domi-
nus est eius, quod accepit, Dispensator est tantum, domini res est, quam dispensat. Id si
bona fide, si alacriter, si solícite facit, ne mercedem expectet ab homine, quum sit rece-
pturus à deo. Si cui contigit doctrina sacra, si cui donum eruditæ linguæ, non abutatur
ad quæstum, ad fastum, aut inanem gloriam, sed ad proximi salutem, Christi q; gloriam.
Sentiant auditores esse dei sermones, non hominū, & eum qui loquitur nihil aliud esse,
quàm organum diuinæ uocis. Si quis magis ualeat functione, quàm doctrina, sic admini-
stret dotem suam, ut non sibi uindictet auctoritatem, sed deo transcribat, qui uim & robur
suppeditat, ut efficaciter obeat, quod agit. Ita fiet, ut ex dotibus uarie distributis, ex mu-
nīs uarie obitis, undiq; glorificetur deus, à quo ceu fonte nobis fluunt omnia, non per
Mosen, sed per Iesum Christum, per quem, ut unicum filium nobis largitur, quicquid lar-
gitur pater. Huic igitur acceptū referet, qui officio fratris adiutus est, huic gratias ager,
qui suo ministerio gaudet adiutū fratrem. Summa igitur omnis glorię undiquaq; ad deum
patrem redit ac filium, cui iugis est gloria & imperiū, nullo æuo finiendum, Amen. No-
bis non est hic quærenda gloria, tantū oportet officij nostri meminisse, quo placeamus
deo. De præmio uiderit ille, cui fidimus. Ille persequentium maliciam uobis uertet in
bonum, cruciatus mutabit in gaudium, ignominiam in gloriam. Proinde charissimi, ne
interim ceu re noua perturbemini, si coelestis regni consortes futuri, temporarijs affli-
ctionibus exploramini, uelut aurum igni. Nouum uobis uideri non debet, quod olim
præcessit in probatis prophetis, quod nuper in Christo. Leuius ferendum est, quod ui-
detis cum omnibus deo probatis uiris uobis esse commune. At quod hac in parte disci-
puli præceptorem, membra caput refertis Iesum Christum, gaudere etiam ac uobis gra-
tulari debetis, quod ut nunc uos habet dignos, quos uelit esse socios afflictionū, ita post
cum aperuerit omnibus maiestatem suam, pudefactis & attonitis qui illum & illius odio
uos, afflixerunt, exultabitis ineffabili gaudio, quod sentiri potest, uerbis exprimi nō po-
test. Interim si probis uos afficiunt homines, nō ob uestra flagitia, sed ob professionem
Christi, quantumuis affligimini corpore, tamen hoc nomine estis beati, quod in medijs
etiam cruciatibus, in medijs ignominijs gloriosus ille spiritus dei refocillatur in uobis
ob animum innoxium, sibiq; bene consciū. Dulce est pati cum Christo, gloriosum est
pati pro Christo. Nam quod in ipsis est, probro afficiunt Christum, sed uestra innocen-
tia, uestra tolerantia facit, ut id cedat in illius gloriam. Absit autem, ut quisquam uestrum
affligatur ob homicidium, aut furtū, aut conuiuium, aut curiositatem eorū, quæ nihil ad
uos pertinent. Non enim cruciatus martyrem facit, sed causa. Quisquis aut patitur non
ob aliud, nisi quod Christianus dicitur, non est quod pudeat supplicij: Furem appellari
turpe est. Christianū appellari gloriosum est. Beati sunt quibus uel sic licet effugere sup-
plicia gehennæ, quibus per momētarias afflictiones datur aditus ad æterna gaudia. Ad
hæc non admittit deus, nisi multa malorum tolerantia spectatū probatumq;. Olim exer-
cebit formidabile iudiciū, ubi misericordiæ tempus fuerit exactum, ubi pro meritis
sua cuiq; reddentur præmia. Interim mitius est iudiciū, cum temporarijs cruciatibus
ad purum examinati, reddimur idonei consortio Christi, qui nihil admittet nisi purga-
tissimum, ac defecatissimum. Iam tempus est, ut hoc iudiciū exerceatur, quo magis sit
euidens, qui uere fidant deo, qui uere diligāt Christum. Res prosperæ tranquillæq; non
arguunt ueram pietatem. Mosaicas ceremonias seruare potest & hypocrita: at iacturam
rerum, probra, carceres, flagra, mortem nemo fert æquo animo, nisi qui fidem inuictam
cum euangelica charitate coniunxerit. Ad hæc se parent, qui uolunt olim regnare cum
Christo. Iudiciū hoc incipiet à domo dei, quæ est ecclesia. Quod si tanta purgatione
nobis opus est, qui credimus euangelio, & uiuimus innocenter, quis finis, quod iudicij

Charissimi no-
lite peregri-
nari

Secundum
uos aut glo-
rificatur

Si autem pri-
mum à nobis

um, quæ poena manet illos, qui diffidentes euangelio dei, persistunt in suis flagitijs. Si sic examinantur, qui simpliciter obedientes euangelio, relictis omnibus huius mundi delictijs, tradiderunt sese studio pietatis, quid futurum est ijs, quos euangelij prædicatione red didit etiam deteriores. Et si qui iuste uiuunt, nullius mali sibi conscij, non sine periculo negocioq; perueniunt ad portum æternæ salutis, qua spe comparebunt impij ac scelerosi in iudicio tam exacto, tamq; formidando. Itaq; tantum abest, ut illic sibi sperent ullam salutem, ut hi quoq; qui non ob malefacta, sed ob uoluntatem dei crucientur in hoc mundo, non debeant sibi fidere, sed pro uiribus exercentes opera pietatis, hoc pacto deponant animas suas apud deum conditorē, cuius bonitas non sinet perire, quod condidit, si benefactus immoriatur, siq; suis diffisi meritis, ab illius benignitate præmiū expectent.

CAPVT V

*Seniores ergo
qui in nobis
sunt*



Hoc agite fratres, & seorsum singuli, & in commune omnes, ut Christi ue-
stigia sequentes, ad illius consortium perueniatis. Sed par est, ut qui præ-
cellunt ætatis autoritate, præcellant & studio pietatis. Ab horum exem-
plo, ab horum doctrina, ab horum autoritate pendet reliquus grex, quibus
haud quaquam satis est, si suam tueantur innocentiam, ni multitudinis etiam
curam agant. Nam his autoritatem addit canicies: prudentiam, rerum usus: fidem, in-
tegritas diu probata spectataq;. Vos igitur appello seniores, populi custodes, senior &
ipse, qui quod doceo, re factisq; præstiti, quippe pro Christi nomine carceres & flagra
perpessus, ad crucem etiam paratus ubi uolet deus, atq; idem optimam spem habens fo-
re, ut quem ille dignū habuerit, ut pro ipso perpeteretur, eundem sit ad gloriæ cœlestis
consortiū admissurus, simulatq; uenerit ille dies, quo declarabit orbi maiestatem suā, &
finitis certaminibus proferentur præmia. Obsecro uos per Christo pro uobis toleratos
cruciatus, per meas afflictiones, quibus dominum meum pro uirili sequor, præbete uos
uere pastores multitudinis, quæ cuiq; sorte obtigit, uigilate, obambulate, dispicite, cura-
te, ne quid desit gregi, pro quo mortuus est Christus, ne consolatio sancta, ne doctrina sa-
lutaris, ne uitæ euangelicæ exemplū. Episcopi uocamini, re præstate, quod appellamini.
Pascite, curate, regite, custodite, ne quid pereat, ne quid aberret. Idq; facite non grauati,
ueluti coacti metu, aut pudore, aut officij necessitate, sed prompte, sed libeter, sed ex ani-
mo, nihil aliud spectantes, q̃ quid deo sit gratū. Illius negotium agitis, ab illo recepturi
mercedem æternā. In hac uita, ne quærite præmiū. Turpe est, quæstus gratia curare po-
pulum Christianū, quod nemo cum laude facit, nisi qui sponte & gratis facit. Excidit
præmio cœlesti, qui uenatur hic officij mercedē ab hominibus. Huic proximū est, si quis
lucri quidem cōtemptor est, sed tamen ambit honorem ac dignitatem, gaudet imperare,
gaudet colī, nec huic erit præmiū apud deum. Tulit hic mercedem suam, multum abest
episcopi munus à dominatu. Non est tyrannis, sed administratio. Ideo præsidet episco-
pus, non ut plus auferat lucri, non ut regnet, utq; illi plus liceat, sed ut plus prosit. Me-
mineritis igitur seniores officij uestri, sic gerite uos in omnibus, ut uestra uita populo sit
exemplar uitæ euangelicæ. Discant ex uestris moribus lucrū negligere, discant asper-
nari fastū, discant officiorū suorū à Christo sperare mercedem, nec aliud interim specta-
re, nisi quia sic est honestum, sic deo gratū. Interim uel gratis agite bonos pastores. Quan-
quam id quidem haud fiet gratis: imò cum die præfinito proferet sese princeps pastorū
Iesus Christus, qui semet totū impendit ouibus suis, quarū custodiam nobis cōcredidit,
tunc pro uili mortaliq; præmiolo percipietis gloriosam officij uestri coronā, quæ nunq;
marcescet. Nolite igitur uobis sumere, quod oportet à principe uestro expectare, nolite
diem anteuertere, quem ille nobis incertum esse uoluit. Quemadmodum autem senio-
rum partes sunt, ut sese patres præbeant iunioribus, ita iuniores uicissim oportet se mo-
rigeros & obsequentes præbere senioribus: & quemadmodum seniores sese submitunt
per euangelicā charitatem omnibus, quo magis prodesse queant, ita iuuenes nō debent
abuti modestiā facilitateq; seniorum, imò hoc promptius conuenit illis obsequi, quo mi-
nus abutūtur autoritate sua. Vbi uera charitas est, ibi nec autoritas habet fastidiū, nec in-
uentus ferociā. Qui dignitate præminet, hoc tantū agit, ut alijs sit usui: qui subditus est,
ultro plus præstat, q̃ ille exigit. Sit igitur omnibus penitus infixa animi modestia, ea fac-
et, ut neq; grauis senioribus sua sollicitudo, neq; iuuenibus molesta sit illorum autoritas.

Odit

Odit deus in hominibus animi ferocitatem, delectatur animis submissis ac deſcipientibus ſeſe, his libenter impartit ſuas dotes, qui ſibi nihil tribuunt: elatos repellit & auerſatur, ut indignos ſuo beneficio. Qui ſeſe demittunt, hos euehit: qui ſemet efferunt, hos deſcendit ab illius nutu, hos fouet ac tuetur. Submittite igitur uosmetipſos, nō ob metum hominum, ſed freti pōtenti manu dei. Non eſt periculum, ne conculcemini perpetuo, ille uos euehet in altum, & attollet cum uenerit dies ille prēmiorum. Ne circumſpiciate, ne diffidite, nolite metuere, ne malorum undis indefenſi neglectique inuoluamini, quoniam ille, qui nihil non poteſt, nihil non uidet, curā uos habet, nec patietur quicquam ueſtri perire. Solet ætas iuuenilis eſſe propenſa ad uoluptates ad luxum, ad laſciuiam. Vos autem eſtote ſobrii, uigilate animis, ſemper attentī, ſemper circumſpecti. Non enim dormit ille ueſtræ ſalutis aduerſarius ſitiens hominum exitium, ſed obambulat ueluti leo famelicus ac rugiens, undique captans quem deuoret: nullum non aditum tentans in uos, nunc inſidians per uoluptates, nunc oppugnās perſequentiis. Ne date locū illi, ſed inſectamini eum. Dicetis unde uires aduerſus tam potentem? Potentior eſt, qui curam habet ueſtri. Illi modo fidite totis animis, nihil poterit aduerſarius. Erga diffidentes robur habet, erga fidentes imbellis eſt. Si hūc aut illum impeteret, fortassis eſſet iure grauis afflictio, nunc uniuerſum piorum gregem pari impugnat odio. Chriſtum in uobis perſequitur, inuidet ſaluti omnium, quod leuius erit ferenda communis omnium afflictio, & concordibus animis ſtandum aduerſus hoſtem communem. Iſta breui ſinem habitura ſunt. Nec interim uos deſtituet deus, unde proficiſcitur omnis beneficentia: imō quod cōcepit in uobis, perficiet. Dedit iſtos animos, ut ob amorem ipſius non dubitatis adire cruciatus, per quos uocauit uos ad æternam gloriam ſuam. Non ſinet uos excidere à palma: ſi fortiter certetis, aderit certatibus, uosque fulciet, roborabit ac ſtabiliet ut ad breue tempus afflicti, perueniatis ad coronam immortalitatis. Illius præſidio uincimus, illius munificentia capiemus præmium. Non eſt, quod nobis arrogemus laudem. Soli deo debetur omnis gloria, nō ſolum in hoc mundo, uerumetiam in omnia ſecula, Amen. In præſentia non agam uobiscum pluribus: nam hac ipſa de re uobis, opinor, nuper ſcripti, licet paucis, per Syluanum fratrem fidelem, qui non dubito quin epistolam bonā fide reddiderit. In ea uos obſecrabam & obteſtabar, ut in eo, quod cōcepſitis, perſeueretis, ne qua res dimoueat animum ueſtrum. Veriſſimam ad ſalutem uiam eſtis ingreſſi. Huc uſque progreſſi eſtis dei beneficio. Perſiſtite fortiter eiſdem præſidio, donec pertingat ad palmā uitæ immortalis. Saluere uos iubet congregatio Chriſtianorum, quam unā uobiscum deus ſibi delegit Babylone, quæ in medio impiorum idololatrarum euangelicam ſequitur pietatem, in medio corruptiſſime uiuentium amplectitur uitæ puritatem. Soli non eſtis, ubique habet deus ſuos electos: pauculos quidem illos, ſed exquiſita ſeminaria olim latius propagandæ eccleſiæ. Salutat uos Marcus, qui mihi filij eſt uice. Salutate uos inuicem oſculo non uulgarī, quod ex more datur, nō ex animo, ſed ſancto, puro, uereque Chriſtiano, quod ab animo non diſſideat, quod caſte, ſyncereque amantiſ ſit non mendax ſymbolum. Atque ut epistolam in idem ſiniam unde ſum exorſus, grātia & pax uobis omnibus ſemper adſit, qui in ſiti corpori Ieſu Chriſti, illius ſpiritu uiuitis, ut illa deo uos copulet, hæc uos mutua conglutinet concordia: quod faxit deus Optimus maximus.

IN EPISTOLAM PETRI APOSTOLI POSTERIOREM
Argumentum, per Des. Erasmus Roterodamum.



Anc ut apparet, ſcripſit admodum ſenex, & iam mortis uicinus, quādoquidem de obitu ſuo meminit. Scribit autē promiſcue Chriſtianis omnibus, adhortans ad uitæ puritatem, & ueterum exemplis ac terrore iudicij extremi deterrens à turpibus, uehemēter inſectans eos, qui ſimplicium animos peruerſa doctrina corrumpent, negantes aduenturum Chriſtum.

Argumenti ſinis.

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

PETRI APOSTOLI POSTERIOREM PER DES.

Erasmus Roterodamum.

*Gratia et pax**Propria gloria
et uirtute*

SYMEON Petrus, quondam Mosaicae legis cultor, nunc seruus ac legatus Iesu Christi, cuius euangelium, ueluti lux discutit ac dispellit omnes umbras ueteris testamenti, absque delectu, seu gentis seu religionis, seu sexus, seu status, aut conditionis omnibus scribo. Omnes enim nobis cognatos ac coniunctissimos ducimus, quicunque nobis aequari meruerunt in euangelicae fidei professione, per quam nobis contigit uera iustitia, non per circumcisionem, aut legis hostias, sed per bonitatem dei nostri, perque mortem seruatoris nostri Iesu Christi, qui gratis condonauit nobis uetera peccata, ut posthac sequamur iusticiam euangelicam, quae sita est non in ceremonijs, sed in uera animi pietate, & habet quiddam longe perfectius iustitia Iudaica, quae uerae iustitiae umbra duntaxat est. Precor autem, ut quemadmodum hactenus abunde profecistis in euangelica gratia, semper aliquid addentes pietatis incrementis, & indies arctius astringentes fraternam inter uos concordiam: ita consummare dignetur diuina benignitas in uobis sua munera: quae bona hoc magis uobis accrescunt, quo magis promouetis in agnitionem dei patris, & huius filij domini nostri Iesu Christi, quos uere agnoscere uita est aeterna. Est enim caput salutis, autorem salutis agnoscere, ne quid hinc arrogemus meritis ac uiribus nostris, aut praescriptis Mosaicae legis, cum quicquid ad ueram uitam, quicquid ad ueram pietatem pertinet, illius diuina uirtus nobis largita sit absque praesidio circumcisionis, tantum per fidem, qua agnoscimus deum patrem, a quo proficiuntur omnia, & Iesum Christum, per quem unum nobis donantur omnia. Non haec praestantur meritis nostris, sed illius gratuita munificentia, quae ultro uocauit nos ad beneficium salutis: & in gloria ac uirtute uacuis impartitur suam & gloriam & uirtutem: ut qui nostris uitis addicti, ueluti sordida foedaque mancipia seruebamus idolis, insiti Christo, redderemur & puri & gloriosi, sublati sceleribus quibus foedabamur. Nostram ignominiam in se transtulit, ut ultro in suae gloriae consortium cooptaret: nostra commissa in se recepit, ut nos illius innocentia gauderemus. Iam haec ipsa maxima sunt, at longe maiora magnificentioraque sunt, quae nobis promittuntur in posterum, non per Mosi legem, ut saepe iam diximus, sed per agnitionem Iesu Christi. Quid autem promittitur? Nimirum ut etiam si ad genus Iudaicum non pertinetis, tamen efficiamini pariter consortes diuinae naturae, affecti in numerum filiorum dei, possessori haereditatem immortalis uitae, si modo hic interim incorrupta uita quandam immortalitatem meditemini, ac refugeritis ab omni corruptione uitiorum & cupiditatum, quibus infectus animus ad mortem tendit aeternam. Innocentiam semel gratis largitus est Deus, eam non satis est tueri, sed omni studio adnitentes satagite, ut benefactis locupletemini, ne fides sit ociosa, sed hanc comitetur probitas, ne quid agatur dicaturus, nisi quod honestum est. Probitatem excipiat scientia, ut non solum sequamini quae recta sunt, uerum etiam perspiciatis, quid, quo loco, apud quos, quatenus, & qua ratione sit agendum. Scientiam comitetur temperantia, ut animus inuictus aduersus omnes illecebras mundi, sine deflexu constanter sequatur id, quod optimum esse iudicauit. Temperantiae iungatur patientia, ut dum benefacitis, mala fortiter toleretis. Nam quos blandimenta mundi non emolliunt, hos aliquoties frangit impatientia malorum. Patientiae adsit pietas, ut quicquid agitis, aut patimini, ad dei gloriam referatis. Pietatem comitetur fraterna charitas, ut quemadmodum deum amatis propter ipsum, ita illius gratia diligatis omnes, qui deum profitentur. Fraternam charitatem augeat cumuletque dilectio, quae benemereri studeat de omnibus, non solum de pijs & Christianis, uerum etiam de impijs. Hi sunt fructus euangelicae fidei, qui si uobis adsint, atque etiam exuberent, efficient, ut quod per fidem agnouistis dominum nostrum Iesum Christum, non fuerit uobis inutile, atque infrugiferum, etiam si sitis a circumcisione alieni. Siquidem in his sita est summa Christiana pietas, quae si cui defuerint, is frustra Christum professus est, cum ab euangelica luce relabatur

batur in ueteres tenebras: nec aliter, quàm cæcus manu uiam tentans, per ambages cupiditatum mundanarū circumagitur, neq; cernit uiam, qua perueniatur ad Christi consortium, ingratus etiam Christi beneficio, à quo cum sit semel gratis purgatus à pristinis commissis, tamen uelut oblitus huius tantæ clementiæ, rursus in eadem relabitur. Quapropter fratres, ne uos securos & oscitantes reddat, quod diuina bonitas, uos nihil promeritos uocauit ad professionem euangelicam, semel condonatis prioris uitæ peccatis omnibus: imò tanto magis adnitamini, ne dei bonitas, qua uocauit uos, qua delegit, uobis uertatur in perniciem & cumulum damnationis, si benignitatis illius immemores, eò reuoluamini, unde uos sua morte redemit. Quin potius ambite benefactis, ne Deus uos uideatur frustra uocasse ac delegisse. Huius rei non nulla pars in uobis quoq; sita est. Etenim si cogitaueritis unde uos uocarit deus, ad quæ uocarit, quæ præmia proposuerit, & si ad hæc ipsi rationibus cōtenderitis, quas paulo ante cōmonstrauī, nusquā à recto pietatis cursu prolabemini. Siquidem hæc contendentes, aderit abunde diuinū auxilium, suppeditabitq; uobis opem suā, ut tandem uictores huius mūdi perueniatis in æternum regnum domini & seruatoris nostri Iesu Christi, potituri cum illo bonis cœlestibus, cuius amore terrena contempsistis. Amplissimum est præmiū, sed summo conatu ambendum. Quapropter non cessabo uos unquam hisce de rebus cōmonefacere, tametsi non arbitror esse necesse, cum & faciatis & memineritis, quid uobis sit agendū: iamq; longo progressu pietatis confirmati etiam sitis, iam diu cognita ueritate, quā hucusq; cōstanter sequimini semel amplexi: sed tamen quo magis ac magis uigiletis in eo, quod cœpistis, partes meas arbitror, ut memor præcepti domini mei, qui iussit, ut ipse conuersus, confirmarem fratres meos, quamdiu uobiscum uersor hospes super terram in huius corpusculi tabernaculo, expegefaciā atque extimulem studium pietatis in uobis, atq; eo sanè magis, quod sciam breui futurum, ut exutus huius corpusculi domicilio, terræ exilium, cœli municipio cōmutem. Nam id mihi significauit dominus noster Iesus Christus, cui hactenus milito in hoc tabernaculo. Nunc igitur dabo operam, ut hæc interim sic insurgantur animis uestris crebra admonitione, ut possitis & post obitum meum meminisse, cum non licebit uos admonere uoce. Cum enim certissimū sit quod à nobis accepistis, non oportet ab eo deflectere. Neq; enim doctrina nostra talis fuit, qualis philosophorū, qui fabulis arte compositis, & humanis argutijs persuadere conantur, quod ipsi non intelligunt, inter se quoq; dissentientes. Nos haudquaquam ista sequuti patefecimus uobis potentiam & aduentum Domini nostri Iesu Christi, & illius maiestatem, quam his oculis conspeximus, uobis prædicamus. Dignatus est enim suis aliquot ante mortem suam specimen aliquod exhibere, quanta cum potentia, quantaque cum gloria sit olim uenturus, iudex uiuorum ac mortuorum, & quā admirabilem felicitatem sit largiturus ijs, qui illum constanter diligunt. Cum enim Deus pater illum totum gloria ac decore conuestisset, adeo ut uultus illius solis instar luceret, ac uestimenta niuis candorem superarent in tantum, ut humanus obtutus non ferret cœleste spectaculum, accessit & paternæ uocis multo honorificentissimum testimonium, quæ ad hunc delata est è sublimi à magnifica maiestate patris. Erat autē huiusmodi: Hic est filius meus dilectus, qui complacuit animo meo, ipsum audite. Nullum poterat ædī testimonium, neq; plenius, neq; magnificentius. Atque id proditum est, non à propheta quopiam, sed ab ipsa patris maiestate. Hæc oculis nostris aspeximus, hæc auribus hausimus, cū præsentem essemus illi in monte sancto Thabor. Si maximum pondus apud uos habent prophetarū oracula, qui per ænigmatum inuoluerā uaticinabantur de Christo, grauius esse debet ipsius patris de filio tam euidentis præconiū. Prophetæ cum patris uoce cōsentiant, si modo quis recte interpretetur. Hi suis promissis ueluti præparant animos ad ueritatem euangelicam, dum adumbrant, ac ueluti delineant, quod palam exhibet euangelica prædicatio. Proinde non improbo, quod Iudæi uehementer intenti uaticinijs prophetarum scrutantur illic aduentum Messiae. Est enim nonnullus gradus ad fidem euangelicam, credere Christum uenturū. Nam citius credet uenisse, cui iam certo persuasum fuerit uenturum esse. Bona spes est igitur de eo, qui nondum illustratus euangelica luce, prophetis attendit, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco. Præstat enim habere qualecunq; lumen, q̃ nullum, donec aduentante sole, dies illucescat, qui dispellat omnem caliginem, & obscu-

*Propter quod
nos incipiam*

*Sed spectatores
res facti*

ret etiā ipsam lucernā, iamq; exoritur in cordibus uestris lucifer ille prædicationis euangelicæ, qui solem ipsum adesse nunciat. Prophetarū uaticinia, ita demū erunt usui, si qui legūt, meminerint scripturā propheticā figurarū inuolucris obscurā esse, nec intelligi posse absq; interpretatione. Ea interpretatio non est cuiuslibet, nec arbitraria cuius. Si quidem prophetæ qui uaticinia prodiderunt, non è suo sensu, animiq; arbitrio prodiderunt, sed cum essent homines sancti puriq; ab omnibus humanis cupiditatibus, spiritus sanctus afflauit illorum animos, ac uelut organis abusus, per illos nobis suam mentem utcunq; significauit. Quod homines humano sensu proferūt, id potest humano ingenio percipi: Cæterum quod afflatu diuini spiritus proditum est, id requirit interpretem, simili afflatum spiritu. Qui quod de Christo dictū est, ad mundanum aliquē regē accommodant: quod de cœlesti uita, ad huius mundi felicitatem trahunt: quod de bonis animi dictum est, interpretantur de cōmodis huius seculi, multum aberrāt a mystico sensu prophetiæ. Nec his facile persuadetur uenisse Christum, cum ex falsā prophetiæ interpretatione terrenum quendam Messiam sibi finxerint, qualem ille non præstitit. Et ideo non agnoscunt illum, non quia dissideat ab imagine spiritali prophetiæ, sed quod discrepet ab idolo falsæ interpretationis.

CAPVT II

*Fuerunt uero
& pseudo-
propheta*



Visquis ex sui animi affectu uaticinatur, falso nomine propheta dicitur. Quisquis prophetæ uaticinium ad suas cupiditates interpretatur, falsus est interpres. Fuerūt & olim apud Iudæos pseudoprophetæ, qui uel ad principis gratiam, uel ad quæstum, uel in odiū aliorū uaticinabantur, nō quod dictabat spiritus dei, sed quod ipsi sibi confinxerant. Hi se pro ueris prophetis gerentes, decipiebāt stultos, ac ueris prophetis obstrepebāt suis mendacijs. Sic & post obitum meū exoritur qui se falso nomine iactabunt esse doctores euangelicos, cum futuri sint magistri falsitatis. Hi deflecentes ab euangelica doctrina, inducēt hominum cōmenta, pro salutari ueritate ingerent sectas perniciosas, ad suū quæstum, ad suam gloriā ac tyrannidem spectantes potius, q̃ ad negociū Christi, atq; eō uesaniæ progredientur, ut ingrati dominum suum Iesum, cuius sanguine redempti sunt, cui semel dedere nomen, nō uereantur abnegare, sceleratiores etiam ethnicis, qui Christum nunquam professi sunt. Quibus factis iritabunt in se diuinam ultionem, & non solum nihil eis proderit semel fuisse Christum professos, uerum etiam accersent sibi celerem interitum à uindice deo. At parum erat, si soli perirent, qui iam perditū sunt, multos etiam secum pertrahent in exitium. Inueniet enim falsa doctrina suos discipulos, his freti audebunt obtrectare euangelicæ ueritati, quam à nobis accepistis, neq; sincere tractabunt sermonem euangelicū, quem uident ad suas cupiditates nihil conducere: sed intenti priuatis lucris suis, fictis sermonibus imponent simplicitati uestre, non hoc agentes, ut uos lucrificiāt Christo, sed ut ex uobis sibi quā plurimum auferant lucri. Vident enim euangelicam doctrinam parum esse plausibilem ijs, qui capiuntur huius mundi delicijs, uident non esse rem delicatam, id quod nos facimus, per omnes mortes constanter aduersus impios tueri synceritatem euangelicæ doctrinæ. Proinde uitiantur illi ueram Christi doctrinam: proq; hac docent, quæ sunt crasis auditoribus blanda magis, q̃ salutifera: quæq; ipsis rem & gloriā concilient apud mundum, non apud deum. Malent enim ob temporariam gloriā ac uoluptatem, æternū exitium & sibi parere & alijs, quā per momentarias afflictiones corporis ad immortalem felicitatem eluctari. Cauete ne hos duces sequamini, nisi recta uelit abire in exitium. Neque uos fallat quod hic fastu præminent, quod ditescunt, quod suauiter uiuunt. Haud diu fruentur hac usura falsæ felicitatis. Vt enim pijs breui contingant præmia sua, iam olim apud deum decreta: ita his sua decreta poena prorsus accerarat, neque dormitat illorū perniciēs, subito securos & oscitantes oppressura. Hominum iudicijs poterunt imponere, deū fallere non poterunt. Vt illis ignoscant homines, apud quos ualent autoritate, deus nō ignoscet, qui nullius magnitudinem ueretur. Cur enim his nunc parcat, qui olim nec ipsis pepercit angelis, qui peccarant, sed è cœlo præcipitatos, uinctos æternæ noctis catenis, in tartari carcerem detrusit: seruatos in hoc, ut extremo iudicio damnati, dedantur æternis supplicijs. An in hominibus feret impune superbiam, qui non tulit in angelis? An his erit impune quod faciunt post euangelicam lucem patefactam, post tot beneficia gratis collata: qui nec rudi ac prisco mudo pepercit, sed offen-

sed offensus hominum uitijis, orbi sceleribus inquinato diluuiū induxit, deletis omnibus, excepto Noe, quem octauum ex tam immensa mortalium multitudine uoluit esse incolu mem, quod ceteris contempta dei lenitate, solus extructa arca testaretur sese metuere uin dictam omnipotentis. An hos non puniet, qui tot ciuitates, ac tam florentem regionem Sodomorū & Gomorreorū sulphurea pluuia redegit in cineres, atq; ita funditus euertit, ut nihil super sit præter horrendum ac pestilentē lacum, qui testetur, quæ poena maneat il los, qui similibus flagitijs in se prouocarint iram dei. Atq; ut illis sua impietas fuit exitio, ita Loth sua innocentia saluti fuit, cui cum homines nefarij uim pararent, & abominandis libidinibus suis castum ac iustum uirum opprimerent, deus illum eripuit è cōmercio sce latorum, inter quos erat illi grauissimum uiuere. Cum enim esset ipse & oculis & auribus purus castusq; graue supplicium erat animo pio audire quotidie, uidere quotidie, quæ to to pectore detestabatur. Ex his satis declaratum est, nunquam committere deum, ut cuius quam sua innocentia sit frustra, aut ut cuiquam sua impietas sit impunita: etiam si ad tem pus leniter fert aliquos, ut aliquando resipiscant: etiam si patitur suos ad tempus aliquan do tentari, tamen cum tēpus adest, nouit ab afflictionibus eripere pios: cōtra nouit impi os reseruare puniendos æternis supplicijs in diem extremi iudicij. Nullum genus iniusti tiæ sinetur impunitū. Sed præcipue poenas daturi sunt, qui ceu diffisi promissis euāgelicis, hic sequuntur, quicquid corpori collubium sit, seruientes foedis libidinibus qbus undiq; conspurcant omnem uitam. Quoq; sceleratiores sint, turpitudinem uiolentia condupli cant, contēnunt autoritate publica præditos, audaces, præfracti, qui dignitate præminen tes non uerentur conuiuijs incessere. Et hæc audent homunculi, cum angeli longe præstan tes uiribus ac robore, licet alijs impij, non tamen eò sint audacitæ progressi, ut sustinuerint deo maledicere: & qui in ceteris neglexerunt de uoluntatem, in hoc tamen ueriti sunt il lum offendere, deferentes autoritati diuinæ. At isti spiritibus impijs sceleratiores, ceu bru ta pecora, nata in hoc ipsum ut capiantur ac perdantur, cum nō uereantur præfectis suis obtreclare ac maledicere, ignorantes interim illud ipsum cuius gratia de illis maledicunt, quemadmodum corruptis suis moribus accersunt sibi perniciem; ita pecudum ritu peri bunt percipientes impiæ uitæ dignam mercedem: qui quidem existimant suauem ac ma gnificam esse uitam, si prorsus exuto omni pudore, luci quoq; luxui, foedisq; uoluptati bus indulgeant. Nam nonnullus adhuc pudor habet illos qui hæc noctu faciunt. Quis istos credat homines: Labes sunt uertus & macule, qui in foedis illis suis comestrationibus in quibus miserabili errore ponunt summam felicitatis, uobis insultant, uelut insanis, qui præsentis uitæ commodis non fruamini. Atque interim luxus inuitat libidinem, cum quæ uino madent, oculos habent libidinales, neq; quicquam aliud cogitantes, quam adul terium, aut alia flagitiorū genera. Neq; enim semel excussa ratione, semel inflammati uino, norunt à peccando cessare, sed à flagitio properatur in flagitium, adeo, ut non sat habeant, si ipsi perditæ uiuant, ni & aliorum animos nondum uirtute confirmatos, ad suam tur pitudinem pelliceant atq; inescant. Iam fortasse tolerabilius sit, si tantum luxu libidineq; peccarent. Nullum uitij genus abest. Ut turpiter prodigunt quod habent, ita turpiter pa rant quod profundant, habentes animum & ingenium ad auaritiā, ad fraudem, ad rapi nam exercitatum, quæstus gratia nihil non facientes, ob lucrū male precātes pijs ac bonis, & pecunia corrupti defleunt à uia recta, & in hoc referentes patrē suum Balaam filium Bosor, qui cū sciret optima, tamen iniqua mercede corruptus, maledicere studuit ijs, qui bus propitius erat deus: eoq; cæcitatē illū perduxit auaritia, ut ab asina corripere, & cum homo uesanus mentem exuisset humanā, brutum animal humana uoce loquens, coercuit prophetæ dementiam, plus cernens corporeis oculis, quam ille cernebat oculis animi, ui delicet exoculatus pecuniæ cupiditate. Hi sunt qui miram quādam ac nouam doctrinam pollicentur, cum nihil adferant dignū euangelica professione, similes fontibus aqua caren tibus, ad quos si sitiens accurras, præter sordes ac lutum nihil reperias, similes nebulis, quæ huc & illuc impelluntur procella uentorum ac spem faciunt pluuiæ terræ sitienti, cum in terim ne gutta quidem ab illis destillet doctrinæ salutiferæ. Promittunt euangelicæ doctri næ lucem, & inuoluunt tenebris errorū, quos æternæ manent tenebræ apud inferos. Cum enim uerbis mendacibus magnifica quædam professi sint, atq; hac spe pellexerint & in

Quibus calis
go tenebrarū

cupiditatibus, & huius uitæ uoluptatibus, pollicentes se liberaturos alios ab errore, cum ipsi uersentur in summis erroribus, promittentes alijs libertatem à uitijs, cum ipsi serui sint turpitudinis. Etenim à quo quisque superatus est, cuius arbitrio uiuit, huic iure seruus dicitur. Neque enim illis prodest semel gratis ereptos fuisse à uitiorum seruitute, si suapte sponte eodem relabuntur; imò hoc foedior est seruitus, hoc miserius, quia post gustatam libertatem ultro accersita. Quod commissum est ante prædicatum euangelium, magna ex parte datur errori, datur ignorantia. At qui semel agnito per euangelij prædicationem domino & seruatore nostro Iesu Christo, per baptismum aufugerunt ab inquinamentis huius mundi, ac uitam puram coelestemque professi sunt, si rursus superati cupiditatibus, inuoluantur pristinis sordibus, ijs non solum nihil opitulatur baptismus, ueruetiam peiore in statu sunt quam fuerint antequam Christum agnoscerent. Leuius enim peccat, cuius peccatum subleuat ignorantia. Grauius damnabuntur, qui crimen impietatis ingratitudinis uitio cumularunt. Itaque præstiterat illis omnino non nouisse doctrinam euangelicam, quæ docet innocentiam ac puritatem, quam post cognitam & acceptam desciscere à sancto præcepto, quod illis semel traditum fuit. Quid enim aliud istis accidit, quæ quod uere solet proverbio dici: Canis resorbens id quod semel euomuit, & sus lota reuertens ad uoluntationem in coeno. Frustra canis repurgauit uomitu stomachum, si repetit quod eiecit. Frustra sus limpida aquis abluit coeni foetorem, si mox à lauacro redit ad sordes relictas.

CAPUT III

Hanc esse nos
bis chariss.



Vbi est pro
missus aduen
tus eius

Luribus uerbis hæc inculco charissimi, atque adeo iam alteris hæc literis eadem de re uos comonefacio, non quod dubitem de sinceritate mentis uestræ, sed ut quod scitis ac tenetis, magis ac magis memineritis, & quod facitis faciatis alacrius constantiusque. Minus erit periculi ab illorum scelerata doctrina, si memores fueritis hoc prædictum olim à sanctis prophetis, qui monuerunt hoc hominum genus esse cauendum. Siq; memineritis, idem esse præceptum à nobis qui sumus apostoli domini & seruatoris Iesu Christi, qui uetuit, ne quis huiusmodi, qui pro ueritate euangelica perniciosam adferunt doctrinam, aures præbeat. Illud igitur in primis scitote, uenturos olim non prædicatores, sed illusores instructos præstigijs & imposturis, qui bus fallant incautos, qui non sequentur ea, quæ nos docuit Christus, sed ut uiuent pro cupiditatibus animi sui, ita etiam pro libidine sua docebunt, quæ tali uitæ congruent. Quoniam illis turpiter uiuentibus, non erit optabilis aduentus domini, idcirco persuadebunt tibi sibi, tum alijs, nunquam rursus aduenturum, dicentes: Vbi est promissa resurrectio: ubi iudicium: ubi premia diuersa pro uitæ meritis: ubi aduentus eius in dies singulos frustra expectatus: Existimabunt enim nunquam futurum, quod aliquandiu differtur. Quod, inquiunt, uestigium resurrectionis? Mortem obierunt alij post alios patres nostri, neque quisquam adhuc reuixit. Et quem admodum ab orbe condito, morientium ac nascentium uicibus propagantur omnia, ita huc usque manet idem cursus naturæ: cum ex mutatione mundi, quæ præcessit, colligere liceat nouationem futuram. Et ut illa accidit non expectantibus ijs, qui pro sua libidine uiuebant, ita hæc eueniet, siue credimus, siue non credimus. Nam illud latet istos, aut (quod magis reor) scire se dissimulant, quod olim conditi sunt coeli, simulque terra, quæ aliqua ex parte nudabant aquæ, quibus prius operiebatur, magna item aquarum ui in sublimi pendente. Cumque genus humanum passim esset inquinatum uitijs, deus offensus, immisso diluuiio perdidit illius temporis mundum, seruatis octo duntaxat, qui coluerant innocentiam. Hoc uniuersale iudicium deum cum exercuit, per aquam purgans terram & innouans. Porro coeli sicut conditi sunt hæcenus perseverant, qui reseruantur incendio, per quod & ipsi purgabuntur in die iudicii, cum per ignem perdentur impij, quemadmodum olim per aquam perierunt. Cum igitur certissimum sit uestrum diem illum, non refert admodum, serius an maturius ueniat. Illud tantum curandum nobis, ne quandoque uenerit, offendat nos imparatos. Nobis pro nostro animo quædam longa uidetur, quædam breuia, At deo nihil est, neque breue, neque longum. In suis promissis non sequitur cupiditatem nostram, sed suum æternum & immutabile consilium, cui nihil est neque præteritum, neque futurum, sed omnia præsentia. Nobis autem quicquid promissum, exhibet tempore, quod ipse sibi præscripsit. Alioquin nihil apud illum interest, siue intercesserit unus dies siue mille anni. Eadem fide præstat quod serius præstat, quæ quod maturius. Iam enim quod ad ipsum pertinet, præstat quicquid decreuit præstare. Non enim imitato consilio

hominum

hominum contatorum more recastinat, ac prorogat sua promissa, quæadmodum falso opinantur quidam, deum e suis moribus metientes: sed aliquando spacium longius præscribit uestra causa, pro lenitate ac mansuetudine sua nolens quenquam perire, quod quidem in ipso est, sed cupit omnes aliquando resipiscere, ne qui pereunt, causari possint sibi temporis spacium defuisse mutandæ in melius uitæ. Aderit autem ille dies inexpectatus, nec aliter obrepit mortalibus, quàm fur nocturnus obrepit dormientibus. In eo tanta uis erit incendi, ut coeli magno impetu transiuri sint in aliam speciem. Ceterum elementa, quibus inferior hic mundus constat, æstu soluentur. Porro terra, quæq; in ea continetur, exurentur igni, totaq; rerum natura purgabitur. Quod si tunc oportet usque adeo omnia esse pura, ut hæc etiam dissoluenda sint, quæ non peccant: quantopere uobis adnitendum est, ut dies ille uos omni uitæ sanctimonia, omnibus pietatis studiis integros ac purgatos reperiatur. Id interim agendum magna celeritate, quo semper parati sitis, quandocunque uenerit ille dies dei, cuius exactum iudicium nemini licebit effugere, qui usque adeo nihil feret impurum, ut coeli ardentes soluendi sint, ut elementa estuantia colliquefcere cogenda. Post hæc iuxta promissum illius expectamus coelos novos, ac terram nouam, quæ nihil habeant corruptionis, nihil noxæ, ut nos in quibus nihil erit corruptæ mētis, fruamur illis incorruptis. Quapropter fratres charissimi, iudicium hoc tam rigidum semper præ oculis habentes, date operam, ut dominus adueniens uos reperiatur puros & inculpato, non apud homines tantum, quorum iudicia sæpenumero falluntur, uerum etiam apud ipsum. Nam is demum purus est, qui deo iudici purus est. Et si forte dies ille serius aduenerit, nolite sic interpretari, quasi uenturus non sit, sed hanc domini lenitatem, qua facit omnibus spacium ad poenitentiam, existimate consulere salutem hominum: quibus de rebus scripsit uobis charissimus frater & collega noster Paulus, hoc copiosius, quo donum uberius sapientie donauit illi deus, & in omnibus fere epistolis hortatur ad huius diei expectationem, nonnunquam ita loquens, quasi iam instet dies domini: quo magis extimulet studium pietatis, cum dies ille (quoniam incertus est) sic expectandus sit, quasi hodie uenturus, sed ita, ut nemo certum præscribat tempus. Hæc atque alia quædam Paulus pro sua sublimi sapientia admiscuit epistolis suis, quæ cum ab ipso rectissime dicta sint, tamen imperiti parumq; firmi, peruersa interpretatione detorquent, quemadmodum & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perniciem, ut quod bonis est salutem, id ipsorum uitio uertatur istis in uenenum. Vos igitur fratres tot modis præmoniti, tum à me, tum à Paulo, cauete ne fraude nefariorum hominum unà cum cæteris seducti, excidatis à uestra firmitate fidei, quam hæcenus præstitistis, quin potius date operam, ut assidue crescatis ac progrediamini in donis & agnitione domini nostri & seruatoris Iesu Christi, cui gloria & nunc in hac uita, & in æuum omne. Amen.

Sicut et charissimus frater noster

Paulus

PARAPHRASEOS IN POSTERIOREM EPISTOLAM
Petri apostoli. Finis.

IN EPISTOLAM IUDAE ARGUMENTVM
per Des. Erasmus Roterodamum.



Utiis uerbis destomachatur in eos, qui cupiditatibus suis excæcati, aduersabantur Euangelio, quod tamen nouum uideri non debeat, cum iam olim in hoc destinati sint, & ab apostolis prædictum sit, id genus homines irrepturos in gregem Christianorum. Aduersus hos sic armat eos, ut student & illos uel increpatione coercere, uel admonendo seruare. Quod si non queant, certe ipsi sese parent in aduentum Christi.

ARGUMENTI FINIS

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

IUDAE APOSTOLI PER DES. ERASMV M

ROTTERODAMVM



Misericor-
dia nobis

IUDAS Thadaeus, Iesu Christi seruus, frater Iacobi hanc epistolam scribo non solum Iudaeis, aut profelytis, sed in commune omnibus, quos clementia dei patris ultro sanctificauit, & citra legis adminiculum, ex impijs pios, ex idololatriis uerae religionis cultores fecit, quos in hoc ipsum diuina benignitas seruauit Iesu Christo, ne cum ceteris abirent in barathrum aeternae damnationis, quos eosdem nunc sua gratuita munificentia uocauit ad salutem Euangelicam. Nihil uobis precari quae in hac uita felicius, quam ut diuina bonitas sua munera semper in uobis multiplicet, misericordiam, pacem & charitatem: Mi-

sericordiam, ut indies; magis ac magis absitis a uita pristinae uitae. Pacem, ut pietate uitae concordiam alatis, quam habetis cum deo: Charitatem ut mutua concordia sitis unanimes, & alij in alios benefici. Charissimi, quoniam euangelica charitas facit omnia communia, siue quid accidit boni, siue quid mali, praesertim in his quae ad aeternam salutem pertinent, tantum mihi studium fuit scribendi uobis de uestra salute, quae me non aliter habet sollicitum, quam si mea esset, huc uidelicet extimulante fraterna charitate, ut mihi non quae uerim temperare, quin hac epistola uos exhortarer, ut pro tuenda sincera fide, quae semel ab apostolis tradita est sanctis, aduersus pseudapostolos decertetis. Neque solum in hoc laboraui, ut persistatis in fide uestra, uerum etiam ut alij opitulemini, ne seducantur ab impostoribus. Inestimabilis est enim fidei thesaurus, eoque impensius aduigilandum, ne nobis interuertatur. Cum enim uobis pure sincereque tradiderimus euangelicam doctrinam sic ut accepimus a Christo: tamen sub praetextu religionis obiter admiscuerunt se quidam impij, ac ceu lupi in ouile domini irreperunt, pietatis specie uenditantes sese, cum hostes sint uerae pietatis. Ne quid autem haec res ceu noua perturbet animos uestros, sic olim de quetum est arcano dei consilio, sic praedictum est, exoriturus qui suis flagitijs & uestram exercerent pietatem, & sibi condemnationem accerferent: gratuitam beneficentiam dei nostri, qua nobis semel gratis peccata condonauit, & a legis asperitate liberos reddidit, uertunt in occasionem lasciuiae, cum illius beneficio magis inuitari debuerint, ut innocentiam gratuito datam, pijs studijs & tuerentur & ordinarent, atque inflammata charitate euangelica, copiosiore etiam atque exactiore iustitia praestarent uolentes, quam Moisaica lex praescripserat. Nunc isti data libertate abutuntur ad turpitudinem ac peccandi licentiam, et ultro recidunt in ueterem seruitutem, unde suo sanguine redemerat illos Iesus Christus: abnegantes deum, quem semel professi sunt, cum solus sit herus omnium quae in caelo sunt & quae in terra, abnegantes & dominum nostrum Iesum Christum, qui nos sibi sacri cruoris sui precio asseruit. Nihil profuerit esse redemptos, nisi perseueremus in his, ad quae sumus uocati. Non opinor opus, ut uos doceam, cum nihil uos fugiat, tantum illud in memoriam redigam, ne quod scitis excidat. Olim nihil profuit Hebraeis, quos Iesus typum horum temporum e dura miseraque seruitute Aegyptiorum per mare rubrum traduxit in libertatem, Immo quos ad se clamantes miseratus seruauit, hos in deserto diffidentes & obmurmurantes deo, deus peius perdidit. Quod illis erat seruitus Aegyptia, hoc nobis erat seruitus uitiorum: quod illis erat Pharao, durus & intolerabilis dominus, hoc nobis erat diabolus, cuius tyrannidi nostris uitae eramus obnoxij. Illi fidei deo, per medias maris undas incolumes ualuerunt in libertatem, nos credentes euangelio, per baptismum euasimus ius satanae. Sed quod admodum ex illis quidam non eadem fide properabant ad terram promissam, quibus dei beneficium adeo nihil profuit, ut etiam uerteretur in cumulum damnationis: ita nobis nihil profuerit in baptismo semel deposuisse peccata, nisi constantibus animis semper proficientes ad meliora tendamus ad haereditatem uitae coelestis. Quin & illud meminisse uos uolo, quod ne angelis quidem profuit sic conditos esse, ut diuinitatis essent consortes, uerum simulataque felicissimam naturam suam prauitate mutassent, neque persisterent in sua conditione, precipites dedit eos caelis

Gratia trans-
ferentes in lu-
xuriam

Commonere
autem uos uolo

coelis, ac luce cœlesti priuatos, æternis tenebris damnauit apud inferos. Vbi uinculis insolubilibus seruantur in diem iudicii supremi, quo dñati meritis pœnis addicentur. Iam Sodomam & Gomorram, reliquaq; ciuitates his finitimæ, quum omni rerum oppulentia florent, quoniam dei benignitate abusi sunt ad luxum & libidinem, inquinantes sese nefandis & abominandis turpitudinum generibus, subito ira diuina extinctæ sunt, cœlesti igne consumptæ, quo uidelicet alijs essent exemplo, qui Christi beneficijs ad uitæ turpitudinem abutuntur. Neq; enim effugient similem pœnā, qui similiter peccauerint. An non similiter peccant, qui delusi in somnijs falsarum uoluptatū, non solum corpora sua conspurcāt, uerum etiam præfectos suos, & autoritate præditos aspernātur, & in eos, quibus ob potestatem, qua præminent, debebant reuerentiā, non uerentur maledicta cōgerere? At Michael archangelus, cū illi esset disceptatio cum diabolo de corpore Moysi, tamen ueritus est illi, licet turpissimo demoni, palam dicere conuiuium. Sed cum illius impiū sermonē ferre non posset moderatus est maledictum, hunc in modū: Inrepet (inquiens) te dominus. Si Michaeli religio fuit maledicere diabolo, quanto intolerabilius faciunt, qui uiris autoritate dignitateq; præminentibus non uerentur maledicere? At istorū tanta est peruersitas, ut cum nullam habeant causam, tamen ea maledictis insectentur, quæ non intelligunt. Contra adeo luxu libidineq; corrupti, ut in his rebus, in quibus animantia rationis expertia probe moderateq; degūt, ueluti cibo, potu, coituq; in his perditissimè se gerant. Sed uæ illis, quibus continget præmiū cōmune cum his quorū scelera imitātur. Neq; enim sibi proponūt Iesum Christū, sed Caīm fratricidā, cui primo liuor inuidiæ persuasit homicidiū: sed Balam, qui corruptus quæstu, conatus est maledicere populo, cui benedixerat deus: sed Chore, qui cōspiratione facta coortus in Moysen, cum suis cōiuratis horrendo exemplo extinctus est. Ii sunt, qui uobis pure casteq; uiuentibus, et euangelicā amplectentibus charitatē, ueluti maculæ sunt dehonestantes gregē uestrū, ac uobis ieiunantibus, luxuriosis comestationibus inter sese indulgentes, Nec ullius reuerentiā metuē a turpitudinis licētia cohibēt, quicquid animo collubitū est, id temere sequentes. Et cū his factis profitentur sese doctores euangelicos, ac duces ad ueram uirtutem. Verum isti nubibus similes sunt, quæ in sublimi pendentes, cū terræ sitienti uideātur polliceri pluuiā, tamen aridæ sunt, nec aquam habent, qua telluri subueniant, sed inanibus cupiditatibus suis huc atq; illuc temere circūaguntur: similes arboribus, quæ sub finem autūni proditis floribus mendacē fructus spem faciunt, cum mox emarcescant, non solū infrugiferae, sed bis mortuæ: qui nec ipsi uitā habent ad euangelicā pietatem, & alios secum in perniciē trahant, neq; secus deplorati, quam arbores radicitus euulsæ, quibus iam nulla spes est reuirescendi. Qui cum irrequieti sint ac factiosi, semper aliquo nouo tumultu turbant ecclesiæ tranquillitatem: similes peruiacacibus undis maris, sese subinde in altum tollentibus, nec aliud interim efficiunt, nisi ut sua probra suaq; dedecora alijs quantū in ipsis est, aspergant: similes stellis, quæ cum lucis specie promittant se fore duces, tamen quoniam erraticæ sunt, neq; constanter sequuntur quod rectū est, sed affectibus suis nunc huc, nunc illuc abducuntur, simplices & incautos inducunt in naufragiū. Hæ stellæ quæ nunc falsa luce sese uenditant apud homines, nō effugient iudicem deum, etiam si in præsentia nō punit illos, sed seruat eos æternæ tartari caliginī. Isti quanquā nostris temporibus exorti sunt, tamen ne quid noui uobis accidere uideatur, de his olim uaticinatus est Enoch, qui fuit ab Adam septimus, deq; horum supplicio, quo sunt olim afficiendi. Loquitur enim hunc in modū: Ecce uenit dominus cū innumera multitudine sanctorū suorū, ut exerceat iudicium aduersus omnes, & redarguat omnes ex eis qui sunt impij, de factis omnibus, quæ impie patrarūt, deq; omnibus, quæ dure ac ferociter loquuti sunt aduersus ipsum, non solum peccatores male uiuentes, uerū etiam impij & cōtumeliosi in deum. Siquidem hi, quoniā huius uitæ felicitatē corporis uoluptate metiuntur, impotenter ferunt, si quid incidat afflictionis aut incōmodi, neq; uerētur obmurmurare deo suis queremonijs, quod sic cōdiderit hominem, ut breuis esset æui, ut morbis obnoxius, optātes hāc uitā esse quā maxime longā, minimeq; malis obnoxiam, uidelicet de futura uitā diffidētes. Hæc tā sordida atq; abiecta cum sentiant in animis suis, tamen os illorū loquitur magnifica quedā, ac mirabilē quādam philosophiam profitetur, cum non solū abiectissime seruiant uoluptatibus, uerum etiā quæstui, quæ res cum primis uiciat doctrinam Christi. Neq; enim loquuntur ea, quæ docet euangelica ueritas, sed quæ blanda

Nubes sine
aqua

Quibus pro
cella tenebra
rū seruata est

blanda grataq; sint his unde sperant aliquid compendij. In pauperes tyranni, erga diuites agunt palpones. Horū malicia hoc minus turbabit uos charissimi, si memineritis, id olim uobis esse prędictum ab alijs apostolis domini nostri Iesu Christi, nominatim à Paulo Petroq;. Dixerunt enim uobis, extremis temporibus exorituros illusores, qui suis prauis cupiditatibus uitarent purissimam Christi doctrinā, haud quaquam uiuētes iuxta regulam euangelicam, sed iuxta affectus suos impios ac nefarios. Hos agnoscere licebit hac nota. Cæteris, qui iuxta Christi spiritum uiuunt, & contemptis terrenis curant cœlestia, cōcor diter agentibus isti mouent dissidia, eo quod animales sint, & obseruantes mundanis affectibus, ac uacui spiritu uenentur uoluptates, ambiant regnum, captent lucrū. His rebus qui student, non sunt apti Christianæ concordia. Malunt enim turbare gregis tranquillitatem, quam in ordinem cogi. Vos autem charissimi fratres, qui spirituales estis, date operam, ut magis ac magis, ceu uiui lapides coagmentemini in structuram dei, innitentes solido fundamento sanctissimæ fidei uestre. Semel uobis persuasum est, non defutura p̄p̄a sua prēmia, quantumuis hic affligantur, ne mercedem requiratis in hoc seculo: non defutura impijs merita supplicia, ne uos uelit̄is ulcisci. proinde puris ac spiritualibus precibus iugiter implorantes opem dei, uos inuicem mutua concordia, mutuaq; charitate seruate. Non enim audit deus nisi concordēs. Neq; diffidatis, si hic pro Christo uarijs modis affligimini, sed expectetis dei misericordiam, exhibendam non in hac uita, sed in uita æterna. Vos interim modis omnibus habita ratione personarū, date operam, ut seruetis omnes, alios leniter & clementer reuocantes ad meliorem mentem, alios uero metu adhibito seruate, uelut ex incendio rapientes, odio habentes non homines ipsos, sed corpus hoc, terrenis affectibus inquinatū, qua ceu tunica polluta, grauatur & inquinatur humanus animus. Et hoc clemētius decet alienis erratis mederi, quod nemo uersans in hoc corpusculo non possit inquinari. Nam id humanarū uirium non est, ne quis sibi gloriam arroget, sed omnis gloria, magnificentia, imperium, ac potestas sit soli deo seruatori nostro, per Iesum Christum dominum nostrum, non solum in hoc seculo, sed ante omnia secula, & futuris seculis omnibus in æternū. Siquidem solus deus potest hoc pręstare conātibus, ut quamquam fragili corpusculo circumdatos, undiq; mundus tot rebus auocet à proposu pietatis, tamen perpetuam innocentiam seruetis usque ad finem, ut non solum homines nihil reperiant in moribus uestris, quod reprehendant, uerum etiam tales statuamini in conspectu maiestatis dei, ut illi nihil in uobis displiceat, qui uidet intimos mentiū recessus. Quod cum fiet, exultabitis & gaudebitis in aduentu domini nostri Iesu, mœrentibus alijs, qui interim uidentur suauiter uiuere. Quod ut fiat, uotis omnibus comprecandum est.

Et hos quidē
arguite

Paraphraseos in Iudam finis.

REVERENDISSIMO DOMINO D. MATTHÆO
CARDINALI SEDVNENSI, COM. VALE/
Sij, Des. Erasmus Roterodamus S. D.



AM uidebar ad huius curriculi metam peruenisse, & ipse mihi ferias destinabam in hoc dūtaxat genere studiorum, propterea quod omnes epistolas explicuissem, quas Pauli germanas esse iudicabam, quibus adiunxi Petri duas & Iudæ unam, quod hæ non solum consentirent cum Paulinis in uigore doctrinæ euangelicæ, uerum maioribus etiam tenebris, q̄ ille, essent inuolutæ. Siquidem quæ fertur ad Hebræos, præterquam quod multis argumentis coniici potest non esse Pauli, cum stilo rhetorico uerius q̄ apostolico sit scripta, non perinde multum habet difficultatis: quemadmodum nec eæ, quæ Iacobo Ioanniq; tribuuntur. Nam Ioānes ipsa sermonis copia ueluti sui ipsius interpret est, & Iacobus ferē uersatur in locis communibus: quod genus sunt, ob Christum fortiter tolerandas res aduersas, & in his dei præsidijs maxime nitendum: homines non naturæ deūe uitio, sed suapte culpa fieri malos, siue fauiat fortuna, siue blandiatur. Non temere loquendum, aut in indulgendum. Non satis esse uerbosè tenere professionem euangelicam, nisi factis & affectibus

affectibus exprimamus. Inanem esse religionē, quæ cum intemperantia linguæ sit coniun-
 cta, ueram pietatem sitam esse in officijs, quibus proximum egētem misericorditer suble-
 uamus. Neminem æstimandum ē bonis externis, sed ē ueris animi bonis: fidei professio-
 nem inutilem esse, ni pijs factis comprobetur: nemini temere suscipiendam docendā pro-
 uinciam: præcipuam uitæ pestem nasci ex lingua effreni, quemadmodū contra, bona mo-
 deratæq; lingua nihil utilius. Plurimum interesse inter mundanam & Christianam sapien-
 tiam: non constare pacem, nisi submotis ex animo cupiditatibus humanis: nihil conueni-
 re huic mundo cum deo: à deo destitui, qui elati suis fidunt opibus, cum ijs faueat ille, qui
 sibi diffisi ab ipso pendent. Deo facere iniuriā, qui condemnat ac iudicat proximū: eua-
 nidam ac fugacem esse præsentis uitæ felicitatem: potentes quibus hic impune licet quod
 libet, post acerbissimas duros poenas: uindictam malorum deo iudici relinquendam es-
 se: preces piorum hominum plurimū ualere apud deum: hoc officio maxime flecti deum,
 ut nostris peccatis ignoscat, si nos fratri in nos peccanti condonemus, & si aberrantem
 amanter in uiam reuocemus, aliāq; id genus, in quibus nō potest admodum esse multum
 difficultatis in explicando, cum plurimum sit in præstando: & tamen incidunt loca quæ-
 dam, in quibus erat nonnihil luctandum, uelut in illo in quo hæret Augustinus: Quisquis
 offenderit in uno, factus est omnium reus. Item quod negat fidem ualere absq; factis, cum
 Paulus ex aduerso contendat, Abraham non ex factis, sed ex fide contigisse, ut iustus habe-
 retur apud deum, & amicus dei diceretur. Iam quædam etiam hiare uidentur, ut in conne-
 ctendo nonnihil fuerit negocij. Sed hæc utcunq; habent, cum primum hanc operam sus-
 cipierem, non erat animus hoc honoris impendere, nisi duobus illis apostolorum & euan-
 gelicæ philosophiæ principibus, Paulo & Petro. Et ecce iam metam amplexum, iam spe-
 ctantem oculum, tua uox me reuocat ad stadium, etiam atq; etiam hortans, ne quam huius
 laboris portionem alijs relinquam: non solum ob hoc, quod iudicares studiū hoc uel præ-
 cipuam utilitatem allaturum euangelicæ philosophiæ candidatis: uerum etiam quod cum
 his temporibus penè nihil sit intactum à sycophantarum morsibus, tamē hoc unum opus
 adhuc Momis omnibus ἀμωμον, ut ita loquar fuerit. Sequor quò tua uocat autoritas re-
 uerendissime D. Non me clam est, quàm ex animo faueas doctrinæ uere Christianæ, in
 qua tu non paucos annos feliciter es uersatus, quàm non fictè faueas Erasmo, q̄ sis inge-
 nio perspicaci, quàm certo, q̄ non uulgari iudicio. Quales si complures haberet ecclesia
 catholica, multo florentiores & aliquanto tranquilliores essent res Christianæ. Quis au-
 tem spiritus agitet istos, qui suæ quoq; famæ & autoritatis dispēdio, cum iniuria sacrarum
 etiam concionum, tam pertinacibus studijs conantur, ut ē nostris lucubrationibus minus
 fructus redeat ad studiosos, ipsi uiderint. Me magis mouet aliorum iudiciū, quos & erudi-
 tio non uulgaris, & morū integritas ab omni suspitione liuoris ac maleuolentię uindicat.
 Ego nullius obscuro gloriā, neminem ē cathedra sua depello, nullius obstrepo studijs, nō
 ambio dignitates, non uenor quæstum, sed qualecūq; talentulum meum in cōmune pro-
 fero. Cui mea nō placent, liberum est abstinere: nos hæc gratis largimur. Si quis uolet da-
 re meliora, fauebimus utroq; pollice. Nulli me factioni unquam admiscui, nemo meis scri-
 ptis uel pilo factus est nigrior. Nullo seculo nō licuit alicubi dissentire à quamlibet proba-
 tis autoribus. Si à solo Thoma dissentirē, uideri possim in illum iniquior. Nunc & ab Am-
 brobio & ab Hieronymo & ab Augustino non raro dissentio, sed reuerenter, in Thomam
 etiam candidior, quàm ut multis bonis & eruditjs uiris gratum sit: sed hanc reuerentiam
 non opinor me debere Hugonibus aut Lyrans omnibus, etiamsi Lyrano nonnihil debe-
 mus. Nullum fuit seculum tam felix, quàm optima paucioribus placuerint, Sed haud scio
 an ullo plus licuerit inscitia, audacia, impudentia, stoliditati, linguæq; petulantia. Libris
 diffidunt, qui tacita doctorū hominum iudicia subire coguntur, res geritur linguis uene-
 no tinctis, idq; apud imperitam plebem, apud credulas mulierculas. In horū simplici cre-
 dulitate, tota uictoriæ spes illis sita est. O fortes uiros qui hoc uno telo formidabiles sunt,
 quo metuuntur & scurræ. Et postea nobis imputant, si qui peius de ipsis sentiant, paucio-
 res sese adiungant sacrosancto ipsorum gregi, cum ipsi publicitus etiam declarent ipsa re,
 quanto propius absint ab impijs sycophantis, quàm à ueræ pietatis cultorib. Sed illis con-
 tinget aliquando sua Nemesis, uidelicet ipsis suo sibi iumento malū accersentibus, & con-
 tinget alicunde malo nodo malus cuneus. Neq; enim consultum arbitror, dimicare cum

uentribus coniuratis, qui nec aures habent, nec mentem. Et uiro Christiano dignius est
ferre scurras, quam imitari. Nos tuo tuicq; similitum hortatu, sed in primis auspice Christo,
pergemus & nosippos & alios huiusmodi uigilijs ad meliora prouocare.

Beneuale patrone cum primis colende. Louanij XVII Car
lend. Ianuarias Anno M D XX

IN EPISTOLAM IACOBI, ARGUMENTVM
per Des. Erasmus Roterodamum.



IACOBUS, quoniam erat Hierosolymitarum episcopus, scribit & cæteris
Iudæis, qui per omnes nationes sparsi habitabant, uarijs præceptis uitam il-
lorum formans atque instituens.

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

IACOBI CANONICAM, PER DES.
ERASMVM ROTERODAMVM.



IACOBUS quondam Mosaicæ legis cultor, nunc cultor & seruus
dei patris, qui post euangelium proditum, spiritualemente requirit cultum,
huiusq; filij Iesu Christi domini nostri, scribit hanc epistolam cum om-
nibus, qui Christiana professione cæsentur, tum peculiariter ijs, quos
ex omnib. Iudaicæ gentis tribubus persecutionis, quæ sub Stepha-
ni mortem coorta est, procella alios alio dispergit: propulso a patrijs
sedibus, at non depulso ab euangelij consortio: eiectione aedibus suis,
at non eiectione ab ecclesia Christi, precans ijs ueram salutem, non hanc

corporis tantum, quam mundus optat, sed eam, quam Christus suis, etiam in medijs exi-
tibus ac mortibus largitur.



Vnde communis euangelij professio, cum idem baptismus nos fratres efficiat,
atq; inter uere fratres oporteat latorem pariter ac tristitum esse societatem, ue-
hementer discrucietur animum meum ista uestra calamitas, ni de uestra pietate
confiderem. Neq; enim nescio ijs, qui felicitatem huius uitæ comodis me-
tuntur, exilium esse morte grauius, miserum uideri a charissimis diuulso, ac
possessionibus autis excusso, agere peregre. Vos autem, qui in uno Christo beatitudinis
puppin ac proram collocastis, qui felicitatem uestram non in hoc mundo, sed in futuro se-
culo expectatis, oportet ab horum sententia longissime abesse. Siquidem ista non immittun-
tur a deo irato, sed maxime propitio: nimirum hoc agere, ut temporarijs afflictionibus, quas
immerentes patimini, & patientia uestra reddatur spectatio, & præmiu uestrum cumula-
tus: ut quoties uarijs malorum procellis undiq; tundimini, non solum intelligatis uos non
oportere consternari animis, quasi destitutos a deo, sed potius toto pectore gaudendum esse,
quod hoc argumento deo chari curæq; sitis, exploranti tolerantia uestram: quæ si perstite-
rit, nec cesserit ullis malorum assaultibus, nimirum liquebit esse solidum euangelicæ fidei funda-
mentum. Nam nisi uobis penitus persuasum esset immortalitatis præmiu esse paratum ijs,
qui hic pro Christi gloria malis affliguntur, non tantum malorum uolentes & alacribus ani-
mis toleraretis. Porro cum deus nostram salutem fidei potissimum uelit acceptam ferri, pertinet
hoc ad euangelij gloriam, ut certis argumentis homines intelligant, uestram fiduciam non esse
uulgarem, aut uacillantem, sed firmam & inuictam. Etenim quod fucatum est, aut uanum, aut
imbecille, ad ingruentem malorum procellam loco dimouetur. Verum ac solidum sit oportet,
quod nec exilio, nec inopia, nec ignominia, nec carceribus, nec flagris, nec morte denique
uincitur, aut expugnatur. Admirabilis animi constantia habetur, si quis aduersam fortunam
infra se toleret animo, Cæterum ubi conspiciunt uos res per se graues & acerbæ, alacribus
etiam & gaudentibus animis perpeti: ignominiam ob Christi professionem infligam, pro sum-
ma gloria ducere: facultatum iacturam, pro lucro opimo habere: molestos corpori crucia-
tus, æternæ uoluptatis pignus existimare: mortem qua nihil horribilius, nihil aliud arbitra-
ri, quam limen & ingressum immortalitatis futuræ: nimirum intelligent spem uestram,
qua fulti ista contemnitis, non esse uulgarem, nec ab humana duntaxat persuasionem
profectam

profectam, sed afflatu numinis confirmari. Caterum, ut fides nondum est probata, nisi sese per ulta pietatem & officia erga proximos exerat: ita tolerantia non habebit laudem absolutam, nisi quemadmodum in malis tolerandis fortis est & alacris, ita in bonis operibus exercendis sibi constet. Magnum est mala libenter perpeti, sed ob Christi gloriam duntaxat: at perfectum est, cum ipse malis afficiaris, omnibus benefacere, non solum his, qui promerentur, verum etiam his à quibus affligeris. Sic enim fiet, ut membra respondeatis capiti, discipuli praeceptorum, filij patri, si sitis undique perfecti & integri, neque quicquam in vobis desideretur, quod ad absoluendum evangelicæ pietatis orbem pertinet. Hoc fateor, non exigebat Moli lex, hoc stultum etiam videtur huius mundi sapientibus, sed hanc novam sapientiam nos docuit nova philosophia, quam Christus coelestis doctor inuexit orbi. In ea si quis nondum satis confirmatus est, non est cur confugiat ad huius seculi philosophos, quorum doctrina dilutior est, quam ut ad rem tantam præstandam sufficiat. Supra vires mortalium est quod præscribitur. Coelesti opus est præsidium, Proinde coeleste præmiū paratum est: Qui res suas omnes huius mundi bonis ac malis metiuntur, si quando premuntur malis, ab hominibus consilium petunt, ab hominibus implorant auxilium. Vobis sapientia coelestis præsidium à deo poscendum est. Is enim impartit omnibus, non modo Iudæis, verum etiam gentibus, & impartit pro sua benignitate affluenter, nec exprobat cuiquam suum beneficium. Non reposcit à nobis gratiam, nec eget ullius officio. Natura bonus est, ultro cupiens omnibus benefacere. Ab hoc quisquis petet, non petet frustra. Vult omnibus benefacere, & potest quicquid vult. Nihil moratur merita nostra, tantum fiduciam erga se requirit. Pharisaica vox est, domine fac quod peto quia iesuno bis in sabbato. Vere pius sic orat, Indignus sum tua munificentia, dignus ira, sed tamen respice famulum tuum, quoniam natura bonus es ac misericors. Proinde si quis ab hoc velit impetrare quod petit, petat nihil diffidens, nihil hæsitans. Ne circumspiciat afflictionum moles, ne vires expēdat suas, tantum cogitet optimū ac potentissimū esse deum, à quo pendet. Qui totus fidei operi diuinae, solidus est ac firmus. Porro quisquis hæsitat ac circumspiciat, sic à deo pendens, ut interim respiciat humana præsidia, neque toto pectore credit promissis diuinis, sed velut ex parte diffidens, argutationibus humanis secū disputat de rebus diuinis, is haud quaquā stabilis est: sed quemadmodum undæ maris nūc huc, nūc illuc voluuntur ac reuoluuntur ventorum & æstus arbitrio, ita hic rationibus humanis, & opinionibus varijs circumagitur inæqualis, ac dissimilis sui. Itaque qui talis est, fallitur, si credit se quicquā impetraturū à domino, cum male sentiat de eo, cuius auxilium implorat, diffidens ei, quasi aut parum bene velit hominibus, aut parū possit, aut parum uerax sit in promissis. Simplex est Christiana fiducia, nec usquā uacillat, semper illum unum respiciens, qui neminē sibi fidentē destituit, siue uiuere contingat, siue mori. Porro cuius animus bifariam diuisus est, hac parte deum respiciens, illa mundum, is inæqualis est, & inconstans, non tantum precibus suis, sed in omnibus, etiam quæ agit, aliud habēs in ore, aliud in pectore, proque tempore, nūc hoc, nūc illo affectus modo. Non oportet pro statu reflatuque fortunæ uertere animū, quæadmodum uulgus hominū facit. Quin potius Christianus humilis, ac varijs malorum molibus pressus, erigat animū, & hoc nomine gloriatur, quod mūdo contemptus, non sit contemptus apud deū, qui nihil offensus humilitate conditionis aut fortunæ, dignatus sit illi consortio sanctorū, nec excludat ab hereditate regni coelestis. Contra diues hoc nomine sibi gratuletur, quod qui ob falsa huius mundi bona magni fiebat apud mundi cultores, nūc ob Christi professionem spretus sit & contemptus: & quæ ante tumidū inanibus bonis fastus agitabat, nunc apud homines deiectus & calcatus, ueris bonis ditescat apud deum. Hoc pacto fiet, ut nec pauperem sua deijciat humilitas, nec diuitē insolentem reddat sua fortuna, maxime si cogitet uterque, & mala, quibus grauantur inopes, & bona, quibus sibi placet diuites, non esse diuturna, sed celeriter euanescere, non aliter quam herbarū flosculos, qui ut blandiente Fauonio, ad uernum rorem subito proferunt sese, ita mox ad boreæ flatum, ac solis ardorem emarcescunt atque emoriuntur, adeo ut flosculū, qui natus ad solis exortum gratissimo colore blādiebatur oculis hominū, sol occidens uideat morientē. Arbōres quoniam altis nituntur radicibus ac solido robore fulciuntur, diu uiuent, quædam etiam perpetuo, nec uentorum iniuria, nec brumę rigore uiroris gratiam ponentes. At herba quoniam iisdem rebus non fulcitur, mox ubi sol efferbuit, succo suo destituitur, quo temporariam illam floris

Tom. 7

uu. 2-

gratiam

Si quis aut uel
stru indigeat
sapientia

Vir duplex
animo incons-

Et decor
vultus eius

gratiam alebat. Itaque caulis languescens iam florem suum nec alit, nec sustinet, sed arescit, fenescit, emoritur, collabitur, quod paulo ante tanta gratia blandiebatur oculis hominum. Ne quis igitur in his, quæ nec solida sunt nec diutina, Christianus gloriatur, magis ea spectet, quæ sunt æterna, quæ blandiuntur oculis Dei: magis studeat esse palma semper uiuens, quàm herba mox ad leuem iniuriam emoritura. Vides modo natum florem, qui decor, quæ species, quæ coloris, quæ odoris gratia: quæ foliorum uirentium pompa, qui nitior, qui succus, quæ iuuentus: At mox ad Austri flatum, ad solis æstum, qui languor, quod senium, quis interitus: Idem dies & nascentem conspiciit florem & pubescentem, & adultum, & senescentem, & mortuum. Huic adsimilis est diuitum felicitas. Qui nunc purpura conspicuus, auro lucens, gemis refulgens, magnifico famulicio stipatus, supinus uehitur, ac ueluti numen quoddam inter homines colitur, si refluuerit fortuna, aut exutus bonis omnibus, mendicabit exul, aut plorabit in carcere, aut sublatu in crucem pascet coruos, aut si nihil horum acciderit, certe mors inopina subito strepitum omnem auferet. Gentium est huiusmodi bonis metiri felicitatem, quæ præter quod a fortunæ pendent arbitrio, præter quod quod (ut nihil aliud) una cum hac uita nos deferunt, nisi contemnuntur, perniciem adferunt. Christianorum est ea sequi, quibus æterna parantur bona, in quæ neque fortuna, neque senium, neque mors ullum ius habet. Non enim ideo beatus quisquam est, quia diues, sed ita demum beatus erit, si ob euangelij professionem spoliatus istis, quæ possidebat, si spretis uoluptatibus huius uitæ, quibus assatim fruebatur, pro Christo suffert cruciatus & carceres, si eius amore in malis omnibus ad mortem usque perdurat inflexio pectore, sic interpretans, quo pluribus huius mundi malis premitur, hoc se chariorem esse deo, qui ad suam gloriam explorat cultoris sui tolerantiam, quo simul & alijs exemplo sit ad contemptum huius mundi, & ipse posteaquam se strenue gesserit in certamine, ueracem uirtutis ac fidei documentum dederit, palmam & coronam ferat, non quernam, ac lauream, nam marcescunt & hæ, quod genus accipiunt, qui præmium ac laudem uenantur ab hominibus, sed coronam immortalis uitæ, quam pollicitus est non homo quispiam qui fallere possit, sed deus. Pollicitus est autem, non istis, qui plurimum opum congegnerint, non istis, qui corporis robore præcelluerint, qui plurimum hostium fuderint, sed qui ipsius amore, huius mundi bonis spreuerint, huius mundi mala fortiter pertulerint. An syncerus sit amor dei, explorant

Nemo cum
tentatur

huius mundi blandimenta, sed multo magis tumultus afflictionum. In nobis autem est situm, ut dei præsidio fulti, nec blandimentis emolliamur, nec terriculamentis fragamur. Quod si quem illecebræ seculi dimouent a recto mentis statu, aut si quem afflictionum molestia deducit a uera pietate, non est quod imputet deo. Qui uincit, dei præsidio utitur: qui uincitur, suo uitio uincitur. Neque enim deus præbet hominibus occasionem peccandi, sed quod ille largitur pro sua bonitate in materiam segetemque pietatis, hoc noster animus affectibus corruptus ac uelut inescatus, sibi uertit in occasionem exitij. Deus enim in hoc aliquando nobis donat rerum affluentiam, uitæque commodis frui, ut ipsius benignitate prouocati, gratias illi agamus. Rursus patitur aliquoties nos rebus aduersis affligi, quo & nostram pietatem reddat spectatiorem, & præmium augeat. Quod si res in diuersum cedit, nostra culpa est, non illius. Siquidem ut ipse natura bonus, nullis malis sollicitari potest, ita neminem ad mala sollicitat. A nobis est illud, quod nobis dei bona uertit in malum. Largitur ille ciborum copiam, largitur uini liquorem, ut moderate refectione, laudibus uehamus autorem. An hunc inuis uocabit, qui uino temulentus est: nequaquam: accuset animum suum, cuius uitiosa cupiditas illexit ac pertraxit ad ebrietatem. Ex primorum parentum uitio insita est animis nostris quedam ad uitia procliuitas, ea ceu peccati seminarium est. Quod si in animum admissum coaluerit, iam mens ueluti concepit peccatum. Et si uitiosa cupiditas pellatur ab animo, paulatim gradescit & inualescit malus ille foetus, donec pariatur capitale peccatum. Quod ubi suis numeris fuerit consummatum, rursus incipit & ipsum gignere. Gignit autem foetum omnium pessimum, nempe mortem æternam, atque hic est fructus longe tristissimus uoluptatis illius in speciem blandæ, & nescio quid suauis pollicentis, dum mortiferum æs uoluptatis esca prætexit. Quemadmodum igitur hic mundus inferior nihil habet undique purum ac perfectum, sed bona malis uitiantur, & quæ læta sunt, tristitia uitiositudine miscetur, aerem uitiat lues, corporum ualitudinem infestat morbus & senium, lucis gratiam interrumpunt tenebræ: ita in nostris animis, donec his corporibus obnoxij sunt, uix quicquam est ex omni

Deinde concu
piscencia post
eaquam con
cepit

omni parte beatum ac purum, quod non aliqua labe cupiditatum humanarū, aut erroris & ignorantie tenebris uitietur. Sed quicquid in nobis est mali, nobis imputare debemus, *Nolite itaque non deo.* Etenim si puris essemus affectibus, si toto pectore fideremus deo, si totis uisceribus, *errare fratres* ad aeterna coelestiaq; aspiraremus, quicquid hanc uitam nobis obijceret, seu triste, seu letum, mereretur in pietatis incrementū. Proinde fratres dilectissimi, nolite facere quēadmodū uulgus stultorum hominum facit, qui quo suis uitijs blandiantur, naturae conditorem in suis uocant, uelut autorem peccati. Procul absit hic error a uobis, qui didicistis Euangelicā philosophiam. Vt deus suapte natura pure summeq; bonus est, ita nihil ab illo proficisci, *Omne datum* tur, nisi bonum. Si quid igitur in nobis est uitiorum, non deo, sed nobis ipsis feramus acce- *optimum, &* ptum: si quid bonae rei, si quid uerae lucis, si quid illibatae sapientiae, id totū auctori deo ascri- *omne donum* bamus. Si quid lucis habet hic orbis crassior, a coelestibus illis corporibus habet, & potius *perfectum* finum a sole. Quicquid in nobis est uerae cognitionis, quicquid puri synceriq; affectus, id a nobis non oritur, qui alioqui nihil aliud sumus, quā peccatores & ignorantes, sed e su- blimi proficiscitur: ab autore bonorū omnium uenit, quicquid uere bonum est: a fonte to- tius perfectionis obtingit, quicquid legitimum ac perfectum est, taleq; ut uos deo cōmen- det: quicquid uere lucidum est, id nobis ex sese mittit ille pater & princeps omnis uerae lu- cis. Hanc non impartit meritis nostris, sed gratuito nobis largitur, ut est natura benignus. Dona sunt uerius quā prēmia, liberalitas est potius q̄ merces. Fas igitur nō est, ut hinc quicquā nobis arrogemus, sed pro nostris malis dei misericordiam interpellemus, pro bo- nis non nostris; illius liberalitati gratias agamus. Vt ille sua natura optimus est, ita nō po- test dare, nisi quae sunt optima: ut incōmutabilis est, semperq; sui similis, ita nihil est apud eum, quod ulla uicissitudine caliginis offuscetur. Nostrum hunc diem nox succedens ex- elipit, nubes intercedentes obducunt, humanam sapientiam obnubilant errores opinio- num, humanam probitatem inficiunt malae cupiditates. Apud illum nulla malorū mixtu- ra, nec ullae caliginis uices. Ad huius igitur simplicitatem oportet & nos pro uiribus adni- ti, ut pijs studijs praebeantes nos magis ac magis capaces donorū illius, uelut in illum trans- formemur. Conuenit enim, ut filij naturam parentis referant. Male reddidimus Adam huius crassae corruptaeq; natiuitatis principem. Is peccatorum tenebris obscuratus, ge- nuit nos tenebris obnoxios. Quod fastidimus coelestia, quod inhiamus terrenis, illius in- genium referimus. Quod cācutimur, quod hallucinamur, quod labimur, terreni patris est. Sed felicius nos regenuit pater ille coelestis, ut iam ueluti denuo conditi, innocentia ui- ta, ac ueritatis aeternae cognitione, nouae originis respondeamus. Ille seductus fallacibus promissis serpentis, genuit nos tenebris. Hic rursum nos genuit, non ex corrupto semine terreni patris, sed ex purissimo semine sermonis aeterni ac ueridici. Mēdax erat sermo ser- pentis, & a statu innocentiae deiecit. Verax est sermo doctrinae Euangelicae, per quem co- optamur in haereditatem immortalitatis, & asciscimur in cōsortium Iesu Christi filij dei. Erat ille lux uera de summa luce profectus, cuius doctrina mētes hominum illustrauit, & ab huius mundi tenebris asseruit. Tam efficax autem est sermo coelestis, ut nos non muta- rit solum, sed uelut prorsus in alios homines transformarit; exectantes iam, quae prius ada- mabamus, adamantes, quae prius execrabamur. Atq; hoc honore dignatus est nos pater coelestis, non nostris meritis prouocatus, sed sua gratuita bonitate, qua sic illi uisum est ab aeterno, ut inaudita ratione conderet in terris nouam creaturam, nosq; huius nouae condi- tionis, ueluti primitias quasdam esse uoluit, qui inter primos sumus ad Euangelicā uocati doctrinam. Hoc igitur honoris cū nobis deus gratis impartierit, superest ut nos uicissim illius munificētia pro uirili respōdeamus. Gratuito sumus admissi ad hanc felicitatē, sed a qua interim possumus nostro uitio excidere, nisi quod gratuito donatum est, pijs studijs tueri studeamus. Frustra coopmati fuerimus per baptismū et euāgelicę doctrinae professio- nem in consortiū filij dei, nisi castis purisq; moribus nostrae professioni respondeamus: ut quemadmodū nobis eterna lux illuxit per filiū dei, ita uita nostra omnis testetur, quod ad lucis consortiū pertineamus. Semel exultmus ueterem hominē cum erroribus, cū affecti- bus; cū uitijs suis, nunc aequū est ut diuersa sequamur. Antehac maluistis uideri magistri q̄ discipuli, nam id uobis persuadebat ambitio, quod doctior habeatur uulgo, qui loqua- cissimus sit: maluistis irasci recte monenti, q̄ agnoscere culpam: maluistis obsequi libidini perniciosa, q̄ ea sectari, quae salutem adferunt: nūne fratres mei charissimi, quisquis uult

Voluntarie
enim genuit
nos

Sit omnis homo uelox haberi nouus homo, tardus sit ad loquendum, uelox ad audiendum, paratus à quouis discere. Cæterum docendi partes, ne quis sibi temere sumat, neq; præpropere. Et quæadmodum nō abest à periculo lapsus, qui præceps est ad loquendum, ita uergit ad iniuriā, qui facile cōmouetur animo. Oportet autē pios homines procul abesse, non solū ab omni uindicta, uerumetiā ab omni maledicētia. Tutior autē erit à conuitio, qui nihil respondet: nullā faciet iniuriā, qui nec laceffit irascitur. Apud homines fortassis iustus uidetur, qui conuitium conuitio, qui maleficiū maleficio retaliat, sed idem multum aberit à iustitia dei, qui per filium suum nos docuit bene loqui de his qui nobis obtreçant, bene uelle his qui nobis male uolūt, benemereri de male merentibus. Hæc nō facit, qui linguæ laxas habenas, mēbro uolubili & lubrico, qui iram habet in consilio. Huiusmodi cupiditates, ut obruunt ac suffocant semen diuini sermonis, quo minus subolescens fructificet in uobis, ita obstā, ne possint in animi segetem inseri. Non hæret in solo senticoso, non in palustri, non in harena fluitante: puram, purgatam, ac solidā terram postulat. Proinde si uultis ut semen sermonis Euangelici, quod semel iactum est, fructum adferat in uobis, fructum, inquā, non temporarium aut uulgarem, quo ad tempus reficiantur corpora, sed æternā salutem animarum uestrarum: repurgate uestri pectoris aruum, non solum à tumultu maledicētiæ & iracundiæ, uerumetiā ab omnibus cupiditatibus, quibus inquinatur animus humanus, à spinis auariciæ, ab harena temeritatis, à limo libidinis, à petris superbiæ ac pertinaciæ. Siquidē his rebus onusta mens, non est capax sermonis Euangelici, qui frustra pulsat tympanum aurium, nisi alte subsidat in cordis penetralia. Atque is si semel subsederit in animos uestros, haud quamquam fuerit sterilis, sed emerget ac proferet sese pijs factis. *Estote autem factores uerbi* dæi legem suam memoriter tenent, nec eam exprimunt uita. Philosophi ediscunt bene uiuendi rationes, & id satis esse putant, longe fallentes semetipsos, cum nō in lingua, sed in uita sita sit hominis felicitas. Vobis autem satis esse nō debet, quod catechumeni audistis Euangelicam doctrinam, quod baptizati admissi estis ad magis abstrusa Euangelicæ doctrinæ mysteria, quod uniuersam Christi philosophiam, omnemq; illius uitam perdidicistis, quod accepistis promissionem immortalis uitæ. Quod Christus docuit, moribus est exprimendum: quod ille gessit, nobis est pro uiribus imitandum. Mortui cupiditatibus huius mundi, cum illo sepeliāmur oportet, cum illo reuiuiscamus ad innocentiam, cum illo feramur in cœlum, deniq; sic uiuamus in terris, ut ne indigni uideamur præmijs cœlestibus. Vultis audire, quā nullum fructum referat, qui leuiter & incogitater euangelicum sermonē audierit? Simillimus est homini contemplanti faciem suā in speculo, contemplatur, sed contemplatur tantum. Nec enim potest mutare faciem natiuā, nec alius discedit à speculo, quā accesserat. Imò quoniā ideo tantum accessit, ut uideret quæ forma esset, ne cogitat quidem de mutandis formæ uitijs, sed simulatq; recedit à speculo, ne meminit quidem, qualem sese conspexerit. At Euangelicæ doctrinæ speculum non ostēdit neuos, aut tubera corporis, sed omneis animi tui morbos tibi ponit ob oculos, nec solum ostēdit, uerumetiā medetur. Lex Mosaica magis prodebat animi mala, quā sanabat. Erat enim lex iuxta literam imperfecta, & magis metu deterrebat à malis, quā efficiebat, ut homines sponte recta sequerentur. At Euangelica lex per charitatē à uolentibus ac liberis plus impetrat, quā extorquebat illa, & quod incipit perficit, quum illa nihil ad perfectū adduxerit. Ad hoc igitur speculum quisquis diligēter contemplabitur & mentem & uitam suam, idq; fecerit assidue, nunquam dimouēs oculos ab exemplo doctrinæ Christi, hoc est quisquis sermonem sacrum non sic leuiter audierit, ut mox ad curas huius mundi uersus, uideatur oblitus quod audiit, sed ad eius normam uitam omnem componat, pijs operibus exprimens, quod animi medullis penitus infixit: hic demum beatus erit, non quod audierit, sed quod affectibus, ac moribus præstiterit. Audis à Christo suppliciū gehennæ manere illū, quisquis dixerit fratri suo, fatue. Ac mox oblitus quod audieras, ad leue conuitium moues arma. Audis negligendas opes, tinea ac furibus obnoxias, sed ueras esse recondendas in cœlo, Verum digressus à prædicatore, sic omnibus studijs pergis per fas nefasq; congerere diuitias, quasi crederes post hanc uitam nō esse præmia pietatis. Quod si quis inter uos abunde sibi religiosus uidetur, si manus contineat à furto, & pugnis, ceterisq; uitijs, sed interim non refrenans linguam suam ab obtreccionibus, à conuitijs, à turpiloquijs, neq; cor suum à turpib; cogitationibus, huius inutilis infrugiferaq; religio est. *Fortassis*

Fortasse non punitur humanis legibus, qui loquitur tantum adulteria, non etiam patrat, at is apud deum iam adulter est, qui animo patrauit adulterium. Non dat poenas hominibus, qui rem alienam concupiscit, si liceat impune: sed apud deum furti reus est, qui furtum concepit in animo. Exactis illis manifestis æstimamur apud homines, quibus animus non est conspicuus. Ceterum deus intimos animi affectus intuetur, & ex ijs nos æstimat. Porro corruptus animus plerumque solet in linguam erumpere. Apud Christianos conuitium homicidij genus est, tantum abest ut cum linguæ petulantia cohæreat uera pietas. Neque uero sufficit ad Christianam religionem, abstinuisse à peccando, oportet & bonis operibus abundare. Siquidem à malo temperant et serui, nimirum supplicij metu, at filios decet charitas, ea non est res ociosa, sed efficax, in omne bonum opus sese promens ultro. At dixerit aliquis, quæ nam igitur sunt ista facta, quæ nos uere reddunt religiosos? Qui Iudaismum sapiunt, religionis laudem constituunt in pallijs ac phylacterijs, in delectu ciborum, in lotionibus, in prolixis precibus, cæterisque ceremonijs, quæ sic aliquoties aspernandæ non sunt, si per hæc ueluti signa commoneamus eorum, quæ sunt propria pietatis: perniciofa uero, si quis arbitretur per hæc hominem fieri religiosum, quæ sola citius reddunt hypocritam. Attamen hæc seruare religio uidetur apud homines, qui perperam ponunt pietatem in rebus uisibilibus, quæ signa sunt fortasse pietatis, non causa, quum per se neque bonæ sint, neque malæ, nisi quod tales uel usu, uel hominum opinione uideantur, cum uera pietas sit in ipsis animis, atque alijs signis longe certioribus sese promat. Vultis igitur audire, quæ sit uera religio apud deum patrem, qui non humano iudicio uos æstimat? Nimirum hæc est pura & immaculata religio, ut quemadmodum nos experti sumus dei erga nos & misericordiam & beneficentiam, ita nos uicissim erga proximum & misericordes simus & benefici, idque non aliqua spe redituri ad nos officij mutui, sed ex mera sinceraque charitate præmiū officij nostri non aliunde quam à deo expectantes, qui sibi patitur imputari, quicquid in fratre ipsius amore collocauerimus. Pius ac purus est apud Iudæos, qui morticinium non contigerit, qui lotus sit uiuo flumine: apud deum pius ac purus est, qui orphanis ac uiduis adfuerit afflictis, qui fratrem oppressum subleuarit, qui egentem pecunia iuuerit. Apud Iudæos impurus est, qui carnem suillam ederit, apud deum impurus est, cuius animus fuerit huius mundi cupiditatibus infectus & inquinatus. Sed quæ nam, inquires, sunt illæ cupiditates? Mundi iudicio uilis habetur quisquis pauper est: honoratior, qui plus opum possidet: ideoque præcipuum illis studium, ut quam maximam pecuniæ uim sibi comparēt. Ignauus & abjecti spiritus habetur, qui ad iniuriam illatam obmutescit. Stultus habetur, qui pro maleficio refert beneficium. Splendidus habetur, qui luxui indulget: sordidus, qui sectatur sobrietatem. Magnus habetur, qui fastu turget, qui inferioris notæ homines è sublimi despiciat. Felix habetur, cui res interim è sententia succedunt, qui delicijs ac uoluptatibus affluit, qui uentri gulæque seruit. Hæc res sunt, quæ uere reddunt impium & impurum hominis animum, à quibus quisquis abfuerit, is demum uere religiosus est apud deum patrem, qui nos exemptos à terrenis euocauit ad cœlestia, à perituris & caducis ad æterna, docuitque nos, ut ueris bonis dignitatem hominis æstimaremus, utque in omnibus quæ agimus, non aliud spectaremus, quam ad ipsius gloriam, à quo solo speranda est benefactorum compensatio, qui ueræ pietatis officia non rependit fluxis ac mox perituris præmijs, quemadmodum hic mundus solet, sed beatam immortalitatem largitur. Humilis est, tenuis est, cui impendis officium, referre gratiam non potest, sed tamen in hunc longe præstat collocare, quam in alium quamlibet diuitem aut potentem, à quo nullus fructus redire potest, nisi uilis ac temporarius, quum pro tenui fratre subleuato Christus reponat uitam æternam.

Religio munda
da & immaculata

CAPUT II



Vi proximum amat propter deum, & qui deum amat in proximo, non hæcenus illi meretur, quod potens sit, aut diues, aut nobilis, sed quatenus diuinis bonis abundat. Ceterum ad hæc æstimationem nihilo potior est rex, aut diues, quam uis humilis aut paupere. Pro omnibus æquo mortuus est Christus, & omnes ex æquo uocantur ad immortalitatis hæreditatem. Proinde fratres mei, si uere fiditis promissis domini nostri Iesu Christi, nolite facere discrimen personarum iuxta rerum mundanarum æstimationem. Christus iuxta mundum humilis fuit & pauper, & tamen hunc principem omnis gloriæ uoluit esse pater. Non opulentis, sed pauperibus pollicitus est regnum

Nolite in acceptione personarum habere

coeleste. Iam si quis ingrediatur in confessum uestrum aureo insignis annulo, aut splendida ueste conspicuus, ac simul ingrediatur pauper quispiam, nec annulum gestans in digitis, & ueste uili sordidaq; tectus, & continuo coniectis in diuitem oculis, non ob aliud, nisi quod uestitu splendido pauperem obscurat, deferatis ei locum honoratiorē, dicentes: Tu sede hic bene: Rursus pauperi dicatis ueluti contempto, nec ob aliud, quā ob uestem uiliorem: Tu sta illic, aut sede illic subter scabellum meum: quāso an non statim animus uester reclamet, & condemnet tacite factum uestrum, qui honorem, qui uirtuti debebatur, per adulationem tribuatis auro & purpuræ, ob harum rerū inopiam contemnentes eum, qui deo ueris animi bonis multo cōmendatior est illō diuite. Illum uobis commendat digi-
Andite fratres gulus annulo gemmaq; n̄tens, & corpus opertum serico: hunc uobis non commendat fidei synceritas, animi modestia, sobrietas, castitas, cæteraq; dotes, quæ uere magnum ac splendidum reddunt hominem: Cur uestrum iudicium dissentit à iudicio dei? Aquis auribus audite fratres mei dilecti, quod res ipsa clamitat esse uerissimum. Quantum t̄is mundus deferat diuitibus, deus ipse prætulit pauperes, pauperes quidem iuxta mundū hunc, qui gemmas & aurum, qui magistratus & regna nec habent, nec ambiunt in hoc seculo. Hos præteritis diuitibus cum suo fastu, delegit, præsentium quidē rerum inopia tenues, sed expectatione regnī cœlestis & hæreditatis æternę diuites ac potentes, nimirum fretos eo qui promisit, qui nec fallere potest, si uelit, & præstare potest quicquid uult. Quibus autem is promisit hanc admirabilem felicitatem: num regibus aut opulentis: nequaquam, sed ijs à quibus uere diligitur, quicunq; fuerint illi, siue serui, siue liberi, siue diuites, siue tenues. Et uos inuitato diuite ad honorificum confessum, paupere ad ima subscellia relegato, prætulistis eum, qui deo uilior est, & contemptui habuistis eum, qui deo & diues est et honoratus. Illi habitus est honos, qui fortasse diuitijs fraude quæsitis, aut rapina partis, sese uendit: hic contemptus est, qui pauper esse maluit, quā cum iactura pietatis ditescere, qui exhaustis in pauperum subsidia diuitijs, ultro pauper factus est, ut pietate ditesceret. Non est quidem impius quisquis diues est, tamen haud temere diuitibus huius mūdi conuenit cum Euangelica pietate, uerum ex hoc hominum genere potissimum existit, qui repugnant Euangelio Christi. Nam qui sunt tandem, qui tyrannidem exercent in uos odio pietatis: nōne diuites? Qui sunt, qui uos peragunt reos & pertrahunt ad tribunalia: nōne diuites potissimū? Qui sunt, qui male loquuntur & execrantur sanctum nomen domini nostri Iesu Christi, per cuius inuocationem uos assecuti estis salutem, & in quo gloria-
Si tamen legē perficitis mini: nōne diuites? Qui intantum non fauent uestre professioni, ut nomen quod uobis est salutarum & adorandum, illis sit exitiabile & abominandum. Sic autem professio nominis huius cœpit uobis esse salutaris, ut tamen uestro uitio possitis excidere à promissa salute. Rex præmium ostendit, sed ei qui factis præstiterit legem regiam: ea neminem potest latere, quum tam olim literis sit prodita, est autem huiusmodi: Diliges proximū tuum sicut teipsum. An proximū ad hanc regulam diligit, qui pro paupere præfert diuitem impium? Euāgelica lex charitatis lex est: quicquid aduersus hanc cōmittitur, etiā si nō sit nominatim uetitum, tamen peccatum est, & uos ipsa lex tacite tedarguit, quæ præcepit omnibus, & in omnibus diligendum proximū tanquam teipsum. Quisquis ab hac regula defleuit, legis transgressor conuincitur. Neq; uero sibi quisquā ita blandiatur: leue est admissum, hac parte duntaxat lex est uiolata. Imò lex Euāgelica talis est, ut ni tota seruetur, tota uideatur esse uiolata. Cū enim summa totius legis cōtineatur in charitate dei ac proximi, quisquis excidit à charitate, quæ radix est totius legis, nimirum totam legē uiolauit, & legis auctorē offendit, cui hactenus factus est omnium reus, quod qui semel aberrauit à scopo totius legis, quod quidem in ipso est, aberraturus uideatur, quoties se dederit occasio. Veluti quisquis in tenebris ambulat, nō refert in dextrum aberrer, an in sinistrū, ceterum cullibet errori expositus est, qui semel excidit à luce. Proinde qui per adulationē diuitē immerentem prætulit pauperi promerenti, quoniā hac in parte uiolauit legem charitatis, affinis est omnibus cōmissis, quæ solent aduersus proximi dilectionē patrari. Neq; leuiter offendit deū, qui legem illius ausus est aliqua in parte uiolare. Qui semel præcepit charitatē, semel eadem opera uetuit, quicquid pugnat cum charitate proximi. Etenim qui legem tulit, ne moecheris, idem statuit, ne quē occidas. Quod si abstinueris quidē ab adulterio, ceterum perpetraris homicidiū, an ideo non uiolasti totā legem, quod una in parte uiolasti?
Idem

Idem utrunq; uetuit, & eadem de causa uetuit, nempe quod aduersetur charitati proximi. Sed non ea tantum uetuit, quæ legibus puniuntur etiam ethnicorū, uelut furtum, homicidium & adulterium, sed omnia prorsus, quæ dissident ab Euangelica charitate. Mosaica lex non puniret eum, qui modestū pauperem superbo diuiti posthabuisset, aut qui proximo male uellet, sed tamen hunc punit lex Euāgelica. Ad huius igitur normā, non solū facta uestra, uerum etiā sermonē & animi cogitationes componite, ne quid unquā sit, quod à proximi charitate discrepet. Lex est libertatis, nō quod per eam liceat peccare, sed quod Euangelica charitas ultro impetret à uolentibus, quod leges humanæ metu pœnarum extorquent à nolentibus. Ad hanc itaque legem uitam omnem componite, summum laturi præmium, si quod præscriptum est præstiteritis, contra grauissimas daturi pœnas, si semel excideritis ab eo, unde lex tota pendet. Gratis uobis cōdonata sunt uitæ superioris cōmissa. Gratis collatum est donū spiritus cœlestis, per quem estis deo non modo reconciliati, uerum etiā mutua conglutinati charitate. Quo plus uobis collatum est, & collatum est gratis nihil promeritis, hoc acrius punientur, qui tantam dei misericordiā in se experti nō se uicissim præbent mites ac misericordes in proximū. Qua fronte petet à iudice deo misericordiā, qui seruus in conseruū se præbuerit immisericordē: quo ore postulabit à deo diligī, qui proximū suum nō diligit? Si uis iudicium nancisci dilutū misericordiā, fac te præbeas misericordē erga proximū, uel peccantem, uel egentem. Atq; in hanc sanē partem præstabilius est deflectere, ut misericordiā, quā iudicio nitamur. Cū enim penē totum sit misericordiā diuinā, quod habemus, magis q̃ iustitiā, potius adnitendum est, ut deum misericordem, q̃ ut seuerum experiamur. Ille nos seruaui sua misericordiā, æquum est & nos uicissim erga proximū ad misericordiā, q̃ ad seueritatem esse propensiores. Nec enim paulo plures colliguntur lenitate, clementia, beneficentiā, quā austeritate, ut hoc nomine merito gloriatur misericordiā, præferens sese iudicio, quod qui iudiciū experti fuerant perituri, misericordiā beneficio seruantur. Nemo nostrū non labitur quotidie, talem experturus deum in condemnādis admissis suis, qualem se præstiterit erga fratrem suum. An satis per se putandum est ad salutem consequendam, solam fidei professionem? Quid autem est fides absq; charitate? Porro res est uiuida charitas, non cessat, nō est ociosa, exerit sese benefactis ubicunq; adest. Quæ si desint fratres mei, quæso an inane fidei nomen seruabit hominem? Infrugifera fides est, quæ per charitatē non operatur, imò titulus, tenuis duntaxat fides est. Quod dixi, clarius fiet exemplo collato. Si quis fratri aut sorori, cui uestis desit, aut uictus quotidianus, dicat blandis uerbis, abite cum pace, calescite, & saturamini, atq; hæc loquutus nihil dederit eorum, quæ corpori sunt necessaria, nōne huius blandiloquentia inutilis erit egentibus? Nihilominus algebunt aut esurient ob huius orationem, quæ necessitati non opitulatur. Verbotenus subleuat, re nihil præstat. Sic nimirum inutilis erit fidei professio, quæ uerbotenus constat, neq; quicquam agit, sed uelut mortua torpet, neq; magis est dicēda fides, quā cadauer hominis meretur hominis uocabulum. Quod corpori est anima, hoc est fidei charitas: hac igitur subducta, mortua quædam & inefficax res est fidei uocabulum. Neq; magis tibi profuerit apud deum ore profiteri fidem ociosam, quā proximo egenti oratio blanda, cum re fuerit subleuāda. Rideri se putant quibus dicis: calescite, saturamini, quibus neq; uestis datur, neq; cibus. Ita deum ridere uidetur, qui quotidie repetit, credo in deum, credo in deū, cum nulla præbeat argumenta fidei. Vt inutilem habet charitatem, qui uerbotenus amat, ita superuacaneam habet fidē, qui uerbotenus modo credit. Iam exorietur fortasse quispiam, qui separare cupiens ea, quæ natura coniunctissima sunt, & quorum alterum ab altero diuellī non potest, dicat: Tu fidem habes, ego facta habeo, sit sua uterq; portione contentus. Tibi sufficiat tua fides, mihi sat est, quod adsunt benefacta. Imò neutri suffecerit sua portio. Tu fide gloriaris, eam, si ueram habes, factis declares oportet: si mortuam habes, frustra habes. Tu facta iactas, nec ea sufficiunt ad consequendam immortalitatis coronam, nisi proficiantur à charitate, quæ fidei salutaris comes est indiuidua. Quod in arbore sunt flores & frondes, hoc in nobis sunt officia charitatis: quæ si prorumpunt suo tempore, declarāt arboris radicem esse uiuam, cuius succo aluntur. Proinde ita demum proderūt benefacta, si non præstentur ad inanem gloriā, non ad humanā gratiā, non ob metum aut pudorē, non spe lucri, sed ex uiua fide, quæ nobis persuasit deo præstari, quicquid præstat ob ipsum proximū

*Sic loquimini
& sic facite*

*Iudiciū enim
sine misericordiā
diaboli*

*Quid proderit
fratres mei
si fidem quis
dicat se*

Sed dicet quis

proximo, nec ab alio quàm ab illo sperandū esse premiū. Tu tibi places, quod persuasum habeas unum esse deum, cum error paganorum credat innumeros esse deos. Recte facis, nam istoc nomine præcellis. Sed frustra credis esse deum, & esse deum unum, nisi sic credas, ut ab illo salutem consequaris. At id non facies, nisi fidei iungas charitatem, & pijs operibus testeris & quod credis & quod amas. Si deum credis esse, crede & salutis autorem esse, crede promissis illius, & ita uiuas, ut illius dignus uideare promissis. Promisit misericordiam, sed ijs qui hic misericordiam exercent in proximū. Promisit uitam eternam, sed ijs qui huius mundi gaudia spernunt. Ita non solum credes unum esse deum, sed omnem fiduciam in uno illo collocabis: alioqui quis erit fructus credulitatis tuæ? Dæmonia quoque credunt esse deum, credunt Iesum esse filiū dei, & adeo credunt, ut contremiscant, Sed quoniam credunt tantum, non etiam amāt, supplicium ab illo metuunt, præmiū non sperant: & iustum sentiunt, misericordiam sentire non merentur, cum ipsi crudeles sint in alios. Quod si adeo stultus es, ut adhuc tibi blādiaris inani fide, age proferam exemplum familiarius ac notius, quod te doceat inutilem ac mortuā esse fidē, quæ per dilectionē non operetur. Abraham, quo generis autore potissimū gloriamur, primā ac præcipuam fidei laudem meruit apud deum, à quo tributū est illi iustitiæ elogiū: sed in hoc fides haud quāquam sterilis fuit. Neque enim solum ore professus est se illius promissis fidere, uerū etiam non dubitabat Isaac unicum filium altari impositum mactare, iubente deo, cum iuxta naturæ ordinem, non aliunde sperari posset illi posteritas: sed fretus dei promissis, quem sciebat & mortuos reuocare in uitam cum libet, nihil contatus est peragere, quod iussus erat. Ex factis igitur iustitiæ laudem meruit, sed quæ ex fide proficiscerentur. Sunt enim & opera legis Mosaicæ, quibus frustra fidunt, qui sunt expertes Euangelicæ fidei. Quid autem non facturus erat egregius ille patriarcha, qui promptus & alacer accedit ad mactationem unici filij Isaac, quem eo etiam tenerius diligebat, quod in extrema senectute natus esset, quodque huius nomine promissa esset felix illa posteritas? Pronunciatus est iustus & antequam immolaret, sed à deo, qui nouerat uiuam & efficacem senis fidem nihil recusaturam, si se dedisset occasio. Ergo res utraque alteri fuit auxilio. Fides addebat animi, ut non trepidaret immolare filium, quem non dubitabat mox iussu numinis reuocaturum: sed factum insigne, ueluti colophonem imposuit, etiam apud homines declarās, Abrahamæ fiduciam nec mortuā esse, nec uulgarem. Neque enim fingit, neque dubitat, qui nō contatur in unico filio unice charo periculum facere. An grauetur pecuniā pro Christo negligere, qui filium, patri chariorem quā ipse sit sibi, promptus ducit ad mortem? Ex hoc igitur tam insigni documento fidei perfectum esse constat, quod dixit scriptura: Credidit Abraham deo, & imputatum est illi ad iustitiam, & amicus dei uocatus est. Quod si Abraham fidei fructum & iustitiæ laudem amissurus erat, si grauatus fuisset ad dei iussu immolare filium, an illi proderit sua fides, qui iubente deo, grauatur impartire uestem egeni proximo, qui grauatur impartire cibum esuriēti, potum sitienti, quasi deus passurus sit eum perire frigore aut fame, qui de suis facultatibus aliquid erogarit in fratris necessitatem? Porro si priscis illis non contigit laus iustitiæ, nisi factis fidem comprobantibus, multo minus id sperandum est ijs, qui perfectæ charitatis legem profitentur. Tantum autem ualet apud deum misericordia ac beneficentia in proximū, ut mulier, ut meretrix, ut alienigena, hospitalitatis officio commēdata, meruerit in catalogo piorum, in catalogo ciuium, in catalogo probatissimorum patriarcharum annumerari. Rhahab Iudæa non erat, merito diuersorio præfecta erat, quæstu non admodum probato uictum parans: & tamen in diuinis libris iustitiæ laudem promeruit: nō ex fide tantum, quod persuasum haberet deo remuneratore nulli sua benefacta perire, præsertim quod in bonos, aut certe dei respectu conferretur: sed ex eo, quod contempto periculo uitæ suæ, exploratorum uitæ consuluit: quod nuncios, quos exploratum miserat dux Iudæorum, ne perirent, furtim alia uia emisserat. Poterat inire gratiam non mediocrē apud suos, si (quod ipsi erat in manu) prodidisset exploratores. Sed maluit seruire uoluntati diuinæ, quā suo compendio: neque diffidebat, quin ab illo præmiū copiosius rependeretur, quàm ab hominibus. Quemadmodum igitur Abraham non ex fide nuda iustitiæ laudem promeruit, sed ex fide factis comprobata, ita & Rhahab frustra credidisset, deum Iudæorum esse uerum deum, nisi, cum esset obiecta occasio, factis declarasset sese ex animo credere: alioquin fides, ut dixi, quæ friget ex charitate

*Via scire
o homo*

*Ex operibus
fides consum/
mata est*

*Similiter
Rhahab me/
retrix*

charitate, nec se profert cum res postulat; ne fides quidem est, tantum est inane fidei nomen. Etenim quemadmodum corpus anima destitutum mortuum est & inutile, ita fides, si desit charitas non ociosa, mortua est & inefficax.

CAPVT III



Magna est humanæ linguæ utilitas, si quis ea doceat, quæ pertinet ad ueram pietatem, sed periculosa functio est, doctoris obire munus, & hominem requirit primum insigniter eruditum in his, quæ sunt Euangelicæ doctrinæ: deinde purgatissimis affectibus, cuius non satis sit docere recta, sed qui non aliò spectet, quàm ad Christi gloriam. Talis doctor ut plurimū prodesse uolet, si quod docet etiā amet: ita cuius est corrupta doctrina, aut cuius animus est corruptus prauis cupiditatibus, odio, ira, uindicta, auaricia, ambitione, libidine, magno plebis exitio doctoris locum occupat. Proinde fratres mei, ne passim ambiatis esse magistri, Tutius est auscultare quàm loqui. Et pauci doctores sufficiunt pluribus erudiendis. Proinde, qui locum episcopi ac doctoris capessit, etiam atque etiam semetipsum excutiat, an par sit oneri suscipiendo: atque illud in primis secum cogitet, quod prouinciam aggreditur ingenti obnoxiam periculo, rationem exactissimam redditurus supremo iudici, si secus docuerit quàm oportet. Siquidem huius sermo hoc latius ac periculosius spargit suum uenenum, quod autoritate dicentis commendetur. Nihil autem difficilius, quàm sic undiq; moderari linguam, ut nunquam labaris. Etenim cum ea sit humanæ naturæ infirmitas, ut nemo non quotidie labatur in multis, si quis linguæ lapsus omnes uitare potest, hic uir perfectus uideri possit, & idoneus qui totum etiam corpus, ueluti rationis freno moderetur, postea quam membrū illud maxime lubricum potuit cohibere, ne quid peccet. Ab hoc periculo longius abest, qui mauult discipuli, quàm doctoris uices gerere. Est aliquid imperare uentri, est nonnihil temperare oculis atque auribus, est aliquid continere manus. Sed omnium difficillimū est perfecte moderari linguam. Pusillum est membrū lingua, sed à quo ferè pēdeat corpus uniuersum. Efficax quædā ac præpotēs res est hominis oratio, siue ad utilitatem, siue ad perniciem multorum. Penetrat in animos auditorū, inserit aut exerit pestilentes opinioniones, excitat aut sedat odia, comouet ad bella, componit ad pacē, & auditorem huc aut illuc impellit. Sic frenos equis in ora immittimus, ut nobis obediant, ac exiguo ferro totū corpus beluæ pro nostro arbitratu circumagimus. Quod os frenatum sessori, hoc lingua domita homini. Videtis quantæ sint nauium moles, hæ cum passis uellis miro impetu uentorum rapiantur in undis, tamen minimo gubernaculo circumaguntur, quocunq; naucleri, temonē regentis, animus inflectere uoluerit. Impellit arte clauum, & tam ingens illa moles sentit minimæ partis imperium. Non est igitur contemhenda linguæ moderatio. Pusillum est membrū, sed turgidum & iactabundū, lateq; miscens exitium & ingentes excelsans tumultus, nī freno animi cohibeatur: hæc totos populos, tota regna inter se committit. Libet intueri simillimū exemplum. Ecce quantulus ignis, quæ ingentem materiā uim incendit. Vnde sæuū illud & latissime uolitans incendiū ex una scintilla natum est. Ea initio minimo negotio poterat opprimi, neglecta colligit undiq; uires, & eò tandē euadit, ut nulla ui possit obrui. Ut autē ingens ac uariū est usus ignis, si recte adhibeatur: summa pernicies, si sinatur quò uolet euagari: ita ex hominis lingua plurima utilitas, & ex eadem extrema pernicies humanæ uitæ. An non uidetis hoc ipsum naturæ opificem significasse, qui linguā hominis & specie & colore ignis esse uoluerit, nec aliter uolubilē ac rotatilem, quæ est flammæ? Nec tamē in hoc simplex est malū, uelut in alijs ferme membris. Mundus est & congeries uitiorum omnium. Quemadmodum enim exigua scintilla ueluti seminarium est totius incendiij, ita quicquid est malorū in uita, ex mala lingua, uelut è mūdo promittitur. Et quemadmodū materiā aceruo miscetur paulū ignis, ut paulatim totā congeriem incendio misceat: ita lingua sic admixta est mēbris corporis, ut nī coerceatur, inficiat & inquinet sua lue corpus uniuersum, totamq; hominis uitam, ab incunabulis ad extremam usq; ætatem inflammet omni uitiorum incēdio. Porro uim huius mali non illi indidit natura, quæ uallo dentiū & maceria labiorū admonuit, oportere linguæ usum circumspēctum esse, ac moderatum: sed afflata est ex igni gehennæ, unde primū per impios spiritus inficitur animus, & animi lues per organum linguæ prorumpit in maius, & hominem è malo reddit pessimū, ac pestis contagio corripit & cæteros, sic ut nulla ui, nulla ratione possit

In multis enim
offendimus
omnes

si autē equis
frena in ora

Lingua ignis
est

possit cohiberi malum impotens. Quid autem est usquam tam impotens, quod nō aliqua
Omnis enim ratione māsuefaciat humana cura? Nulla est fera tam fera, nulla est auis tam immanis, nul-
natura bestiarum lus serpens tam pestilens, nulla maris bellua tam immitis, quin hominum ingenio benefi-
 cijsq; mansuescat. Cicurantur leones, mansuescunt tigrides ac dracones, seruiunt etiā ele-
 phanti. Subiguntur & crocodili, mitescunt aspides, redduntur familiares aquilæ & uul-
 tures, ad amicitiam etiam alliciuntur delphini. Nulla adhuc ratio, nulla ars reperta est mor-
 talibus, quæ linguam intemperantem domaret, cum & olim domitum sit, & quotidie do-
 metur omne genus animantium, quotquot habet terra, quotquot mare, quotquot aer: usq;
 adeo malum hoc est efferum ac uiolentum, nec impotens modo, uerum etiam letali uene-
 no tinctum. Vnguibus ac dentibus sauiunt leones, at uenenum nō habent. Veneno sunt
 armatæ uiperæ, cæterum nec ungues habent, nec cornua. Sola lingua gemino modo no-
 xia est, & feritate insuperabili, & ueneno letali, quod procul etiam afflat quibus uult, cum
 scorpj non lædant, nisi caudæ cuspidē ictos, uiperæ non lædant, nisi infixo denticulo fistu-
 lato. Atq; hæc pestis minus esset formidabilis, si simplex foret, & unico modo noxia. Nūc
 uarium est malum, & in omnem se uertens speciē, quo grauius ac facilius lædat, sæpe no-
 centius, cum boni speciem præ se fert. Nihil melius, nihil apud omnes commendatius pie-
 tate. Huius prætextu lædit potissimum, ea miscēs, quæ non possunt coherere. Neq; enim
In ipsa benedi- potest esse pius in deum, qui crudelis et maledicus est aduersus proximum. Et tamen hoc
timus deum et organo laudamus deum, patrem illum appellantes, cum eodem uituperemus & infame-
patrem mus proximum, ad dei similitudinem conditum. Lingua canimus deum omnium bono-
 rum autorem, quum eadem summis malis affligamus hominem, quasi huius contumelia
 non pertineat ad deum conditorem. Deus neq; laudibus nostris honestatur, neq; conui-
 tijs læditur. Homo homini uel pestilens esse potest, uel salutaris. Et quod in hunc præstite-
 rimus, hoc deus putat ad se pertinere. Proinde ne quis credat suos hymnos deo gratos esse,
 se, quos lingua promit, non animo, cum eadem lingua maledicentiæ uirus euomat in pro-
 ximum. Quid enim pugnantius, quàm laus & uituperiū; tamē res tam diuersæ ex eodem
 ore proficiuntur; atq; hæc quidē geruntur inter impios. Inter uos, qui professi estis euan-
Non oportet gelicam simplicitatem, non oportet hæc eodem modo fieri, quibus turpe est aliud sonare
fratres mei lingua, quàm sentiat animus, qui didicistis amare deum in proximo, & proximum in deo
hæc ita fieri qui didicistis adeo neminem esse lædendum linguæ petulantia, ut ad exemplum Christi
 iubeamini bene loqui illis, qui uobis ingerunt conuicia. Leuius autem nocens est, qui sim-
 pliciter & absq; fūco malus est. Cæterum maledicentiæ pietatis imagine cōmendata, quid
 aliud est, quàm cicuta admixta uino: quo præsentius sit uenenum, quod rei saluberrimæ
 misceatur. Habent in ore, domine miserere, cum ipsi crudeliter lingua sauiant in fratrem.
 Habent in ore, pater noster, cum assidue linguæ spiculo proximum confodiant, pro cuius
 salute confossus est Christus. Prædicant dei bonitatem, qui sua clementia seruauit homi-
 nem, cum ipsi linguæ ueneno properent extinguere. Prædicant Christi bonitatem erga
 mortaliū genus, cum ipsi aduersus exemplum Christi linguas acuant aduersus confor-
 tem. Efferunt laudibus Christi mansuetudinem, qui placide responderit maledicis, cum
 ipsi mendacijs etiam incessant benemerentem. Profitentur sese angelos & præcones Chri-
 sti, cum sint organa diaboli. Pollicentur semen doctrinæ cœlestis, cum merum serant aco-
 nitum. Atq; hæc tam diuersa nō solum faciunt eadem lingua, sed frequenter etiam ex eo-
 dem suggesto, à laudibus diuinis exorssi, prorumpunt in infamiam proximi, tanto pernī-
 ciosius inficiētes animos concionis, quod ficta specie religionis tegant ac dissimulēt mor-
 tiferum uenenum, quod ex infecto corde per linguæ organum depromunt. Quæso fra-
 tres, an non hoc prodigij simile uidetur? Sunt fontes scatētes aquis salubribus, sunt quos
 gustasse mortiferum sit: sunt qui suffundant aquam dulcem ac potabilem, sunt rursus, qui
 præbeant aquam amaram salamq;. Nec id mirum uideri potest, cum per diuersas uenas
 fluens liquor, calcis, aluminis, sulphuris, alterius uel metalli, seu terræ dulcis saporem refe-
 rat. At qui fit ut quum ex eodem corde proficiatur oratio, quum per eandem scateat lin-
 guam, adeo sit sui dissimilis, cum inter tot fōtium discrimina nullus reperiatur, qui simul
 ex eodem ore dulcem & amaram aquam proferat? An eadem arbor diuersi saporis fœtus
 edit? Videte fratres mei, num ficus natura dulcis producit amaras oleæ baccas? Num ui-
 tis ædit ficus: minime, sed suæ quisq; arbori fructus respondet, & radicis succum sapore
 refert

refert. An non igitur monstri simile uidetur eundem hominem ex eodem corde per eandem linguam, pietatem & impietatem, ueritatem ac mendacium, salutem & exitium, depromere? Itaque cum improba lingua nihil sit perniciosius, bona & erudita nihil salubrius, cumque rarus inuentu sit, qui membrum hoc modis omnibus queat moderari, etiam atque etiam est multis deligendus est, qui doctoris prouinciam suscipiat. Huic oportet & animum esse ab omni cupiditatum tumultu tranquillum, & uitam ab omni turpitudine semiotam; ut non solum ea doceat, quæ sunt ueræ pietatis, uerum etiam cum omni mansuetudine doceat. Nam contentiosa pertinaxque doctrina nihil aliud gignit, quam factiones & dissidia: Atque inter huius mundi sapientes is primas tenet, qui pertinacissime disputat, qui lingue uolubilitate nulli cedit. Nec hoc agitur, ut auditor discedat melior, sed ut elatior qui uicit, deiectior qui uictus est. Vulgus interim uarijs studijs inter se distrahitur, ut nec dicenti sit ullus solidus fructus, nec audienti. Inter uos autem qui philosophiam euangelicam profitemini, quisquis uere sapiens est, & scientia uere præditus, ne fastus sermonisque contentione declaret se sapientem, sed pijs & integris moribus testetur qualis sit, potius quam uerbis. Ut enim inutilis est fides, ut inutilis charitas, quæ uerbotenus præstatur, ita inutilis est sapientia, quæ non prius se probat mansuetudine morum. Hoc enim præcipuum est argumentum, quo liceat humanam philosophiam ab euangelica dignoscere. Illa morosos, pertinaces, ac feroces habet professores. Hæc quo syncerior est, quo præstantior, hoc minus habet supercilij. Cuius præcipua uis sita est non in argutis syllogismorum, aut phaleris eloquentiæ, sed in sinceritate uitæ, in lenitate morum, quæ cedit contentiosis, & allicit dociles, nec aliud spectat, quam salutem auditorum. Coelestis est sapientia, hanc qui docet, mentem habeat oportet ab omnibus terrenis cupiditatibus repurgatam, & sincero uase depromatur necesse est. Quod si habetis animos amarulenta inter uos æmulatione uitiatos, si cor habetis contentionibus, & peruicaci uincendi studio, inuidiaque corruptum, cedite potius docendi munus, quam ut gloria uestre contentioni que seruiunt, mentiamini aduersus euangelicam ueritatem, quam nemo sincere tradere potest, nisi cuius animus liber fuerit ab omnibus humanis affectibus. Proinde quisquis ad hanc professionem accedit, si senserit animum suum infectum amore, aut odio humano, si liuore, si studio gloriæ, si cupiditate pecuniæ, si uoluptatum amore, prius diligenter expurget intima pectoris, ut ad purissimam doctrinam purus accedat. Alioqui qui præteritis ijs, quæ uere faciunt ad pietatem, fumos obijciunt perplexarum questionum, qui loquuntur ad gratiam principum, qui dicunt ad questum, qui doctrinam euangelicam detorquent ad uentris sui negocium, qui uenantur gloriolas humanas, qui grauem sarcinam imponunt humeris aliorum, quam ipsi digitulo nolint attingere, pro diuinis præceptis docent ceremonias & humanas constitutiones, qui pro philosophia euangelica tradunt nouum Iudaismum, denique qui seipsum prædicant uerius quam Christus: horum sapientia non est illa sapientia, quam pater nobis per filium demisit & sublimi, ut nos à terrenis studijs auocatos, in cælum subueheret: sed crassa est atque terrena, & ideo terram sapit: sed animalis est, & ideo magis illa spectat, quæ conducunt ad hanc uitam, quam ad uitam æternam: sed demoniaca est, quia non est ex afflatu spiritus diuini, sed ab instinctu daemonum, qui ea suggerunt, quæ nos alienent ab euangelica sinceritate. Inter mundanæ sapientiæ professores uidetis quanta sit æmulatio, quæ pugna, quæ dissidia, quod uincendi studium, quanta opinionum ac morum inconstantia, & interim omnis uita quam omni uitiorum genere contaminata. At est diuerso nostra sapientia, quæ est supernis proficitur à spiritu Christi, primum casta puraque est, nullis prauis affectibus inquinata. Deinde pacifica, & ab omni studio contentionis abhorrens. Ad hæc modesta minimeque torua, præterea tractabilis ac morigerata neque grauate cedens ei, qui doceat meliora: clemens & misericors erga lapsos & errantes, quos magis studet seruare, quam perdere, leniter tolerans, & nihil non tentans, ut resipiscant: plena fructibus bonis, dum nunquam cessat de omnibus benemereri, impios conuertens ad pietatem, errantes reuocans, indoctos docens, lapsos erigens, cessantes excitans, afflictos consolans. Nec interim quenquam damnat, sanandi quam damnandi studiosior, nihil habens fuci neque simulationis, sed ex animo sincero bene uolens omnibus. Ad hunc modum qui puram tranquillamque serunt doctrinam euangelicam, & sibi metunt fructum uitæ æternæ, & alios ad studium uitæ coelestis adducunt, quos erat contentionibus ac sequitia alienaturi. Habet & mundana sapientia suum fructum, sed aut inanem, aut

Quis sapiens
& disciplinatus
inter uos

Quod si zelus
amarum habetis

Non est enim
ista sapientia

mortiferum. Cæterum fructus iustitię, qui confert & hic innocentiam, & post immortalitatem, non seminatur per cōtentionem, sed in concordia paceq; ijs, qui pacem amplectuntur. Neque enim boni doctoris est, odiose digladiari cum ijs, qui videntur obstinatores, quàm ut obtemperaturi sint euangelicę doctrinę. Hos præstat suę pertinacię relinquere, si spes non est fore ut resipiscant.

CAPVT IIII



Concupiscitis
ut nō habetis

Obis omnibus modis adnitendum est, ut concordibus animis agatis. Atqui id fieri nō potest, nisi cupiditates mundanas, concordię pestem & dissidiorum semina, penitus ex animis uestris exigatis. An negabitis uos esse cupiditatibus huiusmodi obnoxios? Vnde igitur bella, unde pugnæ ac lites inter uos? unde contentionū ac dissidiorū tumultus? Pacem & concordiam uos docuit Christus, & unde dissensio, nisi ex eo, quod magis seruitis libidini cupiditatū humanarū, q̃ charitati euangelicę? Eę nisi militarent, & exercitiū ducerent in membris uestris, neq; lingua proximū laceraret, neq; manus fraudaret fratrem. Adhuc ueteris uitę reliquię deprehenduntur in uobis, nondum exuistis totum hominem ueterem, alius concupiscit gloriam, alius inhiat lucro, hic studet regno, ille uoluptatē uenatur. Ac dum non assequimini quod quisq; uehementer appetit, protruditis cōpetitorem, inuidetis assequuto, decertatis cū eo, qui uidetur assequutus. Animo discruciamini, uarijsq; curarū tumultibus distrahimini, dum quod impense petitis, non potestis adipisci. Ita nec unicuiq; secum pax est, neq; cum alio. Cupiditates tumultuantur in pectore, lingua, manus, cæteraq; membra pugnant ac belligerantur foris cū proximo. Atqui interim neq; satissit cupiditatibus uestris insatiabilibus, & à ueris bonis exciditis. A deo postulandū erat, si quid opus esset, aut si quid ad ueram felicitatem pertineret: à mundo petitis, quod à deo petendū erat, ab hoc aut non petitis, aut si petitis, nō petitis quod oportet, neq; quomodo oportet. Siquidē aut noxia petitis pro salubribus, aut petitis diffidentes, aut in usum impium petitis, nimirū ut quod ex benignitate cōtingisset ad subleuandā uitę necessitatem, aut egestatem proximi refocillandā, id explendis uoluptatibus uestris insumatis. Cū ista faciatis, quo tandem nomine uos cōpellabor? Christianos? Facta uestra reclamant, titulum Christianorū audio, cæterum adulterorum & adulterarū facta uideo. Semel addicti estis sponso Christo, semel in illius uerba iurastis, ille uos redemit à tyrannide uitiorū, ille uos suo sacrosancto sanguine purgauit, ut sibi exhiberet sponsam immaculatā. Et quomodo professionis obliti, obliti beneficij sponsi, obliti fidei coniugalis, in adulterios huius mundi amores relabimini? An nescitis deum zelotypum esse amatorem? totus amari uult, solus amari uult, non patitur mundum riualem, à cuius amore uos tanto precio uindicauit, solus ille sufficit ad omnia præstanda. Quid igitur est quod à mundo petatis partem uestre beatitudinis? An nescitis quod deus odit utroq; genu claudicantes? non tolerat ille seruum non contentū unico domino. Quis est maritus tam patiens, qui ferat inimicū riualem in uxoris cōsortium? Et uos existimatis fieri posse, ut simul & mundo placeatis & deo? An non intelligitis, quod quemadmodū sponsa, si se iunxerit adultero, protinus excidit ab amore mariti, ita Christianus si denuo tentet amicitiam habere cum mundo, protinus suscipit inimicitiam cum deo, cui nihil conuenit cū mundo? Illud igitur habete certum, quicumq; studuerit esse amicus huius mundi, is eadem opera reddit sese inimicum deo. Nihil est commercij luci cum tenebris, nihil deo cum Belial. Sponsus homo non fert sponsam cum adultero colludentē, non patitur diuidi connubiales amores, & tamen duxit dotatam, duxit ingenuam, duxit rebus integris. Christus sponsam suam, quam seruauit ab exitio, quam asseruit à seruitute, quam abluuit à peccatorum sordibus, quam uestiuit nudam, quam tot donis gratuitis abunde dotauit inopem, rursus patietur cum diabolo adultero habere cōmercium? An putatis sine causa scriptum esse in sacris uoluminibus, quod spiritus qui habitat in uobis, cōcupiscit ad inuidiam? In lege Moisaica nō nihil dabatur humanis affectibus, licebat quatenus impune erat, odisse inimicum, fas erat studere parandis opibus, non habebatur iniustus, qui uim ui, qui conuicium conuicio retudisset. Sed spiritus euāgelicus, qui nunc habitat in uobis, zelotypus est, & ut ita loquar, inuidus, plus exigit, uult redamari uehementer usq; ad uxoris, usq; ad liberorū, usque ad uitę contemptum. Non fert domicilium mundanis cupiditatibus inquinatū: pura requirit, requirit cœlestia, resilit, aufugit, offenditur si mundi huius sordes in ipsius tēplum inuexeris. Sed ut exigit à nobis eximium quendam amorem longeque puriorem quàm lex

Mosaica

Amicitia hu/
ius mundi ini/
mica est dei

An putatis
quia inani/
ter dicit scri/
ptura

Mosaica, ita confert uberiorē gratiam. Difficillimū est praeſtare quod exigit, ſed in hoc ipſum largitur vires ut facile poſſimus. Amāti nihil eſt difficile. Hoc ipſum illius donū eſt, ut illum amemus, uel redamemus potius. Attraxit nos charitate ſua prior, auerſos ſibi reconciliauit. Augebit in nobis ſua dona, ſi modo nos illi uacuos ac totos praeſtemus, ſi ab ipſo ſolo pendeamus, ſi nihil habeamus cōmune cum hoc mundo, nihil cū huius mundi princeps diabolo. Cum mundo dico, nihil aliud ſentio quā prauas cupiditates rerū uiſibilium, quibus hic mundus falſam quandam felicitatem pollicetur. Magna ſunt, quae exiguntur ſed maiora ſunt, quae promittuntur. Qui largiri poteſt immenſa, idem & robur addere poteſt: qui ſumma largiri uult immeritis, idē & vires addere dignabitur infirmis. Tātum noſtris & huius mundi praſidijs diffuſi, totam ſpem ac fiduciam noſtrā in illo collocemus. Deſtituit eos, qui ſuis opibus arrogāter fidū: opitulator ijs, qui ſibi nihil tribuūt, ſed fidū bonitati diuināe. Nimirum hoc eſt quod olim per Solomonem dixit dominus: Deus elatis ac ferocibus reſiſtit, ſed humilibus & abiectis impartit ſuum fauorē. Deus uult uos ſibi quā cōiunctiſſimos eſſe, prebete uos illi morigeros, quēadmodū ſponſa obtēperat marito. Quod ſi uos diabolus conatur ab huius amore ſeiungere, repellite adulterum cum ſuis praſtigijs, & deſinet eſſe moleſtus. Metuet uos, ſi uiderit in amore ſponſi firmos & cōſtantes. Ab hoc igitur ſeiungite uos, ſiue terreat, ſiue blandiatur, & pijs ſtudijs, ſanctis, caſtisq; uotis applicate uos deo, & ille uiciſſim applicabit ſe uobis. Quocunq; uergunt animi cupiditates, eō tenditis. Si affectus rapiunt ad honeſta, ad cōleſtia, ad deū acceditis: ſin ad illecebras carnis, ad diabolū properatis. Eodem perpetuo properandum eſt, non oportet nunc huc, nunc illuc uacillare. Si Chriſtum ſpōſum agnoſcitis, puri ſitis oportet. Proinde qui adhuc eſtis peccatorū coeno obliſi, emundate manus ueſtras, abſtinentes ab omni genere malefactorum: purificate corda ueſtra, ne quid illic reſideat impiarum cupiditatum: qui nunc eſtis animo duplici, partim amantes quae ſunt dei, partim quae ſunt mundi, totum peccus uni Chriſto dedicate. Cur hic felicitatem quaeritis, quae promiſſa eſt in cōleſtibus? Cur inanibus huius ſaeculi uoluptatibus delinīti, negligitis aeterna gaudia? Si uultis uere felices eſſe, hic ſitis afflicti: ſi uultis aeternum gaudere, hic plorate: ſi ſine fine laetari, hic flete. Stultus iſte & pernicioſus riſus uertatur in lacrum ſalutarem: exitiale gaudium, commutetur in ſalutiferum mœrorem. Inanis iſta celſitudo conuertatur in humilitatem. Nemo ſemet erigat in altum, quin potius deſcendat uos ipſos in cōſpectu dei, ipſe ſic deiectos eriget, ac uere ſublimes reddet. Quanto minus ipſi uobis arrogabitis, tātō maiora largietur ille. Arrogantia comitem habet liuorem, ex liuore naſcitur detractio. Sceleratiſſimum autē ſuperbie genus, fratris famae detrachere, quo tu uidearis honeſtior: perinde quaſi quis alienam faciem luto conſpergat, quo ipſe uideatur formoſior: alienā ueſtem ſordibus contamine, quo ipſe uideatur cultior. Quid autē turpius, quā ut frater fratri detrahat, inter quos oportet omnia eſſe communia: an non ſecus quā ſi dextra manus ſiniſtram mutilet, quaſi futura felicio, ſi peius habeat ſocium membrum? Et tamen qui uitant adulterium, qui furum, qui periurium, detractiōnem non horrent, quaſi leue ſit crimen, cum hoc ſit pernicioſius, quo ſe magis tegit ſpecie religionis. Nam qui in aliena uitia debacchatur, primum uidetur ab his uitijs abhorre, quae in alijs deſectatur: deinde ſimulat ſe non liuore, non odio cōmoueri, ſed ſtudio probitatis. Et habet hoc uenenū ſuam etiam blanditiem. Mutua detractio facit, ut de utriſq; peius ſentiāt ceteri, nec aliud uenenū praſentius Chriſtianae concordiae. Iam qui obtreſcat fratri, quiue cōdēnat proximū, non ſolum facit iniuriam ei cui detrachit, uerū etiam legi cui detrachere, quāq; condemnare uidetur. Si frater eſt innocens, ſi non eſt lege uetitū, quod ille facit, qua fronte tu dānas, quod non dānat lex euangelica? ſin peccat, cur eū obtreſcatrice lingua traducis, quē oportebat lege puniri? Lex euangelica uetat, ne quos uiciſſim iudicemus, ne uiciſſim condemnemus, & ſub legis praetextu noſtris affectibus indulgeamus. Habebitis qui peccat ſuum iudicē, cur tu huius partes occupas ante tempus? Non enim das operam ut corrigatur, ſed ut traducatur. Itaq; quiſquis obtreſcat proximo, is aut legem cōdēnat, quod non corrigat turpia, aut detrachit, uelut nimium dilutae lentaeq; cuius officium occupat detractor. Habet mundus hic publicas leges coercendis ſcleribus. At Chriſtiana manuſuetudinis eſt, ſtudere corrigendis omnibus magis quā iudicandis. Vnus eſt legis conditor, qui poteſt & ſeruare & perdere. An hunc putas latere quid quiſq; peccet? Tolerat ille fortaſſe peccantem, ut aliquando reſipi

Subditi ergo eſtote

Miſeri eſtote

Nolite detrachere alterutrum fratres mei

*Ecce nunc
qui dicitis*

scat, tolerat ut suo tēpore grauius puniat. Cur tu quilibet ē plebe uindicas tibi iudicis partes? Cur ante tempus pronuncias? Monere fraternum est, rogare charitatis, increpare beneuolentis est, sed obtreclare pestilens, iudicare superbū. Si legi obtēperas, cur legis uices arroganter occupas? Si legi praxis, non es obseruator legis, sed iudex. Qui legi pregit, pregit deo legis auctori. Is non sinet quicquam inultum, & nouit quid quatenus sit puniendum, qui solus nulli crimini est obnoxius. Tu quis es qui iudicas alterū? Condēnas fratrē ipse grauioribus commissis obnoxius. Etenim tendis perdere, quem seruare non possis. Postremo in seruum alienum ius tibi uindicas, haud citra contumeliam domini cōmunis. Relinque illum suo domino, qui solus iuste iudicat. Tu tibi iustum esse persuades, quod tibi dictauerit ambitio, quod odium, quod ira, quod liuor, ac frequēter offenderis festuca in oculo fratris, cum trabem habeas in tuo. Nemo uirulentius detrahit alienae famae, quam qui lōgissime abest à uera laude. Nemo leuius fert alienam imbecillitatē, quam qui plurimum in uerae pietatis studio profecerit. Iam qui tanto studio moluntur ea, quae sunt mundi, neglectis bonis cōlestibus, uel ipsa uitae huius incertitudine breuitateq; debebāt admoneri, dementiam esse in his bonis collocare felicitatem, quae ut contingant, tamen aliquoties arbitrio fortunae subito auferuntur, aut si illa nō auferit fortuna possessori, mors ipsū possessorē rem eripit bonis. Hoc ita esse quum quotidianis discant exemplis, tamen uelut horum omnium obliti, somniāt longauitatem, & quasi semper uicturi, in plurimos annos sibi congerunt opes unde uiuant, quum hoc ipsum sit incertissimum, quamdiu uicturi sint, certissimum autem sit, nō diu uicturos, ac non potius uaticum sibi parant in eam uitā, quae nunc quam est habitura fihem. Agite stulti, quanam igitur fronte dicitis, hodie aut cras proficiscemur in hanc aut illam ciuitatem, peracturi illic annū unum, faciuriq; lucrum amplum, quod sufficiat in multos annos, quum incerti sitis quid futurum sit die postero? Vitā per se breuissimam tot casus, tot morbi reddunt etiam incertissimam, & uos ueluti pacti cum morte, per maria uolatis ac terras, quo uaticum paretis senectuti, fortassis nunquam uenturae, quum nemo sibi crastinum queat polliceri. Quid ita uitae huic fiditis, quasi rei firmae stabilitiq; Quae tādē est ista uita uestra, cui uni prospicitis, cui uni laboratis ac molimini? Nimirum uapor est ad breue tempus apparens, ac mox euanescens. Absit igitur istiusmodi oratio ab ore Christianorum: Ibimus, peragemus annū, mercabimur, lucrum faciemus, quasi uobis in manu sit euētus futuri. Vos in diem potius uiuite, à dei pendentes arbitrio, dicentes: Si dominus uoluerit, & si nobis uitam superesse uolet, hoc aut illud faciemus. Leuiter curanda, quae faciunt ad breuē iuxta & incertā corporis uitam, sed omnis sollicitudo conferenda est ad eas res, quae faciunt ad uitam immortalem. Et tamen quum haec uita nihil habeat quo possitis tuto fidere, cū tot casibus, tot morbis sit exposita, cum tot erumnis sit obnoxia, cum tam sit euanida tamq; fugax, tamen perinde quasi sitis immortales sic erigitis animos, & iuuetutis opumq; fiducia turgetis. Diuini praesidij fiducia fortes & animosos esse, rectum est: cōlestiū bonorū expectatione alacres esse, pium est: sed omnis ista exultatio qua uobis placetis de bonis, primū falsis, deinde mox auferendis, nō solū impia est, uerum etiam stulta. Fortasse tolerabilius sit hoc in his, quibus persuasum est à maioribus, à rogo nihil hominis superesse, & excusati tam auide fruuntur hac uita, qui non expectant aliam. Vos euangelica philosophia docuit hanc uitam esse negligendam, omnique studio properandum ad uitam illam cōlestem, quae non opibus sed pijs factis paratur. Porro grauius peccat, qui cum ex euangelica doctrina sciat quid sit agendum, tamen corruptus malis affectibus sequatur eadem, quae sequuntur ij, qui Christum ignorant.

CAPVT V



Agite nunc diuites, qui felicitatem uitaeq; delicias, quas aeternas oportebat expectare in coelis, hic in terris occupatis praepropere, ponite cantus, omittite uoluptates, & insana gaudia. Si mentem habetis, plorate & ululate, reputantes aeternas illas calamitates, quae mox imminēt uobis. Fingite ita aduenisse tēpus, quod prope diem est uenturū, cum ablatis ijs opibus, quibus nunc stultissime fiditis, sero sapietis, agnoscentes praecclaras illas possessiones iam non esse uobis praesidio, sed pro fucata felicitate adesse ueram & eternam calamitatem. Vbi nunc sunt opes, per fas nefasque congestae? Diuitiae uestrae putrefactae sunt, uestimenta uestra sineis obnoxia facta sunt. Aurum & argentū uestrum aetruine uisum est apud parum & sordidum

*Scienti igitur
bonū facere*

& sordidū hæredem. Eaꝓ ærugo testabitur uestram impietateꝝ, qui malueritis situ perire, quā in usus egentium expromere. Harum rerum impendio poteratis emere uitā æternam. Nunc defossi æris ærugo exedet intima animarū uestrarum, nō secus atꝓ ignis. Sed ro frustraꝓ macerabit uos male seruataꝝ pecuniæ pœnitudo. Duplicabit infelicitatem uestram, quod male parta male seruastis. Pro misericordia dei, quā licebat opum iactura merari, collegistis uobis iram & ultionē diuinam. Non solum non fuistis benigni in fratrem egētem, sed tenuem debita quoꝓ mercede fraudastis. Ecce fraudatus sua mercede messor qui sudans demessuit segetes uestras, clamat ad deum, & uindictā flagitat, & ita clamitat, ut uox illorum penetret in aures domini sabaoth, qui uobis etiam est formidandus. Non poterant illi ulcisci potentiores, non audiebantur ab homine iudice, qui ferē fauet opulentioribus, obticescebant illi, sed ipsa impietas uociferatur apud iudicem deum, qui nec metuuit opulentos, & oppressi pauperis iniuriā ad se pertinere putat. At uos nihil interim com mouebat pauperum esurientium & sitiētium calamitas. Alienus sudor uos alebat. Aliena fames ac sitis uos saginabat. Illi ringebantur, illi algebant, illi fame sitiꝓq; enecabātur. Vos interim suauiter & in delicijs uitam transigebatis in terra, lasciuiiebatis, & omni uoluptatum genere pascebatis animos uestros, agitantēs quotidiana conuiuia, non minus splendida, quā alij solent festo die maciata uictima. Neꝓ contenti fraudasse pauperē, cōdemnastis & occidistis innocentē non reluctantem. Putastis hoc uobis impunitū fore semper, quod apud homines impune licebat. Homicidij genus est tennes suo fraudare uictiu. Nec ea tamen crudelitas sufficiebat immanitati uestre. Sitiiebatis illorum sanguinem, & innocentum supplicijs pascebatis animos uestros. Nunc rebus in diuersum uersis illi fruuntur æternis uoluptatibus, uos breues & insanas delitias æternis cruciatibus luitis. Proinde fratres ne despondeatis animū, ne uos pœniteat sortis uestre, ne diuitibus, quibus hic res uidentur ex sententia succedere, inuideatis: ne quam moliamini uindictā in illos, sed toleretis usꝓ ad aduentum domini. Nunc sementis tempus est, tunc metendi tempus erit. Non dum apparent præmia pietatis uestre, sed tamen in tuto sunt suo tempore reddenda. Ecce qui terram colit, quantū laboris sumit suo interim impendio, nimirum expectās futurum ut terra suo tēpore multo cū fœnore reddat quod accepit. Et tamen terræ prouentus non usꝓque uaq; certus est. Nī cœlum faueat, pluuia tēpestiua, quæ solū proscissum humectet, & serotina quæ grandescētē segetē ab æstu tueatur, luserit operā agricola. Atqui quū hic bona spe fructus tēporarij diuturnos toleret labores, neꝓ postulet, ut protinus appareat quod seminauit: quanto magis equū est, uos ob immortalitatis fructū, huius uitæ incōmoda patienter ferre, præsertim cū uestra merces in tuto sit, modo uos interim bonam fementem feceritis. Et uos igitur ad exemplū agricolæ, bona certaꝓ spe confirmate & obdurate animos uestros, neꝓ uindictæ cupidi, neꝓ in pijs operibus lassescētes. Aderit dominus, & impios ulturus, & uos pro tēporarijs afflictionibus immortalitate donaturus. Nec procul abest ille dies, ueniet citius expectatione. Proinde fratres mei, ne quis uideatur infelicioꝝ, quod pluribus malis affligitur, neue quis inuideat ei, qui mitius habet. Nec em̄ ille qui grauiora patitur à deo destitutus est, sed exerceat ad maiora præmia: ne hic ideo deo charior est, quod rebus utatur tranquillioribus, sed esse uult aliquos, quorum pietas subleuet aliorum calamitates. Ne sit igitur inter uos impius ille gemitus, index liuoris ac diffidentiaꝝ, ut ne condemnemini: nam huiusmodi gemitus animi præludia sunt uergentis ad desperationem: consoletur uos ipsa temporis breuitas. Ecce iudex ad fores adstistit, in promptu sunt præmia sua cuiꝓ pro meritis actæ uitæ. Interim sanctorum patrum exemplis succite animos uestros: si uobis solis ista contigissent, erat fortasse quod admiraremini. Grauiora passi sunt prophetaꝝ, qui promebant impijs oracula dei. Vt tum non ferebant impij diuites uaticinia prophetarum, ita nunc non ferunt doctrinam euangelicam, uidelicet ad uersam et pugnantē ipsorum studijs. Nemo tamen illorum sortem deplorat, nemo iudicat infelices, quod carceres & cōpedes perpassi sint, quod uarijs cruciatibus enecti: sed felices ducimus, deoꝓ charos, quod ob iustitiam occisi sint. Audistis nobile patientiæ exemplum Iob. Quantum malorum ille pertulit, impetēte satana. Spectastis certamen, sed spectastis & uincētē præsidio domini, cuius bonitate pro singulis malitiis satanæ ereptis recepit dupla. Nō destituerat dominus athletam suum, sed obiectis tot malis, testatam ac spectatam esse uoluit illius patientiam: sed misericors dominus, ac natura propensus ad clementiam,

Theaurisastis uobis irā

Patientes igitur estote usꝓ ad aduentum domini

Nolite ingemiscere fratres

Ante omnia
autē fratres

alienam maliciam nobis uertit in cumulum lucrumq; felicitatis. Sit animus uester purus ac simplex, & animo respōdeat oratio. Nemo fucatis uerbis imponat proximo, sed in primis fratres mei nolite iurare, ne paulatim assuescatis peierare. Inter Iudæos & Ethnicos fidei causa interponitur iusiurandū. Inter Christianos, qui nec diffidere debent cuiquam, neq; uelle fallere, superuacaneum est iusiurandum. Affinis est autem peierandi periculo, quisquis assuescit iurare. Neq; solum religiosum uobis iurare per deum in negocijs humanis & leuiculis, uerum etiam ab omni genere iusiurandi tēperate, ut neq; per cœlum, neq; per terram iuretis, aut aliud quodcūq; quod uulgo sanctum ac religiosum habetur. Quisquis audebit mentiri iniuratus, idē & iuratus audebit si libeat. Porro qui bonus est fides etiam iniurato, qui malus, diffidet etiam iurato. Inter uos autem euangelica simplicitate præditos, nec diffidentiae locus est, nec fallendi studio. Sed sermo uester simplex, non minus habeatur uerax ac firmus, quam quodcūq; quamlibet sanctum Iudæorum, aut paganorum iusiurandum. Quoties confirmatis aliquid, ex animo confirmate, & re præstate quod dicitis. Quoties negatis aliquid, ex animo negate, nec aliud sit in pectore, quam sonat in ore, ne sit in uobis simulatio, quum sitis ueritatis discipuli. Quod si quis afflictus est inter uos, ne confugiat ad huius mundi remedia, ad anulos, ad incantamenta, ad balnea, reliquaq; lenimenta mœroris, sed ad preces uersus erigat animum in deum cum summa fiducia, & experietur præsentaneum mœstitiæ leuamen. Rursum si quis est æquo animo in rebus prosperis, ne semet efferat insolenter aut inepte gestiat, sed sanctis hymnis celebret autoris dei benignitatem. Iam si quem affligit aduersa uoletudo, ne confugiat ad magica remedia, ne uim immensam pecuniæ consumat in medicos, quorum curatio frequenter est eiusmodi, ut præstet æquo animo e uita decedere, sed accersat ad se seniores Christianæ congregationis. Hi suis pro ægroto precibus ad deum, ungant eum oleo, non adhibitis precaminibus magicis, quemadmodum ethnici solent, sed inuocato nomine domini nostri Iesu Christi, quo nullum est incantamenti genus efficacius. Adsit autem precibus fiducia, & audiet deus seruabitq; laborantem. Neq; solum restituetur ei sanitas corporis, siquidem expediat ægroto: uerum si forte fuerit peccatis obnoxius, ut plerūq; morbi corporis ex animi malis oriuntur, remittentur ei ad seniorū preces, si modo fides cōmendet et hos qui precantur, & illum pro quo deprecantur. Et quoniam uita humana non constat sine leuib; & quotidianis offensis, conueniet uti quotidiano remedio, ut uos uicissim mutuis precibus subleuetis suum quisq; delictum agnoscentes. Ita demum ualebit remedium, si morbum agnoscas, & opem implores. Superstitiosi putant occultam inesse uim incantamentis & precaminibus suis, sed re uera plurimū ualet hominis iusti deprecatio, quæ per fidem nihil non impetrat à deo. Hac lege nobiscum pactus est Christus, ut quicquid ipsius nomine petierimus cum fiducia, impetremus, nisi tale sit, ut expediat non impetrari. Quæritis huius rei documentum? Helias homo purus erat, mortalis erat, quemadmodum & nos, & tamen ad huius preces non pluit super terram annos tres, & menses sex. Rursum orauit, ut plueret, & mox cœlum uelut auditis precibus dedit pluuiam, terraq; produxit fructum suum. Si precibus unius p̄ij uiri cœlum obtemperat, uelut incantatū, mirum est, si deus ad ignoscendum facillimus placatur precibus multorum. Iam illud perpendite fratres, si pium est, si Christianæ charitatis est, cōmunibus precibus subleuare morbum corporis alieni, quanto magis par est, ut animi morbo laborantibus subueniamus. Neq; enim magnum est hoc impetrare precibus, ut huic aut illi mors aliquanto serius accadat, omnino tamen aliquando uentura, sed magnum est uita esse mortem animi. Itaq; si quis extiterit inter uos, qui aberrat ab euāgelica ueritate, siue nimīū adhuc adhærens legi Mosaicæ, siue paganissimi à maioribus traditi pertinax cultor, ne quis hūc existimet cōuicijs exagitantū, sed huc potius oportet omnibus studijs adniti, ut cōuersus resipiscat ab errore suo. Quisquis enim hoc fecerit, magno sacrificio demerebitur deum, qui non optat mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Rem enim magnam præstat, qui seruat animam à morte, fratrem liberans à peccatis, per quæ morti tenebatur obnoxius. Nec interim is carebit suo præmio, siquidem Christus uicissim huic peccata condonabit etiam quamlibet multa, qui fratrem ab exitio reuocarit.

Tristatur
autē aliquis
uestrum

R. D. D. MATTHAEO CARDINALI SEDVNENSI, COM.
Valeſij, Des. Erasmus Roterodamus. S. D.



Vper Iacobum dedimus & Latine loquentem, & explanatius, nūc Ioannem damus, ut & nos paulatim carpamus operis parteis, nec tuam celsitudinē negotijs imperialibus occupatissimam obruamus, si quod tamen datur tempus uacuum hisce nostris lucubrationibus cognoscendis. Bene uale uir eximie.

Louanij VIII. Id. Ianuarias.

IN EPIST. IOANNIS PRIMAM ARGVMENTVM,
per Des. Erasmus Roterodamum.



HANC Epistolam esse Ioannis apostoli, qui scripsit euangelium, uel ipse sermonis character arguit. Multus est in mentione lucis ac tenebrarū, uitae ac mortis, odij & charitatis, in iterandis uerbis, uelut exceptis ex sermone proximo. Quod genus est illud (ut exemplo quod dicimus fiat dilucidius) Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo, quoniam omne quod in mundo est, &c. Ac mox. Non est ex patre, sed ex mundo est; & mundus transit. Quoties hic iteratur mundus: Postremo est in toto huius sermone quiddam minus astrictū, ac fusius quā in sermone reliquorū apostolorum. Est aut dilucidior epistola quā ut egeat argumento, quemadmodum & duae sequentes, quae Ioanni cuidam presbytero non apostolo tribuuntur.

IN EPISTOLAM IOANNIS PRIMAM

PARAPHRASIS PER DES. ERASMV M ROT.



NEQUE de rebus mediocribus, neque de leuibus aut incōpertis uobis scribimus fratres charissimi, sed de re noua: uerū ita noua nobis, ut apud deū fuerit ab aeterno. Is est sermo dei, Iesus Christus idē deus & homo: qui cum nunquā non fuerit dei filius, nuper uoluit esse uirginis filius: & qui iuxta diuinam naturam erat humanis oculis inuisibilis, dignatus est humanum corpus assumere: dignatus est inter homines uersari familiariter, ut nos ab ignorantiae nostrae tenebris subueheret ad lucem euangelicae cognitionis, & quem coram oculis corporeis cōspeximus, inciperemus & mentis oculis intueri. Postulabat quidem humani cordis incredulitas, ut crassis experimentis fides astrueretur ueritati: sed tamen illorum pietas ipsius uoce praelata est, qui cum nec oculis uidissent Christum, nec manibus contrectassent, tamen certissima persuasionē crediderunt eum esse dei filium, & unicum humanae salutis autorem. Nostrum est igitur quod sensibus corporis compertissimum habemus narrare ijs, quibus uidere non contigit: & tamen expedit credere, quod nulli sit speranda uita, neque salus aeterna, nisi qui credat euangelicae doctrinae, cuius nos & testes sumus & praecones. Non est humanus sermo, neque leuis momenti, sed diuinus est & coelestis, uitam aeternam cōferens ijs, qui praebuerint aures morigeras, ac liberans à morte peccatorum, à quacunque religione, à quocunque uitae genere sese huc cōuerterint. De hoc quod referimus, optima fide referimus, nimirū quod assidui sectatores nostris auribus audiuius, oculis nostris uidimus, nec uidimus tamen procul, aut in trāsitu, sed coram ad plenū perspeximus. Ad faciendā fidem hi duo sensus principes sunt, atque si id quoque parū est, non solum audiuius docentē, precantē, imperantē uentis ac daemonibus, patrem non semel attestantē filio, non solum uidimus aedentē miracula, morientem ac resurgentē: uerum etiā hisce manibus cōtrectauimus. Si quidem rediuius à morte, quo plenam faceret fidem se non esse spectrum inane, sed eundem hominem uiuum, quem prius uideramus mortuū, praebuit se nostris manibus contrectandum, & ad motus digitis nostris, ostendit uulnerū cicatrices. Mortuū erat mortalium genus, nimirū uitae ac peccatis obnoxium: ille pro nostris sceleribus dependit mortē, ut illius beneficio iam uiuamus innocentiae. Diffidebamus & nos, cū mortuū, cum sepultū cerneremus, sed ille

De uerbo
uite

Vidimus &
perspeximus

xx 4 reuiuiscens

Et uita mani/
festata est reuiuiscens spem certam uitæ nobis attulit. Nulla erat mortalibus æternæ uitæ spes, nisi ille se nostris oculis ingessisset, nisi certissimis experimētis omnem dubitationem nobis ademisset. Homo pœnas luit pro nostris peccatis, sed idem deus largitur immortalitatem ipsi fidentibus. Semper ille uiuebat apud patrem, semper hæc uita nobis erat per filium decreta, sed nondum erat hoc consilium orbī proditum, licet ex prophetarum oraculis id ueluti per somnium expectabat natio Iudæorū, sed sola. Interim regnabat mors, uita latebat. Alij spem suam fixerant in Mose, alij in mundana sapientia, sed salus ac uita omnium gentium erat Iesus Christus, sermo dei patris, magister innocentiae & immortalitatis largitor. Neq; enim uiuit, nisi qui pie uiuit, neq; uero mortē effugit, nisi qui consequitur immortalitatem. Is se tandem per seipsum patefecit orbī, omnibus sensibus humanis semet exhibens, atque ita insinuans se in animos hominum. Nos autem ideo uoluit esse spectatores ac testes omnium, quæ gessit in terris, ut nostro præconio cum fide diuulgarentur per uniuersum orbem terrarum: ut quemadmodum nos per Iesum sumus assequuti uitam ac salutem, si modo perseuerauerimus in doctrina euangelica, ita & uos nobiscum ueniat in societatem & consortium huius salutis, si quod ab ipso non audistis neq; uidistis, nostra prædicatione discitis, nostro testimonio creditis. Non sumus neque uani testes, neq; ultronei. Mandauit ille, ut fidi testes essemus, & testificamur apud omnes magno capitis nostri discrimine, nec aliud, quàm quod omnibus corporis sensibus habemus compertissimum. Nos felices, quibus aures & oculi fidem fecerunt, sed uos nihilo minus felices, si testibus illius fidem habueritis. Nostra fides conglutinauit nos Christo, reddiditq; filios dei ac membra Christi: uestra quoque fides inseret uos eidem corpori, ut nobis societate fidei coniuncti, constituatis unum corpus. Itaq; fiet, ut non solum unanimes simus inter nos, uelut unius corporis membra, uerum etiā pacem ac fœdus habeamus cum Iesu Christo, & per hunc cum patre illius deo, à quo prius dissidebamus: ut quemadmodum filio cum patre summus est cōsensus, & omnium rerum communio, ita & nos per consensum euangelicæ professionis coagmentemur in unum corpus Christi, participes futuri bonorum omnium capitis nostri. Scio uos gaudere de tam felici contubernio, sed hæc scripto refrico uobis, quo plenius etiā gaudeatis, si non sibi quisq; tantum de sua salute gratuletur, sed omniū felicitas singulos afficiat uoluptate. Facit enim hoc Christiana charitas, ut quisq; de bonis alienis nō secus gaudeat, ac de suis. Quo pluribus erit cōmunis hæc felicitas, hoc erit uberius singulorū gaudiū. Inter nos non cōstabit unanimitas, nisi adsit glutinū mutuæ charitatis. Cum deo pacem habere non possumus, nisi capiti nostro Iesu Christo respondeamus: quicquid habet ille, patri fert acceptum, nos quicquid habemus Christo feramus acceptum oportet. Christus lux est uera à patre lucis omnis proficiens. Nos esse Christi membra non possumus, nisi lucidi simus: nec lucē habere possumus, nisi in illum transformemur, & in illius consortio iugiter perseueremus. Veritas & innocentia lux est animi, peccata prauaq; cupiditates tenebræ sunt: ubi lux est, ibi uita est, ubi tenebræ sunt, ibi mors est. Quid igitur est quod uobis annunciamus, quo plenius gaudeatis: nimirum hoc est, quod ab ipso etiam audiuius, & auditum uobis cōmunicamus: quod deus, quia totus ac sua natura bonus est, totus sapiēs, totus purus, totus etiā lux est, & uita, neq; quicquā est in illo tenebrarum. In nobis non itidem est, sed ex nobis ipsis multum habemus caliginis: si quid habemus lucis, hoc totum illi debemus cuius gratuita benignitate liberati sumus à pristinis peccatis, liberati ab ignorantiae prioris tenebris, per euangelicam doctrinam didicimus pie uiuere ad Christi capitis exemplum. Si quis gloriatur, se per baptismum insitum esse corpori Christi, & per hoc societatem habere cum deo patre: cum interim uersetur adhuc in erroribus ac uitijis uitæ pristinae, planè mentitur. Etenim cum (ut dixi) deus absit ab omni consortio tenebrarum, qui potest cum hoc ullum habere commercium, qui totus adhuc uersetur in errore, uitijisq; pristinis: Errat enim tota uia, qui se putat innocentiam assequi posse, nisi per Christum: errat rursus, qui satis esse putat baptismum esse, nisi per innocentiam uitæ professioni suæ respondeat: errat qui hoc sentit, mentitur qui dicit. Christus autem ueritas est, cui nihil commune cum mendacibus. Primus ad lucem gradus est, agnoscere suas tenebras, primus ad innocentiam profectus, agnoscere sua peccata. Vultis igitur audire, quo argumento cognoscere possimus nobis esse uerum

esse uerum cum deo confortium: nimirum hoc, si quemadmodum ille lux est, omnis caliginis expers, ita nos ad exemplum illius ab omnium errorum, ac uitiorum tenebris abstinebimus, ad lucem euangelicam uitam omnem attemperantes: & si quemadmodum filius summam habet cōcordiam cum patre, ita & nos innocenter uiuentes unanimes simus inter nos. Non imputabit nobis pater ueteris uitæ cōmissa, quæ semel abolita sunt uniuersa precioso sanguine filij ipsius Iesu Christi, si modo nos in reliquæ ab omni peccato temperemus, quod quidē in nobis est. Omnes sordes abluat sanguis Christi, & ab omnibus abluat: sed nō abluat, nisi agnoscentes sua mala. Quod si negauerimus nos obnoxios esse peccato, nos ipsos fallimus, in errore uersamur, in tenebris agimus: & Christus qui lux est, qui ueritas est, in nobis non est. Etenim si uere in nobis esset, discerneret hanc arrogantis ignorantie caliginem. Quod si post acceptum baptismū continget, in aliquam culpam ex infirmitate humana relabi, lucemq; nostrā ceu nebula quæpiam obscurarit: cauendum est, ne nos arrogantia longius ac longius semotos à luce reducat ad pristinas tenebras. Sed adnitendum, ut per modestiam admoueamur luci, caliginem omnem dispulsuræ. Si quid obiter deliquerit frater in fratrem, alter alteri condonet offensam, ut deus uicissim condonet illis, quæ in ipsum admittuntur. Siquidem hac lege deus pollicitus est nobis se remissurum, quicquid in illum deliquimus, si fraterni delicti gratiam faciamus, ad extremum usq; quadrantē debitum exigēs ab eo, qui domini clementiam expertus, se parum clementem præbuerat in conseruū, uidelicet eum indignum iudicans diuina misericordia, cum is semel gratis uniuersa cōmissa condonarit, qui leuem offensam cōdonare recuset ei, in quē ipse quotidie uel peccet, uel peccare possit. Facile ignoscet delinquenti, qui repetet quam multis modis ipse delinquat & in deum, & in proximum. Atq; ut difficillimum est homini præstare, ne quid peccet, ita facillimum est mederi delictis huiusmodi mutua condonatione. Ignosce tu proximo, & proximus uicissim ignoscet tibi, & utriq; uelut ex pacto ignoscet deus. De his loquor erratis, quæ & inter bonos incidunt, sed homines tamen, quæq; lucem euangelicæ ueritatis offuscant magis, quàm extinguunt. Nam deus auertat, ut homicidium, aut adulterium, aut sacrilegium incidat in uitam eorum, qui semel cooptati sunt inter filios dei. Nihil autem magis inuitat dei misericordiam, & mitigat iram, quàm si quis apud deum agnoscat peccatum suum. Si ferox etiam homo condonat agnoscenti delictum, quāto magis id faciet deus, quouis homine clementior: Natura propensus est ad misericordiam, & hac conditione nobis pollicitus est ueniam: Remittite, & remittetur uobis. Si non ignosceret, quia bonus est: ignosceret, quia iustus est, ac bonæ fidei. Tu modo præsta conditionem præscriptā, ille non obliuiscetur pacti. Si nos ex animo condonauerimus proximo, qui nos offendit, deus uicissim nobis condonabit, non solum unam aut alteram noxiā sed omnia peccata: modo pro uiribus adnitamur, ut aliquando simus immunes ab omnibus uitijis. Id si nos ad plenum non poterimus assequi ob humani corporis fragilitatem, ipse tamen de sua benignitate supplebit, quod deest nostris uiribus, ac repurgabit nos ab omnibus cōmissis nostris, qui fortassis ob hoc ipsum patitur in nobis residere nonnulla uestigia pristinae uitæ, ut agnoscamus imbecillitatē nostram. Siquidem plus illi placet peccator sibi displicens, quàm iustus sibi placens. Vult ille salutem hominum suæ misericordie ferri acceptam, non meritis nostris. Iamq; testatus est neminem esse mortaliū in terris, qui non alicubi labatur. Quod si nos negauerimus in nobis esse peccatū, deum mendacem facimus, qui mentiri non potest, eiq; contradicimus, cui quisquis contradicit, mentiatur oportet.

*si cōfiteamur
peccata nostra.*

*Fidelis est
iustus*

CAPVT II

HAE C scribo filioli mei, nō ut paratæ clementie fiducia peccetur licentius, sed ne quis omnino peccet, quantū in nobis est. Postea quā Christus semel nobis omnia commissa condonauit, huc oportet omnibus studiis eniti, ut innocentiam seruemus illibatam. Et tamen si fors euenerit, ut relabamur in aliquod peccatum, non est quod desperemus de uenia. Deum habemus exorabilem, & apud hūc habemus patronum amantem ac fidum, qui nihil non impetrat à patre filius, ac nobis ex animo beneuult, qui semetipsum impendit seruandis nobis, modo nobis ipsi penitus atq; ex imis præcordijs displicuerimus, & rursus ad meliora nitamur. Solus ille nō habet qd ipsi cōdonetur, & interpellat pro peccatis membrorum

*Et hoc scimus
quia cognoui-
mus eum*

*Qui autem ser-
uat uerbum*

*Charissimi non
mandatum no-
uum scribo*

brorum suorum, ac patrem offensum nobis reconciliat, propitiumque reddit: neque nobis solum, qui iam illius doctrinam sumus amplexi, sed uniuerso mortalium generi: si modo pectore sincero sese peccatores esse fateantur, & innocentis uitae propositum suscipiant, susceptum urgeant, ac mordicus retineant. Non enim ideo nos liberat baptismus ab obseruatione Mosaicae legis, ut in posterum impune peccemus, sed ut tenacius adhaereamus euangelicae charitati, quae plus impetrat a uolentibus, quam extorquet tot Mosi leges ab inuitis. Multa compendio praecepit, qui praecepit charitatem erga proximos, qualem ipse praestitit nobis. Non adigit ad se redamandum, sed inuitat, sed prouocat, sed inflamat. Quisquis uere deum nouit, non potest illum non uehementer amare. Nec enim quisquis deum ore profitetur, deum nouit: sed qui charitatis euangelicae flamma succensus, uolens ac lubens praestat, quod ille prior praestitit, ut & inimicis beneficiamus, ut pro salute proximi, non dubitemus uitae subire discrimen, is se declarat nosse deum. Quod si quis iacet se nosse deum ob hoc, quod catechumenus didicerit mysteria fidei, quod baptizatus illius nomen professus sit, nec interim imitatur illius charitatem: is mendax est, nec adhuc deum plene didicit, qui non cognoscitur, nisi fidem imbuet charitas. Quisquis autem mentitur, in hoc non inhabitat Christus, qui est ipsa ueritas: & quisquis hunc non habet in se manentem, non est uiuum membrum corporis eius. Fides absque charitate res est inanis ac mortua. Porro charitas ociosa non est, nihil omittit eorum, quae nouit esse grata ei, quem amat. Christus negauit se agniturum discipulum, qui sublata cruce se non sequeretur, perfectae charitatis uestigijs ingredientem. Huius igitur sermonem qui seruat, is ipsa re declarat se tenere perfectam, uereque euangelicam charitatem. Hoc experimento cognoscemus quod in illius corpore sumus, quod illius spiritum hausimus. Quid tu te iactas, ut Christi membrum, quod per baptismum receptus es in gregem Christianorum: Non est ociosa, non est delicata professio. Non professio facit uerum Christi membrum, sed imitatio. Qui profitetur ore se renatum in Christo, debet illius uestigijs ingredi. Non uixit ille sibi, non sibi mortuus est: totum se nobis impendit, in omnes beneficis fuit, nulli regessit conuiuium, sed in cruce fixus, pro ijs qui probra congeriebant in ipsum, patrem deprecatus est. Haec est euangelica perfectaque charitas, quam facis oportet amulari, qui se profitentur Christi discipulos. Charissimi non est nouum hoc praeceptum de charitate, quod scribo uobis, sed iam olim hoc prodidit & lex Mosaica, uel per hanc potius Christus, qui suum praeceptum renouauit in euangelio, & sic renouauit, ut illud peculiariter suum faceret. Hoc, inquit, est praeceptum meum, ut diligatis inuicem sicut dilexi uos. Neque nouum est igitur neque meum praeceptum, quod nunc trado uobis, neque uobis hactenus inauditum: sed hoc ipsum est, quod uobis in ipso statim initio tradidimus ex autoritate Christi. Sed idem rursus nouum est, quod nunc scribo uobis. Vetus erat, sed antiquatum moribus hominum. Iudaei memoriter tenebant: Diliges dominum deum tuum, diliges proximum tuum, sed suo quisque compendio seruiebant. Christus hoc nobis renouauit, plus etiam nos diligens quam seipsum, & diligens non proximos, sed hostes, sed auersos ac malo dignos. Id tamen scio uobis quondam auditum, tamen crebra iteratione subinde renouandum, ut altius insideat animo, quod est euangelice professionis caput. Verum erat praeceptum hoc in Christo, qui quod docuit praestitit. Sed uerum non erat in uobis, donec laborabatis odio proximi, donec conuiuium conuictio, iniuriam iniuria pensabatis. Nunc & in uobis uerum est, postea quod exorta uera lux euangelicae doctrina dispulit tenebras uitae prioris, docuitque non esse deo gratum, nisi qui bonos amaret ob Christum, & malos diligeret in hoc, ut conuerterentur ad Christum. Hanc doctrinam qui sequuntur in luce ambulant, nec offendunt in tenebris malarum cupiditatum. Odium proximi caliginem offundit animo. Proinde qui sic lotus est ac professus Christum, ut non desierit odisse fratrem suum, is falso se credit in luce uersari, cum adhuc sit in tenebris. Neque enim huic deus remittit peccata, qui non remittit fratri suo. Neque enim satis est reliquisse furtum, adulterium, & homicidium in baptismo, nisi simul ex animo reuellatur omnis simultas, & in odij locum succedat charitas. Qui perseverat in amore proximi, is manet in luce, qui est Christus Iesus, nec impingit uelut in tenebris ambulans: nam adeo neminem laedit uera charitas, ut omnia sufferat, omnia uertat in bonum. Rursus qui odit fratrem, etiam si desit immolare simulachris, etiam si desit esse foenerator, aut sacrilegus, tamen

tamen adhuc in tenebris est, & obseruans cæcæ cupiditati, in tenebris ambulat, neque cer-
 nit rectam viam ad salutem, quanquā illi præluceat euangelium. In causa est, odi frater-
 ni caligo excæcauit oculos eius. Vbi regnat odium, ibi cæcum est iudicium. Ego uos o-
 mines materna charitate prosequor, & ob id scribo, partim gratulās felicitati uestræ, par-
 tim adhortans, ut ad meliora proficiatis. Omnibus uobis gratulor, ut charissimis filiis, *Scribo uobis
 filioli*
 quos per semen euangelicæ doctrinæ regenui Christo, quia uobis condonata sunt pec-
 cata uitæ superioris, & gratis condonata sunt, non ob aliud nisi quod profelsi estis no-
 men domini Iesu Christi, ut memineritis huius exemplo gratis item cōdonare suo quis-
 que proximo. Scribo uobis, quos nō tam ætatis progressus, q̃ morum grauitas, & erga
 iuniores pia sollicitudo patrum uocabulo dignos reddit, gratulans uobis quod nō solum
 uulgari prudentia præditi sitis, qua senes ob usum rerum ferè commendantur, & imperi-
 tis iuuenibus rectius consulunt: sed quod cognouistis Iesum Christum salutis autorē, qui
 non solum longæuius est, uerumetiam semper fuit apud patrem. Aeternum nouistis lon-
 gæui, & quo plenius hunc nostis, hoc diligentius eum prædicatis ætati rudiori. Multa
 uetera meminerunt ac tenent senes, uos eum tenetis, qui fuit ante tempus omne. Scribo
 uobis adolescentes, qui uigore fidei superastis satanam improbum, & importunū. Vul-
 gus iuuenum hoc uidetur felix, quod robore corporis nemini facile cedant. Vos felicio-
 res, qui robore mētis, nec uoluptatū illecebris, nec ullis mūdi terroribus potueritis supe-
 rari. Aliorū uirtus emicat in bello, uestra uirtus clarius emicuit aduersus insultus dæmo-
 num, carnis & mundi. Scribo uobis pueri, qui tamen si per ætatem nondum sapitis peri-
 tia rerum mundanarum, tamen hoc iam nunc estis assequuti, quod uobis æternam con-
 ciliet felicitatē. In alijs infantibus primū mentis specimē est, si patrē agnoscant, uos no-
 uistis patrē cœlestem, per quē estis cœlo renati. Tueatur quisq; quod habet, & proficiat
 in eo quod habet. Ob hanc causam & gratulor singulis & cōmonefacio singulos ordines
 ac status, ut agnoscantes felicitatē uestrā, agatis gratias autori deo, & memores quò per-
 uenire oporteat, semper enitāmini ad perfectiora. Repetā igitur ne queat elabi. Scripsi
 uobis patres, quia nostis eum qui nec initū habet, nec finē, ne quid uos cōmoueat huius
 uitæ desiderū ad æternā properantes uitā. Scripsi uobis adolescentes, quod mollitiem
 ætatis animi robore superastis, quodq; cōstanti pectore sermonē euangelicū seruastis, &
 opitulante Christo superastis diabolum peruicacē humani generis hostē. Perseuerate in
 uictoria, pergite contemnere, quod hactenus cōtemplistis, magis ac magis amate, quod
 amare cœpistis. Sollicitat mundus falsis bonorū fluxorum simulachris, territat inani fal-
 saq; specie malorū. Vos ea terreant quæ uere mala sunt, nec unquā finem accipiunt. Ea
 capiant, quæ uere bona sunt, & finem nesciunt. Lucem euangelicā sequentes amate cœ-
 lestia, quæ pollicetur cœlestis ille pater, cui per Christū estis renati. Fugite tenebras ma-
 larum cupiditatū, per quas mundus hic inescat fucatis bonis. Fieri nō potest ut utrunq;
 simul ametis, utriq; simul seruiatis. Nihil cōuenit deo cū mundo, nihil luci cum tenebris:
 quisquis amat mundū, excidit à charitate dei patris. Non hūc mundum dico, cuius opi-
 lex est deus, in quo uelimus nolimus uiuimus. Improbis cupiditates rerū inaniū, in qui-
 bus hominū uulgus constituit felicitatē, uerorū bonorū oblitus, mundum appello. Non
 uos locus quamlibet semotus, nō uos cultus, non cibus, nō uos titulus eximit à mundo,
 sed animus purus ab his, quas dixi, cupiditatibus. Quid autē habet hic mūdus, quod non
 sit exitiabile? Tria sunt quibus potissimū imponit stultis & incautis, uoluptas carnis, iri-
 tamenta oculorū, & fastus strepitusq; uitæ. Obijcit enim præstigijs quasdam inaniū uo-
 luptatum, quibus ad tempus corporis sensus demulceat, ut interim animus à cœlestium
 bonorū studio auocetur. Nam huiusmodi bonorū cupiditates suggerit spiritus ille cœle-
 stis, quem deus pater impartit filijs suis uere per Christū renatis. Habet & satanas suum
 spiritum, per quem suggerit perniciosum amorem rerum neq; uerarum neq; perennium
 ijs, qui sese huic mundo deuouerunt. Suggestit Veneris mala gaudia, quæ stulta fœdaq;
 prurigne membra corporis titillent. Suggestit eduliorum ac potus cupedias, quæ gulæ
 palatoq; blandiantur. Suggestit ocij somniq; dulcedinem, quo magis situ torpescat ani-
 mus. Suggestit lasciuas cantiones & impudicas fabulas, quibus aures delinuat. Suggestit ho-
 norum pompas, ac diuitiarum strepitus, ambitionis iritamenta, Deniq; nulla nō parte
 mentes

*Nolite dilige-
 re mundum
 neq;*

mentes hominum à ueris æternisq; bonis auocat ad inania bonorum simulachra. Horum cupiditate qui capitur, sciat se non incitari spiritu patris cœlestis, sed spiritu mundi. Mundus, ut constat elementis temporarijs, ita nihil præbet nisi mox periturũ. Deus ut est æternus, ita largitur æterna præmia. Ergo qui pendet à mundi præsidijs, euanidam quandam ac mox auferendam felicitatem sectatur, quam frequenter & hic aufert casus præter opinionem exortus, aut senium eripit. Certe mors, nulli nõ uentura, tollit totum illud falsorum gaudiorum somnium. Subducta materia, perit uoluptas & succedunt dolores. Sublato homine pereunt omnia, & succedit cruciatus æternus. Cæterũ qui patri obtemperat uocanti ad amorem uitę cœlestis, huius felicitas nullum est habitura finem. Nescit enim finem, qui illam largitur. Innoxijs huius mundi cõmodis utendum pro tempore, sed parce, sed moderate, ad necessitatẽ naturę, non ad uoluptatem libidinis. Cæterum summũ animi studium ad res æternas uertendum est, ad quod etiã oportet referri cæterarum rerũ usum. Nondum apparet piorũ felicitas, sed ea patefiet in aduentu domini nostri Iesu Christi. Videntur interim hic suauiter agere impij, sed imminet illis æterna calamitas, idq; breui. Videtur enim adesse tempus illud extremũ, quo mutatis rerum uicibus, cum Christo regnabunt hi, qui nũc ob Christum affliguntur, ac ad nihilum rediguntur, qui nunc Christo rebellant. Audistis uenturũ antichristum, qui omnibus huius mundi præsidijs ac præstigijs armatus, belligeretur aduersus Christum, moxq; antichristo reuictõ liberabitur omnibus malis. corpus Christi, & onerabuntur omnibus malis membra diaboli. Huius igitur antichristi aduentus, de quo uobis prædictum est ab apostolis, haud longe uidetur abesse. Instantũ enim inualuit hic mundus aduersus doctrinam euangelicam, ut iam nunc complures esse cœperint, qui uocabulum antichristi mereantur, quorum & uita & doctrina, & studiũ omne Christo aduersetur. Quid enim aliud hi quàm antichristi illius anteambulones uidentur, & uenturę tempestatis extrema præludia: Minus enim lædunt Christi populũ, qui prorsus à Christo sunt alieni, quàm hi, qui semel in illius castris uersati, mox transfugę facti, Christi præsidijs & armis Christum oppugnant. Simulant enim etiã ea, quę in Christianis declarant Christi uirtutem, sanctimoniam, doctrinam, auctoritatem, miracula. Atq; hi quidem exierunt e nobis, uerũ nihil est quod uos magnopere perturbent: uersabantur inter nos, sed nostri non erant. Hostes erant Christi, etiã cum in illius castris agebant. Quod si uere nostrarũ fuissent partium, perpetuo perseverassent apud nos. Titulo cultuq; Christum profitebantur, cæterum animo mundum adamabant. Et ideo cum uentum est ad tempestates persecutionum, cum ad incendium afflictionum, prodidere semet quales antea fuissent. Nunc à nobis semoti subleuant nos, ueluti corpus grauatũ malis humoribus, ac minus lædent hostes aperti, quàm fucati socij. Sic uisum est Christo, quo palam fiat non omnes pertinere ad Christi corpus, qui loti sunt in illius nomine, qui nomine illum profitentur, qui sacramentis ecclesię communicant. Verus ac constans mundi cõtemptus arguit Christianum. Animus aduersus omnes illecebras, aduersus omnes iniurias infractus & inuictus arguit Christianũ. Qui ad occasionẽ desciscit à doctrina Christi, simulabat Christi anum, non erat. Expedit autem hos palam à nobis seiungi, ne specie boni magis etiã noceat incautis. Etiã si uobis ignoti non erant, & antequam se palam subducerent. Si quidẽ unctio Christi, unde & uobis est nomen, afflatus spiritus Christi satis indicat uobis, qui sint uere Christiani, qui secus. Etenim qui spiritualis est, omnia dijudicat. Non erant ignoti, sed tolerabantur si forte resipiscerent. Quod dico uerum est, neq; hæc scribo uobis, quasi uos latuerit ueritas, qui doctorem habetis Christi spiritum, qui non patitur uos quicquam ignorare: sed in memoriam reuoco, quod scitis, quo fixius adhæretis ueritati, neq; perturbemini successu malorum. Pauciores estis, sed saniores, sed purgatiores, sed tranquilliores. Nihil decessit corpori, si resecta est uomica, si pus extillauit. Scitis quod Christus est ueritas, ab hoc dissidet omne mendaciũ genus. Quisquis fucatus est, cum hoc nihil habet commercij, quantumuis illum ore profiteatur. Multę sunt mendaciorũ formę. Quisquis quocũq; modo mendax est, Christũ negat qui ueritas est, nullius mendaciũ mixturã recipiẽs. Quisquis aduersat ueritati, Christo aduersatur: quisquis aduersatur Christo, antichristus est. Nullum aut sceleratius mendaciũ genus est, q̃ negare Iesum esse Christum, atq; id faciũt multi pseudoprophetę Iudaorũ, qui negant illum

Et mundus
transit & cõ
cupiscentia
eius

Filioli nonissi
ma hora est

Sed nos un
ctionem ha
betis

illum fuisse, quem Moses & prophetarum oracula iam olim mundo pollicita sunt uindictam ac salutis autorem, & alium nescio quem antichristum pro Christo promittit. Nimirum quisquis est huiusmodi, palam est antichristus. Rursus sunt qui licet ore profiteantur, Iesum esse Christum, tamen sic uiuunt, quasi uana sit eius doctrina, quasi uana sint præmia quæ promissit. Ille docuit beatos esse pauperes spiritu, quod eos maneat regnū cœlorum. Et alius huc toto incumbens studio, ut dilatet latifundia, ut extruat magnificas ædes, ut auget reditus, ut expleat arcas nummis per fas nefasque questus, ut factione ualeat, ut inopes opprimat, ut tyrānidem exerceat, an nō reclamat Christo, cuius doctrinam, quod in ipso est mendacem facit? Docet ille beatos esse qui esuriunt & sitiunt iustitiā, & alius in luxu, in gulæ uentrisque uoluptatibus felicitatem ponens, nōne Christo refragatur? Docet ille beatos esse mites, quod hi possessuri sunt terram illam cœlestem, unde rursus depelli non poterunt. Et alius ita se denique felicem iudicat, si pauperibus oppressis suam stabilitat opulentiam. Docet beatos esse qui lugent in hoc mundo, quod his debeat æterna refocillatio. Et alius per omnia sectans huius uitæ delicias, nōne Christo refragatur? Docet ille beatos, qui misericordes sunt in proximos. Et hic sibi placet, quod malis ultro affligit meliorem se. Docet ille beatos, qui conuiuijs & afflictionibus uexentur ob iustitiam euangelicam. Et hic omni fucorum ac technarum genere studet placere mundo. Agnoscit ille discipulum, qui sub lata in humeros cruce, sequatur ipsum. Et alius nihilominus sibi Christianus uidetur, si omnem effugerit molestiam. Dicit ille suis: In mundo cruciatum habebitis, in me pacem habebitis, & istis Christus grauis est, mundus suauis. Iubet ille benemereri etiam de inimico, & alius etiā immeretem afficit iniuria. Nōne qui sic uiuit, Christo refragatur? Non reclamat os, sed reclamat uita. Cū diuersa doceret filius, pater dixit, hūc audite. Iste uero quid dicit? nō hunc audite, dura sunt quæ docet, mundū audite. Proinde quemadmodum obstitit filio, ita repugnat & patri, & cum mundanæ factionis est, semouet se à grege eorum, quos Christus selegit ab hoc mundo. Nihil Christo cōmercij cum hoc mundo, huic qui sese adglutinat, Christo repugnat, & antichristum agit, simul & patrem abnegans & filium. Siquidem patri cum filio indiuidua societas est. Hic mihi reclamabit Iudæus: patrem agnosco, filium non agnosco. Atqui quicquid in filium cōmiseris, idem commiseris in patrē. Filius nihil neque gessit, neque docuit, nisi autore patre. Qui filio derogat, derogat patri. Ergo qui se alienarit à filij consortio, is nec ad Christi corpus pertinet, quod est ecclesia catholica, nec cum patre deo cōsortium habet, cui per omnia conuenit cum filio. Videtis quanto cum periculo se stulti diuellunt à filio. Vos igitur perseuerate in euangelica ueritate, quam à probatis apostolis primum accepistis. Ne uos abducatur pseudopostolorum mendax oratio. Si perstiteritis in eo, quod primum tradidimus uobis, permanebitis in consortio dei patris, ac filij eius Iesu. Si cui durum uidetur perseuerare in euangelica professione, propter afflictiones impiorum, cogitate præmium. Rem arduam exigit deus, sed ingens est præmium, quod pollicetur. Neque enim pollicetur opes, aut regnum, aut uoluptatem huius mundi, sed uitam eternā. Id paruo emit, quisquis emit etiam uitæ dispendio. Hæc tot uerbis refrico, & inculcō uobis, sollicitus, ne quos forte seducant præstigijs suis impij, qui à Christo descuerunt. Quanquam uel citra nostram commonitionem satis, ut arbitror, docet uos ipse spiritus Christi, quem habetis assiduū monitorem, ac doctorem in cordibus uestris. Is quandiu perseuerat in uobis, non est necesse ut quisquam uos doceat, quid sit cauendum. Is doctor est arcanus, sed longe certissimus. Is semel à uobis haustus, docet uos de omnibus, quemadmodum & filius promissit. Siquidem natura uerax est spiritus, neque mentiri nouit. Proinde perseueretis in eo quod ille uos semel docuit. Tenetis rectam doctrinā, meministis, nihil superest, nisi ut in ea persistatis, usque ad aduentum Christi, quem conijcio non procul abesse. Iterū atque iterum rogo filioli, persistite in doctrina spiritus, ut cum apparuerit princeps ac iudex ille noster, bonæ uitæ conscientia nobis tribuat fiduciam apud illum, talesque prodeamus, ut nec illum pudeat nos agnoscere suos discipulos, neque nos pudeat in conspectum illius uenire. Nam quo ore compellabimus eum præceptorem ac dominum, si nec docenti auscultauimus, nec præcipienti paruimus? Quo ore deum appellabimus patrē, si tota uita degeneres fuerimus ab illius institutis? Non simplex baptisimus, sed seruata iustitia facit nos filios dei. Quid enim audiri sunt, qui in nomine Iesu eiecerunt dæmonia, qui prædixere futura, qui miraculis in-

Omnis qui negat filiū, negat patrem.

Et sicut unio eius docet uos

claruerunt: nescio uos. Pro alienis ducit, in quibus non uidet iustitiam euangelicā. Quod si uobis persuasum est, deum esse huius iustitiæ autorem, simul & illud scitote, quod quisquis non professione, sed studijs, factis, ac moribus præstat iustitiam euangelicam, ex deo natus est, ad quem sibi bene conscius poterit ea fiducia accedere, qua solent obedientes filij ad patrem propitium. Similes agnoscat, dissimiles non agnoscat.

CAPVT III



Bi sincera charitas est, ibi fiducia est, & metus abest. Videte igitur nobis qui contempto mundo cum suis & illectamentis & terriculamentis, perseueramus in euangelica doctrina, quam insignem dederit charitatem, ut non solum serui fideles, non solum amici, sed filij dei & nominemur & simus. Sic enim docuit Christus, ut coelestem patrem appellemus, si qua re sit nobis opus. Summus est honos appellari filios dei. Summa felicitas est esse filios dei. Huic quoniam constanti pietate adheremus, & ab illo agnoscimur, mundus nos non agnoscit, sed ut diuersæ factionis horret & execratur. Nec mirum si non agnoscit filios dei, cum deum ipsum non agnoscat, abnegans illius filium Iesum. Ne quid perturbet animos uestros charissimi, quod uos habet despici-biles & abiectos. Apud deum habemus etiam nunc hanc eximiam dignitatē, quod sumus filij dei, & gaudemus in sinu, sentientes in nobis spiritum non seruitutis, sed filiorum, cuius fiducia clamamus, abba, pater. Adest dignitas, sed nondū apparuit dignitas. Adhuc pugnet tempus est, nondum uenit dies triumphi. Ille declarabit uniuersis, quāta sit dignitas, quanta felicitas eorum, qui constanter sese præbuerint filios dei. Nondum eluxit, quod sumus futuri in aduentu Christi, uerum illud certa spe tenemus, simul atq; apparuerit ille redditurus cuiq; pro suis factis præmia, nos qui fuimus hic consortes afflictionū, erimus & gaudiorum socij, quiq; fuimus illi similes in mundi contemptu, erimus eidem similes in maiestate gloriæ. Vidimus hic illum afflictum, uidimus humilem, tunc uidebimus, sicuti est, & semper fuit, excelsum ac sublimē, et uidentes ad illius similitudinem transformabimur & ipsi, non solum animis, uerum etiā corporibus. Videmus & nunc illum, sed ueluti per nebulam oculis fidei. Tunc ineffabili modo uidebimus. Sed quod tunc futuri sumus perfecte, id nunc interim pro nostra uirilī meditando est. Ut illi tunc similes simus in gloria, hic puri simus ab omnibus sordibus. Ut illum tūc uidere possimus, nunc purgemus oculos, ne cum ille splēdidus apparuerit, nobis tamen formidabilis sit magis quā amabilis. Nec enim feliciter uidetur, nisi à similibus. Proinde quisquis habet hanc fiduciā in Christo, ut tunc consors sit illius gloriæ, interim pijs studijs purificat se à mundanis affectibus, quemadmodū in illo nihil erat inquinamentorum huius mundi, sed totus purus est ac coelestis. Itaq; pro nostris uiribus huc enitendū est, ne quid in nobis resideat terrene fecis. Nec uero sibi quisquā blandiatur, dicens: Mihi satis est ad innocentiam, si nihil horum admiserō, quæ lex Mosi uetat, quæq; Cæsaris etiā legibus puniuntur, quod genus sunt furti, sacrilegium, adulteriū, homicidium: imò prorsus omne peccati genus est fugiendum. Quisquis enim ullo modo peccat, etiam si non peccet aduersus præscripta Mosaica, peccat tamen aduersus legem euangelicam, Mosaica longe sanctiorem. Atq; hanc ob causam Christus semel uenit in mundum, ut uiam ostēderet, qua reditus illius nobis fieret salutaris ac felix. Venit ut semel tolleretur non unum aut alterum peccatum, sed omnia peccata nostra, cum ille solus nulli peccato esset obnoxius. Semel nos gratis purgauit ab omni peccato, ut sui similes redderet, quod nec lex ulla, nec mortalis ullus præstare poterat. Per baptismum insiti sumus illius sacrosancto corpori. Sed nostrū interim est adnitī, ne excidamus à capite. Per gratuitam illius clementiam insiti sumus, sed excidemus, si in pristina uicia relapsi fuerimus. Quisquis in Christo manet, perseuerat in innocentia, & adeo cauet ab omni peccato, ut indies magis ac magis adolescat in uirtutibus, reddaturq; capiti suo similior. Quisquis non abstinet à peccatis, quanquā tinctus est, quanquam dedit nomē Christo, nondū plene uidit eum, neq; nouit eum. Quis enim si oculis fidei uideret, quāta sit dignitas cooptari in numerū filiorum dei, quanta turpitudine dedi patri diabolo, sustineat à tali corpore auelli, à tali desciscere patre, & ad tam fœdam degenerare tyrannidem, à tantis præmijs ultro prolabi ad tantam calamitatem? Filioli ne quis uos seducat, blandiēs uobis de professione Christiani nominis, quasi id satis sit ad felicitatem. Non qui proficitur iustitiam iustus est, sed qui uita ac moribus præstat iustitiā, is iustus est, quemadmodū &

Christus

Charissimi
nunc filij dei
sumus

Et omnis qui
habet hanc
spem

Omnis qui in
eo manet non
peccat

Filioli nemo
uos seducat

Christus se dictis ac factis præbuit exemplū omnis iustitiæ. Huic qui uere ac totus adhæret, quoad potest ab omni uitiorū inquinamēto temperat, & ipsa morum puritas arguit illum esse filium Dei, qui natura bonus est, & peccatum nescit. Quisquis autem peccat, etiam si Christi sacramentis est initiatus, tamen e patre diabolo progenitus est, qui princeps est & autor omnis peccati. Hunc quisquis imitatur, parentē suū refert, hoc ipso quod peccat, seq̃ filium illius esse declarat. Non admittit deus consortiū cum uitijis, nam in hoc ipsum misit filium in hunc mundū, ut aboleat opera diaboli, hoc est, omnia quæ pugnant cum euangelicā charitate. Ex Adā nascimur omnes obnoxij peccatis, ex deo renascimur per semen Euangelicæ doctrinæ. Huius seminis uis q̃ diu manet in homine, non peccat, nec potest peccare, uidelicet uetante diuina charitate, quæ rapit eum ad studiū benefaciendi, & auocat ab omni cupiditate peccandi: eo quod uere sit filius dei, germane referēs indolem atq̃ ingenij patris & capitis sui. Non titulus, non baptisumus, non sacramēta discernunt filios dei à filijs diaboli, sed uitæ puritas, sed charitas exerens & explicās sese benefactis. Non est ociosa si adsit. Quisquis hanc non declarat, nec re declarat sibi charitū esse fratrem, is ex deo natus non est. Si uiuum esset membrum corporis Christi, diligeret cætera membra pro quibus mortuus est Christus. Hæc est Christianæ iustitiæ summa, hoc est, quod in primis nobis tradidit Christus, hoc est, quod uobis ante omnia cōmendauius, ut mutua charitate declarētis uos esse filios dei, ac discipulos Christi. Siquidem odiū proximi gradus est ad homicidiū. Et liuor ex diametro pugnat cum charitate. Cain non erat filius Dei, sed ex diabolo prognatus erat. quamobrem quia degenerauit à bono conditore, ac referebat diabolum, qui stimulatus inuidia primus occiderat hominem instinctu letifero. Parentis ingenium referebat Cain, occidens Abel fratrem suum. Quæ fuit autem odij causa? Nimirum uitæ dissimilitudo, quapropter & diuersi generis erant, quam iuxta corporis propagationem fratres erant germani. Vterq̃ suum parentem exprimebat. Abel erat innocens, & ad benefaciendi studiū accensus. Cain cōtra fratris odio concepto, non de se corrigendo, sed de fratre trucidando cogitauit. Quemadmodum hic non ferebat impius pius, & diaboli filius dei filium, ita uobis mirum uideri nō debet fratres, si uos auersantur homines mundo dediti. Oderunt immerētes. Ne quis illos mutuo oderit. Illi quoniam mortē deuoti sunt, & seruunt auctori mortis, mortem alijs machinantur. Nostrium est illorum misereri, non uicissim lædere. Siquidem euangelica charitas nos abduxit à studio lædendi ad studiū benemerendi, & hoc argumento cognoscimus, quod destinati sumus æternæ uitæ & exempti à mortis tyrannide, quod diligimus fratres. Qui diligit, bene uult, ac bene facit. Corpus halitu uiuit, anima uiuit spiritu Christi. Vbi nō est fraterna charitas, ibi nō est spiritus Christi. Quisquis igitur odit proximū suum, mortuus est neq̃ uiuit intus. Nam & si fidem habet, mortuā habet, cum non adsit charitas. An ceu leuem culpā contemnitis odium fratris? Quisquis odit fratrem suum, homicida est. Non strinxit ferrū, non miscuit uenenū, non adortus est, non maledixit, tantū male uoluit. Non damnat illum lex hominū homicidij, sed apud deum iam homicidij damnatus est. Qui semel admisit odium in pectus, quantū in ipso est, homicida est. Multa sunt homicidij genera. Qui ferro trucidat, etiā profanis legibus dat pœnas. Qui ueneno necat, puniatur & ab impijs. Cæterum qui fratrem uirulentæ lingue spiculo cōfodit, etiam si legibus humanis absoluatur à parricidij crimine, tamē ad euangelicam legem homicidij reus est. Viuit adhuc ille, cui male uult osor, & tamē ipse iam mortuus est: illi uita est incolumis, & hic uitā amisit æternā, sui ipsius homicida. Vultis uidere fratres quantū nos abesse oportet à cupiditate lædendi? Vertite oculos ad exemplū Christi. Ille sic dilexit nos nihil meritis, imo mortem cōmeritis, ut uitā suam nobis impēderet. Quanto magis debemus pro fratribus seruandis uitæ subire discrimen, si res ita tulerit, præsertim qui in Christi pastoris uices successimus. Non concredidit oues suas Petro, nisi ter amorē professio, ac mox illi mortis genus indicat, ut intelligeret & sibi gregis crediti salutem uitæ dispēdio tuendā. An uero uitam impēdet qui grauatur opitulari pecuniā? An satis esse putat aliquis, si non lædat fratrem, si benigne loquatur? Christus re declarauit quantopere nos amaret. Qui cōspicatus fuerit fratrem suū, cibo, ueste, potu tectōue egentē, & habet facultates unde succurrat illius inopiæ, neq̃ cōmouetur misericordiā, sed uelut ad se non pertineat, negligit eū, qui credi possit, quod in hoc sit charitas dei. Succurrit ethnico ethnico, & tu Christianus non succurris

In hoc mani/
festi sunt filij
dei

Nō sicut Cain
qui ex malig
no erat

Qui non dili
git fratrem, ma
net in morte

In hoc cognō
uimus charitā
tem dei

Filioli nō diligamus uerbo neq; lingua curris Christianorū Professus es fraternā charitatē, ea si uere adest, cur hic cessat, ubi discernatur inopia frater? Fratrem appellas, & nullum argumentum adis affectus fraternitatis. Filioli mei ne diligamus nos inuicem uerbotenus. In animo sit charitas potius quam in lingua, & factis se promat potius quam uoce. Sit fraternum uocabulum in sermone quotidianiano, sed ut ueri simus, & orationi facia respondeant, quoties se dederit occasio redeclaremus in nobis esse uere fraternum amorem. Ne desit fratri, quod nobis superest, siue uestē desiderabit, siue cibū, aut tectum, siue consolationē, siue doctrinam, siue admonitionem. Id si promptis animis pręstiterimus, hoc argumētō cognoscemus, quod ueritatis filij simus, quodq; non fucate, sed sincere diligamus. Veritas autem est ipse Christus, cuius oculis probabimus conscientiā nostram, ut & deo probati simus, & hominibus; & factis cognoscent homines, non esse fucatam inter nos charitatem: animi synceritatem intuetur deus. Succurremus egestati fraternę, sed ita, ut necessitatem subleuemus. nō ut luxum alamus: & succurremus ex animo, neq; mercedis ad nos rediturae spe, neq; inanis glorię causa. Animū non uident homines, sed ipse sibi conscius est, & oculis dei conspicuus. Quod si laudent nos homines, & condemnet animus sibi male conscius, ut homines fallamus, dei iudicium non licebit effugere. Abditos habet recessus ac perplexas latebras cor humanum, sed nihil esse potest tam reconditū, tamq; abstrusum, quod ille non penetret. Nouit ille omnia melius nobis, nouit cor nostrum, qui fecit cor nostrum. Nusquam non habet oculos, qui nusquam non adest. Charissimi, si cor nostrum nō condemnauerit nos ipse, si apud deū, si syncerus est ac simplex animus, si ex mera puraq; charitate facimus quicquid facimus, quales nos pręstiterimus erga proximum, talem se deus pręstabit nobis. Si libenter & ex animo condonabimur fratri culpam, facile & nobis delicta nostra condonabit deus. Si prompte largiemur egenti fratri, quoties opem nostram implorat, certa fiducia petemus & a deo, quod ad salutem ac necessitatem pertinebit, nec ille negabit petentibus. Quod si dixerimus illi: remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris, et intus odio fraterno tenemur, nonne statim reclamabit nobis nostra conscientia: qua fronte tu petis a deo, quod ipse negas proximo? Quo ore postulas pacē, cum non pręstes conditionē? Pollicitus est ille se condonaturū nobis admissa nostra, sed si fratri ex animo condonauerimus delicta sua. Si ore dicimus, condono, & tamen maleuolentiā retinemus in corde, animus sibi male conscius adimet nobis fiduciā impetrandi, quod a deo petimus. Si fratrem blande salutamus, nec adsumus cum res ipsa poscat subsidium, non est quod speremus deum nobis auxilio futurum, qui fratri defuerimus. Si nos surdi fuerimus ad illius iussa, surdus erit ille uicissim ad preces nostras. Impudentia est, non pietas, ab eo petere fauorem, cuius pręcepta contempnas. Verum si pręcepta eius seruamus, si quicquid illi placitum est facimus, & ita facimus, ut probemur illius oculis, qui nihil nō perspicit, hinc nobis nascetur impetrandi fiducia. Hic mihi dicet Iudæus legis superstitiosus obseruator, obseruo sabbata, baptizor, ieiuno, abstineo a cibis uetitis, non committo furtum, me deus audiet. Imō non hoc est pręceptum de quo loquor. quodnam igitur? nimirū ut totā salutis nostrę spem ac fiduciā collocemus in Iesu Christo filio dei, per quem pater nobis omnia largiri uoluit. Iam ne hoc satis est: nequaquā: quin ad illius exemplum amemus nos mutuo. Sic ille iussit, sed quod iussit ipse prior pręstitit. Nondum uere diligit Christum, qui membrū odit Christi: nondum amat Christum, qui male uult homini, pro quo mortuus est Christus. Itaq; qui seruauit unicum illud charitatis pręceptū, omnia seruauerit. Hoc glutino cōiungemur Christo, sic ut ille sit in nobis, & nos uicissim in illo. Ille per spiritū suum inhabitabit pectora nostra, si illic serueat charitas. Spiritus Christi nō est autor odi, sed largitor fraternę charitatis. Is per impositionē apostolicarum manuū infunditur baptizatis, sed idem resilit & auolat, si contingat extingui charitatem. Hoc igitur indicio deprehendemus donum spiritus in nobis manere quod accepimus in baptismo, si perseverauerit in nobis fraterna charitas. Quātum hæc refrixerit, tantum ille se subducat.

CAPVT IIII



Ndicem dedi charissimi, quo deprehendatis an in uobis sit Christi spiritus. Sunt enim diuersi spiritus in hominibus, sed fucati, sed mali. Ne igitur protinus cuius spiritui credatis. Multi passim se iaciunt habere spiritum dei, sed explorate num a deo profecti sint. Habet & hic mundus suum spiritū, & adumbrat

brat spiritum dei. Prophetas afflat spiritus dei, sed complures iam in mūdum prodierunt pseudoprophetae, sese mentientes afflatu diuini spiritus loqui, cum agantur mundano spiritu. Vultis igitur certius etiam argumentum spiritus diuini? Audite profitentem & intel-
 ligetis. Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum, olim orbi promissum æternæ salu-
 tis autorem, assumpto corpore humano iam uenisse, sicuti per suos prophetas promise-
 rat, is ex deo est, nimirum agnoscens filium dei. Rursus hoc qui negat, quoniam mendax
 est, ex deo non est. Nullus enim uere proficitur filium nisi afflatus à patre. Negant autem
 istum non tantum ipsi, qui uerbis reclamant, uerum etiam qui sic uiuunt, quasi Christus non
 fuerit exemplar ueræ pietatis hominibus, aut quasi non fuerit autor perfectæ salutis, eoq;
 fingunt alium quempiam Messiam expectandū, quod huius doctrina nimium dissideat
 ab ipsorum cupiditatibus. Si fauisset uoluptatibus carnis, si promississet immensas opes, si
 donasset honores & imperia mundi, iam dudū agnouissent suum Messiam. Nunc quoniam
 horum docet contemptum, & ad tollendam crucem inuitat, & felicitatem omnem in fu-
 turo seculo expectandam ostendit, negant hunc esse promissum olim humani generis re-
 demptorem, sed alterum expectari iubent, qui commoda corporis, & huius sæculi bona
 polliceatur. Nec satis est confiteri Christum, nisi totum & integrum confiteamur. Qui di-
 uidit illum, uel diuinam naturam adimēs, quam eandem habet cum patre, uel humanam, *Et omnis spi-*
 quam accepit ab homine matre, hic spiritus ex deo non est, sed est spiritus antichristi, de *ritus qui solu-*
 quo quidem spiritu iam audistis, quod uenturus sit, imò iam nunc uenit, agitq; in his, qui *uit Iesum*
 mundanis delicijs addicti, pugnant aduersus Christi spiritum. Non est quod istos metua-
 tis filioli, uos quoniam ex deo estis, et spiritum habetis, per illum uicistis antichristos. Ipsi
 quidem imbecilles estis, sed is qui habitat in uobis maior est ac potentior est eo, qui habi-
 tat in mūdo. Per sua membra uos impugnat diabolus, sed suo spiritu propugnat deus. Illi
 quoniam ad mundi factionem pertinent, & mundanum hauserunt spiritum, mundum sa-
 piunt, & mundana loquuntur, & horū doctrina grata est ipsis, qui & ipsi mūdo dediti sunt.
 Nemo facile credit quod aduersatur ipsis, quæ uehementer amat. Amant terrena, & horum
 doctrina terram sapit. Nos ex deo sumus, hunc qui nouit, nouit autem quisquis amat, at-
 scultat nobis qui cœlestia deoq; digna docemus. Qui non est ex deo, non audit nos, sed
 abhorret ab Evangelica doctrina, quæ iubet opes effundere, uoluptates spernere, in affli-
 ctionibus gloriari, uitam etiam habere uilem pro iustitia, recte factorum omne præmium
 expectare in resurrectione, quā isti aut non credunt futurā, aut nollent accidere: quæ iubet *in hoc cogno-*
 per sinceram charitatē, & uitam impendere proximo, cum homo mūdani spiritus, etiam *scimus spiritum*
 cum fratris iniuria suis comodis ubiq; consulat. His igitur indicijs dignoscere licebit spiri- *ueritatis*
 tum dei ueracem, à spiritu mundi fallaci. Itaq; charissimi quandoquidē ex deo sumus, non
 ex mundo, diligamus nos inuicem, & proximi comodis quisq; seruiat potius q̃ suis, quo-
 niam charitas ex deo est. Quisquis igitur hac charitate præditus est, is ex deo natus est, ac
 uere nouit deū. Quisquis alienus est à charitate, nondū cognouit deum, propterea quod
 ipse deus charitas est. Ille se nobis impartit quoties impartit charitatem suam. Declarauit
 ille suam in nos charitatem, ut nos uicissim nostram declararemus in proximum. At dicet
 aliquis, filij charitatem agnoscimus, sed unde cognoscimus patris erga nos amorem? ni-
 mirum ex hoc quod unicum filiū suum, quo nihil habet charius, misit in hunc mundum,
 ac morti dedit, ut nos per illius necem uitā assequeremur æternam. Atq; hoc maius etiā
 atq; insignius dilectionis miraculum est, quod nullo nostro officio prouocatus, tam insi-
 gniter dilexerit nos. Qui redamat amantem, tantum gratus est: inhumanus futurus ni fa-
 ciat. Nos amabamus mundum, auersi ab amore dei, & tamen deus prior atq; ultro dilexit
 nos. Cumq; iure esset offensus peccatis nostris, nec esset in terris immunis à delictis, qui
 nos illi reconciliaret (nam gratus sit oportet, qui intercedat apud offensum pro nocen-
 tibus) misit e cœlis filiū suum, qui seipsum patri sacrificaret, atq; hac purissima uictima no-
 bis eum propitiū redderet. Quid hac dilectione cogitari potest insignius? quid ardentius?
 quid effusius? Charissimi, si deus, qui nostri nō eget, ultro ac uolens tantopere dilexit nos,
 debemus & nos inuicem ad illius exemplum diligere. Filius dei se nobis uisibilem exhibe-
 buit, ceterum deum patrem nemo uidit unquam oculis corporeis, & tamen ex rerum in-
 dicijs deprehenditur. Sentimus iratum, sentimus propitiū, sentimus abesse, sentimus
 adesse. Mutuum erga deum amorem non alio argumento testari possumus, quā si nos

*Deum nemo
unquā uidit*

inuicem diligamus, quemadmodum ille dilexit nos. Dilexit ille nos gratis, dilexit ad hoc, ut serualet. Si sic diligimus inuicem, deus qui charitas est, ut dixi, manet in nobis. Vulgaris est amor beneuolentia prosequi benemeritum, diligere qui possit referre gratiam, beneuolentiam communibus officiis testari, sed perfecta est dei erga nos dilectio. Dilexit ultro, dilexit alienos, dilexit unde ad ipsum nihil possit redire gratia, dilexit usque ad unigeniti filij iacturam. Si nos ad consimilem modum diligimus proximum, tunc perfecta dei charitas est in nobis, declarans & ipsum deum esse in nobis. Quemadmodum idem spiritus membra corporis coniungit, & unum corpus efficit: ita spiritus dei nos & cum illo, & inuicem quodammodo conglutinat necesse est, & uelut in unum cogit. Quod si spiritus dei, qui mentibus nostris afflat amorem proximi, uiget in nobis, nimirum hoc argumento cognoscimus, & quod nos maneamus in deo, & deus uicissim in nobis. Aduersarius est igitur charitati, qui negat Iesum esse filium dei, qui redimendo mortalium generi semetipsum impenderit. At huius rei nos spectatores etiam fuimus, oculis uidimus, auribus audiuius, manibus contrectauimus, deique re tot modis comperta testimonium perhibemus orbi terrarum, quod pater miserit filium suum, cuius morte mundus seruaretur, si modo resipiscens à pristinis erroribus iuxta regulam Euangelicam uitam deinceps attemperaret. Non enim solum misit illum seruandae nationi Iudaicae, sed toti mundo seruatorem dedit. Quisquis igitur confessus fuerit Iesum esse filium dei, quem prophetae esse uenturum praedixerant, hic in deo manet, & deus in eo. Nouit enim ueritatem, & amplectitur charitatem. Non agnoscit charitatem dei erga se, qui eam non exprimit in proximo. Nos autem & experimenter cognouimus, & animo credimus, & ore confitemur, & factis exprimimus dilectionem, quam deus exhibuit nobis. Superest ut in eo quod coeptum est perseueremus, neque committamus ut & deus diuellatur à nobis, & nos à deo distrahamur. Deus, ut ante dixi, charitas est. Proinde qui perseuerat in charitate, in deo perseuerat, ac uicissim deus in illo, manente nexu mutuo spiritus diuini. An uultis & aliud argumentum uobis dari, quo deprehendatis, an perfecta charitas dei sit in uobis? Si nobis bene conscij simus, nec formidemus illum iudicij diem, quo separabuntur à Christo qui Christum non sunt imitati. Hi tremunt cum audient horrendam illam uocem: Discedite à me. Nos autem cum fiducia diem illum expectamus, uidelicet nobis conscij, quod quemadmodum ille uersatus est in mundo, ita & nos sumus in mundo. Ille nihil contraxit labis à mundo, sed eum purgauit à suis sordibus, & ad suam, quod in ipso fuit, pertraxit puritatem. Sic & nos pro uiribus, à deo non miscemur mundo, ut illum magis Euangelica doctrina, uitaeque castis exemplis ad Christum pelliceamus. Iudicij diuini metus ex mala conscientia nascitur. Timor igitur non congruit charitati. Nam charitas fiduciam addit, quae si perfecta sit, propellet ex animo prorsus omnem formidinem. Gaudet autem quoties ille iudicij dies in mentem uenit: primum optime sentiens de bono deo, & sibi bene conscia. Charitas gaudium adfert, metus cruciatum. Porro qui timet, hoc ipso declarat se nondum perfectum esse in charitate. Quantum deest charitati, tantum accedit ad metum. Veretur enim ne parum clementem erga se experiatur deum iudicem, qui se parum exorabilem praeberit proximo. Ille dies aperiet, quis hic uere dilexerit. Nos diligimus deum, nec mirum est, cum ille prior dilexerit nos. Neque enim nos illum amare possemus, nisi nos ad se traheret amore suo. Hoc ipsum igitur, quod illum diligimus, illius beneficium est. Porro quod diligimus deum, id testamur amando proximum, in quo uult ipse diligi. Si quis dixerit diligo deum, cum odio persequatur fratrem suum, mendax est. Etenim cum impij quoque, quorum plerique deum adeo non amant, ut nec esse credant, tamen affectu quodam amplectuntur proximum, uel quia cognatus est aut affinis, uel quia notus ac familiaris, uel quia homo denique uidet hominem esse, quemadmodum & animantia suum quaeque genus amant instinctu naturae: quomodo deum diligit, quem non uidit unquam, cum oderit proximum quem uidet? Deinde qui consentaneum est eum diligere deum, qui praecepta Dei negligit? Si quis clamet, amo Caesarem, contemnens interim edicta Caesaris, an inuenturus est qui credat? Nos ab imperatore nostro praecipuum hoc habemus edictum, ut qui diligit deum, diligit & fratrem suum, siue bonus sit, siue malus. Si bonus est, amet in eo Christum: si malus, in hoc amet ut conuertatur ad Christum.

In hoc cognos-
cimus quoniam
in eo manemus

Deus charitas
est

Timor non est
in charitate

CAPVT V



Visquis credit Iesum esse Christum, hoc est illum unde oportet omnia salutis nostræ præsidia petere, idq; credit ex animo, is ex Deo natus est, iamq; ascitus in numerum filiorum dei. Non potest autem non amare, qui filius est. Porro quisquis ex animo diligit eum, qui genuit, diligit & eum, qui natus est ex eo, nimirum fratrem suum, qui cum habet patrem communem. Hoc argumento deprehendimus, quod uere diligimus filios dei, si prius ex animo diligimus ipsum deum. Nihil enim uere diligitur, nisi quod illius causa diligitur. Porro quod deum diligamus, ita liquebit si seruemus illius præcepta, & seruemus alacres ac lubentes, nec enim alioqui grauius sunt illius iussa. Quid enim graue amanti? quid graue ad talia properanti præmia? Terribiles malorum species obijcit mundus, paupertatem, exilium, infamiam, carceres, flagra, mortes. Ingens est pugna, sed parata uictoria: quicquid enim ex deo natum est, uincit mundum. Quibus autem præsidij uincit mundum? num opibus? num copijs? num machinis bellicis? num eruditione mundana? nequaquam, sola fiducia qua se totos committunt propugnatori deo, uincunt mundum quantumuis sauientem. Eripiuntur opes, sed quid obijcit fides? Habes thesaurum in coelo. Eijceris in exilium, sed expectat suum municipem patria coelestis. Admouentur corpori cruciatus, sed his emuntur æterna gaudia: intentatur mors, sed hanc sequetur immortalitas. Quis est igitur qui uincit mundum? non satrapes, non diues, non philosophus, non rex, sed is quisquis est, qui uere credit, quod Iesus est filius dei. Crede quod ille pollicitus est, & nihil te mouebit, quicquid intendant mundus. Vicit ille prior mundum, et assequutus est immortalitatem: uenit in hunc mundum assumpto nostro mortali corpore, ut pro nobis uinceret, ut uincendi rationem ostenderet, ut præmiorum fidem faceret. Quibus autem præsidij armatus uenit ille? per aquam uenit & sanguinem Iesus Christus, per aquam, ut nos ablueret à peccatis: per sanguinem, ut nobis uitam conferret immortalem. Baptizari uoluit immunis ab omni peccato, ut nobis largiretur innocentiam: mori uoluit in cruce ut nobis aperiret uiam ad immortalitatem. Non solum his duobus indicij testatus est sese fuisse Christum & seruatorem mundi: quod baptismum accepit, ut homo nocens: quod mortuus est ut homo scelerosus, cum unus omnium innoxius esset ab omni peccato: sed & spiritus apparens specie columbæ, de illo testatus est, quod is esset quem pater dedisset seruatorem mundi. Quoniam & spiritus ueritas est, quemadmodum pater & filius: una est omnium ueritas, quemadmodum una est omnium natura. Tres sunt enim in coelo, qui testimonium præbent Christo, pater, sermo & spiritus: pater, qui semel atq; iterum uoce coelitus emissa, palam testatus est hunc esse filium suum egregie charum, in quo nihil offenderet: sermo, qui tot miraculis æditis, qui moriens ac resurgens declarauit se uerum esse Christum, deum pariter atq; hominem, dei & hominum conciliatorem: spiritus sanctus, qui in baptizati caput descendit, qui post resurrectionem delapsus est in discipulos. Atq; horum trium summus est consensus: pater est autor, filius nuncius, spiritus suggestor. Tria sunt item in terris quæ attestantur Christum: spiritus humanus, quem posuit in cruce: aqua & sanguis, qui fluxit ex latere mortui. Et hi tres testes consentiunt. Illi declarant deum, hi testantur hominem fuisse. Testimonium perhibuit & Ioannes. Quod si testimonium hominum recipimus, æquum est, ut plus apud nos habeat ponderis testimonium dei. Manifestum est enim dei patris testimonium: Hic est filius meus dilectus, in eo complacebam mihi, ipsum audite. Quid dici potuit apertius aut plenius? Qui uere credit filio dei Iesu Christo, & sic omnia uitæ præsidia in illo collocauit, ut huius promissis fretus contemnat omnia quæ mundus hic ostendet uel amabilia, uel terrifica, testimonium habet in se ipso, ac testimonium perhibet filio dei. Etenim dum afflatus spiritu Christi, mortes etiam illius amore contemnit, non leue testimonium ædit apud homines, non esse uana quæ Christus docuit ac promisit. Qui non credit deo, sed fidit mundo, hic quod quidem in ipso est, deum facit mendacem, qui felicitatem promisit ijs, qui filio suo Iesu Christo ausculta-

Quoniam omne
ne quod natum
est ex deo

Quoniam tres
sunt qui testi-
monium

Qui credit in
filium dei

à quo foret ea petēda, nimirum à filio ipsius Iesu Christo. Huius doctrinam quisquis amplectitur, huius exemplū quisquis imitatur, huius promissis qui fidit, hic & filium possidet & uitam habet, cuius arrabonem interim tenet, spiritum dei, cuius fiducia deum non ueretur appellare patrem. Qui à filio est alienus, is & à uita est alienus. Hæc ideo tot uerbis repeto uobis & inculco, ne quis uobis diuersum persuadeat. Sed certum atq; indubitatum habeatis, uerū esse quod credidistis, uobis esse paratam uitam æternā per Iesum Christum, cuius estis ascripti cohæredes. Ius et arram iam tenetis, rem suo tempore possessuri. Itaq; qui creditis filio dei, constanter credite, eiq; indies magis ac magis fidite. Nō faller in promissis æternæ uitæ, qui non deest uobis etiam in hac uita. Siquidem hanc fiduciā præbet uobis spiritus Christi, ut quicquid à patre petieritis in nomine filij, impetretis. Si modo petatis iuxta uoluntatem illius: hoc est si tales accefferitis ad orandum, quales ille uoluit accedere, nimirū puros ab omni odio fraterno: nihil enim impetrat à deo, à quo proximus non impetrat ueniam delicti: si ea petieritis quæ conducunt ad uitā coelestem, quæ faciunt ad gloriā Christi. Alioqui nos plerumq; nescimus quid postulandū sit à deo, ac pro salutaribus sæpe noxia petimus, nisi Christi spiritus nobis suggerat quid expediat petere. Sed hunc ad modū quoties petimus, certi sumus quod deus audit uota nostra, certi sumus illum largiturum nobis quicquid petierimus. Sic ille pollicitus est nobis, & potest præstare quicquid pollicetur, & uult quicquid nobis est salutiferum. Neq; solum augebit in nobis sua bona, subinde sollicitatus nostris precibus, uerumetiam condonabit nobis quotidiana delicta, sine quibus imbecillitas humanæ naturæ uix potest durare diu: ac non tantum condonabit sua cuiq; commissa, si ueniam petierit, uerumetiam audiet fratrem pro fratris delictis precantem, modo peccatum sit huiusmodi, ut non prorsus extinguat fraternā charitatem, etiam si non nihil obnubilet. Est enim peccatum quod non possit imbecillitati imputari, neq; leuibus paratisq; sanari remedijs: ueluti cum quis destinata malicia persequitur sodalitatem Christianam, cum ipse sit Christum professus, & religionis pretextu subuertere nititur religionem. Huius deplorata peruersitas non meretur piorum hominū intercessionem: & tamē pro his etiam orat perfecta charitas, optans etiam illa quæ fieri non possunt. Pro satana nullus orat, quod sciens per inuidentiā oppugnat eos, quibus bene uult deus. Fortassis nec pro his orandū, qui in huius affectum transierunt: ac uitandi sunt potius, ne quid lædant, quàm precibus subleuandi, nisi spem præbeant resipiscentiæ. Talis morbus ualidioribus eget remedijs, ac maior est, quàm ut quotidianis precibus tollatur, quibus delentur admissa leuiora, quæ committit infirmitas, non quæ designat peruersitas. Quicquid recedit à summa iustitia, peccatum est, sed peccatorum multa sunt discrimina. Et est admissum aliquod, quod etiam si minuatur ac uiciet innocentiam, non tamē extinguit prorsus Christianā charitatē: ueluti cum per occasionē effutimus in amicū, quod mox poenitet effuisse: cum ira subita uerbū extorsit, quod mox optemus reuocari posse, cum capti cibi potus ue dulcedine, paulum aliquid sumimus ultra naturæ necessitatē. Ad hæc ignoscenda facilis est deus, si mutuis precibus interpelletur. Ad eiusmodi lapsus filiorum plerumq; conuiuent & parētes propitij, qui grauiora cōmissa non ferrēt. Quāquam nulla est culpa tam leuis, ut sit negligēda. Malum ac fugiendū est pñs, quicquid peccatum est, ac neglectum paulatim pertrahit ad mortem. Sed ut his leuioribus, quæ uix ab hominibus uitari possunt, statim est adhibendum remediū: ita deus auertat, ut qui semel abdicauit mundum, seq; deo dicarit, reuoluatur in capitale crimē aliquod. Per euangelicam professionem efficimur filij dei, ac membra Christi. Neq; conuenit, ut filij tantopere dissideant à patre, & à capite membra. Proinde qui penitus intelligit se natum ex deo, cauet à flagitijs magis, quàm à morte ipsa: seruatq; seipsum ne quid habeat commercij cum illo domino malo, cui prius seruiert una cum mundo. Quemadmodum Christus semel mortuus reuixit, & reuixit nunquam postea moriturus: ita qui semel per baptismum mortuus est mundo, & ad uitæ nouitatem resurrexit cum Christo, non decet iterare, propter quod Christo sit iterum moriendum. Sibi metuant à mundo, qui non sunt uere renati ex deo, qui non totis animi medullis receperunt semen Euangelicæ doctrinæ. Nos scimus, quod uere simus ex deo, quos nec mala, nec bona huius mundi separant à Christo. Mundus totus in malo constitutus est. Quocunq; te uertas, offerūt sese quæ nos auertant ab innocentia uitæ. Sed ab huius incantamenti semel liberauit nos filius dei: qui hac de causa uenit

In mundum, ut nos eximeret à contagio mundi. Is dispulit caliginem ignorantiae prioris, ac dedit intellectum illustratum luce Evangelica, ut cognosceremus uerum illum deum, & omnis iustitiae largitorem, cui uni nihil fuit commercij cum mundo: et nos sumus in illo uero, qui sincero pectore doctrinam illius ac promissa sequimur, quàm diu sumus in filio eius Iesu Christo, quem hac de causa misit in mūdum. Hic est uerus deus, qui solus est colendus: & uita aeterna, quae sola est expetenda. Filiioli, si uere nouistis uerum deum, caute à falsis dijs, & simulacris inanibus, quae colit mūdus. Idolum colit, cui nummus deus est. Idolum colit, cui deus uenter est. Idolum colit, qui ob mundanos honores dei praecepta negligit. Multa sunt huiusmodi simulacrorum genera. Vos ab omnibus cauete, si manere uultis in cultu ueri dei. Quod meum uotum faxit ratum is, cuius beneficio liberati sumus ab erroribus pristinis.

IN EPISTOLAM IOANNIS SECVNDAM

PARAPHRASIS PER DES. ERASMV ROT.



SENIOR Ioannes scribo dominae electae, simulq; filijs illius quos ego sincere diligo, nec id facio solus, sed omnes mecum qui cognouerunt ueritatem Euangelicā: nec ob aliud diligūt, nisi quod intelligunt Euangelicae professionis sinceritatē, quā sequimur, manere in uobis, ac mansuram in aeternum. Gratia, misericordia & pax semper uobis augeatur à deo patre, ac domino Iesu Christo, perseverantibus in ueritate doctrinae Euangelicae, ac mutua charitate. Vehementer gauisus sum, quod compererim liberos tuos, matris pietatem imitantes, perseverare in ueritate doctrinae Euangelicae, nec auscultare falsis doctoribus, qui conantur multos ab hac auertere, cum pater hoc nobis praeceperit, ut doctrinae filij sui audientes essemus, & ab illius uestigijs non recederemus. Itaq; iam non est opus domina, ut nouis praeceptis instruam pietatem tuam, tantum in eo perseveremus, quod ab initio traditum est, ut nos mutuo uereq; Christiano amore prosequamur. Conciliet autem hanc beneuolentiam inter nos piae uitae consensus, ac similitudo, ut concordibus studijs uiuamus iuxta Dei praeceptum, qui nihil aequè diligenter nobis iniunxit, quàm mutuam inter nos charitatem. Porro nec inter impios intercedit uerus amor, nec inter dissimiles. Nihil igitur adfero noui praecepti, sed etiam atq; etiam admoneo, ut in eo quod iam olim accepistis perseveretis, nec inde uos ullis artibus pseudoprophetarū auelli patiamini. Siquidem extiterunt multi seductores in mundo, qui negant Iesum esse Christum, qui erat uenturus in mundum iuxta prophetarum oracula. Quisquis hoc docet seductor est, & ille antichristus, Christi aduersarius. Cautēat sibi quisq; ne si relinquat quod bene coepit, perdat omnem fructum eorum, quae hactenus bene gessit: sed demus operam, ut plenam mercedem recipiamus, quae non contingit, nisi perseverantibus usque ad finem. Quisquis diuertit à ueritate, nec perseverat in doctrina Christi, is & à deo patre est alienus, cum descierit à filio. Cæterum qui constanter sequitur huius doctrinam, is eadem opera & patri charus est et filio. Alter sine altero nec haberi potest, nec relinqui. Hec est illa uera doctrina, quam à ueracibus testibus accepistis ab initio. Quod si quis uenerit ad uos, qui diuersam ab hac doctrinam afferat, ut uos abducat ab euāgelica ueritate, huic adeo non debetis auscultare, ut nec in domū sit admittendus, si quærat hospitium, nec aue dictio salutandus, si forte sit obuius in uia. Periculum est enim ne familiam suo conuictu inficiat, & pro officio communicati tecti rependat maleficium, atque à salutatione nascatur colloquium. Corruptunt autem bonos mores, colloquia praua. Porro, qui salutat et congregatur cum impostore huiusmodi, consors esse uidetur malefactorum illius. Addit enim animū improbo, dum se uidet esse alicuius precij apud eos, quos nititur subuertere: & alijs speciē malī præbet, quāsi fauere uideatur illius maliciæ, cuius non horret familiaritatem. Erant alia multa, quæ cupiebam uobis scribere super hisce rebus, uerū ea malo præsens explicare, q̄ calamo chartisq; committere; nam spero fore, ut breuī uos inuisam, ac

præfens cum præsentibus colloquar, ut gaudiū, quod ex uestra constanti ſynceritate concepi, fiat uberius ac plenius, dum & coram intuebor in uobis, quod nunc abſens audio de uobis, & uos uiciſſim meum erga uos affectum oculis conſpicabimini. Saluere te iubent nepotes tui, filij ſororis tuæ, ſcæminæ Chriſtianæ.

IN EPISTOLAM IOANNIS TERTIAM

PARAPHRASIS PER DES. ERASMV. ROT.



ENIOR Caio uiro multū amabili, quem ego diligo ſyncere. Chariffime, illud uotis opto à Ieſu Chriſto, ut quemadmodum proſpere agit anima tua, perſeuerans in Euangelica doctrina, ita & in cæteris omnibus proſpere agat, bene fortunante Chriſto. Neq; enim me diocrem cepi uoluptatem ex oratione fratrum, qui uenerūt ad nos, ac teſtimonium præbuerunt tuæ ſynceritati, tam ueri teſtes, quàm tu uere ſequeris Euangelicam ueritatem, non modo profeſſione, uerum etiam ſtudijs, totaq; uita. Neq; enim ulla res animi meum maiori afficit gaudio, quàm ſi contingat, ut audiam filios meos, quos per Euangelium genui Chriſto, ſequi ueritatem à nobis traditam. Chariffime, quod officioſus es erga Chriſtianos, qui iſtic agunt, aut iſtuc hoſpites commeant, rem facis dignam eo, qui uere fidei Euangelio ac diligit Chriſtum. Nam illi teſtificati ſunt de tua ſynceritate coram omni cœtu Chriſtianorum. Recte facias autem, ſi quos humaniter accepisti uenientes, pari humanitate deducas, quò uolunt proficiſci, ſicut merētur tractari, qui dei negocium agunt, non ſuum, ab ijs, qui deum ex animo diligunt. Non enim profeſſi ſunt ad mercatum, quo rem familiarem augeant, ſed ad prædicandum nomen domini Ieſu Chriſti, cuius doctrinā ſic impartiunt gentibus, ut ab eis tamen nihil accipiant, quo plus fructus referāt Chriſto, cui laborant: ſi quod faciunt, abſit ab omni ſuſpitione captati quaeritus. Decet autem, ut nos tales excipiamus hoſpitio, curemuſq; ne quid deſit ad uitæ neceſſitatem, ut aliqua ex parte participes ſimus eorum, quæ per illos geruntur in gloriam dei. Sic enim promiſit Chriſtus, qui prophetam acciperet ut prophetam, hunc habiturum prophetæ mercedem. Scripli ſam ante congregationi, quæ iſtic eſt, ut idem facerent, quod te admoneo: uerum obſtat Diotrephes, haud quaquam recipiens monita noſtra, malens eſſe primas inter ſuos, quàm humilis ac purus diſcipulus Chriſti: malens autor eſſe nouæ hæreſis, quàm ueteris Euangelicæ doctrinæ ſyncerus ſectator. Quapropter ſi uenero ad uos, commonefaciam illum factorum ſuorum, quæ fortalle credit me latere, dum ipſe malus, dictis malicioſis garrit in nos, quo nobis adimat fidem & autoritatem apud uos, qui uos hortamur, ut perſeueretis in Euangelica doctrina. Nec his contentus, non ſolum non recipit fratres, uerum etiam eos, qui uolunt recipere, prohibet, & congregatione deturbat. Tanta eſt hominis peruerſitas. Frater amande, ne quod malum eſt imiteris, ſed quod bonum eſt. Noſtrum eſt malos perpeti, non imitari. Non omnes ſunt filij dei, qui baptiſmum acceperunt. Qui prijs factis declarat fidem ſuam, is ex Deo natus eſt, refert enim ingenium ac doctrinā patris ſui. Qui impie agit, etiam ſi dictis deum proſitetur, deum tamen uere non uidet, uidetur autem oculis fidei purgatiffimis, quos obcæcant tenebræ uitiorum. Proinde uitabis exemplum Diotrephidis, ac Demetrium tibi propones. Huius enim pietati teſtimonium redditur ab omnibus, qui tamen ſi ſilerent, tamen ipſa res teſtatur hominis uirtutem. Quin & nos experti eius ſynceritatem, teſtimonium de illo ferimus. Et ipſi noſtis, quod uerum teſtimonium de illo ferimus. Habebam & alia permulta, quæ te ſcire cupiebam, ſed non arbitrabar expedire, ut ea calamo & atramento proderem chartis. Spero me prope diem uenturum ad te, tum coram omnia tutius ac plenius loquemur. Pax tibi. Amici qui hic ſunt iubent te ſaluere. Saluta tu uiciſſim horum uerbis amicos qui iſtic ſunt, diligenter ac nominatim.

IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS ARGUMENTVM,
per Des. Erasmus Roterodamum.



N VLLA gens obstinationibus animis repugnabat Euāgelio Christi, quam Iudæorum, qui Paulo etiam peculiariter erant infensi, quod se gentium apostolum profiteretur, quas Iudæi ut profanas & impias abominabantur, quodq; legem Mosaicam, quam illi sacrosanc̃tam habebant, & Euangelij uice per uniuersum orbem spargi cupiebant, antiquare uideretur. Adeo ut essent inter hos quoq; qui Christi doctrinā receperant, qui putarent legis obseruationem cum Euangelio miscendam. Hierosolymis igitur qui crediderant uarijs calamitatibus afficiebantur ab ijs, qui resistebant Euangelio (nam penes hos erat publica autoritas) conſciebantur in uincula, cædebantur, diripiebantur illorum bona. Hos itaq; consolatur Paulus, partim exemplo ueterum sanctorum, quorum pleriq; similibus, aut grauioribus calamitatibus exerciti sunt, quo uirtus illorum esset exploratior spectatiorq; ac præcipue exemplo Christi, partim spe præmij cœlestis. Deinde declarat coruscante iam Euangelio Christi, cessasse umbras legis Mosaicæ, multa repetens ex ueteri testamento, & ad Christum accommodās. Docet non ex obseruatione legis ad tempus datæ & imperfectæ, sperandam esse salutē, sed ex fide, per quam ueteres etiam illi probatæ sanctimonie uiri, quorum memoria Iudæis erat sacrosanc̃ta, deo potissimum placuissent. In fine tradit præcepta quædam ad mores Christianos facientia.

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

AD HEBRAEOS, PER DES. ERASMV M ROTEROD.



V M olim deus humano generi, pro sua in nos pietate consulere studens, multifariā multisq; modis sæpe locutus sit per suos prophetas, quibus nunc in nube, nunc in igni, nunc in aure tenuis sibilo, nunc alia atq; alia specie sese ostendit, nonnūquam per angelos, interdum arcano quodā mentis afflatu semet insinuans: tandem hisce temporibus extremis, quo certiore argumento declararet suam erga genus hominū charitatē, quoq; pleniorē nobis fidem faceret, loqui dignatus est nobis, non per angelum, non per hominem prophetam, sed per unicum filium suum Iesum Christum: quem æterno suo consilio instruit hæredem ac dominum, non tantum Iudaicæ gentis, sed orbis uniuersi, utpote uerum & unicum filium eius, cuius sunt omnia, quæ condita sunt in cœlo & in terra, quemadmodum & in psalmis ante promiserat. Nec mirum si uoluit filium habere secum commune dominium totius orbis, cum per illum condiderit orbem uniuersum. Sermone condidit, ac filius patris æterni sermo est æternus, nec ille condidit mundum per filium, ueluti per organum, aut ministrum, sed ut eadem fuerit potestas condentis patris ac filij. Neque enim sic est filius Dei Iesus Christus, quemadmodum homines pij nonnunquam dicuntur filij dei, quod illius præceptis obediant: sed quod à Deo patre genitus sit deus, atq; ita genitus, ut eadem sit illi natura cum patre. Et tamen cum esset æternus splendor paternæ gloriæ, ueluti lux manans à luce, & imago expressa substantiæ illius, per omnia similis & æqualis illi, à quo nascitur: cumq; non solum sit conditor omnium, uerumetiam condita moderetur, ac uerset nutu iussuq; omnipotenti suo, simul cum omnipotente patre, uideat quo se nostra causa demiserit. Assumpsit humanam naturam nostræ conditionis iniurijs obnoxiam, ac moriens, in crucis ara seipsum hostiam immolauit pro nostris peccatis: cumq; antehac sacerdos Mosaicæ legis pecudis sanguine soleat expiare peccata, hic suo sacrosanc̃to sanguine expurgauit delicta totius humani generis: atque ex hac demissione sui, tantam sibi parauit gloriam, ut rediuius ac reuersus in cœlum confederit dexter Dei patris maiestati, in qua semper illi fuerat æqualis iuxta naturam diuinam. Sed huius maiestas ex humilitate magis inclaruit mundo, adeo, ut qui prius uidebatur abiectus infra infimos homines, nunc maior sit & habeatur non solum prophetis, uerumetiam ipsa

per quem fit
cit secula

purgationem
peccatorum
faciens

ipsis angelis: ac tanto maior, quanto plus habet dignitatis filij nomē quā famuli. Siquidem angelus ministri uocabulum est, & conuenit inferiori. Summa quidem dignitas angelorum, qui semper assistunt patri, contemplantes faciem illius. Et in his alios alij præcedunt dignitate. Sed cui angelorum deus unquam tantum habuit honoris, ut illum filij uocabulo dignaretur, cum in Psalmo mystico ad hūc modum loquatur Christo: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ac rursus: Ego ero illi pater, ille erit mihi filius. Siquidem angelos ex nihilo condidit, filium e sua genuit substantia, per omnia similem atq; æqualē. Rursus autem cum in Psalmo mystico filium humano corpore uestitum inducit in orbem terræ, loquitur hunc ad modum: Et adorēt eum omnes angeli dei. Nimirum honorantur famuli, sed adoratur filius, qui patri est æqualis. Cæterum ubi dignitatem angelorum exprimit scriptura mystica, quid dicit: Qui facit, inquit, angelos suos spiritus, ac ministros suos ignis flammam. Quod facti sunt angeli, hoc habent cum cæteris rebus à deo conditis commune: quod facti sunt spiritus, ac mentes à contagio corporis humani liberæ, quodq; semper ardentes diuina charitate assistunt agiles executores diuinæ uoluntatis, hoc nimirum præcellunt nobis. At quanto magnificentiora sunt, quæ loquitur filius: Thronus tuus deus in æuum omne, sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui. Auditis dei uocabulum tribui filio, auditis thronum regni tribui, auditis sceptrum tribui, regni nunquam habituri finem. Sequitur autem in eodem Psalmo: Dilexisti iustitiā, & odisti iniquitatem, propterea unxit te deus, deus tuus, oleo exultationis ultra cōsortes tuos. Auditis hunc peculiaris unctum à deo patre supra cōsortes omnes, siue homines, siue angelos: Et rursus alio Psalmo, uide quantum autoritatis tribuatur filio: Et tu, inquit, initio domine terræ fundamēta iecisti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut uestimentum ueterascent, ac uelut amictum circumuolues eos, ac subito mutabūtur. Tu autem semper idem es, & annitui non deficient. Ad quem angelorum unquam hæc dicta sunt: aut illud quod alio in Psalmo legitur: Sede à dextris mihi, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Itaq; nec condendū autoritas, nec regni maiestas tribuitur angelis, sed omnes quantumuis magni sunt: mentes sunt ministerio destinatæ, qui nonnunquam in hoc emittuntur in terras, ut adsint his, qui futuri sunt hæredes æternæ salutis. Atqui hi sunt discipuli Christi.

CAPVT II



Orrò quod tot uerbis demonstrauit seruatoris nostri dignitatem huc spectat, ut quo maior est ille, quem pater nostræ salutis causa misit in mundum, hoc attentius audiamus, quæ per illum dicta sunt nobis, ne quando excidat, quæ nobis per illum denunciauit pater. Summus est qui misit, & maiorem mittere non potest. Extremam hanc legationem esse uoluit, nec est ulla salutis spes, si hanc fuerimus aspernati, quemadmodum maiores nostri Moysen aspernati sunt, et prophetas. Quo maior est legatus, quo maior est humanitas dei erga nos, hoc grauior erit uel contumaciæ, uel negligentiae culpa, nisi dictis paruuerimus. Etenim si pondus habet, quicquid hactenus Deus maioribus nostris mandauit per prophetas, aut per angelos, qui quomodo Mosi diuina iussa renuntiabant, siq; pœnas iustas dederunt, quicunque iussis per illos non obtemperassent: quod deum aspernari uideretur, quicunque dei nuncios aspernatur: quomodo nos effugiemus pœnam, si neglexerimus non Mosæica mandata, sed tam paratam salutem, tam insignē, tam euidentem: atq; eam quidem ad nos ultro delatam, nō per Moysen, non per angelos, aut prophetas, in quos utcumq; fingi possit aliqua suspicio uanitatis: sed per ipsum dei filium, qui nobis non est loquutus procul è nube, aut per somnium, aut alia ratione, in quam caderet suspitio fraudis aut præstigiij: sed coram auditus est, conspectus est, contrectatus est, diu uersatus est inter homines, plurimis ac maximis argumentis declarans sese uerum dei filium, ac perfectam salutem offerens uniuerso mundo per fidem Euangelicam. Huius tantæ rei fides cum primum orbī tradi cœpisset, per ipsum dominum Iesum Christum, qui non solum præco fuit salutis æternæ, uerum etiā autor, post confirmata est ab eis, qui testes fuerant omnium, quæ ille dixit ac gessit inter homines uersans: ac ne horum prædicatio parum haberet ponderis, sermonem illorum deus ipse uarijs miraculorum signis ac prodigijs, alijsq; mirificis dotibus, quas spiritus ille cœlestis uarie distribuebat suis, ut ipsi uisum est expedire saluti mortaliū, confirmabat: ex quibus omnibus abunde constitit, totum hoc quod agebatur, non esse uirium humanarū, sed diuinæ uirtutis

Quomodo
nos effugie-
mus

uirtutis: atq; eum, qui hæc prodidit, primū ipse, deinde per suos discipulos, nō fuisse simplicem hominē, sed deum humano indutum corpore. Ac ne angelum quidem fuisse declarat psalmus mysticus, ita de Christo testificans: Quid est homo, quod memores eius, aut filius hominis, quod curam habes illius? Demisisti illum paulisper infra angelos. Ac mox: Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti pedibus eius. Antequā deus cōderet orbem terræ, iam tum decretum erat cōsilio diuino, ut quicquid esset in orbe futurum, subiceretur pedibus Iesu Christi. Nulli uero angelorum legitur dominatum tribuisse totius orbis, in quo continentur & angeli. Etenim qui dixit omnia subijcienda, nihil reliquit non subijciendum. Atq; huius psalmi uaticiniū ex parte perfectum est, ex parte perficiendum futuro seculo. Nondum enim uidemus illi subiecta esse omnia. Rebellatur adhuc ab impijs, & grauis est conflictatio ecclesiæ cum mundo. Cæterum illud iam uidemus perfectū, quod Iesus, qui cum hic affligeretur uarijs cruciatibus, ac deniq; crucis supplicium subiret, & id quod est hominum iudicio amarissimum, hominū causa gustaret, sed ita gustaret, ut tamen non aborberetur, uidebatur esse factus inferior angelis, qui nec mortis, nec ulli dolori sunt obnoxij: nunc tanta gloria & honore coronatus est, ut mundus intelligat ipsum immunem ab omni culpa, iuxta uoluntatem dei uolentis humanæ salutis consulere, subisse mortis supplicium. Siquidem mors illius non erat pœna commissi per illum, sed erat fauor diuinus erga genus humanum, quod sua gratuita beneficentia redimī uoluit per mortem innocentissimi filij sui Iesu Christi. Atq; ut nō poterat nos euehere ad immortalitatis confortium, nisi deus esset: ita non conueniebat, ut is qui condidisset omnia, & cuius moderatione gubernarentur omnia, sineret in totū perire, quod cōdidisset. Vbi uero regnum filij, si solus esset apud patrem? Itaque decere uisum est, ut filius autor ac princeps salutis omnium, exploratus ac probatus multis afflictionibus, non solum ipse sibi pararet hæreditatem æternæ gloriæ, uerum etiā multos alios filios secum adduceret, patri sua morte reconciliatos. Et ideo corpus humanum assumpsit, ut homo hominem purificaret. Nam sacrificus Christus, qui purificat, & homines, qui purificantur, iuxta naturā humanam ex eodem parente primo ducunt originem, ut cōmunem patrē habent in cœlis. Vnde dei filius in psalmis non erubescit homines pios appellare fratres, cum ita loquitur: Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. An non hic palam discipulos suos fratres appellat? Et rursus alio quodam in loco: Et ego fiduciam meā ponam in eo. Porro probati filij est, toto pectore fidere patri. Atqui is quando promisit se omnia subiecturum pedibus filij, dubium nō est, quin & illos seruaturus sit, cum quibus & in quibus regnet filius. Rursus alio quodam in loco apud prophetam Esaïam dominus discipulos appellat pueros suos, cū ait: Ego & pueri mei, quos dedit mihi deus. Auditis cognationis uocabula. Quandoquidem igitur hi fratres & hi pueri de quibus loquitur, homines sunt, cōstantes ex carne & sanguine, uoluit ille qui cœlestis erat, assumere carnem humanā, & hac parte similis illorū fieri, quos erat asciturus in æternæ cognationis cōsortiū: ut morte sua aboleret, eū qui mortis habebat imperiū, hoc est diabolus, ac liberos redderet eos, qui metu mortis æternæ per omnem uitā obnoxij erāt seruituti satanæ, qui per mortem regnabat in omne mortaliū genus. Nam quisquis peccato obnoxius est, idem morti est obnoxius. Nec enim cuiquam angelorū hoc honoris habuit Christus, ut illius assumpta natura frater aut cognatus illi fieret. Sed iuxta promissionē diuinā semen Abrahæ apprehendit. Iudæus natus est ex Iudæis, homo natus est ex homine, obnoxius omnibus nostræ naturæ incōmodis, siti, fami, æstui, frigori, lassitudini, dolori, morti, quo similitudo testaretur uerā naturæ cognationē, & fidem faceret illum non deserturum eos, pro quibus tantum malorum subijisset, quosq; sibi tam arcta necessitudine copulasset: unde congruebat, ut hīs quos sibi fratres esse uolebat, per omnia similis redderetur, quo maiorem illis fiduciā præberet impetrandæ uenix: quod is qui pontificis munus suscepisset, ut apud deum intercederet, expiaturus peccata totius populi, omneq; mortaliū genus illi reconciliaret: hoc argumēto uideretur misericors ac fidus futurus erga suos, quod non solum esset eiusdem naturæ, uerum etiā quod ipsi cōtigisset innumeris huius mūdi afflictionibus explorari probariq; quo facilius uideretur succursurus ijs, qui malis huius mundi uexarentur.

*Vt gratia dei
pro omnibus
gustaret mortem*

Ex uno oēs

Ex uno oēs



Vaproppter fratres, iam filij sanguine purificati, ac dei gratuita bonitate ad hoc uocati, ut ueniat in consortium uitæ cœlestis, quo magis illius beneficijs respondeatis, considerate quanta dignitate præmineat apostolus ac pontifex uestre professionis, hoc est Euangelicæ fidei, Christus Iesus, quamq; pure atq; integre se gesserit erga deū, à quo fuit constitutus in tota ecclesia: quemadmodum Moses laudatus est, quod fidelem ministrū gesserit in tota synagoga sua, quæ est domus ac familia dei. At Christus tanto plus honoris ac dignitatis promeruit, quanto plus debetur honoris ei qui condidit domum, quàm domui ipsi. Si quidem omnis domus ædificatur ab aliquo. Porro qui condidit omnia, deus est. Moses igitur sic uersatus est in domo dei, ut ipse pars esset domus, nō autor. Ac meretur quidem hoc Mosi pietas, ut apud nos magnæ sit autoritatis, quod in tota domo dei bona fide uersatus sit, sed tanquam minister ac dispensator, non tanquam filius. Ille uersabatur in domo aliena, hic in sua. Ac Moses typos tantum ac umbras rerum adferebat earum, quas post Christus erat explicaturus. At Christus ut cōditor ac filius administrauit suā ipsius domum, cuius domus sumus nos, qui per euangelicam professionem aggregamur illius ecclesiæ, si modo perseuerauerimus in eo quod instituimus: hoc est si in concordia domus permaneamus, & fiduciam quam nobis tribuit spiritus Christi, simulq; gloriosam spem, qua ceu germani filij dei, fratresq; Christi, cœlestem hereditatem expectamus, ad finem usq; firmam & illabefactam tenuerimus. Nihil enim nobis proderit audisse doctrinam euangelicam, nisi perseueremus uiuere iuxta doctrinam Euangelicam: imò hoc grauius puniemur, quo maior est qui per se nobis dignatus est loqui. Quare meminisse oportet, quod in psalmo mystico loquitur spiritus sanctus, adhortans populum, ut obediat uoci diuinæ, ne prouocatus ille, grauius illos puniat, & à promissa requie seculari: Hodie, inquit, si uocem eius audieritis, ne obduretis corda uestra, sicut fecistis cum deum exacerbaretis murmure ac rebellionem eo die, quo patientiam uestram explorabat in deserto: ubi, inquit, tentauerunt me patres uestri, uelut explorantes an is essem, qui possem punire nocentes, & experti sunt iram meam: & qui dictis credere nolabant, uiderunt opera mea, idq; annis quadraginta. Tantum enim temporis in deserto circumacti sunt, cum ex Aegypto profugi peterent terram, in qua promiseram illis quietem: quapropter offensus eram illi genti, ac mecum dicebam: Hi semper errant corde, sequentes suas cupiditates, neq; cognouerunt uias meas. Atque ob hanc inobedientiam iratus iuraui, nunquam fore ut ingrediantur terram, in qua pollicitus sum illos requieturos ab laboribus itinerum. Audistis fratres deum patribus nostris comminantem, non peruenturos ad terram promissam, nisi perseuerassent obedire iussis ipsius. Ac nos quidem per baptismum liberati à delictis uitæ prioris, egressi quidem sumus ex Aegypto, nunquā tamen perueniemus ad immortalitatem promissam in cœlestibus, nisi perstiterimus in obseruatione fidei & charitatis euangelicæ. Sin respicimus Aegyptū relictam, hoc est si relabimur ad pristinae uitæ cupiditates, excludemur à consortio uitæ cœlestis. Videte igitur, ne sit in ullo uestro cor prauū ac rebelle iussis euangelicis, aut obnoxium incredulitati, sic ut reflectens sese ad relictā uitā, & mortis principem diabolum, desciscat à deo uiuente. Quin potius quotidianis hortatibus confirmate uos inuicem ad perseuerantiam in tolerandis huius uitæ laboribus, quibus deus explorat sinceritatem fidei nostræ, quamdiū dicitur dies hodiernus: hoc est quamdiū gerimus hoc mortale corpus, & adhuc in huius mundi deserto nō absq; periculo peregrinamur: ne quis fractus huius uitæ malis ab instituto itinere seducatur illecebra peccandi. Quemadmodum olim Hebræi maiores nostri, pertesi laborū diutinae profectionis, desiderabant nidorem ollarū, quas in Aegypto reliquerant. Sumus quidem insiti corpori Christi per baptismum ac fidei professionem, sed ita, ut nostro uitio possimus excidere, nec aliter in hereditatem immortalitatis nobis promissam peruenturi, nisi felicitatis initium ac fundamentum, quod per Euangelium in nobis iactū est, solidum & inconcussum tenuerimus usq; ad finem, semper proficientes in eo quod coeptū est, admoniti per hoc quod nobis semper dicitur: Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, sicut in exacerbatione. Quidam enim audita uoce domini non obediētes, exacerbauerunt illū, indignationē illius in se prouocantes

*Sed adhorta/
mini uosmet/
ipsos*

cantes: at non omnes id fecerunt, qui profecti fuerant ex Aegypto duce Mose: atq; n̄s sane datum est peruenire ad terrā lacte ac melle manantem. Quibus autem indignatus est annis quadraginta: nōne ihs qui peccauerant? At isti non introierūt in requiem, sed horum cadauera prostrata sunt in deserto. Quibus autem sic indignatus est, ut iuraret eos non ingressuros in requiē promissā: nisi ihs, qui uoci dei non paruerant? Videmus itaq; deum utrobq; ueracem fuisse, qui quidem & prastiterit morigeris quod promiserat, & inobedientibus quod fuerat comminatus. Peruenerunt illi sua patientia, isti non potuerunt ingredi propter incredulitatem ac diffidentiam.

CAPVT IIII



QUOD maioribus nostris tum erat Moses, hoc nobis nunc est Christus. Ac terrena requies erat, ad quam illi properabant: nos tendimus ad requiem coelestem. Metuamus igitur negligere uocem dei, quæ nobis quotidie loquitur per Euangelium: ne quemadmodum ex illis cōplures sua culpa frustrati sunt expectatione quietis promissæ, ita contingat, ut ex nobis etiā uideatur aliquis esse frustratus, nec assequatur ad quod ire cōeperat. Siquidē nobis denuntiata est longe felicior requies quā illis, idēq; per legatum multo certiore quā illis. At illis nihil profuit accepisse promissionē quietis, & hactenus audisse uocem domini, propterea quod non crederent auditæ. Introibimus enim in uerā requiem, quæ nescit ullos malorū tumultus, nos qui credidimus uoci dominicæ, quemadmodum cōtra negat ingressuros, qui non crediderint, dicens: Sicut iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam: cum tamen prima dei requies iam multis retro seculis præcessisset, nimirum operibus illius in orbe condendo perfectis, & in huius quietis memoriā Iudæi sabbatismum suum celebrent. Siquidem de prima quiete loquens, quæ contigit die ab opificio mundi septimo, scriptura dicit: Et requieuit dominus die septimo ab omnibus operibus suis. Ac rursus hoc in loco quem adduximus ē psalmo, meminit secundæ quietis, quæ refocillaret Hebræos hospitio terræ Palæstinæ longo itinere defatigatos, dicens: Si introibunt in requiem meam. Ex his igitur quoniam consequitur, deum primo introisse in suam requiem cōdito mundo, & in secundam paucos ingressos fuisse propter incredulitatem, & tamen uanam fore promissionem, nisi populus aliquis ingrediatur, prioribus exclusis, quibus in umbra legis erat promissā requies, quā tamen nō ingressi sunt, quibus erat promissā: rursus psalmus mysticus per os Dauid, post tot annos à possessa Palæstina præfinit alium diem, quem non septimum, sed hodiernum uocat, quemadmodum sæpe iam dictum est: Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Etenim si Iesus Naue filius, quo duce quidam ingressi sunt Palæstinam, prastitisset Irahelitis requiem ueram, nequaquam deus per os Dauid alterius diei postea meminisset. Alioqui dicere poterat: quam nouam requiē nobis proponis, cum promissā teneamus, regnantes in terra Iudæa? Restat igitur aliis quidam sabbatismus populo dei: restat alia requies, non in Palæstina, sed in coelesti patria, quō properamus duce Iesu Christo, quod tamen non continget, nisi sabbatismum Euangelicū hic pure celebrauerimus, abstinētes ab operibus huius mundi. Quisquis enim ingressus est in hanc uerā requiem dei: iam & ipse conquieuit ab operibus suis, quemadmodum deus cōquieuit à suis orbe condito. Siquidem perductus est in eam uitā, quæ nullum habet laborū aut dolorum tumultum. Ergo dum adhuc in huius uitæ deserto peregrinamur, ne restitemus, ne respiciamus, sed fugibus studijs, sed ardentibus uotis properemus in uerā illam requiem, ad quam uocat Iesus dux noster: neq; cōmittamus, ut aliquis nostrum cōcidat in uia quemadmodum illi conciderunt. Nec enim erit nobis leuior poena, si simili peccemus exemplo. Neq; uero negligendum est, quod minatur sermo dei Christus Iesus: nam uiuus est & efficax, ac penetrantior quouis gladio utrinq; incidente, neq; solū incidens membra corporis, uerum etiam intimos affectus animi, adeo ut dissecet animā à spiritu, dissecet compages omnes ac medullas mentis, discretor cogitationū arcanarum & consiliorum cordis nostri: & adeo nihil illum fallit humanæ cogitationis, ut nulla sit usquā omnino creatura, neq; in coelo, neq; sub terra, quæ illius oculis non sit manifesta, sed omnia nuda sunt ac resupinata oculis eius, cui nobis erit uitæ nostræ reddenda ratio. Vt olim nō fefellit deum murmur Hebræorum, nec opus erat ullo gladio ad perdendos illos, nisi iussu diuino

Ingrederemur enim requiem

Ad quem nobis sermo

Thronum
gratie

diuino: ita non fallit nunc Christum, qui professus Evangelicam uitam, furtim amat ea quæ mundi sunt, neque sincero affectu properat ad promissam requiẽ. Cum igitur habemus Pontificem uere magnum Iesum Christum filium dei, qui peracto sacro pro nobis reconciliandis, non ingressus est adytum templi manibus structi, sed penetrauit cœlos nobis propiciaturus patrem: perseueremus in professione nostra, sequentes uiam quam ille monstrauit, & properantes ad ea quæ ille promissit. Ne nos deterreat illius magnitudo, sed magis animum addat clementia. Agit ille quidem in cœlis, sed prius homo uersatus in terris. Ne igitur imaginemur nobis esse pontificem, qui non possit tangi sensu nostræ imbecillitatis. Tentatus est ille omni genere malorum, quibus obnoxia est uita nostra: at uictor repetijt cœlos, ne nos delassemur in afflictionibus, illius ope freti, & infractis animis pertendamus ad requiem æternæ felicitatis, ad quam ille peruenit. Nec enim ob aliud ille afflicus est, cæsus est, consputus est, crucifixus est uelut nocens, cum esset innocens, ut nos, qui uere nocentes eramus, purgaret ab omnibus peccatis. Non mutauit erga nos affectum suum, modo ne illum alienemus nostra puerilitate. Freti igitur illius clementia, accedamus ad thronum eius non terribilem, sed placabilem, & ad iuuandum paratum, nō ad perdendum: accedamus cum fiducia nihil hæsitantes, ut consequamur misericordiam, quæ nobis peccata nostra condonet, ut gratiam quæ nos cœlestibus bonis instruat & opituletur, quoties res postulabit. Neque enim ab alio sunt nobis postulanda præsidia, quæ unde speramus præmia.

C A P. V.

P

ORR O solenne est apud Iudæos, ut omnis pontifex ex hominū numero electus constituatur in hoc, ut in his negocijs quæ inter deum & homines aguntur, interpellet pro hominibus ceu medius quidam inter utrosque: ut si quid offensus sit deus peccatis mortalium, is illum donarijs ac uictimis rite oblati reconciliet, qui propter autoritatem pontificiæ dignitatis sic ualeat apud deum, ut tamen nō sit alienus ab humana imbecillitate, quo placabilior sit ijs, qui per ignorantiam errorē deliquerunt, propterea quod ipse sit obnoxius eidem imbecillitati, ob naturam communem. Facilius enim alienis malis indolent, quos experientia similium malorum docuit misericordiam, ac lubentius succurrit aliorum erratis, qui ipse labitur nōnunquam, aut certe non abest à periculo lapsus. Atque hanc ob causam Mosaicus sacerdos quemadmodum immolat hostiam pro peccatis populi, ita debet & pro suis immolare. Porro Christus sic habuit naturam nobiscum communem, doloribus mortisque obnoxiam, ut tamen expers esset omnis peccati. Pœnam expertus est, peccati nescius. Ad hæc iuxta Mosaicos ritus, nemo sibi ultro uendicat atque usurpat honorem pontificiæ functionis, sed hunc tantum sumit, qui huc iussu numinis asciscitur, quemadmodum ascitus est Aaron. Siquidem honore uidetur indignus, qui per arrogantiam ambit dignitatem: & parum idoneus est ad functionem, qui semet ingerit. Atque hac quoque in parte Christus legitimi pontificis exemplum præbuit. Nec enim ultro uindicauit sibi gloriam pontificiæ dignitatis, sed approbatus est à patre, qui primum agnouit Iesum uerum filium suum, cum ait: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Mox etiam uerum ac legitimum sacerdotem constituit, cum ait: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Quomodo sit ordinatus habetis, nūc quomodo sit tentatus ac probatus, accipite. Cum adhuc mortale corpus gestaret in terris, preces & obsecrationes obtulit Deo patri, qui poterat illum à supplicio crucis seruare, nisi maluisset morte filij mortalium saluti consulere: obtulit autē ingenti affectu, cum ualido clamore ac profusis lachrymis, & auditus est, pro charitate simul & dignitate, qua ualet apud patrem, impetrauit quod uoluit. Voluit enim nō ut supplicium crucis effugeret, sed ut sua morte nobis pararet salutem. Sensit horrorem, sensit cruciatum mortis, sed uicit amor humani generis. Filius erat, & nihil non erat impetraturus à patre, si postulasset: sed ita uisum est magis congruere nostræ salutis, ut omnibus malis afflicus, ad crucis usque supplicium præberet suis perfectæ obedientiæ formam. Rogatis quid profecerit hæc tolerantia sacerdotis nostri: Sic modis omnibus spectatus ac probatus, ut nihil in eo desideraretur, non solum seruauit seipsum, sed causa fuit salutis omnibus, qui hoc obedientiæ exemplū imitantur. Impetrauit enim à patre, ut quos habuisset socios afflictionū, haberet & regni consortes. Ob hoc sacrificium rite peractū cognominatus est à deo pontifex secundū ordinē Melchisedec.

Qui in diebus
carnis sue

autem

autem fuerit Melchisedec, & qua cōgruentia filium dei figurauit, multa nobis essent dicenda, sed omnia perdifficile fuerit enarrare uobis, eo quod aures uestre parum capaces sunt huius sermonis, atq; imbecilliores, quam ut sermonem tam arduū tamq; prolixum ferre possint. Qua quidem in re studiū uestrum ac profectus ardorem desiderare cogor, qui cum tot annis iam sitis profecti Christum, ut pro temporis modo debeat esse doctiores aliorum, rursus opus sit uobis, ut uos doceamus prima rudimenta, ac uelut elementa scripturæ diuinæ, quæ ceu pueris tradi solent his, qui per baptismum renascuntur Euangelio: quosq; iam robustos ac firmos esse decebat in Euangelica philosophia, uelut infantes teneri, infimæ doctrinæ lacte adhuc egeatis potius, quam idonei sitis solidō cibo sublimioris eruditionis. Adhuc hæretis, ac uelut repitis in historia diuinæ scripturæ, necdum assurgitis ad sensum abstrusorem. Porro qui talis est, ut sit adhuc lacte fo uendus, is rudis est, & nondum satis firmus ad audiendum iustitiam Euangelicam, quæ non in historia, sed in allegorijs inuenitur. Et ideo non est capax sermonis, qui tradit nobis perfectam iustitiam, quia adhuc in Christo est infans, nuper insitus corpori Christi, sic ut paulatim proficiat ad maiora. Porro solidus cibus sensus altioris adultorum est ac perfectorum, nempe horum, qui longa assiduq; meditatione sensus habent exercitatos ad boni maliq; discretionē. Qui puer est ac lacte alitur, uiuit quidem, at nondum usq; atate sibi collegit robur, ut ipse sibi deligat ex omnibus quod optimum est, nec ex pectet ut alius lac, aut alioqui puerilem cibum præmansum in os inferat.

CAPVT VI

Quapropter nos quos iam oportet desisse pueros esse in philosophia Christiana, omisso sermone, qui rudes solet primis elementis instituere, seramur ad perfectionem, neq; semper in hoc hæreamus, ut subinde fundamentū iactamus poenitentiae: Quandoquidem primus omnium gradus est ad Christianismum, uitæ superioris agere poenitentiam, & a peccatis recedere: deinde, ut doceamur a Deo sperandam esse ueram innocentiam ac salutem: mox, ut baptismo sacro purgemur a fordibus uitiorum, & innocentiae restituamur: sub hæc per manus impositionem accipiamus spiritum sanctum: utq; credamus futuram resurrectionem mortuorum, simulq; iudicium illud supremū, quod alios addicet æternæ felicitati, alios æternis cruciatibus. Hæc semel didicisse satis est, semel professos esse satis est, semel credidisse satis. Absurdum autem fuerit, si his traditis sic deinceps agamus, ut necesse sit subinde nobis iterari quæ in hoc traduntur, ut fundamentum sint ædificio superstruendo. Verum elementis huiusmodi semel acceptis, ardentibus studijs enitendum est, ut euadamus quotidianis actibus pietatis grandes, ac perfecti, & a semel facto fundamento, nobilis structura ex auro, argentoq; & lapidibus preciosis uirtutum ac p̄e factorum surgat ad supremum usq; fastigium. Nostrium est huc eniti, ut quod conamur perficimus, si nobis conantibus affuerit prosper ac fauens deus, sine cuius præsidio nihil potest humanū studium. Hunc cursum postea q̄ semel aggressi sumus, non est resistendū, non respectandum, non ad relicta redeundum, sed semper ad meliora proficiendum. Stultissimum aut sit ad id recurrere, quod iterari nec debet, nec potest. Siquidem ne potest quidem fieri, ut qui semel reliquerint tenebras uitæ prioris illuminati per doctrinam euangelicam, iamq; per baptismum condonatis peccatis, experti sint dei gratuitā liberalitatem, ac cōlestē donū, quo sublati semel uitis omnibus largitur innocentiam, deinde per impositionem manus sacerdotalis, participes facti fuerint spiritus sancti, per quem fidere cōperunt felicibus promissis æternæ uitæ, iamq; ceu prægustare uirtutes seculi futuri: si per incuriam relabantur in dedecora uitæ prioris, denuo renouentur per poenitentiam id quod semel factum est in baptismo, in quo semel deponitur uetus homo cum actibus suis, & exiit e lauacro noua creatura. Siquidem qui postulant, ut subinde relapsi in uitam pristinā, denuo per baptismum innouentur: hi quid aliud agunt, quam ut iterum sibi crucifigant filium dei, ac ueluti ludibrio exponant? Semel ille pro nobis est mortuus, semel cum illo mortui sumus in baptismo. Semel ille resurrexit, nunquam iterum moriturus: & nos oportet sic in nouitatem uitæ cum illo resurgere, ut non relabamur in mortē uitæ semel relicte, hoc acriter prouocantes iram dei, quo fuit uberior illius in nos liberalitas. Oportet enim ut diuina erga nos benignitati nostra respondeat industria. Semina quædam pietatis inde

ille, quæ ut adolescant nostra item cura est adhibenda. Nam terra quæ pluuiam frequenter in se uenientem combiberit, ac progenuerit herbam utilem his à quibus colitur, ea collaudatur à deo, quod sterilis nō sit, neq; semen iactum absq; fructu premat ac suffocet. At quæ recepto bono semine produxerit spinas ac tribulos, reproba est & affinis execrationi diuinæ: cuius exitus huc tendit, non ut demetatur, sed ut exuratur. Atque hæc exhortandi gratia loquimur charissimi, non quod hæc quæ diximus de terra sterili, in uos competant. Imò de uobis meliora nobis persuasimus, quæ salutem uestram promittant, auxiliante deo, potius quàm exitum: tametsi similitudinem hæc produximus, quo in uobis studium Euangelicæ pietatis exacuamus, ne relanguescentes paulatim deueniatis ad extremum malorū. Aderit uobis deus ad meliora nitentibus. Non enim ingratum est, nec iniustus, ut obliuiscatur benefactorum uestrorum, susceptiq; laboris, non ob gloriam aut quæstum, sed ex amore nominis ipsius, quem ipsa re declarastis: qui & de facultatibus & officijs uestris, & olim subministrastis sanctis, per quos nomen Christi prædicatur, & adhuc etiam subministratis. Porro ea gratia hæc diximus, quod cupimus ut in eo quod facitis perseueretis omnes, inter quos sunt nonnulli languidiores q̃ uellem: nec perseueretis modo, uerum etiam ut magis ac magis indies proficiatis, donec perueneritis ad perfectionem: ut quod nunc de uobis bene spero, planè confidam, uidens uos semper in melius progredi, proculq; abesse à periculo eorū, qui segnescentes paulatim relabuntur in uitam pristinam, sed eorum potius uestigijs ingredienti, qui fidentes Christi promissis, tenaciq; spe præmiorum cœlestium, perueniunt ad hæreditatem immortalis uitæ, quam suis promissit in regno cœlesti. Qui diffisi promissis dei, respiciabant Aegyptum relictam, non peruenerunt ad terram promissam: sed Abraham constanter filius dei promissis, etiam reclamante natura, consequutus est quod expectarat. Deus enim quo certior esset fides promissionis, iusiurandum interposuit, quod apud homines certissimum pignus esse solet: Iurauit autem per semetipsum, eo quod non haberet maiorem se per quē iuraret. Iurauit autē hunc in modum: Per memetipsum iuravi, quia fecisti hanc rem, & nō pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicens benedicā tibi, & multiplicans multiplicabo semen tuū sicut stellas cœli, & harenā quæ est in litore maris. Deus igitur perspecta constantia senis, nihil contantis etiam filium occidere, in quo uidebatur omnis spes posteritatis esse sita, iureiurando confirmauit quod ante promiserat. Nam deus cum homine agens, humanum morem imitatus est. Siquidem homines iurant per eum qui maior est, quo grauius sit iusiurandum. Atq; iisdem si quid dubium est, aut cōtrouersum, id soluitur finiturq; si iurisiurandi confirmatio accesserit. Atque hac de causa, cum deus uellet insigniter declarare firmitatem consilij sui hæreditibus promissionis, iusiurandum interposuit: ne quis suspicari posset deum mentiturum, qui suam fidem gemino uinculo astrinxisset, primum promisso, mox iureiurando: utq; certa concepta fiducia, firmam habeamus consolationem in huius mundi procellis, qui non collocauimus felicitatem nostram in huius uitæ commodis, sed huc confugimus, ut spe proposita potiamur in futuro seculo: quam interim in his mundi tempestatibus uelut ancoram animæ firmam ac tutam tenemus, ut quæ nobis non in rebus fluxis, sed in cœlo fixa est, nimirum porrigens sese usq; ad ea quæ sunt intra uelum, ubi nullæ sunt rerum uices, sed æterna stabiliaq; omnia. Hæc est illa pars interior tēpli, quam nos eò præcurrens uięq; monstrator ingressus est Iesus Christus, pro nobis interpellaturus patrem, factus pontifex in æternum secundum ordinem, ut dicere corperam, Melchisedec.

CAPVT VII



AM quando nos ipse sermonis cursus reduxit ad mentionē Melchisedec, uideamus qualis ipse fuerit, & qua ratione gesserit typum nostri sacerdotis. Nam hic Melchisedec rex ciuitatis dictæ Salem, pontifex fuisse legitur dei altissimi, qui occurrit Abraham reuertenti à cæde triū regū, eiq; benedixit ob rem fortiter gestā, cui decimas etiā omnibus ex rebus suis impartijt Abrahā. Ac Melchisedec ex ipsa statim nominis interpretatione dicitur rex iustitiæ: deinde ex regi titulo dictus est rex Salem, hoc est rex pacis: dictus nec patrē habere, nec matrē, nec genealogiā, nec initium dierū habens, nec uitæ finē habiturus. Sed de illo dictū est, quod uere competit in filium dei, quod maneat sacerdos in æternum. Et hæcenus quidē nihil non competit

non competit in Christum pontificem nostrum, qui iustitiae regnum statuit, qui pacis est princeps, qui iuxta diuinā naturā, nec patrem habuit in terris, nec matrē: cuius genealogiam nullus hominum potest effari, qui nec esse coepit, nec esse desinet: cuius sacerdotium manet in aeternum, purificans omnes ipsi credentes usque ad finem seculorum. Nunc eiusdem dignitatem contemplemur, quantoque intervallo praecesserit Mosaicae legis sacerdotēs. Abraham tantus patriarcha, non solum dignatus est ab hoc recipere benedictionem post eadem regum peractam, uerum etiam de spolijs dedit illi decimas. Ac Mosi quidem lex hoc praescripsit, ut qui genus ducerent à Levi, succederet in functionem sacerdotij, & decimas acciperent, sed duntaxat à fratribus suis, hoc est Abrahę posteris, neque longius se porrigit ius ac dignitas Leuitarū. Verum Melchisedec cum alienus esset à genere Iudaico, decimas accepit ab ipso gētis totius autore Abraham, & benedixit ei, unde iuxta promissionem dei proditura erat natio Iudaeorum. Extra cōtrouerſiam est autem, id quod minus est, ab eo quod maius est, benedictionem accipere. Quisquis enim benedixit, uelut auctoritate sua comprobatur quod gestum est. Porro cōprobandi ius penes superiorem esse solet, non aequalē, aut inferiōrē. Atque in genere quidem Leuitico decimas accipiebant hij, qui & ipsi mortales sunt, quorumque morte ius transit ad alios. At de Melchisedec dictū est, quod uiuat ac maneat in eternū, perenni sacerdotio praeſignens. Denique cum à Levi principe ius exigendarum decimarū peruenerit ad sacerdotes, in hoc quod Abraham decimas pendit Melchisedec, uidetur et ipse Levi decimis soluendis obnoxius esse factus, cum is soleat ab alijs accipere. Vt igitur minoris habentur, qui Levi soluant decimas, ita Levi quoque fuit inferior Melchisedec, cui decimas dedit. Dicit aliquis, quomodo dedit decimas, qui nō dum erat natus id temporis cum Melchisedec occurreret Abraham? Sed quoniam posteritas quodāmodo censetur esse in autore gentis, ideo dixi ad hanc rationē Levi in Abraham dedisse decimas Melchisedec. Quod si perfecta religio pōdebat à sacerdotio Leuitico, quē admodum uidetur Iudaeis, quod sub Aaron, qui tribus erat Leuiticae, lex lata sit: quid opus fuerat praeterea alium exoriri sacerdotem, qui iuxta psalmum mysticum non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedec diceretur institutus? Etenim cum legis auctoritas ratioque coniuncta sit cum ratione sacerdotij, necesse est ut in aliam formam translato sacerdotio commutetur & legis forma. Nam mutata tribus satis declarat mutandū esse sacerdotij genus. Is enim de quo loquitur psalmi uaticinium, fuerat alienus à tribu Leuitica, sed ex ea tribu, unde nullus adhuc adstiterat altari, quando palam est, quod dominus noster Iesus exortus sit e tribu Iuda. At Moses cum institueret ritum ac ius sacerdotij, nullam mentionem fecit huius sacerdotij, quod cognationem haberet cum tribu Iuda. Porro sacerdotium de quo loquitur psalmus, non esse eiusdem rationis cum sacerdotio Mosaico, magis etiam ex illo fit perspicuum, quod euidenter addit uaticinium, secundum ordinem Melchisedec, uidelicet sacerdotem indicans dissimilem Aaron, ac similem Melchisedec, ut intelligamus non minus interesse inter personam ac personam, quam inter ritum ac uim sacerdotij. Quid autem sibi uult: secundū ordinem Melchisedec hoc est, qui non immolet pecudes, quas praescribit crassa lex & carnalis, sed per gratiam coelestem possit ad uitam aeternam perducere. Siquidem illa lotionibus ac uarijs lustrationibus purificabat carnem, haec efficaciore uictima purificat animos. Quemadmodum enim Aaron non manet in aeternum, ita sacerdotium illius non erat aeternum: & quemadmodū Melchisedec dictus est manere in aeternum, ita sacerdotium huius nullum est habiturum finem. Atque haec in Christum uere competere declarat Psalmus mysticus, dicens: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec. Temporariū sacerdotiū cedit eterno, & mortalis pontifex cedit immortalī. Vt autē sacerdotiū imperfectius concedit perfectiori, ita lex imperfecta locū dat legi euangelicae perfectiori, per quam uelut abrogantur scita Mosaica ueteris testamēti, eo quod nec satis haberent roboris, nec adferrent utilitatē quā oportuit. Voluit enim deus nos reddi perfectos, at ea lex nihil adduxit ad perfectionem, nec in hoc erat data, neque tamen frustra est data. Nimirum in hoc data est ad tēpus, ut gradus quidam esset, qui nos tandem perduceret ad spem meliorem. Si quidem illa promissit terram frugiferā, in qua tranquillam uitā agerent, qui legis Mosaicae praecepta seruassent. Crassa erat lex, crassum erat praeſignum: sed ita consultum est crassis hominum ingenijs, ut ex rebus sensibilibus paulatim assuescerent rebus animi. Praescribe

Reprobatio
quidem fit
praecedentis

banur ne occiderent, ne furarentur, ut morticini contactum certis ritibus purgarent: promittebatur terra, in qua annos pauculos quiete degerent: nobis promittitur coelum, in quo semper felices uiuamus, & prescribitur interim, ut inimicos etiam nostros diligamus. Illorum sacerdos cum religiosissime uersabatur in sacris, interpellaturus deum pro populo recipiebat sese ad interiora ueli. At noster sacerdos ipsos etiam coelos penetrauit, causam nostram acturus apud deum patrem, cui nos admoemur per legatum nostrum Christum Iesum, qui est caput ecclesiae: nec potest abesse corpus, ubi caput est. Atque hoc certior est spes nostra tali pontifice, quam fuerit Iudaeis per suos, quod illorum pontifices absque iureiurando constituti sunt; noster cum iureiurando: quod ideo deus uoluit intercedere, quo nobis certior esset fiducia de promissis, si sacerdos, cuius interuentu speramus promissam immortalitatis felicitatem, iureiurando approbetur pontifex aeternus: idque a deo, qui nec alioqui nouit mentiri. Sic enim loquitur in psalmo prophético: Iurauit dominus & non poenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec. Quantum igitur interest inter terram & coelum, inter temporaria & aeterna, inter mortales & immortales, inter humana & diuina, tanto melioris testamenti sponsor factus est Iesus pontifex noster, ac tanto certior, quanto certius est apud homines promissum iureiurando confirmatum, promisso simplici. Quid quod sub lege Mosaica, necesse erat plures institui sacerdotes, uel ut statis uicibus fungerentur sacerdotio, uel quod mors non sineret eosdem semper permanere in functione, ut habeat nonnihil incertitudinis sponsor subinde mutatus. At hic noster unus est pro omnibus, nec eget successore, sed quia manet in aeternum, perpetuum habet sacerdotium. Vnde quos cepit saluos facere, potest ad perfectam salutem adducere: quippe qui semper habeant paratum sacerdotem, per quem addeant deum. Siquidem semper uiuit Christus in hoc, ut quoties opus sit, pro suis deum interpellat. Neque enim sic immolauit uictimam, ut paucis ad breue tempus prosit, sed ut omnibus & in omne tempus sit efficax ad placandum deum. Ergo cum lex esset perfecta ac coelestis, decebat ut talis item esset pontifex, pius, expers doli, impollutus, longe semotus a consortio peccatorum, euectus super coelos omnes, cui non sit necesse, ut quemadmodum faciebant sacerdotes Mosaici, quod die offerat uictimas pro peccatis propriis, deinde pro delictis populi. Quales enim reconciliatores erant illi, quibus ipsis opus erat reconciliatione apud eum, apud quem deprecabantur pro commissis aliorum. Quale erat sacrificium, quod pro alijs atque alijs delictis identidem erat iterandum. Noster pontifex, qui nullum habebat peccatum suum, totius mundi peccata in se transtulit, ac semel pro omnibus uictimam obtulit, non pecudem, sed semetipsum. Nam Mosaica lex, ut erat imbecillis & imperfecta, sic pontifices constituebat obnoxios infirmitati. At sermo iurisiurandi, quem modo retulimus, qui declarat ueteri legi meliorem successuram, non hominem quemlibet, sed ipsum filium dei sacerdotem constituit in aeternum, semper paratum atque idoneum ad intercedendum pro nobis, ut quem neque mors intercipere possit, nec ulla infirmitas obstet, quo minus sit idoneus atque perfectus pro nobis deprecator.

Per quā proximamus ad deum

Talis enim decebat ut nobis esset pontifex

CAPUT VIII



Aeterū eorū quae tot uerbis disseruimus, caput ac summa est, ne posthac admiremur pontificē Mosaicum, cum habeamus tam modis omnibus excellentem pontificē, ut dexter assideat magnifico throno dei in coelis, ut rite peragat non sacra illa umbratica, quae prescripsit Moyses, sed sacra uera coelestiaque uerseturque intra tabernaculum: non illud umbraticum, quod fixerat homines, sed in adytis ueri tabernaculi, quod fixit deus coelestia dirimens a terrenis. Porro cum omnis pontifex ad hoc soleat institui, ut donaria ac uictimas offerat deo: fieri non poterat, ut pontifex legitimus sit, cui non sit quod offerat. Quod si datum esset illi pontificium terreste, quemadmodum ceteris, ne sacerdos quidem esset Christus: ut qui nihil obtulerit unquam, nec offerat earum hostiarum, quae solent iuxta legis praescriptum ab alijs sacerdotibus immolari: quae nihil aliud sunt, quam umbrae ac typi quidam templi coelestis & hostiarum coelestium. Quicquid enim Christus etiam in terris gessit, quoniam non iuxta carnem, sed iuxta spiritum gestum est, & a coelo profectum, ad coelum tendit, merito coeleste dicitur, ad Mosaicum sacerdotum crassitudinem collatum. Nam id significasse uidentur deus, cum illi praescribens formam extruendi templi, loquitur hunc in modum: Vide ut facias omnia secundum exemplar, quod ostensum est tibi in monte. Videt enim Moses

spiritua

spiritualibus oculis, aliud sanctius templi genus, aliud uictimarum ac sacerdotij genus, ad quorum exemplar crassam aliquam rerum imaginem interim adumbraret, donec ueniret tempus, quo uisum esset umbras ueris cedere. Nunc igitur hoc adest tempus, habemus coelestem pontificem, & illo dignum sacerdotium, hoc utique praestantius, quo praestantius est euangelicum testamentum ueteri Mosaico, quoque sunt magnificentiora promissa noui, quam ueteris. Illic pecudum cruore purificabantur corpora, hic Christi sanguine purificantur animi. Illic promittitur terra, hic promittuntur praemia coelestia. Atque in hoc testamento coelesti ritu intercedit inter homines ac deum pontifex noster coelestis. Quod si prius illud testamentum tale fuisset, ut in eo nihil desideraretur, quemadmodum existimant Iudaei, haud quaquam quaesitus fuisset locus secundo. Superuacuum enim erat aliquid adiungere perfectis. Nunc deus queritur prius illud inutile fuisse, & pollicetur aliud efficacius ac melius, hunc in modum loquens apud Hieremiam prophetam: Ecce dies ueniunt dicit dominus, consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum non iuxta testamentum, quod feci patribus illorum, in die cum apprehenderem manum illorum, ut educerem eos ex Aegypto: quoniam ipsi non perstiterunt in testamento meo, & ego uicissim neglectui habui eos, dicit dominus. Nam hoc est pactum, quod paciscar cum domo Israel, dicit dominus. Cum leges meas non insculpsero saxi, aut chartis, quemadmodum frustra tentatum est, sed indidero mentibus illorum, & cordibus illorum insculpsero. Et ero illis uere deus, & ipsi uicissim erunt mihi uere populus, Neque tradent per manus alij alij, ut cogatur quisque docere proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce dominum, propterea quod iam non solum pauci Iudaei, sed omnes ubique cogniti sunt me, a minimo usque ad maximum, quod per filij intercessionem propitius reddar, condonatis sceleribus ac peccatis illorum, nec inique gestorum ab illis recordabor amplius. Audistis uerba pollicentis nouum testamentum, eo quod uetus fuisset inutile. Porro quod nouum appellatur, id est spirituale, significat abrogandum esse uetus, id est carnale. Alioqui hoc nouum dici non posset, nisi quod praecessit antiquetur, ac ueterascat. Porro quod antiquatur ac senescit, in propinquo est ut euanescat, nimirum paulatim uergens ad interitum.

*Nunc autem
melius sortitus est*

CAPVT IX



Ixerit aliquis, an uana fuit igitur uetervis templi religio: Nequaquam. Olim quidem & uetus illud templum, cuius religio successionem ueritatis Euangelicae iam euauit, habebat ritus quosdam statasque ceremonias, lotiones ac uicissimas pecudum, quae obseruatae iustificandi purificandique specie habebant, rebus quibusdam extraneis ac uisibilibus, typum sublimiorum ac spiritualium exhibentes oculis hominum. Hi ritus potissimum peragebantur in ea templi parte, quam scriptura appellat sanctum seculare, siue mundanum, quod in hanc promiscue pateret aditus omnibus, siue Iudaeis, siue proselytis, siue gentibus. Nam ut tabernaculi ita templi structura talis erat, ut alia pars haberetur alia religiosior, donec ueniretur ad eam, quae sanctissima uideretur. Siquidem primo loco factum est tabernaculum, in quo seruabantur non sine religiosa ueneratione, lucerne, mensa, sacrique panes septem, quos propositionis appellant quod in sacra mensa proponi soleant. Atque hanc templi partem appellant sancta tantum, quod sic abesset a profanis, ut multum tamen abesset ab ijs, quibus praecipua sanctimonia tribuebatur. Post secundum autem uelum, quod hanc templi partem a reliquis dirimit, erat aliud tabernaculum, quod ob excellentiam religionis uocabatur sanctum sanctorum: id continebat sacratiora quaedam monumenta, thuribulum aureum, arcam quam testamenti uocant, laminis aureis undique circumtectam, in qua inerat urna aurea: hac seruabatur manna monumentum miraculi ueteris, cum fame laborantibus Hebraeis, nouum cibi genus ex coelo deplueret: & uirga Aaron, quae inaudito prodigio, cum esset a stirpe resecta, fronderat, ac turgentibus gemmis eruperat in flores, & floribus successerunt amigdale. Inerant & tabulae, quae testamenti uocant quod in his haberentur decem praecepta, insculpta digito dei. Supra arcam erant imagines alatae Cherubim, representantes maiestatem & gloriam diuinam, quae alis suis obumbrabant propitiatorium, quae omnia significationem quandam habebant rerum sacratiorum, quas post prodidit Euangelium. Sed prolixum sit de singulis horum quid sibi uelint differere, nobis sat erit summam totius negotij ad Christum sacerdotem conferre. Itaque cum templo ad hunc modum distinctio, ac sacris monumentis

mentis in sua loca digestis, in prius illud tabernaculum quotidie ingrediebantur sacerdotes quilibet, qui sacrorum ritus peragerent, Ceterum in secundum illud sacratius solus pontifex, cui prima dignitas erat inter sacerdotes, semel duntaxat singulis annis ingrediebatur, non sine sanguine pecudis quem illic offerebat, pro suis primum, deinde pro populi delictis, per errorem & ignorantiam commissis. Quibus rebus, ueluti per ænigmata quædam significabat spiritus sanctus, id tēporis nondum paruisse aditum ad ea loca, quæ uere sancta sunt, neque quicquam habent terreni contagii. Cum enim solus pontifex ingrederetur secretius adytum ceteris exclusis, maneretq; adhuc prius illud tabernaculum, quod imaginem gerebat illorum temporum, in quibus homines crassis quibusdam ceremonijs, utcumq; continebantur in religione Iudaica, ne in deteriora prolaberentur, in eo tabernaculo crassi quidam, ac plebei ritus peragebantur à uulgaribus sacerdotibus. Offerebantur donaria, mactabantur pecudes, immolabantur hostiæ, quæ sic habebant speciem aliquam purificationis, ut tamen non possent eos qui his uterentur, ad plenum reddere pueros iuxta conscientiam & animum, ex quo nos æstimat deus; etiam si iuxta corpus & hominum æstimationem aliquid puritatis addere uidebatur. Quicquid enim illic agebatur, ad corpus potissimum pertinebat, situm in delectu ciborum ac potus, cum cibus uere nec purificet, nec inquinat animum, in uarijs ablutionibus, alijsq; purgationibus carnis, quæ nec in hoc erant instituta, ut conferrent homini perfectam iustitiam: sed ut hisce rudimentis paulatim assuescerent ueræ religioni, & per umbras ducerentur ad ueritatem, fierentq; meliorum capaces, quæ suo tempore proferret euangelica doctrina. Habetis summam totius religionis, qua sibi tantopere placent Iudæi. Nunc nostri pontificis dignitatem cum his conferamus. Christus enim pontifex sponsor & autor, non purificationis corporeæ, neque bonorum huius seculi, quæ finem habent, sed æternorum, ac coelestium bonorum: non per uelut manibus hominū textum, sed per aliud tabernaculum nō manu factum, hoc est nō huius structuræ, quā ut erigunt homines ita demoliri possunt: sed per ipsum cœlum ingressus est in loca uere sancta, & ab omni mortalitatis contagio uere semota: non adferens secum sanguinem hircorum ac uitulorum, quo deum placaret, sed proprium sanguinem, quem in ara crucis pro nobis effuderat: quo non unum populum, sed uniuersum hominum genus ab omnibus peccatis liberauit: id quæ non uno anno, sed in omne tempus usque ad finem mundi, modo resipiscentes à prioribus uitæ commissis Christum agnoscant, ac pro uiribus imitentur. Quæ enim collatio mutæ pecudis ad Christum deum & hominem: Quod si sanguis taurorum & hircorum, aut cinis exustæ uitulæ aspersus inquinatis, purgat eos iuxta carnalem quandam & umbraticam sanctimoniam: quanto magis sanguis Christi qui non per ignem corporalem, sed spiritum æternum, humanæ salutis sitientem, obtulit: non pecudem brutam, sed semetipsum hostiam puram ac incōtaminatam deo patri: purificabit non corpora uestra, sed conscientiam uestram ab his operibus, quæ uere mortem adferunt animæ. Mors illius nos ab æterna morte liberat, & spiritus illius purissimus nostrum purificat spiritum prius inquinatum. Utrobique sanguis est, sed ingens discrimen: utrobique mors est, sed inæqualis: utrobique spiritus est, sed admodum dispar. Siquidem quod ibi gestum est per umbras ac simulacra quædam, hoc Christus uere præstitit. Quoniam enim is, qui in ueteri testamento medius intercedebat inter deum & homines, non adferebat perfectam innocentiam, ideo Christus successit noui testamenti nouus intercessor, uti per mortē suā abolitis peccatis, quæ per prius illud testamentū aboleri non poterant, quæq; deum alienabant à nobis, tam per euangelicam doctrinam promissionem ac spem accipiant æternæ hereditatis, nō Iudæi tantum, sed quicumq; uocati fuerint ad Christi consortium. Etenim ubi testamenti uocabulum auditur, ibi mors testatoris intercedat necesse est, alioqui testamentum non esset, aut si esset ratum non esset. Nam mors testatoris ratum facit testamentum, quod nōdum certum habet robur, quamdiu uiuit, hoc condidit, ut cui liberum sit si uelit mutare. Vnde quoniam uetus quoq; illud testamentum est dictum, non est dedicatum absq; sanguine & morte, sed pecudis, & alioqui petiuræ. Nam quemadmodum legis in Exodi libro: cum Moyses recitasset totam legem deī populo, & quid ex obseruata sperare præmij, quid ex neglecta metuere poenæ deberent, expofuit, quo ratum esset pactum inter deum & populum, sanguine uitulorum et hircorum miscuit in cratera unā cū aqua, & intincta lana cocinea, atq; hyssopo aspersit simul ipsum

Que parabola est temporis instantis

*Christus assis-
tens pōtifex*

*Et ideo noui
testamenti me-
diator inter-
cessit*

librum

librum, unde recitauerat praecepta domini, simul uniuersum populum, dicens: Hic est sanguis testis; & confirmator eius testamenti, quod uobis praecepit deus ut obseruetis. Nec hoc contentus, tabernaculum insuper, & quicquid in hoc erat uasorum sacrorum, quibus utebantur in sacrificijs, similiter aspergebat sanguine. Quin in ceteris itē ritibus, quaecumque purificabantur iuxta praescriptum legis Moisaicae, sanguine purificabatur. Nec ulla fiebat remissio peccatorum, nisi per effusionem sanguinis. Atque ita sanē congruebat ut in terris, quae repraesentabant imaginem & umbram rerum coelestium, huiusmodi crassis purificationibus peragerentur. Ceterum ubi ueritas illuxit, decuit ut ipsa coelestia sacra, & potioribus uictimis peragerentur, & ueriores adferrent puritatem. Nam, ut dixi, coeleste est etiam totum hoc, quod Christus gessit in terris. Neque enim Christus ingressus est in sancta manibus hominum fabricata, quae magis opinione quam re sancta sunt, quaeque profanari possunt: nec aliud erant, quam umbrae quaedam rerum uere sanctarum. Sed in ipsum coelum ingressus est, ubi habitat deus immortalis cum aethereis mentibus, atque in huius conspectu tanquam pontifex legitimus deprecatur pro totius mundi peccatis, commendans se proprio sanguine, quem ex mera gratuitaque charitate effudit pro nobis: idque fecit hostia tam efficax, ut non fuerit opus quotannis repetere, quemadmodum ueteris testamenti pontifex singulis annis ingrediebatur secretius adytum. Nec mirum est hostiam illius non fuisse perinde efficacem, cum & ipse obnoxius esset peccatis, ac sanguinem offerret & pecudis & alienum. Quod si talis fuisset pontifex Christus, cum toties ab orbe condito recurrerent secula & anni, necesse erat illum frequenter immolasse uictimam, quemadmodum faciebant ueteris testamenti sacerdotes. Nunc autem talis fuit, ut satis fuerit semel immolare semetipsum, ac semel asperusione proprii sanguinis abolere peccata omnium seculorum usque ad finem mundi. Idque factum est non ab initio mundi, sed instante fine, cum omnibus constaret, omnia uiciata peccatis: nec ullum esse remedium, nisi à deo: ut patet tam esset, quam esset efficax sacerdos, qui unica uictima, tam immensum acruum peccatorum expiaret, relicto parato facilius remedio, ut eadem hostia in annos innumeros satisfaceret omnibus, qui sese non praeberent indignos. Transiit enim in se, non solum eorum peccata, qui ante multos annos spem salutis in ipso posuerant, uerum etiam eorum, qui multis post seculis credituri essent eius euangelio. Non est igitur quod mundus expectet alium sacerdotem, aut aliam hostiam expiandis peccatis: sed quemadmodum illud manet omnes homines, ut semel moriantur absque spe redeundi in hanc uitam, in qua & labimur subinde, & expiamur: neque quicquam expectatur à morte singulorum, nisi iudicium illud extremum, quod aeterna praemia decernet, siue pijs, siue impijs: ita & Christus qui semel moriens, pro omnibus oblatus est, omnium quod in ipso fuit, peccata in se transferens, ut pro omnibus poenas lueret: nihil superesse uoluit nisi iudicium supremum, in quo rursus conspicietur hominibus, non ut antea, uelut hostia deuota, ueluti sceleratus homo & supplicio dignus, sed ut gloriosus & ignarus omnis peccati: salutaris autem & felix conspicietur ijs, qui nunc purificati per mortem illius, perseverant in innocentia uitae, donec iterum aduenerit, non immolandus, sed iudex, optabilis pijs, formidabilis impijs.

Et quemadmodum statutum est hominibus

CAPVT X



Orro quo minus idem ualuerit pontifex ueteris testamenti, in causa est, quod lex illa, eo quod non obtineret uiuam ac ueram imaginem bonorum, sed umbram modo quandā, quae designaret potius aliquid quam efficeret, uulgaribus pecudum hostijs, tametsi singulis annis continenter ab illis sacerdotibus offerrentur, nunquam poterat perfectos reddere, qui per sacerdotes infirmos, hostijs inefficacibus accederent ad deum reconciliandum: quod si fieri potuisset, nonne semel oblatae desissent iterari? Atqui in istis sacrificijs quoties repetuntur, rursus fit commemoratio superiorum delictorum, quae res arguit illos parum fidere uni sacro. Quorsum enim attinebat in singulos annos reuocare sacra, si una uictima sic purgasset ab omnibus peccatis, ut iam nulla resideret consciētia delictorum in ijs, qui semel immolati ac semel essent purgati? Cum enim peccatum sit animi uicium, non corporis, non potest ex crassa corporea, qualis est sanguis taurorum & hircorum, abolere morbum mentis. Solum id potest ad plenum coelestis ac spiritualis hostia Christi, quae per fidem ac baptismum sic semel omnia superioris uitae commissa delet, quantumuis multa, quantumuis atrocia, ut in

*In qua uolun-
tate sanctifica-
ti sumus*

*Habētes itaq;
fratres fidu-
ciam*

ut in conscientia nihil resideat metus, aut remorsus. Tantum si cauerimus, ne in pristina flagitia reuoluamur. In tantum enim deus huiusmodi multiplicatis hostijs non reddebatur propitius, ut offensus potius, unum aliquod efficax & perenne sacrificiū desideraret. Sic enim loquitur deo patri filius in Psalmo mystico, ueluti mundum ingressurus, ut proprii corporis hostia propitiaret illum humano generi: Sacrificium & oblationem nolui- sti, sed corpus aptasti mihi, holocaustoma, reliquasq; hostias pro expiandis hominum pec- catis offerri solitas non probasti. Tunc dixi: ecce adsum ipse (quando me designat hosti- am libri caput) ut obsequar deus uolūtatī tuæ. In his igitur uerbis cum dicit: Sacrificium & oblationem, & holocaustoma, & pro peccato nolui- sti, neq; probasti quicquā eorum, quæ iuxta legem ueterem offerri solent: Et mox adiicit: Ecce adsum, ut obsequar deus uo- luntati tuæ, offeramq; hostiam, quæ grata sit animo tuo: Tollit prius illud sacerdotium, ut ingratum deo, ut statuatur posterius, quo satis fieret uoluntati diuinæ. Quænam erat ista uo- luntas dei, fastidientis sacra legitima ueteris testamenti, & nouum sacrificij genus flagitan- tis: Nimirū hæc: quod ita uisum esset gratuitæ ipsius bonitati, ut filius cœlestis, id est Chri- stus indueret corpus humanum, ac moriens pro peccatis omnium, unico sacrificio semel rite peracto, purificaret omnes à peccatis suis, sic ut posthac non sit opus alijs hostijs san- guinolentis. Quisquis est ueteris testamēti sacerdos, cogitur quotidie assistere sacris, eas- dem hostias identidem iterans, quæ quantūuis multiplicatæ, nunquā possunt ad plenum auferre peccata, ut utriq; sit inexplicabile negocium, & offerenti, & sacerdoti per quem offert. At Christus unica hostia semel oblata pro peccatis omnium qui crediderunt, cre- dunt, aut credituri sunt ipsius promissis, iam dexter sedet deo patri, nihil aliud expectans, nisi quod solum superest, ut colligantur omnia membra corporis in unum, fiatq; tandem quod promissum est in psalmo, ut inimici ipsius, qui rebelles sunt euangelio, fiant scabel- lum pedum eius. At interea nihil est opus iterum immolare se ipsum pro nobis, quod uni- ca oblatione abunde perfectos reddidit in perpetuum, omnes qui per fidem meruerunt sanctificari, sic ut nihil omnino pristinorum scelerum nobis imputetur. Quod dico testa- tur & ipse spiritus sanctus, loquens per os prophetæ, ac multo ante prædicens futurum, quod nunc factum conspiciamus: Hoc, inquit, est testamentum, quod condam erga illos, post dies illos, dicit dominus. Cum indidero leges meas cordibus illorum, & mētibus eor- um illas inscripsero, nec amplius recordabor peccatorum aut iniquitatum illorum, tan- tum aberit, ut uelim ulcisci. Porro posteaquā semel condonata sunt in æternum peccata omnia, quorum opus est Iudæorum hostijs, quæ peccatis expiandis adhibebantur: Cum igitur fratres sublata peccatorum conscientia, quæ nos ab interpellando deo deterrebat, data sit fiducia ingrediendi in sancta, freti sanguine Iesu, quem ille pro nobis reconcilian- dis effudit, ac uiam aditumq; nobis aperuit, à uetere illa longe diuersam uidelicet *recētem* ac nouam, uiuamq; & efficacem ac perpetuam, quæ semel aperta, postea claudī nō queat, quam ille nobis auspicatus est, primus omnium ingrediens per uelamē, hoc est carnem suam, qua ad tempus tegebatur apud homines illius diuinitas, eaq; sublata in cœlum, pa- tefacta sunt cœlestia: cumq; habeamus sacerdotem magnum à deo promissum secundum ordinem Melchisedech, quem præfecit toti domui suæ deus, hoc est ecclesiæ catholicæ, quam non ut minister, sed ut autor ac dominus moderatur, adeamus eodē interim & nos, quò nobis uiam aperuit Christus: adeamus autem non pedibus corporis in templum sa- xeam, sed in templum cœleste penetremus corde sincero, cum summa fiducia impetran- di quod petimus: sed prius aspersi non iuxta corpus sanguine pecudis, sed iuxta mentem ac spiritum sanguine Iesu Christi, ac per hunc depulsa ueterum peccatorum conscientia, ad hæc per baptismum abluti, etiam corpore, aqua pura, & omneis abstergente sordes animi, superest ut perseveremus in eo, quod semel sumus aggressi, ac spem uitæ immor- talis, quam professi sumus in baptismo, teneamus firmam, nullaq; ex parte uacillantem, hoc uno freti, quod deus qui promissit, certè fidei est, nec potest fallere si uelit, si modo nos in fide perstiterimus. Ad hæc quoniam facti sumus eiusdem corporis mēbra, mutua cha- ritate consensuq; cohæreamus, considerantes inuicem quantum quisque profecerit in Eu- angelica professione, non ut inuideamus ei, qui nos anteuertit, aut aspernemur eum, qui à tergo relictus est, sed ut mutuis exemplis, ut mutuis hortatibus prouocemus ad charita- tem ac pia opera. Id fiet, si fratris profectus nos extimulet ad ardentius studium pietatis, & si quem

si quem cessantem uiderimus, eum fraterna sollicitudine extimulemus ad meliora, gratulantes præcedentibus, & fauentes annitentibus, haud quaquam committentes, ut quisquam destitutus pereat à grege nostro, quemadmodum solent quidam à rebus bene coëptis per occasionem deficere, sed modis omnibus alios alij stimulemus & inflammemus, ut in eo quod institutum est, pergamus usque ad finem. Atque id eo magis faciendum est, quod uidetis imminere diem domini, qui redditurus est pro suis cuique factis præmia, nec iam locum relinquet sarcinendi, quod parum recte gesseris, sed quicquid gestum est exacto iudicio perpendetur. Atque his quidem delictis, quæ per errorem aut infirmitatem humanam committuntur, facilis erit uenia. Cæterum posteaquam per Euangelium cognouimus ueritatem, edocti quid expectandum, quid fugiendum, & quæ præmia maneant pios, quæ impios, si uolentes ac scientes reuoluamur in capitalia flagitia, quæ semel suo sanguine abluuit Christus, cum ille semel duntaxat mortuus sit, nunquam iterum moriturus, non superest relapsus in ueterem uitam hostia, quæ rursus per baptismum gratis condonet peccata. Quid ergo superest? Nimirum formidabilis quædam expectatio iudicii supremi, ac mox ignis

Et ignis enim
latio

scæuus & infestus, qui ad uindictam contemptæ bonitatis diuinæ deuoraturus est aduersarios. An putatis impune fore, si quis legem Euangelicam contempserit? Quo clementior est, quo plus adfert beneficii, hoc grauiores dabit poenas, qui eam sciens ac uolens habebit ludibrio. Habet autem, qui semel ascitus in numerum filiorum dei, uolens se conijcit in numerum seruorum diaboli. Si tanta erat animaduersio apud Iudæos: ut qui non obtemperasset sacerdoti proponenti legis Mosaicæ præcepta, hoc est qui iussus abstinere à carnibus suillis, per contumaciâ uesceretur: conuictus duorum aut trium hominum testimonio, protinus absque misericordia tolleretur è medio: quanto grauius meretur supplicium, qui non quemlibet sacerdotem, sed filium dei Iesum conculcauerit: conculcat autem eum, qui tantum illius beneficii aspernatur, qui non sanguinem pecudis, sed sacrosanctum illius sanguinem, quo dedicatum est nouum testamentum, ceu rem profanam duxerit: profertim quo semel fuit purgatus ab omnibus peccatis uitæ prioris: qui spiritum, per quem Euangelicam gratiam sit assequutus, contumelia affecerit, quod eo suis uitis expulso, templum dei prodiderit diabolo. An ideo nobis promittimus impunitatem, quod non statim animaduertitur ab hominibus in eos qui desiscunt à sinceritate uitæ euangelicæ? Nouimus eum qui dixit: meum est ulcisci, ego rependam, dicit dominus. Ac rursus alio in loco: Dominus iudicabit populum suum. Ne quis sibi blandiatur nocens, si hominis ultoris manus effugit: dei manus nemo potest effugere. Sed horrendum est incidere in manus dei uiuentis. Porro quo maiore cum laude coëpistis Euangelicam professionem, hoc maiore cum dedecore recidetis ad uitam priorē. Quod ne fiat, reuocate uobis ipsis in memoriam

Rememora
mini pristinos
nos dies

tempora superiora, in quibus per Euangelicam doctrinam ac fidem illuminati, non simplex afflictionum certamen fortiter sustinuistis spe future uitæ: partim dum & probris & molestis affectis, spectaculo fuistis omnibus qui Christi doctrinam execrantur: partim dum ob Euangelicam charitatem, ultro uenistis in consortiū probrosum & afflictionum, quibus afficiebantur alij Christiani siue apostoli, qui contempto mundo, regulam Euangelicam sectabantur: siquidem afflictionum probriq; quod ex uinculis meis apud homines impios uidebatur accidere, fuistis ultro participes, & alieno dolore doluistis, alienam contumeliam uestram esse duxistis: nec hucusque tantum præstitistis uos ingenuæ Christianos, uerum etiam direptionem facultatum uestrarum gaudentibus animis accepistis, nimirum re ipsa declarantes uos scire & credere, quod habeatis potiores & meliores opes repositas in cœlo, quas nec fur clancularius, nec prædo uolentus possit eripere. Imò cresunt illæ iactura bonorum huius mundi, quam ob Christi nomen patimur. Hæc facta merito addebant uobis fiduciam assequendi promissa Christi. Debentur enim tam inuictæ fidei summa præmia, & haud dubie persoluentur à deo iusto ac benigno, sed suo tempore. Nunc certandi tempus est, post distribuentur coronæ. Interim opus est uobis patientia, ut ubi constantibus animis obsecuti fueritis uoluntati diuinæ, uictiores reportetis promissam coronam eternæ gloriæ. Nondum apparet ille dies, quo sublato certamine dabuntur præmia, tamen haud procul abest: & imperator noster, qui ascensurus in cœlum, pollicitus sese denuo ad nos rediturum, ueniet, nec diu morabitur. Interim iustus ex fide sua uicturus est, quantumuis afflictus, quantumuis irritus, quantumuis extinctus, tamen ex

pectatione promissorum sustinebit sortem animum. Quod si non perstiterit in fide, sed fractus desperatione subtraxerit sese ab Euangelica professione, non probabitur animo meo. Sed auertat deus, ut subducamus nos à bene coeptis in exitium ob diffidentiam. Quin potius fidem professi sumus, & in ea persistemus, ut uitam ac salutem animæ lucrificiamus, iuxta consilium Esaïæ dicentis: iustus ex fide uiuet.

CAPVT XI.



Vlla res æque pios commendat deo, ac certa de illo fiducia. Siquidem argumentum est animi optime de deo sentientis, nihil addubitare de dictis illius, cum nec appareant usquam humanis sensibus quæ dicuntur, nec humana ratione probari queant. Vulgus inania somnijsq; simillima ducit ea, quæ cum nusquam extent re, tantum animi spe concipiuntur, & stulte uera credi putat, quæ non possint oculis demonstrari. Atqui hæc fides, per quam iustus uitam tuetur alijs pereuntibus, non est uulgaris aliqua credulitas, sed est solida firmaq; basis earum rerum, quæ nec sensibus, nec rationibus humanis deprehendi possunt, sed eas firma spes ita repræsentat animo, quasi coram cernerentur, quasi manibus tenerentur, quæq; per se uideri nō possunt, eas persuadet esse certissimas, non argumentis humanis, sed certa fiducia erga deum autorē. Iudæi fidunt operibus suis, sed hæc res est una, quæ nos deo probatos charosq; reddat: neq; nos solum, uerum si quis repetat ab orbe condito, reperiet maiores nostros omnes, quorum memoria celebris est ob laudem pietatis, fidei cōmendatione potissimum promeruisse quod assequuti sunt.

Primum quod intelligimus mundum hunc uniuersum, cum his quæ amplectitur, conditum fuisse uerbo dei, soloq; iussu conditoris, nōne fidei debemus? Quis enim alioquit persuadeat ex inuisibilibus gigni uisibilia: aut ex his, quæ non sunt, fieri quæ sunt? Philosophi ratiocinationem humanā secuti, mundum putant ingenitum esse, neq; magis habuisse exordium, quàm habuerit opifex ipse. Nos autem, quod nec uideri potuit, nec humanæ mentis ratiocinatione colligi potest, perinde credimus, ac si uideremus, nimirum fretilibris diuinis, qui narrant mundum esse iussu dei conditum, quem scimus nihil non posse, nec posse mentiri.

Abel primus omnium iusti cognomen promeruit, atque hoc sanè maiore cum laude, quod nullius exemplis prouocatus, innocentem ac fidentem deo se præbuit. At quæ tandem res effecit ut hic charior esset deo, quàm Cain frater? Nimirum fides, qua totus pendebat ab eo, cum Cain ceu diffidens, nec contentus ijs, quæ sponte fundebat humus in alimoniam innoxia uitæ, terram proscinderet. Vterq; de suis facultatibus offerebat hostias deo. Sed solius Abelis sacrificium fuit acceptum deo, quod uir innocens sincero pectore fideret illius bonitati, neq; circumspectaret huius mundi commoda, sed pietatis suæ mercedem expectaret in cœlis. Non igitur hostia, sed fide promeruit, ut deus igne de cœlo demisso, complexus illius donaria, testaretur eum esse iustum, atq; hoc pulcherrimo elogio nunc etiam post torannorum milia sic uersatur in ore hominum, ut mortuus etiam uiuere loquiq; uideatur. Occiderat fratri, cum innocens esset interfectus, at non occiderat deo, cui sanguis eius adhuc clamabat de terra. Nec obscurus Enoch pio, quod ex impio patre prognatus esset, sed huic diuinæ literæ testimonium ferunt, quod cum deo uersatus sit, etiam cum ageret in terris, uidelicet fide sectans, non ea quæ uidentur, sed quæ non uidentur, hoc est æterna cœlestiaq; & ob hoc sublati sunt uiuus ad ea, quæ dilexerat, mortiq; subductus est. Sic enim uixerat, antequàm tolleretur ex hominum consortio, ut in cœlis uideretur uiuere potius, quàm in terris, & morte uideretur indignus, qui nihil commisisset dignum morte: ut huius exemplo primum discerent homines, per innocentiam uitæ perq; fidem patere usam ad immortalitatem. Ideo sublati sunt, quia placuerat deo. Sed fide potissimum placuit, sine qua nemo illi placet, quantum pijs abundet alioqui factis. Quisquis enim illi uelit esse commendatus, primum oportet credere deum esse, qui possit omnia, quicq; uelit optima. Deinde hunc agere curam rerum humanarum: perq; hunc nec pios, qui neglectis uisibilibus huius mundi bonis deum inuisibile inquirunt, fraudari suis premijs, quantumuis affligantur in hac uita: nec impijs defutura supplicia, etiam si in hoc seculo uideantur secundis uentis uti. Fidei igitur debet hoc seu gloriæ, seu felicitatis, quod sublati ex hominū contubernio uiuunt cum deo. Sed insignius etiam hoc exemplum fiduciae erga deum

deum praeiuit Noe, qui cum esset oraculo admonitus, futurum ut inundatio deleret uniuersum animantium genus in terris, nec apparerent argumenta, quibus colligi posset quod praedicebat oraculum, eo quod coelum esset serenum, homines securi conuiuantes, & matrimonium celebrantes, ridebant oraculi minas: ipse tamen indubitatum habens, euentum quod deus euenturum praedixerat, apparauit arcam, qua simul & seruauit suam familiam, & reliquos homines condemnauit, adeo diffidentes sermoni diuino, ut adornantem fabricam in futurum diluuium, uelut insanum irriderent. Neque solum seruatus est a diluuiio, uerumetiam successit in laudem maiorum suorum Abel & Enoch, qui celebres sunt ob iustitiam, quae per ueram fidem commendat hominem deo.

Iam Abraham quoties insignis erga deum fiducia dedit documentum? Primum cum nihil sit homini dulcius natali solo, tamen cum a deo iuberetur relicta patria & affectibus suis commigrare in terram ignotam, nihil contatus obediuit uoci diuinae, nullius exemplo prouocatus, nullis probabilibus argumentis spem facientibus fore, ut relicta agris paternis, terram nescio quam haereditate possideret, cuius neque nomen, neque situm ad huc nouerat. A deo certa erat illi fiducia, fore quicquid deus esset pollicitus. Eiusdem fiducia fuit, quod cum deuenisset in terram a deo promissam, neque succederet res ex animi sententia, nec ipsi, nec filio Isaac, nec nepoti Iacob, cum tamen non Abraham tantum, sed posteris etiam illius esset promissa terrae huius haereditas, sed ipse subinde conflictari cogeretur cum hostibus, & Isaac moleste negotium exhiberent Philistaei, & Iacob per Esau fratrem profligatus esset in Mesopotamiam, unde reuersus tandem coactus est paululum emere locelli, ubi figeret tabernaculum: tamen nihil omnibus hisce rebus commotus est Abraham, ut diffideret deo pollicito terram, neque questus est, se exulem esse non haereditem, neque flexit animum ad ea, quae uidentur in terris, sed ad coelestia, quae non cernuntur, nisi oculis fidei. Sensit enim non hanc esse terram, de qua sensisset promissio diuina, quam a deo non magnificet, ut nec aedificium ullum, aut oppidum in ea putaret extruendum, sed uelut hospes mox aliud migraturus, in tabernaculis sese contineret cum suis. Quid igitur expectabat, cum cerneret haec non apparere promissa? nimirum expectabat aliam ciuitatem, stabilem ac perpetuam, unde nunquam esset depellendus, longe dissimilem his, quas & condunt & demoliuntur homines, cuius opifex & conditor esset deus.

Quin & huius uxor Sara, cum & maritum haberet uetulum, & eo processisset aetatis, ut matrici natua uis deesset ad semen uirile attrahendum, ac retinendum, tamen concepit & peperit Isaac, diffusa quidem naturae uiribus, sed confisa deo, qui per angelum illi foetum masculinum promiserat in annum proximum: non audiebat reclamantem naturam, tantum habebat persuasum, deum mentiri non posse.

Promiserat deus Abraham posteritatem parem stellarum numero, parem harenae littoralis, nec ullam spem prolis dabat natura. Nihil tamen ille diffusus est. Atque ob id ex uno sene iam aetate effecto, prognati sunt posterum, tanto numero, quanto sunt stellae coeli, quanto harena quae est in litore maris. Siquidem ille filios ac nepotes expectabat, non iuxta sanguinis cognationem, sed iuxta fidei imitationem, quo nomine nos omnes posterum sumus Abraham, qui fidimus promissis Euangelicis. Ergo non Abraham tantum, sed & posterorum illius germanorum tam constans fuit fiducia, ut illis nec mors eam ademerit. Mortui enim sunt omnes hi, cum nondum tenerent promissa, sed procul ea fide uiderent, crederentque, praeter desiderio consalutarent, adeo non fidentes huic terrae, in qua nemini diu uiuere licet, ut sese confiterentur hospites ac peregrinos esse, non solum in Palestina, sed in toto mundo. Frequenter etiam uitam hanc peregrinationem uocant & incolatum, & in Psalmo mystico David proficitur se peregrinum in terra, quemadmodum fuissent omnes patres ipsius. Et tamen is regnabat etiam in Palestina, & ciuitatem condiderat. Atque haec sane regio finibus admodum angustis circumscribebatur, & magna ex parte noticessit Hebraeis Abraham posteris, eo quod pristinos possessores non possent loco depellere: nec hanc tamen ingressus est Moses, sed procul e monte conspectam salutauit moriturus, neque desperauit tamen de promissis. Itaque quum se fateantur esse peregrinos, satis declarant sese desiderare patriam. Quam autem patriam inquirunt, quibus hic mundus totus exilium est? Chaldaeam patriam reliquerant, cuius desiderium si illos cruciasset, non adeo procul aberat, quin possent eo commode redire. Non igitur illam patriam deside-

rabant, sed aliam hac meliorem, in qua liceret æternum uiuere, prorsus exemptos ab omni dolorum molestia. Hæc erat illa patria cœlestis in quam illos euocarat deus, & cuius amore uolebat eos sic in hoc mundo uiuere, quasi in mundo non essent. Atque hac de causa deus cum sit conditor ac princeps omnium, tamen peculiariter se uocat deum Abraham, Isaac, & Iacob. Siquidem illorum proprie deus est, qui fiduciam omnem, & omnia felicitatis præsidia in ipso collocarunt. Ac talibus parauit ciuitatē non terrenam, sed cœlestem, in qua semper felices regnant cum deo, cuius amore contempserunt omnia.

An non & illud insigne fuit fidei documentum in Abraham, quod cum deus explorans, quàm ex animo sibi fideret, iussisset ut immolaret filiū suum Isaac, cum is & unicus esset, & cuius nomine promissa fuerat posteritas (siquidem hic erat sermo promittentis: In Isaac uocabitur tibi semen) nihil tamen contatus aggressus est facere quod iussus est, nihil interim secū disputās, unde mihi posteritas si hunc occido, in quo uno spes est posteritatis: Sed illud in animo perpēdebat, deū qui promiserat intēiri nō posse, & si libeat, uel à mortuis excitare posse filium extinctum generis propagatorem: & quia credidit resurrectionem mortuorum, idcirco datum est illi, ut filium quod in ipso erat extinctum, donum ueluti uitæ redditum reduceret, iam tunc imagine quadam adumbrantem futuram resurrectionem Iesu Christi.

Iam & illud erat euidentis animi bene fidentis deo documentū, quod Isaac moriturus, cum ipse nondum accepisset promissam à deo felicitatem, tamen ausus est eam polliceri filiis suis Iacob & Esau, cum utriq; benediceret, præuidēs utriusq; uitam, ac diuersum utriusq; præmium. A deo res est occulta fides, ut ea quoq; cernat ueluti præsentia, quæ procul semota sunt à sensibus corporeis.

Consimilis fiduciæ fuit, quod Iacob moriens, singulis filiis Ioseph benedixit non ignarus futuri, qui transuersis brachijs dextram imposuit Effrem, qui sinister aderat: lauam Manasse, qui dexter: nihil addubitans, quin futurum esset, quod diuinus spiritus illi significarat euenturum. Sed longius etiam prospiciebat senis fides, cum exosculans summam uirgam filij Ioseph, ueneraretur in eo Christum omnibus imperaturum, cuius ille delatus ac proditus à fratribus imaginem gesserat. Ne Ioseph quidē degenerauit à fide maiorum suorum. Siquidem moriturus in Aegypto, præuidit futurum ope diuina, quod tamen id temporis non uidebatur probabile, ut Israhelitę demigrarent ex Aegypto, peruenturi ad terram promissam à deo: adeoq; non dubitauit de hac re, ut simul de ossibus suis eò transferendis mandauerit. Quin Mosi recens nato, parentum fides saluti fuit. Cum enim rex edixisset, ut quicquid ex Hebræis nasceretur sexus masculini, statim interimeretur: parentes huius ut cōspexere puerum, ipsa statim indole uultus magnum quiddam præ se ferentem, interpretantes deo gratum esse, ut infans bono publico populi seruarietur, neglexerunt regis edictum, ac puerum apud se tribus mensibus occultarunt: deinde scriniolo inclusum exponunt in ripa fluminis, non dubitantes, quin deus seruaturus esset puerum, cui tantam gratiam offuderat: magisq; metuerunt offendere deum, quàm tyrannum, nimirum intelligentes eos qui pietatem colunt, ut cunq; res hominum cadunt, non posse destitui præmio suo.

Sed hæc laus debebatur parentibus Mosi, uerum illa fuit huius propria, quod posteaquam adoleuisset, & adoptatus esset à filia Pharaonis, respuit honorem regiæ cognatiōis, maluitq; palam professus Hebræum esse se, communibus malis affligi cum populo dei, quàm ex impia simulatione capere commoda huius uitæ, feliciores diuitias esse iudicans, iam tum pro seruando populo ferre probra malorum in typum Christi, qui olim erat grauiora passurus pro salute gentis suæ, quàm uniuersos Aegyptiorum thesauros. Contempsit quod erat in manibus, & fidei oculos uertebat in ea, quæ procul aberant à sensibus, deo fretus, qui non patitur hominum pietatem fraudari meritis præmijs.

Idem dei præsidio fretus, ausus est his etiam maiora. Non dubitauit moliri fugam ex Aegypto, secumq; populum educere, nihil ueritus tyranni ferocis iram. Contempsit regem, quem oculis cernebat: neglexit minas tanti principis, quem armatum uidebat imminere ceruicibus suæ gentis: nec aliter animo infractio filius est inuisibilibus præsidijs inuisibilis dei, ac si eum coram oculis suis conspexisset.

Eiusdem fiduciæ fuit, quod cū intellexisset fore, ut angelus ultor obambulaturus esset
per

per uniuersam Aegyptum, & occisurus quicquid esset primogenitorum, suis Hebraeis nihil omnino metuerit, quibus id temporis sub exitum instituit solennem ritum edendi paschalem agnum, e cuius sanguine conspergebant limen ac superliminare, simulq; postem utriusq; domus. Atq; hoc signo freti, nihil sibi metuebant in media caede Aegyptiorum.

Mox simili fiducia cum mare rubrum obstitaret fugientibus, atq; id ictu uirgae Moysae diduxisset sese, sic uia relicta in medio, ut tanquam per siccum iter euaderet Hebraei, totus populus deo fretus incolumis effugit. Ceterum Aegyptij cum ira praecipites sese credidissent eidem mari, mox coeuntibus undis dimerfi sunt. Quae res aut effecit, ut olim moenia Hiericho septimo die septies ambita, subito corruerint, nullis impulsu machinis, sed ad sonitum sacerdotalium tubarum, populiq; clamorem, sic, ut Hebraeis urbem cingentibus, qua quisq; steterat ingressus daretur, nonne fides Iosue ducts ac populi? Persuaserat sibi nihil non posse deum, & haud dubie futurum, quod ille facturum se promiserat.

Quin & illud fidei non leue documentum fuit, quod Rhaab meretrix, quae prius missos exploratores exceperat hospitio, cum intellexisset eum populum esse deo charum, maluit illis cum suae uitae periculo consulere, quam apud ciues impios inire gratiam. Ac fidei suae mercedem tulit, quod una omnium cum sua familia seruata est, ne periret cum ijs, qui suis uiribus freti, non crediderant deum, ubi uellet, euersurum ciuitatem. Sed cum inter tot prodigiola facinora maiorum nostrorum nihil omnino gestum sit insigniter absq; fidei praesidio, quorsum attinet singula commemorando persequi? Tempus enim citius nos, quam exempla deficient, si pergam referre de duce Gedeone, qui fretus dei praesidijs, ausus est cum trecentis uiris adoriri Madianitarum copias, & uiris, & armis, reliquoq; belli apparatu instructissimas. Et immensam multitudinem fudit, fugauitq; clangore tubarum, crepituq; lagenarum, & lucernarum miraculo, sic, ut Hebraeis non stringentibus gladium, ipsi se hostes mutua caede conficerent.

De Baracha, qui fretus uaticinio Delborae mulieris, congressus est cum instructissima acie Cyzarae ducis, & ad internicionem concidit omnes, rege labin in fugam acto, qui mox manu foeminea confossus est.

De Sampson, qui sultus ope diuina, multa prodigijs simillima gessit aduersus Philistaeos pro gente, quae nec a plurimis simul iunctis, nec ullo robore humani corporis geri poterant.

De Iephthe, qui cum esset nothus & abiectae fortunae apud suos, tamen fretus auxilio dei, pulcherrimam uictoriam retulit ab Ammonitis hostibus populi sui.

De Dauid, qui praeter tot uictorias auxilio diuino partas, praeter tot uitata pericula, seruatore deo, non dubitauit adolescens cōgredi Goliath armato, inermis ipse, quem ictu fundae prostrauit, ut uictoriae gloria penes deum esset, non penes hominem.

De Samuele, qui nullo satellitio munitus, per multos annos moderatus est populum Israeliticum, gratis administrans iudicis ac principis officium, uidelicet certus a deo redditurum praemium, si quis quid recte gesserit. Tempus, inquam, me defecerit, si pergam huiusmodi exempla omnia percensere, ut sileam interim tot eximios prophetas, qui deo freti, tyrannorum minas pro nihilo ducebant, tot religione celebres uiros, qui non opibus humanis, sed praesidio dei, in quo totam fiduciam collocarant, prodigiola patrarunt, & egregijs factis sui memoriam posteritati reliquerunt. Etenim, ut omnis uocabulis autorum, rerum summa attingam capita, fidei illorum tribuendum est, quod caeteris omnibus rebus impares, auxiliante deo expugnarunt opulentissima regna, nec ullis terroribus poterunt abduci ab obseruatione traditae legis, praemium expectantes a deo. & quoniam nulla dilatio promissorum minuit illorum fiduciam, tandem & compotes facti sunt eorum, quae maioribus deus promiserat. Impetrarunt a deo uotis fidentibus, quod iuxta naturae cursum fieri non poterat: erepti sunt e summis periculis, seruatore deo: leones in alios inuictae saeuitiae, aut uicerunt, aut senserunt innoxios, uelut occluso ore, aut alligatis unguibus laedere non possent, quos deus uolebat esse innocuos: in medium incendium coiecti, sic illesi perdurarunt, quasi suis corporibus nativam ignis uim extinguerent: e medijs ensibus hostium in se districtis, incolumes effugerunt, protectore deo. Atq; eodem animu instaurante, a summa rerum desperatione, summum animi robur collegerunt, adeo, ut paulo ante pro mortuis habitum, subito fortiter se gesserint in bello, & hostium incursiones strenue repulerint. Quin

Illud etiam meruit mulierum fiducia, ut matres liberos defunctos ad uitam reuocari con-
spicerent. Alij dissentienti in eculeis, uarijsq; tormentorum generibus examinati, maluerunt
in his exhalare animam, quàm obsequentes impijs principum iussis, eximi à tormentis, in
genti fiducia uitam impendentes deo, quam scirent se cum scœnore recepturos in resurre-
ctione mortuorum, multoq; satius esse iudicantes, breuis huius uitæ iactura depacisci im-
mortalitatem, quàm ob lucellum exigui temporis perdere uitam æternam. Alij rursus ob
ueritatis ac iusticiæ pertinax studium, ludibrio fuerunt hominibus, derisi, traductiq; uelut
amentes ac scelerosi: neq; probris tantum affecti sunt ob fiduciã, quam habebant erga de-
um, uerum etiam flagris explorata est illorum synceritas, in super & uinculis & carcere: la-
pidati sunt, dissecti sunt, horrendo supplicio corporis mēbris in diuersa distractis: deniq;
quo genere malorum non sunt tentati. Cæsi gladijs occubuerūt, persuasi nec morte pios
à deo diuelli posse. Porro quibus non contigit morte finire cruciatus, ijs uita nihil aliud
contulit, quàm ut longo martyrio cruciarentur. Exulabant ab ædibus suis, eieci oppidis,
ferarum ritu oberrabant per solitudines, utcunq; tecti pellibus ouillis & caprinis, laboran-
tes inopia rerum necessariarum, imminente undique persequutorū sauitia pressi, uarijsq;
huius uitæ incōmodis affecti, usque adeo non digni malis huiusmodi, ut uiris tam sanctis
mundus ipse potius esset indignus, ut deus uel ob hoc uideri posset illos semouisse ab ho-
minum consortio, ne puri castiq; inter pollutos & inquinatos uitā agerent. Itaq; uagaban-
tur incertis sedibus per auios montes, pro tectis speluncis utentes, ac terræ cauernis. Atq;
omnes hī cum nondum assequuti sint promissam pietatis mercedem, quæ continget in
resurrectione corporum, tamen ob fiduciæ constantiam, æternam laudem meruerūt. Di-
cturus est aliquis, quur non statim à morte singulis redduntur sua præmia: Nimirū ita ul-
sum est deo, ut uniuersum Christi corpus simul accipiat gloriam immortalitatis. Omnes
enim eiusdem corporis membra sumus, & qui nos præcesserunt, libenter expectant, ut
toti cum corporibus socijs, ac toto fratrum sodalitiū pariter ueniant in hæreditatem æter-
næ gloriæ, suoq; capiti simul copulentur.

CAPVT XII



Vm igitur tanta turba ac ueluti nube sepiamur eorum, qui ferendis huius-
modi malis testati sunt, se toto pectore fidere promissis dei, etiā in ueteri testa-
mento, nimirum horum exemplis animati, curemus & ipsi, ut abiectio one-
re sarcinæq; rerum corporalium & cupiditatum, quæ remorantur onustum
curis animum ab expetēdis cœlestibus, excussoq; peccato, quod nos undiq;
cōplectebatur, rerum cœlestium spe inflāmati, strenue curramus in hoc nobis proposito
certamine, nec ullis afflictionib. aut auocamentis retardemur ab instituto cursu, nusquam
oculos dimouentes à Iesu Christo: qui ut nobis autor est huius de deo conceptæ fiducia,
ita quod cœpit in nobis consummabit. Cōsideremus qua uia sit ingressus ille, & quò per-
uenerit, cum innocenti liceret effugere mortem, & tam abesse ab omni cruciatu, quàm ab-
erat ab omni peccato: tamen cōtemptis huius uitæ gaudijs, subiit mortem, & quo malum
esset grauius accessione ignominia, subiit mortem crucis. Nam gloriosam mortem facili-
us perferunt homines. Quā sit ingressus uidetis, nunc quò tandem peruenit: Contemptu
uitæ huius assequutus est immortalitatem: contemptu ignominia apud homines, assequu-
tus est æternam gloriam in cœlis, ubi nunc assidet dexter magnifico throno dei patris. Ad
huius gloriæ cōsortium, cum per ignomitiā uariasq; dolorū afflictiones properetis, ne
quando defatigemini fractis animis à cursu proposito, reputate uobiscum, quod dux ue-
ster nescius omnis peccati, tamē ut nobis ostenderet exemplar ueræ tolerantia, tantū pro-
brorum, tantum ignominia, tantumq; criminationum perpeffus est, ut ad crucis usq; sup-
plicium adigi sese passus sit. Ne uos abijciatis animum, qui nō immunes ab omnibus pec-
catis leuiora patimini. Præstat millies mori, quàm in pristinam uitam relabi. At uos leuior-
ibus adhuc malis affecti, nondum usq; ad sanguinis effusionem restitistis peccato, quod
uos acriter impetit rebellātes, & statim arbitrabimini uos esse destitutos à deo, nec uenit in
mentem, quid uobis tanquam filijs propitius pater loquatur in mysticis prouerbijis, con-
solans uos, & ad animi magnitudinem blande extimulans: Filii mi, inquit, noli negligere
correctionem domini, neque despondeas animum, quoties ab eo argueris. Quem enim
diligat dominus, eum huius uitæ malis corripit, & flagellat omnem filium quem recipit.
Quod si castigationem huiusmodi patienter fertis, agnoscit suos filios deus, sedq; uicissim
illis

Nondū enim
usq; ad sangui-
nem restitistis

illis offert, ut patrē propitium & amantem, nec excludit ab hæreditate uitę cœlestis. An ideo uos putatis inuisos ac neglectos deo, quod affligimini malis huius mūdī? Imò hoc ipsum argumento esse debet, uos esse destinatos hæreditati paternæ. Quis est enim pater, qui non corripiat aliquando filium suum, quem ut germanum agnoscit? Porro cum omnes pī, qui deo chari sunt, aut fuerunt, afflictionibus temporarijs eruditi sint ad ueram pietatem, si uos immunes estis ab huiusmodi castigatione paterna, nimirum argumentum est uos nothos esse, non germanos filios. Quod si parentes nostros, ex quibus secundum corpus tantum sumus progeniti, non modo passi, sed etiam reueriti sumus, dum nos conuicijs ac uirgis erudirent ad institutionem uitę communis, nihil illorum auctoritati reluctantes, sed sic interpretātes, quasi quibuscunq; modis tractarent nos, amico animo facerēt: an nō multo magis subiiciemus ac permittemus nos patri cœlesti, qui non corporum tantum, sed & spiritū est autor? hoc semel nobis habentes persuasum, quibuscunq; malis ille nos patitur affligi, tamen paterno animo nostrę saluti consulere. Quemadmodum pater corporalis non ita sæuit in filium ut occidat, sed ut seruet, melioremq; reddat: ita deus in hoc castigat nos in hoc mundo, ut uiuamus in æternum. Atque illi quidem parentes pro suo arbitratu nos instituebant, nonnunquam abutentes auctoritate sua, & instituebāt ad breue tempus in rebus fluxis, moxq; perituris, nimirum in his, quę ad rem familiarem parandam ac tuendam pertinent, nonnunquam & suis commodis consulentes, ut obsequio nostro iuuarentur. At hic nostri non egens, perpetuo consulit nostris commodis, nec his sane uulgaribus. Nec enim hoc agit, ut terrenis opibus ditescamus, nec ut in aliquot iugerum hæreditatem succedamus, sed ut sua cœlestia bona nobis impartiat; hoc est sanctimoniam in hoc mundo, in futuro seculo felicitatem æternam. Hunc fructum tam eximium, qui suo cum animo reputabit, facile patietur temporariam huius uitę molestiam. Etenim cum cæteri parentes corripunt liberos suos, habet ea castigatio non uoluptatem, sed molestiam in præsentī quidem: cæterū ubi iam grandiores facti, sentire cœperūt, quanto bono sibi fuerit ille cruciatus, magnopere gaudent se fuisse cæsos, & obiurgatos, & cum risu gratias agunt his, quos ante lachrymantibus ferebant. Sic huius mundi calamitas grauis quidem interim est sensibus nostris dum imminet atq; premit hæc mortalia corpora. Cæterum hic dolor, ille tumultus, quo turbantur & animi nostri ob corporis cōmercium, tranquillum ac suauem iustitię fructum reddit suo tempore. Afflictio docet pietatē: pietas adfert gaudium bonę mentis: bona mens parit immortalitē. Proinde ne quē in hoc pulcherrimo certamine destituat animus. Sudor est ingens, sed eximia præmia, sed fidus agonothea. Imitemini fortes athletas, & strenuos cursores, manus lassescētes excitate, gēua soluta labantiaq; surrigite, recto cursu properate ad metam propositam, neq; pes huc aut illuc deflectens aberrēt à recta uia. Imò si quid aberratum est, si quid cessatum est, id alacritate noua fartiatur. Neq; uero satis uobis, ut quisq; sibi certet securus aliorum, imò pax & concordia uos omnes ita iungat & conglutinet, ut communi studio alijs pro alijs solliciti sint, curentq; ne quis in communi cursu decedat à gratia dei: ne quis alienus à sanctimonia, quę decet membra Christi, & sine qua nemo uidebit deum, grauis sit corpori, & indignus qui braueo proposito potiatur: ne properantibus ad cœlestia, radix aliqua amarulentię suppullulans ac fruticans, obturbet aliorum pījs studijs, eaq; latius serpens, complures inquinēt suo cōtagio. Ne quis sit inter uos scortator, aut alioqui profanus, gulę uentriq; deditus. Siquidem huiusmodi cupiditates remorantur cursum uestrum, ac deflectunt à recto tramite, sitq; ut dum ad huiusmodi fucata bona respicitis, summū illud & æternū braueum amittatis. Sic nimirū euenit Esau, qui famelicus ob unius edulij uoluptatē uendidit ius primogeniti, breui uoluptatula, perpetuā emens poenitudinem. Nam illud meminisse debetis, quo uobis sit exemplo, quod postea cum conaretur benedictione patris sibi restitui ius primogeniti, reiectus est, nec profuit illi sera poenitētia, tametsi lachrymis profusus testaretur sibi dolere quod fecerat. Amarulentia quę nascitur ex odio, liuore, & arrogancia, uitiat fraternā concordiam: libido, luxus, cætereq; rerū sordidarū cupiditates, uitiant puritatem, & sanctimoniam uitę. Atqui duas hæc res oportet inter uos esse salutas, nec altera sine altera cōstat. Nec enim est inter impuros grata deo cōcordia, nec illic esse potest uera morum integritas, ubi regnat discordia. Cauendum est igitur & nobis,

AA 4

ne cœlestem

*Omnis autem
disciplina in
præsentī
quidem*

*Pacem sequi
mini cum
omnibus*

*Non enim de/
cessistis ad tra/
stabilem*

ne coelestem hereditatem cum huius mundi delectamentis stultissime commutemus. Coelestia sunt ad quæ properamus, puri accedamus oportet, in Evangelica luce uersemur, tam sanctæ professioni uitæ sanctimonia respondeamus oportet. Pontifici uestro atque huius legi respondere necesse est. Non enim accessistis quemadmodum olim maiores uestri, cum Moses legem ferret, ad montem Sina, qui corpore contingi potest, & ad ignem incensum, qui sensibus humanis percipitur, ac turbinem & caliginem, procellarumque ac turbæ sonitum, quæ auribus atque oculis percipiuntur: nec ad uocem uerborum, quæ licet aere pulso sentiri poterant auribus humanis, ac tenuem modo imaginem habebant uocis ueræ diuinæ, tamen non carebant maiestate sua, adeo, ut populus qui audiebat expaues factus horrore uocis, deprecaretur, ne pergeret loqui deus, sed ipse Moses sua uoce pronuntiaret, quæ mandasset ille. Alioqui terribilior erat illa uox, quam ut humanarum aurium imbecillitas ferre posset. Tantum autem habebant religionis ac formidinis, quæ per typum tantum Evangelicæ legis gerebantur: ut à contactu montis procul arceretur populus, & edicto publicaretur, ut bestia quæ tetigisset montem, lapidaretur, aut iaculo configeretur. Nam usque adeo terrificæ species erat rerum, quæ sensibus corporalibus exhibebantur, ut ipse Moses expaueat ac tremuerit horrore spectaculi.

*Videte ne re/
cessistis loquen/
tem*

Ad huiusmodi igitur sensibile spectaculum uos non accessistis, quod umbras ac typum habebat rerum longe meliorum, sed accessistis ad res hoc ueriores, quod animo, non sensibus corporis percipiuntur: ad spiritualem montem Sion, qui spiritu contingitur, non manibus: ad ciuitatem dei uiuentis Hierusalem coelestem, ubi pax est æterna: ad innumrabiliū angelorum cœtum, qui sunt huius ciuitatis proceres & indigenæ: ad concionem filiorum dei, qui cum Esau non perdiderunt ius primogeniti, sed Christo adherentes, conscribi meruerunt in cœlis, facti ciues eiusdem ciuitatis: ad iudicem uniuersorum deum, eius reipublicæ principem, ac spiritus iustorum hominum, quos perfecta pietas coelesti contubernio copulauit, ac iudicis assessores reddidit: ad noui testamenti pontificem Iesum, qui non perdit, sed reconciliat: & ad huius sanguinem, cuius aspersu purgantur animæ, qui multo meliora loquitur, quam sanguis Abelis. Siquidem ille flagitabat ultionem, hic impetrat remissionem. Quo clementius & amantius sanguis eius loquitur pro nobis, hoc magis cauendum est, ne aspernemur Christum sic nobis loquentem. Etenim si poenas non effugerunt contempti sermonis, qui Moysen hominem in terra loquentem auersabantur, multo grauiores poenas dabimus nos, si Christum ex cœlo nobis loquentem auersemur: cuius uox tum concussit terram, ut sensibili terrore deterreret à peccando. At nunc quid ex cœlis comminatur se facturum per Aggaeum prophetam? Adhuc semel, inquit, & ego mouebo non modo terram, uerumetiam cœlum, ut expauescant non solum homines terreni, uerumetiam coelestia. Porro illud quod dicit: adhuc semel, significat eorum quæ concutiuntur translationem: utpote quæ facta sunt hominum manibus, quod genus sunt templum & ciuitas Hierosolymorum, ut maneat ea, quæ hominum manibus facta non sunt, & ideo concuti non possunt, cum sint æterna. Gloriantur suo templo Iudæi, gloriantur sancta ciuitate, sed hæc aliquando non erunt. Expectant regnum, uidemus aliò translatum. Quapropter nos qui coepimus eniti ad regnum coeleste, quod labefactari non possit, idque beneficio spiritus diuini, perseueremus in beneficio dei. Itaque uersemur in hoc templo coelesti, sic deum cum reuerentia ac religione colentes, ut puritate mentis illi placeamus, qui non requirit posthac aliud sacrificij genus. Si religio erat olim in peragendis sacris quicquam admittere, quod offenderet oculos hominum, quanto magis nobis obseruandum in hostijs spiritualibus, ne quid offendat oculos dei? Si olim periculum erat, non rite aduenti loca religiosa, quanto plus erit periculi, si parum puris mentibus adeamus ipsum deum: qui non ignis est corporeus, qui ut accenditur, ita restingui potest: sed ignis est efficax, ad nihilum etiam redigens quæ uult.

CAPVT XIII



Perseueret apud uos fraterna charitas, cum sitis eiusdem corporis membra, neque solum eos amore complectamini, qui uobiscum assidue uiuunt, uerum etiam eos, qui hospites ad uos diuertunt. Neque enim mediocris laus est hospitalitatis apud deum. Per hanc enim Abraham meruit, ut angelos in sciens exciperet hospitio, cum se crederet hoc officium in homines conferre. Pos-

tu lat

stulat & hoc Christiana charitas, ut eorū qui in uinculis sunt ob Christi professione, calamitas uos æque moueat, ac si ipsi essetis in uinculis: & cruciatus eorū qui alioqui uarijs malis affliguntur, sic uos afficiat, ut appareat uos meminisse, quod corpus habetis iisdem obnoxium malis, nec alienos esse à sensu dolorū, quos patiuntur eiusdem corporis membra. Coniugiū, quod rite seruatum etiā apud ethnicos, suū habet honorem: sit apud uos item honorabile, neq; cubile ullo stupri genere contaminetur. Cæterum scortatores & adulteros iudicabit deus. Vestri mores absint ab avaritia, sic ut contenti sitis rebus presentibus, uelut in diem uiuētes absq; sollicitudine futuri. Sic enim deus ipse pollicitus est Iosue, & in hoc omnibus ipsi fidentibus. Non te desero neq; derelinquo: ut hoc freti, fidentes dicamus, quod in psalmo mystico dicit propheta: Dominus mihi auxiliator est, nec timebo quid faciat mihi homo. Rationem habete eorū qui præsunt uobis, à quibus accepistis nō humanā doctrinam, sed uerba domini, curateq; ne quid illis desit rerum necessariorum. Horū uerbis quemadmodum initio credidistis, ita uitam illorum ueluti scopum intueamini, ac fidem imitemini, considerantes qua constantia perseuerent in euangelica professione usq; ad uitæ finem. Euangelium semel recte traditum, semper est constantissime tenendum. Vt enim Iesus Christus & heri fuit, & hodie est, & semper futurus in omne tempus, nec unquam mutabitur, ita semper manebit illius doctrina. In hac igitur persistite, stabiles ac firmi, neq; ceu nullo certo fundamento nixi, circumferamini doctrinis subinde nouis ac uarijs. Non aliud docuit lex Mosaica, q̃ docet euangelium, sed aliter. Stultum est autē umbris inhærere, cum illuxerit ueritas. Et tamen non desunt qui ueterem Iudaismum iam antiquatū renouent, in escis ciboq; corporis pietatem constituent, in quarum rerum obseruatione qui superstitiose uersati sunt, nullum inde fructum iustitiæ retulerunt. Qui solidam ac ueram pietatem assequi uelit, quæ non tantum umbram habeat iustitiæ, sed animum ipsum bona conscientia confirmet apud deum, in gratia fideq; consistat, huic fundamento quod iecit Christus innitatur, & non uacillabit Iudaicis superstitionibus. Sit illis religiosum à certis abstinere cibis, etiā ab immolatis. Habemus & nos altare multo sacratius, de quo non est fas edere ijs, qui adhuc addicti legalibus cæremonijs, nesciunt gratiā Euangelicam ueræ salutis largitricem. Siquidem iuxta legis præscriptum, animantium, quorum sanguis offerri solet pro peccato per pontificem in tabernaculis, quæ dicuntur sancta, cadauera cremari iubentur extra castra: perinde quasi sanguis habeat aliquid sacri, cum corpora ceu polluta deferantur foras, in profanis locis exurenda, atq; ob id ab his uelut ab impuris abstinent cibis. Vmbra habent isti, sed nos amplectimur id quod umbra significauit. Illi nihilō sanctiorem mentem habebant, posteaquā fuerāt aspersi sanguine: nec puriores erant, quod ab esu corporum abstinerent, cum animi uitijs maderent. Nos Iesum uictimam nostram ac pontificem amplectimur, qui uelut alludens ad legis imaginem, ut proprio sanguine purgaret populum suum, extra portam Hierosolymitanæ ciuitatis uoluit crucifigi. Cuius exemplum oportet nos non superstitiose, sed religiose imitari: id faciemus, si & ipsi, sublata cruce nostra, sequamur illum exeuntem ex contubernio hominum, ueluti scelerosum. Egrediamur & nos à commercio mundi huius, nobisq; dulcius sit subire probum pro Christo, quā mundi gloria frui. Valeat nobis hæc ciuitas terrena, qui non habemus hic manentem ciuitatem, sed futurā ac cœlestem æternāq; desideramus. Exit autem ciuitatem, quisquis affectus abiicit carnis, totoq; studio cœlestia meditatur. Intra mœnia non immolatur hostia nostra, cæterum egressi cum pontifice nostro Christo, semper offerimus & ipsi quandam hostiam per ipsum gratā deo, non pecudem aliquā, non fruges agrorum, sed fructū laborū: laborū, inquam, nō tam corporis, q̃ animi, quibus agnosci mus dei beneficium erga nos, & commemorantes Christi crucem, pro condonatis peccatis, pro tot dotibus, gratias agimus. Huius altaris non sunt participes Iudæi, qui manentes intra muros, nihil amant nisi carnale. Iam accipite & aliud sacrificij genus dignum Euangelio, quo litare oportet assidue deo. Beneficio iuuandus est proximus, ac si egeat facultatum subsidio subleuandus. Talibus enim hostijs conciliatur deus citius, quā Iudaicis obseruariūculis neglecto fratre. Parete præfectis uestris, cōcedentes his, etiam si mali sint, modo ne pertrahant ad impietate. Etenim cum suo funguntur officio, uigilant pro animabus uestris, salutē uestre consulentes: atque id faciunt suo periculo,

Iesus Christus
heri & hodie

Beneficētia
autē & com
municationis

nimirum reddituri rationem deo, à quo proficiscitur omnis potestas. Horum onus aliqua ex parte leuabitis, si uos & morigeros & obtemperantes praeberitis, ut quod faciunt, faciant cum alacritate & gaudio, potius quam gemetes. Nam id quemadmodum illis est molestum, ita uobis est inutile. Illis tædio est labor sine fructu susceptus, uobis non expectat iram dei prouocare in uos inobedientia. Fratres, & nos precibus uestris deo commendate, siquidem uideor annumerandus inter eos, qui uobis bene praesunt. An omnibus prober nescio, certe confidimus, quod sincere nos gessimus cum bona cōscientia apud omnes, qui cupiūt ad Euangelicā regulā uiuere. Quod ut faciatis, eo precor impensius, quo celerius possim uobis restitui, ut deus pacis autor, qui reuocauit à mortuis summū illum ouium pastore dominum nostrū Iesum Christum, qui rediuius per sanguinem suum ingressus est cœlum, pro nobis interpellaturus patrem, quo sanguine consecrauit nouum & æternum testamentum, perficiat uos & consummet in omni opere bono, ut idonei sitis, qui satisfaciatis uoluntati ipsius, atq; idem efficiat, ut quod agitis, acceptum sit in conspectu ipsius: idq; per Iesum Christum, qui semper adest commendans sacrificia nostra, cui debetur omnis gloria, non solum in hac uita, sed in omne tempus, Amen. Nihil est quod nobis ex benefactis arrogemus, ipsius donū est, quicquid facimus tale, ut placeat oculis dei. Hæc exhortandi gratia scripsi uobis, id boni consulētis, quod à nobis bono animo factū est. Scripsi paucis, ut ipse uos breui uisurus. Scire uos uolo, quod


Timotheus in praesentia mihi non adest, sed aliò dimissus est: is si celerius redierit, hoc comite uos inuisam. Salutate meis uerbis omnes qui praesunt uobis, sed & cum his omnem sanctorum gregem. Salutant uos Itali. Gratia fauorq; dei semper adsit uobis omnibus,
Amen.


PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS, PER
ERASMV M Roterodamvm THEOLOGIAE
PROFESSOREM, FINIS.


Basilæ in officina Frobeniana, per Hieronymum Frobenium
& Nicolaum Episcopium. M. D. XL.

INDEX CHARTARVM.
abcdefghijklmnopqrstuxyz. ABCDEFGHIKLMN
OPQRSTVXYZ&. aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo
pp qq rr st tu u x yy zz AA Omnes terniones excepto & quaternione.

100
 100
 100
 100
 100









⑧ 11506

